1685

J. H. Panring.

MICHAELIS ETTMULLERI,
Philoſophiæ & Med. Doctoris,

ET

Quondam in Academia Lipſienſi Profeſſoris Publici celeberrimi

OPERA OMNIA

THEORETICA

ET

PRACTICA,

In quibus univerſa Praxis medica

SIVE

Omnium totius humani corporis morborum dilucida deſcriptio, eorumque cauſarum accurata explicatio & curatio per ſelectiſſima & optima medicamenta.

Secundum Principia & experimenta chymica ac anatomica

Clariſſ. Viror. HELMONTII, WILLISII, SYLVII TACKENII, aliorumq; Neotericorum exhibetur.

Accedit

CHIRURGIA MEDICA.

Pulcherrima methodo omnes affectus externos explicans, eorumque cauſas, reſtitutionem & curam deſcribens.

Vt &

METHODUS CONSULTATORIA,

Per variorum Caſuum exempla docens morborum reſolutionem & curationem.

Annexi ſunt in fine,

De particularibus quibusdam materiis Tractatus ejus ſingulares.

LVGDVNI, M DC LXXXV.



PRÆFATIO
Ad
LECTOREM.



Uanto ſtudio, quanta induſtriâ, quamq; accurato ac limato judicio omnia ſua ſcripta Clariſſ. Vir Michael Ettmüllerus, Profeſſor, *dum viveret*, Lipſienſis Academiæ celeberrimus, *elaboraverit & conſcripſerit, multa proſtant teſtimonia: Meum non eſt, nec poſſum, neque temporis anguſtia permittit, pluribus hic ex-*

plicare. *Edidit* Clarisſimus hic Vir *ſuo tempore ſucceſſivè quosdam tractatulos*, diſputationum nomine, *qui, quamprimum ad Eruditorum manus perveniebant, multis ſtatim encomiis ornabantur;* plurima *verò* & optima ejus ſcripta in paucorum manibus *erant, & adhuc ſunt, quamvis à multis, qui pro comperto habebant, varia illorum à nonnullis reſervari, anxie deſiderabantur. Sic multi ſunt, qui ejus* collegia M. S. *ut vocant, magno pretio deſcribenda curaſſent, ſi modo ab eorum poſſeſſoribus ſollicitis precibus illa impetrare potuiſſent. Sunt alii quam plurimi, quos ſpes alit, nilque magis*

exoptant, quam ut doctissimi hujus Viri prelo dignissima scripta *tandem aliquando in lucem prodeant, & ab illo tempore, quô aliquoties în catalogis librorum semestralibus nundinalibus eorum mentio facta est, dici non potest, quanto desiderio, multi illa quæsiverint & expectaverint, licet inanis spes, conceptam multorum opinionem usq; dum fefellerit.*

Cum itaq; hoc observarem & animadverterem, pluresque, qui ex magna illa, quam conceperant, spe fore ut proxime publicè prostarent, deturbatos se putabant, me iteratis verbis rogarent ac ad edendum utilissima

lisſima hæcce ſcripta *inſtigarent, recuſare id amplius non potui: Itaque cum ut ex hac parte incredibili, quo multi tenentur,* deſiderio ſatisfacerem; *tum & ex altera parte unicum* meum Erudito Orbi ſerviendi ſtudium & *officium ulterius* exponerem, *promoventibus & adjuvantibus hanc editionem quibusdam* Amicis, *qui quondam* Authoris noſtri beati auditores, *ejusque viva informatione uſi fuêre, ſepoſitis omnibus aliis negotiis, ſpretis impenſis & ſumptibus ſpretaq; vana lucri cupiditate, celerē manum operi admovendo, onus hoc ſuſcepi, & ex parte jam abſolvi. Protrado igitur potius quam* edo, *tuisq;*

mani-

manibus, humanissime Lector, *officiosè* trado eruditissimi hujus Viri desideratissima opera, *quæ quidem hac vice perfici potuerunt; Omnia enim impressa hac una vice prodere temporis penuria non concessit, si verò hæc placuerint, (erunt autem sine omni dubio gratissima,)* reliqua quæ restant, una cum indice locupletissimo proximè expecta. Tu *interim vicissim* benevola manu hæc accipe, *iisque in tui commodum, proximiq; salutem feliciter fruere: Et si ex nimia festinatione, quæ in hoc opere adhibenda erat, varia, prout fieri solet, hanc editionem irrepserint sphalmata & errores typographici, (quam-*

vis

vis debita in iis corrigendis & removendis non intermiſſa fuit cura & diligentia ,) *Tu* , humanisſime Lector , *pro tua , quam compello , benevolentia gratioſe id condones*, & amicè ac benevolè corrigas , oro rogoque, *eſtoque triti illius, veriſſimi tamen , memor* : Nemo ex omni parte beatus.

Vale.





INDEX.

PARS I.

PARS II.

)(aphthis

INDEX.

delior

Collegium Consultatorium.

Appendix.

FINIS.



I. N. J.

DOCTRINÆ PRACTICÆ PROLEGOMENA.



PRAXIS est vel *vulgaris* sive ordinaria, vel *extraordinaria*. *Vulgaris* sive ordinaria adhuc est manca, in quàm plurimis mutila, idque *duabus ex causis*.

I. Est defectus sufficientium experimentorum in macro- & microcosmo, super quæ solida theoria, h. e. aliorum, minus sensibus obviorum, phenomenωn ex illis sensibus notioribus observatis, eorumque fiendi modis, explicatio & fiendi ratio fundari possit. Ob id tàm studiosè hodiè excolitur Chymia & Anatomia, ut ibidem ex observatis microcosmicis melior corporis humani operationum partium per anatomen detecta etiam obtineri queat. Ex his Pathologia constituenda.

II. Est defectus genuinorum & generosorum remediorum in Praxi, tàm universalium, quàm genuinorum specificorum, quæ nempe in se efficacia sint, &c, sine stomachi labore pharmaceutico, sponte sua vim medicamentosam exerant. Unde qui supra vulgatam & ordinariam praxin in Medicina excelluerit practicâ, hoc vel ope solidioris theoriæ, vel ratione generosorum remediorum præstiterunt. In quibus ultimis sublimiores Chymiatri, ac horum antesignani, *Basilius*, *Paracelsus*, *Helmontius*, *Poterius* excelluerunt.

Hinc in Praxi vulgari *ratione prioris*, theoriæ nempe defectu, vix circa radicem morbosam, sed potius circa ejus producta versari datur. *Ratione posterioris* interdum anus aut empiricus melius maximè industrio & erudito curare observatur Medico, & tàm sæpè affectus in se curabiles incurabilium

inſcribuntur catalogo. Dixi praxis vulgaris vix circa radicem morboſam ut plurimum minus cognitam, vel à priori hactenus imperſcrutabilem occupatur, ſed vel circa cauſam occaſionalem, vel circa productum morboſum tantùm, hoc vel corrigendo vel tollendo, unde verò à poſteriori, rarius à priori curare ſolemus. Rem exemplo declaro; Spina digito infixa externè, internè vitioſum fermentum ſpinæ inſtar lædens parit, unde ibi externè tumor, inflammatio, abſceſſus in Chirurgia; hîc verò internè affectus chronici frequentius ex digeſtione partis cujusdam vel publica, vel privata læſi, acuti verò ex fermento peregrino, aut ſanguinem aut ſpiritum inquinante, proficiſcuntur. Hinc ſi ſpina maturè removeatur, omnia evaneſcunt ſymptomata: Sin verò vel anodynis, vel diſcutientibus, vel maturantibus negotium tractes, naturæ quidem motum imitaris, & eam adjuvas, ſed à poſteriori ſaltem, quàm à priori, ſpinæ nempe evulſione, commodius levare potuiſſes. Sic in maligna febre contagium inſenſile eſt, quod morbum infert: hoc vel ſublato, vel appropriato remedio deſtructo ceſſat febris. Contagium eſt leve, quod in lue Venerea peccat, & fermenta digeſtiva hebetat; hoc ſublato facilè omnia curantur, quæ difficillimè & tædioſiſſimè per ſudores aut ſalivationes aliàs mitigantur. Sic fermentum aut ſpina eſt exile, quod circa unum vel alterum nervulum, totum corpus convellit, non ſecus ac tantillum effluvium, acrius nares inſigniter vellicans, impetuoſum ſternutationis ſpaſmum facit; His ſublatis, vel per appropriatum correctis, ceſſant effectus, qui per opium à poſteriori ſaltem palliantur. Sanè frequentiſſimè in Praxi occurrit, ut nonniſi à poſteriori productis morbis ac ſymptomatis occurratur, à priori verò cauſa ſive ſpina intacta relinquatur, idque vel ob cauſæ genuinæ ingnorantiam, vel appropriati remedii defectum, Medicis ignorantibus optimè ſe agere opinantibus, ſcientibus verò tacitè ingemiſcentibus & ſuos defectus adhuc deplorantibus. Hinc extraordinaria praxis *differt à vulgari ſive ordinaria duobus modis.* I. *Ratione remediorum.* II. *ratione modi.* *Illud* dum adminiſtrantur remedia generoſa, legitima tamen methodo: *hoc* dum magneticè ſive transplantatoriè curatio inſtituitur. Hinc in talibus medicandi rationibus nec V.S.bus, nec fonticulis ſive veſicatoriis, nec purgantibus tantoperè opus habemus, quia ſola data vomitoria, & diuretica ac ſudorifera applicata cum appropriatis utramque faciunt paginam.

Ut ergò reformetur praxis ordinaria, & theoria magis perficienda per repetita experimenta & obſervationes anatomicas & chymicas, & hinc remediis vel appropriatis particularibus, vel generoſis univerſalibus, adeoque plurimis ſcopis ſatisfacientibus, ſedulò opera danda erit.

Ordinaria imprimis quantum poſſibile correcta praxis jam conſideranda eſt, in qua circa quemvis affectum præter naturalem V. Capita obſervanda veniunt,

I. *Hi-*

I. *Hiſtoria morbi*, ubi diagnoſis ejusdem ſimul inſinuatur.

II. *Subjectum* ſive pars affecta.

III. *Cauſæ* tàm remotæ quàm propinquæ, tàm materiales quàm formales, ſive tàm in ſe conſideratæ, quàm reſpectu alterationis præternaturalis, quam corporis cujusve partibus inducunt.

IV. *Prognoſis.*

V. Circa quam tàm methodus medendi quàm remedia & ſimplicia & compoſita, interna & externa unà cum caſibus, hiſtoriis & obſervationibus practicis tractanda & conſideranda veniunt.

Ubique obſervandum eſt, ut ſuper fundamenta chymica & mechanica, adeoque experimenta negocium omne fulciatur, ut res difficilis & obſcura, quantum poſſibile, dilucidetur. Nam corpus eſt machina, cujus movens liquor ∽ſus per chymiam explicandus ac natura ſemper interim & ubique geometricat.

In genere probè diſcriminandæ ſunt *binæ facultates* corpus gubernantes, *vitalis & animalis* harumque fundamenta, quarum *vitalis* in ſanguine & viſceribus, ac inde derivatis ſuccis conſiſtit, hæc *animalis* in ſpiritu animali & ſyſtemate nervoſo fundatur.

Ratione poſterioris, ad multiplices nervorum diſtributiones & varias partium cum his connexiones indeque natos conſenſus varios probè attendendum, & hinc natis malis doloroſis ac convulſivis maturè occurrendum. Ut res pateat clarius, in *ſanguine* conſiderandus *duplex motus*, vel integræ maſſæ *circulatorius*, vel particularum ejus minutiſſimarum inteſtinus ſive *fermentativus*. In *circulatorio* conſideranda *Plethora*, quæ imminutionem poſtulat. Huc V.S. vel evacuatoria, vel ventilatoria, quoad alia media revulſoria, averſoria, derivatoria pertinet.

Fermentativus præſupponit duo ⊖lia, acidum & alcali. Fundamentum hujus motus eſt *craſis ſeminalis*, per uſum rerum non naturalium conſervanda, per remedia reſtituenda. Craſis vitiata, *cacochymia* aliàs dicta, à vitio acidi vel alcali in ſubjecto nunc viſcido, nunc aqueo dependet. Unde vulgata aliàs *quadruplex cacochymia*, billioſa, melancholica, pituitoſa, ſeroſa explicanda.

Origo cacochymiæ remota eſt præſertim ex vitioſis digeſtionibus, earum nempe relictis, transmutatis, transmiſſis, uno nomine retenta Helmontii.

Occurrimus huic I. alterando, II. evacuando.

Alterantia vel generalia, vel ſpecialia ſive ſpecifica.

Evacuantia vel univerſalia ſunt, vel particularia.

Alterantia ſpecifica in quovis ſpeciali caſu evolventur, quoad generalia verò *acidum corrigunt* remedia tàm fixa quam volatilia. Ex *fixis ♂ præ cæteris*, it. ☉ præſertim in acido vinoſo.

R. lap. ♋ pp. corall. r. pp. CC. uſt. an. ℈ j.
⊖ abſynth, 🜿 an. g. xv. 🝆 deſtillat. cumini. caryophyll. an. gr. xii.

laud. opiat. gr. vj. M.

Ex *volatilibus* ℞. ▽ majoran. menth. an ℥jß. aq. vit. Matth. ʒiij.
Essen. castor. ʒiß. ♈ ⊖✱.
liquor. CC. succinat. ʒj. syrup. fumar. ℥ß M.

In specie pro *corrigendo alcali* volatili, acri sive bilioso
℞. ▽ acetos. rubi idæi an. ʒiß.
Succi citr. vel cydon. recent. ℥j. ♂ii diaphor. ʒj.
Syr. acetos. citr. ʒvj. spir. nitr. dulc. pro grato sapore.

Nitrosa nempe inprimis alcali volatile figunt, non secus ac sulphurea fixa antimonialia, cum utraque temperent & corrigant, sulphurea oleosa ex omnibus tribus regnis, tàm volatilia, quàm fixa, hinc sulphura metallica fixa adeo sunt decantata & nobilia, simul nempe anodyna.

Viscidum sive pituosum alterant salsa, quo pertinent omnia, salia digestiva dicta, ☿ ⊖-lat. arcan. duplicat. &c. ⊖✱ it. gummata; aromatica acriora.

Serum sive lympham corrigunt alterantia sic dicta.

Evacuantia universalia sunt vomitoria, purgantia, diuretica, sudorifera. Hæc inter, quorum adeò larga seges est, saltem selectus instituatur, v. g. Inter *vomitoria* vitanda vegetabilia, it. vitriolata ac mercurialia; antimonialia sunt optima, quorum tamen sufficiunt pauca, v. g. sapa vomitoria Sylvii, ☿ emeticus Mynsi. in thes. p. 13. Syrupus emeticus Ludovici in Pharm. p. 212. Infusum emetic. Kerking in Basilium p. 144. 169.

Purgantia itid. pauca selecta sufficiunt, Pilulæ ex extracto catholico, variis additis determinantib⁹, in specie ☿io dulc. ubi mitius laxandum, M. P. de ammoniaco debito stimulo sufficiunt. Pro pilulis usualibus aloëticæ, ad imitationem Ludovici concinnatæ, vel Tilemanni præstant. Inter pulveres, pulvis jalappæ compositus sufficit. Infusa inter, Sennatum cum Rhabarbaro aut Helleboro est optimum.

Electuaria purganda optima subministrat Sylvius Prax. l. 1. c. 2. §. 33. &c.

Mitius ubi alvus solvenda, passulæ laxativæ, vel decoctum passularum cum senna, pluribus aliis æquipollent.]

Quoad *Diuretica* usurpantur hæc tàm *volatilia* quàm *fixa*. *Volatilia* sunt in specie ex ☿. v. g. Spiritus carmin. polychrestus, sive Tinctura nephritica. it. sal volatile succini, terebinthina, juniperi, spiritus & sal volatile lumbricorum, & ubi fortius agendum, infusum cantharidum.

℞. Aq. Petrosel. ℥ij. alkekeng. ℥j.
malvat. juniper. ℥vj. spirit. lumbricorum. terrest. per putrefact. ʒjß.
Syrup. fænic. ℥iij. vel vj. M.

Diuretica *fixa* sunt imprimis vinum extinctionis silicum, it. testacea ac concreta lapidosa marina, vel

℞. ♀

℞. ♀ vitriolat. Tachen. ℥ ℈ß.
Sal ſtipit. fabar. geniſtæ a. gr. xv. fimi columbin. ℥ jß.

M. F. Pul. Poteſt capi in vehiculo vini. Quibus & adde ſemen violarum.

Sudorifera etiam ſunt *vel fixa vel volatilia. Fixa* antim. diaph. præſertim ♂ale Ludovici, ſalia quædam fixa, cornua & oſſa animalium cum & ſine △ præparata.

℞. ♁ diaph. ℈j. ſal card. ben. ℈ß. laud. op. g. j. M. F. pulv.

Volatilia ſudorifera ſunt quælibet ſalia volatilia & eorum ſpiritus unà volatiles; item quælibet extracta vegetabilium reſinoſa, aut olea deſtillata empyreumatica rectificata. ſuo modo etiam ſpiritus vegetabilium inflammabiles, unde ſufficient ſpirit. ſal. armoniac. ſpirit. tartari rectif. extractum lig. Gujac. item Abſynthium & carduus benedictus, mixtura ſive Tinctura bezoardica camph.

℞. Aq. florum ſambuc. ℥ j. ſpir. bacc. Sambuci ℥ j. ſal. Armoniaci ℥ ß. ad ℥ j. camph. gr. ij. Syr. Cardui ben. ℨ ß. M.

Facultas animalis, in ſpiritibus & ſyſtemate nervoſo fundata, conſiderationi ſuggerit.

I. *Nutrimentum*, quod eſt chylus, qui iſtud immediatè nutrit, ob id labes ſuas in ſpecie acorem facile illi affricat.

II. *Structura*, quæ conſtat ex ſubtiliſſimis & delicatiſſimis fibris, *nunc* coacervatis in nervos, *nunc* hinc inde diſtributis. Nam & ipſum cerebrum fibrarum talium delicatiſſimarum, glanduloſo tegmine indutarum, eſt ſyſtema.

Hæ fibræ in debito tono ſunt *organon ſenſus & motus. Motus eſt vel naturalis, vel animalis.* Utriusque ratione imprimis ſpaſmis & convulſivis motibus & hinc etiam paralyticis defectibus obnoxii ſunt. Spaſmi inſequuntur præcedentem irritationis ſenſum, indeque provocatum concitatiorem ſpirituum impetum.

Irritatio eſt vel à frigore externo, vel ab acido interno, utraque nervis inimiciſſima: hinc acidum deſtruentia, penetrantia, ſimul tamen temperata oleoſa nervis ſunt amiciſſima. Hinc omnia nervina ſunt aromatica. v. g. Roſmarinus, mentha, ſalvia, majorana, & omnia propriè ſic dicta aromata, eorumque olea deſtillata, & cum his parata ſalia volatilia, vel oleoſa, it. ſuccinata, hinc liquor C C. ſuccin.

Senſus ſunt vel interni vel externi. Externorum ratione conſideranda eſt ſyſtematis nervoſi major vel minor ſenſibilitas. 2. Ratione ſenſus natus Conſenſus.

Senſibilitas ſpecialiſſimè in ſtomaho & circa præcordia obvia eſt, unde anxietates, inquietudines, jectigationes, lipothymiæ, frequentia in morbis ſymptomata, circa ſtomachi orificia ut plurimum habent fomitem atque originem.

Consensus triplex est, ratio aliàs explicata. Omnis tamen fit ratione nervosi generis : Hinc non opus est, plurimis in casibus ad actionem ignotam regiminis cum Helmontio confugere.

In genere itaque *nimiam sensibilitatem* nervosi generis, spirituum impetuosiorem motum, & inde nata symptomata spasmodica optimè sistunt *opiata*, optimè per sal Tartari, vel per fermentationem corrigenda. it. *sulphura mineralium fixiora*, hinc antimonialia, cinnabarina vi singulari anodyna prædita: *Imminutam sensibilitatem verò & motus defectum* plus minus paralyticum spirituum adeoque animalium torporem *corrigunt* optimè *omnia acria aromatica, ut* castoreum, salia volatilia oleosa, succinata, vegetabilia aromatica, aquæ vitæ, cordiales, Apoplecticæ.

Respectu horum fundamentorum præ cæteris Tyroni practico legendus est *Sylvius*, & hinc *Willisius*. *Ille* in sua praxi, quam optimè acidi & alcali effectus, effervescentias, correctiones, adeoq; humorum dyscrasias explicuit & mederi iisdem docuit. *Willis* verò in morbis convulsivis inprimis curiosissimus fuit, & legi meretur ejusdem Tractatus de morbis convulsivis, & hinc cætera scripta practica, præsertim utrumque volumen Pharm. rat. ubi hinc inde etiam de nervosi generis pathematis tractat. De cætero *in duobus locis Sylvius in Praxi cautè legendus* & quodammodo corrigendus.

I. Quod nimis multa effervescentiæ isti bilis & succi pancreatici tribuat, & ubi propior subindè causa sufficeret, eam in adjumentum vocet, ut nihil dicam de effervescentia in dextro cordis ventriculo ex bile ascendente & lympha descendente, nec demonstrata hactenus, nec facile demonstrabili.

II. Quod multa nimis tribuat vaporibus & halitibus ex effervescentibus succis in primis viis exhalantibus &c. qui ut plurimum tamen nihil habent in recessu, sed ubi hi ipsi deprehenduntur, motus sunt spasmodici & convulsivi nervorum ex irritatione partium sensilium abdominis, quibus inseruntur, in spasmos contractorum, unde & aliæ partes, cum quibus connexi surculi conjunguntur, continuato tali spasmo per consensum affici solent, v. g. *in Nephritide*, dum tormina intestinorum & vomitus superveniunt. Item in asthmate convulsivo mulierum hystericarum.

Willisium verò quod attinet, hujus copula elastica interea in medio est relinquenda, donec certior ejus ratio constet. Quin in affectibus spasmodicis acidum, aliudve dolorosum irritans, & mutuus nervosarum partium consensus interea sufficiant. Hi *ex modernis* inprimis tyroni sufficiunt.

Veteres quod attinet Scriptores, horum omnium loco sit *Sennertus*, cujus libri practici loci communes sunt, ex omnibus Scriptoribus antecessoribus combinati, vel loco hujus sit *Forestus*, ejusdem nempe observationum libri, in cujus scholiis tota ferè praxis secundum veterum sententiam conscripta apparebit, per curationes plus minus illustrata. *Obser-*

Observationum Scriptores legendi sunt cum judicio exacto, *attendendo* 1. raritatem & varietatem casuum. 2. effectum remediorum; Ubi circumstantiæ ponder enturclimatis, ægri, vitæ generis &c. Si non sint notatæ, modò huc, modò illuc cogitatio dirigẽda pro causa & origine casus cognoscendi. Ubi explicatio circumstantiarum & theoria simul notata adest, consideranda eadem, ex quib⁹ principiis procedat, & si possibile, cum probabilioribus concilietur. Hinc effectus probè considerandus, tàm remedium ipsum & ejus efficientiam per se, quàm quo modo adhibitum fuerit, æstimando: hinc circumstantiæ pensitandæ, quatenus vel promovere, vel impedire, vel immutare talem effectum potuerint: Quid aliud vel melius, vel succedaneum adhiberi potuisset. Hoc enim modo praxis habitualis fundamentum acquiritur.

Quoad observationum scriptores sit instar omnium *Bornet* in suo thesauro Practic. *Helmontius* sedulò, sed judiciosè legendus, experimenta ejusdem tam chymica quàm medica optima, & quantum hactenus constat certissima. Theoria interdum nimis subtilis, subinde vix intelligibilis. Lectori saltem veternum excutit, & nolentem volentem ad ulteriorem indaginem excitat. Imitatio practica impossibilis, quamdiu ejusdem sc. destituimur remediis. Interim quantum possibile, eam imitari conemur: Optimam autem suggerit methodum à priori curandi.

CAPUT I.

De

FAME LÆSA.

TRibus modis læditur fames animalis; *aut enim imminuitur*, ac interdum fere penitus aboletur, nempe in Anorexia; aut *augetur* in appetentia canina; aut *depravatur* omninò, ut in Pica & Malacia.

Quod attinet inappetentiam sive Anorexiam, *causa ejus generalis* est defectus vellicationis in orificio stomachi sensili à fermento digestivo acido volatili. *Causa est vel* in orificio stomachi nervoso, *vel* in fermento digestivo.

Quoad orificium sensile deficit sensus vellicationis in stomacho propter nervos, vel propter spiritus animales affectos, ita ut alterutro vitio non sentiatur stimulus in orificio stomachi.

Si Nervi sive per essentiam, sive per consensum malè habeant, *anorexiam inferunt*. Sic *Nephritis* appetitum dejicit, quoniam renibus affectis etiam reliqui nervi ex plexu Fallopiano sive Mensenterii simul afficiuntur. Unde non tantùm dolorem stomachi & vomitus excitant, sed præterea appetentiam dejiciunt,

ciunt, quod pariter usu venit *in colica*, & affectibus intestinorum cæteris, *Hernia* itidem &c. in quibus ratione continuitatis stomachus simul plus minus afficitur. Quoad *spiritus animales*, hi *in appetentia causa sunt*, *quando* narcoticis stupidiores redduntur, indeque nervi minus sensiles: *vel quando* motus eorum à fortiori objecto ita immutatur, ut vel non ferantur sufficienter ad stomachum, vel facta ibidem impressio non sufficiat determinando spirituum motui, à fortiori objecto perturbato. Sic notum est, *opiata & narcotica* appetitum prosternere, quatenus stupidum suo modo reddunt superius orificium stomachi, ut quasi insensibile fiat: unde & *fumus tabaci* solet obtundere famem. Hinc milites fumum tabaci usurpant pro fallendo & profligando appetitu. Facit huc inventum Indorum, quod refert *Sennertus lib. 3. Pr. part. 1. sect. 2. cap. 2. p. 97.* ex Monarde, dum ipsi ad fallendum appetitum utuntur medicamento, ex foliis tabaci & conchyliis fluviatilibus calcinatis facto, in pillulas redacto. *Pertinet huc, quod deliria, tristitia, terror, triste* ex inopinato allatum *nuncium* subitò appetitum dejiciant, non secus ac alia graviora pathemata quælibet, item *magni dolores*, quatenus hæc omnia conspirant, ut spirituium animalium motum immutent, ut *partim* non dirigantur ad stomachum pro supplemento fermenti digestivi, *partim* spiritus vehementius commoti in cerebro, non recipiant impressiones in orificio stomachi factas, utpote istis minus vehementes. Sic parili ex causa ex *subitanea pedis luxatione* optimus etiam Helmontii prostratus fuit appetitus.

Quoad *digestivum fermentum* hoc anorexiam infert, *quando vel* deficit in stomacho, *vel quando* acidum esurinum est obrutum à copiosa materia viscida, *vel* redditum iners à materia vel substantia pingui.

Deficit in stomacho *fermentum digestivum* variis ex causis. Hinc *aer æstivus* calidus & squalidus minorem reddit appetitum: contra hybernus eundem auget: arbitror ibi rariores & subtiliores spiritus magis absumi, hîc verò eosdem magis concentrari, unde varia fermenti activitas. *Potus nimius* etiam appetitum prosternit, diluendo fermentum digestivum, in specie *seri lactis usus nimius* appetitum prosternit, observante *Timæo in casibus p. 111.* in sero nempe lactis alcali volatile est copiosum, plus minus oleosum, ratione cujus refrigerat & laxat, sed simul fermentum stomachale debilitat. *Calculus stomachi* etiam appetitum prosternit, teste Höfero *in Hercul. Medic. p. 137.* non secus ac *alcalia* assumta, item *opialia* appetitum enervare solent. De quibus notissimum est, quod notabiliter appetitum dejiciant, obtundendo penitus activitatem ac acrimoniam fermenti digestivi. Præterea nil magis est, quod *pituitam acidam* in stomacho primisque viis *accumulet*, quàm *pinguia copiosius assumta*, superingesto potu frigido. *Hinc* notabile est exemplum appetentiæ per decem dies penitus prostratæ ex oleo violaceo cum cera & adipe in Emplastri consistentia assumto. *Vid. Senn.*

Senn. l. 3. pr. part. 1. sect. 1. cap. 1. p. 76. *Gulones* pariter nimis unâ vice ingurgitantes appetitum dejectum postmodum aliquandiu experiuntur. *Saliva* itidem *viscida & glutinosa* ordinario appetentiam dejectam solet inferre. *Cerevisia & potus non probè defæcatus* præsertim *recentior* appetitum prosternunt. Præcipitari enim solet ♀ ac fœces in stomacho, quæ cum sint naturæ terrestris alcalinæ, insigniter debilitant fermentum stomachale. 🜄 quoque copiosius assumtus ex se prosternit appetentiam, acrimoniam salsam fermenti temperando & coercendo. *Excernenda* denique *suppressa* alterantia contenta corporis, etiam immutando plus minus acidum esurinum stomachi, anorexiam inducunt. Sic nempe mulieribus *ex suppressis mensibus* dejicitur & depravatur appetitus, ac notabile exemplum habet *Schenckius lib. 8. observ. p. 370.* de insigni in appetentia in viduo ex ♀is desuetudine cum mœrore contracta. Fit etiam, (*vid. Sylv. Prax. l. 1. pag. 15.*) ut aliquando *bilis* vitioso motu suo regurgitet in stomachum, unde & appetitus prosternitur, quatenus fermentum digestivum alteratur.

Notum denique est, quibusdam in febribus prostratum esse appetitum, *partim* ex perturbato ♎uum in corpore motu, *partim* ex humorum adeoque lymphæ plus minus facta alteratione & imminutione in universo corpore. Ex omnibus his *causis* inter internas *frequentissima est viscidum qualecunque in* ventriculo, acidum esurinum enervans, ejusque activitatem impediens.

Quoad *Prognosin*, nunquam bonum signum appetitus prostratus, imprimis si citra causam manifestam aut citra oppressionem stomachi ex acidi naturalis stomachi defectu, vel ejus omnimoda extinctione oriatur, ut in principio febrium malignantium evenire solet, pessimum est signum. Pejus est signum, si nihil appetunt ægri, quàm si appetunt alimenta, allata verò fastidiunt. Appetitus in principio & statu morbi dejectus non est adeò malum signum, modò in declinatione revertatur. Quod si verò in declinatione demum morbi prosternatur, signum est vel recidivæ, vel alterius cujusdam novi morbi. Speciatim post quaslibet febres tàm continuas quàm intermittentes curatas bonus redire debet appetitus, quamdiu hic non redit, aut qui rediit, denuò prosternatur, semper pertimescimus recidivas febres. Denique *fatale est signum*, quando ægri in summa virium debilitate subitò alimenta, quæ antea fastidiverunt, appetunt. Alias verissimum est, in qualicunque etiam articulo versetur æger, quod insinuatur ab Hippoc. Aphor. 33. sect. 2. ad ea quæ offeruntur, rectè se habere, i. e. adhuc aliquantulum sine fastidio comedere, semper bonum signum est.

In appetentia dejecta *curanda* habeamus rationem causarum, his sublatis tollitur effectus. Hinc si à causa externa spiritus turbentur, si per consensum nervi afficiantur, ad hæc ipsa scopus dirigendus venit. In specie quod hic agendum superest Medico, est, ut expurgentur ea, quæ vitiosa hærent in stomacho,

 & hinc

& hinc appropriatis plus minus aromaticis, item acrioribus membranas stomachi sensiles nonnihil stimulantibus, appetentia successivè revocetur. Evacuantia inter *Vomitoria* sunt optima, utpote stomachum immediatè evacuantia, eaque ex *antimonio* desumta: qui abhorrent à vomitoriis, purgantib⁹ utantur, quæ inter præpollent *aloetica* omnia, v.g. *Pilulæ Francof.* seu *Angelicæ* dictæ (vid. *Hoffm. Clav. Schrod. p.m.* 105.) *Pilulæ usuales Ludovici*, quas vid. in *Ludov. Pharm. p.* 179. item *Pilulæ Aloephanginæ* cum Scammonio acuatæ, quæ pro scopo purgandi assumũtur manè cum custodia. Pro scopo verò stomachum saltem successivè purificandi, capiantur vespertino tempore una alteráve hora ante cœnam. Ubi fortius agendum est, Veterum compositio nempe Mass. pilul. de hiera cum agarico convenit, addendo simul pro muci stomachum obsidentis incisione vel gumm. Ammon. aut pro ejusdem correctione extract. absynthii &c. v. g. in muco viscido ex stomacho evacuando. ℞. Mass. pil. de hier. c. agaric. gr. xij.

Extract. absynth. gr. vj. vel hujus loco
Gumm. ammon. in ✠ solut. gr. viij.
Scamm. 🜍ati gr. j.
Extr. troch. alh. gr. ß. c. s. q. Elix. absynth. a. Propriet. Par.
q. s. F. Pilul. D. S. Laxirende Magen-Pillen.

Quoad *alterantia* ad appetentiam dejectam restituendam sunt eadem tàm *aromatica*, sed paulò acriora, quàm *blanda acida*, *illa* non saltem corrigunt pituitam mucaginosam in ventriculo, eamque sale volatili oleoso plus minus acri incidunt, attenuant, ac rugas stomachi blandè detergunt, quo facto sponte redit appetitus. *Acida* verò pro simili incidendi & attenuandi conveniunt usu, ac præterea blanda adstrictione tonum stomachi firmant, plus minus per opiata, copiosa potulenta, spir. vini abusum aliisve modis resolutum. Sed observandum, quod per acida provocare quidem seu irritare nonnihil possimus famem, sed genuinam pro stimulo digestionis præparare Medico impossibile est, adeoque optimum est, removere potius impedimenta: quo facto ipsa natura appetitu debito se refocillat sive recolligit. Appetitus talis, per acida quasi arte factus, subinde plus nocet quàm prodest. Nam hi occasione acidi stimuli plus ingerunt ægri, quàm naturali fermenti virtute digerere valent, unde cruditates acidæ sic colliguntur, mille malorum matres. Sanè vix, præterquam à tartaro, usum proficuum in hoc casu observavi ab aliis, præsertim mineralibus, nisi forsan in atonia ventriculi, hanc restituendo, aliquid opis contulerint, adeoque aromatica præsertim acriora paulò inprimis proficua observavi: quæ inter excellit *mentha*, *item absynthium*, in genere omnia *aromata*, inprimis *cinnamomum & piperata*, in appetitu dejecto sunt convenientia; non minus quoque Zinziber & *Zedoaria*. Hinc *Elixir menthæ cum spiritu proprio* per infusionem paratum, addito pauco saccharo est egregium. Pertinet huc & *radix acori*, quò acrior, eò melior, unde communiter Zehrwurtzel appellatur,

pellatur, ſive recens uſurpetur minutim inciſa cum cochleari ſpiritus juniperi. Vel eadem in loco umbroſo ſiccata, ſed non præparata, in pulverem redigitur, ſeligendo ſaltem ſubſtantiam intermediam acrem, & cum dimidio extracti tormentillæ miſcendo, egregium ſuggerit pulverem ſtomachalem contra Anorexiam. *Radix armoraciæ* recens meritò etiam commendatur à *Gabelchofero Cent.*1. *c.* 14. ſicuti & *radix Helenii* recens ſingulare eſt ſtomachicum. item *radix acori veri.* Aliquoties obſervavi cum in declinatione morborum occaſione ſalivę viſcidæ ac glutinoſæ, quod ex infuſione rad. acori & helenii recentium in vino optimè habuerint ægri, dum ſic ſaliva correcta & appetitus egregiè provocatus fuerit. Vel poteſt fieri nodulus compoſitus

℞. radic. acori veri ℥ij. helen. ℥j.
herb. menth. criſp. Mіj. Zedoar ʒvj. M. pro nodulo.

De quo æger aliquot horis ante paſtum, aut etiam in ipſo paſtu, hauſtum capiat. Extra hæc & *amaricantia acriora* parili ex cauſa appetitum provocant. Sic enim in obſervationibus Riverii communicatis proſtat obſervatio decocti ex foliis *agrimoniæ, abſynth. & cent. min.* an. c. pauco ſacchari ſumti, quod ad aliquot dies continuatum adeò auxit appetitum, ut etiam canina appetentia ferè ſecuta fuerit; non ſecus ac *Thoner. l.*2. *obſ.*1. *p.*141. faſtidium ciborum ingens cum inſigni amarore oris curavit, nempe ℞. rad. cichor. herb. abſynth. Rom. carduiben an. M. 1. cent. min. Mß. decoq. in vini & aq. cichor. ana Mß. ad tertiæ partis conſumt. de quo manè & veſperi bonus hauſtus capiatur. Similis verò obſervatio *Foreſti l.*18. *obſ.*8. Aliàs eſſentiæ *menthæ, Zedoariæ, pulegii*, ac ſimiles in uſu ſunt. Quo etiam pertinet *Elixir ſtomachale D. Michaelis.*

℞. herb. menth. criſp. M. iiij. meliſſ. puleg. Salv. an. M. ij.
rad. pimpinell. ℥ij. calam. aromat. ℥j.
granor. maſtich. ℥jß.
Zedoar. Galang. an. ʒjß.
Cubebar. nuc. moſch. cinamom. macis.
caryoph. zinziberis an. ʒß. Infundantur in ſpiritu menthæ acuato ſpiritu eſurino ⊖-li Philoſophici ad gratum ſaporem. Eſſentiæ probè extractæ additur extract. calam. arom. quantũ poteſt in eſſentia diſſolvi. Doſ. gut. 30. vel. 40.

Elixir. propriet. Par. c. acido in trivio notum eſt, ad 30. guttas jejuno ſtomacho uſurpatum. De cætero tinctur. tartari, i. e. ſale alcali quaſi cauſtica facta, ad 40. gutt. uſurpata, & impedimenta ſtomachi removet, & acri ſtimulo appetentiam corrigit. Præter hæc etiam ⊖✳ egregiè incidit & attenuat mucilaginem viſcidam in ventriculo hærentem, adeòque multum facit ad revocandum appetitum, præſcribitur convenientiſſimè cum aromaticis.

℞. ⊖✳ci ℨj. ſpec. diapipereon ℨß M. S. Magen-Pulver pro 3. vel 4. doſibus. Facit huc pulv. ſtomachal. D. Michaelis.

℞. rad. aron. ℔. ij Panaceæ Holſtein. ℔. j
ſal abſynth. ℔ ß. rad. calami arom. ʒ ij.
cinamom. caryophyll. an. ℥ j ß.
macis, piperis long. zinziber.
cubeb. cardamon. zedoar. an. ℥ j. M. F. pulv: Doſ. ʒ ß.

Ad ſalia hæc etiam *tartar. vitriolat.* pertinet. Quoad *acida* ad appetitum provocandum interdum, præter tartarum primas vias ſimul blandè abſtergentem & relaxantem, mirè conveniunt *cydonia.* In his enim abſoluta qs. cura eſt appetitus proſtrati, inprimis cum alvi fluxu plus minus conjuncto. Hinc Zacut. *Luſitan.* non ſatis commendare poteſt quovis modo uſurpata. Hinc ſuccus cydon. per ſe aſſervatus, item pulpa cydon. plus minus aromatiſata ſunt egregia.

℞. aq. menth. ℥ ij. cinam. ʒ ij.
Succi cydon. ℥ j. ad ℥ j ß. Syrup. cydon. arom. ℥ ß. M.

capiatur cochleatim. De cætero *ſpirit. ſalis*, item *vitrioli* à quibusdam uſurpantur ad Anorexiam, ſed melius conferunt tales ſpiritus, ſi cum ſpiritu vini dulcificentur. Sic enim nonnihil temperatiora melius conducunt. v. g. ℞. ſpir. ſalis dulc. gutt. x. ad xx. vel xxx. pro j. doſ. in vehiculo præſertim calido.

Si oriatur appetitus dejectus *ex vitio ſpirituum animalium & nervorum*, v. g. in ultimo ſenio convenit *ambra*, item *Balſamus Peruvianus*, ſi aliquot guttæ in hauſtu vini propinentur, quod *Riverius* ceu expertum commendat, unde *tinctur. balſam. Peruviani* ſive eſſentia in hoc paſſu foret uſurpanda.

Quando pinguia proſternunt appetitum aut bilis, conveniunt medicamenta ex *abſynth.* item *Elix. Prop.* cum eſſentiis amaris miſtum. In febribus, præſertim intermittentibus, ad revocandum appetitum amara talia, v. g. præter dicta *Elix. febril. Mynſ.* ſunt optima. quod Elixir vid. in ejus *theſaur. armam. p. 254.*) ſi à narcoticis proſtratus ſit appetitus, acida eum revocant. Inter externa conveniunt *cruſta panis probè ebria vino aut aceto, pulv. cariophyllorum aliorumve aromatum aſperſa*, & ita inſtar ſcuti ventriculo applicata. Item *Elixir menthæ* calidè cum fruſtulo intincto ventriculo impoſitum, applicando deſuper laterem calefactum, admodum convenit, præſertim in ſpirituum defectu. *Balſamus Angelicus* ventriculo illitus, mirè etiam appetitum provocat.

Appetitus nimius duplici appellatur nomine, nempe *Appetentia canina*, item *Bulimos.* Hæc inter talis eſt *differentia*, quod ii, qui laborant *fame canina*, avidè ingerant alimenta comminuta, eaque vel digerant, vel ſubitò ingeſta denuò evomant. *Bulimos* verò eſt magna fames, in qua ægr, ipropter ſtomachi orificium ſuperius moleſtius affectum, per ejusdem conſenſum animi deliquium patiuntur, ita ut *appetentia canina* ſit ingens fames, qua copiosè alimenta ingeruntur, nunc cruda vomitu rejiciuntur. Non enim ſemper

cum

cum caninâ appetentia conjunctus est vomitus, ut testatur obs. *Sennert. l. 3. Pr. part. 1. sect. 2. cap. 4. p.* 101. *Bulimos* verò est ingens fames cum lypothymia sive animi deliquio conjuncta.

Causa appetitus aucti, tam in *Bulimo quã appetentia canina, in genere est acidum potentius*, idque volatile vel penetranter activum, adeoque non à materia viscida irretitum sive fixum, sed subtile & qs. spirituosum, stomachi orificium sinistrum continuò morsicans. In hoc ipso omnes Medicorum sectæ conveniunt, Veteres enim, *dum accusant humorem melancholicum, hoc ipso acidum Hippocratis confirmant. Alii* accusant *bilem porraceam & æruginosam*, sed in hac bile primario peccat acidum. Hermeticorum schola ad spiritum salinum esurinum & vitrolicum] famelicum confugit, promptè quælibet, ceu forte menstruum, dissolvens, indeque stomachum rodens: Et hoc ipso itid. acidum insinuat. Nec deest experientia: Acida enim assumta appetitum naturalem provocant, unde & à simili concludendum, similiter à tali causa appetentiam caninam oriri. Illustrat hoc experientia illorum, qui laborant appetentia canina: Hi enim jejuno stomacho vomitu rejiciunt succos insigniter acidos, *teste Fonseca lib. 2. obs.* 86. Atq; *hæc quidem ordinaria est appetentiæ caninæ causa. Extraordinaria* canina appetentia oritur à *vermibus*, cujus exempla sunt rara, prostant tamen hinc inde; Exemplum *Tralliani* de muliere, immodica appetentia laborante, post excretum vermem 12. cubitos longum, ab hieræ usu curata. Vid. hîc inprimis *Zacut. Lusit. in lib. 2. Medicor. Princ. Histor.* 68. Memini etiam Dn. Michaelem aliquando curâsse fœminam *scorbuticam*, appetentia canina laborantem, quæ post usum succi nasturtii aquat. rejecit lumbricum latum insignis longitudinis, ex quo appetentia canina cessabat. *Verum* an vermes soli inducere possint caninam appetentiam, *dubitatur meritò*, quia taliter appetentes promtè digerunt, quod à vermibus fieri nequit. Putarem igitur, potius cum vermibus simul adesse acidum esurinum nimium, à quo & appetentia oriatur, & promoveatur digestio.

Cæterum, utut tales canina appetentia laborantes multa devorent, & citò digerant, rarò tamen pinguescunt, quia in talibus Massa sanguinea asperior & minus nutritiva est, propter acrius acidum in corpore luxurians. Nutritio n. fit objectivè seu materialiter à succo blando, subdulci, chyloso, unde eorum massa sanguinea, qui probè nutriuntur, est semilactea, ut videmus in infantibus.

Hinc & *Scorbutici* subinde atrophiâ laborant, propter excessivum acidum, specifici tamē saporis, à quo alterata Massa sanguinea minus corporis nutritiva evadit. Unde rarum est, quod habet *Amatus Lusitan. Cent. 7. cur.* 37. de muliere melancholica cum ingenti fame multa devorante, & exinde pinguescente. Rarissimum est, quod observata fuerit fames canina *periodica*; item fames canina *epidemicè* grassans, de quibus vid. *Schenckium l. 3. obs.* Ubi de fame canina agit.

Quoad *Prognosin*, affectus est citra periculum, nisi propter animi deliquium

interdum immineat morbus, aut exinde deficiat æger. Post morbos, inprimis febres, in statu convalescentiæ subinde invadit appetentia, caninæ similis, quæ tamen est sine periculo, nisi ægri, nimis comedendo, recidivam sibi accersant. Bulimos superveniens morbos chronicos, quartanas, hydropē, ferè funesti eventus esse solet.

Quoad *Curam*; *duæ primariæ sunt indicationes.* I. ut temperetur acidum istud volatile, quo acrimoniam suam amittat. II. Temperatum ita vel corrosivitate sua exutum evacuetur: si enim humorem acidum velis purgare, antequam temperetur à sua acrimonia, metus est, ne pessima inferat symptomata. Si enim sursum vis evacuare per vomitum, metus est, ne cholera morbus excitetur, ut putat Hartmannus. Sin velis per inferiora purgare, metus est, ne exulceret intestina, & ita inferat affectum dysenteriæ similem. Quæ *temperant acre acidum*, sunt 1. *Alcalia dicta*, tam volatilia, quàm fixa, præsertim posteriora. 2. *Corpora terrea*, quæ istud absorbent & imbibunt. 3. *Pinguia & oleosa*, hisque similia, quæ obtundunt & hebetant acidum.

Ex dictis patet, quod *sal absynth. Bolus armena, terra sigillata, & omnia ♂lia*, conveniant in appetentia canina corrigenda. v. g.

℞. corall. rubr. pp. limitatur: ♂ minutiss. trit. a. ℥ß.
lap. cancr. carpion. ana ℈j. croci orient. ℈ß. M. F. pulv.

qui copiosè assumtus manifestè appetitum prosternit vel imminuit; Est autem assumendus in jusculo pingui, additur etiam *C.C. ust. creta &c.* hinc

℞. rad. jalap. ℈ß. resin. scammon. gr. v.
limitatur: ♂. pp. ℈ß. sal ♀ri gr. v. M. pro scopo laxat.

Quoad oleosa; quælibet oleosa expressa, & potentissimè *olea destillata, carui, caryophyllorum* &c. conveniunt. Pertinet huc vitellum ovorum ad duritiem coctorum, quod egregiè prodest in canina appetentia, continet nempe in se multum olei vini acidum obtundentis. Præterea comedendæ etiam *cochleæ, ♋ fluviatiles, caro suilla*, &c. Talia enim difficilioris paulò coctionis infringunt acrimoniam corrosivam acido-esurini. *Oryza* quoque, cum multo butyro cocta, ex eodem puncto convenit. Sic ulterius ♌ *volatiles*, ♌ *vini, menthæ aut salviæ, vinum item generosum infusionis salviæ & absynth.* usurpari possunt. Denique non ineptè his vel socientur, vel subjiciuntur *narcotica*, sensum ventriculi stupefacientia: Cautè tamen usurpentur, cum palliando saltem conveniant: ut laud. opiat. item Theriaca, Mithridat. &c.

Quoad *purgantia sive evacuantia* præter supra insinuatum ☿em imitandus venit *Forestus l.* 18. *obs.* 5. qui appetentiam caninam Monachæ, in qua esuriens cibum evomebat, simulque acida, & in fine vomitus sentientis aliquid amarulenti, quod fauces vellicavit, curavit per pilulas.

℞. pil. hier. simpl. Gal. ℈j. rhabarb. opt. ℈ß.
cum syr. ros. F. pilul.

quas

quas cum aliquoties mane sumsisset, vomitus morbusque cessavit, qua ratione & alius juvenis curatus fuit.

Qud attinet *Bulimum*, curatur optimè per *vinum*, quod quò generosius, eò magis satisfacit scopo Medici. *Vinum malvaticum* præ cæteris convenit: item *odor panis solius*, vel quod melius, vino intincti est proficuus: loco vini simplicis vinum compositum Hippocraticum ex Nuce moschata, cinamomo, similibusque infusis præparari & usurpari potest.

De appetitu depravato (vid. *Sylvius Pr. l. 1. p. 16. c. 2.*)

Quoad appetitum depravatum, vocatur hîc ordinariò *Pica*, item *Malacia*.

Pica in genere est appetitus ita depravatus, quo quocunq; tempore inusitata penitus appetuntur. *Malacia* v. est appetitus nimius, usualium tamen, vel ita ut appetantur usualia, sed cum appetitu sive desiderio nimis intenso, undè & interdum plus quàm conducit, comedunt. v. g. *Pica* est, quando gravida appetit carbones, *Malacia* v. quando haleces, sed utrumque appetitu nimio.

Opponitur Picæ & Malaciæ *Fastidium determinatum*, quando determinatè cibi quidam fastidiuntur: uti v. g. aversatio casei quorundam &c.

Quoad *causam* appetitus talis depravati, sicut in genere appetitus oritur à fermento digestivo vitali, ita in specie etiam appetitus tam auctus, quàm depravatus in Pica & Malacia, ex illo originem ducit. Ex hoc videmus, quod omnia animalia, uti in suo genere determinatum habent fermentum digestivum, ita ab hoc ipso etiam determinatur eorum appetitus. Sic canis appetit ossa, felis mures, ciconia ranas, cujus nulla alia est ratio, nisi quod specificum in illis fermentum appropriatum suæ activitati postulet objectum. Unde simili ratione Pica vel Malacia oriri videtur, utut specificatio ista fermenti, ut nempe in singulis speciebus certo modo appetitum determinet, à priori adhuc imperscrutabilis sit.

Pars affecta primaria ordinariò statuitur stomachus seu orificium superius: Ubi enim fundamentum est, & quasi residet appetitus naturalis, ibi quoque residebit præternaturalis seu depravatus. *Sed* si ritè rem consideremus, manifestum evadit, affici simul phantasiam, gustum, odoratum, auditum seu horum sensuum organa. *Phantasiam* affici, ex eo certum est, quod homines, dum stomachus appetitu sensili, ut sic dicam, afficitur, seu à fermento digestivo vellicatur, singulari affectu ferantur in tam varia, ut sunt creta, corallia, carbones, &c. nam fermentum præcisè non determinat hoc vel istud, sed phantasia, ergò & utique phantasia vitium habet. Si inter fermentum stomachi, ejusque in nervos ejus operationem, & inter appetitum hinc consequentem animalem intercedit intermedium phantasiæ opus, ut scil. appetitus depravetur, necesse est, ut prius phantasia, quæ id, quod à reliquis sensibus externis & interno communi susceptum fuit, com-

componendo & dividendo, quasi actu perficit, pravè afficiatur, à quacunque causa occasionali fiat, quæ tamen frequentissimè in ventriculo fomitem seu nidum sibi eligit, adeoque *Picæ & Malaciæ sedes primaria* in facultate animali, i. e. subjectum inhæsionis in ~bus animalibus erit locandum. *Quod gustus afficiatur*, certum est ex eo, quod cibi pessimi saporis cum insigni voluptate deglutiantur, ut dicant, tales cibos habere sapores elegantissimos. Sic *Salmuth. Cent.* 2. *obs.* 62. Picam refert, omnia candida, etiam calcem parietum ac cerussam singulari voluptate deglutientem. At *Borell. Cent.* 4. *obs.* 2. Virginem picantem refert, stercora humana comedentem. Unde certum est, affici gustum, quia alias talia ingerere non possent. Res illustrari potest ex eo, quod suppressio mensium in mulieribus creberrimè det picam, quando sc. sanguis separatus in vasis uteri, indeque ad corruptelam sui tendens, ob denegatam excretionem sensim sensimque regurgitat in totam massam sanguineam, unde consequenter & afficitur lympha, quæ, uti per internam tunicam stomachi glandulosam transudando, ad supplementum fermenti digestivi concurrit; ita eadem Salivæ materia existit. Dum igitur saliva infecta est, non potest non lingua simul affici, & gustus depravari. *Fracassatus* equidem *in Epist. de lingua p.* 255. gustandi hanc in pica depravatam voluptatem à papillis nerveis vitiatis in lingua deducere nititur; Sed consultius puto, si fundamentum constituatur in saliva. *Afficitur etiam odoratus*: Sic enim *Salmuth. Cent.* 2. *obs.* 63. Virginem picantem refert, quæ mirè delectabatur fætore veterum librorum, à blattis & tineis exesorum, situque prorsus corruptorum, unde & totos dies in libros illos nasum immittebat. *Borellus cit. loc. aliam* memorat, quæ corii odore delectabatur, ut semper illud pro masticatione in ore teneret. Probant hæc, non simpliciter ad stomachum, sed phantasiam, spiritusque animales, & hinc cætera sensoria respiciendum esse. Id quod ulterius confirmatur ex eo, quod picantes non præcisè in alimenta ferantur, aut in talia, quæ alimentorum loco ab iis ingeri possunt, sed etiam in alia aliorum sensuum, non præcisè gustus aut tactus in stomacho objecta, v. g. dum pica impellit mulierem ad exsuctionem venti ex follibus, vel dum alia per picam appetit fragorem carbonum fossilium pedibus contritorum, qualia exempla cum præcisè ex stomacho secundum certam famis vel sitis modificationem affecto non oriantur, potius phantasiæ, suo modo aberranti, rectius tribuuntur. *Confer Acta Societ. Reg. vol.* 1. *p.* 447. Interim frequentior depravationis phantasiæ occasio est ex ventriculo, ob vitium fermenti digestivi alterati, unde & frequentiores picantes ad edulia varia, aut quæ horum loco ingerere possunt, declinant. Confirmat hanc fermenti in quibusdam casibus depravationem, *Exemplum Hildani Cent.* 1. *obs.* 37. Nempe ex ulcere fauciũ pica, quâ appetebat patiens haleces, pisces & carnes salitas ac fumatas, quæ optimè deglutiebat, res verò non appetitas, juscula &c. nullo modo deglutire poterat, illa tamen & deglutire poterat, & licet graviora, sine nullo nocumento benè dirigebat. Scil. ex ulcere faucium destillans successivè in ventriculum acrior sanies acido-salsa al-

teravit

teravit in tantum fermentum digeſtivum, & tàm ſingularem impreſſionem fecit in orificio ſtomachi, ut exindè talis inordinatus, determinatus tamen appetitus fuerit inſecutus. Sic ex *ſcabie* retropulſa picam cretæ obſervatam vide in *A. N. C. Ao. 1. p. 199.* ſic cum *ſcorbuto* interdum malacia complicari ſolet, de quo *vid. Horſt. obſ. p. 395. l. 7. obſ. 35.*

Ex hactenus dictis *definiri* poteſt *Pica*, quod ſit appetitus variatum rerum abſurdarum, ex phantaſia corrupta, quacunque occaſione vitiata, originem ducens. Adeoque ſub hac latitudine *Subjectum picæ* erunt ſpiritus animales, vel vitiati, vel vitiatè moti, quatenus exinde opus phantaſiæ depravatur, utut crebrior occaſio ſit ex ventriculo, & hujus fermento alterato, ubi ſubjectum radicationis erit. *Cauſa proxima* erit vitiatus ſpirituum motus, quatenus phantaſiæ munia turbat. *Cauſa remota* occaſionalis eſt multiplex, Menſium defectus, graviditatio, fermenti digeſtivi alienatio, & quæ ſunt aliæ plures circumſtantiæ, ſemper hîc probè obſervandæ. Uno nomine videtur Pica revera eſſe ſpecies Melancholiæ Hypochondriacæ, in qua ad certum quoddam phantaſma dirigitur imaginatio. Quod ſi vitio fermenti digeſtivi oriatur affectus, ad certum quoddam edulium, vel hujus loco aliud quid inuſitatum aſſumendi phantaſia dirigitur, & inde tam depravatus appetitus ſupervenit; hinc &

Tali in caſu I. Stomachus evacuandus. II. Fermentum vitiatum acrius factum, &c. vel per ♂ialia ſaturandum, vel per alia appropriata alterandum. III. Ipſe ventriculus appropriatis plusminus acidis roborandus. Sed *decidenda prius converſiarum biga*, nempe I. An in Pica ſtomachali appetantur ſimilia, an verò contraria, i. e. an ea, quæ conveniunt cum fermento ſtomachali; an verò quæ non conveniunt? Reſp. Appetunt ea, quæ ſunt ſimilia, ſive in quæ poſſit agere, tanquam appropriata objecta fermentum ſtomachi, eaque digerere, reliqua maximam partem rejiciuntur. Deinde,

II. Quæritur, cùm in *Pica* ſubindè extraordinaria ingerantur, hocne fiat cum aut ſine nocumento ægri? ℞. Sicut in ordinario victu ſobrietas eſt cardo diætæ, & alimenta etiam optima moderatè aſſumta conducunt, immoderatè verò nocent: ſic pariter, modò non nimium unâ vice ingerant, rarò nocumentum exinde pati ſolent. Sic enim *Tulpius* obſervavit mulierem gravidam, quæ tempore geſtationis 1400. haleces devoravit, ſine noxa. vid. *l. 2. obſ. 24.* ſic ſtupenda, quæ habet *Plater. obſ. l. 1. p. 223.* de puella, quæ *cepam, ſub cinerib⁹ coctam, theriaca impletam, & bubonibus peſtilentialibus impoſitam*, poſteaque remotam, devoravit, nec inde mali quicquam paſſa fuit. Sic *Forge* in *comment. ſuper Cartes. de homine p. 285. 286*, refert, mulierem picantem lapides appetentem, qui tamen fuerunt gratioſiores, ſi prius ☽næ expoſiti jacuiſſent. Ac ſanè plurima talia proſtant exempla abſurdorum & noxiorum, ſine incommodo aſſumtorum: ſc. appetitus determinat aſſumenda, ſi igitur aſſumuntur ordinatè, nec una vice nimis copioſè,

non nocent. Aliâs optimi etiam cibi, inordinatius aut copiosius assumpti, in venena degenerant.

Quoad *occasionales causas* verum omninò est, frequentius *Picas* observari in mulieribus gravidis, à quibus ☒ suppressi sint. *Riverius* tamen exemplum habuit *Cent.* 4. *obs.* 93. de fele picante, non quidem gravida, sed etiam sterili, unde liquor genitalis, vel aliud simile excernendum corruptum, occasionem malo suggessit. Sic *Picæ* simile exemplum de cane venatica gravida vide in *Act. Societ. Reg. vol.* 1 *p.* 447. Non tamen hoc universale esse, confirmant *Picæ* puellarũ adhuc impuberum; v. g. *pica* in puella 8. annorum observata *M. A. N. C. Ao.* 4. *p.* 150. Sic pueri, item infantes picantes subinde observantur, dum puer 3. annorum *picâ* laborans, curatus refertur à *Fabro curat.* 62. Confer etiam *M. A. N. C. Ao.* 6. *p.* 202. Quinimò & viri interdum *picâ* laborare observantur. Nam sicut certum est, laborare viros affectu *suffocationi hystericæ* simillimo; ita & exempla prostant virorum *picâ* laborantium, ut nil dicam de curiosa observatione mariti, pro uxore gravida *picâ* liborantis, de quo cõfer *M. A. N. C. ao* 2. *p.* 216. vid. *Marcellus Donatus in sua hist. med. l.* 5. *c.* 1. Plura exempla *Picarum* vid. in *Schenckio.* Quod si intensior sit picantis matris gravidæ appetitus, non rarò hæreditarium solet esse malum, quale exemplum habet *Fonseca l.* 2. *consult.* 29. de puella 14. annorum, ab infantia calcem parietum & laterum fragmenta sæpe comedente, cujus mater quoque testas & calcem comedere solita fuit. Quo etiam facit Historia supra ex *Tulpio* relata.

Quoad P*rognosin* distinctè paululum pronunciandum. Nam citra noxam possunt comedi res appetitæ, sed sobriè, cũ quoad alia objecta non edulia, in quæ feruntur mulieres picantes, difficulter ferunt eorum denegationem, cum notum sit de muliere, quæ bis virum dentibus invasit in pectore, qui primum quidem morsum pertulit, alterum verò recusavit, unde factum, ut duos filios in lucem ediderit, viventem unum, alterum mortuum. Jucundius exemplum est *Salmuth. Cent.* 1. *obs.* 41. de muliere picante, & summo desiderio vellicante barbam lanionis. Interim rectè *Panorolus Pentec.* 2. *Obs.* 50. inquit, Temperantia mulieribus picâ laborantibus optimum remedium, ubi plura de regimine mulierum.

Quoad *Curam* supra jam formatæ fuerunt indicationes, & cùm præsertim *Pica & Malacia* in stomacho fundata, remediis stomachicis curanda venit. Stomachus *vomitorio* evacuandus, in non gravidis, tutius, in gravidis, cautius, idque saltem secundo vel tertio gestationis ☒le, & saltem in iis, quæ facilè vomunt, in aliis ☒sibus vel circumstantiis non sine periculo propinantur vomitoria.

Præmisso *vomitorio* alteretur *vitium in ventriculo*, ac corrigatur *labes fermenti digestivi*, quod non potest fieri, nisi *removeatur causa istius.* Hinc si ☒ses suppressi sint, provocentur &c.

Hinc dentur *stomacho grata & appropriata*; inter hæc *succi cydoniorum, limonum, granatorum acidorum* sunt egregii: *Specificè* commendatur à quibus-

dam

dam ▽ *pampinorum vitis*, vere ex vitium surculis stillans: convenienter possunt cum ea permisceri ▽ *theriac. succus citri & aurant.* in forma *Julepi*. *Riverius Cent.4.Obs.93* specificè commendat *pulverem stomachalem Querc.* quem ut & *Birckmanni* vid. in *Schröd. Pharm. l. 2. p. 266. Forest. l. 18. obs. 17.* puellam picantem curavit per *syrupum de absynthio* sæpius usurpatum, propinando postmodùm *infusum purgans ex foliis sennæ*. Potus *vini generosi* non est inconveniens, quoniam vinum singulariter amicum est stomacho, inprimis si sit infusum *super fol. menth. & herb. absynth. Lindanus super Hartmann.* specifice commendat *conserv. rosar. c.* ⊖*-li acidulatam*, pulvere *zedoariæ* permixtam.

> ℞. Conserv. menth. crisp. ⊖-lat. ℥iiij.
> pulv. zedoar. ʒiß. ad ʒij.
> syr. cydon. aromatis. q. s.
> F. Electuar.

Quæritur de V. S. an conveniat? equidem in iis, in quibus ex 𝔛*ium suppressorum* vitio malum oritur, nullum dubium est, quin V. S. methodicè instituta conferat. Non tamen opus est, ut præcisè V. S. semper in tali affectu administretur, nec nisi plethora, aliave indicantia adsint, quæ venæ sectionem suadeant. Sic enim *Rhodius in observat.* refert de quodam malaciâ insigni laborante, hæmorrhoidum fluxu curato: Unde in tali affectu, ad naturam *melancholiæ hypochondriacæ* accedente, hirudinum ad hæmorrhoides applicatio interdum utilis videtur.

Aliàs *in non gravidis* cura ferè ad imitationem *Melancholiæ Hypochondriacæ* instituatur. *In gravidis* verò præter dicta *blandis absorbentibus & stomacho gratis remediis* successivè succurratur. v. g. præmissis præmittendis fiat *mixtura stomachalis* talis:

> ℞. aq. menth.
> meliss. ana ℥j.
> Elix. menth. ʒj.
> succ. cydon. ʒvj.
> syr. cydonior. ʒij. M.

de quo subinde aliquot cochlearia hauriantur.

Fastidium alimentorum v. *Sylv. Pr. l. 1. c. 3. p. 33.* Contrarium ferè vitium modò explicatis affectibus est *Fastidium alimentorum*, quod est *nauseæ & horroris sive aversationis species*. Aversatur autem ventriculus, quæ ipsi sunt nocua. Unde si ingenitum, seu ex certa læsione superveniens sit fastidium, præsupponit semper præcedens nocumentum. v. g. fastidit & horret virgo cinnamomum, quia antea cum hoc larvatus fuerat pulvis purgans violentus, à quo stomachus admodum fuerat læsus. Horrent igitur ægri febricitantes carnem,

quia læduntur ab ejus assumtione, quatenus non digeritur, sed in cruditatem nidorosam & liquamen amarulentum degenerat, à quo offenditur ventriculus. Horrent *igitur ægri* tales cerevisiam lupulatam, partim propter amarorem, cùm tales ægri subindè de molesto amarore in ore, aut de ructibus nidorulentis conquerantur; partim quod non digeratur, sed & ipsa facilè nidorē hostilem contrahat. Unde vel aquam vino temperatam, vel cerevisiam secundariam desiderant, cùm talia facilè transeant, & suavi sub acido sapore amica sint stomacho. Observavi exinde, quibus ægris adhuc cerevisiam bene bibentibus, crebrius propter urgentia symptomata, & repetitim exhibitum fuit *opium*, granulatim licet, quod exinde *horrorem cerevisiæ* contraxerint, propter nauseosum opii amarorem, ventriculum offendentem. Hinc quibus amara dantur purgantia, resinosa præsertim, ut siti subinde urgentur; ita cerevisiam ferè horrent, aquosa vel acidula ferè appetentes. Ob id *julepi aciduli* tam grati sunt talibus; ob id, quamdiu cerevisia benè sapit, quibusvis in morbis, præsertim acutis, bonum signum esse solet.

Ad *restaurandam* aut *suavitatem* & facilem assumtionem *cerevisiæ & carnis*, nil melius observavi, quàm *Elixir* propriet. P. propinatum, ab hoc enim appetitus talium redit, eoque curatur fastidium.

CAPUT II.
De
SITI LÆSA.

NOtum est, quod appetamus etiam liquida, eum in finem, ut inserviant instar vehiculi, tàm nutrimentis intra corpus distribuendis, quàm excrementis extra corpus eliminandis. Ille liquidorum appetitus, naturæ cursu, in solam 🜄 fertur, inde & quælibet animalia solâ 🜄 purâ sunt contenta.

Homines verò per artem nutrimentum simul cum vehiculo isto conjungunt, ut videmus in cerevisiis, dum simplicis cujusdam, v. g. hordei grana incoquuntur aquæ, ut mucilaginem hordei nutritivam eliciant, sicq; pro potu aquam medicatam acquirant.

Sitis talis læditur *tribus modis*. Vel I. *nimia* est, vel II. *rara* seu *deficiens*, vel III. depravata.

Quoad *sitim nimiam*, ante omnia distinguendi sunt ejus gradus. Est enim vel *moderata*, vel *intensa* seu *clamosa*. *Illa*, v. g. ab exercitio, loquela diuturna, ariditate faucium; *Hæc* in febribus, post assumta purgantia, assumta venena acria, &c. *Illius* subjectum sunt saltem fauces, vel speciatim dicta Pharynx; *Hujus* subjectum est simul orificium ventriculi sinistrum, seu vulgò dictus stomachus, ceu radicalis sedes famis & sitis. *Illa* facilè & breviter interdum uno haustu, vel repetita saltem calidâ faucium elutione, est corrigibilis; *Hæc* repetitis etiam plurimis haustibus vix est extinguibilis.

Quoad *causas* (vid. *Croll. Pr. instit. p. 6. th. 7.*) *causa sitis* in genere est

omn-

omne id, quicquid certo modo acrimonia plus minus intensa, salsa, vel huic simi-
li, fauces aut orificium stomachi sinistrum vellicat, unde prout causa talis velli-
cans in ventriculo plus minus glutinoso sive viscido hæret, indeque facilius sive
difficilius eluitur, magis vel minus contumax esse solet.

Quoad *causas remotas* sunt *hæ* vel *externæ*, vel *internæ*. *Externæ*, varia as-
sumta acria, aromata, salita, piperata, purgantia, arsenicum, Mercurius sublima-
tus, &c. *Internæ* sunt ferè triplices: I. est acrimonia alcalina, plus minus ama-
rulenta & glutinosa, à bilis, aut cujuscunque contenti fluidi, vel intra corpus con-
geniti, vel ex assumptis in stomacho corrupti, & cruditate nidorosa, salsa, acri in-
fecti vitio. Hinc in *febribus* ordinaria comes solet esse *sitis*, eaque magis vel mi-
nus intensa, prout nidorulentum acrius magis vel minus infecerit stomachum,
aut prout parcior salivæ tunc solet esse proventus. II. Est acrimonia salsa, ut
lymphæ in genere, ita lymphæ salivalis in specie, nempe in *hydropicis*, in quibus
ordinariò admodum urgere solet sitis. Item in *affectibus catarrhalibus, febribus*
catarrhalibus, non secus ac in *scorbuticis*, in quibus omnibus lympha salivalis sal-
sior, ac simul plus minus glutinosa existens, fomes est contumacis hujusmodi si-
tis. III. Est saliva pauca, glutinosa, plus minus acris, salsa, in *Nephriticis, He-*
cticis, item febrientibus ac similibus, item *ex morbis convalescentibus*. In talibus
enim talis salivæ constitutio, ut famem non leviter imminuit, ita & contra sitim
pertinacem ex faucium ariditate, linguæ glutinositate solet inducere. Ad mo-
dò enarrata salivæ vitia multum tribuunt ~~*us influi*, vel materialiter eam simul
alterantes, vel ad secretionem ejus plus minus tribuentes. Hinc *illorum defectus*,
vel absolutus in imbecillioribus, defatigatis &c. vel respectivus, dum inæqualis eo-
rum in corpore fit motus, & ad quædam saltim loca specialius diriguntur, ut in
magnis doloribus, iracundis, paroxysmis febrilibus imminentibus, aut jam incho-
antibus, sitis ordinariò ex saliva parciore, viscidiore & glutinosiore, indeque cum
facium ariditate sive siccitate affligere solet.

Præter dicta probè etiam notandum, *pulmones* in promovenda siti multum
simul conferre, id quod patet ex iis, qui *pulmonum vomicâ* laborant, vel *empye-*
maticis, in quibus aridiores fauces cum siti ferè semper observari solent. De cæ-
tero ad sitim vel augendam, vel imminuendam, multum facit *consuetudo*; Sic
enim, qui adsueti sunt magnis potationibus, crebrius solent sitire, quo facit cu-
riosum exemplum *Deodati in valetudinar. pag. 226.* qui refert, puellam septen-
nem admodùm siticulosam, ob nutricem bibaculam, à qua fuerat lactata. Ob-
servanda etiam est **differentia sitis**, quod nempe quædam affligat *cum ardore*
febrili, quædam *sine eo*, ut in *catarrhosis, scorbuticis, hydropicis*, &c.

Quoad **Prognosin**, I. si æger sitiens, h. e. in quo omnes causæ, circum-
stantiæ & indicia sitis, ut *lingua arida, os glutinosum* aut *exsuccum*, *æstus insignis*
corporis &c. non conqueratur de siti, malum; quia innuit adesse delirium, aut

omnimodam facultatum, corpus gubernantium, prostrationem, adeoque immi-nens fatum. II. Sitis in *febribus ardentibus* pauca, est admodùm suspecta, unde non adeò sit securus Medicus. III. Cùm naturaliter cum fame nulla sit sitis & contra, adeoque, quamdiu acidum esurinum in stomacho dominatur, deficiat sitis: Ob id in siti plus minus clamosa, illius nempe naturalis defectum semper concludamus; Sicut etiam sitis talis defectu illius aliqualem adhuc præsentiam, & plus minus dominium colligamus.

Quoad *curam*, I. Tollatur causa irritans. II. Augeatur lympha salvialis. III. Fallatur sitis.

Tollunt causam partim *acida*, partim *temperata*, acrimoniam salsam plus minus temperantia. Pro his scopis verum est, ▽*m simplicem* apperit natura, sed in illa, præsertim frigida, propinanda simus cauti. Prostant enim exempla eorum, qui ex nimio aquæ frigidæ potu fuerunt demortui. Tria recenset *Amat. Lusit. Cent. 2. cur. 62.* Item *Schenck l. 3. obs. Marcellus Donatus in Hist. Med. mirab. l. 4. c. 6.* Sin v. non immineat mors, metus est, ne periculosum *asthma* inducat, idque propter *coagulationem sanguinis in præcordiis* ab aquâ frigida factam. Tale observat *Gabelchoferus Cent. 2. cur. 17. & 18.* Rarissimum est, quod refert *Bartholinus Cent. 2. hist. 89.* de mulieribus Grönlandicis, per aquæ frigidæ potum à Variolis curatis. Conveniunt igitur hîc potius *acida*, & hinc *temperata*. *Acida* plus minus austera in affectibus febrilibus sunt optima. Hæc inter sunt *acetosa, sempervivum, poma citr. cydon. horumque succi.* Item *Tamarindi*, qui præter hoc, quod sitim compescant, in febribus etiam æstum impediunt, ac blandissimè alvum subducunt. Pertinet hûc dum *acetum simplex atque rosaceum*, vel *violaceum*, item *phlegma* ⊕*li* acidulum, ∽ ⊕*li*, ∽ ⊖*is*, in febribus æstuosioribus ∽ ⊕*i*, item ∽ *minerales compositi acidi*, seu *clyssi*, potui inprimis ordinariò instillandi. Facit etiam huc ipsum ⦶, præsertim ⦶ ☿*iatum ad* ʒj. ʒij. potui injectum, & ita assumtum, alterat egregiè, & simul sitim mitigat: quin etiam fomitem sitis plus minus glutinosum ac viscidum resolvit & abstergit. Ex his varia possunt fieri præparata, speciatim ex *acetosa*, cujus *radix* tingit colore rubro, & recens expressus *succus* vinum rubellum colore & suavi acidulo sapore elegantissimè refert: Hinc v. g.

℞. decoct. rad. & fol. acetos. ℔ j. adde
succ. acetos. recent. expr. ℥ iij.
syr. ribium.
granator. ana ʒ vj.
M. pro julepo.

Usitatè præscribuntur tales ita:

℞. decocti hord. simpl. ℔ j.
succ. citr.
cydonior, ana ℥ j.

Tinct.

Tinct. flor. bellid.
rosar. ana. ʒj.
syr. acetos. citr. ℥jß. M. pro julepo.

Julepi item, instar tincturarum per infusionem extempore parati, sunt gratissimi; ubi tamarindi adhibentur:

℞. Tamarind. conquass. ℥ij.
Coq. in s. q. aq. simplic. Col. ℞. ℔j. adde
Tinct. violar.
rosar. ana ℥j.
syr. berber.
ribium ana ℥j. M. D.

Conveniens etiam *decoctum Tamarindorum cum passulis*, egregiè temperans, ac simul alterans, præsertim istis in casibus, ubi aciditas Tamarindorum nonnihil, suspecta videtur. Ista, quæ temperando sistunt sitim, sunt inprimis *Lac*, *ejusque* in specie *serum*, item *passulæ*, exque his parata *decocta*, quibus suo modo & *radix Chinæ*, item *lignum sassafras* pro circumstantiarum ratione addatur. Præ cæteris *serum lactis* ⊙ volatili, sed & ☍so temperato turgidum, excellens est in siti *febrium*, præsertim *cum scorbuto complicatarum*, sistenda, alvum simul apertam servat, ⊖ia quævis acria corrigit, ac per ⊡as expurgat. Usurpatur nunc solitario, nunc cum pauco *succo citri* acidulatum, quando nempe in Mens. seri lactis infunditur pomum citri, vel totum, vel dimidium in taleolas incisum, ac hinc colatur; Sic enim citri acidum, butyrosam ac superfluam caseosam partem ex sero præcipitat, ut exinde potus admodum suavis emergat. Ex *seminibus* item *frigidis majoribus*, item *granis hordei*, *amygd. dulc.* & similibus, *emulsiones* quoque fiunt, contra sitim non inconvenientes.

Dum loquor de *Siti scorbutica*, observandum est, quod, præter *serum lactis*, elegans sit *decoctum radicum chinæ cum liquiritia*, ut temperet acrimoniam salis scorbutici, sitim inducentem. Modum præscribendi docet *Timæus l. 3. Epist. 29.* ad ejus imitationem præscribi potest ita:

℞. rad. chinæ in taleol. incis. ℥iß.
liquirit. ras. ʒvj.
santal. rubr. ʒiij.
Infund. in ▽ comm. ℔vj. stent in M. B. per noctem, mane adde
passul. minor conquass. ℥jß.
Coq. lento igne in vase cooperto ad remanent. ℔iv. de quo quotidie subinde pro lubitu bibat, vel bis quotidiè bonum haustum capiat, manè calidè, & à meridie frigidè. Vel,

℞. rad. chinæ ℥j.
liquirit. ʒiij.

raſur. lign. ſaſſafr. ʒ vj.
ſantal. rubr. ʒ iij.
Infund. in aq. comm. ℔ vj. ſtent. in M. B. per noctem, mane adde
paſſul. min. conquaſſ. ℥ iij.
coq. lento igne ad remanent. ℔ iv. Colatur. D. S. Tranck gegen den Durſt.

Mentio facta eſt *liquiritiæ*: Hæc cum *ſem. fœnic.* decocta, temperat *ſitim*, quando hæc oritur præciſè *ab acrimonia ſalſa*, quales affligere ſolet *phthiſicos*; *hecticos, catarrhoſos*, in quibus caſibus non adeò conveniunt *acida*, aut ſaltim parciſſimè propinanda, ſed potius temperata talia *ex paſſulis, liquiritia, hordeo*, & ſimilibus. v. g.

℞. hord. rec. Mj.
paſſul. min. ℥ j.
liquirit. rad. ℥ ß.
cinamom.
ſem. aniſ.
fænicul. ana ʒ j.
Coq. in ℔ vj. aq. font. ad Conſiſtent. bibat pro lubitu.

Ea quæ pro *ſecundo ſcopo* lympham ſalivalem augent, ſunt *potus* 🜄 *ei*, plus minus *vinoſi* &c. Sed de his aliisque Salivæ vitiis corrigendis conferatur *Sylvius lib.* 1. *prax. cap.* 51. *&* 52.

Ex omnibus, quæ ſalivam viſcidam ac glutinoſam attenuant & reſolvunt, inprimis excellit *ſal armoniacum*, internè ſubindè uſurpatum.

Quæ *tertio ſcopo* ſitim fallunt, ſunt ea, quæ os abſtergunt, fauces gargariſando eluunt, ac ſimili ratione licèt non tollant, ſaltim minus torquere faciunt. Convenit igitur *cerevſia ſecundaria calida*, pro faucibus crebrius eluendis, item liquores *gargariſmatum* inſtar in ore volutandi & retinendi, præſertim quando lingua ſimul eſt arida, ſcabra, plus minus nigricans. In talibus caſibus *ſuccus ſempervivi maj. mucilago ſeminum cydonior. pſyllii* &c. ⊖. ✱ &c. inprimis conveniunt. v. g.

℞. aq. ſemperviv. maj. ℥ iij.
ſucc. ſemperviv. maj. ℥ jß.
mucilag. ſem. cydon. c. aq. ſperm. ranar. extr. ℥ j.
ſal. ammoniac. ʒ j. M.
liquor detineatur in ore aliquandiu, hinc denuò exſpuatur. Vel
℞. mucilag. ſem. cydon. c. 🜄 ſemperviv. extr. ℥ jß.
ſucci ſempervivi ℥ j. ⊖ ʒ j. M.
℞. mucilag. ſem. cydon. cum phlegm. ⊕li extr. ℥ jß.
ſyr. viol. ʒ vj. M.

Mixturæ hæ linguæ impoſitæ, candem denuò tractabilem reddunt, & fauces blandè

blande humectando, sitim sedant. Pauperculis sola ▽i, *cerevisia secundaria*, in qua solutum sit ⊖, sufficit.

Quidam sani interdum siti matutinæ sunt obnoxii: Hos optimè curare solet haustus *vini absynth.* Qui æstuantes, aut intensius laborantes, aut nimis defatigati siticulosi existunt, levantur optimè per ▽ assumtionem. Confer hic in specie *Act. Soc. Reg. vol.* 1. *p.* 405. & 578. hujus loco & *vinum vetus generosum* non inconveniens.

Secundum in siti vitium est *sitis deficiens*, affect⁹ rarus, præsertim in adolescentibus. Prostant nihilominus exempla, tàm in morbo, quàm citra illum, qui ad longum tempus ab omni potu abstinuerunt. Quo facit *Borell. Cent.* 2. *obs.* 68. & abstinentia potus per 6. annos, V. *Rhodius Cent.* 2. *obs.* 56. Sed notum est ex *Hippocrate*, quod *splenetici* sint *salivatores*, unde facilè fieri potest, ut satis diu à potu abstineant: Confer *Panaroll. Pentecost.* 2. *obs.* 19.

Sitis depravatæ rarissima exempla sunt, & ferè ad historias de *Pica* vel *Malacia* pertinent. Cætera ad *fastidia cerevisiæ* recensenda sunt, de quibus supra actum.

CAPUT III.

De DE MASTICATIONE LÆSA.

Alimentorum *assumptionem & masticationem læsam* accuratè & succinctè secundùm theoriam pro more complexus est *Sylvius l.* 1. *Pr. c.* 4.

Primaria, quæ hîc occurrunt, vitia sunt, quando *imminuitur*, aut *deficit* plus minus, vel quando *depravatur masticatio*.

In *imminuta* aut *deficiente masticatione* primaria vitia sunt vel *musculorum moventium*, (ad quos etiam musculosa congeries, linguam constituens, pertinet, de cujus tamen malis infra, ubi de *gustus vitiis*) vel *maxillarum*, & cum his *dentium molarium*.

Quoad *musculos moventes*, primariò *musculi temporales*, & hinc *musculi genis & labiis communes*, sui considerationem merentur, eum in finem à natura magistra fabricati, ut præter ornatum decentem, movendæ maxillæ inferiori, & ad superiorem convenienter, idque validè, adducendæ inserviant.

Vitiatur hic motus, quando vel *spasmo* laborant, adeoque *convulsi*, sive pertinaciter eorum fibræ contractæ & rigidæ persistunt, adeoque inferior maxilla superiori constanter adducta persistit: vel quando iidem *paralysi* laborant, & fibræ eorum, relaxatæ & flaccidæ, inferiorem maxillam pondere proprio deorsum labi permittunt, absque reductione ad superiorem. *Convulsio ac Paralysis temporalis musculi* rara est, quin cum convulsionibus universalibus epilepticis & resolutionibus universalibus apoplecticis concurrat, quibus curatis, utiliter & particulariter horum affectus cessat, nisi interdum speciale musculi vulnerati, vel

alio modo affecti, subsit vitium, particularibus remediis externis, pro casuum varietate, & cum aliis similium partium similibus affectibus convenientia vel analogia, curandum. *Genis* & *Labiis* inservientium *musculorum* simultanea convulsio aut paralysis pariter nonnisi aliis gravioribus hujus generis aliarum partium internarum affectibus superveniunt, & tunc speciatim utriusque faciei partis convulsio, & oris hinc facta utrinque diductio, tanquam in ridentibus vel potius canibus ringentibus, *spasmus cynicus* dicitur. Sin verò alterutra saltem faciei musculorum pars vel convellatur, vel paralysi afficiatur, & exinde recta oris figura in alteram partem distorqueatur, in convulsione quidem, pars sana ad ægram convulsam, in paralysi, pars ægra resoluta ad sanam, *oris tortura speciatim* dicitur, in qua modò dicta oris ad alterū latus distorsione oculus alter ritè claudi nequit, nec æger debitè exsufflare, quando expuere jussus, ex altero tantùm oris latere id præstare potest. Quod si æger jubeatur ridere, vel literam O pronunciare, facilè apparebit, alteram faciei partem liberè movere non posse. Quod si pars faciei dura sit, cum sensili plus minus dolore, & hæc aliam, rectè se habentem, ad se qs. trahat, à convulsione illius lateris malum esse, palam fit. *Sin* verò pars affecta mollis, laxa & minus sensilis, & ejus oculi inferior palpebra ferè decidit, ad sanam partem trahatur], à paralysi malum esse ostenditur.

Causæ tam *externæ*, quàm *internæ*, hujusmodi convulsionum & Paralysium suo tempore, ubi de his in genere tractabimus, evolventur. In specie nunc in radice ac principio nervorum, ad faciei alteram partem derivatorum, hæret malum; tumque dimidium faciei totius, quin etiam aliæ illius lateris partes, plures vel pauciores, simul afficientur. Sin verò specialiter vel in musculo uno alterove faciei, vel in nervi cujusdam surculo speciali, ad hos derivato, malum hæreat, illa saltim faciei pars, quam iste musculus regit, occupata apparebit. Sic v. g. *Torturam oris* à Paralysi tali particulari putat *Epiph. Ferdinandus in Hist. Med.* 12. natam, ex sæpius repetita applicatione *aceti acerrimi*, cui fuerat immaceratum *lithargyrium*, ad foveas in variolis delendas. Non secus ac *Henr. ab Heer in obs.* 17. notat, quendam ex ebrietate sopitum, & tota nocte nive verberatum, *tortura oris maxima* exinde laborantem, dextra gena fenestra viciniore omnino resoluta. *Torturam* verò *oris ex spasmo* natam observavit P*laterus l.* 1. *obs.* 137 & 139.

Quoad *Prognosin*, *Tortura oris*, si per se extiterit, *malum est difficile*, aut *tardè curabile*. Si verò acutis morbis superveniat, eaque *ex spasmo, periculosissima*. Quo etiam pertinet *aphorismus. Hippocratis* 49. *sect.* 4. *in febre non intermittente, si labrum, aut supercilia, aut oculus, aut nasus pervertatur, imbecilli jam corpore, in propinquo jam mors est.* In specie superveniens spasmo vel Paralysi reliqui corporis, apoplexiam vel Epilepsiam, mortem portendit.

Cura, præmissis *universalibus*, i. e. *primas vias laxantibus*, aut ulteriori efficaciâ

cacia fortius *purgantibus*, & *sudoriferis* ex *aromaticis* & *volatilibus*, quin & interdum *decocto sudorifero ex lignis*, per aliquot dies continuato, si quidẽ ex paralysi fuerit malum, utpote frequentius, postea *vesicatoria* nuchæ, vel ad aurem affectam applicentur: ubi etiam *cucurbitæ scarificatæ* admoveri possunt. Hinc *castoreum*, tàm internè quàm externè usurpatum, est optimum. *Extractum* ejus in ore detineatur. *Essentia castorei* extrinsec⁹ loco affecto crebri⁹ illinatur, presertim cum *Tinctura asæ dulcis sive Benzoes* commista, quam commendat *Timæus in casibus p.73*. Quin & *essentia rorismarini, salviæ* &c. similiter admoveri possunt. Nucha item & vertebræ colli aq. vitæ (i. e. spiritu vini) rectificatâ foveri, & illiniri ol. stillat. chamomill. succin. & terebinth. debent. In ore detineantur masticatoria, v. g. rotulæ Plateri:

℞. Nuc. Moschat. ℥ij.
rad. pyreth.
angelic.
sem. staph. agr. (vel sem. coriand.)
sinap. ana ℥j.
angelicæ (vel cumin.)
Cubebar. ana ʒß.
piper. ℈ß.
mastich. ʒiß.
ceræ q. s. F. Rotulæ.

Aut *castoreum* in *vini spiritu* dissolut. aut fiat gargarisatio, vel diuturna in ore retentio *decocti rad. pyrethri cum semine erucæ*.

Ex Spasmo si fuerit malum, *universalia* ista similiter locum habent, uti & *sudorifera*, & hinc quælibet ex & cum *castoreo* parata remedia, speciatim observanda & fructuosè imitanda. Vid. cura *Plateri* loc. cit. per *narcotica aromatica*, mediante *sudore & somno* hujusmodi affectum curantis, v. g. *Mithridatium*, *syr. papav. opiat.* & similiter. Plura de hoc affectu vid. in *Senn. l. 2. part. 1. c. 8.* item in *Timæo in casibus p. 73.*

Maxillarum & dentium vitia.

Maxillarum, & his mediantibus *dentium molarium vitio* læditur *masticatio*, quando maxillæ immobiles, vel in tantum, vel in totum fuerint, idq; vel *ob luxationem*, in qua os nimis hiat, à quavis violentia externa factam, interdum etiam *ex oscitatione vehementiori*, adeoque nimio oris hiatu inductam, facilè tunc per *inflictam alapam, per percussionem sub mento* tunc curabilem: vel *ob tumorem*, aut *faucium*; in tonsillis inflammatis, aliave ratione nimis tumentibus, in quibus vix os aperiri potest; aut *parotidum*, liberum in sua cavitate maxillæ processibus motum impedientium; vel quando nutritionis privatæ errore, aut universalis ex massa san-

guinea quasi decubitus ratione, lentus, tartareusve humor juncturam illam maxillæ cum ossibus temporum repleverit, adeoque motum liberum illius impediverit, quale in *scorbuto* interdum contingere affirmat *Sennertus*. Quæ tamen mala omnia facilè patent, eorumque ex aliorum similium graviorum curatione medicatio manifesta est. Confer quoad maxillarum hos & similes affectus *Sennert. l. 2. Pr. part. 1, c. 17*. His ferè modis *imminuitur* aut *deficit* maxillæ motus, ad assumtionem & masticationem requisitus.

Depravatur, quando tremulè movetur maxilla, unde sonus ex dentium crebriore collisione natus supervenit in affectu, ob id *stridor dentium* dicto. Oritur proximè à spasmo reciproco musculorum in genis, abductioni & adductioni mutua opera inservientium, qui aliquali convulsivo motu affecti, stridorem talem inferunt.

Specialiores hujus *causæ* sunt vel *frigus externum*, vel *vermes* sive *lumbrici intestinorum*, ex qua causa *stridor dentiū nocturnus* infantib⁹ familiaris existit. Sicut & ex causis aliis, convulsionibus communibus, oriri potest. Speciatim etiam *per consensum* fieri solet, *in febrium* nempe *rigoribus*, in quibus non rarus est stridor dentium. Ob consensum cum partibus circa præcordia membranosis.

Sine manifesta causa *superveniens adulto dentium stridor*, malum protendit, aut *Apoplexiæ*, aut *Epilepsiæ* imminentis. *In febribus* dentibus stridere, malum, præsertim si *deliranti* id accidat.

In Cura, *causis sublatis*, & ipse affectus morbosus cessat, optimum tamen remedium est *Balsamus Peruvianus*, extrinsecus usurpatus.

Dentium Vitia.

Dentium vitio masticatio læditur, vel quando *vel deficiunt*, *vel* præsentes licet, *vacillant*, aut *stupore* affecti, aut *dolore* afflicti fuerint.

Deficiunt dentes vel *proprio*, vel *alieno gingivarum vitio*, infra, ubi *de dentium vacillatione*, prolixius explicando. *Proprio vitio*, dum evelluntur, aut excutiuntur à quâvis causa externa, vel ita alterantur, ut tanquam minus viventes non amplius cum gingiva viva cohærere queant, sed spontè sua decidant. Ut enim mortificatum, v. g. cariosum os, cum vicinis partibus, vitâ communi & propria pro ratione spiritûs influi & insiti gaudentibus, uniri nequit, sed necesse est, ut excidatur & separetur, quô cum vivo osse partes subjacentes molles, viventes, consolidatione debita, nutrimento mediante, uniri denuò queant; ita & dens minus vitalis non jungitur amplius gingivæ, sed ab hac separatus excidit, idque I. Si mortuus fuerit propriæ ætatis, adeoque senii sui ratione, de quo videatur *Helmont. Alimenta ♀ri insontia §. 25.* II. Si ab externis nimis læditur & vitietur, ut sunt *nimis frigida*, aut copiosius assumta dentibus inimicissima, & quæ senium

eorum

eorum accelerant: item *nimis calida*, dentes & gingivas quasi amburendo alterantia, eaque vel crebrius assumta, vel dentibus admota, à quibus successivè ita penetrantur & arroduntur dentes, ut frustulatim tandem excidant. Quo facit perversa plurium consuetudo, dolores dentium vel aceto simplici, vel per actionem medicatam curantium, à quibus stupefiunt non solùm omninò dentes, & insensibiles sic fiunt subtiliores illorum intimæ fibrillæ; sed & ipsi dentes simul mortificantur & corroduntur.

III. *Nimis viscida & glutinosa* dentibus inimica sunt, ut sunt *omnia dulcia, saccharum, ficus*, uti & *caseus* &c. Hæc ipsa enim, ut promtè & tenaciter dentibus adhærendo, transpirationem eorundem propter necessariam nutritionem impediunt; ita & successivè acorem attrahunt, qui continuatâ sui adhæsione, successivè eosdem alterat, hinc & *lac*, & *qualibet lacticinia*, ob hanc rationem inimica dentibus observantur, eosque ad sui corruptionem sive cariem & successivam deficientiam disponere. Hæc ipsa gingivas simul plus minus alterando, & laxiores ac flaccidiores reddendo, indeque nutrimentum pro dente, per gingivas transmittendum, corrumpendo, ipsos dentes insigniter lædere valent.

IV. *Carie* denique plus minus exesi dentes à lapide dentali sive lythodonto obsessi, seu sordibus variis inquinati, nigrique ac fætidi redditi, minus firmiter gingivæ cohærent, sed successivè decidunt. Quæ posteriora vitia non nisi ex vitiata dentium nutritione privata, undecunque primitus orta, originem ducunt. In quem finem noto, nutriri dentem, non solùm per propria sua vascula, arteriolas & venulas, circa sui radicem implantatas, sed lateraliter etiam, ex adhærentibus ipsis gingivis, unde & tàm firmiter earum, quousque sani sunt, est nexus, ut dens sive osseum concretum, ex se indolens, quousque gingivis investitur, acutissimi tamen sit sensus: adeò mutuæ vitæ & nutritionis dentes sunt particeps. Ac sanè particularis, ac præ aliis partibus, propria dentibus est nuntriendi ac augmentandi ratio, adeò ut, cum continua attritione necessariò imminuantur, nisi nova eâque continuâ augmentatione repararentur, brevi penitus absumerentur. Quod ulterius ex eo patet, quod uno evulso vel elapso, vicini utrinque se dilatare magis soleant, & ex opposito ipsi respondens oblongari nonnihil, & in prioris spacium aliquantulum subintrare observetur.

Cariem igitur dentis quod attinet, *est* hæc *arrosio dentis, nunc major, nunc minor, quâ insensibiliter substantia ejus absumitur, & nunc successivè excavatur, nunc altero latere pedetentim consumitur, donec successivè magis corrosus frustulatim excidat.* Inchoat malum ut plurimum in parvo puncto extrinsecus, quod nigrescit primitus, hinc foraminulum aperitur, sicque ad interiora ejus penetrat, quæ quò teneriora ac molliora, indeque facilius dissolubilia, eò promtius absumuntur, & dentem cavum reddunt. Conjungitur tunc, ad interiora ubi penetraverit corrosio, dolor, nunc major nunc minor, prout

prout radicem dentis nerveam diversimodè simul arroserit. Ex corroso ita dente rata sanies, ubi per dentis foraminulum relictum, ceu per fistulam, liberum spatium effluendi haud nacta fuerit, sed interiora magis ac radicem dentis unum alterumve, speciatim in maxillaribus, vitiaverit, acrimoniâ suâ nunc gingivam, nunc ipsam maxillam rodit, & præsertim per illa hujus foramina, per quæ vasa in dentes subeunt, sensim extra effluit, & tubercula, nunc in gingivis, nunc sub maxillis, excitat, quæ tandem exesa saniosum acre liquamen fundunt. Et licet curetur tale tuberculum & excitatum ulcusculum, subinde tamen, quoties ex carioso dente sub nutritione vitiata nova sanies generatur, recidivat, & interdum in fistulam, vel gingivæ sive maxillæ, degenerat, adeò ut talia curari nequeant, nisi dens læsus evulsus fuerit. *Fœtorem* etiam subinde dentes cariosi inferunt, halitum oris inficientem, præsertim si major fuerit eorum evacuatio, ut alimenta carnosa retenta in eadem putredinem attrahere queant; Imo ex nutrimenti dentis cariosi proprii corruptione, aut alimentorum masticatorum in iisdem retentorum putredine, *vermes* in eorum cavitatibus generantur, gravissimorum dolorum aliorumque malorum autores.

Causa Cariei est læsa dentis quacunque occasione nutritio, sive gingivarum vitiatarum, & à contiguo dente abscedentium, indeque ejus lateralem nutritionem impedientium, (unde *scorbutici*, gingivæ vitio, omnium frequentissimi *cariem* patiuntur) eveniat causa, sive ipse dens sub nutrimenti assimilatione, aut hujus successiva transpiratione frustratus ex illius corruptela, & in acidum corrosivum degeneratione, cariem pedetentim contrahat. *Acidum* itaque ex nutrimento dentis degenerato, tandem corrodens cariem inducit.

Causæ remotæ rationem habent tam omnia dentes alterantia supra allegata, quàm infra circa *gingivas*, quoad *dentium vacillationem* allegeanda.

Quoad *lapidem dentalem* sive *Lithodonton*, (ut vulgò ex vana persuasione vocant Tartarum dentium:) hujus ortum & genesin optimè delineavit *Helmont. Tract. alimenta Tartari insontia* §. 22. nempe nutrimentum dentium laterale ex gingivis depravatum, sub sui perfecta cum dente assimilatione frustratum & vitiatum, sicque in excrementitiam plus minus naturam degenerans, adhærescit saltem superficietenus denti, ibique quia jam ad duritiem dentalem, ex aliquali sui pro nutriendo dente alteratione, determinatum fuit, ad induresćentiam quasi lapideam dentalem, coagulatur saltem, & talem, plus minus tamen friabilem, duritiem acquirit, simulque quicquid mucilaginis ciborum ac potuum imbiberis, simul secum fortiter indurat. Nunquam igitur sanæ gingivæ & quæ cuspiduli figura ad dentis medium assurgunt, hancque firmo amplexu retinent, dentalem hunc lapidem

dem generare solent, benè autem *laxa, flaccida, cruenta*, minusque aptè dentibus adhærentes, adeoque externis injuriis ad sensilem dentis partem aditum permittentes, nec commodum nutrimentum suppeditantes, sed potius etiam laudabile pervertentes, hoc malum inducunt.

Par omninò est ratio *sordidorum, nigrorum aliove modo malè coloratorum* dentium: quicquid enim hîc subest vitii, nonnisi productum morbosum ex frustrata ac depravata privata dentium nutritione enatum, sive externa illa supra circa dentium casum, speciatim viscida & dulcia primam occasionem suggesserint, sive gingivarum morbosus flatus, alterando nutrimentum dentium, & vitiando lateralem ejus nutritionem, in causa fuerit. Sanè ut *scorbuticis* nil æquè familiare est, ac gingivarum varias subire passiones, speciatim *cruentam flacciditatem*, ita & in talibus *dentium nigrities* & *sordities* frequentissima est. *Nigrities* sanè dentibus adhærens, quid nisi extra venati ex gingivis, plus minus corrupti, & acore infecti cruoris dentibus adhærentis vestigium est, à cujus hostili præsentia, ut irritantur gingivæ, & inviscantur dentis pori, ita ex facili hinc acescentia erosio & cariei successivus progressus. Juxta læsionem gingivarum & dentium læsio, indeque sordium excrementitiarum pluralitas ac veritas æstimanda; Hinc & *ab inunctione mercuriali* pro cura *luis Venereæ* similive concitata salivatione, uti notabiliter vitiantur *gingivæ*, ita nigrescere subitò, & pluribus sordibus inquinari observantur *dentes*.

Quoad *Curas*. Dentes excidentes aut deficientes reparare, solius naturæ est, quæ in junioribus, per recentium dentium subnascentiam priores alveolis suis extrudit, & defectum ita restituit. Quamdiu itaque dentium novorum primordia & quasi semina intra gingivas restitant recondita, novi dentes post priorum defectum renasci facilè possunt, id quod non tantùm *genuini* sive *sapientiæ* dicti *dentes* comprobant, sed quod etiam interdum in senectute dentes renati observati fuerint. Arti quod relictum est, saltim defectus illos naturæ imitandos nonnihil supplere, *artificiales dentes, ex ebore*, vel *dente hyppopotami* fabricatos in istorum locum substituendo, pro loquelæ saltem gratia, non autem pro melioris masticationis beneficio. Equidem exempla quædam prostant dentium sanorum, ex homine recenter revulsorum, in proprios vel alienos alveolos denuò insertorum, firmiter cum gingiva coalitorum, tanquam si nunquam dens defuisset, ita ut etiam masticatio fortis hoc modo perfici potuerit: Sed quoniam adeò incerta res nondum confirmata est, eam in medio relinquo. Vid. *Obs. Schenckii p.* 202. ex *Paræo, l.* 1. *c. de dentib.* item *Riverium in obs. comm. p.* 357. *vel* 685. *Borell. l.* 1. *obs.* 10. *p.* 18.

Quoad *cariosos dentes*, equidem præsentissimum remedium est cariosi evulsio,

evulſio, interdum etiam neceſſarium, ſi longius proceſſerit caries, cùm facilè aliàs contiguus dens contagio carioſo infici, & hinc idem malum contrahere poſſit. Ut taceam, confirmatam cariem, alia ratione quàm evulſione, curari non poſſe. Quamdiu verò vel nondum eousque proceſſerit malum, vel propter pericula, ſub dentium evulſione interdum obſervata, hæc nimis metuatur, remediis res tendanda eſt, cariei ſc. progreſſum ulteriorem inhibendo.

Evulſio appropriato peragitur inſtrumento, ac ſuccedit eò melius, quò minus fimiter dens hæſerit, & quò magis idem vacillaverit. Quò autem diſponatur ad facilem, magis & minus dolentem, evulſionem, remedia quædam à nonnullis adhiberi ſolent, v. g. *Tithymali ſuccus* denti inditus: aut ſi ex *eo* & *ſale ammoniaco* formentur globuli, aut cum *farina triticea* fiat paſta, & cavitati dentis indatur. Præter *tithymali lac* alia ex ſimili lactearum genere, pari virtute pollent: ut *lac ficulneum* (Feigen) *farinæ* admiſtum, vel ex *lacte tithymali* cum *farina triticea* ſubacta fiat paſta, quæ frixa in *pinguedine ranæ*, facit dentes ſine dolore cadere: vel *farina ſiliginis* miſceatur cum *lacte cataputiæ*, inſtar pultis, indatur denti cavo, ſicque aliquandiu permittatur, brevi ſic cadere affirmant. *Succus* pariter *chelidonii majoris*, cavis dentibus inditus, eos frangit & ejicit. *Pinguedo* item *ranarum viridium*, dentibus affricata, aut iisdem indita, dentium caſum promovet: nempe coquuntur ranæ in olla vitreata affuſa aqua communi, & pinguedo quædam innatabit, quæ dentis evulſionem promovet. Vel

℞. gummi ammon. Sem hyoſcyam.
Succi ejusdem an. ℥jß. Miſtis addatur
Pinguedinis ranæ viridis ac ceræ parum F. Ung.

denti extrahendo applicandum vel indendum.

Cariei verò *ulterior progreſſus* per artem & medicamenta inhibetur, efficaciſſimè inprimis per *inuſtionem dentis carioſi* in loco carioſo cum *cauterio actuali*, ſive ex ferro, ſive ob ſubtilitatem commodiorem, ex argento vel auro facto, quo facto auro foliato dens cavus repleatur: præſervatur enim ſic à majori putredine & corruptione; vel ex *cera cum myrrha probè ſubacta*, vel potius ex *cera viridi*, propter admiſtam æruginem, impleatur dentis carioſi excavatio. Ipſa *myrrha*, denti indita, egregia eſt in hoc caſu. Confer hîc *River. in obſervat communic. p.* 309. *l.* 663. ubi refertur, quod dentes terebinthinâ impleantur, & cauterio actuali dens inuratur in carie. Loco actualis cauterii, ubi neceſſum viſum fuerit, potentiale adhibeatur: Sic aqua fortis denti carioſo admota, vel ſpiritus vitrioli gut. j. vel ij. bombaci inditæ, ac denti adhibitæ, mirè corroſionem juvare & præſervare dicitur. Item *zingiber* in *oxymelite* coctum, & in cavernam dentis immiſſum, præſervat corruptionem. *Coralliorum* pulvis denti cavo inditus, vel *oſſa ſepiæ*, item *camphora* cariei,

riei ulteriorem progressum inhibent: vel ex *pulvere coralliorum alborum* cum *melle rosato* ad consistentiam linimenti crassioris redacto, dentibus illitum cariem inhibet.

Fœtorem dentium ablata caries sponte curat; sin minus *gallia moschata*, *cum cypero & mastiche* mista, denti cavo indatur. Tollitur & fœtor dentium, si abluuntur *aqua, in qua* ✱ *solutum*, post prandium & cœnam.

Vermes ex dentibus elicere subinde necesse est. Præstat hoc optimè *Sabina in vino decocta*, & in ore retenta, quæ copiosos vermes elicit. *Fumus* item *seminis hyoscyami* specificus est, per infundibulum susceptus ore, mirabiliter vermes expellit. Confer. *Act. Med. Haff. vol.* 1. *p.* 209. Suffitus item sive *fumus ex fructu halicacabi* contuso, cum cera mixto, facta exinde pasta, in laminam ferream ignitam injecta, fumum suggerit, quô ore excepto, catervatim vermes cum sputo copioso rejecti, & crudelissimi dolores sopiti, observati fuerunt. Spiritus sulphuris quoque dentibus cum bombace inditus vermes optimè necat, & dolorem inde oriundum placat, vel ex *pulvere gallarum* cum *succo rad. pyrethri* imprægnato paratur remedium, quod denti inditum *vermes* expurgat. *Sevum cervinum* quantum contra *vermes dentium* valeat, *vide Bartholinum Centur.* 3. *Histor.* 96.

Quoad *Tophos* (sive *Lithodonton*) *dentium* eorumque sorditiem & nigritiem, ne ab his tandem dentium caries, crebrior dolor, aut præmaturus casus superveniat, cura instituenda venit, per ea, quæ *sordes dictas abstergere*, *vitiosum* earum *acidum*, gingivis & dentibus hostile, *absorbere* & hinc blanda adstrictoria vi *gingivarum tonum roborare* valent: quod si longius processerit malum, & tenacior mucus dentes vitiaverit, potenter *incidentia* & *dissolventia*, & quicquid heterogenei fuerit *absumentia*, & qs. *exedentia* adhibenda erunt, habendo semper respectum ad *scorbutum* plus minus præsentem. Convenient igitur in leviori malo *ossa sepiæ*, *C. C. ust. mandibul. luc. pisc. testæ ovorum calcin. Cinis majoran. rorismarin. urina calida*, cum qua fricentur subinde dentes & gingivæ; *Tartarus calcinatus* aut parum *salis Tartar. Oust*, &c.

Duriora *subjecta lapidea ex silicibus*, *pumice* &c. vitanda sunt, quia crebriori usu *gingivas* atterere & absumere valent, ut rectè monet *Zvvelfferus in Pharm. Reg. pag.* 101. nisi ubi fortius agendum; tunc enim paulò tamen rarius adhibita, talia minus nocent. Exempli loco sit *farina virginea Mynsichti*, egregiè dentes dealbans, & à Tartaro corrosivo purgans. Hisce modo dictis convenienter *radix Irid. Flor.* additur, prælertim quod & ipsa conveniat propter odoris gratiam, propter quem ultimum finem non inepta. Paratis *dentifriciis*, aliquot *guttæ olei destill. caryoph.* aut *lign. Rhodii* possunt addi. Quod si dictis pulveribus color purpurascens conciliandus, *Coccionigliam* in *aqua aluminis* solvamus, & soluto adspergamus *pulverem*, qui exinde rubescit, sed leni ad-

motus igni idem purpuraſcit. Quod ſi pertinacius fuerit malum, ſordes tenaciores, obſtinata nigrities firmius dentibus impacta, ac firmius conglutinata lithodontos, optimum remedium eſt *ſpiritus ſalis cum melle* ad gratiam ſaporis, vel quantum placet miſtus, & ita gingivis illitus. *Spiritus vitrioli* ſuſpectus eſt, cujus loco *oleum ſulphuris* in *aqua communi* dilutum, vel *cum melle roſato* ſubactum, adhiberi poteſt. Pertinet huc *opiata Borelli Centur. 2. obſerv. 65.* ad gravius malum præſertim conveniens. Non incommodum eſt, ſi recipiatur vinum, cui permiſceatur *ſpiritus ſulphuris*, ut aceſcat, huic immitte *radiculam polypodii* per 24. horas, hunc ſicca, & utere pro *dentifricio*, firmat, mundat, & candorem iiſdem inducit. Et ea, quæ de *ſpiritu vitrioli* refert *Riverius* in *lib. 6. prax. c. 2.* potius *ſpiritui ſalis*, quàm *ſpiritui vitrioli* applicanda veniunt. Quo etiam facit ejusdem *liquor ex Quſto*, hîc egregiè conveniens, citato loco.

Pulvis dentifricius Principiſſæ Altenburgenſis.

℞. oſſ. ſepiæ, C. C. uſt. pumic. pp. an. ℥iij.
moſchi ℈j. M: F. pulv. cui adſpergatur
ſpir. roſar. ℥ß, & ſicca. Interim
℞. Gran. cherm. Santal. rubr. an. ℥ß.
~ vini q. ſ. pro extrahenda Tinctura, qua irrora aliquoties prædictum pulverem, & ſicca. Non incommodum eſt hujusmodi pulveribus dentifriciis ✳ ſubinde addere, dentibus, gingivæ, ac omnibus oris partibus inprimis conveniens.

Quod attinet *dentes vacillantes* ſive minus firmiter gingivis connexos, hoc vitii contrahunt propriâ vel alienâ, gingivarum culpâ. Propria eadem eſt, ſed in minori ſaltim gradu, quæ & dentes decidere penitus & cadere facit, de quo ſuperius ſufficienter actum. Aliena gingivarum culpa conſiſtit in eo, quod fibroſa illarum caro vel mollis ſive flaccida, vel ſimul tumida, vel etiam nonnihil exulcerata, adeoque omnibus his caſibus plus minus cruenta ſimul evadat. Rarum eſt, quod in *Schenkii collectis obſervat. l. 1. c. de dentib. p. 200.* refertur, *ex defluxione in dentium alveolos*, hos gypſea pituita interdum impleri, ut dentes extrudantur. Suſpicor tamen non tam ex defluxione, quàm *lapidis ſive tophi dentalis* uberiori incremento, potius vitium hoc ortum traxiſſe. Iſta verò mala gingivarum oriuntur frequentiſſimè ſalivæ, vel in genere *acrioris*, vel in ſpecie *ſcorbutico* ſapore, ſive vitioſo acri ſale inquinatæ culpâ, à qua tonus fibrarum gingivarum reſolvi & emolliri, penetrari eædem, & plus minus ſucceſſivè, non rarò ſenſili admodum cum pruritu erodi aſſolent, vaſculis ſanguineis unà per diæreſin vitiatis, ſanguinem paulatim fundentibus.

Poſtea & *Mercurii uſus*, tàm *in ſalivatione excitanda*, & hinc acrioris & præternaturalis cujusque copioſioris ſalivæ profluvium, quàm faciei pro *uſu coſ-*

metico

metico applicatus, ordinario gingivam valdoperè laxare; & omnes dentes hinc mobiles quasi reddere solet.

Quòd si ulterius procedat negotium, vitiari magis gingivæ, exulcerari profundius, absumi eædem, vel corrumpi etiam, & ad gangrænam disponi assolent: Malum, quod in genere die Mundfäule appellatur.

Quod si firmior paululùm gingivarum fuerit textura, relaxata eadem nihilominus sanguinem uberius in se recipit, & spuriâ intumescit & excrescit carne, laxa, flaccida & sordida, & facilè ad tactum cruorem stillante, in *Gingivarum* hinc dicta *excrescentia* sive *dentium super incarnatione*.

Ut igitur moveantur hæc mala, *præmissa debita radicis morbosæ internæ curatione, gingivæ flaccidæ, tumidæ, cruentæ adstringendæ, exulceratæ absorbentibus & mundificantibus ac adstringentibus consolidandæ, corruptæ, & plus minus gangrænatæ*, ab ulteriori mali progressu *præservandæ*. Conveniunt igitur *fl. rof. rubr. fl. aquileg.* & ex his paratum *unguentum de aquileg* ad *scorbutum oris* præsertim proficuum. *Descriptio* prostat in *Tilemanni materia medic.* C.C. & *ebur ust. Lacca* & *myrrha*, ☉ tam *crudum*, quàm *ustum*, *lap.* ♋. *fol. quercus, ligustri, radix ireos Flor. Bistort. tormentill. flor. malvæ arborescent. nastur. aq. Rutæ, Salivæ, Rosmarin.* Ex his vel fiunt ℥ *dentifricii*, cujus exemplum vide in *Barthol. Cent. 6. hist.* 54. vel ex iisdem fit *decoctum*. v. g. *Ruta in vino decocta*, quo calidissimo os eluatur, egregia est contra hos affectus scorbuticos. *Salvia* item *Rosmarin. decocta in* ▽. cum pauco addito *alumine*, egregius est *Gargarismus* ad dicta dentium vitia. Vel

℞. herb. Salv. opt. Mijß. flor. malv. hortens. rubr. Mj.
rad. polypod. ℥ß. F. decoctio. in lib. 1. ▽ fontan. Colatur.
adde mellis rosat. ℥jß. alum. ust. ʒj.
lapid. prunell. ℥iij. terr. sigillat. ʒj. M. F. Dentiluvium.

Pertinet huc *Gargarismus de Tormentilla Mynsicht.* p. 403. *Decoctum ad gingivas roborandas Poterii in Pharmac.* p. 313. Si quoque aliud quid, certè *myrrha & lacca* in istis gingivarum vitiis sunt præstantissima. Huic *Tinctura laccæ* associari solet. Nam sola *myrrha* crebrius masticata proservat egregiè contra scorbutum oris. *Tinctura laccæ* prostat p. 46. Armament. Myns. & Conf. *M. A. N. C. Ann.* 6. *App.* 26. B. D. *Michaelis Tincturam Laccæ* parabat ita:

℞. *phlegm. vitrioli* q. v. in quo dissolve alumen q. s. soluta & mista infunde *laccæ pulverisatæ* donec tingantur. M. Porrò ulterius *mel rosaceum* cum *spiritu salis* tantillo usque ad gratum acorem imprægnatum, omnia ulcera & putredinem partium in ore sanat, si præsertim ex scorbuto originem ducant. In specie si simul cum *decocto salviæ* subinde abluantur gingivæ. Egregium quoque est *linimentum Harmanni* ad hos gingivarum affectus, quod

 describit

describit in *Prax. Chymiatr. p.* 123. sed cui non incommodè *myrrha* addenda venit, ad imitationem *Senn. in Prax. l.* 3. *p.* 5. *s.* 2. *c.* 7. *p.* 633. Cui simile est elegans *Linimentum contra oris & gingivarum scorbutum*, quod habet *Deckerus in comm. in Prax. Barbett. p.* 156. cujus loco possit etiam recipi.

℞. alum. crud. ʒjß. flor. aquileg. fol. salv. an. ʒij. rad. ireos Fl. ʒjß. myrrh. elect. ℈ij. c. s. q. mell. ros. F. *Linim. egregium ad vacillationem dentium scorbuticam.* Vel:

℞. rad. bistort. ʒiij. flor. ros. rubr. ʒjß. Balaust. ʒj. aluminis usti ℈ij. Impraegnetur largiter *spirit. cochl.* qui ad oris scorbutum est egregius. Hinc in excrescentia gingivarum scorbutica *succus cochlear. cum alumine usto* mistus perquam egregius est, Sicuti ad haec ipsa gingivarum vitia ex scorbuto nulli cedit *vermicularis*, cujus *decoctum cum alumine & melle* nobile experimentum est, *gargarisando usurpatum.* vid. *M. A. N. C. Ann.* 6. *p.* 50. In *Digby Medic. Experiment. part.* 2. *p.* 76. itidem egregia est *mistura pro his gingivarum malis* ex *aq. calc. viv.* cum *alumine crud. & ust.* ac *rad. ireos Flor.* quod in mentem revocat aliam non inconvenientem misturam, efficacissimam in scorbuto oris, nempe *cremorem aquae calcis vivae* supernatantem saliformem.

℞. hujus cremor. ʒiij. gumm. lac. ʒij. ⊕-li Cypr. gr. vj. aq. rosar. - salv. an. ʒjß. Solve calore leni, ut probè impraegnetur à *lacca*, eò laventur gingivae, probatum est. Ac meritò extollitur usus *laccae*; Nam B. D. *Michael* aliquando putredinem gingivarum scorbuticam, tantam ut gangraenam minaretur, & propter infensissimum foetorem nemo juxta aegrum commorari posset, per solam *Tincturam Laccae*, praemissis internis universalibus, feliciter restituit. Juxta *laccam* hanc nobilissima est *myrrha*, v. g.

℞. fol. salv. alumen ust. maxill. lucii piscis calcinat. myrrh. rubr. an. ʒjß. mell. q. s. pro *Linim. ad fricandos dentes.* Quod si efficacius postuletur, aliquot gutt. *spirit. salis.* impraegnetur.

In graviori malo ulterius procedendum est, atque sic, praeter *linimentum Hartmanni*, supra laudatum, ad *Unguentum Aegyptiacum*, *melle rosato* probè permistum, deveniendum, pro graviori exulceratione aut inde metuendis malis gingivarum curandis. Vel:

℞. alum. usti, salis armoniaci an. ℈j. mastich. thur. an. ʒß. M. F. ♁ Affricandus gingivis, posteaquam ante & post *decocto salviae, tormentill. ac ros. rubr.* os elotum fuerit. Imò interdum 🜅 gravior gingivarum luxuries sedanda. Conf. item *Linim. Sennert. l.* 2. *prax. part.* 1. *c.* 16. *p.* 52. Aut denique *aquae virides ex viridi aeris*, *pauco auripigment.* *alumine* & quibusdam *vulnerariis*, addito *melle* in aquam infusis & decoctis, hîc commodè adhiberi possunt, quô affrictae gingivae à luxurie, flacciditate & putredine defendantur, e. g.

e.g. fit vel ▽ *virid. Hartm.Pr.p.* 110, vel ▽ *virid. Plateri*, cujus *descriptio* prostat *in fine observationum* ejus.

Supore tandem sive *Hæmodia* affici dicuntur dentes, sicque masticationem impedire, quando speciali doloris genere afficiuntur, post acida vel assumta, vel vomitu rejecta. Cui affine malum est *algor dentium*, dum frigoris attactu notabiliter alterantur dentes, nempe acidum & frigus inimicissima existunt dentibus, unde illorum nimia impressione afficiuntur fibræ illorum interiores, & quasi irritantur, ut à cujusvis objecti actione specialis quidam dolor in dentibus percipiatur, masticationis negotium insigniter impediens.

Curat stuporem dentium portulaca recens masticata, *caseus* tam *recens* quàm *vetustus*, adeoq; alcali manifestiori dives. *Siliqua ceracea* masticata. item calidum *ovi vitellum*, ad duritiem coctum, applicatum. Omnium optimum *calida urina applicata. Algorem spirit. vini* dentibus affrictus, vel *panis calens* masticatus, vel *vitellum ovi* assatum, calidè masticatum; item *theriaca* dentibus affricta huic malo medetur.

CAPUT IV.

De DEGLUTITIONE LÆSA.

LÆditur *deglutio* quando vel *impeditur* sive *imminuitur* & *aboletur*, vel quando *depravatur*. *Imminuitur* I. *Oesophagi* ex parte: II. *Stomachi* seu *orificii ventriculi superioris* culpâ.

Oesophagi vitium est, (I.) quando vel musculorum 3. paria, fauces sui ampliatione efformantium, una cum sphynctere paralysi resolvuntur, (II.) quando ipsa musculosa ejus tunica simili malo corripitur. De posteriori vide *Willis. Pharm. rat. vol.* 1. *p.* 11. de priori *Tulpius lib.* 1. *observ.* 42. (2.) quando angustatur nimis, sive hoc fiat (α) vel *à tumoribus* tàm propriis, quàm partium vicinarum. *Illud* quando inflammatur *Synanchi*, aut quando *scirrhoso tumore* obsidetur, aut quando à *caruncula excrescente* vitiatur. Exempla quorum vid *Rhod. observ.* 46. 47. *Cent.* 2. *Hoc* quando *tonsillæ*, *aspera arteria*, aut *uvula* intumescunt, inflammantur &c. Sive hoc fiat (β) 2. ab arcta nimis clausura & strictura fibrarum ejus, idq; nunc ex *spasmo* sive *convulsione*; quo pertinent *hypochondriaci* subinde, non secus ac *mulieres hystericæ*, gulæ adstrictionem & contracturam per nervorum spasmos ob consensum patientes, quod alii ex vaporibus stypticis ex hypochondriis elatis fauces stringentibus malè derivant.

nempe pertinet huc *gulæ strictura ab Utero*, cujus mentionem facit *Helmont. Tr. Asth. & Tussis* §.31. Hinc etiam in *Epileptico paroxismo* difficillima aut nulla solet esse deglutitio. *Nunc ex illarum nimia exsiccatione in febribus ardentibus continuis.* Quo suo modo etiam pertinet *defectus salivæ*, deglutitionem plus minus impediens; *nunc ex illarum ab assumtis constrictione & corrugatione.* quò *Hochsteteri* facit *observ. decad. 3. cap. 5.* adstrictio gulæ ex potu vini malvatici, in quo radix consolid. major. infusa fuit. Sive hoc fiat (γ) 3. *ab obstructione*, propter deglutita varia aut majora in faucium isthmo sive principio œsophagi hærentia, uti *boli majores, nux Persica, ovum gallinaceum,* &c. aut acuta gulæ infixa, ibique tam sui insolita præsentia, quam propter dolorem, & hujus occasione inflammationem aut abscessum, deglutionem impedientia, v. g. *ossicula, spinæ piscium, aciculæ gulæ infixæ.*

Orificium superius ventriculi sive stomachus in culpa est, quando ritè licèt, per œsophagi iter demissa, nihilominus admittere debitè recusat, id quod fit inprimis, quando quacunque occasione irritatus sive lacessitus, contumacius se stringit & claudit, adeoque assumta ulterius progredi impedit, id quod fit. (α) quando *vel inflammatum*, *vel velut excoriatum*, aut plus minus *exulceratum*, *vel tumore quocunque*, à priori nullo modo cognoscibili, *obsessum fuerit*, quò facit curiosa & notabilis observatio *Willisii Pharm. rat. vol. 1. p. 45.* (β) quando copiosiores, plus minus acriores, *flatus* in ejusdem angustiis inclusi fuerint, quorum inimica præsentia utrumque, speciatim superius, orificium ad pertinacem sui stricturam irritatur. Unde assumta non nisi difficulter admittit, aut admissa eadem copiosi flatus eructantes, insequuntur eaque plus minus simul una rejiciuntur, quo facit non inelegans *obs. Riverii* 11. *de morbis infrequent.* item *Plateri obs. l. 1. p. 223.* (γ) Quando quacunque de causa nauseat, aut assumenda horret ventriculus, nam & sic orificium claudit, non assumpturus sibi hostilia. Hac ratione familiare est *febricitantib⁹*, quælibet liquida aut esculenta fluida deglutire, sed carnes, ova frixa vel similia pertinaciter respuere, & oblata nullo modo, aut non nisi difficulter admittere.

Pertinet huc *Amat. Lusitan. Cent. 6. cur. 49.* ubi post screatum sanguinis, & assumtorum vomitionem, deglutiendi omnimoda difficultas etiam ∇æ, sola vini assumtione salva. Conf. *Hildan. Cent. 5. obs. 34.*

Depravata tandem *deglutitio* est, I. quando liquida difficulter, solida facilè & contra deglutiuntur, de quorum affectuum theoria in Philosophicis, ubi de deglutitione pluries actum. II. Quando in eodem assumtorum vel solidorum vel liquidorum genere quædam facilè, quædam difficulter, quædam omninò non deglutiri possunt. De ejus ratione ex superioribus, speciatim ex *nausea ventriculi* jam constat.

Quoad *Prognosin* igitur deglutitio quò magis vel minus tollitur, eò magis etiam

etiam vel minus periculum vitæ imminet. *A paralysi musculorum faucium* nata difficilis deglutitio *periculosum & difficulter curabile malum est.* Quod si *ob* ☍*tuum moventium defectum*, & adeò *insignem virium resolutionem*, prout *in acutis* interdum accidit, malum evenit, *pessimum signum, & mortis futuræ indicium*, si *cum sonitu*, quasi in lagenam vacuam, decidat potus. *In vulneribus* si accidat *ex convulsione* deglutitio læsa, *periculosum*, sicut aliàs convulsiones faucium *in acutis* periculosæ, *in chronicis* minus. Si à *Tumoribus* per se quidem, & ex interna causa naturali oriatur malum, pro tumorum vel facile, vel difficulter, vel omninò non curabilium natura, prognosis facilis est. Sic v. g. *ex ulcere Oesophagi cancroso* omnimoda, adeoque lethalis deglutiendi impotentia. Sic ob *œsophagum cartilaginosum factū* deglutitio penitus abolita; *Ann.3. N. C. p.26.* adeoq; *lethalis*.

Degluta res alienæ in faucium isthmo vel hærent, vel extra hunc, vel ad ventrem tandem descendunt. Dum in faucibus hærent, præter inimicam sui præsentiam interdum simul dolorem excitant, unde *tumor, inflammatio, abscessus*, iique vel lethales, de quo vid. *Hild. Cent.1. obs.35.* it. *Cent.5. obs.35.* ex officulo œsophago infixo, *tumor, dolor, febris, inflammatio, mors*: vel hoc rupto abscessu rei peregrinæ cum pure excretionem, aut descensum faciunt. Confer item *Hildan. Cent. 1. obs. 32.* ubi mulier officulum devoratum, quo penè suffocabatur, septimo tandem die, excitata suppuratione, egesserit: vel per alia plus minus vicina loca, exitum sibi quærunt. Quo facit exemplum notabile *Paræi l.24. c.29. Chirurgiæ*, de graminis ramulo deglutito, qui postea integer per intercostale spatium erupit. Idem *Hild. Cent. 1. obs. 33.* ubi spina piscis gutturi biennium infixa, post, excitato abscessu, in extrema colli parte extracta. Dum verò ad ventriculum quocunque modo descendunt, vel inferius per anum successivè denuò excluduntur: dum v. g. miles metu, ne in itinere spoliaretur, 6. ducatos deglutivit, eosq; post aliquot dies, injecto clystere abstergente, sine noxa rursus reddidit, teste *D. Michael.* vel dum fistula deglutita tertio die sine noxa per alvum fuit reddita, autore *Bartholino Cent. 1. hist. anat. 59.* vel in stomacho pertinacius hærentes varia mala inferunt, dum v. g. pylorum obstruunt, quæ obstructio, si contumacior fuerit, mortem comitem trahit, autore *Kerkring. in specileg. obs.1.* Confer etiam *Hildanum C.6. obs.35.* Quo etiam pertinent *aciculæ*, quarum quædam *sine periculo*, quædam *cum summo periculo* deglutita observantur, confer *M. A. N. C. Ann.4. p.77.* *Vitri frustula* aut *annulus*, cujus asperitate excitatam dysenteriam notat *Zacut. Lusitan. l. 2. Med. Princ. hist. 84.* Cæterorum huc facientium affectuum *prognosis* ex dictis facilis est.

Curæ pro earum varietate, & mali inde nati diversitate, etiam variat. Paralysis partium deglutioni inservientium curatur per *decoctum saliva in vino*, &c. continendo in ore ℣ *infusionis thymi*, vel *decoctum savæ & erucæ gargarisatum*, aut in ore contentum egregium est. *Nux moschata* masticata & deglutita

est

est egregria. ☋ *succini dest. aut* ☋ *dest. anisi, salv.* guttatim intra fauces assumta, sunt efficacissima. *Essentia castorei*, ♎ *cerasorũ nigrorum, liliorum cõvallium*, ♎ *theriacal. cum essentia castorei* juncti; it. ▽ *Anhaltina* est egregia, illinatur collum ac nucha ☋ *lumbricorum terrestr. costino, destill. succin. anis. lavendul.* &c. *Tumores* harum partium, siquidem cogniti fuerint, quales sint, more talium tumorum curari debent. *Clausura faucium & Oesophagi à spasmo aromaticis & nervinis, blandis opiatis* additis, tam internis quàm externis curanda. Si à *vitio hypochondriorum, per acidum absorbentia & opiata, item castoreata.* Sin *ab exiccatione* in febribus interne *mucilag. sem. cydon. cum sperm. ranarum extracta* est egregia. Externè *unguentum Zacuti ad hunc affectum*, *compositum ex unguento filii Zachariæ, unguento rosato, resumtiv.* ☋ *amygd. dulc. violar, & mucilaginib⁹ cũ lacte muliebri. Salivæ defectus* potu præsertim *vini* vel *cerevisiæ secundariæ* resarcitur: item *crystalli* frustula in ore circumacta salivæ copiam nonnihil provocant. *Assumta* externa pro sui varietate oppositis curanda, ut in illo *Hochstetteri* exemplo, propinata aceto strangulatio & faucium angustia sublata fuit.

Quoad res alienas deglutitas, sed intra Oesophagi superiorem tractum adhuc hærentes, ea quantocyus iterum artificiosè ex menda veniunt, vel ad ventriculum, si innocuæ sunt, detrudendæ, cui fini inservit vel *instrumentum Willis. Pharm. rat. vol.* 1. *p.* 45. *aut Hildani C.*1.*obs.*31. *Quòd* si verò foras denuo protrahenda res deglutita, vel *tussis*, vel *artificialis sternutatio* unà cum *rerum dulcium* plus minus lubricantium lambitione conveniunt. *Quòd* si his modis non succedat negocium, instrumentis res tentanda, in quem finem vel *forcipes rostris longis*, vel *instrumentum Hildani Cent.* 1. *obs.* 36. aut hujus succedanea *Cent.* 6. *obs.* 34. vel *candela cerea*, vel *spongiola cum filo*, item pro aciculis *hamulus. Hildan. Cent.* 6. *obs.* 36. adhibet *ol. amygd.* d. & *saccharum* in forma Electuar. ante pastum ut dolor per ☋ leniri, per *saccharum* verò ulcus forte præsens abstergi possit. *Quòd* si *aciculæ, vitri frustula, spinæ piscium*, aliavè acutiora per deglutionem in ventriculum penetraverint, opera danda, ut hæc sine noxa per inferiora tandem excludantur. In quem finem propinetur *puls* aliquanto spissior *ex oryza, vel milio, vel panico*, ita quidem, ut aliquandiu æger à potu abstineat, ut ita per hujusmodi spissiora involuta res deglutitæ acutiores sensim ex ventriculo per intestina ulterius promoveri queant.

In Stomacho si fuerit vitium, *priori ex causa*, vel mala ejus methodicè curanda, vel *instrumento Willis. Pharmac. rat. vol.* 1. *p.* 45. utendum. Si *ex secunda causa carminantia* interna & externa propinanda, infra *de inflammatione stomachi* propinanda. Quoad *tertiam causam* stomacho gratis & acceptis insistendum, ventriculus nondum cogendus.

Depravata deglutitio, cùm quædam curabilis, quædam non curabilis sit, illa verò *nervorum ex vitio* speciatim oriatur, partim ex dictis pro suo loco dicendis curatio manifesta erit.

CA-

CAPUT V.

De
CHYLOSEOS LÆSIONIBUS.

DE *chylificatione* notum eſt, quod fiat beneficio *fermenti ſpirituoſi acidi*, à quo & diſſolvuntur & volatiſantur ſimul alimenta, quo motu alterantur, ita ut abeant tandem in liquorem plus minus ſpiſſum, lacteum, ſalſum, volatilem, temperatum, *chylum* dictum, ſub qua actione ∽us primarii efficientis mediante neceſſario organo acido eſurino locum obtinent. Hæc *chyli* productio *læditur*, quando vel *aboletur* vel *imminuitur* ut non ſufficienter aut nullatenus digerantur alimenta, aut inſigniter *depravatur*; Unde innumeræ fiunt alimentorum corruptiones. Depravationes hæ alimentorum alio nomine rectè *cruditates* dicuntur, quæ in genere ſunt duplices, *acida* & *nidoroſa*: in ſpecie ſunt innumeræ.

Acida eſt quando alimenta abeunt in ſuccum acidum plus minus viſcidum, nec ſufficienter attenuantur & volatiſantur. *Nidoroſa* quando eadem alterantur ita, ut abeant in liquorem ſaporis horridi plusminus putrilaginoſum. Hinc corruptionem nidoroſam optimè poſſumus intelligere, ſi conſideremus iſtos ructus, qui ex ovis frixis cum butyro à nobis comeſtis ſolent eructari.

In imminuta ergò *chyloſi* conqueruntur ægri de dolore ſtomachi poſt paſtum, item de ructibus etiam poſt 5. vel 6. horas ab alimentorum aſſumptione moleſtis, ſed genuinum aſſumtorum ſaporem adhuc repræſentantibus, adeſt appetitus, inflatio ſtomachi. Speciatim in talibus ſubjectis poſt paſtum adeſt phlogoſis, quæ ſemper ortum habet ex ſtomacho, eoque præſertim muco copioſo acido onerato. Conqueruntur etiam ſubindè de difficili reſpiratione, quando dorſo incumbunt, item matutino tempore os muco plenum obſervant, qui revera ex ſtomacho videtur adſcendere, cum per incubationem quaſi regurgitat, ſicque tempore matutino excernitur. Vitium *digeſtionis depravatæ* teſtantur imprimis ructus, in cruditate acida habent acidos, it. copioſos flatus, & quæ rejiciunt aut arte, aut natura per vomitum, ſunt viſcida & pituitoſa, ſaporis plusminus acidi, alvus ſubinde contumax.

Cruditas nidoroſa ſuggerit ructus fætidos, aut ſaltem horridos, ſimiles illis, qui elevari ſolent poſt ova frixa aſſumta, matutino tempore ſaporem peregrinum in ore accipiunt, quem non poſſunt ſufficienter explicare. Quæ rejiciunt

ciunt vomitu, sunt liquida, subflava, aut insipido-dulcia, aut ex amarore dulcescentia: alvus plus solito aperta esse solet.

Causam chyloseos ut Veteres manciparunt calori, ita in ejus læsionibus accusârunt calorem debilem stomachi, sive intemperiem ventriculi frigidam, & hanc nunc simplicem, nunc cum intemperie epatis calida conjunctam. Sanè lectio frequens Practicorum modernorum inprimis Italorum & Gallorum vos docebit, quod hi omnes accusent inæqualem intemperiem stomachi frigidam & hepatis calidam. Verùm hâc in parte laudandus *Helmont*, qui prius caliginem discussit, & calorem non effectivè sed dispositivè digerere statuit, quando potius fermenta & fermentationum læsiones ceu causas proximas digestionum læsarum introducit.

Chyloseos ergò *læsæ causa proxima* erit vel in *fermenti* stomachi vitio, vel in vitio *alimentorũ assumtorum*. In *fermento* quidem; quando non potest sufficienter digerere; aut quando non legitimè digerit, sed potius alimentum depravat. In *alimentis* erit causa, quando eadem digestioni sunt inepta; aut quoniam peccant *quantitate*, dum sunt nimis vitiosa & digestioni inepta.

Hæc ut pateant, inprimis fermentum stomachi deficiens, spirituum animalium vel defectu, vel ad alias partes impetu, frustratur chylificationem: Hinc debilitati ut minus appetunt, ita minus etiam digerunt, spirituum defectu, aut quod in loco dolente, v. g. Nephritici; aut gravioribus animi perturbationibus quasi præoccupati, minus aut planè non digerunt.

Deinde id fermentum digestivum non satis volatile, sed acidius à peregrino acore in stomacho corruptum, ut fit in hypochondriacis & scorbuticis, dissolvit quidem promtè alimenta, sed eadem non debitè fermentando, nec debitè volatilisat, sed nimio acore ead. in massam vitiosè acidam transmutat: undè inprimis cruditas acida provenit; sicuti ex ipsius fermenti defectu, speciatim acidi esurini inertia, cruditas nidorosa solet supervenire, ad quam ipsam interdum confert perversus *bilis* motus, in stomachum per pylorum aliquantulum regurgitans. Ab hujus enim ⊖le volatili ℞lo alteratum fermentum digestivum itidem cruditatem nidorosam subinde infert. Par ratio est *pinguium*, obtundendo efficaciam fermenti digestivi, promte cruditatem nidorosam contrahentium. Quod si eveniat, ut quacunque occasione reliquiæ ex præviis digestionibus vel rugis stomachi firmius affixæ sint, vel intra ejus cavum etiam copiosiores aut parciores ut plurimùm pituitæ viscidæ aut acidæ sub forma hæreant, & harum præsentia impeditur fermenti activitas, cessat appetitus, deficit coctio.

Verum in unoquoque subjecto peculiaris est fermenti digestivi varietas, tàm in specie animalium, quàm in unoquoque individuo humano, ratione cujus fit, ut non

ut non tàm appetitus variet, sed etiam ut ipsa variet alimentorum digestio, ita ut ea, quæ unus appetit avidè, & hinc facilè digerit, alius respuat. Appetitus est index, qui monstrat assumenda, quæ facilè assumuntur, facilè digeruntur, quoniam tantùm appetuntur ea, quæ sunt appropriata vel amica fermento stomachali, & quæ consequenter facilè dissolvuntur & fermentantur. Hoc nobis inculcat *Hippocrates in aphorismis*, dum dicit: *Consueta, licèt deteriora, insuetis licèt melioribus esse præferenda.* Siquidem per consuetudinem fermentum digestivum qs. modificatum est, ut ad consueta saltim alimenta magis appropriatum reddatur. Hinc ii, qui certa quædam nonnunquam abhorrent, incipiendo à minimâ dosi, & successivè adscẽdendo ead. sibi familiarissima reddunt; qua ratione & venenorum victui quidam assueti dicuntur, quoniam fermentum stomachi successivè alteratum, talia olim hostilia tanquam amica facilè arripit.

Quod attinet *vitium chyloseos alterum ex alimentis assumtis*, frequentior hic causa est, quando copiosè nimis ingeruntur, & varia nimis assumuntur. Plura enim non possunt digeri, quoniam unumquodque menstruum fermentativum proportionem requirit debitam, in quod agere debebat. Si ergò nimia alimentorum *quantitas* ingeratur, obruitur in tantum fermentum, ut eadem nec dissolvat sufficienter, quoniam non est sufficiens, nec convenienter fermentando volatilisat; unde assumta loco chyli in forma pastæ crudæ acidæ remanent.

Præter *quantitatem* inprimis etiam *varietas* ciborum turbat digestionem, utut enim magna, adeoque alcahestica sit fermenti stomachalis potestas, quatenus semel varios cibos possit dissolvere & fermentare, certum tamen est, quod tam per consuetudinem, quàm per idiosyncrasiam magis determinatum sit ad hunc, quam ad alium cibum. Si ergò varia ingeruntur pinguia cum acribus, acida cum dulcibus, & quasi quadrata cum rotundis, certum est, quod fermentum dum promtius agit in unum quàm alterum, non leviter vitietur digestio, ac plura relinquantur cruda. Hinc cùm ea, quæ non ritè digeruntur, vix nec absque difficultate per pylorum transmittantur, inde copiosus mucus obruit ventriculum, ac ulterius vitiatur chylôsis.

Quoad *qualitatem* ciborum etiam delectus habendus est. De *Pane* tantùm loquor, qui utut ex omnib⁹ alimentis nobis sit familiarissim⁹, tamen ut omnis repletio mala, ita panis pessima, quia nimius exindè acor assumta omnia imprægnat, & quia panis motus fermentativus est nimius, impeditur coctio, quatenus illius ratione non alteratur chylus in salsum: hujus v. ratione non subigitur debitè, & in subjecto tali debitam vitalem crasin s. characterem à fermento digestivo recipere nequit, impeditur adeoque notabiliter digestio, quin pasta viscida & cruda relinquatur subinde in stomacho. Ex hoc etiam decidendum est, quare quidam vinum copiosius ferre queant, alii minus, nempe quorum volatilius ac subtilius, adeoque minus potens est fermentum digestivum, ut v. g. in pluribus literatis,

Hi utplurimum læduntur à vino, hujus acido prævalente acri fermentativo ∿oſo, unde in talibus æſtus facilis ab acido, ebrietas à ♀re, hinc plures hypochondriaci, item cordis palpitationibus laborantes tardius inebriari ſolent. *Potus nimius* turbat quoque digeſtionem, quoniam I. nimis diluitur fermentum ∿oſum digeſtivum. II. Quia nimiam fluctuationem alimentorum in ſtomacho facit, quæ nonnihil fermentativum motum impedit. III. Quia tonum ſtomachi lædit, eundem diſtendit, ejusque fibras tam flaccidas reddit, ut digeſta licèt, non adeò commodè per pylorum poſſint expelli.

Ex dictis patet, quid habendum de *Veterum intemperie inæquali, in qua reverâ nihil aliud ſubeſt, quàm acidum vitioſum in ſtomacho.* Preſſius jam paulò & accuratius *cruditas nidoroſa & acida* conſideranda venit: *Acida cruditas* in acido plus minus viſcido digeſtionis defectu enato conſiſtit. *Nidoroſa* verò *cruditas* nihil aliud quàm putredinis inchoatæ ſpecies eſt. Poſterius hoc ut pateat, obſervetur I. *Cruditatem nidoroſam* contingere in febribus, præſertim acutis, in quibus fermentum digeſtivum ejusque debitus acor deficit, unde appetitus ceſſat, & alimentorum nauſea ſupervenit, & cereviſiæ conſuetæ lupulatæ ceu nimis amaricantis horror adeſt; acidisècontra delectantur. III. Oriri eandem frequentius *à pinguibus ∞ſis fixis* fermentum digeſtivum & ejus acidum plus minus obtundentibus, in ſpecie ab ovis, lacte & lacticiniis, ∞ſis &c. III. Quando aſſumta quælibet in ſtomacho diutius morantur ſive retinentur, rectè ob id monet *Helmont.* non putandum, quod chylus vitri inſtar in fornace ſubindè excellentius coquatur, quo diutius, ſed morâ nimiâ alienatur & corrumpitur. IV. *Nidoroſa cruditas* emergit ex *horæis fructibus*, facilè putreſcibilibus, undè poſtmodum *Diarrhœa* &c. V. *Dulcia* quæ ſub diurno calore ad amaritiem prona ſunt, v. g. paſſulæ, glyzyrrhiza eadem in ſtomacho facilè cruditatem nidoroſam contrahunt, ſub qua amareſcunt, ſive, ut aliàs dici ſolet, bileſcunt. VI. *Cruditatis nidoroſæ* præſentis ſunt ſigna ructus, de quibus ſupra. Sic ægri: **Sie haben einen wunderlichen Geſchmack/ es ſteig ihnen auff/ wie faul Holtz oder faule Fiſche: Es ſteig ihnen auff gantz bitter und eckelich.** Ex his præſuppoſitis verè ſequitur fieri *cruditatem nidoroſam*, quando fermentum ſtomachi vel deficit, vel ab abſumtis plusminus tendentibus ad diſpoſitionē putredinalem, pro natura aſſumtorum ſc. vel animalium vel vegetabilium ordinario facilè putreſcibilium. Unde pro putredinis natura alcali emergens, agens in pingue, ſaporem tetrum, vix explicabilem, ſubinde amaricantem repræſentabit. Præ cæteris hoc illuſtrant ova, quibus vix citius quemcunque nidorem contrahere obſervatur. Hinc etiam eadem ad duritiem cocta brevi poſt tamen nidorem eructant. Deinde facillimè ova frixa cum butyro; alcali nempe ovorum copioſum agit non ſolum in proprium ∞, ſed ſimul in abundantius adjectum butyrum, unde & hujus additi ratione & acidum ſtomachi magis obtunditur, adeoque ejus activitas hinc

enervatur.

enervatur: Ita simul parili ex ratione & nidoris vis intenditur. Hinc tetri ructus erumpunt, qui indicant quidem inchoatam fermentationem, sed depravatam & in ipsa actione ex inertia fermenti digestivi deficientem. Unde ex putredine contentorum ructus tales tetri oriuntur. Accedit pylorus in furorem actus, qui portas transitus claudendo, irritatus ab hostili contento, dicta digerendo retinendo, magis magisque eorum putredinali corruptioni occasionem præbet.

Quoad *Prognosin*, certum est, in chyloseos læsione consistere fundum quàm plurium morborum chronicorum. In specie sitis certi, quod ex *cruditate acida* & ejus variis differentiis oriantur omnes *febres intermittentes, malum hypochondriacum, passio colica*: Item quod similis acor, in stomacho vitians alimenta, sit partim origo, partim fomes *morborum cutaneorum*. In genere omne *acidum vitiosum* in corpore oberrans fundamentum habet in *vitiosa digestione* ex corruptione acidi. *Arthridis* ipsa ex hac *acida stomachi cruditate* primos habet natales, ac *omnes chronici morbi* ex viscerum obstructione vulgo derivati, ex hoc *acore vitioso stomachi* originem habent.

Quoad *Curam*, impossibile est arte promovere vel instituere *chylosin*: Est enim opus simpliciter naturæ & dos vitalis fermentorum. ob id adjuvemus saltem naturæ opus: I. *Impedimenta quæcunque removendo*. II. *Aromatibus volatilibus* stomachum extergendo & acrioribus eundem quasi irritando. III. *Acidis blandioribus* stomacho gratis ejusdem tonum & euphoriam conservando.

Ut ergò *removeantur impedimenta*, siquidem hæc in materiali vitio consistunt, removenda sunt vel *vomitu* vel *secessu*. Equidem *vomitoria* inprimis *antimonialia* hic optima. Inter *purgantia M. P. de hiera c. agario.* in subjectis paulò robustioribus conducunt; Hinc *pilulæ mastichinæ* ceu stomachis appropriatæ. item *pilulæ de aloephangin.* ex aromaticis paratæ uno alterove grano *scammonii* acuatæ, conveniunt, detergendo sordes mucilaginosas stomacho adhærentes. v. g.

♃. M.P. aloephangin. gr. xv.
Scammon. ♀rat. gr. ij.
Extr., troch. alsand. gr. ß. c. s. q. Tinctur. ♀. F. Pilulæ.
S. Laxirende Magenpillen.

Vel hæ ipsæ *aloephanginæ* ad imitationem *Zvvölfferi* correctæ & paratæ stomacho conducunt, & in hunc finem, *impedimenta* nempe ventriculi *removere, pilulæ usuales* in morbis chronicis adeo usitatæ sunt vel qualibet septimana semel una alterave hora ante prandium, vel quovis menstruo spatio semel usurpandæ ex basi *aloës* confectæ, ut harum ope maturæ sordes primarum viarum removeantur. Alii non incommodè *cremorem* ♀ in hunc finem adhibent, à ʒß. ad ʒj.

in juſculo carnis vel pulli benè calido horâ unâ alterâve ante prandium quavis ſeptimanâ ſemel uſurpando.

Quoad *aromatica* in chyloſi læſa convenientia, conveniunt inprimis *ſem. 4. calid. majora*, & hinc zingiber cujus egregium uſum in cruditatibus ſtomachi & primarum viarum pluribus confirmat *Platerus in obſerv. Nux moſchata* quidem etiam non eſt inelegans, ſed quia nimis oleoſa eſt, potiùs aliis utimur. Hinc cæteris palmam præripiunt *abſynthium, acorus, roſmarinus, lign. ſaſſafras.* v. g.

℞. *Elix. menth.* ℥iij. *aq. cinam.* 🜍*os* ℥vj. *M.* In fine cujusvis paſtus cochl. j. vel ij. capiarum. Conducit etiam *eſſentiam piperis* cum 🜅 ♀*iſato* parata. Hinc *Elixir. Prop.* cum & ſine acido. *Elixir.* 🜖*li Mynſ.* à guttis xx. ad xxx. eſt egregium. Aut fiat *vinum medicatum:*

℞. *rad. Helen.* ℥vj. *Zingiber. vel Zedoar.* ʒiij.
herb. menth. criſp. abſynth. an. Mj. ſem. aniſ ʒß.
cinam. acut. ℥ij. Inciſa & contuſa includantur nodulo, vel in eodem ceu vehiculo 🜍 ⊖*is* dulcis gtt. xv. ad xx. aſſumantur. Facit huc etiam ⊖✱*cum*, inprimis *in vino abſynth.* aſſumtum, vel etiam in vino *infuſionis lign. ſaſſafras*, it. ♀*us* 🜖*latus* ad imitationem *Tachenii* paratus. it. ⓓ 🜖*latum* &c. cum *aromaticis* miſtum uſurpari poteſt. *Ambra* optimè convenit ſenibus in vitio digeſtionis primæ, ſi cum ſaccharo in formam ♁. redigatur, ſive ejusdem *eſſentia* cum 🜍*tu menthæ* ſive *meliſſæ* crebrius adhibeatur.

Poterius in uſu habuit *ſpecificum ſuum ſtomachicum*, quo plura præſtitit in ſuis ægris. Deſcriptio nullibi proſtat. Probabile eſt, quod fuerit remedium ♁*iale* ex *regul.* ♁*ii* ♂*ial.* paratum ad imitationem ferè ♁*ii diaphoret.* Ad *ſpecifica ſtomachica* pertinet & *herba Thee*, non tantùm *ſtomachum* roborans, ſed & à *calculo* & *arthritide* præſervans, & *capiti* inprimis conveniens, præſervat ab *ebrietate*, & *ſomnum* arcet, & *ſtomacho* inprimis confert. *Uſus* eſt, ut foliorum, quantum pugillus magnus capit, ebulliant in 🜄 ſimplici fervida, tantillo ſacchari addito, decoctum & colatum bibatur calidè, ac talis unus pugillus pro terna ad minimum vice ſufficit.

In ſpecie quoad *cruditatem nidoroſam* ceu *incorrigibilem*, id quod corruptum, *evacuandum eſt.* Convenit autem *Rhabarbarum* & *Tamarindi*, pro ejus vel aliquali correctione *cremor Tartar.* cum *coralliis rubris*, 🜍 ⊖. *dulcis*, 🜍*aticum rubrum c. ebore ſine* △. *it. conſerv. roſarum* 🜖*lata. Cruditatem* verò *acidam* corrigunt *Tinctura* ♀. acris, *vinum & cerevifia abſynth.* infuſum *radicum armoraciæ*, 🜍. *& eſſentia menthæ*, 🜍 *piperitidis*, per quam egregius eſt in corrigenda *cruditate acida*: ⊖ *abſynthii* cum *ocul.* ♋. & *coralliis.*

Inter *externa* conveniunt præſertim 🝆*a* quædam *deſtillata*, plus minus *aromatica*, ſpeciatim 🝆 *maſtichis flavum.* Item

℞. *ol.*

℞. *ol. stomach. Craton.* ℥ij.
destillat. menth. ʒß. *caryoph. Zedoar. an.* ℈ß. M. Illinatur stomachi regioni, applicando desuper laterem calefactum. Hinc *scutum stomachale de Styrace Hartmanni Praxi Chymiatr.* 262. Item *Empl. de Tacamahac. Schrod. Pharm. l.* 2. *p.* 201. *c.* 53. *N.* 18. Simile empl. habet *Mynf. Thes. p.* 504. Præterea *spongia vino generosissimo vel* ▽. *cui simplicia stomachalia* infusa fuerint, *impregnata*, stomachi regioni imposita sive applicata, idque calidè, itidem in usu est.

CAPUT VI.
De
ASSUMTORUM RETENTIONIS IN STOMACHO LÆSIONE.

PRimum vitium alimentorum *retentionis læsa* in stomacho est, quando copiosis *flatib⁹* distenditur ventriculus, & exinde turbatur ingestorum receptio, retentio, coctio. Affectus à flatibus distendentibus dicitur **Inflatio Stomachi**, qui, si flatus erumpunt cum sonitu, dicitur *Ructus*: sin copiosè, *cholera*. sic ea quorum affectus inter se parum differunt. *Flatus* hi si in stomacho retineantur, satis sunt molesti, adeò interdum, ut pessima inducant symptomata. Sic *Bartolin. Cent.* 2. *Ep.* 687. *Ep.* 81. refert, ingentem ventriculi inflationem in fœmina exinde pro gravida habita. *Si* in inflatione Stomachi erumpunt ructus, sponte sua se prodit malum, verum quando orificium stomachi sinistrum est occlusum, adsunt angustiæ in præcordiis, deinde præcordia sunt distenta, si tangatur locus præcordiorum, renisus quidam ibidem percipitur, ægri conqueruntur de difficili respiratione, cùm distento stomacho impediatur diaphragmatis motus, præsertim quando incumbunt supinati, quod in hypochondriacis frequens. Subinde quoque percipiunt flatulentias quasdam in stomacho, quando se jactitant ex uno latere in alterum, (seu ut describitur à *Foresto lib.* 18. *obs.* 39. *in schol.* gravitas & distentio quandoque non solum circa ventrem ipsum, sed extra totum pectus, aliquando verò retrò & juxta collum & dorsum ac ipsas vertebras irruit, sæpè autem utrinque occupat, aliquando verò tumorem circa os ventris efficit, ructus inanes fiunt, modicè alleviantes; & inhibitio flatuum, qui per alvum excerni consueverunt: Si verò ante perfectam restitutionem cibum accipiant, amplius membra ipsa inflantur, & cum dolore distenduntur.

Flatus omnes fiunt in stomacho per *vitiosam fermentationem*, factam ab *acido* ex & in materia viscida, crassa & pituitosa. Hinc est, quod Veteres dixerint, oriri flatus à Melancholia, unde & *Hypochondriaci* abundant flatibus, propter acidum fermentans materiam pituitosam. Dico

fieri in intestinis & ventriculo per fermentationem ex assumtis. Quod enim non insint assumtis, patet ex eo, quod duo homines iisdem alimentis utentes, eorum unus generat flatus, alter non. Ratio est diversitas fermentorum in ventriculo; unde *Hypochondriaci* & *hystericæ* ferè ex omnib. alimentis eliciunt flatus, quod alia subjecta non faciunt. Verum quidem est, esse multos cibos præ reliquis aptiores, ut ex illis generentur flatus: uti sunt *raphanus*, *allium*, *cepa*, quoniam tales sale acri volatili abundantes incidunt, attenuant mucilaginem stomachi, & postmodum cum acido concurrentes generant flatus. Nisi ergò occasione talium ingestorum nati sunt flatus, de subjecto materiæ viscidæ seu pituitosis humoribus confirmatur suspicio. Quod verò adsit in talibus talis mucilago acida viscida, experientia testatur, quia vomitu excernunt copiosa, crassa, ac tenacia plus minus acida. Rara est observatio quam habet *Rhodius Cent.* 2. *obs.* 52. de subitanea ventriculi & abdominis inflammatione ex esu piscium, post usum dicti chinæ.

Ructus ab *Helmontio* rectè statuuntur *quadruplices*: I. est *ructus acidus*, ut in Hypochondriacis & jejuno stomacho. II. *Ructus nidorosus*. III. *Ructus specificus* sive is, qui simplicium assumtorum saporem refert, v. g. post esum raphani. IV. est *ructus insipidus*, quando adsunt flatus sine determinato sapore. Interdum sed raro admodum observantur *ructus fœtidi*, qui sunt pessimæ notæ.

Flatus, si per se oriantur mali; unde etiam *cruditates* multæ ac frequentes minùs bonæ, sed si è *malo hypochondriaco* oriantur, ordinarium sunt symptoma. *Inflatio ventriculi*, quæ in convalescentib. fit, recidivam morbi prioris significat. Inflatio ventriculi, si diu duret, ad *Hydropem siccum, sive Tympanitidem*, ut vocant, disponit. *Ructus* qui rejiciuntur *fœtidi* sunt pessimæ notæ & à *Gabelchovero Cent.* 2. *curs.* 15. tanquam admodum funesti declarantur.

In *Cura* I. removenda sunt externa assumta, quæ occasionem mali suggerunt. II. Evacuanda materia viscida, pituitosa, in ventriculo aut primis viis hærens. III. Per medicamenta *aromatica, salina, volatilia, oleosa* discutiendi flatus, & temperandum acidum.

Ex *Purgantibus aloëtica* inprimis conveniunt, hinc & *pilulæ mastichinæ* ad ventriculum crebrius eructantem usurpantur.

Vomitoria si necessaria per se patent. Quæ alias conveniunt, sunt ulterius *Rad. Angelic. Gentian. Arist. rot. calamus arom. Galang.* exque his parata varia. *Chamomilla* tam vulgaris quàm Romana horumque *olea destillata* sunt optima. *Semina calida majora & minora*, horum *olea destillata*, vel eadem in vino bullita: *castorium* etiam, ejusque *extractum & essentia*. *Ambra* in ructu contumaciori optimum remedium cum saccharo ☿ veris in forma usurpatum

patum à *Zacut. Lusit. l. 2. prax. adm. obs. 7.* experta. *Species* omnes *aromaticæ* officinales hîc conveniunt. Sunt qui & commendant *talos leporis* aut *suillos* pulverisatos, C. C. *præparat. corall.* &c. Hęc nempe agendo in acidū flatuum efficiens tollunt. *Grana piperis 5. vel 6.* integra jejunè deglutita experimentum sunt *Riverii* ad ructus acidos *obs. 37. morborum infrequentium.* Ulterius *aquæ stomachicæ* usitatæ, tam *simplices*, quàm *compositæ*. *Syrupus baccarum lauri, vel juniperi*, de quibus *Horst. l. 4. obs. 4. & l. 5. obs. 2.* Q. E. *chammon. Rom. Bals. ♀. terebinthinat.* & *anisatus* in contumacioribus ructibus est optimus. ∽ ⦶. etiam perquam egregium est carminativum, præsertim si cum flatibus sit conjunctus ardor sive æstus, & inde natæ phlogoses, quæ solent oriri ex bile cum acido in intestinis concurrente, & vitiosè effervescente, in quo casu est singularis ∽ ⦶i, præsertim *dulcificatus sum ∽u anis. sive menthæ*; *absinthium* quoque sive *vinum absinthites*, quatenus corrigit causam materialem flatuum, conducunt. Conf. hîc *Sylvium in praxi*, ubi & *mistura polychresta contra flatus*; item ∽ *vegetab. compos. carminativus habentur.* Facit huc etiam observatio *Foresti l. 18. obs. 39.* ex usu ciborum multorum flatulentorum & potu musti ventriculi dolor intolerabilis cum ejusdem inflatione, ut tactu etiam sentiretur, curatus citò *per chamom. Rom. & vulgarem* concisis, addito momento *sem. anisi & carui* in cerevisia coctam, quam cùm bibisset, flatus copiosos per superiora & inferiora emisit, & ilicò sanatus est æger.

Externè olea tam *destillata*, quàm *decocta* aut *infusa* ex *carminantibus*; item *Empl. de bacc. lauri*, malaxatum cum *ol. absinth. menth. & juniper.* item *spiritus vini* infusionis aromaticorum, extrinsecè applicatus calidè, convenit. Notum est, quod omnis motus humorum per os sursum ex ventriculo fit præter naturam, cùm verò post ructum variæ res aliæ, sanguis, pus, acida, pilosa, &c. rejiciuntur, dicitur *vomitus*, cui motui alius adesse solet, qui dicitur *Nausea*.

Quoad *Vomitum*, hic revera *est nil aliud, quàm convulsio pylori & hinc totius ventriculi, concitata propter irritationem ejusdem gravem & nimiam.* Dúm enim pylorus fortiter se contrahit, fit, ut subitò sequatur motus totius ventriculi peristalticus inversus, qui à pyloro progreditur ad stomachum, idque mediantibus fibris tàm circularibus, quàm transversis, stomachi tunicas intertexentibus, post pylori constrictionem similiter constrictis. Hanc pylori & stomachi convulsionem sequitur similis gulæ convulsio, indeque omnium contentorum in ventriculo per gulam, & sic per os consequenter, protrusio; *Est* enim *pylorus*, ut inquit *Helmont. rector & præses retentionis in stomacho.* Vera esse, quæ modo dixi, confirmat ocularis experientia. Vid. *Olaus Rudbeck. in suis observ. Anaomt. Hemsterhusii messi aurea annexis observ. 20.* Confer; simul de modo *Willis in Pharm. Rat. part. 1. p. 38. sect. 2. c. 1.* ubi quo modo fiat vomitus explicat: Item quæ habet *Helmont. Tr. Pylorus Rector &c.*

G Præ

Præ cæteris dixi *Nauſeam*. Hæc vulgò dicitur laxatio nimia orificii ſuperioris, quod tamen omninò falſum eſt, quando potius pertinax & nimia ſtomachi, ſive orificii ventriculi ſuperioris clauſura eſt, id, quod revera *Nauſeam* conſtituit. Quando enim ex re moleſta irritatur ventriculus, & pylorus & ſtomachus ſe contrahunt, eſtque *nauſea*. Sin verò continuetur irritatio à re moleſta, prævalet tandem fortior pylori conſtrictio, & ſequitur ſic *nauſea cum vomitu*: Nam quod in nauſea ſit talis adſtrictio & anguſtatio ſtomachi, patet ex eo, quod *Nauſea* ſit revera *faſtidii ſpecies*: in omni enim faſtidio ſe contrahit ſtomachi orificium. Hinc eſt, quod in nauſea et ā, non ſecus ac in omni faſtidio, tam difficilis ſit deglutitio, dum boli deglutiti videntur hærere in gula, ac nolunt inferiora versùs deſcendere, propter ſtomachi conſtrictionem. Deinde quando comedimus nauſeantes aliquid, tunc ſanè poſt deglutitionē rei moleſtæ ſequitur ructus, non verò ante, quia nempe ſtomach⁹ antea erat clauſus, qui per intruſionem deglutiti aperitur, & hinc ſequitur ructus. Hinc eſt, quando audimus res horridas, aut olfacimus res ingratas, quod hoc ipſo nauſeamus, dum totus ventriculus & orificia ſe contrahunt; Imò ſi nauſeantibus rem ingratam intrudas, hoc ipſum ſæpius per vomitum regurgitat, antequam ventriculum intret, ex pertinaciſſima ſtomachi clauſura. *Eſt* igitur *Nauſea ſtomachi quædam conſtrictio, reſpuens rem ingratam*: Sicut *in vomitu eſt pylori contractio convulſiva*, quam ſequitur totius ventriculi ſimilis convulſio. Patet ex dictis, vomitum referendum eſſe inter actiones non voluntarias, adeò ut rarum ſit vomitus voluntarius, quale exemplum memorat *Bartholinus C. 1. hiſt. 39.* & in his voluntariè vomentibus videtur eſſe ſimilis conſtrictio, atque in hominibus ruminantibus, de quo vid. *Bartholinum Cent. 5. hiſt. 16* nempe in his ruminantibus ventriculus eſt ſolito fibroſior & carnoſior, ut quaſi veſtimento muſculoſo ſit indutus, ratione cujus, tanquam per muſculos, voluntariè movetur ſtomachus, & fit regurgitatio cibi in os per ruminationem, aut voluntariè rejiciuntur penitus per vomitum.

Quicquid igitur vehementer irritare & moleſtiam creare valet ventriculo, cauſa eſt *nauſeæ & vomitus*: Talis enim moleſtioris impreſſionis occaſione, in nervos & fibras nerveas factæ, ventriculi concitatiori impetu elaſtico moventur ~tus ad dicta loca, unde ſupervenit convulſivus ſtomachi motus.

Irritatio talis eſt vel *per eſſentiam*, vel *per conſenſum*.

Per *eſſentiam* ventriculus laborat, quando humores aut excrementa acria in eodem ſubſiſtunt, aut ex internis, in ſpecie ex duodeno, ratione ductus pancreatici & bilioſi, in ventriculum regurgitant; quando idem eſt inflammatus, aut exulceratus: In omnibus enim his caſibus ventriculus facilè irritabilis eſt, ut ob id facile ſequatur vomitus, & propter talem ſuccorum quorumvis, ſpeciatim ſalivæ acrimoniam irritantem vomitus ſæpius adeò pertinaces infeſtant ſcorbuticos.

Cæterum

Cæterum quando *diuturni* sunt *vomitus*, aut *continui*, ita ut nullis cedere velint remediis, vitium sæpe est in pyloro, ita ut hic omninò vel occlusus, *Cent. 1. hist. 20.* Item *Bartholinus Cent. 6. hist. 47.* ex pyloro callo obducto vomitus continui. Item *Barbette in Praxi. l. 4. c. 2.* ubi vomitus continuus lethalis ex *corruptione & sphacelo pancreatis.* Item *Panarolus Pent. 1. obs. 44.* Vomitus contumax lethalis ob *pancreas lapidosum.* Item *obs. 43.* Vomitus quotidianus & mors ab *herpete ventriculi*: Quibus adde *Rhodium Cent. 2. obs. 63.* Fit etiam ut in principio *febrium intermittentium* fit vomitus, dum scilicet *succi pancreatis & bilis* in intestinum duodenum effusi, impetuosius & præteraturaliter effervescendo, pylorum irritant vicinum, ut irritatus vomitus inferat. Pertinent huc *assumta* quæcunque *stomacho inimica & ingrata*, sicuti videmus, tantillum odoris ♁ialis, quod imprægnat vina emetica, stupendos inducere vomitus. Faciunt huc etiam *pinguia*, aut crebrius aut copiosius assumta, idque duplici ratione: Pinguia enim, ceu difficillimè digestibilia, reluctantur fermento acido salino, unde non leves inferunt molestias, gravantque stomachum; Præterea orificium superius laxant, unde, dum ex irritatione supervenit pylori constrictio, facilè ex *laxitate stomachi* supervenit *vomitus.*

Vomitus per consensum est frequentissimꝰ, uti notum est, quod adsit in passione colica & iliaca, propter consensum continuitatis tunicarum, ventriculum & intestina componentium. Curabam aliquando Hypochondriacum, gravi dolore colico in hypochondrio sinistro afflictum, qui continuos vel vomitus, vel vomendi conatus patiebatur. Notum & Nephritide affectis supervenire vomitus, non secus ac cranii contusionibus, aliisve similibus læsionibus, propter membranas cerebri, stomacho & reliquis partibus, præsertim internis, plus minus continuas. Mulieres imprimis pertinaces patiuntur vomitus, tam quando virorum sunt cupidæ, quàm dum non ritè fluunt menses. Conf. hic *Hildan. Cent. 4. obs. 32.* Item *Deodatus in valetud. p. 172.* Item *Hoferus in Hernte Medico. p. 134.*

Differentiæ vomitus sunt, dum est vel *naturalis*, vel *artificialis*, medicamento scil. provocatus. *Naturalis* est vel *spontaneus*, vel *non spontaneus.* *Ille* est, quem instituit natura à materia vitiosa irritata; item qui oritur à vitio externo, nempe ab assumtis. *Hic*, sive *non spontaneus* est vel *morbidus* sive *præternaturalis*, quando ea vomuntur, quæ vomi non debent, v. g. sanguis; vel est *symptomaticus*, qui occasione alterius morbi evenit, ut in paroxysmo febrium intermittentium: vel denique est *criticus*, quo natura seipsam cum salute ægri exonerat.

Ad vomitum spontaneum salutarem referendi & ii, qui periodicè infestant nonnullos, idque ferè ex viscerum abdominis, ventriculo plus minus vicinorum vel connexorum vitio. Tale exemplum refert *Schenck. l. 3. obs.* dum quidam singulis mensibus per biduum bilem utramque & cum pituita conjunctam vo-

mere solitus, vitam ad multos annos produxit. Inprimis ii hoc malo vexantur, qui vitio splenis sunt affecti, ut observat *Forestus l.* 18. *obs.* 17. de quodam, qui circa lienem subinde dolebat, atque per certa intervalla humorem melanch. sæpe etiam atrum evomebat, idque certis ferè periodis. Vid. & *Borellus Cent.* 3. *obs.* 93. *p.* 270. 279. *Panarolus Pentec.* 1. *obs.* 22. Ubi habetur vomitus matutinus ordinarius, multa symptomata præservans. Item vomitus septennis salutaris in puella, ob mensium suppressionem. *Zacut. Lusitan. l.* 2. *Prax. admir. obs.* 13. de quodam, qui singulis mensibus duobus diebus 14. vel 15. libras per vomitum excernebat, humoris nigerrimi & pici liquidæ similis, qui exindè omninò salvus ad annum 80. perduxit vitam, & *observ. seq.* refert, quendam tribus quibusvis mensibus atrabilario vomitu periodico laborantem, usu chalybis curatum, apertis hæmorrhoidibus, per quas evacuabatur sanguis. Facit huc *vomitus studio prolectus* in hypochondriacis, si scilic. singulis mensibus, aut 6. septimanis semel largius vino se ingurgitant, & hinc vomitum artificialem instituunt: Notandum etiam venit, res, quæ vomitu rejiciuntur, interdum diutius in ventriculo hæsisse. Notatu dignissima est annotatio 6. *Kerkring. in spicileg.* de 10. ovis, postquam ultra 3. menses in ventriculo hæserant, integris & succiplenis rejectis.

Inter res varias, quæ evomuntur, etiam est *sanguis*, & speciatim *Vomitus sanguinis* sive *vomitus cruentus* dicitur, qui fit ex aperta quacunque ratione arteriolâ aut venulâ ad stomachum pertinenti, idque vel vitio suppressarum consuetarum sanguinis aliorumve humorum evacuationum, vel vitio splenis, ex aperto vase brevi, vel denique vitio pancreatis, in qua una alteravè vena à lympha ejus præternaturaliter acidiore exesa, non rarò vomitus sanguinis inducitur. Quoad evacuationes suppressas, notum est, quod occasione mensium suppressionis hi ipsi sub forma vomitus sanguinei rejiciantur. Exempla vide in *Ruland. curat. Emp. c.* 3. *cur.* 4. *Schenck. obs. l.* 3. Hochstett. *Dec.* 2. *cas.* 6. Quin & prægnantes ipsæ, ex mensibus retentis, interdum vomitu tali sanguineo affliguntur, idque ferè sine periculo. Est enim motus naturæ, quos non facilè licet alterare. V. *Salmuth. C.* 2. H. 54. *Schenck. l.* 4. *obs. de gravida.*

Ad excretiones tales suppressas pertinet etiam ulcus consolidatum: Siquidem ex curato ulcere antiquo tibiarum, vomitum cruentum observavit. *Rhodius Cent.* 2. *obs.* 65. Ex *Pancreatis vitio* subinde *vomitus* fieri *sanguinis*, patet ex eo, quod interdum sanguinem vomentes conquerantur de dolore profundo sub hypochondrio dextro, locum scilicet monstrant inscii, ubi inseritur ductus pancreaticus in duodenum, qualem sanguinis vomitum sæpius & puris vomitus sequi solet, ex pancreate exulcerato, vel per abscessum vitiato. Et tales vomitus pancreatis præ cæteris solet gravativus dolor concomitari in superiori lumborum loco, ubi situm est pancreas. Confer *Sylvium l.* 1 *Pr. c.* 15. Spleneticis valde familiares subinde sunt vomitus, tàm cujusvis materiæ, quàm in specie sanguinis,

guinis, nempe splen nonnihil infarctus admittit per arteriam splenicam sanguinem, qui tamen non potest propter obstructionis impedimentum, remeare convenienter ad venam splenicam lege circulationis; Impedito igitur sanguinis motu in arteria & vena splenica, stagnat quodammodo in arteria splenica, in specie circa vas ejus breve, ante nempe ingressum arteriæ in lienem, quod vas breve ad ventriculi fundum subrepit. Sub tali occasione stagnatio sanguinis impediti facta, per vas breve apertum sanguinem arteriosum in ventriculum, vomitu cruento rejiciendo, dimittit. Hinc sæpius ante vomitum sanguinis percipiuntur pulsationes circa dorsum propè latus sinistrum: Confer *Zacut. libr. 2. Med. Princ. Hist.* 10. ubi aliquot spleneticorum, sanguinis vomitu laborantium, prostant exempla. Item *Schenck. l. 3. obs.* Non tamen semper ex splene sunt cruenti isti fluxus, uti hoc communiter existimant, quin & *ex hepate*, citra lienis noxam, vomitus sanguinis fieri potest: de quo confer *Hochstetter. Dec. 1. cas. 5. p. 146.* Miræ sanè ut subinde sunt humorum metastases & translationes, ita & vasorum anastomoses & apertiones. Confer *de vomitu sanguineo, an ex splene, an ex hepate? Schenck. l. 3. observat. Thoner. observat. p. 140. Sennert. l. 3. pr. part. 5. sect. 2. c. 2. p. 507. Barthol. Cent. 3. Hist. 36. Cent. 4. hist. 60. Horst. l. 4. obs. 5.* Rarum est, quod *Riverius* refert *Cent. 4. obs. 26.* de rustico, qui cum aquam fluminis potâsset, ac simul hirudinem deglutivisset, hæc lateribus stomachi infixa, continuum sanguinis vomitum induxit.

Quoad *Prognosin*, ante omnia hîc considerandæ *causæ vomitus* cum ipsis vomendi conditionibus, ex quibus demum formetur prognosis. In genere vomitus omnis, si non nimius est, ut plurimum est salutaris. Is qui *à causa externa*, vel qui est à *mensibus suppressis*, qualis gravidarum vomitus: item vomitus *in principio morborum spontaneus*, non nimius, aut vomitus *in declinatione morborum criticus*, salutares potius sunt, quàm periculosi. *Vomitus lividus*, præsertim plus minus *graveolens*: item *vomitus vermium*, superveniens in *morbis*, præsertim *malignis*: item vomitus *humoris fusci* & *obscurè nigricantis*, mali, ut plurimum lethales. *Vomitus spleneticorum* tam cruentus, quàm non-cruentus, periodicus, nec nimius, est saluberrimus, cui supervenientes *hæmorrhoides* levamen morbi certum ac tutum afferunt. Excretiones sanguinis sursum & deorsum in *exanthematis*, *variolis*, *morbillis* &c. lethales, teste *Hochstettero Decad. 1. cas. 8.* Vomitus sanguinis *diurni* funesti.

Quoad *Curam*, in genere *causa occasionalis* sive *materialis* irritans quæcunque I. *removenda*. II. *Opiatis* tam acutus ventriculi, speciatim pylori sensus sopiendus, & nimius spirituum impetus, ceu causa efficiens formalis, sufflaminandus. III. *Aromaticis volatilibus* ventriculo gratis hic roborandus. IV. *Adstringentibus* admistis fibrarum tonus firmandus, & labefactatus restituendus.

Pro his scopis obtinendis observetur I. *somnus*, quantum fieri potest, concilietur, cùm motum humorum quemcunque, tam progressivum quàm intestinum sistat, adeoque & evacuationes quasvis cohibeat. II. in vomitu *scorbutico* calida & acria non conveniunt, quia malum exasperant; conveniunt potius mitigantia calorem & acrimoniam salis scorbutici, inprimis *lac caprillum* cum *succo nasturtii* & *cochleariæ*. III. Vomitum sanguinis *citò* compescere optimum est, aliàs ob copiosam profusionem sanguinis ac spirituum sequuntur lipothymiæ ac syncopes lethales. IV. In *vermibus* semper procurandus, ne alvus sit astricta, sed alternis ad minimum diebus, vel arte, vel naturâ alvi dejectio promovenda. V. A *veneno* si fit vomitus, non est sistendus, sed potius tamdiu promovendus, quamdiu aliquid veneni in stomacho latitare suspicio est: Hinc tamdiu continuanda sunt remedia, donec in ventriculo remaneant: Exhibentur optimè pro hoc scopo in forma *pilularum aloeticarum*. VI. *Clysteres* in omni vomitione utiles, si injiciantur pauca quantitate, ne pars coli ventriculo adjacens repleatur, ac fundus ventriculi comprimatur vel irritetur. Confer *Gabelchof. cent. 2. cur.* 43. VII. In *Nausea*, *inappetentia*, sive *anorexia* & similibus stomachi *humoralibus affectibus*, maturè hîc evacuandum, nec diu cum vomitoriis cunctandum, ne, præternaturalibus humoribus aliorsum raptis, frustra instituatur vomitio. Confer *M. A. N. C. Ann. 8. p. 71.*

Quoad *materiam medicam*, ista quæ causam irritantem removent, si *per essentiam* fit vomitus, sunt *vomitoria*, vel etiam *purgantia*: interdum ad modernorum imitationem cum parca opii dosi usurpanda; si verò *per consensum* fuerit, curato primario morbo, etiam curabitur vomitus.

Quoad *Opiata*, conveniunt *essentia opii. laud. Opiat. theriaca*, *extractum theriacale*, *syrup. papav. crocus*, tàm internè quàm externè adhibitus. Quoad aromatica ventriculo grata, conveniunt *mentha*, *absinth. radix zedoar. cort. citr. & aurant. caryophylli, nux moschat. macis*: Præ cæteris *cinamom.* Hinc *Elix. menthæ*, *syrup. de canell. Mynsicht.* item *Tinctura cassiæ lignæ*, item *decoctum Joelis* ad quemvis vomitum præstantissimum, ex *caryophyll.* & *mastich.* quod vid. apud *Sennert. l. 3. Pr. de vomitu p. 155.* (℞. caryophyllorum crassiusculè concisorum ℥j. mastich. ℥ß. rosf. rubr. p. j. simul mixta cum vin. rubr. ℔ß. coquantur in vase clauso ad medias. F. Potiuncula *Joel. p. m. 324.*) ulterius *spirit. theriacalis*, tam *simplex* quàm *camphorat. Elix. propriet. Par. Balsamus Peruv.* & ejus *Tinctura* ad imitationem *Willisii* parata. Hinc simplicium istorum *extracta* & *ol. destillat.*

Quoad *adstringentia*, excellunt *cydonia*, eorumque tam *succus*, quàm *caro*, *Syr. de rosf. sicc. Syr. corall. Querc.* hinc *acetum zedoar. decoct. & extract. rad. Tormentill.* 🜔 *vitrioli*, præsertim ♂*tis*, qui simul blandè adstringit, & vel hujus, vel 🜔 ⊕ beneficio ex *terra sigillata* paratus *liquor stipticus*, item *Tinctura* ♂*tis*

♂tis adstringens, alumen misturis additum &c. *Conserv. ros. menth. ⊕lata*, haustus *vini malvatici* cum gut. v. vel vj. ⏜ ⊕*li* in vomitu *diuturno* admodùm convenit, inprimis experta est quorundam mixtura.

℞. aq. menth. ℥ij.
succ. cydon. ℥j.
aq. cinamom. ʒvj.
spir. Vitriol. gtt. v.
ol. cinam. gtt. iij.

M. capiatur cochleatim, cui interdum gr. j. vel ij. laud. opiat. addi possunt. Alii v. recipiunt.

Expertus etiam est bolus in Vomitu, singultu & similibus:

℞. Theriac. ℥ß.
ol. destill. macis gtt. ij.
laud. op. gr. j.
cum succ. cydon. F. Bolus.

℞. aq. Cinamom. ℥iij.
syr. menth. ℥j.
ol. Cinamom. gtt. iv.
spir. ⊕li rectif. ℈ß. M.

Vel ℞. syrup. menth. ℥j.
aq. cinamom. ʒiij.
ol. cinam. gtt. ij.
spir. ⊕li gtt. iij. M.
Capiatur cochleatim.

Vel ℞. aq. menth. ℥ij.
cinamom. ℥ß.
spir. Vitriol. ℈ß.
ol. destill. macis. gtt. vj.
sal. alumin. gr. iv. M.

Vel saltem hæc simplex formula:

℞. aq. menth. ℥iij.
spir. Theriac. vel simpl. vel camph. ʒjß.
laud. opiat. gr. ij.
succ. vel syrup. cydon. ʒvj. M.

In *vomitu*, præsertim *febrium malignarum*, remedium elegans est *sal. absinth.* ℈j. cum cochleari *succi limon.* mistus. vid. *River. Cent.* 1. *obs.* 15. & *C.* 2. *obs.* 99.

Inter *externa* vomitum sistentia sunt ☍ *N. M. expr.* tanquam corpus omniumm oleorum destillat. *carui, caryophill. macis, menth. zedoar.* in forma balsami vel litus applicati: *Bals. Peruv. ol. stomachale Cratonis*, cum istis destillatis subactum. Item *Empl. de Caranna* malaxat. cum *bals. Peruvian.* & *ol. destillat. menthæ* irroratum. Quò facit *Empl. Barbette* in sua *Praxi*, ubi *de Vomitu pag.* 158. *vel* 135.

(℞. specier. aromat. ros.
mastich. el.
ol. Nucistæ expr. ana ʒj.
still. macis
citr. ana ℈ß.
gummi carann. q. s. M.
F. s. a. Emplastrum Auff den Magen zu legen.

Deckerus ibid. hoc addit:

℞. pulv. menth.
ros. rubr. an. ℥j.
mastich. ʒj.
Nuc. Moschat. N. iij.
caryophyll.
macis.
cinnmom. an. ℥ij.
ferment. acerr. ℥vj.
cum s. q. acet. rosac. M. F. Empl.)

Theriaca

Theriaca etiam cum *balf. Peruv.* subacta vel in forma litus inungitur, vel aliter inducta emplastri forma admovetur: *frusta panis* sive *panis tostus* in *aceto* maceratus, hinc pulveribus aromaticis, *caryophyll. cinam. macis* &c. conspersus, calidè applicetur. *Sacculus croci* applicatus, de quo vide elegantem historiam *Baconis in Histor. vitæ & mortis p.* 120. *Fotus* pariter ex *decocto absinth. menth. mel ſſ.* in vino vel aceto commodè applicatur. Usitatum denique est *cataplasma de fermento Mynsichti*,

Vel ℞. ferment. acerrim. ℥iv.
pulv. menth. ℥j.
zedoar. ʒvj.
Nuc. Mosch. N. iij.
macis. - cinamom. ana ʒij.
acet. rosac. q. s. F. cataplasm.
applicandum Ventriculo in vomitu nimio.

Hæc quidem *in genere* de vomitu curando: *In specie* tamen considerandum, quis & qualis vomitus curandus, in hunc finem:

I. *Artificialis* vomitus non est curandus, nisi per accidens sit nimius, tunc enim supprimendus. II. *Spontaneus* non est curandus, qui fit cum euphoria ægri, quicquid etiam rejiciatur, nisi sit nimius, adeoque debilitetur æger, vel nisi atonia stomachi ex crebriori vomitu metuenda sit; tunc enim curandus, causam irritantem removendo, aut ejus genesin præcavendo, aut genitam alibi revellendo & avertendo, per V. S. hæmorrhoidum, per hirudinum applicationem, apertionem. III. *Non spontaneus criticus* non curandus, nisi quod rarum, sit nimius, tunc enim ut vomitus artificialis, sistendus. IV. *Non spontaneus symptomaticus* curandus est, observando præprimis, an sit *per consensum, vel per essentiam*. Si *per consensum*, primarius morbus, quantum possibile, curandus est, *observando præprimis* interea, ne alia mala à vomitu excitentur, *opiatis* irritatio stomachi sistenda, vel acutus stomachi sensus leniendus, & appropriatis roborandus; v. gr. Si ex *Nephritide*, à *capitis vulnere*, æger sæpius vomat, una cum primarii morbi curatione, misturis *aromaticis*, cum *opio* aut *papaverinis* mistis, nimius vomitus nonnihil compescendus. Sin verò *per essentiam* sit vomitus, considerandum, an vitium sit in ejusdem fibris, à nervis, supra modum undecunque irritatis, vel in ipso ejus corpore, quando exulceratur, excoriatur &c. an verò vitium consistat in causa quadam materiali sive occasionali, eum plus minus irritante. Hujus ratione consideretur, an sit *per protopathiam*, an verò *per δευτεροπάθειαν*, hoc est, an causa peccans materialis in eo generetur, an verè aliunde deferatur. Sin vitium est in ipso stomacho, hoc debitis modis curandum, & sensus acutior *opiatis* sopiendus. Sin *causa materialis* occasionem suggesserit, sive humor peccans fuerit, sive fermentum saltem peregrinum, adeoque vitium, vel

vel in stomacho generatum, vel in eo radicatum, adeoque per πρωτοπάθειαν; tale vitium materiale vel corrigendum, sive eliminandum: Hinc *opiatis* & appropriatis *aromaticis*, plus minus *adstringentibus*, ventriculo succurrendum, & ulterior generatio præcavenda. Sin v. per δευτεροπάθειαν fit malum, & aliunde transmissa materia peccans; hæc vel corrigenda, vel per alvum evacuanda, vel alibi avertenda, qua ratione gravidis nimium vomentibus venæ sectione in brachio interdum succurrimus.

Non spontaneus morbidus omnino quocunque modo curandus, v. g. sanguinis vomitus, causæ etiam ejus solicitam habendo rationem. Confer hic pluribus *Willis Pharm. rat. vol.* I. *pag.* 76. *& seqq.*

In specie *vomitus artificialis* est sistendus, v. g. post assumtum vomitorium, vehementius aut diutius ægrum vexans; cõvenit fotus externê calidus adhibitus, ex *absinth. menth.* & *aromatibus* sacculo inclusis, in vino decoctis applicatus: Item haustus *vini generosi*, non nimis frigidi, supervomitiones s. hypercatharses ab antimonialibus sistit. *Theriaca* etiam, si vires ferant, aut pilula unica *laud. opiat.* aut parum *essentiæ opii*, in *Elixir menthæ* propinati. Præsentaneum etiam remedium dicitur *potus lactis, cum pane coct.*, aut *panis vino generoso acido* intinctus & comestus. *Clyster* itidem *ex lacte*, in quo *theriaca* dissoluta, injiciatur: item *crusta panis tosta, vino generoso* imbuta, cum pulveribus aromatum inspersa applicetur. Si *nausea* aut *vomit*⁹ immineat *ab assumto medicamento vel ingrato s. fœtido*, convenit masticatio *corticum citri recent*: cui subinde de *pulpa* aliquantulum adhæreat, vel *panis tostus aceto intinctus*, & pulvere *caryophyllorum* inspersus, ori ac naribus admoveatur.

Morbidus vomitus inprimis est *vomitus sanguinis*: Hic consideratur vel *absolutè*, prout est excretio sanguinis simpliciter præternaturalis, vel *respectivè*, respectu causarum antecedentium, quæ sanguinem vel coacervant, vel sanguinem in specie ad ista loca diffundi faciunt. In vomitu igitur cruento curando, posterioris hujus ratione, causæ antecedentes removendæ, idque extra paroxismum, vel excretiones consuetas revocando, vel viscerum vitia corrigendo. Prioris ratione, idque inprimis paroxismo, sanguinis motus, ne nimis in ventrem effundatur, corrigendus, vel *revellendo* per V. S. vel *avertendo* per hirudines hæmorrhoidibus applicatas. Sanguinis vero jam effusi ratione, vasa *adstringentibus* coërcenda, & sanguis effusus, plus minus grumosus resolvatur & ejiciatur.

Inter *remedia*, quæ huc spectant, primatum obtinent *succus plantag.* & *portulacæ*, præ omnibus aliis *succus rad. urtic. maj. Syrup.* it. *de Symph. Fernel.* de quo vid. *Bartholin. cent.* 3. *obs.* 61. Sed expertissimum hoc in casu est remedium *Syrupus*, paratus *ex succis fol. plantag. & rad. symphyt.* quem non solùm commendat in *Phil. experiment.* ceu multiplici usu expertum, sed descriptio ejus videatur etiam in *Digby recept. vol.* I. *pag.* 175. Aliâs ad supprimendum sanguinem

guinem est optimū ☍ f. ⏜ ⊖-li, si nempe recipiatur *aqua plantag. vel urticæ maj.* & aciduletur f. q. ⏜ ⊖-li, ut fiat mixtura, ac ita successivè usurpetur, quæ, ùt dicit *Rulandus*, miraculi instar profluvium sanguinis sistit, quam etiam potionē plures alii autores admodùm laudare solent. Porrò *crocus ♂ adstringens, Tinctura ♂is adstringentes, Tinctura ♃is ⊖-li.* it. *terr. sigill. lap. hæmatites*, præsertim cum blandè acidis propinata: *Trochisci*, it. *de carabe & de terr. sigill.* sunt egregii. Unde ex his, cum aquis convenientibus dilutis, potionem expertam habet *Forestus in lib. 18. obs.* 18. quæ præmissa V. S. illicò juvit, adstringendo sc. & sanguinem concretum resolvendo, describitur etiam à *Sennerto l. 3. Prax.* ubi *de vomitu sanguinis p. 158.* ad hujus imitationem:

℞. aq. burs. pastor.
portulac.
plantag. an. ℥j.
acet. rosac. ʒiij.
trochisc. de carabe.
de terr. sigill. an. ʒiß.
syr. myrtin. ʒ vj. ad ℥j.

Sylvius misturam habet ad quamvis sanguinis excretionem admodùm proficuam *lib. 1. prax. c. 9. §. 20.* quæ prima fronte quidem non adeò conducibilis apparet, revera tamen, & quod ipse testor, admodum est proficua. Ad hujus imitationem ergò:

℞. aq. plantag. ℥iij.
cinamom. usual.
acet. destill. l. rosac. an. ℈iij.
corall. rubr. ʒß.
terr. sigill. gr. xv.
laud. opiat. gr. ij.
syr. myrtin. ℥ß.
M. capiatur cochleatim.

In hujusmodi misturis commodè & *oculi ♋.* possunt addi, quando nempe metus est coagulati sanguinis, adhuc in stomacho hærentis, aut etiam *sperma ceti* in jusculo calido dissolutum assumatur, ad dissolvendos sanguinis grumos, ubi fluxus ritè fuerit sedatus. Siquidem si post vomitum sanguinis sequatur color faciei citrinus, aut lividus, debilitas pulsus, aut syncope, aut stomachi inflatio, hæc ipsa ostendunt, sanguinem in corpore concretum, coagulatumque hærere.

Quoad *vomitum cruentum splencticorum*, cujus crebriores recidivas, & inde metuenda plurima mala, removent optimè *♂lia*, & hinc *absinthium.* Ad talem sanguinis vomitum, in quo copiosiore aut æger tandem deficit, aut viribus

bûs licet resumtis, in incurabilem ascitem delabitur, à talibus periculis *absinthium* ægrum vindicare potest; si à vomitu refectis, & utrunque reparatis viribus, multo tempore, quocunque libuerit modò usurpetur, inquit *Dodonæus in hist. stirpium p. 24. & in obs. p. 47.* suo consilio hujus usu quosdam servatos meminit.

Præmittenda tamen, aut subindè socianda erunt cordialia, pro curâ magis tuta ac fida. Externè ad vomitum cruentum *scutum ex theriac. cum croco aceto rub. idæi* irroratum convenit ex *Höchstet. dec. 2. cas. 5.* vel *panis tostus*, cui in *malvatico* vel *aceto intincto* sit adspersus *caryophyll.* ℥. autore *Hartm. Prax. Chymiatr. p. 177.*

Præter vomitum variorum excretorum, non rarò etiam ebulliunt præternaturaliter in stomacho contenta varia, unde percipitur *Dolor & Ardor Stomachi*, quasi copiosi fumi sulphurei per gulam adscenderent, malum hoc à primaria passione dicitur *ardor stomachi*, iis verò, qui germanizant, *Soda* vocatur. *Causa* est ab acido effervescente vitioso cum quodam salino oleoso. Salinum enim sive alcalinum & acidum, dum effervescunt, acorem inducunt, qui eò major, quò plus olei vel sulphuris adjunctum est. Unde ii, qui sunt *iracundi*, à quibus promtè acrior bilis ex duodeno in ventriculum regurgitat, obnoxii semper huic affectui, propter effervescentiam bilis cum acido stomachi, tunc temporis vitiosi, obortam. Item *hypochondriaci* plures, si assumunt *dulcia*, in specie *mellita*, aut *saccharata*, hunc ardorem incurrunt, quoniam dulcia, effervescendo & acorem nimium contrahendo, facilè has excitant turbas, imò etiam *aromatica & acria*, v. g. *allium & cepa* assumta copiosius, effervescendo cum acido, non rarò *Sodam* inducunt.

Facilè huic occurrimus, modò temperemus acrimoniam humorum effervescentium, aut invertamus acidum vitiosum per *absorbentia*. Conveniunt igitur *lapilli cancrorum, ebur ust. bolus Armena, corallia præpar. lapis carpion. cryst all. præpar. Lac.* ☽*æ*, speciatim *creta*. Hinc *morsuli ex Creta Mynf.* sunt expertissimi. Quibusdam usitatum est, *lateres pulverisatos* propinare, qui potenter præcipitant quamvis in stomacho effervescentiam. *Siliqua ceracea* comesta est egregia. *Syrupus ex summit. quercus*. Item *album græcum* sive *stercus canis* ossa rodentis &c. *Portulaca* item ejusque *succus & syrupus*, aut ipsa planta recens comesta experta est. Item *lapis prunellæ* in *aqua Sambuci* dissolutus. Item *cremor Tartari* ad ʒß. datus, quo ardor ventriculi jam desperatus fuit sublatus. Conf. *M. A. N. C. Anno 3. p. 386.* Quod si temperata sunt contenta, & sedata effervescentia, evacuanda veniunt per *decoctum aut infusum Tamarindorum*, vel per usum *rhabarbari*, aliorumve similium.

CAPUT VII.

De CARDIALGIA seu CARDIOGMO.

NOtum est, Ventriculum ex se nullo sensu nullaque molestiâ corpori esse molestum. Cæterùm non rarò contingit, ut in præcordiis, hoc est, ut explicat *Fernelius l. 4. de febb. c.* 10. regio circa ventriculum, diaphragma, jecoris cava, lienem, pancreas &c, in specie ventriculus, ejusq; superius orificium, adeoque in eâ regione, quæ costis nothis, anteriora versùs ad sternum se inflectentibus, circumscribitur, non rarò sint *anxietates*, non rarò dolores, ægris admodùm difficiles, & quidem si ægri conqueruntur de quadam circa præcordia sive ventriculi regionem angustia, sive non explicabili molestia illius loci, unde inquieti sunt, & hinc inde se movent in lecto, dicitur in specie

Anxietas. Sin vero dolor sit, qui in ista regione vehementer affligat, & cum ægri intento digito monstrant in fovea istâ, quæ dicitur scrobiculus cordis, se pessimè habere, vocatur *Dolor Stomachi*, seu *Cardialgia.* Anxietates illas optime illustrat vomitus imminens ab assumto vomitorio, qui uti maximè anxios reddit ægros. Es ist ihnen alles zu eng; es ist wie Himmel und Erden auff ihnen legen; es will ihnen das Hertz abdrücken; es sey eine rechte Todtes-Angst. *Cardialgiam* vero repræsentant dolores illi, qui post deglutitos grandiores bolos, aut duriora assumta, nos sensibilissimè & interdum atrocissimè affligunt, das Magendrucken. In utroque casu malum semper oritur ab affecto plus minus orificio ventriculi sinistro. Præsupponenda nempe hic sensibilitas hujus orificii, & inde nata proclivitas ad sui contracturam, variosque spasmos. Conveniunt adeoque, & differunt *anxietates & cardialgiæ, illæ* quasi vagæ; *hæ* fixæ. *Illæ* simpliciter ab irritante subindè, non commodè explicabili molestia: *hæ* à convulsiva constrictione. *Anxietates* istas dico *oriri* omnes, quibusvis in morbis simpliciter *ab affectis præcordiis*, seu speciatim vētriculo, uti non solum ostendunt angustiæ istæ, quæ vomitum præcedunt, sed & mulieres hystericæ subindè de gravissimis anxietatibus, von grosser Hertzens-Angst/ conqueruntur; In quibus simpliciter esse affectum orificium stomachi superius, testantur ructus subindè supervenientes, à quorum eruptione sensibile levamen percipiunt. It. *in febr.* v.g. *intermittentibus*, nunc præcedunt, nunc in ipso paroxismo affligunt anxietates multiplices, quæ quod sint ex stomacho, confirmatur ex eo, quod à frigido potu ordinariò insigniter exasperantur. *In febb. malignis* gravissimæ anxietates, quæ frequenter affligunt ægros, itidem reverâ sunt ex præcordiis. Etsi enim sudor videatur levare in talibus malum, tamen reverâ in stomacho est, & cessante sudore redeunt, nempe suppresso sudore effluvia ista, quo insensibiliter

aut

aut ſenſibiliter aliàs difflantur retenta, affligunt præcordia & membranoſas earum partes; undè anxietates. Parili ferè ratione atque in Diarrhæis, quo copioſiori diaphoreſi gaudet corpus, eò minor erit Diarrhæa; ſed quo minor eſt diaphoreſis,eò copioſior alvi fluxus. Porro eſſe anxietates ex præcordiis,oſtendunt graviſſimæ iſtæ præcordiorum anguſtiæ, & ſubinde lethales anxietates, cum hypochondriorum extenſione, præcurrentibus lipothymiis, ſudore frigido,&c. quæ ſuperveniunt interdum contorſioni vertebrarum. Hinc eſt,quod ii, qui cœnâ largiori ſe replent, noctem inſequentem inquietam patiuntur,dum hinc inde ſe jectigare ob anxietatem coguntur, ſaltim propter ſtomachum, ex nimia repletione malè affectum. Certi ergo eſſe poſſumus,quotiescunque ægri vel anxii ſunt, vel de anxietatibus conqueruntur, es ſey ihnen ſo angſt und bang umbs Hertz; ſemper vitium eſſe in ventriculo, ſpeciatim ſenſibiliſſimo ejus ſuriori orificio.

Cauſæ, quæ anxietates tales pariunt, ſunt nunc manifeſta acriora, vel ſtomacho hoſtilia aſſumta, ut Mercurius ſublimatus, Arſenicum, *lac coagulatum, fungi*,&c. nunc *alimenta* ſub digeſtione *corrupta*, ùt *fructus horæi*: vitiata nunc contenta peregrina,ut *flatus* & *humores æruginoſi*, nunc *fermenta* aliundè ſuſcepta,ùt in peſte,morbisq; contagioſis, nunc ipſi ventriculo impreſſum vitium, *inflammatio*, *eſchara*, &c. nunc nervorum vitia convulſiva, orificium ejus, aut membraneas partes vicinas inficientia, ut in ſupra dicta *vertebrarum contorſione*: Pro quarum cauſarum varietate etiam cura hujus ſymptomatis ſubindè varianda eſt, tàm in *morbi primarii* medela,quàm *Symptomatis urgentis* interdum per *opium* mitigatione.

Quoad *Cardialgiam*, regio ſtomachi, præſertim in ſcrobiculo cordis, Veterib⁹ vocata fuit *καρδία*. Quæ vox, utut propriè ſignificet *Cor*,at quia exinde lipothymiæ,ſudores frigidi,ac plura ſubinde ſymptomata oriuntur,propterea vocarunt hunc dolorem *Cardialgiam*, quaſi dicere velint, *dolorem Cordis*. Et quidem dolor iſte hujus loci admodum moleſtus, ac ſubinde, propter ſymptomatum gravitatem, toti corpori funeſtus eſt. Propter quam cauſam & *Helmont.* ſtatuit,ibidem ſedem eſſe animæ & duumviratum,hoc eſt,conſpirationem Lienis cum Stomacho,ceu ſede animæ, cujus duumviratûs jus ſe extendat ad quasvis operationes animales. Nobilis pars eſt hic locus affectus: nam leve vulnus, ſi attigerit hoc orificium ſiniſtrum,ferè eſt lethale: imò ex pugno,ibidem ſtomacho violenter inflicto, ſubortam mortem notat *Bartholin. Cent. 2. hiſt. 34.* Obſervandum autem, hanc *Cardialgiam* ſive *ſtomachi dolorem* non ſemper affligere in parte epigaſtricâ ſive anteriore abdominis, quin potius etiam ſæpius è regione ventriculi dorſum affligat, circa ultimas vertebras pectoris, imò ſequitur ſubindè Cardialgiam dolor œſophagi, ita ut dolor talis ſæpè intra ſcapulas ſurſum adſcendere videatur. Interdum etiam in collo compreſſionis ſenſum infert,

fert. Uti non solùm hoc saltim rectè annotat *Forestus l. 16. obs. 27.* sed etiam observavit *Thonerus obs. p. 136.* Interdum gravior *Cardialgia cum colicâ* confunditur & contra, uti hoc refert *Schenckius obs. lib. 3. de Medicis deceptis*, qui pro ventriculi dolore coli cruciatum curârunt, qui error ex auxilio per clysterem patefactus fuit. Examinetur saltem exactè locus doloris affligentis: Nam utplurimum magis sursum versus protenditur dolor in *Cardialgia*, qui in *colica* magis deorsum versus juxta lumbos vel renes descendit, & rarò etiam sola affligit *Cardialgia*, quin si paulò atrocior fuerit, horrenda infert Symptomata. Hinc *Amat. Lusit. cent. 1. cur. 20.* gravissima & ferè *epileptica symptomata* ob dolorem oris ventriculi, à *bile prasina* evenientem, nata observavit. Frequenter *imminentia deliquia, faciei livor, sudores frigidi* superveniunt, ægri interdum quasi *exanimati* jacent, interdum ex doloris acerbitate se mirè jectigant, nescii ferè quid agant.

Causa proxima Cardialgiæ est læsio insignis orificii ventriculi sinistri, qua ratione partis, sensilissimæ ratione nervorum ac spirituū animalium insigniter affectorum, facilè totius microcosmi œconomia turbatur, ac gravia symptomata oriuntur, interdum totum genus nervosum in consensum trahitur. Quicquid ergò lædere potest orificium ventriculi sinistrum, dat causam huic malo, sive id fiat per *essentiam*, sive *per consensum*. *Per consensum* v. g. in *nephritide*, item in *contorsione vertebrarum dorsi*. *Per essentiam* verò, vel ipsius stomachi aut partium vicinarum subest vitium, vel in stomacho contentorum, & horum vel intus genitorum, vel intrinsecus assumtorum. In specie quoad *contenta*, ceu frequentiores cardialgiæ autores frequenter sunt *flatus*, præsertim in ventriculo vacuo oberrantes. Hi namque ex potenti utriusque orificii strictura inclusi, insignes anxietates ac subinde cardialgias inducunt. Symptoma hinc tale frequens est *hypochondriacis* ac *hystericis*, in specie, si corripiantur *febre* quadam *intermittente*. Tunc nimirum in *principio paroxismorum* talia mala se offerre solent. Semina flatuum sunt excrementa quæcunque in stomacho stabulantia, inter quæ primarium locum obtinet *pituita acida*, seu spontaneo motu effervescentiam flatulentam concipiat, sive occasione *bilis*, nec non *succi pancreatici* vitiosè effervescentium, & nonnihil per pylorum regurgitantium flatus nascantur.

Porrò *contenta porracea*, à colore viridiusculo sic dicta, crudelissimas anxietates, & gravissimas cardialgias inferre solent. Oriuntur partim ex corruptione assumtorum sub digestione, partim transmittuntur ex intestinis, in specie duodeno in ventriculum, quando nempe pancreatica lympha aut biliosus succus sunt inquinati, aut plus minus vitiati, ex horum tam solitaria, quàm simultanea cum chylo miscela varii humores diversarum proprietatum solent generari, in specie in bile porracea & æruginosa peccat acidum, plus minus simul vitiosè austerum, ex quo cum bile amara concrescit liquor ventriculo inimicissimus, indeque an-

xietates,

xietates, cardialgias, choleram morbum, &c. inferens, seu per se viciata extiterint talia contenta, sive occasione vitiosorum fermentorum ad motus, & excretiones præter naturales concitata fuerint.

Quoad *assumpta*, & hæc *vitiosa* similiter cardiacam inferre solent. Sic ex esu nimio *casei* inducta fuit cardialgia gravis; Ex *lacte coagulato* itid. gravissima cardialgia non raró observata fuit. *Conf. Amatus cent.6.obs.56. item Forestus l.18. obs.13.* Sane lac tale in stomacho coagulatum, venenis assumtis similia infert symptomata, unde & inter venena lac coagulatum à quibusdam relatum fuit. Sic *Rhod. cent.2. obs.72.* refert cardialgiam gravissimam ab hirudinibus, naribus pro hæmorrhagia artificiali applicatis, per nares & gulam irrepentibus, crudelem cardialgiam inductam, aquâ tamen salitâ propinatâ curatam fuisse. Parili nempe ratione interdum hirudines hæmorrhoidalibus applicatæ anum ingrediuntur, & gravia inferunt symptomata, mediante tamen clystere, ex aquâ salitâ denuò evocantur. Alia variè deglutita, v. g. arsenicum, scarabeum, anguillam vivam, cochleare, cardialgiam inferentia, vide apud *Platerum in observationibus.*

Quod ipsum attinet *ventriculi aut partium vicinarum vitium*, cardialgiam inferens, varium admodum esse potest. Sic *Hildanus cent.3. observ.20.* observat dolorem ventriculi, primò levem, hinc gravissimum, cum dolore capitis, tandem vagè omnes corporis partes vicissitudine mira affligentem, lethalem. In aperto cadavere *ulcus cavum magnum, & fœtidum circa orificium ventriculi sinistrum* fuit inventum, non secus ac *Riverius cent.1. observ.90.* notat ventriculi dolorem diuturnum lethalem, ubi aperto cadavere, inventus *scyrrhus, pancreas, mesenterium, jejunum & pylorum occupans.* Pertinent huc suo modo, & *luctus, mœrores aut diutinæ tristitiæ* ad cardialgias contumaces disponentes, qualia exempla videantur in *Plateri obs. p. 15.* Sic ex luctu ob mortem dilectorum, ex mœrore ob amissum processum judicialem, ex molestia ob vim pudicitiæ clam illatam, cardialgias natas dicto loco recenset *Platerus.*

Tandem utut vagum sit symptomata cardialgia, interdum tamen periodum observans; quâ ratione dolorem alternis diebus affligentem notat *Bartholinus cent.3. hist.30.*

Cardialgia ex se leve malum est; si tamen sit atrocius, & diutiùs protrahatur, non contemnendum venit propter periculosa, quàm aliàs superveniunt, symptomata, unde magis periclitantur in cardiaco hoc affectu, qui os ventriculi admodum sensile habent; it. qui raræ aut teneræ sunt texturæ, in talibus nempe, vel etiam in aliis, si in cardialgia frigeant, aut lipothymia, aut syncope, aut convulsiones superveniant, res periculo non caret. Sic in febribus, præsertim acutis, tam benignis, quàm præsertim malignis, dum ægri de æstu insigni circa ventriculũ, vel quæ aliàs dicitur soda, aut etiam de vera cardialgia conqueruntur, res meritò suspecta, ut

cta, ut plurimum admodum periculosa est. Pessima anxietas & anxiosissima cardialgia solet oriri ex bile porracea, vel æruginosa. Hinc est ista, quæ ex lacte oritur coagulato. Ista, quæ oritur ex pituita viscida plus minus acida, contumacior quidem est cæteris, minus tamen molesta, ac minus gravibus symptomatibus stipata esse solet.

In *Cura* inprimis *removenda causa lædens* stomachum, sive sit interna, sive sit externa: item sive per essentiã, seu per consensum fuerit. II. *Placand⁹ est dolor*, tam appropriatis aptis, quàm intermistis opiatis. Primo quidẽ *ad removendas causas* in affectu per essentiam, nempe humoralium contentorum seu assumptorum, seu intus genitorum vitia, per se planum est, quod optima sint vomitoria, ab omnibus autoribus, ubi necessaria videntur, commendata. Post vomitoria se offerunt purgantia: Sed quoniam purgantia, & ipsa ventriculo inimica, facilè possunt exasperare malum, propterea convenientissimum, ut opiata iisdem addantur, quæ licet & omnes humorum excretiones sistant, indeque in hypercatharsi conveniant, nihilominus tamen convenientibus purgantibus permista, hæc blandè & satis operari faciunt. De quo negotio videatur *Riverius in praxi, ubi de Vomitu, l.9.c.7. p.415. it. de Cardialgia; l.9.c.10. pag.433.* aliique: *Siquidem veteres Electuarium diaphœnicon ad ℥ß, cum Philonii Rom.* ℈ij. *propinarunt*, pro doloribus sistendis, ac alvo laxanda. Sed quoniam Electuaria talia fere sunt nauseosa, propterea alia in forma usurpanda veniunt, qualis etiam interdum in Colica proficua, v.g.

℞. ♀i ⊖-lati, l. arcan. duplic. Mynf. gr. xv.
scammon. ♀at. gr. ij. l. iij.
laudan. opiat. g. ij.
ol. destillat. carui g. ij. M.

Vel ℞. MP. aloe phangin. c. scammon. gr. xv. ad ℈j.
Extr. troch. alh. gr. j.
laud. opiat. gr. j. ad jß.
c. s. q. essent. absynth. F. Pilulæ. D.S.

Laxir- und Schmertz-stillende Pillen.

Observanda hic simul *cautela*, ut quando purgantibus admiscemus, *opium*, dosis purgantis respectivè nonnihil augeatur, ne supprimatur omnino minor purgantis dosis. Et tales mixturæ conveniunt imprimis iis, qui laborant intestinorum doloribus, aut mulieribus, quæ ex levi purgatione suffocationi uterinæ sunt obnoxiæ, it. qui facilis, aliàs sunt solutionis alvi; it. iis, qui acidis succis abundant, ac lympha acriori salso acida turgent, ut scorbutici, &c. ne in talibus ex purgantis usu graviora abdominis superveniant symptomata. *Poterius* in suis observat. cent. 1. cur. 24. curavit cardialgiam, aliis omnibus irritis, per laudatissimas pilulas suas catholicas. Compositio prostat in ejusdem Pharmac. Spagi-

rica.

rica. Præcipuum ingrediens est magnesia Saturnina meteorisata; quæ videtur esse flores antimonii correcti, ita ut per inferiora saltem purgent: Magnesia Saturnina enim aliàs est Antimonium: Meteorisatio nil aliud, quàm in flores sublimatio.

Aliàs si *Cardialgia oriatur à flatibus, aut exhalationibus ex effervescentia humorum* in intestino duodeno, uti v. g. interdum in febribus intermittentibus, item in paroxysmis hypochondriacis contingit, conveniunt inprimis *clysmata ex carminativis* præsertim parata, v. g.

℞. rad. angelic. ʒij.
fol. origan.
prunell.
menth. ana Mj.
flor. chamomill. Mß.
sem. anis.
fænicul.
dauci ana ʒj.
bacc. laur. ʒijß.
Coq. in s. q. aq. comm. & urinæ human. ana. Col. ℞. ℥ viij, adde
Elect. lenitiv.
de bacc. lauri ana ℥ß.
ol. still. anis.
fænic. ana ℈ß.

M. F. Clysma, quod vel una vice injiciatur, vel, si flatuum obstiterit præsentia, duplici vice adplicetur. *Riverius* in tali casu *clysmata* habet ex solo vino albo cum ol. destillat. carminativis parata.

Quæritur, *an V. S. conveniat?* Resp. per se nil adjumenti adfert in cardialgia delenda, adeoque quæ prostant exempla curatarum cardialgiarum per V. S, sunt potius vel casualia, uti est observatio, quam habet *Riverius Cent.* 1. *obs.* 44. de dolore vehementi ventriculum & lienis regionem occupante, aliis frustraneis, V. Se, curatam: vel propter alium affectum ex sanguine natum, & cum hoc suo modo conjunctum, ratione cujus phlebotomia indicata fuit, ut quando *Thonerus in obs. p.* 135. dolorem immanem ventriculi, aliis irritis, in plethorico, cùm suspicio esset de inflammato ventriculo, subitò per V. Sm, incantamenti instar, curavit. Aliàs quæ in *Cardialgia conveniunt remedia*, & quæ post purgantia ventriculum placant, ac dolorem sedant, *sunt pro causarum ratione, vel aromatica blanda* in casu, quando flatus aut similia adsunt, *vel absorbentia*, in bile præsertim seu recrementis porraceis, ut taceam, propria ventriculi vitia debitis modis curanda. *Aromatica talia*, ad cardialgiam usitata, præ cæteris sunt: *Rad. enul. campan. angel. fænicul. præsertim specificum est chamomilla tam*

vulgaris, quàm præstantiori cum effectu Romana. Hinc decoctum ejus egregium experimentum ad Cardialgiam, aut etiam *essentia ejus* ex floribus, vel cum proprio spiritu, vel cum spiritu carminativo vegetabili parata, à ʒß. usque ad ʒj. propinata. *Ejus etiam oleum destillat. saphyrinum* commendatissimum est hoc in casu: *Act. Med. Hafn. vol. 2. p. 208. vel vol. 1. 213. Pauli Quadripart. Botan. p. 253.* In specie *Amat. Lusit. cent. 3. cur. 30.* Ulterius *mentha, flores anthos & verbasci. it. cortices citri & aurantiorum, & Elix. cortic. aurantiorum*, item vinum, in quo decoquitur Salv. commendata admodum à Deckero in praxi ad dolorem acrem. V. anisatus experimentum *Lindani* est.

Vel ℞. spirit. salis armoniaci anisat. ʒjß.
Essent. opii ʒß. M. pro 3. dosibus.

Quod si percipiatur simul *ardor in regione stomachi* temperatè his appropriatis *temperata acida, & quæ ardorem refrænant*, quæ inter *syr. granatorum acidorum*, & præsertim ♁ ⊖*i dulcis*, inprimis cum *spiritu anisi dulcificatus*, addenda sunt istis appropriatis

℞. aq. chamomill. ℥iij.
succ. cydon. ℥j.
elex. menth. ℥ß.
ol. destill. chamom. gtt. vj.
laud. opiat. gr. iij.
syr. de canella ʒiij.
M. D. S. Schmerzenstillende Mixtur auf etlich mahl. Dos. cochl. ij. vel iij.

Mixtura hæc diversimodè specificari potest. Hinc loco succi cydoneorum spiritus nitri dulcis, vel aliis in casibus spirit. sal. armoniaci, vel pro alia indicatione ♁ absorbentes fixi, omnia in debita dosi, possunt addi.

Pertinent huc *olea destillata*, in Cardialgia subindè efficacissima. Sic *Thonerus obs. p. 136.* dolorem totius abdominis clamosum per 5. guttas *olei destillati carui* curavit, & solo hoc oleo à sævo ventriculi dolore curavit etiam aliam: Item ingens dolor ventriculi per intervalla, præsertim à cibo sumpto, ad scapulam se extendens, ex sympathia cum ventriculo, cujus orificium superius alligatum septimæ dorsi vertebræ, quinque guttis ol. destillati succini ab eodem curatus fuit.

Quod si oriatur dolor *è contentis acribus, acidis, porraceis & æruginosis sive prassinis*, commodè propinantur, *quæ acidum destruunt*, ut sunt *pulv. cochlearum marinarum, ac C. C. lap.* ♋. *cryst.* &c. v. g.

℞. Cryst. præparat. ʒj.
corall. rubr. ppt.
C. C. ust. ana ʒß.
laud. opiat. gr. ij. vel. iij.
M. pro aliquot dosibus.

Nempe

Nempe in tali bile æruginosa, teterrima symptomata ventriculo inferente, *crystallus* ejusdem specificum alexipharmacum dicitur *Langio.* Pertinet huc cardialgia intensissima & periculosissima, nata ex *haustu* ☿*rio sublimato*, cujus historiam & curam refert *Valeriola l.* 1. *obs.* 7. Summa curæ internè fuit facta cum crystall. præparat. ʒj. theriacæ ℈ij. & butyr. rec. ℥j. in decoct. hord. q. s. propinato. Talibus scil. obtunditur acidum corrosivum Mercurii sublimati, ac sensilis dolor ventriculi mitigatur.

Externè inprimis proficuum fuit fomentum, ex foliis hioscyami albi, absinth. Rom. & mastiche, in oleo rosato, violato, liliaceo & anethino coctis. Item cataplasma egregium anodynum:

℞. fol. hyosciam. alb. & malv. sub prunis coctarum & debitè pistatarum ana ℥iij.
farin. hord. & lentium, cum decocto malv. ad debitam consistentiam redact. ana ℥ij.
mucilag. tragacanth.
sem. psyllii
cydonior. ana ℥ij.
M. applicetur calidè.

Pertinet huc suo modo observatio *Thoneri obs.* 2. *f.* 135. de dolore punctorio circa regionem ventriculi, propinatis ℥ijß. ol. amygd. d. in jure galli, & *aciculâ* per vias ⊡ias intra 3. horas excreta, subitò evanescente. Quo etiam spectant dolores similes, ex *vitri frustulis* aut similibus oriundi.

Senes subindè doloribus stomachi gravioribus corripiuntur, ad quos, ut etiam ad alias Cardialgias cum virium prostratione junctas, egregiæ sunt *Pilulæ Poterii, quas habet Cent.* 3. *cur.* 30.

℞. Ambr. grys. gr. ij.
Mosch.
Croci oriental. ana gr. j.
Opii Thebaic. gr. iv.
M. F. pillul.

Sic etiam *cura* 31. diuturnum ventriculi dolorem sed continuato usu *decocti ligni sassafr.* curatum refert.

Quod attinet externa, hæc inter sunt inprimis *olea, chamom. destillat. macis, caryoph.* item *ol. stomachic. Cratonis.* Coctis externis quibusvis præferenda est *Tacamahaca*, qua sola Emplastri forma regioni applicata acerbissimos dolores curavit *Poterius Cent.* 3. *c.* 32. & hactenus crebra experientia ejus usus fuit confirmatus, v. g.

℞. Tacamahac. part. iij.
Balsam. Peruv. part. j.

Liquefacta Tacamahaca subigatur cum Balsamo, & f. l. a. scutum stomachale. Est nobile remedium in hujusmodi cardialgiis.

Nec cedit Tacamahacæ *Gumm. Carann.* Easdem, si non majores, obtinens vires. Unde *Emplastrum stomachicum de Tacamahac. Schröderi*, vel simile emplastrum Poterii circa finem *Pharm. Spagyr.* hîc commodissimè usurpari possunt. *Fotus* etiam externi in Cardialgiâ conveniunt, sive *sacculi* sicci, sive in vino bulliti, sive ipsum vinum decoctionis cum linteis multiplicatis. v. g.

℞. flor. chamom. Rom. M. ij.
Comar. absynth.
majoran. ana M. ß.
sem. anisi
fænicul.
carui
dauci, an. ʒjß.
bacc. juniper. contus. ʒvj.
Incisa & contusa includantur sacculo interpassato. D. S.

Quod si dolor stomachi & ventris sit occasione *refrigerationis corporis externæ*, & inde natis *flatulentis* malis, conveniens est sacculus.

℞. milii tosti, M. ij.
furfur. M. iij.
sal comm. decrepit. M. j.
M. Calefiant in sacculo & applicentur.

Mulieres interdum *vitio*, ut putant, *matricis*, & ejus occcasione impuritatibus injectis, contumaces dolores in orificio ventriculi superiori percipiunt, eosdem in tali casu tollit seq.

℞. Unguent. pomat. ℥ß.
sevi hircin. ℥j. M.
quibus inungatur scrobicul. cordis manè, meridie & vesperi, aliquot diebus.

CAPUT VIII.

De

CONTENTORUM IN INTESTINIS EXPULSIONE LÆSA.

EQuidem tractanda prius veniret tàm chyli à fecibus alvinis secretio læsa, quàm succorum pancreatici & fellei effervescentia vitiosa, sed ne actum agam, videatur de his Sylvius l. 1. Prax. c. 10. & 11. Sufficiat annotasse, quosvis *morbos chronicos* propter cruditatem acidam stomachi vel oriri, vel saltem foveri à vitio horum duorum succorum, ac vitiata inde chyli perfectione & separatione; Adeoque & isti morbi, qui ordinariis obstructionibus hepatis, lienis, aut mesen-

mesenterii &c. originaliter adscribuntur, revera vitio digestionis primæ, & hinc alterationis chyli in duodeno tribuendi erunt: Non secus, ac plura *mulierum circa menses vitia* radicem primam circa has partes figunt; unde, si quæ obstructiones, tumores, aut similia mala viscerum abdominis in chronicis morbis subinde observantur, producta potissimum morbosa asserenda sunt.

Expulsio contentorum in intestinis variis modis læditur. I. *Quando diminuitur*, ita ut rara sit, aut ad tempus omninò nulla, id quod fit in *alvi suppressione*. II. Quando *augetur in alvi fluxibus*. III. Quando *depravatur*, ita, ut contingat cum torminibus, dolore, aliisve symptomatibus præternaturalibus. Quoad

ALVI RETENTIONEM

sive ejusdem majorem vel minorem suppressionem, *causa ejus est* vel in intestinis expellentibus, vel in ipsis contentis expellendis.

Quod attinet I. *Contenta expellenda*, hæc *sunt causa* alvi retentæ, *quando non perveniunt* ad intestinum rectum, ut idem possint stimulare, quô cessante stimulo, cessat alvi excretio. *Causa*, quare non perveniant ad intestinum rectum, est partim eorum *paucitas*, ex alimentis paucis assumtis; partim eorum *ineptitudo ad motum*, unde in cellulis coli diutius subsistunt. *Pauca* sunt propter pauca assumta; *inepta sunt* ad motum, tribus ex occasionibus. I. *Propter exsiccationem & indurationem*; hinc est, quod in febribus ardentibus, aut in iis, qui crebriori exercitio utuntur, adeoque crebrius sudant, item in convalescentibus, dum uberior liquidi intra corpus fit distributio, fæces induratæ, quia exsiccatæ, non possunt commodè expelli. *Assumta* quædam itidem suggerunt fæces plus minus induratas, qualia sunt v. g. *spiræ*, quæ in magna copia assumtæ, propter viscideitatem & tenacitatem suam, duriores dant fæces, indeque etiam lethalem alvi obstructionem, teste *Mœbio in Instit. p. 453.* Sic *ova ad duritiem cocta*, eadem ratione alvum supprimere solent. Pertinent huc *fructus horæi* nonnulli, tenaci *pellicula obducti*, ut *uvæ* crispæ, uvæ vitis, cum pelliculis comestæ, quæ uti non digeruntur in stomacho, sed crudæ & acidæ insigniter ex stomacho dilabuntur, contentas fæces sui permistione irretiunt, & hinc inde in globos quasi cogunt, unde pertinax alvi obstructio. Præterea etiam *cerasa, horumque nuclei integri devorati*, fæces induratas inducunt, teste *Schenkio l. 3. observ.* qui refert alvum ad tres septimanas obstructam ex copiosis cerasis cum nucleis comestis.

II. *Viscididatem fæcum alvinarum*, ratione cujus pertinacius parietibus intestinorum affixæ hærent, subinde impedimento est, quò minus possint excerni. Unde ii, qui utuntur copiosis viscidis alimentis, aut qui eadem in mucum viscidum ex vitiata digestione transmutant, obnoxii esse solent alvi obstructioni: Item ii, qui subinde congerunt pituitam vitream, sive mucilaginem acidam

tenacem, unde interdum hypochondriaci obstructionem alvi incurrunt. Pertinent huc ii, qui parcè nimis potant. Item qui vitam agunt sedentariam: In talibus enim deficiente motu, minus quasi concussis intestinis, fæces retentæ pedetentim tenaciorem consistentiam acquirunt, indeque alvum clausam patiuntur.

III. Coagulatæ & condensatæ fæces alvi obstructionem inducunt, idque probabiliter ex vitio lymphæ pancreaticæ. Bilis enim & dicta lympha, ut separant cremorem nutritium à scybalis fæculentis; ita simul certam consistentiam excrementis tribuunt, secundum quam nunc magis, nunc minus sunt fluxilia. Unde à bile abundante diluuntur excrementa, & fiunt fluxilia. A lymphâ pancreatica verò aut nimis acida, aut austera, fæces alvi nimis coagulantur, & indurantur. Hoc ita esse, commonstrat quædam icteri species, in qua ipsa, propter absentiam bilis in intestinis, admodum induratæ & condensatæ solent esse fæces. Deinde plures hypochondriaci, mulieres itē hystericæ utplurimum adstricta alvo laborant, propter austeritatem nimiam succi pancreatici, quo sapore induratæ fæces diutius in intestinis subsistunt. Et hæc sunt vitia, in expellendis contentis alvum plus minus supprimentia.

2. *Intestinorum vitio alvi excretio plus minus tollitur*, sive *quando eadem sunt nimis coangustata*, adeoque fecibus debitum non permittunt transitum; id quod fit, quando *intestina sunt inflammata*: hinc enim ordinariò alvus supprimitur. Quod si superveniat *gangræna*, malum est desperatum. *Sic Barthol. Cent. 6. hist.* 38. observavit Ilei coalitum, ex ejus inflammatione & gangræna, cujus causa obstinata alvi obstructio, Et *Barbette* in sua praxi l. 4. c. 7. lethalem alvi obstructionem notat ex gangræna coli, ubi rectè annectitur: Sic pariter *ulcus intestinorum* alvum supprimit. *Conf. M. A. N. C. Ao.* 2. *p.* 140. Pariter *excrescentia in intestino* enata alvi obstructiones infert. *Vid. Rhodius Cent.* 2. *obs.* 82.

2. *Quando intestina deficiunt in suo motu peristaltico*, ob affectionem vel *paralyticam*, vel *convulsivam*. *Paralyticam* quidem, dum resolutæ fibræ motui peristaltico sunt ineptę, ut in *apoplecticis* non rarum est frustra, etiam clysmata tunc temporis, & sine effectu injici, propter intestina paralysi affecta. *Convulsiva verò affectio* est, quando irritatis intestinis sequitur pertinax fibrarum contractura, vel quando undecunque ipsæ fibræ spasmo contractæ exclusionem fæcum impediunt. Sic in *Colica* quavis, aliisque intestinorum doloribus alvus pertinaciter suppressa esse solet, fibris intestinorum ratione doloris irritatis, & speciatim plus minus contractis. Unde & verè *tunc frustra acriora propinantur purgantia, lenioribus magis proficuis*, cum illa, irritandô suâ acrimoniâ, malum exasperent: hæc autem emolliendo, intestinorum sensum quasi demulcendo, magis proficua sunt. Sic Nephritici pariter obstinatæ sunt alvi, per consensum fibris intestinorum spasmo convulsis, unde & tormina tunc non rara sunt.

Quoad *Prognosin*, Alvi suppressio pro circumstantiarum conditione plus minus

minus periculosa est. Contumacior si fuerit ratione ilei, mortem inferre potest. Licet autem non semper lethalis sit, pertinacior tamen graviora secum invehit symptomata, cum interdum superveniat animi deliquium, & alvus obstructa semper soleat augere capitis symptomata, ut continuò præmoneant Practici, ut in vulneribus capitis, in cephalalgia, in melancholicis, alvus sit libera: quælibet itidem mali hypochondriaci pathemata ab alvo obstructa exacerbantur, interdum nimia alvi obstructio causa est, ut ægri malè habeant in hypochondrio sinistro, ubi colon fit angustius, & propterea intorquetur deorsum versus renem, unde ibidem locorum retenta scybala varia inferunt symptomata, ut hæcce mala lieni attribuantur, ægrique pro spleneticis habeantur. Nec est, quod decipiamur ex eo, quod malum non sit in colo propter retentas varias sordes, quia purgantia suum faciunt officium; Fallunt enim, & utut educant propriam materiam tenuem, fæces tamen in intestino colo relinquuntur crassiores & viscidiores, cujus notabilia observata *vid. in Senn. l. 3. p. 285. 202. Salmuth. cent. 1. obs. 24. & C. 2. obs. 98. Conf. simul Sylvium l. 1. pr. cap. 14. §. 51. p. 168.*

In *Cura* ante omnia *removenda est causa.* Unde I. *Ratione fæcum* contentarum conveniunt ea, quæ emolliunt, easque fluxiles faciunt. II. *Ratione verò intestinorum* ea, quæ vel eorum angustiam tollunt: vel eadem plus minus insensibilia stimulant: vel irritationem in iis, & indè natum spasmum tollunt.

Ea, *quæ emolliunt, & fluxilia faciunt, sunt* ▽*osa,* ∴*sa, mucilaginosa, dulcia, & hinc gummata. Quæ intestinorum mala,* vel curabilia, ut inflamationem, exulcerationem: vel incurabilia, ut coalitum, &c. *levant, ex affectus ratione patent. Quæ eadem irritant,* sunt *acria,* tam ⊖ia, quàm specificè purgantia, aut horum instar *intensè amara. Quæ irritationem sistunt, sunt anodyna,* seu lenientia, mucilaginosa & temperata ∴sa, hinc narcotica & opiata.

Quæ dictis indicationibus satisfacit materia medica, *ex internis est ol. amygd. dul. recent. expressum,* ad ℥ij. vel iij. assumtum, blandè alvum subducens, it. *ova sorbilia,* de quibus vid. *Höfer. Hercul. Med. p. 199. Barth. cent. 6. hist. 65. Copiosior potus* alvum pariter aperit. *vid. Barth. cent. 6. hist. 45.* id quod vel maximè hypochondriacis necessarium, it. mulieribus, ut eo promptius exeant feces. *Potus* nunc est usitatus, nunc medicatus; Medicatio talis inprimis fit per *passulas,* egregium, temperativum, lenitivum, & suave laxativum remedium; unde hypochondriacis & scorbuticis tam egregiè conveniunt. Huc faciunt passulæ laxativæ, quarum descriptiones hinc inde prostant. *Item vinum passulatum laxativum Timæi in Ep. p. 224.* Ad cujus imitationem paratum decoctum passularum cum senna aliud notum est. Post passulas imprimis egregium est *serum lactis.* Convenit tam in febribus ardentibus & malignis, quàm inprimis hypochondriacis & scorbuticis, si alvus horum obstructa sit, ac simul phlogosi ac æstuatione laborant: utrique scopo mirè satisfacit serum lactis, ratione

tione ⊕ sitatis suæ, in alcali volatili ☍oso fundatæ, temperans egregiè & succi pancreatici vitiosum acidum, plus minus austerum saporem, ac demulcens acrimoniam ⊖ is scorbutici, seu per se probè depuratum usurpetur; seu cum syrup. rosar. solutiv. adhibeatur; seu in eodem parum de Tamarindis ebulliat, ut simul & saporis gratiam, & simul majorem laxandi vim acquirat. Aliàs notæ quoque sunt *decoctiones ex emollientibus*, v. g. ex *malva*, *parietaria*, *mercuriali*, & similibus in aqua decoctis, qualia decocta successivè hausta alvum leniunt. v. g.

℞. rad. alth. ℥ij.
herb. malv. Mj.
passul. min. ʒvj.
Coq. in s. q. aq. f. in fine decocti adde
fol. senn. ʒiij. vel ℥ß.
cremor tartari ʒjß.
Colat. ℞. ℥viij. ad ℔j. adde
syr. de spina cervina ℥j. M.

Quod si *duriores feces, aut viscidior pituita* alvum clauserint, *gummi ammoniac.* est egregii usus, seu solitario, seu additis stimulantibus laxativis usurpetur. In graviori & contumaciori alvi obstructione notus est usus *Mercurii vivi* ad ℥ij, iij. una vice, vel jusculo carnis pinguiori, vel in ol. amygd. d. propinatus. Alii comendant vinum, in quo per ☒em infusus, intercedente crebrâ agitatione, fuit Mercurius vivus, quod non tantùm lumbricos enecet; d. insigniter simul alvum subducat, si ad cochlear. j. vel ij. propinetur.

In pertinaciori alvi obstructione commendatur insigniter ☉ *fulminans* non adeò exactè edulcoratum, si à gr. vj. ad x. cum extracto helleb. nigr. in pilulas compingatur. *Conf. Rolfinck in Chym. p.* 339. Sanè in adulto quartanario, à gr. v. ☉ri fulminantis, ante paroxysmum propinatis, effectum suavis laxationis observavi. *Sed observandum*, magis conducere, si non nimis sit edulcoratum, ut ⊖ ina textura nonnihil remaneat; *& mirum est*, tam ☉ fulminans, quàm ☉ cum ♒u ⊖ is solutionem, feces adultorum etiam copiosas nigerrimo colore inficere. Aliâs in desperata alvi obstructione *succus rad. ireos recens ad* ℥j. propinatus expertus fuit *teste Schenckio l. 3. obs.* ubi de alvi obstructione. Sed cautissimus circa purgantium usum in alvi obstructionibus sis, ne præpostero horum, præsertim acriorum, usu ægri in morbum iliacum præcipitentur. Tandem *tartarea remedia*; *cremor tartari* ad aliquot drachmas in jusculo calido, præsertim in quo herba quædam emolliens prius decocta fuerit, propinatus: *Item tartarus* ⊕*-latus*, *ad* ℈j. cum gr. ij. scammon. præpar. acuatus: item horum loco ⊖ *essent. tartari* à ʒß. ad ʒj. usurpatum, usque ad ʒij. invehic. calido.

Exter-

Externè usurpantur præsertim *clysmata ex emollientibus* parata, v. g. ex *lacte cum melle, addito sale communi vel saccharo*, aut

℞. herb. malv.
alth.
chamomill. ana M ß.
rad. lilior. alb. ℥j ß.
Coq. in s. q. aq. simpl. vel seri lact. caprill. Colat. ℞. ℥ix, adde
mell. rosac.
ol. lil. alb. ana ℥j. M.

Quod si ex *Nephritide similive affectu* alvus obstructa sit, clysteres emollientes terebinthinati perquam sunt proficui: item clysmata ex ol. oliv. vel:

℞. ol. sem. lin.
rapar. ana ℥v.
M. injice pro Clysmat.

Sanè *Pravotius* alvi segnitiem gravem solo oleo communi benè maturo, ad ℔. j. per clysterem injecto, levavit. *Et Rulandus in thesaur. p.* 233. alvum per tres hebdomadas adstrictam, ut nullis nec clysmatis, nec suppositoriis moveri posset, injectis singulis horis ℥iv olei, alvum istam emollivit, ut multa scybala rejecta fuerint.

Quod si talibus non possit solvi alvus, alia quædam *paulò acriora* simul addantur & incoquantur, v. g. in suspicione induratarum fæcum *sal gemmæ* à ʒ ß. ad ʒj. usque ad ʒij. clysteribus addantur. Sic *Fontanus* in obstinatissima alvi obstructione clysma ex jusculo carnis cum melle, cui addatur sal gemm. ʒj, commendat. His non sufficientibus, fiat decoctum emolliens ex foliis melilot. chamomill. & violarum, cujus viij. vel ix. unciis in coquenda est pulpa colocynth. in petia ligata, ad ʒj, & post hanc decoctionem addatur sal gemm. ʒj. benedict. laxat. ℥j ex quibus fiat clysma applicandum. *Rulandus* loco superius citato, rustici alvum, ob scybala dura constipatam cum ventre duro curavit per clysma ex ol. sem. lini ℥v. nunc solo, nunc cum ʒ ß. trochiscor. alhand. applicato. *Ubi Colocynthis non sufficit, ad infusa ℥ialia fiat accessus*: si nempe Colocynthidis loco ʒj. croci metallor. decocto emollienti incoquatur, cujus usum crebriorem *vid. in obs. Riverii*: vel, quod magis approbo, fiat infusum ex croco metallorum, de quo ℥iij, de cocto emollienti jam facto addantur, e. g.

℞. decoct. emollient. usit. ℥v.
infus. croci metall. ℥iij.
bendict. laxativ. ℥j. M. F. Clysma. Vel loco infusi talis syr.
emet. ℥j. ad ℥j ß. permisceatur.

Post clysmata conveniunt *suppositoria*, quæ communiter *ex sale & melle ac pulvere helleb. nig. præparantur, vel fiat suppositorium acre ex melle cum sale*

gemim. & troch. alband. Aut etiam *frustulum aluminis* formetur in formam suppositorii, ac ita usurpetur ad imitationem *Angeli Salæ in append. p.840.* Vel *alumen pulverisatum cum gummi tragac.*, in aqua liliorum alborum soluto, compingatur in suppositorium, in alvo admodum adstricta *conveniens.* Ut autem eò melius operentur suppositoria & clysmata, medicamenta *emollientia sive lubricantia per os præmittenda sunt*, ne frustra iis irritetur alvus. Præter dicta, & *externo umbilico adhibentur linimenta*, ad concitandam vim intestinorum motricem. Sic *extracta purgantium cum oleo colocynthidos*, umbilico largiter illita alvum stimulant. Item *unguentum de arthanita*, malaxat, cum oleo diacolocynth. alvum aperit. Vel

℞. ol. amygd. dulc. rec.
pingued. anser.
butyr. majal.
unguent. dialth. an. ℥ij.
colocynth. ℈j.
spec. hier. simpl. ʒß.
diacryd. gr. v.
sal. gem. ℈ß. M. F. unguent.

Tandem ex oleo populeon. & hiera picra factum linimentum, plantis pedum illitum, alvum emollit & solvit.

Quod si alvi fæces in podice subsistant, ut nullo modo expelli possint, imitandus venit Platerus, qui mediante sternutatione & tussi, & fomentatione podicis cum oleo, scybalorum ejectionem promovit.

Alvus obstructa pertinacior non rarò causa existit, ut per superiores vias ejiciantur excrementa, id quod fit in

ILEO sive VOLVULO.

Aliàs *morbo Iliaco* dicto; In hoc morbo nil aut parum descendit per inferiora, è contra nauseant ægri, singultiunt, & tandem per os contenta intestinorũ excrementa vomitu rejiciunt; Adest simul utplurimum febris lipyria, ubi nempe frigent extrema, interiora verò uruntur: Tormina itidem subinde crudelissima ægros vexant, & anxietates vix explicabiles eosdem fatigant: Tandem sudor advenit frigidus, convulsiones imminent, & sæpius in tali puncto mors supervenit. Et quidem imminentem ileum produnt alvus pertinaciter suppressa, intestinorum tenuium crudelia tormina, & nausea cum singultu, unde brevi post vomit⁹ supervenit, presertim si podex adstrictus sive introrsum retractus, ita ut neq; specilli extremum, neque fistulam clysmaticam admittat, stercoris vomitus est prænuncius. Equidem & in Colica interdum analoga symptomata observantur; Quanta tamen hæc intersit *differentia* (Nam sæpius gravior Colica pro iliaco

iliaco morbo à timidis Medicis habetur) *vid. Senn. l. 3. prax. p. 247. ubi de Ileo. Item River. in praxi l.* x. c. 2.

Causa hujus morbi *dicitur rectè motus intestinorum peristalticus inversus*, ita ut revera id, quod in ventriculo est vomitus, hoc in intestinis est morbus Iliacus; quando nempe incipit talis inversio motus peristaltici in quodam loco intestinorum, in specie in fine Ilei circa principium coli, ubi propter valvulam frequentior est sedes *ilei* morbi, iliacus affectus est. Unus est continuus tractus ejusdem substantiæ membranosæ similiter contextæ, à summitate gulæ, usque ad extremum podicem, textura nempe membranacea, fibris circularibus nerveis contexta, quæ nunc est angustior, nunc amplior: Amplior, dum stomachum; angustior, dum gulam & intestina efformat. Unde sicut in statu naturali unus continuus est motus, à summitate gulæ usq; ad podicem, quo injecta motu peristaltico naturali protrudantur: Ita si quodam in loco invertatur hic motus, ut fiat contrario modo sursum versus, fit excretio contentorum per superiora; quæ *excretio interdum est vomitus*, si incipiat motus peristalticus inverti à pyloro; *interdum est cholera*, si incipiat inverti motus circa insertionem ductus pancreatici & choledochi: *interdum est ileus morbus*, quando incipit motus inverti in ileo, sive reliquis intestinis. Nam interdum podex seu extremum intestini recti est locus, ubi incipit talis motus inversio, qua ratione non tantummodo clysteres alvo injecti, sed & suppositoria per os fuère ejecta. *Frequentius tamen in ileo magis convoluto*, & in quo magis viget motus peristalticus, *sedes hujus morbi esse solet*, speciatim eo in loco, ubi inseritur intestino colo. Revera igitur *ileus complicatus affectus est* ex motu intestinorum inverso, & alvi obstructione, adeò, ut quicquid motum naturalem peristalticum sistere, vel plus minus impedire, & è contra irritando ad motum præternaturalem inversum cogere potest, causa fit ilei, & vice versa. Sequuntur etiam hæc duo se mutuò, & nunc ex alvo obstructa irritantur intestina, ut ex contractura fibrarum sequatur inversio motus; nunc ex irritatione contrahuntur fibræ, sicque tollitur naturalis intestinorum progressivus motus, & è contra præternaturaliter sursum invertitur eorum actio.

Pars affecta sunt intestina, primario quidem eo in loco, ubi motus incipit inversio, qui est varius, frequentior finis ilei & principium coli. *Sistitur naturalis motus nunc vitio contentorum, nunc vitio intestinorum*; *illorum* collectorum sive retentorum induratorum, intestina infarcientium; *horum* vel inflammatorum, vel gangrænatorum, vel ingressorum mutuò, vel coarctatorum, vel ulceratorum, vel hernia translocatorum, vel convulsorum &c. His nempe causis quibusvis irritantur intestina, plus minus sistitur motus contentorum deorsum, unde alvus obstructa, & provocatus motus contentorum sursum inversus, unde ileus morbus.

Causa occasionalis motus talis progressivi sive peristaltici inversi *est irritatio quæcunque intestinorum* in certo quodam eorum tractu, ita quidem, ut intestinum irritatum non possit benè deorsum versus se movere, siquidem irritatum in quodam loco intestinum naturaliter successivè magis magisque & item quasi deorsum versus istud deprimere solet. Ubi verò ex quacunque causa protrusio hæc irritantis versus inferiora impediatur, & nihilominus irritationis molestia continuetur, provocato hinc fibrarum spasmo, sursum versus promoventur naturaliter contenta.

Ex dictis hactenus plana fit natura sic dicti volvuli, sive Iliaci morbi, nempe rationem ejus formalem morbosam consistere in motu intestinorum peristaltico inverso, quem insequuntur cætera symptomata, speciatim excrementorū vomitus. *Causa efficiens prima* est spirituum animalium impetus, motum istum concitans. *Causa efficiens remota vel occasionalis* est partim pertinacior irritatio spirituum animalium, motum provocans, partim quæcunque remora, naturalem fibrarum deorsum versus motum impediens. In specie causæ hæ occasionales tam irritantes, quàm alvi obstructionem inferentes, sunt variæ: Præter istas causas, quæ in superiori capite alvi obstructionem inducunt, & quæ, graviores factæ, ad hoc Miserere mei plus minus disponunt, notandum, *Herniam tam intestinalem, quàm umbilicalem* frequentissimam hujus mali matrem. Deinde *scirrhus & ulcus cancrosum* in cœco, quod ileum oppleverat, ut nihil ad colum penetrare possit, iliacam passionem infert, teste *Hildano cent.* 1. *obs.* 61. qui citato loco *præcipuam Ilei causam asserit constrictionem & coarctationem ilei circa intestinum cœcum*, cui non refragatur observatio *Fontani in Consil. & Respons.* p. 84. qui notat iliacam passionem lethalem, in qua, inspectô corpore sine ullo volvulo, circa intestinum cœcum apparuit *materia indurata lapidosa* intestinum extendens, & ita adhærens, ut extrahi non possit. Hinc *Zacut. Lusit.* *ilei* rationem in obstructione consistere asserit. *Assumta austera & similia* pertinaciter alvum occludentia etiam huc faciunt. Hinc eum *ex usu malorum cydoneorum* observavit *Zacut. Lusit. l. ultimo Prax. n.* 2. *obs.* 2. curatum, aliis irritis, *stercore vaccino recenti*, toti abdomini ter illito: Idem loco cit. dolorem iliacum, ex fæcibus induratis, *ob esum copiosum avellanarum*, per balneum oleagineum, & epotam omenti arietini liquefacti ℔. j. curatum. *Pariter l.* 2. *Med. Princ. Hist.* 97. *obs.* 16. ex *pyrorum crudorum* ingurgitatione nimiâ obstructis intestinis volvulum observavit. *Forestus l.* 21. *obs.* 23. describit Ileum ab arsenico sumto per ol. amygd. d. concitato vomitu curatum. *Ulcera* pariter *intestinorum* pariter huc pertinent. Hinc rectè *Kerckring spicileg. obs.* 42. iliacam passionem, interdum ab ulceribus intestinorum cum inflammatione potius, quàm eorum intorta convolutione oriri asserit.

Ulteriori itidem considerationi relinquo, quod *Peyerus de intestinorum glandulis*

dulis p. 79. affirmat: Interdum *lympham*, in plexu quodam glandularum intestinalium *austeriorem & stypticam factam*, pertinacem stricturam efficere posse. *Panarolus in Pentecost.* 1. *obs.* 50. quatuor volvuli habet species, secundum varietatem differentes. I. Ex hernia. II. Ex convolutione intestinorum. III. Ex adstrictione Ilei ad instar farciminis lucanicæ. IV. Ex descensu intestini unius in cavitatem alterius. Consideremus has causas. *Ista de convolutione intestinorum est falsa*: Quamdiu enim adhærent Mesenterio, impossibile est talem intestinorum convolutionem dari, demonstrante hoc ipsum *Helmont. Tr. de flatibus*; unde & nata hinc appellatio Volvuli est minus congrua. Nec quemquam offendat, quod hinc inde apud Authores, etiam *Barbettum* fiat mentio intestinorum convolutorum, per anatomen in iliacis observatorum. Nam arbitror, subesse tum semper gangrænam intestinorum, in qua corrugari invicem, ac complicari solent, & ita apparenter convolvi videntur intestina. Hinc *River. cent.* 3. *obs.* 26. notat passionem Iliacam lethalem, in qua ileum tribus complicationibus convolutum & complicatum, & quasi compactum in unam massam circa finem illius, & tota hæc portio gangræna affecta erat. Verùm descensus intestini unius in alterum est satis frequens, & à *Sylvio* aliquoties observatus. Vid. *l.* 1. *Pr. c.* 15. *Causa* ejus *nunc* sunt flatus, *nunc* nimia ægri & inordinata commotio. Hinc nunc superior pars intestini descendit in inferius; nunc inferior pars ascendit in superius: Et sanè *ingressus hic mutuus intestinorum est una ex frequentissimis ilei causis*. Ejus fiendi modum ocularitér observavit *Peyerus de gland. intest. p.* 83. *Inflammatio intestinorum, &* hanc subsequens *gangræna*, corrugans intestina, *lethalis ilei est causa*. De cætero rarum est, quod refert *Schenckius in suis obs. l.* 3. Ileum interdum esse *contagiosum*, non secus quod *Amat. Lusit. cent.* 7. *cur.* 93. Ilei epidemici mentionem facit. Nec minus curiosum est, quod *Forestus l.* 21. *obs.* 19. refert *ileum periodicum*, tertio quovis die recurrentem, idque ex *Dodonæo*, cujus obs. vide in *Schenck. obs.* 3. *lib.* Aliàs in Jamaica insula *ileus est malum endemicum*, in quibus intestina se mutuò subintrant, Auth. *Barthol. cent.* 4. *Ep. p.* 529. Plures volvulorum causas vid. in *Bart. cent.* 4. *Ep. p.* 542. Ex suprà dictis notum est, pertinacem utplurimum alvum in Ileo esse causam. Fit tamen interdum, ut observat *Rhodius cent.* 2. *obs.* 79. ut etiam in Ileo lethali, tandem *ante mortem alvi excretio superveniat*, quæ tamen malum potius est signum, nempe deficientis facultatis animalis, sive spirituum animalium, unde non amplius tàm fortiter contrahantur intestina, sed hæc flaccida facta, toties antea irritata, facilè excernunt, vel potius prolabi sinunt excrementa.

In *Prognosi* omnis ileus est periculosus, & peracutus affectus. Is, cui etiam *stercoris vomitus* supervenit, ut plurimum exitialis, & à quo pauci convalescunt. Si tamen ex hernia superveniat vomitus, non adeò desperatus est, quàm si ex aliis causis, *vid. præter Sennert. ubi de ileo p.* 248. *M. A. N. C. Ann.* 2. *p.* 370. Vol-

vulus mortis imminentis signum exhibet, si superveniat *surditas*, teste *Sagona in decis.24.pag.62.* In ileo *ex inflammatione & gangræna* nato res desperata est. Ileus ex *Hernia* nunc plus, nunc minus periculosus, non secus ac iste, qui ex *scybalis induratis.* Qui ex *mutuo intestinorum* ingressu, est curabilis, si ingressus fiat per ascensum: sin vero per descensum, est incurabilis, teste *Sylvio.* Ex usu *opiatorum* succedens quies atque somnus, & doloris remissio, salva res est; si vero non, desperata. In ileo dolor iste acutissimus subitò sine causa manifesta deficiens, gangrænæ signum. Facit huc *aph.10. Hippoc.sect.7.* Ab ileo vomitus, aut singultus, aut convulsio, aut desipientia, malum. *Arabes 5. gradus Ilei constituerunt:* 1. Periculosissimus is est, quando stercus vomitur. 2. si sudor ex toto sit fœtidus. 3. cum spiritus, qui respiratione emittitur, est fœtidus. 4 cùm ructus est fœtidus. 5. cum per alvum crepitus fœtidus exit. De hujusmodi Iliacorum fœtore conf. *Panarol. Pentec.3. obs.16.*

Cura consistit in eo, 1. ut irritatio intestinorum sistatur. 2. ut excretio contentorum naturalis, quacunq; ratione promoveatur, unde prout causa irritans varia, & prout multipliciter alvus sisti potest, varianda subinde specialis cura.

In genere, quoad multiplices istos scopos, *tria urgent dubia:* I. An opiata conveniant. II. An purgantia, & qualia conducant. III. Quæ horum præmittenda, seu legitima horum administratio. *Opiata* quod attinet, sistunt quidem irritationem, sed simul impediunt alvi excretionem: propterea considerandum est, quod magis urget, nempe si magis affectum inducat irritatio, præmittenda sunt opiata, & hinc subjungantur, quæ alvum stimulant, & feces educunt. Sin vero ex obstructione, undecunque orta, natum sit malum, hæcque adeò magis urgeat, præmittenda sunt, quæ alvum aperiunt, & subjungenda opiata, ad irritationis & motus inversi memoriam quasi tollendam, aut recidivam præcavendam. Deinde, quando omnibus aliis irritis, aut propter continuum vomitum nil intromitti possit, perpensis omnibus circumstantiis, ad compescendum stomachi furorem propinetur, non tamen expectetur, donec vires deficiant penitus, sed his utcunque robustis opium usurpand. Porrò in spasmo intestinorum, à ⊖ e acri scorbutico, nervos aut fibras eorum inficiente, ad illius remissionem usurpari possunt, ut remittente spasmo, alia abstergentia aut evacuantia eò melius operari possint. Tandem in inflammatione intestinorum fugiantur, ne ad gangrænam hæc disponantur. *Confer* quoad opii in Ileo usum, *Wedelium in opiolog. p.120. It. in M. N. C. Ann.2. p.340. Quoad purgantia.* In ileo fortiora talia, aut etiam leviter stimulantia per os exhibita non conveniunt, nisi ubi jam sedata est omnis irritatio, & hinc motus intestinorum inversus. Subsistente enim irritatione, & durante aut imminente vomitu intestinali, purgantia & lenia & fortiora, semper evadunt vomitoria, malumq; non leniter exasperatur. Unde

rectè

rectè dicit *Sydenham Tr. method. curand. febres p. 68.* Non applicanda esse purgantia, nisi prius corroborato ventriculo, atque adeò ad motum naturalem deducto. Atque hæc imprimis de stimulantibus per os intelligenda sunt. Quæ enim clysmatum forma &c. injiciuntur, tutiùs usurpantur. Et in genere fortiora purgantia minus conveniunt; sed potius saltem laxantia. *vid. Dravviz.* von dem Schmertz-machenden Scharbock/ *p.562.* Præter dicta, pro meliore observatione observandum. 1. Licet periculum præsens vitatum sit, metuendum tamen, nisi sequatur multa excretio, & revocetur omninò motus humorum deorsum, qui sursum ferebatur, non extra periculum esse ægrum. Nam quia totus venter inferior commotus est, non prius securitas concilianda erit, quàm sequatur alvi profluvium, aut sponte, aut per artem provocatum. Unde mortui sunt nonnulli incuria ista, de quibus Medicus jam securus erat, ut dicit *Ballon. l.2. consf. 24.* 2. In hoc morbo ægri laborant summa virium prostratione, & non raris animi deliquiis, uti & sudore exolvente seu colliquativo: Si quidem à fœtore plus minus inficiuntur spiritus, propterea Medicus semper ☊um theriacalem, cum vel sine camphora, aut vinum generosum, aut aquam cinamomi, præsertim propter ventriculi labem adhibere debet, aliisque permiscere, ut viribus simul consulatur. 3. Ubi stercora dura sunt, nil præstantius, quàm emollientibus clysteribus primo educere. Nam si diu nimis exspectent ægri sine præsidio, & stercora postmodum per superiora ejiciantur, raro, vel cum magna difficultate evadunt. Testantur hoc non solum curæ *Foresti. l.21. obs.22. & seqq.* sed etiam rustica, quæ cum per 5. aut plures dies ex ileo omnia per superiora rejiceret, nec quicquam retinere posset, clystere emolliente injecto servata est. In ipso morbo ægri *vitent frigida*; quin calida intus & extra usurpentur. Omnis potus frigidus fugiendus, sed calidis ventriculus demulcendus. Jam *convalescentes, tanquam puerperas tractabis*, ne sese aëri frigido exponant, nec in victu peccent, &c. Quin in & post affectum *victus tenuis* ordinetur, ut non nisi cochlearia aliquot jusculi ex pullo gallinaceo sorbenda usurpentur: quando & admotis externis studiosè se à frigore præservent ac defendant. Quæ igitur conveniunt in hoc morbo, *ratione quidem alvi clausæ*, sunt *clysteres* abstergentes, & emollientes, quos ex *vino, urina pueri, & seminibus carminantibus* paratos commendat *Zacutus. Emollientia* simplicia, & ex his parata & cocta, it. *ol. lini, raparum, &c.* clysmatis instar usurpanda, sunt cognita. *Ruland. in Thesaur. pract. p.232.* qui volvulum periculosum curavit clyst. ex ol. sem. lini ℥vj. troch. alhand. ʒjß. parum bulliant: Hôc bene inunxit umbilicum, reliquum injecit; excretis copiosis, hoc solo curavit. *Riverius* commendat decoctum intestinorum & omenti vervecis, in quo butyrum & parum salis gemmæ dissoluta fuerunt. Quod si inflammatio intestinorum adsit, *Lindanus* adhibendum svadet *clysma ex decocto hordei, cùm ⊙o.* Quò facit *clysma Zacut. l.2. Med. Princ. 97.* de iliaco morbo

cùm

cùm vomitu stercorum, per clysterem ex oleo, cum ruta & ⊙ decocto, curatum. Ubi vel motus peristalticus inversus jam incipit in *intestinis crassis*, *aut ab ipso podice*, omnia injecta rarò scopo satisfaciunt; quin tunc adhibeantur simul internè juscula emollientia, acrimoniam plus minus temperantia, & blande abstergentia, ut juscula gallinacea cum chamomilla decocta. *Vel* oleum commune, aut ol. amygd. sed recens ad ℥iij. assumendum. *Raparum decoctum*, tam crudarum, quàm prius assatarum, copiosius haustum est laudatum; nec minus *succus pomorum Borsdorffiensium putridorum*, mirabilis est in tali iliacorum casu. *Conf. M. A. N. C. Ann. 6. p. 153.* Et sane observavi in quodam iliaco, quod post injectum clysma, nempe

℞ ol. rapar. ℥iiij.
lini ℥iij.
diacolocynthid. Querc. ʒvj. M. pro clysmate,

idque sæpius repetitum, cum simul bina poma Borsdorffiana rasa comedisset, copiosi secessus fœtidi cum flatibus inde fuerint depositi. Sic in muliere, ex Bubonocele utriusque lateris, cum gravissimis alvi torminibus, ac imminente ileo propter spasmum intestinorum, me frustra plura tentante, nihilominus vetula accedens, applicatione pulpæ pomorum Borsdorffianorum putridorum cum pauco croco, & super totum abdomen instratione, mulierem levavit, & alvum reseravit. Quod si hæc non sufficiant, in pertinaci alvi clausura conveniunt *globuli sclopetorum deglutiti, sed præmisso* imprimis usu *ol. amygd. d. expressi*, ut hujus medio quasi lubricentur viæ. Commendat hos *Helmont. de flatibus* §. 31. qui fiunt ex amalgamate ☿ ij & ♄ i. vid. *Velschium Hecatost. 2. p. 19.* sed notandum, quod *conveniant hi tantum globuli*, quando à fecibus remorantibus; vel quando ab ascensu intestini inferioris in superius oritur malum. Quando vero descendit superius in inferius; vel quando adest inflamatio, minus conducunt. Rarum est, quod ileus ex omphalocele per dictos globulos curatus fuit, *Auth. Velsch. l. c. sic Zacutus lib. 2. Prax. admirand. observ. 27.* pilis plumbeis parvis primo 12. post 18. devoratis, ileum desperatum curavit, ex nimia *castanearum* crudarum ingluvie, ac fecibus inde induratis natum, sed usum horum globulorum superat Mercurius vivus copiosè ingestus. Refert *Lindan. loc. sup. cit.* iliacam passionem Mercurii tandem ope curatam, postquam tres bombardæ globi sine auxilio devorati fuissent. *Usus Mercurii est, ut ad minimum ℥iij. vel iiij. assumas*, applicando simul externè fomenta blandè calefacientia, & quàm primum per alvum effluxit, capiat æger ol. amygd. d. ℥ß. cum ol. destil. anis. ℈ß. M. Ut autem melius operari queat, consultum est, agitare & movere in curru ægrum, de quo *vid. Hist. Herbenii, in dissertat. de dolore Hypochondriaco.* Vel immittatur æger in solium aquâ tepida plenum, postquam Mercurium ita assumsit, ut internus Mercurii usus promoveatur per externum istum

fotum

fotum. *Conf. Riv. in Prax. Henr. ab Heer. obs.2. Rhodius cent.2 observ.80. Lyserus* in observat. cultro anatomico annexis *p.244*. Curavi mulierem, pertinacissima alvi obstructione laborantem, cum abdomine hinc indurato, tumido & doloroso, & præsertim in hypochondrio sinistro tumore duro, unde mali causa. Cum metuerem jam imminentem ileum, die 14. Junii:

℞. aq. menth. ℥j.
Mercurii vivi bene depurat. ℥iij. M. capiatur.
una vice. Factum sine alteratione

Die 15. Junii: ℞. aq. menth. ℥j.
Mercurii vivi purgat. ℥iij.
aq. cinam. ʒiij. M. capiatur vesperi seq.

Die 16. Junii potio ead. Mercurialis denuo hausta, sed frustra.
à meridie: ℞. aq. menth. ℥j.
cinam. ℥ß.
syr. rosf. solut. ʒvj.
Mercurii vivi purgat. ℥v. M. D. Hausit frustra.

Externè ℞. axung. anserin. ℥iij. qua calidè crebriùs abdomen inungat.

Die 17. Junii: ℞. lact. bubul. ℥viij.
terebinth. in vitell. ov. solut. ʒiij.
⊖ 🜔i ʒiij. M. pro clystere, applicetur pro 2. vicibus.

Potio Mercurialis proxima denuo hausta manè, & iterum de novo hausta vesperi, ita ut ℔ij. medicinales Mercurii in corpore haberet, unde & varios motus in abdomine perciperet, sed alvus clausa manebat, unde & eodem insessus ordinatus:

℞. herb. & flor. chamomill. Mvj.
Malvæ recent. Miij.
fl. sambuci Mij.
bacc. lauri ℥iij. coquantur. Insideat ægra, continuando interea semper litum abdominis cum axungia anserina. Die 18. Junii, insessus idem ac clysma continuabantur. Mercurius pertinaciter in corpore subsistebat, uti & 19. & 20. die. Hoc tempore dolebat collum, tumescebant gingivæ, vacillabant dentes, & Mercuriô retentô, salivatio superveniebat. Unde pro faucibus & collo leniendis:

℞. mell. rosf.
syr. viol. an. ℥j. M.

Pro abdomine verò ℞. unguenti de arthan.
ol. diacolocynth. Q. an. ʒij. M. inungatur abdomen.

Die 21. cum eadem adhuc persisterent, & ultra octiduum Mercurius vivus in corpore hæreret, pro fecibus duris, & tumore in colo sub hypochondrio sinistro emolliendo cum dicto unguento:

℞. Empl. de cicut.
Gumm. ammon. in aceto solut. an. q. s. malax, c. s. q.
☍ tartari destillat. inducantur supra alutam, & applicentur dicto loco.
Die 22. Junii: ℞. decoct. spec. emoll. ℥ viij.
sal. ciner. clavellat. ℥ vj.
mell. depur. ℥ iij. M. pro clysmate, sæpius iterando. His & similibus factum est, ut pedetentim soluta alvus, scybalis lapidis instar induratis prodeuntibus, ☿ o vivo successivè in pauca quantitate apparente: Continuantur clysmata, unguenta supradicta, donec die 29. Junii nocte ex improviso lectum copioso ☿ io vivo repletum observavit, unde pro alvo aperta servanda, & ☿ io fauces adhuc affligente eliciendo, die 3. Julii:
℞. lact. vaccin. ℔. j.
mell. rosat. ℥ iv.
sal. ciner. clavellat. ℥ ?. M. pro clystere aliquoties applicando, per 2. vel 3. vices.
Sed cum adhuc ☿ ii superessent vestigia, die 23. Julii:
℞. pulv. bezoard. Senn. ℈ j.
bezoard. ☉ lis ℈ ß. M.
Vomitus copiosæ materiæ viscidæ creberrimus supervenit ab hoc medicamento, & ita continuatis internè jusculis, externè clysmatibus successivè convaluit.

Præter hæc dicta, ratione irritationis plus minus intensæ, prosunt *anodyna* ut: *decoctum malvæ*: Hinc *decoctum flor. chamomillæ*: Decoctum *flor. anethi*: item *juscula decoctionis raparum*, quæ & leniunt; & simul blandè abstergunt. *Sydenham loc. supra cit.* usurpat pro sistenda irritatione, & compescendo vomitu, ℈ j. *salis absinth. cum succo limon. assumti*, superingesta subinde aq. menth. Ac sane remedium hoc non est contemnendum. *Observavi* in Iliaco, quod post hanc potiunculam, ad illius imitationem conscriptam, & vomitus cessaverit, & dolor abdominis multum remiserit.

℞ aq. menth. ℥ iij.
sal absynth. ℈. ad ʒ ß.
spir. theriac. simpl. ʒ j ß.
syr. de spin. cervin. ʒ vj. ad ʒ j. M.

Hæc potio, mutatis mutandis, sæpius repetita, optimum effectum in Iliacis solet habere. Aliàs enim theriaca ad ℈ j. in haustu vini calidi generosi, quando scil. malum non est ab inflammatione, multum præstat.

Hisce internis ad Iliaci curam usitatis, etiam simul *externa*, partim alvi excretionem promoventia, partim emollientia & suaviter lenientia usurpantur. Convenit igitur *oleum chamom. destillat. cum pinguedine tax: subactum*, & abdomini illitum: vel *Galbanetum Paracelsi*, cum unguento de arthanit. mixtum, &

☍ cha-

℞ chamom. comm. crebrius illinantur abdomini, lintea probè calefacta desuper applicando. De *stercore vaccino* recenti, abdomini imposito, superius dictum fuit: *Omentum vervecinum* recentissimè exemptum, & ita adhùc calidè abdomini instratum, mirè solet lenire dolorem, & mitigare symptomata. Item *exuviæ serpentum* in oleo rosaceo decoquantur, & ita ventri toti illinantur. *Veteres*, in casu, quo intestina à copioso stercore fuerunt repleta, una cum præsentia flatuum, applicato *folle ventum copiosum in intestinum injecerunt*, ut ab injectis flatibus intestina distenta abscedant à scybalis iisdem impactis, separata facilius per clysmata vel aliis modis possint elici. Modi hujus fit mentio apud *Hippocrat.* Confer *Amat. Lusit. cent. 1. obs.* 100. *Item in Epiph. Ferdinand. hist.* 74. Denique cum omnia videntur frustranea, deliberandum est, an audiendum sit *consilium Barbetti*, quod habet in sua Anat. Pract. dum abdomen aperire, & intestinorum situm manuali applicatione corrigendum suadet.

DE ALVI FLUXU.

Alvi fluxus pro varietate excretorum varia sortitur nomina. Communissimus est, qui vocatur *Diarrhæa*, quo nomine nihil aliud insinuatur, quàm copiosa materiæ variæ, plus minus naturalis aut corruptæ, diversimodeque constitutæ excretio. Unde pro excretorum varietate diarrhæa, *nunc* dicitur serosa, *nunc* purulenta, *nunc* biliosa, *nunc* pituitosa, &c. Adest simul utplurimùm appetitus dejectus, sitis è contra aucta, interdum aliqualia simul vexant tormina, aut murmura, vel borborygmi, immediatè scilicet excretionem antecedentia.

Ante omnia consideranda sunt *differentiæ* diarrhææ, *ratione causarum fiendique modorum*: nempe diarrhæa *est vel artificialis*, ut in purgatione per medicamentum instituta; *vel est naturalis*, ipso naturæ motu concitata. Hæc est vel *spontanea*, vel *non spontanea*. *Spontanea* fit I. *ob errorem externum*, ut v. g. ex fructib⁹ horæis assumptis: Ex refrigeratione corporis nocturna &c. II. *Ob internam materiæ metastasin*, ut v. g. diarrhæa superveniens, pleuritidem in sexagenario sene solvit, de quo vid. *Panarol. Pentecost. obs.* 36. Vel quando pleuritidi suppuratæ supervenit diarrhæa purulenta. Faciunt huc diarrhææ, quæ dicuntur oriri ab hepate, cerebro, liene &c. v. g. *Zacut. Lusitan. l.* 2. *prax. admir. obs.* 20. refert fluxum diuturnum cerebralem, cauterio ad bregma indito curatum. *Id. l.* 2. *Med. Princ. hist.* 76. refert alvi fluxum, ex debilitate brachii unius subortum, eo corroborato sanatum. Sic *Rhodius cent.* 2. *obs.* 84. observat, Diarrhæam, ab urinæ suppressione natam. Sic *Meara in hist. Med. p.* 131. observat *diarrhæam*, ex capite oriundam, quâ suppressa, copiosi pediculi generabantur. Sic *Schenckius l.* 3. *obs.* Diarrhæam ex disrupto lienis abscessu notat. Et *Sylvaticus cent.* 3. *consil.* 18. refert diarrhæam saniosam, cum febre & jecoris abscessu,

ex bubone ſub axilla. Omnes hæ diarhææ ſaltem ſpontaneo naturæ motu, per metaſtaſin nempe materiæ, & variam ex uno loco ad alterum translationem ſive motum, originem duxerunt. III. *Obſpontaneum humorum motum*, ſub quo vitium bilis ordinariò ſubeſſe, aut ſimul jungi ſolet. Tales ſunt diarrhææ, quæ ex mutata diæta in peregrinationibus: item quæ tempore verno aut autumnali, quibusdam ſua ſponte ſuperveniunt. *Diarrhæa non ſpontanea* eſt vel morbus, vel morbi. *Diarrhæa quæ eſt morbus*, ſunt iſtæ, quæ ſubinde ægros affligunt, ſive externæ, ſive internæ occaſionis ratione: item quæ alterationi corporis poſt fructus horæos ſuperveniunt &c. Hujusmodi diarrhææ ſunt *vel epidemicæ*; Et talis iterum *vel accidentalis*, *vel eſt habitualis*, quando nempe diu & ſubinde per aliquot annos continuare ac perſiſtere ſolent.

Diarrhæa morbi eſt nunc ſymptomatica, *nunc critica*. *Symptomatica*, v. g. in principio febrium malignarum, aut in phthiſicis, vel hecticis, quæ ſubinde ſupervenit. *Critica* eſt iſta, quæ in declinatione morbi ſuperveniens morbum ſolvit ac curat. *Symptomaticas* iſtas inter primariæ ſunt *colliquativæ* dictæ, ſive fluxus alvi colliquativi, quales, præter malignas febres, inprimis phthiſicos & hecticos vexant: ſiquidem phthiſicis ordinariò aliquandiu ante mortem ſupervenire; hinc & phthiſici ab injecto ſaltem clyſmate uſuali, copioſas patiuntur dejectiones, & à levi etiam propinato medicamento inſigniter evacuantur, ſed ſimul admodum læduntur, ob id ſimus cauti in laxandis phthiſicis, ſed ſuperveniens talis diarrhæa phthiſicos ab imminente hydrope præſervat. *Colliquativa* dicitur, quia ros partium nutritivus, ac ipſa M. S. ex texturæ mutatione, ita fatiſcunt, ut inſtar liquaminis ſeroſi copioſè per alvum evacuentur, cum juncta notabili corporis emaciatione, viriumque ſenſibili proſtratione. Sanè quibuslibet tabidis, undecunque id mali contraxerint, de facili talis imminet *Diarrhæa*.

Quoad *Cauſas*, ſcrutabimur imprimis eas, quæ *Diarrhæam* morbum inferunt, utpote cùm exinde cæteræ ſpecies facilè judicari, aut earum fiendi ratio explicari poſſit. *Excreta iſta*, quæ per *Diarrhæam* rejiciuntur, non ſunt actu in inteſtinis, ſed deferuntur eò, partim ex ventriculo, ratione aſſumtorum, partim ex M. S. per ductus, tàm pancreaticos, quàm choledochos, ac vaſa excretoria glandularum inteſtinalium. Interim ſi per vaſa choledocha nonnihil copioſius transcoléntur, fit *diarrhæa*, dicta *bilioſa*: ſi per vaſa pancreatica, dicitur *ſeroſa*, &c. ſicut ipſa excreta, ſi viſcidiora, ac minus tincta fuerint, dicitur *pituitoſa Diarrhæa*; quæ tamen, vel ex vitio chylificationis, vel ex vitio inteſtinorum, quibus incipiens imminet Dyſenteria, originem habet. Cùm igitur *Diarrhæa* ſit quaſi *purgatio quædam naturalis*, ſive à cauſa externa, ſive interna oriatur, ſive contagioſa ſeu maligna ſit, ſive non, eodem modo ſe habebit, atque *hypercatharſis* à medicamento purgante oriunda.

Purgan-

Purgantia hypercatharsin inferunt *duobus modis*, I. *Irritando* simpliciter intestina, unde uberior liquorum fluxus, eorum scilicet, qui in iis locis vel naturaliter transcolantur, vel transcolari apti nati sunt, v. g. Antimonialia, resinæ acriores purgantium, Mercurius sublimatus, Arsenicum, &c. II. *Fermentando & colliquefaciendo* M. Sam, speciatim chylum quasi musteum, nec adeò perfectè sanguini assimilatum: unde colliquefacta substantia ista, & ita excrementitiæ factæ, sero involutæ per convenientes vias evacuantur, uti fit à laxantibus, venis infusis, aut quando odoribus purgantium aliisve similibus modis quidam purgantur. Ex utraque etiam causa & *Diarrhæa*, & excessivus ejus gradus *Cholera* oriri potest. Ab *irritatione* quidem: ut quando à Mercurio sublimato, aut aqua forti *Cholera* aut *Diarrhæa* inducuntur: *A fermentatione*; ut quando ab usu fructuum horæorum idem contagium diarrhæam concitat. Ibi simplex acrimonia rerum irritando hoc malum infert: hîc simul fermentum adest, plus minus malignum, turbans & colliquefaciens humores. Adeoque in specie ubique *causæ antecedentes* examinandæ, an aperto *errore externo*, an *à fermento*, an *ab humorum* ὀργασμῷ malum oriatur?

Ex dictis manifestum evadit, *causam Diarrhææ proximam materialem sive occasionalem* (suppresso nempe ubique *spiritu impetum faciente*, ceu *causa efficiente, formali proxima*) esse *humorē acrem*, sive potius minimum ejus *fermentum*, nempe *acre*, vel *irritans* intestina, vel *inquinans*, ac plus minus *colliquefaciens* massam sanguineam.

Fermentum istud *acre*, *volatile* atque *acidum*, specifici tamen saporis esse videtur, quod cum bile, vel in intestinis, vel in folliculo felleo commistum, talem texturam, saporem & naturam acquirit, quod purgantium naturam sive crasim imitatur, & ita similem cum iis effectum producit.

Acidum potius esse quàm *biliosum* hoc *fermentum*, usitatissima juvantia persuadent, qualia præter *opiata* sunt, *corallia*, *terra sigill.* C. C. *ust. hæmatit.* & *Martialia*, *tormentilla*, ejusque *extractum*, acre *vinum absynthites*, pastus *oryzæ*: item *puls amygdalarum dulc.* cum lacte (Mandelmuhs) &c. talia nempe omnia temperando, ac in specie corrigendo acido inserviunt.

Causa interim **remota**, disponens corpus ad Diarrhæam, est ventriculi fermentum digestivum, non debito modo se habens, sed labefactatum, adeoque vel debile, vel vitiatum, ut nec cibos fermentet, nec bilem digerat; hujus nempe culpam subitò alvus luit, ejusque fluxus excitatur. Unde quæcunque acidum spirituosum stomachale modò destruere, è contra bilem augere, vel in orgasmum præternaturalem concitare valent, dant Diarrhæam. Multum simul confert habitus corporis constitutio: Nam ii, qui densæ sunt texturæ, & cutim habent spissam, sæpius quotidie egerunt, quàm qui poros habent apertos, unde & illi Diar-

rhæis magis sunt obnoxii, quàm hi, ut rectè notat *Gabelkoverus cent. 3. cur. 73. in Schol.* cujus rationem in glandulis intestinorum quærere nititur *Peyerus Tr. de gland. intestin. p. 86.* Hinc in qualibet Diarrhæa tàm sedulò opera danda, ut vel copiosiori insensibili transpiratione, aut sensiliori sudatione corpus perspirabile conservetur.

Ex his etiam *differentiarum* Diarrheæ essentialis patet ratio. Et speciatim *Epidemica* plus minus *maligna aut contagiosa*, ex fermento acri, maligno, stomacho hostili, vel cum aëre inspirato, vel cum assumtis ingesto, vel excretis ægrorum suscepto, se confestim multiplicat, & primitus oritur.

Habitualis fundamentum in vitio *fermenti digestivi* & *bilis* à naturali crasi alteratæ residet: *Illud* non ritè digerit & subigit, nec tali corpori appropriat assumta: *Hæc*, nempe *bilis*, non ritè perficit & separat eadem ab excremento, quin hæc potiùs mutua miscela saporem, acrem intestina irritantem, & ad celeriorem expulsionem stimulantem, acquirunt: quibus occasionibus & ventriculus & intestina adeò irritabilia successivè evadunt, ut à levissimo objecto, v. g. ab ordinario potu, ad excretorium motum sive sui contracturam irritentur.

Colliquativa fundamentum habet in deficiente, plus minus acido stomachali, & acriori ècontra reddita bile, unde partim chylus acris, salsus evadit, intestina stimulans, partim ista acrimonia salsa, massam sanguineam resolvit, liquefacit, ut in sua textura fatiscens, in serosum salsum liquamen deficiat, quod per glandulas intestinales & pancreas secretum, sub tali Diarrhææ specie excernitur.

Quoad *causas remotas*, Diarrhæam excitantes, sunt hæ nunc ipsa externè assumta, facilè effervescibilia, aut corruptibilia, nunc ipse internus naturæ, per humores concitatæ, motus. Sic notissimum est, quod inter assumpta *fructus horæi*, item *cucumeres*, *melones*, *&c. pruna*, *uvæ*, utpote facilè fermentescibiles, *Diarrhæam* inducant. Interdum fit, ut Diarrhææ per certum tempus *affligant*, quale exemplum habet *Forestus l. 22. observ. 2.* Diarrhææ nempe naturalis, cum serosis & liquidis humoribus, singulis ferè tribus mensibus recurrentis, præsertim si olusculis humidis, peponibus, &c. vesceretur. Sic *Diarrhæam menstruam* recenset *Schenckius l. 3. obs.* Raræ admodum sunt etiam, quæ subinde excernuntur. Sic Diarrhæam *lethalem*, in qua *ossa* sæpè & copiosa excreta fuerunt, refert *Schenck. cit. loco. Diarrhæam pinguem & oleosam*, vid. in *M. A. N. C. Ann. 2. p. 35.*

Quoad *Prognosin*, observandæ imprimis *differentiæ Diarrhæarum*: Nam ex harum consideratione, & cum viribus ac statu ægri collatione, manifesta se exerit Prognosis. In specie, sicut *Critica* est *optima*, nec rejicienda sit ea, quæ, ob materiæ metastasin, vel spontaneum humorum motum accidit, utpote de quibus intelligendus est *aphorismus 2. sect. 1. Hippocratis*, dum dicit, *in turba-*

turbationibus alvi & vomitibus, quæ sponte fiunt, si, qualia oportet, purgentur, confert, & facilè ferunt. Sin minùs, contra.

Symptomatica verò Diarrhæa, si non semper, ut plurimum est *mala.* Sic, v.g. *Diarrhæa,* superveniens *peripnevmoniæ,* est passiva: Nam omnis talis fluxus in principio morborum superveniens, ut plurimum est malus, quia 1. impedit concoctionem materiæ morbificæ, seu legitimam ejus separationem per naturalem humorum fermentationem. 2. quia vires prosternit. 3. quia subsequens est febrilis colliquationis, id quod patet, quoniam excreta tum temporis sunt plurimum fœtida. Ergò talis diarrhæa symptomatica semper sistenda, aut saltim ita cohibenda, ne fiat præternaturalis.

Medici aliàs ordinariò putant, indicari tunc purgationem, quando supervenit talis diarrhæa: Sed rectè dicit *Lindanus*, ipsos tunc nescire, quid sit superveniens morbo. Nam cum superveniat talis diarrhæa tantummodo propter summam materiæ cruditatem, eamque sæpius malignam, non debet sanè irritari, & exasperari purgantibus. Pertinet huc & *sect.6. §.15. Hippocr. Longâ diarrhæâ laboranti superveniens vomitus malum solvit. It. §. 17. s.6. Ophthalmiâ laboranti alvi profluviô corripi, bonum est.* nempe fit tunc *diarrhæa ex metastasi.* it. § 29. *sect.7. Si Leucophlegmatiâ detento Diarrhæa supervenit, malum solvit*, ex dicta nempe nunc ratione. It. §. 34 *sect.5. Mulieri uterum gerenti si alvus fluat, periculum est, ne abortiat.* Sed limitandus hic §. siquid. *Scholzius in consil:3 40.* inquit: *ubi videris fluorem ad sistendum inobedientem, ne multùm urgeas.* Ferunt autem nonnunquam prægnantes hujusmodi evacuationes usque ad partum citra noxam, ut contigit in uxore fratris mei, quæ 4. [illegible]es sanguinolentas dejectiones etiam cum rasura intestinorum passa est, nec ullo modo sisti poterat. Tandem, excluso fœtu sano, & incolumi sponte sua intermisit. Similem casum *alvi fluoris & Dysenteriæ*, vid. in *Ballonio l.2. consil.* 57. it. *sect.7. §.6. In morbo diuturno cibi fastidium, & sinceræ dejectiones malum.* Excreta, quo magis à statu naturali recesserint, adeoque quo deterioris conditionis fuerint, eò, cæteris paribus, deterior habenda est. Hinc si *crassa* admodum, aut *alba*, aut *viridia*, aut *crocea*, aut *spumantia* dejiciuntur, hæc omnia *mala* sunt. Item *mala* est dejectio *pauca, glutinosa, alba, subpallida, lubrica.* Exitiosa verò est *nigra, pinguis, livida, æruginosa, fœtida. Versicolor* quidem diuturnior est, sed nihilominus *exitialis.* Omnium periculosissimus est *fluxus colliquativus*, & si talis *tabidis* aut *becticis* superveniat, plerunque *lethalis*, *& quibus phthisicis* vel confirmatis, vel quibus capilli defluunt *diarrhæa* supervenit, ea est *colliquativa*, & in propinquo mors.

In *Cura Diarrhæarum* in genere, I. *Acrimonia humorum*, ac potius *fermenti peccantis*, nunc *acida*, nunc simul *alcalina* seu *biliosa*, adeoque *æruginosa temperanda* ac *corrigenda*, indeque nata Mæ. Sæ. aliorumque contento-

rum

rum *colliquatio fermentativa inhibenda*, & jam facta per *sudorem* ejicienda. Nempe huc faciunt *absorbentia*, vulgo *præcipitantia* dicta, it. *adstringentia*, v. g. *coralliata*, *C.C. terr. sigill.* it. *Crystall. Smaragd.* &c. Sic nempe *Zacut. Lusitan. l.1. Med.Princ. hist.22.* & *observatione annexa* diarrhæam diuturnam & ingentem refert, ex veneno ab amasia in cibo propinato, aliis irritis, per *Smaragdum* procuratam, ad gr.xij. in *conserva Cydoniorum*. Sic in Diarrhæis biliosis, nempe in bile æruginosa & porracea dictis, *Crystallum* laudare solet. II. *Irritationis* sensus acutus *opiatis*, vel similibus *sopiendus*, adeoque hinc natus *spirituum impetus*, & efferus *contentorum motus* loculis iisdem *sistendus*. Hinc *opiata* quælibet *theriacalia*, & inter hæc speciatim *Diascordium Fracastorii*, tàm veteris, quàm correctæ à *Sylvio l.1.c.58.§.22. compositionis*: it. ♎ *theriacal.* conducunt. III. *Stomachus* simul probè considerandus, & *appetitus læsus*, ejusque tonus plus minus resolutus apprimè *restituendus*. Conveniunt hic *vinum*, & *vinosa cydoniata*, *mastiche*, *vinum absynthites*. Pro his scopis melius obtinendis sequentia probè observanda sunt *axiomata*: I. In quovis alvi fluxu, qualiscunque etiam sit, *ventriculi* summa semper habenda cura. Hinc *calidus potus* & *calidus fotus* apprimè conveniunt. Ipsi sc. ægri observant, subito atque potum saltem frigidiusculum ingerunt, quòd mox alvi stimulum sentiant. Item *parcus potus* in quavis Diarrhæa convenit, cum, *Foresto* annotante *lib.22. obs.4.* bibendi abstinentia omnem solvat alvi fluxum. *Calidi fotus* sunt varii, tam *sacculi*, quales circa vomitum ordinati, quàm *Emplastra*, præsertim ex *Tacamahaca cum aromaticis* applicata. II. *Diaphoresis*, quantum possibile est, conservanda, interdum promovenda, speciatim, si à fermento humores ipsi ad colliquationem disponantur. Nam si à simplici irritatione est Diarrhæa, non æquè necessaria sunt. It. in *Epidemica* pariter atque *contagiosa* magis, quàm aliis speciebus conveniunt. III. In nulla Diarrhæa in principio evacuatio per alvum confert, sed sufflaminato prius humorum impetu, & deleto irritationis sensu, ubi necesse fuerit, vel *clysmatis* alvus eluenda, vel blando Rhabarbarino intestina abstergenda. Conf. hic *Septalius in animadvers. & caution. med. lib.7. §.89.* Quin potius spectatores motus aliquandiu naturæ erimus, quandiu non excedit, & *morbificæ causæ* potissimùm rationem habeamus. IV. Ubi ventriculus maximè laborat, *vomitus* est proficuus. *sect.4. aph.17.* Adeoque cum maximè urgent stomachi symptomata, & exinde diuturnior evadit affectus, vomitus imperandus. *conf. sect.2. aph.15. & lib. 2. de ratione victus.* V. *Adstringentia*, qua talia non conveniunt in Diarrhæis. Quid enim juvat adstringere & arctare partes, & excernenda retinere, dum omnia adhuc sunt in motu? quin potius Metastaseos in aliam partem nobilem, aut supervenientium gravissimorum symptomatum abdominis ingruit metus: Sic enim ex Diarrhæa, cydoniatis intempestivè suppressa, Ileon lethale observavit *Ballonius*. vid. *Bonett.*

Pharos Medic. p.413. Nec ſtomachus aut inteſtina laxitate laborant, vel reſoluto tono, non magis ſc. quàm in hypercatharſi. Non igitur niſi in Diarrhæa diuturna jam curata, pro primarum viarum tono redintegrando, propriè dicta adſtringentia, cydoniata v. g. aut ex meſpilis deſumta, conducunt. Cætera, quæ ſapore ſtyptico plus minus imprægnata ſunt, v. g. *Tormentilla, terr. ſig. CC. uſt. ſaccharum Saturni, &c.* non tam adſtringendo, quàm ſpecificâ ſui texturâ ſaporem fermenti, vel humoris peccantis corrigendo, abſorbendo, &c. prodeſſe potius videntur. VI. *Vinum* eſt potus medicamentoſus, quatenus ventriculo amicus, tam ſimplex generoſum, quàm medicatum. Sic Diarrhæam trimeſtrem deſperatam *vino roſmarini* curatam refert *Velſchius Hecatoſt. 2. p. 29.* Sic in Diarrhæa poſt purgantia, poſt fructuum horæorum abuſum, *vinum abſinthites* egregiè confert. Ea igitur, quæ conveniunt in Diarrhæis, ſunt *Tormentilla*, ejus *extractum*, præmiſſo, ſi opus eſt, *Rhabarbaro*, una alterave vice, hinc exhibetur *extractum Tormentill.* c. ▽. quadam factum, à ℈ß. ad ℈j. in juſculo calido. Præcellit omnib⁹ aliis medicamentis, in Dyſenteria etiam epidemica, vel *extractum* ex hoc *extracto* cum ſpir. vini paratum, cum *laudano hyſterico* aut *opiato* propinatum eſt egregium: quin imò ſolus ℥ *rad. tormentill.* hic convenit. Hinc *rad. plantag.* & ſpeciatim ejus *ſemen*, it. *Portulaca herba*, it. *Meſpila*, præſertim *condita*, aut quod præſtat, *cruda*; quorum felicem uſum vid. in *Foreſt. l. 22. obſerv. 1. Rob. ſorbi*, ſpeciatim *torminalis* eſt nobile *ſpecificum*, in *Diarrhæis* etiam *epidemicis*, it. in *diuturnis*, quæ ab uſu fructuum horæorum ſuperveniunt. In ejus locum etiam *rob. ſorbi aucupariæ* poteſt ſubſtitui; ſed hoc inferioris eſt conditionis, utut egregiè etiam conveniat ſtomacho. Hinc *cydoniata* quælibet, item *Nux moſchata* ac *macis*, it. *caput mortuum cinamomi*, ex quo nempe *aqua* & *oleum* deſtillata ſunt, ſunt ad Diarrhæam præſentia remedia. Itali *lignum lentiſcinum* laudant, & *decoctum* exinde paratum: tranſudat nempe ex hoc *maſtiche*, unde in ejus locum *decoctum maſtiches*, ceu ſtomachicum nobile, in *Diarrhæis* uſurpari poteſt, quod etiam quorundam Medicorum fuit ſecretum. Præſcribi poteſt ita ad imitationem nempe *Tilemanni* in *materia medic.*

℞. aq. plantag.
fol. quercus
roſar. an. ℥vj.
Vel horum loco aquam ſimplicem.
Maſtich. ſelect. ʒiij ad ℥ß.
Macis ʒj.
Colaturam ℞. adde
aq. Cinamomi ℥j. D. ac uſurpetur.

Poteſt etiam de *ſucco cydoniorum* △*ato*, aut hujus loco parum *ſyrupi cydoniorum* addi, majoris ſaporis gratia. *Ovi vitella bina ad duritiem cocta*, cum *aceto roſac.*

 tempe-

temperata, & ita usurpata, euporiston sunt præstantissimum. *Helmont. Tr. Pylorus Rector.* §. 22. aliquoties à me expertum, etiam in Diarrhæa, quæ jam per 4. dies pertinaciter theriacalibus restiterat. Conf. *M. A. N. C. Ann.* 8. *p.*67. *Decoctum granorum juniperi* stomacho gratum & diureticum laudatur à *Riverio. Spongia salicis* exiccata, & ad ʒß. data, præstans habetur remedium ad Diarrhæas; sicuti etiam ʒj. *sem. Sophiæ Chirurg.* præstantius est atque *semen plantaginis* suprà laudatum. Porrò *bolus Armen. terra sigill. terra solaris*, & hinc ♂*lia, crocus* ♂, *lapis hæmatit.* speciatim *artificialis* egregia sunt in Diarrhæis, nempe non tàm præcisè *adstringendo*, quàm *absorbendo* vitiosos sapores. Confer *Poter. cent.*3. *c.*77. *cent.*2.*c.*39.& 81. ubi gravia alvi profluvia *croco* ♂ prostant curata. Sunt qui recipiunt *boli armen.* & *nuc. moschatæ ana*, miscent cum uno alterove *vitello ovi mollis*, & ita sine *sale* assumunt contra Diarrhæas. *Gelatina C.C.* it. *Decoctum C.C.* pro potu ordinario assumtum *corrigendo* & *temperando* egregiè convenit in quibusdam *Diarrhæis*, speciatim *epidemicè grassantibus*, aut aliàs *contagiosis*. De *Theriaca*, speciatim *Diascordio* jam suprà dixi, & considerationem meretur effatum *Foresti lib.*22.*obs.*17. *Theriaca* ad omnes ventris fluxus est mirabilis, maximè sistit *cholericos*, si sit *recens*: Compescit enim mordacitatem humoris, & torporem inducit.

Ex hactenus dictis plures concinnari possunt *formulæ*, v. g.

℞. aq. Tormentill. vel
plantag. ℥iij.
Diascord. Fracast. ʒij. vel ʒiij.
Extr. tormentill. ʒj.
♁. diaphor. ʒß.
Syr. cydon. ʒvj. M. pro 2. dosibus, expectando qualibet vice blandum sudorem.

Vel: ℞. aq. plantag.
portulac. an. ℥jß.
acet. rosac. ℥ß. ad ʒvj.
Diascord. Fracast. ℈ij.
terr. sigill. ℈ij.
♁. diaphor ℈j.
syr. ros. rubr. ʒvj. M. pro 3. dosib.

Acida nempe c. terr. sigill. ac similibus propinata, texturam aluminosam quasi acquirunt. Vel: ℞. aq. menth. ℥ij.
cinamom. ℥ij.
extract. Torment. gr. viij.
croci ♂ adstr.
laud. hysteric. an. gr. vj.
syr. cydon. ℥ß. M. pro 1. dos.

Mulier

Mulier quædam corripitur *Diarrhæa simplici*, sed tunc *epidemica*, cum varia & multiplici *phlogosi*. Prima die 8. vel 10. vicibus: secunda 40. vicibus dejecit: unde virium insignis prostratio, anxietas præcordiorum, inquietudo, &c. Vocatus à meridie ordino,

℞. ♁ diaphor.
Extr. Tormentill. c. ▽. an. ʒß.
terr. sig. ℈j.
laud. fermentat. gr. ij. M. divid. in 2. partes æqual.

Capiat unam vesperi, alteram post mediam noctem in vehiculo seq.

℞. aq. tormentill.
scordii an. ℥j.
∽ theriac. camph. ʒj. ad ʒij.
▽. cinamom. ʒj. M.

Cessant hinc dejectiones, sed tamen nox inquieta absque somno fuit. Manè

℞. C.C. sine △.
bezoard. ♂ial.
Extr. torment. an. ℈ß.
theriacal. gr. ij. M. capiat in isto vehiculo.

Cessarunt ferè in totum *dejectiones*. Sed, utut se cogeret, *sudorem* tamen nullum extorquere potuit. Vesperi

℞. C.C. sine △.
corall. rubr. præp. an. ℈ß.
Extr. torment. gr. v.
theriacal. gr. iß. M.

Dormivit benè, nonnihil sudavit. Manè conquerebatur de insigni circa præcordia molestia, & dolore quasi compressivo: Da legs und drucks hiervorn. Signô contentorum adhuc recrementorum circa primas vias, sed per ista remedia ab excretione cohibitorum. Hinc ℞ ∽ *carminativi de tribus* ʒij. *Dos. gutt.* 40. bis in die. *Passiones hystericæ* supervenerunt, ab istis nempe retentis occasionatæ, quæ tamen seq. mane per 3. dejectiones alvinas spontaneas fuerunt levatæ, unde continuato ∽*u* curata est.

Externè in Diarrhæa convenit *theriaca*, ventriculo & umbilicali regioni imposita, vel sola, vel mixta cum ana *bals. Peruv.* aut:

℞. theriac. ʒij.
ol. destillat. junip. ʒj.
macis
caryoph. an. ℈ß. M.

Illinatur dictis locis, vel

℞. ol. destillat. macis
menth.

carui. an. ℈ß.
nuc. mosch. expr. q. s. pro consistentia Bals.

Illinatur frequenter dictis locis, imponendo desuper linteamina calefacta. Item *crusta panis tosta, vino austero, vel aceto* ebria, pulv. nuc. moschat. insperso, ventriculo applicata est egregia. Cætera vide ubi de *Vomitu* fuerunt explicata.

Quum opus est *abstersione intestinali*, usitatum ferè est *rhabarb.* propinando illud crudum ad ℈j. cum *conserv. rosar.* vel *ejusdem tosti* ℈ij. cum gr. vj. vel viij. pulv. nuc. mosch. usurpantur, vel in forma sicca, vel cum *syr. ros. sol. Decoctum* item *Tamarindorum* suaviter alvum laxat, & stomacho amicum est: Sed non conveniunt talia nisi in declinatione, pro reliquiis exterminandis, vel in principio, quando nempe excernenda varia, vel in primis viis congesta sunt, vel ad hæc loca aliunde moventur, vel quando ex fructibus horæis malum recèns natum est, tunc, ut removeantur sordes istorum locorum, ne ab iis supprimatur vel retardetur vis appropriatorum remediorum, in principio blanda talis abstersio locum habet.

Atque hæc *in genere* Diarrhææ cura. *In specie* jam considerandum, quænam ex multiplici ejus differentia curanda inprimis veniat. Ubi facilè patet (1.) *artificialem* : (2.) *spontaneam ab errore externo* : (3.) *ex humorum metastasi*: (4.) *ex humorum spontaneo motu*: (5.) *symptomaticas*, si ægro *commoda*; (6.) *criticas*, non esse curandas, sed relinquendas, nec naturæ motum turbandum, quin spectatorem saltem agere, & si deficere videatur, moderatè stimulandum. *Sin* verò tales *Diarrhææ* futuræ sint *nimiæ*, adeò ut ob ventriculi vitium hinc *læsa* ejus *fermentatio*, vel *bilis defectus*, aut ejus *corruptela*, vel *intestinorum* ἀτονία, aut *facilis irritabilitas* hinc metuenda sint, sistendæ veniunt moderatè.

Indicium, quando curandæ vel non curandæ sint tales Diarrhææ, præter dicta, imprimis suggerit *ventriculi appetitus* & *coctio*, quibus salvis, nil nocet Diarrhæa.

Sanandæ igitur sunt I. *Diarrhææ* modò dictæ, si sint *nimiæ*. II. *Diarrhæa* morbus tam *simplex* quàm *Epidemicus*. III. *Diarrhæa symptomatica*, præsertim *colliquativa*. IV. Diarrhæa *habitualis*. Quibus omnibus *generalis* ista *cura* applicanda venit. *In specie* Diarrhææ *artificiali*, si sit ex *hypercatharsi*, convenit internè bolus ex *theriaca Andromachi*, cum *aqua cinamomi* assumtus: item *terra sigill.* ♉ *diaphor. C.C. sine igne*. In specie *pumex*, de quo vid. *M. A. N. C. Ann.* 3. *p.* 526. item *Opium*, ac inde *Theriaca* & *diascordium*. Hinc *vinum Rhenanum*, *generosum*; speciatim *vinum absynthites*. Æger in lecto calido imponatur: Abdomini, imprimis regioni epigastricæ, *Empl. ex theriaca* imponatur, vel *fotus ex decocto absinthii, menthæ*, cum *aromatibus in vino* decoctis. Quòd si tormina aut alvum egerendi conatus adsint, *clysma ex lacte tepido*, in quo *Theriaca* dissoluta sit, injiciatur, aut etiam *Clysma* ex *vulnerariis*

nonnihil

nonnihil *adstringens*, & blandè *abstergens*. Conf. *M. A. N. C. An.* 3. p. 525. Ac sanè non rarum est in aliis morbis, supervenientes alvi fluxus *clysmatis anodynis*, & ex *lacticiniis* paratis, compesci, quorum tunc habetur *indicatio*, quando *crebrius*, & tamen *parcius* dejiciunt ægri, peccante magis acrimoniâ, quàm copiâ excernendorum.

Diarrhæa nimia ob errorem externum, v. g. *fructus*, per *absorbentia* & *figentia* sistitur.

℞. corall. rubr. præpar.
C. C. ust. an. ℈j.
nuc. mosch. gr. xij.
Ess. opii gut. xv. M. pro 2. dos. in haustu cerevis. calidæ, vel vini absinthitis calidi assumendo.

Egregiam observationem talis *Diarrhææ*, *catarrhalis* vocatæ, per *vesicatoria* curatæ vid. apud *Zacut. Lusit.* Sin ex *Metastasi* nimia futura sit Diarrhæa, radix mali est evellenda, & præsertim cum *catharrosi* tali Diarrhææ sint obnoxii, præsertim *nocturnæ*, ut rectè insinuat *Ballonius*. Vid. *Bonett. Pharus Medic.* p. 411. (unde & à cerebro Veteres talem diarrhæam derivârunt:) *avertentibus*, & aliorsum *derivantibus*, adeoque *vesicatoriis aut fonticulis* Diarrhæa talis erit levanda.

Diarrhæa ex *spontaneo humorum motu nimio*, pariter ut ea, quæ ex *errore externo* oritur, tractanda, *ventriculo* imprimis succurrendo, ubi *amara*, ut *absinthium* & *theriacalia* speciatim conducunt. In *Epidemica* appropriatis *alexipharmaca & sudorifera* misceantur, v. g.

℞. ♁ diaphor.
terræ sigill. an. gr. xv.
sal. vol. viper. gr. vj.
pulv. nuc. moschat. gr. iv. M. F. pulvis pro 1. dos. blandum expectando sudorem, cui interdum unum alterumve granum *Opii* addi potest.

Vel ℞. C. C. s. △ ʒß.
Extr. tormentill. gr. xv.
sal volat. C. C. gr. vj.
laud. Op. iß. M. pro 2. dos. vel robustiori pro 1. dosi, expectando sudorem.

In *præcordiarum angustiis* junctis
℞. Ol. destillat. macis ℈jß.
Junip. ℈j.
Caryoph. gr. vj.
nuc. moschat. expr. q. s. pro corpore Balsam. M.

Diarrhæa *habitualis* imprimis curanda venit *thermis*, usurpando internè *aromatica* stomacho grata. Sic *Riverius cent.* 2. *obs.* 47. refert, *alvi fluxum* per 8. annos

annos durantem, *thermarum usu* curatum; per quas etiam curatus fuit *alvi fluxus cum ulcere*, teste *eod. cit. loc. obs.* 49.

Colliquativa Diarrhœa vix, nisi curato primario morbo, auferri poterit, interim *temperantibus*, ac *blandè adstringentibus* ulterior ejusdem progressus, quantum possibile, cohibendus.

Summus Diarrhœæ gradus, & qui rarò absque malignitate est, est

CHOLERA

morbus, quando nempe *non absque impetu ac singulari violentia copiosa recrementa tam sursum per os, quàm deorsum per anum expurgantur.* Adest simul *ventris ac intestinorum dolor*, plus minus vehemens, *inflatio & distentio*, *cardialgia*, *sitis*, *pulsus celer & frequens*, interdum *parvus*, *anxietates præcordiorum insignes*, *inquietudo & jectigatio*, *animi imminentia deliquia*, *partium extremarum refrigeratio*, *sudor circa frontem*, tandem quoque adveniunt *convulsiones*. Omnia hæc symptomata eò sunt atrociora, prout causa efficiens occasionalis acrior & malignior extiterit. Valent hæc de *Cholera humida*. Nam præter hanc etiam *Cholera sicca* datur, *notha* nempe, in qua saltem *flatus copiosi* suprà & infrà per utrumque guttur eructantur, ac in *hypochondriacis* subindè observabilis.

Humida Cholera est, quæ modò consideranda venit, & in qua, ut in catharsi vehementiori ac Diarrhæis, etiam ad duo respiciendum est, vel *ad acre irritans*, istudque ut plurimum *acidum*, nunc *solitarium*, nunc *bili permistum*, indeque cum hac effervescens, & ita *bilem æruginosam* omnium pessimam, ventriculo præsertim extremè hostilem, constituens, à qua etiam gravissima Cholericorum circa præcordia Symptomata: Vel *ad idem acre*, humores, præsertim M. S. *inquinans*, *dissolvens*, & *fermentativo motu* eosdem *colliquefaciens & conturbans*, naturæ analogæ cum purgantibus vehementioribus. *Acre hoc*, sive irritans sive colliquefaciens, sive (idque ut plurimum:) utrumque fuerit, nunc *humoris copiosi* facie se exhibet, ex assumtis nempe vel in se vitiosis, vel saltem intus corruptis genitum; nunc verò idque ut plurimum, in vehementiori affectu, & qui sponte sua ex interna oritur causa, sub mole minimâ existit, adeoque rectè *fermentum malignum* appellari potest.

Quoad *irritationem*, *locus irritationis* est finis duodeni & principium jejuni: Dum enim in isto loco confluunt acres plus minus & contrarii, plus minus vitiati succi, non possunt non insignem excitare effervescentiam, indeque insigniter irritare & stimulare intestina & pessimo sensu affligere pylorum. Unde ex peristaltico dictarum partium motu, tam inferiora versus naturali, quàm superiora versus inverso præternaturali, contenta ista qualiacunque, plus minus vitiata aut corrupta, sursum ac deorsum dejiciuntur. Quoad verò *fermentationem corruptivam* sive *colliquefactivam*, factam à *fermento plus minus maligno*,

gno, cum contentis corporis permisto, à quo ipso alterata eadem præsertim M. S. partes sui vitiosas sero involutas, per ductum choledochum & pancreaticum ad intestina amandant. Hoc ex eo manifestum est, quod ut non raro *ab alimentis corruptis* occasionaliter inchoatur *cholera*, nihilominus tamen excrementorum quantitas est tanta, ut alimenta, aut quævis assumta superet longè, quæ excrementa non oriuntur, nisi ex M. S. quæ communis fiscus & promus condus est totius œconomiæ animalis. Hinc enim est, quod *purgantia* non rarò *choleras* excitent, in istis scilicet, in quibus copiosa *salia contraria*, præsertim *acida*, per *medicamentum purgans* fermentante motu ad intestina detruduntur, ubi tam *effervescendo*, quàm mutuâ sui miscelâ *vitiosum saporem acquirendo*, tam violenter intestina stimulant, ut *Cholera* subsequatur, uti interdum in *hystericis*, *scorbuticis* & similibus observari assolet. Hinc etiam est, quod *fructus horai*, aut ipso aëris vitio corrupti, aut in stomacho imbecilliori sub digestione vitiati, in talem chylum vitiosum ac fermentativum abeunt, ut & intestina irritando, & Mæ Sæ crasin turbando & colliquefaciendo, choleram excitent. Unde etiam non rarò *febrilia* adsunt *symptomata*, ex præternaturali ista sanguinis commotione, tam ratione pulsus, quàm ratione caloris. Quò facit observ. *Amat. Lusit. cent.3.cur.*88. ubi *pro fluxus mensium, vel alvi* varietate, *febris* juncta nunc imminuebatur, nunc augebatur: Sicut menses fluentes choleram imminuebant, quantum restricti augebant, idque in muliere cacochymica. Sic adjunctus *dolor ventris & intestinorum*, *inflatio eorum*, *ac distensio*, effectus genuini contentorum acriorum effervescentium, dicta confirmant. Fermentum istud in *cholera* sæpius est malignum: (quo nomine nil aliud concipere possumus, quàm summam acrimoniam, etiam in minimo interdum efficacissimam, nervosis partibus sensilissimam, & summam præternaturalem impressionem, humoribus verò in singulari textura sua mutationem inferentem.) id quod tetra ac periculosa testantur symptomata: item quod *theriacalia*, *sudorifera* & *malignitati resistentia*, primariò in *cholera* sunt attendenda. Unde & *Panarol. Pentec.* 1. *obs.* 28. choleram à *veneno* quasi *putredinali* oriri asserit. & *Joh. Colle. l. 3. Med. Pr. morb. malign.* choleram inter affectus ventriculi malignos reponit, utut non omnem. In genere quæcunque symptomata deleteriam antimonialium purgationem aut helleborum album sequuntur, aliudve violentius catharticum, ea similiter obvia sunt in *Cholera*. Jam verò notum est, quod dicta rectè inter *venena corpori inimica* reponantur.

Hæc in genere *de causis ac fiendi modo*. In specie *causa remota* sunt vel *interna*, vel *externa*. *Hac* assumta varia plus minus præternaturalia: *illa* verò *interna* aut ex assumtis intus genita, aut spontaneà contentorũ corruptelâ nata fuit. *Frequentiores* tamen *causa* sunt, vel *assumta facilè fermentescibilia*, indeq; *promptè corruptibilia*, nisi debitè à fermento ventriculi subigantur; vel *medica-*

dicamenta assumta acriora, plus minus maligna; vel denique *certa quædam corpora*, acrimoniâ sibi propriâ choleram inducentia. Inter alimenta se primùm offerunt *Persica mala*, ex quorum esu choleram contractam in seipso observavit *Timæus l.3.cas.8. p.119. Raphanus* nimiusque ejus esus itidem subindè inducit choleram, teste *Amat. Lusit. cent. 2. cur. 32.* speciatim *melones*, it. *cucumeres*, frequentius choleram inducunt. vid. *Zacut. l. 2. prax. admir. observ. 15.* Quo facit *Fontanus in analectis c.35. exempl.12. p.102.* qui refert, anum septuagenariam ex esu *cucumerum*, superbibitâ cerevisiâ, cholerâ correptam, quæ 30c. uno die vicibus pituitam per os rejecit, cùm febre & delirio. Porrò *lac* & ipsum, uti subindè remedium est choleræ, ita idem *corruptum choleræ causa* existit, observante *Henr. ab Heer. obs. 15.* Pariter & ex *oryza cum lacte parata*, sed *frigidè assumta* choleram notat *Zacut. Lusit. l. 2. prax. adm. obs. 15.* Pariter ex esu *fructuum præcocium cùm ovis frixis, superbibitâ frigidâ*, cholera nata, ita ut biduo 300. vicibus dejiceret humorem aquosum, & 60. evomeret, idem *Zacut. refert lib. ult. prax. admir. hist. c.1.n.7. mustum, cerevisia novella, vinum non ritè defecatum* facillimè choleram inducunt. *Ova piscium Barbi & Lucii* insigniter ad hunc morbum disponunt. Conf. *Timæum l.1. cas.7. pag.118.* item *Schenck l 7. obs.* Post alimenta sunt *medicamenta purgantia*, vel *acriora*, vel *in nimia dosi*, vel *subjecto*, cujus contenta quælibet sunt *acriora*, propinata, unde frequens cholera, ita *Riverius cent. 2. obs. 19. Rhod. cent. 2. obs 68. Forestus l. 18. obs. 44.* qui refert choleram ex *infuso hellebori albi* concitatam, curatam per ℥ij. 🜄. *flor. nymphææ albæ*, ceu proprii ejus antidoti. Faciunt huc *venena quædam acriora*, uti sunt 🜍, ☍ & similia, it. ☿, it. *fungorum* quorundam esus. *Internas inter causas febres malignæ*, in principio sui subinde habent adjunctam choleram: Sic & *choleræ epidemicæ* plus minus *malignæ* subindè observatæ fuerunt, qualem refert *Sydenham Tr. observ. de morb. acut. p. 239.* Sic *Willis in pharm. rat. vol. 1. pag. 119.* choleram malignam refert etiam epidemicam, quam tamen sub nomine *Dysenteriæ non cruentæ* describit. Notabile etiam est, quod *Fehr. Tr. de absinth. p. 107.* ob *occlusam Fontanellam* choleram natam observavit, ut nil dicam de singulari *idiosyncrasia*, cujus ratione ex audito tonitru cholera subindè enata. vid. *Act. Soc. Reg. vol. 1. p. 446.* Singularis est cholera, quam recenset *Panarolus pentec. 1. observ. 11.* nempe *choleram sanguineam*, ex *nimio exercitio* ♀eo contractam, propinatis tamen ℈jv. *pulv. hæmatitis in vino seu succo granatorum* curatam. Nec negligendus est *Fonseca l. 1. cent. 84.* qui refert choleram, in qua evacuabantur sursum & deorsum *nigra*, vitio lienis obstructi ob ⊠ deficientes.

Ex dictis facilis est *Prognosis*, cùm ex symptomatum superius facta enarratione manifestum sit, *acutissimum & periculosissimum esse malum choleram*, periodum ferè observat tertianariam, ita nempe, ut de tertio in tertium diem

diem moveatur, seu plus minus exasperetur. Sæpius ægri jam convalescere, & morbus declinare videtur, superveniente nihilominus recidiva lethali. Sic *Horstius l.4. obs.8.* notat, Cholericam passionem ferè curatam, ex potu *vini, non ritè defæcati*, lethaliter recidivantem. Quò *perturbatio ventris major* est, & quò magis afficitur *ventriculus*, eò *periculosius malum* est; *periculosior* etiam est ea, quæ *à bile æruginosa* ortum habet, utpote interaneis quibusvis hostili. it. cum *loturæ carnis*, simile quid excernitur: & longè adhuc majus malum, si *livida*, aut *nigra* rejiciantur. *Fœtida* etiam insigniter sunt *pessimi ominis*. Cholera, quæ supervenit *principio febrium* quarundam, si nempe per modum criseos fiat, potest esse salutaris.

In *Cura* eadem medendi methodus est ac Diarrhææ, nempe *Temperandum* I. *Acre*, ac destruendum fermentum malignum. II. *Opiatis* humorum motus *sistendus*. III. *Appropriatis* stomachus *roborandus*.

Pro his scopis melius obtinendis observandum: 1. Si magna adsit virium exsolutio, integra *laudani* dosis exhibenda non est, sed melius est, partitis vicibus, adeoque in minori dosi successivè propinare. Aliàs *opiata* nunquam omittenda sunt. Quin imò, si tardius accesserit Medicus, ita ut æger vomitu ac dejectionibus ad plures horas fuerit exhaustus, jámque graviora symptomata, v.g. *extremorum frigus* immineat, in tali casu, omissis quibusvis aliis auxiliis, mox ad sacram *laudani* anchoram est accedendum, sicuti aliàs *opiata* in choleræ cura nunquam omittenda sunt.

2. Ab *adstringentibus* in initio est abstinendum, atque cavendum, ne vomitus & alvi egestio statim in principio cohibeatur. Periculum enim est, ne recrementa evacuanda, seu talia in corpore præextiterint, seu à fermento maligno per colliquationem transmutata fuerint, seu ex assumtis genita, invita detineantur, unde inimico visceribus incluso, facilè multa ac gravia symptomata supervenire possunt. Sicuti è contra, si catharticis excretionem promovere velimus, oleum igni adderemus; ita cum lenissimi cathartici operatio novos insuper excitet tumultus, Spectatorem potius naturæ agere debemus, aut saltim *in principio* acre istud *abstergendum blandè ac diluendum*, hinc *demum opiatis* morbi impetus frangendus.

3. In *Cholera à veneno corrosivo, lactis potus* commendatur, cui *appropriata* misceri possunt. it. ℅ *amygd. dulc.* quod corrosivitatem demulcet. Illustrat hæc *Poterius cent.2. cur.57.* ubi ex 🜄 pro vino bibita, nausea, vomitus, dysenteria, febrisque continua oborta fuit. Hinc *emulsionem amygdalarum dulc.* cum gr. xv. *terræ lemniæ* propinavit, noctu v. ℈ij. *theriacæ*, cum aliquot granis dictæ *terræ sigill.* propinavit. Sequenti mane *lac chalybeatum*, cùm *ceræ flavæ* ʒj. pauxillo *nuc. moschat.* & dictæ *terræ sigill.* addito exhibuit. Extrinsecus *fotum ex absynth. mentha, rosis siccis, macere, nuc. moschat.* & aliis ordinavit.

Ad hujus imitationem semper primaria cura sit, ut appropriatis aliisque similibus *acre temperetur*. Hinc vel *in principio abstergentia*, vel *in progressu* blanda *anodyna* melius operantur.

A potu, quantum possibile, abstineat æger, nisi pro scopo abstergendi ac temperandi, vel *serum lactis*, vel *decoctum hordei cum syr. rof.* vel *decoctum pulli* aquosius, aut simile, omnia tamen, quantum possibile, tepidè exhibenda sunt.

Medicamenta igitur, quæ dictis conveniunt scopis, sint *in principio abstergentia, & blandè evacuantia*, imprimis, si ex corruptione alimentorum nata sit cholera, in tali casu *Sylvius prax. l.* 1. *c.* 15. §. 49. propinat *vomitorium* ♁*iale* admisto *opio*; Quod equidem propter vomitorii vim haud facile imitârim; potius ut temperarem, simulque abstergerem, *serum lactis* solum, vel cum ℥j. alterave *syr. rof. solut.* permistum, aut serum lactis, in quo ℥j. alterave *tamarindorum* ebullierit, exhiberem, vel *infusum* blandum ex *Rhabarbaro*, & *bolum ex eodem* cum *conserva rosarum* exhibenda svaderem.

Clysteres itid. *lenientes* in tali casu conducunt, quibus ʒj. ad ʒij. *theriac.* addita sit. Speciatim *Clysteres ex lacte* cum ʒij. vel ʒiij. *theriaces* conducunt. *Internè* conveniunt imprimis *mentha*, ceu egregium *specificum*, stomachum nempe suo modo pacificans, *portulaca* item & *plantago*, seu in *decocto* cum *syr. cydon.* & *confect. de hyacinth.* propinentur; seu eorum *succus* cum *mentha* propinatus. Pariter *emulsiones ex seminibus 4. calidis maj. amygd. d.* & similibus, quibus *appropriata* addita sunt, exhibeantur, imprimis *terr. sigill. terræ* ♂*iales*, speciatim *Crystall. præparatus*, ceu *specificum bilem æruginosam* temperans, sæpius in cholera convenit. Confer quoad *Crystalli* usum *Langium l.* 3. *epist. c.* 4. it. *Zacut. Lusit. l.* 2. *prax. admir. obs.* 15. it. *Heer obs.* 1. Choleram *ex usu acidularum*, corpore non præparato seu purgato, natam, usu *Crystalli montani* in *succo berberum* propinati, unoque alterove *clystere* curavit. Juxta *Crystallum* & *Smaragdus* est, qui acerrimi istius fermenti corrosivi vim infringit, speciatim ubi jam convulsiones imminere videantur. Ulterius ♂*ialia*, imprimis ♁. *diaph.* ♂*iat.* est egregium: Hinc *CC. ust. Ebur. s.* △. *corall. rubr.* &c. in usu sunt.

Quoad *opiata*, quæcunque *laudana opiata*, & horum ratione & *theriaca*, ♎ & *essentia theriacal.* tam *simplex*, quàm *camphorat.* adhiberi possunt. Hinc & *Diascordium Fracast.* it. *opiata bezoardica Timæi*, *in casibus p.* 119. experti usus sunt.

Ex dictis facile est, varias *formulas* concinnare, v. g.

℞. aq. portulac. ℥iij.
cinam.
♎ theriacal. simpl. an. ʒiij.
Diascord. Fracast. ʒiij.

♁ dia-

♁ diaphoret. ♂ial. ʒß. M.F. potio pro aliquot dos.

Vel ℞. aq. menth. ℥iij.
ebor. s. △. ℈ij.
cryst. præpar. ʒß.
terr. sigill. ℈j.
laud. opiat. gr. iij. vel hujus loco
essent. opii ʒß.
syrup. portulac. ʒvj. M.

Item: ℞. Theriac. ʒj.
terr. sigill. ℈j.
cryst. præp. gr. xij. c. s. q.
syr. menth. F. Bolus. capiatur, & hauriatur desuper haustulus *vini absinth. calidi.*

Vel: ℞. Conserv. menth. ʒj.
terr. sigill.
corall. r. præp.
cryst all. præp. an. ℈ß.
laud. op. gr. ij. c. q. s.
syr. corall. F. Bolus. D.

Tandem ℞. Ebor. s. △. vel
unicorn. ver. præp.
cryst all. præp. an. ʒj.
bol. armen. ℈j. ad ʒß.
laud. op. gr. vj. Misc. f. ♄, qui propinetur in seq. vehiculo:

℞. aq. menth. ℥jv.
cinam.
ess. theriacal. ℥ij.
syr. corall. ʒvj. ad ℥j. M. in hoc capiatur ♄, subindè hauriatur unum vel alterum cochleare ejusd.

Externè in Cholera ea conducunt, quæ inprimis stomachum respiciunt, quæ inter eminet ▽ *camphorat.* cum panno vel linteis multiplicatis, quàm calidè ferre potest æger, regioni epigastricæ admotus. Vel ℞. ex tempore ▽ ab *herbis cordialibus & aromaticis* rectificatus, cujus singulis addatur ℥ijß. *camphoræ*, quo ipsum linteum multiplicatum calidum celeri manu humectatum applicetur. Hoc ipso æger, qui per quatuor dies pertinaci cholera suprà & infrà etiam gravissima remedia rejecit, curatus fuit. Alia etiam suprà in *vomitu* laudata hîc sunt proficua, speciatim *panis tostus vino generoso intinctus*, & *pulveribus aromaticis adspersus.*

Quoad *differentias* causarum, choleram inducentium, si *à veneno* sit *corrosivo*, jam suprà dictum fuit, quod *oleosis & pinguibus*, item *absorbentibus* curanda veniat. Si oriatur cholera *ex hypercatharsi*; tum solum *laudan. opiatum*, tanquam præsentissimum remedium confert: aut

℞. eff. Theriac. ℥ij.
Opii ʒß. ad ʒj.

Mista propinentur ad gutt. 40. quoties necessitas postulat. Vel talium loco *theriaca* in haustu *vini generosi calidi*, aut *vini absinth.* confert. Dos. ʒj. ad ʒij. Sin à *fructibus horæis* sit malum, præter *blanda abstergentia*, eorumque colluviem *evacuantia*, conducunt *præcipitantia* dicta, nempe *terrea fixa*, item *C. C. ust.* ac *salia lixivialia*, ad imitationem nempe cerevisiæ vel mulsi effervescentium impetuosius, dictis mediis cohibitorum.

DE LIENTERIA.

Ad *Diarrhœas* sive *alvi fluxus* pertinet etiam *Lienteria*, quæ est *Diarrhœa assumtorum*, hoc est, quando assumta, prout fuêre ingesta, per alvum egeruntur. Jam verò, cùm in naturali statu ad legitimam digestionem requiratur, ut fermentum digestivum debitè dissolvat, & alteret alimenta, ut convenienter eadem retineat, sanè ex contraria causa necessariò oritur *Lienteria*. Nempe I. quando fermentum digestivum stomachi aut omninò deficit, aut iners est, aut ex retentis variis impeditum. II. Quando tanta pylori est laxitas, & è contra reliquarum ventriculi partium irritatio, ita ut pylorus non debitè retineat, quin potius assumta dilabi ex se patiatur, quam revera excernat. Idque inprimis, si cum hac pylori laxitate vel lenissima conjungatur irritatio stomachi & molestia, Lienteria insequitur, adeoque *causa* ejus investiganda, *vel* in fermento non digerente, *vel* in pyloro non retinente. Hinc est, quod observata fuit Lienteria admodum contumax ab ulcere ventriculi. In hoc etiam non tantum notabilis alteratio fermenti digestivi, & ob id imminuta digestio; sed præter ea etiam ventriculus ulcere continuo irritatus, quælibet assumta mox ejicit. Vid. *Forest. l. 22. obs. 30.* qui *curavit* hanc Lienteriam, *ulcus* primò *mundando per aquam mulsam*, & *decoctum hordei cum melle rosaceo*; postmodum *idem adstringendo & consolidando* cum *decocto rad. symphiti*, *terræ sigill.* vel cum lacte vaccino, item *pulv. equiseti* &c. Similiter *Gabelchoverus cent. 2. obs. 47.* *Lienteriam* observat *ab irritatione ventriculi*, ab acriore humore in eodem retento natam, unde omnia potulenta in ea forma, quâ assumsit, per alvum egessit, curatus tamen est imprimis per *abstergentia & temperantia*, inprimis sero lactis. Nimius etiam potus ad Lienteriam disponit, idque ob nimiam pylori laxitatem, cujus fibræ relaxatæ non possunt sufficienter se constringere, unde assumtorum præmaturus effluxus,

sicuti

ficuti refert *Deodatus in Valetudinario* p. 28. se istud in puella nimis siticulosa observasse. Denique *scorbutus* non rarò conjunctam habet *Lienteriam*, uti primus quidem annotavit *Barbette*, cùm tamen crebrius in praxi occurrat, ut talium excrementa referant antea ingesta: scilicet acriora salia, tam cum saliva, quàm per membranam stomachi glandulosam ad ventriculum delata, eundem vitiosâ impressione irritant, & hinc ad præmaturam excretionem stimulant. *Lienteria* igitur diu durans, uti tandem *atrophiam* & *tabem*; sic necessariò *virium prostrationem* secum infert, ut taceam, ad *cachexiam* quoque eandem disponere. Deinde *Lienteria*, quæ supervenit *gravioribus morbis*, sive acuti, sive chronici fuerint, similiter ægrum ad *tabem* disponit, dum difficulter curatur.

In *CURA stomachus* vel *roborandus* est, & blandè *adstringendus*, tàm *aromaticis*, quàm *moderatè acidis*; adeoque pro hoc scopo conveniunt omnia illa, quæ tam in *anorexia*, quàm *apepsia* fuerunt insinuata. II. *Irritationem* esse *sistendam*, tollendo *causam vellicantem*, præsertim *temperando acrimoniam humorum* quorumcunque, & *sopiendo ventriculi sensum*. Adeoque pro hoc scopo ea, quæ in *vomitu*, *cholera*, aut *Diarrhæa* fuerunt laudata, locum invenient.

Pro his scopis melius obtinendis notandum: I. quod in præsentia excrementorum ventriculi pituitosorum aliorumve vitiosorum retentorum conveniant *vomitoria*, sed ea debent esse *lenia*: fortiora enim aut quantitate aut qualitate, v.g. oleaginositate, stomacho hostilia, tonum ventriculi laxant, aut certè malum irritant. Quod si minus purgatio per superiora locum habeat, fiat *evacuatio per inferiora*; *blandiora* nempe, & quæ, præter vim *abstersivo-laxativam*, simul nonnihil *adstringunt*, & *stomachum roborant*, uti sunt *aloetica*, *Rhabarbarina*, *myrobalani* &c. Sic *Helidæus Paduanus obs. p. 126.* puerum trium annorum, cibos nec quantitate nec qualitate mutatos excernentem, per ℈j. *rhabarbari* cum vino ante cœnam adhibiti curavit. *Pilulæ* pariter *mastichinæ* ad gr. xv. vel ℈j. tutò possunt ordinari.

II. Si metus vel suspicio *veneni* adsit, hoc per convenientem viam evacuato, *alexipharmaca*, aut venenum specificè corrigentia imprimis conducunt. Quod pariter observandum, si Lienteria ex *fungis, vel fructibus horæis*, similibusvè occasionibus externis fuerit excitata, ut appropriatis obviam eatur.

III. Oservandum monitum *Foresti lib. 22. obs. 22.* quod in hoc fluxu debeamus cavere à fortioribus medicamentis, & etiam à magnâ dosi, unde præsertim loco purgantium in genere procedendum est, quantum possibile, cum iis, quæ participant stypticitatem aliqualem. Interim in principio debemus uti iis, quæ fluxum restringunt, quia talia subinde fiunt causa majoris fluxus.

Quod attinet remedia, conveniunt *stomachica* aliquoties citata, *absynthium*, *mentha*, *salvia*, *nux moschata*, *macis*, *zinziber*, *cydonia*, *mespila condita* &c. Sic *Faber* refert Lienteriam curatam, præmissa purgatione, *cum aqua cinamomi &* *syr-*

syr. corall. Hinc *coralliata*, & speciatim paulò elegantiores *corallorum Tinctura* in Lienteriis sunt optimæ, cum ratione participationis substantiæ corallorum acre quodvis temperent; ratione menstrui stomacho ut plurimum gratæ sint. Item *nux moschata in India* condita; *Elixir propriet.* præsertim sine *acido*. *Spiritus mastichis & syrupus mastichinus Timæi* in *Epist.* p. 456. item εὐπόριστον *Foresti l. 22. obs.* 28. qui ex Lienteria desperatè decumbentem, cùm alia non juvarent, restituit. ℞. *vitellum ovi*, ℥ *unius nucis moschat.* inspersum, illudque supra tegula ignita assando, cujus usu æger convaluit. Unde εὐπόριστον *Helmont.* ex *Vitello ovi indurato*, cum *aceto* etiam locum inveniet. Alumen legitimè usurpatum, ceu præsentissimum commendatur à *Platero in observ.* Unde *mistura* supra ubi de *vomitu* commendata, & hic notanda. *Vinum absinthites chalybeatum*, it. *vinum infusionis absinthii, melissæ, menthæ, &c.* legitimo usu erit proficuum. Item *panis biscoctus* in 🜄 maceratus, hinc *theriacâ* illitus & commestus etiam convenit. Denique *miva cydoniorum aromatica*, cum pauca *terr. sigill.* mixta usurpanda venit. it. *Diascordium Fracastor.* Ex his facilè est plura componere. Eminet inprimis *Electuarium*, quod habet *Sennertus* de *Lienteria*:

Vel ℞. Conserv. rosar. ℥iij.
Theriac. opt. ʒij.
♎ ⊖l. gutt. viij.
cum miva cydon. aromat. F. Elect. de quo manè detur portio nucis juglandis instar, desumtum ex *Amat. Lusitan.* qui *cent. 2. cur. 56.* hoc solo senem Lientericum curavit.

℞. Conserv. menth. ⊖lat. ℥ij.
Diascord. Fracast. vel hujus loco
Theriaces ʒij.
terr. sigill. ℈ij.
ol. destillat. cinam. gutt. jv.
succi cydon. q. s. F. Electuar.

Aliquando cuidam ex scorbuto affectu qs. lienterico laboranti præscripsi:

℞. Corall. r. præparat.
terr. sigill.
lap. ♋. præp. an. ℈j.
sal. armoniaci gr. xv.
rad. galang.
zinziber.
cubebar. ana ℈ß.
succi cydon. q. s. pro Electuar.

Externè convenit *sacculus* pro fotu *in vino coctus* applicandus, præsertim in laxitate stomachi:

℞. Co-

℞. Comar. absinth.
herb. menth. an. Mj.
flor. rosar. rubr.
chamom. an. Mß.
mastich. ʒij.
nuc. moschat.
caryophill. an. ʒj.
zinziber.
zedoar. an. ʒß.

M. insuantur sacculo, qui si non suffecerit, usurpetur *cataplasma ex fermento cum aromaticis*, suprà, ubi *de vomitu*, laudatum.

Alia pariter externè contra *vomitum* hîc cum fructu usurpari possunt.

DE FLUXU CHYLOSO, sive COELIACA PASSIONE.

Ad alvi fluxus ulterius pertinet *fluxus, seu Diarrhæa chylosa*, quæ communiter dicitur *Cœliaca passio*, seu *affectio*: quando nempe alimenta assumta in chylum quidem mutantur, sed hic cum excrementis unà per alvum egeritur.

Duplex hujus cœliacæ *fiendi est modus*, I. quando *chylus* non secernitur à fæcibus in intestinis, unde excreta grysea, plus minus albicantia, invicem permista apparent. II. quando fit quidem secretio chyli ab excrementis; cæterum, propter defectum distributionis chyli, hic cum excrementis confusis nihilominus excernitur. *Prius* fit ex *vitio bilis*, quando nempe non defertur ad intestina, ut ibidem possit instituere secretionem istam, uti obvium est in ista icteri specie, in qua obstructus est ductus cholidochus, quia succus pancreaticus non potest perficere chylum, aut debitam secretionem instituere sine bile, in qua maximum momentum situm est: aut licet bilis deferatur ad intestina, tamen hæc est iners, & in sua crasi vitiata, inprimis nimis aquosa, unde nec tunc fit secretio excrementorum à chymo nutritio, hujusve debita perfectio. *Altera Cœliacæ* species erat quando fit quidem separatio chyli, sed nulla distributio. *Causa* est obstructio vasorum lacteorum in intestina hiantium, id quod fit inprimis à mucilagine viscida ac tenaci, dicta orificiola infarciente. In utraque hac cœliacæ passionis forma ventriculus videtur salvus, quia alimenta in chylum concoquuntur: Interim tamen hoc non universaliter adeo asserendum, quin nunc magis, nunc minus salvus videatur, id quod docet curiosa observatio *in M. A. N.C. Ann. 4. p. 63*. In hac nempe carnes, quia non bene in chylum perfectum digerendo transmutabantur, sed probabiliter nidoroso sapore corrumpebantur,

etiam inde factus chylus separationi ac perfectioni ulteriori in intestinis ineptus, fluxum chylosum concitabat, à piscibus vel aliis non idem patiebatur, quia melius digesti. Unde ipse chylus malè digestus, adeoque ineptus subeundæ alterationi bilis, interdum ad fluxum cœliacum disponere potest: & quidem *si vitio bilis, ejusve impeditæ actionis*, fiat cœliaca passio, excreta per alvum sunt albicantia vel grysea; it. omnia invicem sunt permista, ut nullum secretionis cujusdam pateat vestigium: Sin vero *obstructa orificia vasculorum lacteorum* malum inferant, excreta sunt tincta bile, flavescunt plus minus, & Chymus quidem separatus; sed cum excrementis hinc inde confusis apparet.

Quoad *Prognosin*, planum est, si diutius duret, ægrum *atrophiæ* metum & periculum incurrere.

In *Cura prioris speciei*, acuanda inprimis bilis est, iis quæ ⊖ *e volatili acri* constant, adeoque plus minus *amara* sunt, seligendo inprimis stomacho simul grata vel accepta. *In altera specie* abstergendus est mucus, intestinorum parietibus adhærens. Utrisque his scopis satisfaciunt simplicia, aut *aromatica odorifera, mentha, absinth. aut sapore acri prædita.* Hinc ulterius *agrimonia, radices aperientes* dictæ, *cichoreum*, cujus amaror abstersivus hîc est egregius. Conveniunt it. *Tinctur. ♀i acris*, tàm vulgaris, quàm *♁iata*, ex scoriis nempe reguli ♁ii parata: it. *Tinctur. ♀. compos.* locum invenient, cum alcali talis Tincturæ pluribus intentionibus hic satisfaciat; ~ *carminativus de tribus, in aq. menthæ vel vino absinthit. usurpatus, vel* ~ *✳ci cum spir. cochlear.* mistus, hìc est fructuosus.

DE DYSENTERIA.

Inter *alvi fluxus depravatos* primatum ducit *Dysenteria*. *Hippocrates & veteres Scriptores*, hoc ipso nomine semper intellexerunt fluxum alvi cruentum, & quandocunque per alvum sanguis fuit evacuatus, vocarunt *Dysenteriam*, exceptis saltem *hæmorrhoidibus*, quibus adhuc stat sua authoritas.

Dysenteriæ talis in genere ita dictæ 3. inprimis observandæ *differentiæ*.

I. Quando sine intestinorum vitio, motu & impetu naturæ, ex quacunque causa sanguis excernitur. Quò facit, quando interdum *splenetici* aut *melancholici* sanguinem, tàm per vomitum, quàm per alvum rejiciunt. Pertinet huc Dysenteria Scorbutica notha, de qua vid. *Horstius in suis observ. l. 7. obs. 35. pag. 393.* Item, quando consuetus sanguinis effluxus, suppressus in quibusdam locis, per alvum sibi viam quærit; v.g. quando in mulieribus ex ⊠ium suppressione Diarrhæa cruenta supervenit. Sic pariter ex ulcere mesenterii, it. ex ulcere pancreatis interdum diarrhæa cruenta oriri solet; cujus posterioris exemplum *Sylvius* in praxi refert.

II. Dy-

II. Dysenteriæ species est iste fluxus, qui propter hepatis imbecillitatem fieri dicitur, & aliàs fluxus hepaticus dicitur.

III. Quando ob vitium intestinorum, cum torminibus & simultanea excretione muci albidi, plus minus purulenti, sanguis ejicitur. Et hæc est propriè sic dicta *Dysenteria*, prout hodiè id nominis venit, ita ut hoc ipso nihil aliud intelligatur, quàm Diarrhæa torminosa, plus minus cruenta, sicuti cœteræ Diarrhææ ferè semper sunt absque torminibus.

Dysenteria talis prehendit ægros cum insignissimis intestinorum doloribus & torminibus, antecedentibus plus minus alvi excretionibus: agmen tamen ducunt tormina, subsequuntur dejectiones, & quoties dejicitur alvus, ingens cruciatus & intestinorum depressio, cum dolore & molestissimo viscerum omnium quasi descensu, adest. Dejectiones non sunt stercorosæ; sed nunc simpliciter mucosæ, nunc intermistim sanguineæ, nunc simpliciter sanguineæ; Quando sanguis simul excernitur, plus minus Dysenteria cruenta, **die rothe Ruhr** appellatur: si vero mucosa superabundent, aut solitaria sint, in specie Dysenteria alba, **die weisse Ruhr** vocatur. Adest subinde febris plus minus intenta, lingua subalbida, mucilagine densè obsita, & si vehementius æstuet corpus, nigra etiam & sicca observatur, prosternuntur vires insigniter, ægri sunt anxii & inquieti, sitiunt insigniter, subinde præcedente ulterius morbo, sanguis sincerus copiosus confestim effluit, id quod corrosionis majorum aliquot vasorum in intestinis argumentum est. Nonnunquam intestina inflammantur, indeque gangræna incurabili afficiuntur, aphthæ interdum fauces obsident, inprimis, quando adstringentibus intempestivè adhibitis, suppressa fuit Dysenteria, afficitur successivè simul intestinum rectum, unde dolorosissimum tenesmum patiuntur ægri.

Pars affecta in Dysenteria sunt intestina, nunc crassa, nunc tenuia, idque nunc seorsim, nunc conjunctim: *nempe dolor, locus doloris, tempus exitus excrementorum, & horum varia mistio partem affectam denunciant.* Tenuia enim intensius dolent, ac si cultris hinc inde discinderentur intestina, qui econtrà dolor remissior nonnihil, & obtusior est in crassis. 2. Locus doloris arguit tenuia intestina infecta, si nempe circa umbilicum, & in regione hypogastrica magis eminet dolor, econtrà in crassis affectis infra & juxta stomachum, & utrinque circa latera, secundum nempe coli ductum, magis tormina vexant. 3. Celer excretio post tormina, crassa intestina affecta; tardiòr vero excretio, tenuia intestina labefactata arguit. 4. Si tenuia afficiuntur, magis permista invicem sunt excrementa, sanguis, mucus, &c. propter magnum iter, quod mutuò conficiunt: In crassis verò minus sunt confusa, ita ut aperta vestigia distinctionis à se invicem adsint. 5. Tenuia affecta magis ad vomitum stimulant ægros, præsertim quo propius respectu ventriculi afficiantur; crassa

minus, unde & anxiosi magis sunt, & pejus se habent ægri in tenuibus affectis quàm in crassis.

Causa Dysenteriæ est *vel efficiens proxima formalis, vel materialis, seu occasionalis. Illa* est spiritus influus, sed occasione dolorosa ad præternaturalem impetum provocatus, & dolorum torminosorum, & excrementorum, & sanguinis ac muci profusionis primus autor & artifex.

Sed missô hôc ceu causa universali, *causa* imprimis *particularis seu occasionalis* irritationis talis consideranda venit: Hæc est *acre quodcunq; internum, vellicans intestina*, ut propter irritationem continuam tandem & sanguis effluat. Hinc videmus, quod in hypercatharsi subinde sanguinis superveniat excretio. *Acre autem hoc* in specie *est acidum*, membranis intestinorum nervisque inimicissimum: Unde v.g. hystericæ purgatæ facillimè dysenterias incurrunt, ob acres, acidos, erodentes succos. Et porrò, ratione hujus causæ materialis, Dysenteria *nunc* morbus *particularis, nunc communis: Hæc* est *vel endemica, vel epidemica: hæc vel benigna, vel maligna.* Omnis autem *epidemica* solet esse *contagiosa*, & *nunc cum, nunc absq; febre* affligere. *Sporadica* Dysenteria *varias agnoscit causas, quodlibet nempe acre*, quod potentius irritat aut abstergit, aut plus minus ad excoriationem disponit intestina, talem dysenteriam infert. Sic, præter hypercatharses, præter hystericas, non rarum est, quod diarrhæis, si acrius affligant, superveniat Dysenteria. Sic ex uvarum esu, musti potu, & esu peponum, &c. facilis admodum est Dysenteria. Sic esus carnium animalium cassiâ fistulâ nutritorum ad talem Dysenteriam disponit. *Conf. Senn. in Prax. l.3. p.329.* ubi de Dysent. Sic ☿, pro cura luis ♀eæ adhibitus per inunctionem, subinde alvi fluxum cruentum ac torminosum infert. Sic ulcus pedum diuturnum curatum Dysenteriam intulit lethalem. *vid. M.A.N.C. Ann.2.p.314.* Sic Dysenteria lethalis ex esu brassicæ capitatę noxio rore infectæ refertur in *M.A.N.C. Ann.3. p.143.* Usus aceti in plumbeo vase asservati, vel etiam aquæ in canalibus plumbeis diutiùs asservatæ: it. post diuturnam siccitatem, & inde hinc inde efflorescentiam candidam in canalibus plumbeis tectorum superveniente pluvia, & flore isto ita abraso, Dysenteriam in Belgio ortam observavit *Lindanus*. Cibi dulces, saccharati, melliti, dum vitiosa fermentatione impensè acescunt, quin & sui miscela bilis orgasmum excitant, Dysenteriam interdum inducunt. Ex Adamante devorato dysenteriam natam refert *Zacut. Lusit. l.1. prax. admir. obs.18. it. l.2. obs.16.* ex Adamante impolito devorato cruentam dejectionem, tabem & mortem *idem* annotat. Innoxiè tamen deglutitos Adamantes, & eorum ⚻em pro Dysenteriæ cura adhibitum refert *Wormius in Musæo, p.103.* Scil. exactè ⚻isatus adamas innoxiè devorari potest, cujus sensilia frustula, propter angulorum acutiem incidendo & perforando intestina, revera nociva sunt.

Quoad

Quoad *Endemiam* Dysenteriam, nullibi hujus mentionem factam observavi, præterquam in *Sydenham, observ. circa morbos acutos p. 247. f. 4. c. 3.* qui talis endemicæ Hybernorum Dysenteriæ mentionem facit.

Epidemicam quod attinet, hæc omnium frequentissima est, & autumnali præsertim tempore, aut hujus confiniis solet affligere. *Oritur ab acri acerrimo,* intestinis specifico sui sapore infensissimo, eoque subinde minimo, efficacissimo, adeoque saltim fermento subtili tot mala inferente. Hoc nunc acrius est, ☿ialis, aut helleborinæ, vel colocynthideæ quasi prosapiæ, nunc mitius; unde *nunc maligna, nunc benigna, utraq; insigniter contagiosa.* Mirabilis est & efficacissima hæc vis contagiosa, mirum in modum se propagans. Non enim solùm per latrinas communes promtissimè inficit; sed etiam notatu dignum est, quod observat. *Helidæus Paduanus in observ. 104.* per clysteres etiam eandem communicari. Dysenteriarum hujusmodi epidemicarum plus minus malignarum exempla frequentissima sunt, inprimis *vid. Tr. de fluxu epidemico la Moniere,* item *Willis in Pharmac. rat. part. 1. p. 119. & 125.* item *Schenckius l. 6. observ. Amat. Lusit. cent. 3. cur. 90. Bartholin. cent. 2. hist. 65. &c.* Rarum est, quod refert *Salmuth. cent. 3. obs. 55.* de canibus & felibus saltim dysenteria contagiosa & maligna laborantibus. *Oriuntur* hujusmodi *Epidemicæ Dysenteriæ* præter aërem plus minus præternaturaliter alteratum, inprimis ex aquarum vitio, ac fructuum horæorum corruptela & inquinamento.

Quoad *Symptomata*, horumque originem, *dolor* acerrimus, qui dysentericos torquet, non est promiscuè ex corrosione aut exulceratione intestinorum; sed maximam partem *consistit in spasmodica intestinorum convulsione,* quâ intestina irritata spasmo quodam correpta se contrahunt, aut motu quasi vermiculari se torquent, sub quo tam insignes sunt dolores, & quidem præcedunt excretionem, dum sub tali spasmo intestina simul propellunt & exprimunt contenta, & ita excretionem stimulant.

Quoad *excreta* Dysenteriæ: *Sanguis* equidem ex vasis, vel anastomosi, vel diæresi apertis profluit, *mucus* vero quid præcisè sit, controvertitur. *Sanguis*, qui profunditur, non est præcisè ab excoriatione aut exulceratione intestinorum, ut vocant: Nam utut hoc in benigna, ab acrimonia succorum acido-corrosiva simpliciter oriunda, locum habeat, in maligna tamen, & in qua tantillum saltem miasma acre, contagii medio propagatum, causæ proximæ vices obtinet, non opus est tali excretione. Sufficit, ab istius contagii acerrima, & intestinis inimicissima, acrimoniâ continuò & tam fortiter stimulari intestina, ut hac ex irritatione & crebriori contractione tandem proprium cruorem fundant & exprimant, simili modo, atque à pulvere sternutatorio fortius vellicantur nares, & mucum crebriorem, & tandem largam hæmorrhagiam fundunt

fundunt, ita ut cruoris profuſio ſit ſaltem conſequens, & effectus alterationis in inteſtinis, nempe ſpina alicubi infixa, ex doloris occaſione affluxum ſanguinis uberiorem, indeque, ubi denegatur hæc excretio, tumorem facit. Similis ſpinæ eſt tantillum acre alicubi rodens in benigna, vel miaſma virulentum inteſtino hoſtile in epidemica & maligna. Hinc vellicatis inteſtinis, & horum repetiti ſpasmi, & inſignior ſanguinis affluxus excitantur, unde tumentibus ſanguine inteſtinis eadem rubent, & non raro inflammantur, & per aperta partim, partim eroſa vaſa cruorem profundunt. Nempe hoc eſt indignatio Archæi inteſtinalis, cruorem proprium furioſe profundentis, ex irritatione ab occaſionali fermento, uti loquitur Helmont. *Mucus*, qui unà excernitur, non ſanies eſt, aut pus: utut talia in graviori & diuturniori Dyſenteria interdum obſervari ſoleant. Unde ſunt, qui putant, quod nil ſit aliud, quàm pituita, quæ naturaliter oblinit parietes inteſtinorum, quod tamen eſſe nequit, propter nimiam, quæ ſubinde excernitur, ejus copiam. Rectius igitur ſentire videtur Helmont, qui dicit, deſtillare talem mucum ex inteſtinis læſis, ac nil eſſe aliud, quàm nutrimentum inteſtinorum proximum, inteſtinis non rectè aſſimilatum, ſed quod ſucceſſivè ex inteſtinis plorat, nunc ſub forma muci, nunc ſeri cruenti, &c. prout diverſi ſunt gradus corruptelæ dicti alimenti proximi. Etenim in Dyſenteria imprimis obſervandi *tres gradus:* I. Quando ſaltim adſunt tormina cum excretione mucoſa, cruenta incipiente. II. Quando copioſus mucus plus minus præternaturalis excernitur, idque vulgò dicunt eſſe abraſionem inteſtinorum. III. Quando in tantum malum augmentum ſuſcipit, ut inteſtina ad perfectam exulcerationem diſponantur.

In abraſione iſta *triplex gradus* eſt obſervandus, ſecundum iſta nempe, quæ unà cum muco interdum excerni obſervantur: 1. Abraſio bombycini velamenti. 2. Quando tunica craſſa fruſtulatim excernitur. Hippocrates ſolet vocare ramenta, aphor. 67. ſect. 7. 3. Quando ipſa ſubſtantia inteſtinalis eroditur, & tunc exeunt carunculæ, ut dicit Hippocr. ſect. 4. aphoriſm. 26. *Carunculæ* tales, quarum paſſim apud Authores ſit mentio, quid ſint, explicatu obſcurum eſt. Sanè ſubſtantiæ inteſtinorum membranoſæ non videntur eſſe; potius glandulæ inteſtinales tumefactæ, & morbi progreſſu à ſubſtantia inteſtinorum ſeparatæ, & ita excretæ, carnium ſeu molecularum carnoſam ſpeciem referentes.

Tandem, an ſit *exulceratio* in inteſtinis Dyſenteriâ affectis, uti vulgò aſſeritur, meritò dubitatur. Et rectè hoc negat *Holderhoff. Tract. de Err. Med. p. 33.* ex eo, quod aliàs Dyſenteriæ cura per ſpecifica tam citò fieri non poſſet. Ut taceam, tantum non impoſſibilem curatu videri talem exulcerationem, cum aliarum partium membranoſarum exulcerationes ut laryngis, item fiſtula ani, ſint ut plurimum incurabiles. Ergò non niſi in diuturniori Dyſenteria, eaque graviori, tandem excoriatio, & forſan aliqualis exulceratio locum habebit, quæ in ordinaria non ſtatim ſtatuenda erit.

Quoad

Quoad *Prognosin*, hanc in pauca contraham: nempe quò magis *tenuia* afficiuntur intestina, eò periculosius laborat æger & contra. Considerandum etiam, an Dysenteria habeat febrim, it. an adsit vomitus. Sanè omnis Dysenteria, præsertim epidemica, *cum febri* juncta, periculosior esse solet, quàm quæ est sine febri, & quo *malignior* hæc fuerit: Siquidem & *Petechiæ* in febribus talibus observatæ fuerunt. In Dysenteria quasi *pestilentiali* eò periculosius laborat æger. Ista Dysenteria, quæ *cum vomitu* affligit, & qui ferè jungi solet cum *singultu*, est deterrima, cùm periculum subsit, ne ipse stomachus simul plus minus affectus sit. Dysenteriæ, in quibus *excreta* sunt *viridia, nigra aut varia*, aut admodum *graveolentia*, sunt pessimæ. It. Dysenteria, quæ *ab atra bile* incipit, exitiosa est, teste *Hippocr. sect. 4. §. 22. & 24.* Si Dysenteriæ *ructus* superveniat, vel *crepitus ventris*, bonum signum est, scil. redeuntis suo modo fermenti digestivi. *Convulsiones* ac *deliria* dysenteriæ supervenientia mortem significant. Si Dysenteria laboranti *veluti carunculæ* dejiciuntur, lethale est, teste *Hippocr. s. 4. §. 26.* Dysenteria *indolens* sæpe mali est ominis: νέκρωσιν enim seu gangrænam intestinorum, indeque inductam insensibilitatem ostendit. *Conf.* de Dysent. epidemica, quibusdam indolente *M. A. N. C. Ann. 2. p. 82.* it. *Act. Medic. Hafniens. vol. 2. p. 138. Rhodius cent. 2. obs. 88.* In Dysentericis *vomitus biliosus* in principio morbi periculosus. *Conf. M. A. N. C. Ann. 8 p. 106.* Dysenteria, si est *symptoma febris malignæ aut variolarum*, periculosa, & ferè lethalis. Dysenteriæ *superveniens febris*, aut quæ aderat, *si intenditur*, malum, quoniam inflammationem aut insignem intestinorum corruptelam ostendit. *Lienteria* superveniens Dysenteriæ admodum mala. *Aphthæ* Dysenteriæ supervenientes, ut plurimum lethale indicium. *Singultus* Dysenteriæ in progressu morbi superveniens, perquàm malus, in principio non adeò funestus. Si in Dysenteria *post aurem* sinistram, vel dextram *nigra macula*, vel *tubercula* appareant, æger citò moritur. *Gravidæ* Dysenteria laborantes, in summo sunt abortus periculo. Sin verò partus superveniat legitimus, subinde Dysenteria liberantur. *Conf. de Dysent. gravid. Forest l. 22. obs. 34.* it. *Amat. Lusitan. cent. 2. obs. 51. & M. A. N. C. Ann. 3. p. 22. Veneris exercitium* Dysenteriam curat, id quod *Riverius* in praxi notat *ex Amat. Lusit. cent. 2. cur. 47. qui refert quendā Dysenteria epidemica laborantem, celebrato cum uxore coitu, sanatum.* Quoties in Dysenteria *tenesmus* adest, *cum hiatu ani*, ita ut clysteres injecti statim elabantur; aut *cum tanta adstrictione*, ut nil intromitti possit, plerunque mortis signum; nempe hîc *tumor*, illic paralytica constitutio ex virtutis animalis prostratione adfuit. Qui ex Dysenteria intereunt, præcipuam *mortis causam* habent *gangrænam intestinorum*. *Conf. River. cent. 3. obs. 2.* Ac sanè quidam Dysenterici ante mortem absq; pulsu toti algidi, adhuc tamen de interiorum intensissimo æstu interdum conqueruntur. *Conf. M. A. N. C. Ann. 8. p. 106.* Plura quoad Prognosin vid. præter *Sennert.* de Dysent. in specie in *la Moniere de fluxu Dysent.*

Quoad *Curam*, in genere pro meliori medicationis ratione, atq; ſcriptorum Practicorum utiliori lectione obſervandum ante omnia, an benigna, an vero maligna fuerit Dyſenteria. it. an à cauſa interna vel externa, & hæc vel aſſumtis acribus, &c. vel contagio nata fuerit. Nempe epidemicæ non ſunt præciſe malignæ, id quod notatum in *M. A. N. C. Ann. 8. p. 106.* Et ex his conſiderationibus varietatis Dyſenteriæ variat ſubinde apud Practicos medicandi ratio, uti patet legenti *la Montere, Willis, Pharm. Rat. Sydenham in obſerv. de morbis acut. &c.*

Quoad *Methodum medendi* igitur I. irritatio inteſtinorum ſiſtenda, tam acre vellicans corrigendo, quàm opiatis ſenſum irritationis, indeq; provocatum ~uum impetum compeſcendo. II. Præcipitantibus ſeu abſorbentibus ac blandè ſudoriferis in maligna miasma contagioſum eliminandum, vel blandè abſtergentibus, laxantibus in benigna inteſtina abluenda. III. Noxa inteſtinis illata vulnerariis adſtringentibus ac ſimilibus reſtituenda. *Methodus* hæc diverſa eſt ab ea, quæ communiter traditur. Siquidem *vulgò* reſpiciunt tantummodo productum morboſum, nempe exulcerationem inteſtinorum, non autem reſpiciunt radicem morbi, ſeu id, unde morbus oritur. Unde communiter (1.) evacuant inteſtina purgando. (2.) abſtergunt clyſteribus. (3) ſedant dolorem. (4.) purificant ulcera. Sed in hac methodo, qui evadunt ægri, naturæ non artis beneficio hoc obtinent.

Pro iſtis ſcopis obtinendis obſervandæ ſequentes *Regulæ* :

I. Inter *remedia, quæ acre vellicans corrigunt*, ſunt ea vel generalia, iſtud aut obtundentia, ut lac: aut abſorbentia, ut corallia; vel ſpecialia, ſpecificum ſaporem dyſentericum corrigentia, ut priapus ceti, &c.

II. *Opiata* utramque faciunt paginam, ſed appropriatis debitè miſta. Multi equidem narcotica in Dyſenteria proclamant, ſed falſo; quin potius *Lindanus* ſemper ab anodynis & narcoticis incipiendam curam ſuadet. *Conf. Willis in Pharm. rat. vol.* 1. *p.* 128. *&* 300. it. *Hoferus in Hercul. Medic. p.* 194. *Barbett. in prax. l.* 4. *c.* 5. *p.* 180. *Wedelius in opiolog. p.* 121. *Riverius cent.* 1. *obſ.* 64. *& cent.* 2. *obſ.* 84. Cæterùm rarò danda ſunt ſola, ſed potius aliis, præſertim appropriatis, it. ſudoriferis miſceri, aut, ſi opus ſit, leni abſtergenti medicamento, Rhabarbaro v. g. jungi debent.

III. *Sudor* tam per ſe, quàm diaphoreticis provocatus, in Dyſenteria Epidemica, plus minus maligna, probè attendendus. Sanè ante aliquot annos, cum in tota regione graſſaretur Dyſenteria Epidemica, Paſtores pagani ſuos ruſticos curarunt ſudoriferis, præſertim Tincturâ bezoardicâ. Eodem tempore quidam ruſticus, & ipſe laborans dyſenteriâ malignâ, accepit balſam. 🜍is gut. 20. ac ſæpius repetito ſudore fuit curatus. Hinc *Petræus in ſuis Diſſert.* inquit: Hermetici dyſenteriam non tàm purgantibus, quàm diaphoreticis extinguendam cenſent. Et ipſe *la Moniere* refert, primis morbi diebus in iſta Dyſenteria Epidemica ſudor

ſpontè prodiens, vel debitò ſudoriferorum uſu prolicitus, plerunq; fluxus violentiam intercepit, ſeroſis humoribus foràs propulſis.

IV. *Laxativa* parum vel nil valent, aut ſi in principio morbi laxativum propinatum fuerit, mox ab hujus facta operatione opiatum ſubjiciendum. Nempe quoad abſtergentia primas vias ac blanda laxantia, habenda ſimul ratio tam ſubjecti patientis plus minus cacochymici, quàm cauſæ antecedentis, an ſit aſſumta, an ſit contagium, &c. idque tam propter impetum dyſenteriæ majorem vel minorem, quàm propter alia, in ſubjecto cacochymico metuenda, ſymptomata. Cacochymiam igitur in principio convenientibus laxare, non inconveniens eſt: uti & ſi à fructibus horæis malum ortum fuerit; contrà, ſi contra. Item minus purgandum eſt in contagioſa, magis in benigna. Quando itaq; primæ viæ abſtergendæ, ac alvus blande laxanda eſt, fiat in principio, vel rhabarbaro vel ſero lactis, &c. de quibus infrà. In progreſſu morbi penitus abſtineamus.

V. *Clyſmata* raró uſurpanda; omnia enim qualiacunque fuerint, ceu aliquid peregrinum, inteſtinorum ſenſum plus minus irritant, & ſic facilè malum exaſperant. Conveniunt igitur ſaltem (1.) in benigna, ubi eluendæ ſordes. (2.) ubi temperanda acrimonia. (3.) ubi neceſſaria conſolidatio. (4.) quando malum eſt in craſſis. (5.) quando nimis affliguntur tenuia inteſtina ſuperiora & pylorus, ut quaſi per accidens revulſorio ſtimulo liberentur inteſtina ſuperiora.

VI. *Stomachi in tota cura ſummè habenda eſt ratio*, non ſecus ac in quibusvis alvi fluxibus, cujus ratione *vinum*, præſertim in juncto vomitu, non nocet, abſolutè conſideratum; acoris vero ratione nonnihil ſuſpectum videtur. Añ. 1666. cum Dyſenteria maligna epidemicè graſſaretur in Miſnia, præſertim ruri, obſervatum fuit, potum vini conducibiliorem fuiſſe ægris potu cereviſiæ, eumq; citius retentum, nec adeò ſubitò per vomitum fuiſſe rejectum.

VII. *Venæſectio* pariter exulet, adeoq; nemini author ſum, ut imitetur *Sydenham in obſerv. de morb. acut. p. 251. ſ. 4. c. 3.*

VIII. *Adſtringentia*, ut talia, nil valent, potius nocent. Siquidem non relaxata, ſed irritata ſunt inteſtina; inprimis nocentiſſima ſunt intempeſtive, h. e. ante appropriata & alexipharmaca in maligna, & ante abſtergentia laxativa in benigna exhibita. Sic etiam ex dyſenteria intempeſtivè ſuppreſſa Paræſin notat *Velſchius de Ægagropilis diſſert. 2. pag. 16.* Sic ex dyſenteria malè curata & ſuppreſſa, inflammatio & abſceſſus Meſenterii periculoſus, authore *Martini, de morbis Meſenterii, pag. 47.* Sic in quos morbos Dyſenteriæ, adſtringentibus ſuppreſſæ, ſubinde deſierint. vid. in *Hildan. cent. 3. obſ. 42. & 46.*

IX. *Sedulò caveant ægri, ne corpus refrigerent*, ſed, quantum poſſibile, calidum illud, & blando madore irroratum conſervent, præſertim pedes: Nam

Nam quo calidiora conservantur extrema, eò melius habent ægri. Si vero tantillum refrigerentur, præsertim pedes, acerbiores superveniunt dolores. Eadem ex ratione *à frigidæ potu*, quantum possibile, *abstineant:* Simul enim atque potus non calidus ingeritur, subitò tormina & alvi excretio crudeliter superveniunt; hinc juscula decoctionis gallinarum sæpius sorpta, licet minùs grata, sunt tamen summè proficua.

X. Ultimò *quieti sint ægri*, & omnem corporis jectigationem intermittant. Sanè referente *la Moniere cap.6.p.*104. quies tantæ fuit utilitatis, ut, qui statim à morbi principio decubuerunt, nec dedignati sunt in lecto, vel in pulvinari, vel super lintea dejicere, morbi violentiam facilè superarent. Plures cautiones ad Praxin facientes vid. in *Willis. Pharm. rat. vol.*1. *p.* 131. 132. item *Septalio in caution. & animadvers. medic. p.*220. *l.*7. it. *in Holderhoff. de err. Med.* ubi de Dysenteria.

Remedia igitur specifica, quæ in specie acre Dysentericum corrigunt, sunt varia; imprimis se offerunt *priapus cervi, Tauri & Ceti*, quorum *cetaneus* est optimus. Usurpantur tàm in forma sicca, quàm in forma humida. Exiccati nempe raduntur & comminuuntur, ac ita in 🜔is forma ad ℈j. propinantur in jusculo calido. In forma humida præparatur horum priaporum decoctum, quod ita crebrius haustum, tam pro potu & pro vehiculo remediorum, quàm pro liquore, cum quo præparentur emulsiones ex amygd. sem. papav. &c. inservire potest. v. g.

℞. Decocti priapi cervi ℔. jß.
Syr. corall. Querc. ℥iij.
aq. cinam. ℥j. M. pro julepo crebrius hauriendo.

Jungantur etiam his alia. v. g.

℞. Terr. sigill. ℥jß.
C. C. s. △.
rasur. priap. cervi an. ℥j.
🜔 rad. torment.
corall. r. præp. an. ℨiij. M. f. 🜔. Dos. ℈j.

Pertinet huc Gelatina CC. recens, tam in potu ordinario dissolvenda, quàm in Julepis propinanda. v. g.

℞. Decocti rad. scorzon. c. CC. vel
priapi cerv. ℔j.
Gelatin. CC. ℥j.
aq. cinam. ℨvj. M. f. Julepus.

Quin & ex *Priapis* ipsis parili modo ac ex *cornubus Gelatina* præparari, ac crebrius propinari potest: Sunt enim hi Priapi concretum quasi medium inter cartilagines & ossa. Hinc *decoctum CC. cum rad. pimpinell.* pro potu quidam commendant. *Ossa & cornua animalium* quorundam etiam in Dysenteria sunt egregia,

gia, partim sine △ præparata, partim & usta: Usta quidem, qualiacunq; sint, coincidunt vi absorptiva, temperativa, & diaphoretica: Sed & non usta conveniunt. *Rasura cranii humani* ex homine violenter interfecto ad ʒj. propinata, & hujus ratione etiam *usnea cran. human.* ad gr. xv. nobilissimum habetur anti-dysentericum: Hinc *dens Hippopotami* præparatus, & hujus loco *unicornu verum* præp. ad ʒß. propinata curant Dysentericos. *Sanguis leporis* singulare est specificum anti-dysentericum, nempe lepus à vertagis agitatus, & ita sub pavore mortis constitutus jugulandus est, & sanguis linteo excipiendus. Linteum siccatum potui infusum curat Dysenteriam. It. ipse sanguis ita collectus exsiccatus & pulv. sat. à ʒß. ad ʒj. nobile est remedium. Post hunc sanguinem non minoris usus est *sanguis pavidi agni*, in articulo mortis constituti, hic enim pavoris idea sigillat sanguinem totum, ratione cujus remedium est contra Dysent. ut dicit *Helmont.* Usurpatur igitur pulv. talis sanguinis à ʒß. ad ʒj. cum syr. cydon. addendo aliquantulum simul de lapide hæmatite. Ad specifica dicta & *hepar serpentum & viperarum*, præsert. in Dysenteria *epidemica maligna* egregium, si ritè exiccatum & pulv. satum, dos. gr. xv. ad ℈j. propinetur, v.g.

℞ pulv. hepat. viper. ʒß.
corall. rubr. præp. ℈j.
laud. opiat. ferment. gr. ij. M. pro 2. dos.

℞ pulv. hepat. viper. ℈ij.
extract. torment. ʒß.
laud. opiat. gr. ij. M. pro 2. dos.

Anno 1669. Dysenterico, ex malo epidemico graviter laboranti, inter alia præscripsi cum successu,

℞ pulv. hep. viper. gr. xv.
cryst. præp. ℈ß. M. F. pulv. detur in triplo.

Prima dosis sumatur manè, secunda à meridie, tertia post mediam noctem in vehiculo sequenti,

℞ aq. tormentill. ℥iij.
cinam. ℥vj.
∽ theriacal. ℥iij.
Syr. de Symph. Fern. ℥vj. M. capiatur cum dictis pulveribus,

& aliàs etiam subinde cochleatim. *Hepata nempe Dysenteriæ malignæ, crystalli vero præparati, acri*, ac speciatim bili porraceæ vel æruginosæ *corrigendis inserviunt.* *Hepata ranarum viridium* simili usu secretum Paracelsi anti dysentericum fuisse dicitur, cujus *fides sit penes authores.* *Ungula equina* exsiccata & pulv. sata ad ʒj. propinata, vel, qui modus est Helmontii, ungulæ talis fragmenta in butyro frixa, & hinc pulv. sata propinata, ceu nobilissimum habentur specificum. *Album græcum* deniq; seu *stercus canis* ossa rodentis egregium est remedium, pauper-

 culis

culis commendandum. *Uva quercina* singulare item est specificum, de qua videatur *Sennert. ubi de Dysent. p. 359. & Schenck. l. 3. observ.* in cujus defectu etiam *viscus quercinus*, & ab aliis *fungus quercinus* commode possunt substitui. *Pulvis granorum actes* est expertum à plurimis remedium. *Conf. Hartm. in Prax. Chymiatr. p. 191.* it. *Boreus cent. 2. obs. 40.* Optimus *præparandi* hunc ✱em modus est hic: ℞. Succi baccar. sambuc. q. v. ex quo & farina secalina conficiatur massa, è qua formetur panis bis in fornace ad duritiem coquendus, ut in ✱em redigi possit. Ex quo pulvere ipso iterum cum succo baccarum sambuci formetur panis, ac priori modo coquatur, id quod tertia vice similiter repetatur. ubi tertia vice pulverisata fuit pasta, adde sanguinē leporis crudi ℥jv. ✱ priapi ceti ℥ij. & succi granor. sambuci q. s. F. Massa, & ita denuò in clibano coquatur & pulverisetur. Dos. ʒß. inspergatur pani tosto vino intincto, & ita capiatur. *Pomum excavatum cum cera & gumm. arabico* repletum, assatum & comestum, itid. specificum antidysentericum. *Conf. Hartmann. in prax. chym. p. 196.* item *Horstium l. 4. obs. 20.* item *in problem. p. 70. decad. 6. q. 5.* Sanè *Amat. Lusitan. cent. 6. cur. 14.* multiplici *cera* usu curatam dysenteriam observat. Loco pomi communis melius est, si usurpetur *pomum cydoneum* maturum, idque non inconcinnum contra Dysenteriam remedium. *Conf. Valleriol. l. 3. obs. 4.*

Præscripsi aliquando experimenti gratia:

℞. Gumm arab. ʒj.
mastich. ℈j.
laud. opiat. gr. ij. pulverisata indantur pomo excavato, ac mutuò assentur. Comestum pomum saporis erat admodum adstringentis, effectum tamen adeò singularem observare haud potui. *aq. suberata*, it. ✱ *suberis combusti* itid. huc pertinet. *Conf. Borell. cent. 1. obs. 57. & River. cent. 4. observ. 87.* *Tormentilla*, ejusque ✱ & decoctum. *Rob. sorbi* torminalis, & hujus defectu sorbi aucupariæ, ceu ex Diarrhæa cognita præsuppono. *Unicornu fossile*, *terr.* ⊕*-li dulc.* ex ⊕-lo ♂iali saltem desumta, quibusvis ♂ialibus longe præferenda. *Quæ ♂ialia juvant quidem*, ubi ab acido specialiter originem trahit Dysenteria, malumq; est levius, quia acidum saturant; In reliquis autem casibus, Dysenteria nempe contagiosa, aut maligna vel epidemica minus proficua videntur. ♀ *hujusq; flores* sunt præstantes. *Saccharum it. seu* ⊖ ♄, temperando specificè & corrigendo saporem dysentericum, non contemnendum. Tandem & alumin. contra dysenteriam cum aliis subinde usurpatur, v. g. ℞. Aluminis frustula magnitudinis pisi N. 3. propinentur in vino rubro calido. Alii ℞. Aluminis crudi ʒß. cinamomi ℥jß. M. & hujus misturæ ℈j. in lacte vaccino. Tandem *opium* ceu universale nunquàm in Dysenteriæ cura negligendum. Hinc etiam *Theriaca*, *Mithridat. Diascordium Fracastor. Essent. theriacal.*

laudana

laudana quævis frequentem habent usum, quo pertinent etiam *trochisci de carabe ad* ℈j, mire prosunt in quovis sanguinis rejectu, adeoque in sanguinis sputo egregii. Aliquoties admodum utilem observavi sequentem *misturam* (*in Dysenteria maligna.*)

℞. aq. plantag. ℥ij.
cinam. ℥ß.
aceti rosac. ʒiij.
Diascord. Fracast. ʒj.
Trochisc. de Carabe,
terr. sigill. an. ʒß.
ocul. ♋. præp. ℈ij.
syr. myrtini ʒvj. crebrius hæc cochleatim assumpta prodesse solet.

Vel ℞. Troch. de carabe ʒj.
♁ hepat. viper. ℈j.
laud. opiat. gr. j. M. pro 2. dosibus.
addi possunt
ol. destillat. cinam. gut. ij. M.

Vel ℞. aq. plantag. ℥ij.
cinam. ℥ß.
Diascord. Fracast. ʒj.
Troch. de carabe ℈ij.
lap. hæmatit. præp. ℈j.
syr. card. bened. ℥ß. M.

Hæc ferè sunt specifica. Progredior ad ea, quæ communiter solent usurpari in Dysenteria, *qualia sunt omnia adstringentia, absorbentia, temperantia*, ac aliàs in Diarrhæa, Cholera & vomitu usitata, *it.* quælibet *vulneraria*, inter dicta *magis usitata sunt: Plantago, pimpinella, sanguisorba, lysimachia, fol. quercus, bursa pastor. millefolium, consolida maj. nymphæa, bistorta, rosæ rubræ, balaustia, flores papaveris rhœad. Bellidis, hyperici atq; dictorum folia, radices, semina, ac plura præparata. Hinc semen papav. plantag. it. mala cydoneorum, mespila, spongia cynosbat. nux mosch. &c.* Hinc dictorum simplicium *succi, syrupi, extracta, &c. In fine* Dysenteriæ valde confert *succus absinth. & menthæ* benè depuratus, & cum saccharo in syrupum redactus: Habet enim *mentha cum absinthio mista* miram vim corroborandi ventriculum. Imò si Dysenteria à multo fructuum usu contigerit, *in ipso principio* valdè conducit hîc *syrupus de absinth. c.* ▽. *cinamom. vel theriacali*, ut dicit *Riverius in praxi*, ubi de Dysenter. Hinc *essentia & syr. symphiti maj. essentia vulnerariæ, Extr. theriacale, Tinct.* ♀*is* ⊕*li, Tinct. lap. hæmatit.* it. *bolus armen. terr. sigill. corall. succinum, cryst all. præpar. ubi peccat bilis porracea*, crocus ♂ adstring. rubrica fabrilis, quę multum de ♂te participat. Quidam

℞. Theriac. ℨj.
terr. ⊖-li dulc. ℈ß.
ossium microcosm. calcinat. gr.xij. M. pro Bolo.

Itid. *Tinctura antiphthisica, thus, putamen ovorum, oss. sepiæ, &c.* Præ cæteris convenit *lac* crebrius usurpatum, in principio serosius, in progressu ipsum lac, præsertim chalybeatum, nempe tàm medicamenti quàm alimenti vices sustinet. De jejunio ejusq; usu vid. *Holterhoff. loc. cit. p. 39.* it. quomodo in metu *coagulationes corrigendæ*, & ne viticsè concrescat, præcavend. vid. *Pharos Medicorum Bonetti ex Ballonio p. 426.* nempe in specie chalybeand. est, seu quinquies vel sexies ferrum ignitum in eo extinguendum. Mirè prodest tale lac in Dysenteriis quibusvis, & eo efficacior erit hic potus, si singulis haustibus addatur ℨj. *stercoris canini*, M. exprimantur, & ita usurpentur. Sanè *Joël in praxi, & Minderer in Medicin. militari* multis nominibus commendant hujusmodi *album Græcum*. Certum est, quod sit singulare in hæmorrhagiis quibusvis, etiam desperatis. Sanè rusticam mulierem, quæ ultra 4. septimanas hæmorrhagia uteri laboraverat, hujus stercoris beneficio curavi. Eò *præstantius evadit lac, si appropriata in eo decoquantur*; nempe lac chalybeatum, in quo radices symphiti maj. decoctæ, ter in die bono haustu propinetur ægro; vel lacti recenti chalybeato incoq. radix tormentill. & symph. an. ℥j. de quo ter ægro propinetur bonus haustus calidè. Si ipsum lac solitarium videatur incommodius, dimidio aquæ vel communis, vel cujusdam appropriatæ diluatur, invicem ebulliant, & ita crebrius propinentur. Qui *præservationis* gratia aliquid postulat,

℞. Theriac. Androm. ℥iij.
Rasur. priap. ceti ʒvj.
♁ rad. tormentill. ℥ß.
extr. ejusd. ℥iij.
unicorn. fossil. ℥iij.
♁ diaph. ℨjß.
laudan. opiat. fermentati gr. xv. c. s. q.
succi cydon. F. Elect.

℞. Diascord. Fracast. ℥jß.
ras. priap. ceti vel cervi ʒiij.
fl. ♀is ℨj.
trochisc. de carabe ʒjß. c. s. q. succi cydon. F. Elect. de quo capiat æger manè, à meridie, & sub introitu lecti, pro lubitu.

Quod si in principio morbi *primæ viæ abstergendæ sint*, cautè hoc fiat, quandoquidem ii, qui in Dysenteria statim eunt ad purgantia, non curant, sed omnia deteriora faciunt: Qui vero prius sistunt spirituum impetum, ac tormina sufflaminant, optimè curant, dicit *Lindanus*. Quando igitur ad incipientem Dysenteriam

teriam quis venit, dato anodyno, & hinc conciliato somno, eundum est ad purgationem, & blande saltem eluenda intestina, vel in principio detur blandum laxans, mistum cum opiato, vel præmisso laxativo, mox subjungatur opiatum. Inter purgantia solum est, quod tutum est, *rhabarbarum* & hinc *myrobolani*. Nam præter vim laxativam simul vim anodynam rhabarbaro tribuit *Holderhoff. loc. cit.* hinc

℞. Diascord. Fracast. ʒß. ad ʒj.
Rhabarb. ⊖lat. ℈j. ad ℈ij.
c.s.q. Syr. de ros. sicc. F. Bolus. S. Laxier-Zucker.

Vel ℞. Conserv. ros. antiq. ʒj. ad ℥ij.
⊖ rhabarb. ʒß. ad ℈ij. raro ad ʒj.
laud. opiat. gr. j.
Syr. ros. q.s. pro efformando Bolo.

Vel ℞. aq. plantag. ℥j.
cinam. ʒj.
⊖ rhabarb. elect. ʒß.
Syr. de myrobolan. ℥ß. M. D. S.
Laxier-Tränckleín auff einmahl.

Vel ℞. Rhabarb. elect. ʒij.
rosar. rubr. p. iiij.
infund. in s. q. seri lactis, colatur. ℞. ℥ij. vel iij. adde
Syr. de rosis siccis ℥iij. ad ℥ß.
M. D. S. Laxier-Tränckleín.

Laxantia talia commodius *manè propinantur: Somnifera vero seu opiata* tutius & consultius *sub noctem dantur*, quia rarò de die agunt, noctu vero felicius ægri dormiunt. Ad hæc circa noctem ordinario exasperatur dysenteria. Fit interdum, ut Dysenteriâ correpti patiantur *dolorem gravativum obtusum, & compressivum sub umbilico*, quasi materia ibidem incuneata hæreret, unde facile oriri suspicio possit, quasi pathema hoc oriretur ex suppressis per opiata secessibus, quod tamen non est, quin potius *ex continuato spasmo intestinorum*, in quodam loco pertinacius vellicatorum, *originem ducit*. Unde externe lenientia, item later calefactus abdomini applicatus molestissimum istum dolorem compressivum & gravativum in abdomine sistunt.

Istis hactenus recensitis, legitima methodo usurpatis, quando mitigatum est malum, pro restituendis intestinis *in declinatione morbi conveniunt remedia vulneraria*, quæ inter eminet *Bals. Peruvianus*, qui præter hoc, quod vomitum in Dysenteria molestum supprimat, etiam intestinis læsis mirè conducit. Propinatur in forma ⊖is cum sacch. albo, coralliis mistus, vel in vitello ovi calidè

lidè propinetur, in quo etiam dissolvitur, ʒß. pro dosi assumenda, sicuti etiam clysteribus felici cum successu addi solet. *Conf. M. A. N. C. Ann. 3. p. 127. & Ann. 8. p. 106.*

Conveniunt etiam *potiones vulnerariæ, cum* quibus commode & *bals.⚴is* tam terebinthinatus, quod juniperinus propinetur. v.g.

℞. Herb. heder. terrestr. Mij.
alchimill.
plantag. an. Mj.
summit. hyperic. florent. p. iiij.
rasur. CC. ℥jß.
Coq. in s. aq. simpl. Colatur. ℞. ℔ j. adde
syr. corall.
de symphit. Fernel. an. ℥j. M.

Assumatur subinde bonus haustus, & cum hoc sæpiùs 6. vel 8. gutt. præterpropter bals.⚴is terebinth. vel anisat. Juxta hæc interna non negligenda *externa*, quæ inter imprimis subinde usurpanda veniunt clysmata, sed rarò. *Clysmata* autē talia sint temperantia acrimoniam humorum, adeoq; simul anodyna ac consolidantia exulcerationem seu intestinorum læsionem. *Et quæ temperant*, sunt clysmata ex lacte, cui interdum, ratione doloris, incoquuntur flores chamomillæ, & aliquot capita papaveris: vel clysmati ex lacte addantur Theriac. ʒij. it. Clyster ex lacte chalybeato, cui sevi hircini ℥ß. plus minus additur, est egregium. Vel clysma ex lacte decoctionis rad. symphiti, cui pingved. caprill. ℥j. addita sit, in progressu confert. Speciatim clysmata terebinthinata ad imitationem Sylvii & Barbetti præscripta sunt egregia. v.g.

℞. Lact. recent. chalybeat. ℥vj. vel viij.
terebinth. c. ovi vitell. solut. ℥ß.
mellis rosat. ʒvj. M. pro clysmate.
addi etiam potest Theriac. ʒj.

Clysmata consolidantia fiunt imprimis ex vulnerariis, & hinc propter eandem rationem ex cancris fluviatilibus, v.g.

℞. Rad. symph. maj. ℥j.
herb. plantag.
burs. pastor. an. Mj.
Coq. in s.q. 🜄. simpl. Colatur ℞. ℥vj. vel viij. adde
Balsam. Peruvian. in vitell. ovi dissol. ʒj. M.

Item ℞. Juris decoct. ♋. fluviat. ℥viij.
sevi hircin. ℥j. M. pro clysmat.

Quod si dolor adhuc urgeat, Syr. papav. ℥j. addatur;
Vel,

℞. Juris

℞. Juris ♋. fluv. at. ℥vj.
succi ♋. fluv. contus. & express. ℥jv.
syr. de symph. Fern. ℥j.
vitell. ovi N. 1. M. pro clystere.

Externè etiam *inunctiones* faciendæ, inprimis ex *oleo hyperici, absinth. menth. nardin. nuc. mosch. &c.* c. *oleis destillatis subinde acuatis*; it. *theriaca*, quæ tam ventriculo, quàm universo stomacho inunguenda sunt. Quidam externis talibus & terr. sigill. corallia, crocum ♂is & similia addunt, sed ridiculo conatu. Præter externam enim abdominis illinitionem nil operantur, cum ulterius penetrare nequeant. Par sit judicium de Emplastris ex talibus & similibus paratis. Uti est Emplastrum stypticum Myns. Empl. contra rupturam, &c. Potius *fomenta* adhibeantur sub *forma sacculorum*, quæ inter egregii sunt *sacculi, ex foliis quercus in aceto coctis*, abdomini & podici applicatis, *Rulando* in ejusdem praxi *usitati*, ad ejus imitationem fausto successu præscripsi.

℞. Fol. querc.
furfurem an. Miij.
flor. chamom.
verbasci an. Mij.

Ex concisis F. sacculi duo, unus rotundus major, alter oblongus minor. Ille aceto calido incoctus applicetur umbilico, hic vero ano, sæpius repetendi. Prior intestinorum affectus, posterior tenesmum recti præsertim, coërcet. Porrò *suffitus* egregii sunt, qui fiunt *ex rasura CC. vel suffitus aceti ex lamina ferrea ignita*. it. *suffitus ex zinzibere* ano excepti crebrius, & quoties alvum dejiciunt ægri, sunt egregii, quibus addatur *suffitus ex succino*. Porrò notabile est, quod multum conferat, si feces cruentæ dejiciantur super ☿ ⊖-li, id quod Knöfelii fuit secretum, per sympatheticam quasi curam Dysenteriam nonnihil sufflaminans. Quo etiam facit *persicaria* cum vino decies chalybeato in mortario contusa, & ad cataplasmatis consistentiam cocta; applicatur lumbis & spinæ juxta renes, refrigeratum denuò applicetur, post aliquot horas in fimo equino sepelitur, sicque morbus curatur. Plura qui cupit de Dysenteria, adeat inprimis *Sennertum*, qui tàm in prax. l. 3. quàm in peculiari scripto de Dysenteria fusissimè de eadem tractavit. Dysenteriæ cognatum malum est

TENESMUS.

Germanis der Zwang/ quibusdam der Arschkützel. Nam ordinariò Dysenteriæ etiam supervenit, adeo, ut quod in superioribus intestinis est Dysenteria, hoc in ano sit Tenesmus.

Tenesmus igitur in genere consideratus est assidua cupiditas egerendi per alvum

alvum, in qua ipsa tamen aut parum, idque ferè saltem nonnihil mucosum, aut viscosum, aut nihil omninò excernitur.

Causa proxima efficiens formalis est spirituum eo provocatorum impetus, cujus causa occasionalis est irritatio intestini recti. Unde hoc ita stimulatum [illegible]uum vi se contrahit, & egestionem urget. Si enim tantillum peregrini hæreat in intestino recto perquam sensili, subitò urget excretionem. Stimulus hic sive vellicatio intestini recti *nunc* fit per essentiam, *nunc* per consensum. *Per consensum* etiam observatur interdum *in nephritide*, quia tunc temporis sub motu calculi contingit Tenesmus, propter nervos ad renes, & intestinum rectum ex ramulis plexus mesenterici derivatos. Sic *calculus vesicæ* etiam, ubi imminet urethræ, non rarò tenesmum in viris pondere sui & irritatione inducit. *Conf. Horst. in suis Problemat. p.70. Decad.6. Q.6. it. Timæus in Epist. p.242. Mulieres etiam propinquæ partui* interdum patiuntur tenesmum, propter uterum intestino recto incumbentem. *Tenesmus qui fit per essentiam*, oritur frequentiùs à muco acido, vel pituita viscida acida, intestinum rectum plus minus rodente. Hinc in dysenteria tam frequens est Tenesmus, propterea, quòd quæ excernuntur, acria, & simul glutinosa sunt. Item purgantibus violentioribus supervenit Tenesmus, partim propter excreta acriora, intestinum rectum plus minus stimulantia; partim propter purgantium particulas resinosas, intestino recto pertinaciùs affixas, hoc continuò stimulantes. Ulteriùs *anus inflammatus* pariter non rarò infert Tenesmum, unde & *hæmorrhoidibus cæcis*, indeque plus minus tumentibus aut dolentibus, tenesmus, ceu frequens comes, se associat. *Ascarides* denique intestinum rectum rodentes & mordicantes, similiter interdum tenesmum junctum habent. *Excoriatio, exulceratio, aut fistula interna* intestini recti pertinacem etiam tenesmum junctum habent.

Quoad *Prognosin*, per se consideratus leve malum est, si tamen habeatur causarum ratio, variat Prognosis. Nempe qui *per consensum* est absque periculo, *per essentiam* verò subinde procidentiam ani infert, interdum degenerat in ulcus sordidum, quod facilè in fistulam abit. *Prægnanti* si supervenit Tenesmus, abortus causa est, authore *Hippocrate sect.7. §.27.* id quod confirmat *la Moniere de Dysent. cap.5. p.169.* nempe prægnans Dysenterica Tenesmo correpta semper abortum passa est, & cum periculo, si grandior fuerit fœtus.

Cura varianda est pro causarum ratione. *Si per consensum* fuerit Tenesmus, curato priori morbo & ipse evanescit, interea opiatis spasmodica vellicatio sistenda. *Sin vero est per essentiam*, inprimis causa materialis humor acris, acidus & viscidus removeatur, & hinc facta excoriatio, aut plus minus exulceratio mundificetur, & denique consolidetur. Hinc conveniunt clysmata in pauca quantitate, tantum ad ℔ ß. injecta, e.g.

℞. flor.

℞. Flor. verbasci Mj.
rof. rubr. Mß.
lumbric. concif. ℥j.
fem. pfyllii
fœn. græc. an. ʒij.

Coquantur in lacte recenti, ubi magis dolor leniendus; vel in fero lactis, ubi materia peccans abftergenda.
Colatur ℞. ℔j. adde
Sevi hircini ℥j. M.F. Clyft. pro 2. vicibus.
Vel ℞. Cicer. rubr. ℥j.
flor. verbafc. Mij.
Coq. in f. q. aq. fimpl. colat. ℞. ℔j. adde
fevi hircini ℥jß.
mellis rof. ʒvj. ad ℥j. M.F. Clyft. pro 2. vicibus infund.

Item *jus carnis aut capitis vervecini cum aliquot gutt ol. deftillat. ceræ* eft egregium. Hoc etiam oleum deftillatum in excoriationibus inteftini recti potenter abftergit & confolidat. Loco hujus olei etiam *Balfamus Peruvianus* poteft fubftitui. Præ cæteris appropriatum remedium eft *verbafcum*, five tapfus barbatus, fpeciatim *decoctum ejus* in lacte, cum fpongia vel linteis multiplicatis inftar fomenti applicatum; nam dolorem lenit, acrimoniam temperat, fluxionem repellit, ac fpeciatim tenesmum dyfentericum curat. it. *decoctum foliorum quercus* cum furfure & ▽ chalybeata tam cum fpongiis ebriis admoveatur, quàm facculi exinde parati admoveantur. Præter dicta & *fuffitus* Tenesmum fiftunt, in fpecie *fuffitus aceti ferventis lateri infufi*, ano exceptus. Item fuffitus *ex thure & pice* fuper carbones vivos projectis mirabiliter juvant. Tandem *decoctio Sabinæ* ex aceto & ▽, ferreæ laminæ, aut lateri calefactis infufa pro fuffumigio, Tenesmum fiftit. Equidem & *fuppofitoria cum opio inftructa* ad Tenesmum à quibusdam adhibentur. *Conf. Amat. Lufit. cent.3. hift.94. fed vereor*, ne fola applicatio fuppofitorii, irritando inteftinum, malum exafperet. Quod fi nonnihil *exulceratus eft anus*, conveniunt *inunctiones* ex ol. rofac. & lumbricorum terreftr. probè in mortario plumbeo agitatis, vel etiam cum folutione lithargyrii in aceto fubactis, & in linimenti confiftentiam redactis. Item fiunt *fuppofitoria* in exulceratione ex fevo hircino cum pulvere thuris, tutia & fimilibus, quæ unguento diapompholyg. aut de ceruffa camphorata illinantur; vel unguentum album camph. & diapomphol. una cum pauca terr. ⊖-li dulc. ritè parata, fubacta, & in confiftentiam unguenti redacta, quocunque modo, vel linteis, vel aliis applicantur, vel intruduntur ano.

Propter materiæ cognationem obfervandum, quod interdum adfit *Pruritus ani* admodum moleftus, in quo, aliis irritis, expertus eft *fotus ex aqua*

 plantag.

plantag. in quo modicum aluminis decoctum fuerit. Item ad similem ani pruritum cum ejus exulceratione præstans est linimentum

℞. Tragacanth.
♀ citrin,
Lithargyr. an. ʒj.
c. aceto adjecto pauco ol. rosat. F. liniment.

Pertinet huc etiam iste dolor ani, qui accidit, quando à charta piperata, vel charta, cui involutum fuit ⊖-lm, detergitur podex. Prodest tunc optimè fotus lactis, c. addita pauca aq. rosac.

FLUXUS EPATICUS,

Ad dejectiones alvi cruentas pertinet etiam *Fluxus Epaticus*, ita Veteribus dictus, quando sanguis aquosus, tenuis atque ut vocant, loturæ carnium similis, absque doloribus, per alvum copiosè excernitur. Appellationis ratio ex falsa hypothesi desumta est, quod nempe hepar sanguificet, adeoque ex deficiente sanguificatione in hepate hunc fluxum oriri voluerunt. Sed talis fluxus hepaticus veterum est revera non ens.

Quod igitur attinet Diarrhæam cruentam, Dysenteriæ contra distinctam ea erit; vel I. Hæmorrhoidum internarum fluxus, uti hoc vult Barbette in suâ praxi; vel II. erit Dysenteriæ comes jam curatæ, in qua, propter depauperatam MmSm, ac nimis hiantia intestinorum vasa, subinde talis diarrhæa cruenta, & uti Sydenham vocat, Dysenteria habitualis restitare solet. III. Erit saltem hæmorrhagia intestinalis, easdem causas, quas reliquæ hæmorrhagiæ, agnoscens. In specie *acrimonia sanguinis, perforans plus minus orificiola intestinalium vasorum*, quæ causa eò est promtior, quo serosus magis sanguis simul existere solet, qualis affectus exemplum suggerit *Deodatus*, qui fluxum hepaticum ad Diarrhæam cum fluore uterino & profluvio ☒um immodico in una fœmina simul observavit, *in valetud. p.*231. *Confer. etiam Bontius de Medicin. Indorum pag.* 24. Qua ratione etiam huc pertinet *Dysenteria notha scorbuticorum*, cujus suprà facta est mentio, nisi & hæc forsan *ad hæmorrhoides* pertineat. Ad hæc *ex suppressione consuetæ cujusdam sanguinis evacuationis* etiam fluxus cruentus talis oriri potest. Quo pertinet observatio *Foresti lib.* 22. *observ.*20. de fluxu sanguinis puri ex vita otiosa, & sanguinis narium usitato suppresso, Venæsectione in brachio curata. Tandem occasione *insignioris cujusdam, & confirmatæ obstructionis in quodam viscere* abdominis, propter impedimentum circulationis sanguinis, interdum arteriæ mesentericæ aperiuntur in intestina, & talem fluxum cruentum excitant. *Quo pertinet Bartholin. histor.* 41. *cent.* 6. ubi notat cruentas dejectiones supervenientes mesenterii obstructionibus salu-

tares.

tares. Sic sanguinis miros fluxus in lienosis vide recensitos *in Marcell. Donat. l. 4. hist. med. mirab. c. 9.* Quo facit *observ. 20. Foresti l. 22.* in schol. excretionis sanguinis viri in indurato splene factæ salutaris.

Quoad *Prognosin*, hæc eadem est, quæ in fluxu hæmorrhoidali nimio, aut aliis præternaturalibus sanguinis excretionibus, dum nempe tandem ad cachexiam, hinc hydropem vel tabem ægrum disponit, & propterea fluxus hepaticus dictus in juvenibus interdum difficulter, in senibus raro curatur. Præsupponit semper sc. aliud in corpore vitium, à quo ipso fluxus dependet, & cujus respectu magis vel minus curabilis evadit.

Cura pro causarum antecedentium sive remotarum varietate variat. Si sit *hæmorrhoidum apertio*, harum lege curetur, præsertim per ♂ialia, in specie per Tincturam ♀ s ⊕-li. *Si sequatur Dysenteriam*, eadem est cura, quæ Dysenteriæ levioris. In specie *remedia ex tormentilla, plantagine, sanicula, corallis, inprimis ex agrimonia*, cujus decoctum specificum est Poterii *in hoc casu, conveniunt.* Quin & *opiata* non negligenda, authore *Borell. cent. 1. observ. 99.* qui fluxum hepaticum post Dysenteriam imprimis *laudano* curavit. *Sin acrimonia plus minus serosa* dictum malum inducat, *Rhabarbarina*, item *vulneraria & adstringentia cum opiatis* conducunt. Hinc *corallia, trochisci de carabe, unicornu fossile, &c.* conveniunt. Item non inconsultum est, ad *sudores & sudorifera*, decurrere, ad imitationem *Varandæi*, qui specialem edidit Tractatum de Fluxu Hepatico, hepatitis, qui p. 173. dicit: Quidam putant, in progressu morbi non inutile esse, sudores decocto quodam, ut seminis milii, rad. chinæ vel sarsaparill. provocare, quia sudores alvi fluxum imminuere solent, raptâ aliò serosâ materiâ, & hepar calefaciunt, quod experiri non erit inutile. Si etiam æger sudet, & leviter id ferat, magna erit salutis spes, *minoris, quando in hepate noxæ signum.* Nam quicunque magna hepatis imbecillitate, scirrho aut obstructione tenentur, vix unam sudoris guttulam emittere possunt. Item *Gelatina CC.* cum aqua cinamomi parata, à quibusdam laudata, in tali casu locum habebit, non minus, quàm *passulæ*, quæ multum faciunt ad laudabilem sanguinis crasin & æquabilem fermentationem conservandam. Ac sanè passulæ ad discrasiam sanguinis corrigendam multum præstant. Facit huc *observ. 20. l. 22. Foresti*, ubi nil aliud ægrum vexavit, quàm talis diarrhæa cruenta ex sanguine acriori nata. Casus est hic: Quidam sanguinem purum rejiciens, adeoque excoriatione cum paucis ventris torminibus, & tussi valida, cum expectoratione humoris crudi, & urina suppressa, hac sola potione curatus, quæ lubricat, mitigat dolorem, urinam provocat.

℞. Fol. malvæ
violar. an. Mj.
rad. Petroselin.
fœnic. an. ℥j.
hyssop. Mß.
glyzyrrh. ras. ℥jß.
prunor. Damascen. N. xv.
uvar. passar. ℥j.
decoquantur in cerevisia, qua continuò utens æger sanabatur.
Nec abludit cura *Petr. Joh. Fabri*, qui notat fluxum hepaticum *ex potu aquæ frigidæ & usu lactucarum, cum aceto multo* curatum, *præmissa purgatione ex extracto rhabarbari, Syr. corall. c. ▽. cinamomi* sæpius sumta.

Quòd si *suppressa quædam sanguinis excretio* malum induxerit, hâc in ordinem revocatâ, & interea *Venæsectione revulsoriâ institutâ* curetur. Quod si tandem impedimentum sanguinis circulo ex infarctu aut tumore visceris injiciatur, hoc, quantum possibile sublato, & *Venæsectione revulsoriâ* administratâ, *fluxus cruentus* sufflaminandus erit.

Ad *fluxus cruentos* pertinent etiam

AFFECTUS HÆMORRHOIDALES.

Hæmorrhoides, quoad vim etymi nihil aliud significant, quàm quemcunque sanguinis fluxum: *propriè* tamen usurpatur tantummodò *de fluxu sanguinis ex vasis ani sive intestini recti*. Dantur quidem etiam *hæmorrhoides muliebres*, seu evacuatio sanguinis ex vasis pudendi muliebris, sed hæ non sunt hujus loci. Hæc vasa Hæmorrhoidalia, *ratione insertionis* in intestinum rectum, constituunt vel *Hæmorrhoides superiores sive internos*, *vel inferiores hæmorrhoides sive externos*. Utræque constituunt *arteriam* cum ejus socia *vena*. *Superiorum seu internorum hæmorrhoidum arteria* oritur ex mesenterica inferiori; *vena* vero ex ramo splenico venæ portæ. Unde dixerunt veteres, mediante hoc ramo lienem per hæmorrhoides evacuari, cui tamen repugnat lex inviolabilis circuli sanguinis. *Hæmorrhoides externæ* oriuntur, *arteria* quidem ex trunco hypogastrico arteriæ iliacæ internæ; *vena* vero ex ramo hypogastrico, ex quo etiam vena pudenda, & modò dicta ad intestinum rectum derivatur. Cum itaq; ex his ramis hypogastricis etiam in mulieribus deriventur vasa ad collum uterinum, per quæ fit excretio menstrua, adeò ut *vasa hæmorrhoidalia* & *vasa menstrualia* oriantur ex uno ramo, patet exindè, quare nonnunquam defectus menstruorum compensetur per fluxus hæmorrhoidum; siquidem interdum in habitioribus post 48. annos ordinario menstrui fluxui succedunt hæmorrhoides, interdum mensium obstructorum loco fluunt hæmorrhoides. Exemplum vide in *Horst.*

Horst. obs. l.4. obs. 52. & probl. decad. 6. q. 8. Conf. Bartholin. in Act. Med. Hafn. vol. 1. p. 165. Subinde etiam cum mensibus, sed rarò, simul fluunt Hæmorrhoides. *Conf. M. A. N. C. Ann. 3. p. 39.*

Differentiæ Hæmorrhoidalium affectuum imprimis sunt attendendæ. Sunt nempe *Hæmorrhoides* vel *furentes*, vel *fluentes*. *Illæ* alio nomine dicuntur *Cæcæ*, ex eo, quoniam non sunt apertæ, inde propter clausuram insigniter dolent & tument. *Fluentes*, alio nomine *apertæ* dictæ, sunt vel *spontaneæ*, vel *non spontaneæ*. *Spontaneæ* sunt beneficium naturæ, seipsam exonerantis. *NON SPONTANEÆ* sunt vel *criticæ*, vel *morbidæ*. *Criticæ*, quæ in morbo prosolutione morbi accidunt. *Morbidæ* sunt, quæ propter quamcunq; causam in perniciem ægri oriuntur. *Hæmorrhoidum fluxus* præsertim viris est familiaris, inprimis *Italis*: nempe huic sexui est quasi loco menstruationis muliebris, adeò ut prostent exempla virorum, per statas periodos hæmorrhoidum fluxum patientium, ita ut interdum singulis mensibus, interdum singulis sex septimanis redeant. Ob id etiam dividuntur hæmorrhoides fluentes in *erraticas*, quæ nullum certum recursus tempus observant; & *periodicas*, cujus exemplum periodi menstruæ in viro vid. in *Amat. Lusit. cent. 5. cur. 3.* *Materia*, quæ ex apertis hæmorrhoidibus fluit, est ordinariò sanguis, similis cætero in corpore sanguini, adeoq; nunc floridus, nunc obscurus, nigricans, &c. Subinde tamen loco sanguinis etiam alius humor effluxit, siquidem interdum albidus, ▽ sus, mucosus per has evacuantur. De quo confer *Senn.* ubi *de Hæmorrhoid. p. 427.* it. *Schneiderus l. 3. de catarrh. p. 271.* it. *M. A. N. C. Ann. 1. p. 180.* Interdum etiam ▽ cittina aut similis aquositas effluit in istis hæmorrhoidibus, quas vesicales appellant. vid. *Forest. l. 23. obs. 5.* Sic fluxum hæmorrhoidum ichoroden ejusq; curam vid. in *Velsch. Hecatost. 2. p. 62.* Hæmorrhoides *non fluentes, seu cæcæ* nihil aliud sunt, quàm *incipiens ani inflammatio*, ordinariò etiam ferè insequuntur se mutuò, *dolor, tumor. fluxus*, nempe sanguis evacuandus, dum propter clausuram osculi istorum vasorum, & fibrarum vellicatarum stricturam, nec excerni, nec remeare potest, necessariò stagnat, stagnando in partis porulos intrat, quam tumefacit, & ita inflammationem efficit. Talis cæcarum hæmorrhoidum status est insigniter dolorosus, adeò ut in tali casu, quando ægri volunt excrementa alvi secernere, propter ingentem dolorem sæpius patiantur animi deliquia, aut superveniant convulsiones, præsertim dum *internis laborant hæmorrhoidibus*. Scio exemplum mulieris, quæ quando volebat excernere alvi excrementa, in animi deliquium, cum faciei tumore, rubore & incalescentia incidebat, ex iisdem hæmorrhoidib⁹ cæcis. Simul ac vero excreta fuerunt stercora, cessabant omnia talia symptomata. *Conf. Barth. cent. 4. hist. 40. p. 320.* *Externæ* taliter affectæ, præter dicta symptomata, tam sessionem, quam ambulationem admodum molestam reddunt. Ita *cæcæ* ex sanguine stagnante, & in hoc loco coacervato, sæpè insignem contrahunt tumorem, præsertim in externis, qui tumor sub-

inde ad insignem magnitudinem foras eminet, adeò ut referat *Lindanus in M.S. super Hartmannum*, se observasse hæmorrhoides cæcas in tantum tumorem auctas, ut pugni instar extra anum prominerent.

Sub isto tumore subinde variam magnitudinem atque figuram repræsentant unde à figuræ varietate etiam varia nomina sortiuntur, & prout vel verrucas vel uvarum baccas, mora, ficus, &c. repræsentant, etiam *hæmorrhoides verrucales, uveæ, ficales*, aliàs *mariscæ* appellari solent, quæ ne confundantur cum *verrucis ani*, *condylomatibus*, aut *cristis ani* vid. differentię in *River.prax.p.417.l.10.c.11.* Cautio nempe opus est, ne hæc ipsa subinde confundantur. Imo tales hæmorrhoides cæcæ vel aperiuntur & fluunt, vel ubi sanguis stagnans non discutitur, aut dissolvitur, nunc ex *inflammatione* in *abscessum* & *ulcus* abeunt, quod sępius *fistulas* post se relinquit, nunc ex interiori coagulatione indurantur, & in perfectos *scirrhos* abeunt. Item hæ hæmorrhoides cæcæ ex sanguinis inclusi constitutione nunc *mites* sunt & *benignæ*, nunc *malignæ, cancrosæ, gangrænosæ*. Effluunt hæmorrhoides imprimis citra voluntatem, & sponte naturæ: nihilominus consuetudo ceu altera natura adeò est *potens*, ut etiam hæmorrhoides voluntariò fluentes reddere queat. Exemplum vid. in *Panarol. pent. 2, obs 47.*

Causæ affectuum hactenus recensitorum *hæmorrhoidalium* sunt vel *internæ*, ita ut quasi sua sponte superveniant, vel *externæ*, dum variè afficiuntur ista vasa ab externis occasionibus.

Quoad *causas internas*, quocunq; modo accidunt hæmorrhoidalia pathemata, omnia sunt præter naturam, cum per hæc loca nunquam evacuatio fieri naturaliter debeat, adeoque semper eorum affectus præsupponit statum præternaturalem & morbidum. Hinc non nisi *Hypochondriacis*, *scorbuticis*, *spleneticis*, *mensium suppressione laborantibus*, uno nomine *affectibus melancholicis*, sive ab acido vitioso natis obnoxiis contingere solent. Hinc rectè notat *Forest.l.23.obs.5.in Schol.* quod color faciei habentis hæmorrhoides ad viridem colorem declinet, teste *Avicenna*, id quod in multis aliquando animadvertentes, solo hoc signo inducti, eos hæmorrhoidibus laborare pronunciavimus. Nempe semper præsupponitur vasorum illorum stimulus, vel irritatio, vel spina iisdem infixa, h.e. *fermentum salinum*, in sanguine ejusq; sero *præternaturale*, quod quac, occasione vel hęreditario ex vitio, vel ex præcedaneis causis morbosis conjunctum, nunc externæ occasionis, nunc solenis cujusdam sanguinis evacuationis suppressæ causa, ad ista loca delatũ, vellicando loca ista sensilia, imò & fibrarum nervearum stricturâ, sanguinis stagnationem seu coacervationem, hinc tumorem plus minus inflãmatorium, tandem dolorem intensissimum ac fluxum infert. Uno nomine, quę sunt causę, quare subinde crebriores & chronicæ hæmorrhagiæ narium, sive habituales aliæ sanguinis evacuationes quosdam affligunt, eæ etiam sunt causę hęmorrhoidalium pathema-

tum

tum, cùm non nisi excretionis loco differant. Confer de tali fermento vitioso, quod acri suo stimulo hæmorrhoidales affectus concitet, elegans consilium *Knöphelii in M. A. N. C. Ann.6. App. p.1.*

Quoad *causas externas* sunt eæ variæ; *motio* nempe aut *agitatio sub equitatione* vel *vectione* paulò laboriosior, *purgantia & similia*, quæ tam in non dispositis, quàm inprimis in dispositis, pathemata hæmorrhoidalia inferunt. Facit huc *conatus laboriosior in partu*, sanguinis circulum circa ista loca nonnihil sufflaminans, hinc ad vasorum à sanguine distensionem, tumorem, dolorem disponens. Utut non observarim, ex tali casu natas hæmorrhoides, nisi in istis, qui ad hypochondriaca sive melancholica pathemata sunt proclives. Ac sanè quò crebrius pariunt mulieres, eò magis hos affectus exasperant, adeò ut in talibus etiam ultimis gravidationibus [illegible]ibus hæmorrhoidales affectus superveniant. Purgationes non rarò inducunt hæmorrhoides, partim ac præcipuè, quando *particulæ* medicamenti purgantis *resinosæ, acres* intestino recto agglutinatæ, illud stimulant, unde facilè hæmorrhoidales affectus: Partim quaten⁹ purgatione acres & salini evacuati humores, circa intestinum rectum non raros dolores excitant, atque ita ad hæmorrhoides disponunt. In specie hic accusari solet *aloë*, quasi venarum ora aperiat, & hæmorrhoides cieat. Effatum hoc est Arabum; à *Leonhardo* tamen *Fuchsio* & *Joh. Jac. Manardo*, minus Arabibus faventibus, hoc rejicitur. Sed revera commune hoc est quibusvis purgantibus magis resinosis, ut in dispositis hæmorrhoides concitent. Sic *Manardus in Epist. Medicin, l.12. Epist.3. pag.216.* ex potu *Rhabarbari* id observavit in viro, quod etiam de *Sennatis* & *Scammoneatis* à se observatum refert *Scultetus in Armament. Chirurg. observ.76.* Intestina etiam *nimia sanguinis commotio*: v.g. nimia *iracundia*, uti quibusdam hæmorrhagias narium; ita præ dispositis ex causa interna vel ex vasorum & intestini recti relaxato tono hæmorrhoidales affectus infert. Externa etiam *fortior motio, cursus diuturnus, saltatio, &c.* facilè in dispositis eosdem provocant.

Quoad **Prognosin**, certum est, quod *Hæmorrhoides Criticæ* aut *Spontaneæ*, non nimiæ, sint *saluberrimæ*, *præservant & curant* morbos, quos vulgò à melancholia derivant, *Maniam*, *melancholiam*, *scorbutum*, *scirrhos* aut *tumores viscerum*, vel *similia mala.* Item quando *loco menstruationis* contingunt, sunt *salutares.* Sic exempla virorum longævorum ex hæmorrhoidum periodico fluxu. Conf. *M. A. N. C. ann.4. p.39. & 57.* Econtra Hæmorrhoidum fluxus suppressus in Scorbutico mortis causa observatus vid. *M. A. N. C. Ann.3. p.543.* Hinc suppressæ Hemorrhoides, quod semel ac iterum fluxerint, nunc fovent, nunc exacerbant Chronicos morbos, presertim arthritidem, quæ ab iisdem fluentibus non parùm levatur. Verùm ubi fluxus hicce est

nimius

nimius, quia diuturnior, vel quia copiosior, paria imminent pericula, atque quæ hæmorrhagiam nimiam quamvis sequi solent: v.g. *hydropes, tabes, &c.* Imò nimius hæmorrhoidum fluxus adeò subindè debilitat, ut reddat viros ad congressus ♀eos *impotentes*. conf. hic in *Prognoſ.* simul *Hippocr. ſect.6. aph.*11. it. 21. & *aph.*12. inprimis notandum est, quod diuturnas curanti hæmorrhoides incumbat, ut una quæpiam servetur aperta, quia aliàs varii morbi imminerent corpori. Conf. *Deodatus in valetud. p.*93. It. *Horſt. in probl. decad.* 6. *q.*8. Quod illustrat obſ. *Amati Luſit. cent.*5. *cur.*3. ubi ex menstruo hæmorrhoidum fluxu suppresso, copiosus sanguis per os effusus fuit, & aliud menstruum *ſanguinis ſputum* exinde contraxit. Atque hoc inprimis evenit, quando simpliciter stringuntur vasorum ora, sine fermenti interni, sanguinem agitantis & dicta pathemata inferentis, correctione. In *hæmorrhoidibus valdè dolentibus*, nisi maturè suppurantur, facilè *inflammationem* contrahunt, quam *apoſtemata, ulcus, fiſtula*, aliaq; similia insequuntur. Quomodo hujusmodi *cæcæ inflammatæ*, & hinc *exulceratæ* tractandæ sint, præ cæteris vid. *Agricol. in Chirurg. parv. p.*594. Conf. & *Velſchius hecatoſt.*2. *p.*61. Et ad talem *exulcerationem hæmorrhoidum* nobile est *unguentum. ex ol. amygd. dulc. cum auro fulminante* factum; Authore *Boyleo in ſuis ſcriptis. Conf. Bartholin. cent.*4. *epiſt.*523.

Quoad *Curam*, in hac attendendus est *natura motus*, & constitutio subjecti plus minus, vel sana vel morbida, hoc est, Chronicis affectibus plus minus obnoxia. Natura enim sola, utut in subjecto vel statu minus naturali hunc motum & evacuationem instituit, ut nempe majora mala avertat: Nempe hæmorrhoides fluere consuetæ; ut (1.) suo tempore fluant, conservandæ. (2.) Suppressæ aperiendæ. (3.) Nimium fluentes, sistendæ. (4.) Nunquam fluere consuetæ raro, idq; in Chronicis saltem affectionibus, & in subjectis tantum tali evacuatione opus habentibus, aut eam facilè ferentibus aperiendæ, præsertim ubi suppressa solenni sanguinis evacuatione, natura quasi spontè eò inclinat. (5.) *Hæmorrhoides cæcæ ſive dolentes*, si nunquam fluxerint, vel non ex usu sit, ut fluant, aut *diſcutiendæ*, aut si aliàs fluxerint, *aperiendæ*, semper verò earum *dolor ſiſtendus.*

Ex dictis patet, tria saltem remediorum genera hîc locum habere, nempe 1. vel *quæ aperiunt*, 2. *quæ claudunt*, 3. *quæ dolorem ſiſtunt aut diſcutiunt, anodyna*, in specie *appropriata.*

Pro istis scopis ritè obtinendis, notandum in genere, quod procurandis *hæmorrhoidibus nimis apertis* omnia conveniunt illa medicamenta, *quæ in Diarrhæis* ac *Dyſenteriis* specificâ conveniunt virtute: *Cæcis* vero omnia illa exactè conveniunt, quæ vulgo in *morbis ſpleneticis*, ac referandis *viſcerum obſtructionibus* adhiberi solent: Nam hæmorrhoides in sua radice magnam habent cognationem cum *affectu hypochondriaco*: vid. *M.A.N.C. Ann.*3 *p.*40. hoc est:
Hæmor-

Hæmorrhoides corpore ſanè conſtituto non apparent: Sunt ergò ſignum deficientis ſanitatis, & hypochondriacorum affectuum quaſi conſectarii, adeoque *remediis* his appropriatis, in ſpecie ♂*ialibus*, & hinc *vegetabilib⁹ aut amaricantibus, aromaticis* eorum radicalis cura internè tractanda, eò ferè modò, ac in genere Chronici morbi tractari ſolent, quibus ſubjungantur appropriata: ut *Scrophularia, millefolium, craſſula, pilulæ de bdellio.* *Conf. Wedel. Opiolog. p.* 124.

Quoad *materiam medicam*, inter *aperientia hæmorrhoidum ora*, & quæ *fluxum* earum movent, optimum ſanè auxilium ſunt *hirudines* ano applicatæ. Conf. *Senn. l.* 3 *Prax.* ubi *de hæmorrhoid. quæſt.* 3. Quòd ſi vero profundius delitescant vaſa hæmorrhoidalia, ac præſertim ſuperiora, ita ut commoda hirudinum applicatio fieri nequeat, imitetur *Zacut. Luſit. l.* 2. *prax. admirand. obſerv.* 74. Qui docet, quomodo hæc *per cucurbitulam* applicatam commodè manifeſtandæ ſint. Præter has conveniunt etiam *folia ficus*, quando eadem nempe nonnihil fricantur aut contunduntur folia, donec eorum lac exeat, & tunc his foliis fricentur hæmorrhoides, donec aperiantur. Conſultum interim eſt, ut antequam applicentur talia extrinſecus, prius vaſa emolliantur *balneis emollientibus aut fomentis*, imprimis cum lacte paratis. Præter folia ficus *ſuccus cyclaminis* expertus eſt ad eas aperiendas, externè applicatus. Vid. *Henr. ab Heer in obſ. oppidò raris, obſervat.* 6. Uſurpatur vel ſolus, vel miſtus cum *ſucco betæ*, præſertim ubi *inflammatio* vel *dolor* nimis urget: huic etiam alia acria, ut *ſuccus ceparum*, præſertim cum aloe miſtus, *ſuccus ari, bryoniæ, centaur. min. &c. Suppoſitoria* etiam ex *rad. cyclaminis* inſigniter ſtimulant hæmorrhoides, vel ex *hiera picra, cum pulvere colocynth. & melle* parata. Porrò *Linimentum ex cancr. fluviatil. in* 🜕 *coctis* ad mellis conſiſtentiam, quod & aperit hæmorrhoides, & lienis dolori, ac nimio inflammationis incremento reſiſtit. Quòd ſi ſub dictorum applicatione nimia inflammatio metuatur aut ardor ani, ſucci vel alia applicanda agitentur in mortario plumbeo probè, donec lividum colorem ex plumbi ramentis contrahant: Sic enim vim refrigerandi obtinebunt. Quoad *interna remedia, quæ aperiunt*, eſt *aloë*, & hujus ratione *Elix. propr.* it. *myrrha* quosvis ſanguinis fluxus promovens, it. *reſinoſa purgantia.* *Remedia quæ claudunt nimium fluentes Hæmorrhoides*, ſunt vel *interna* vel *externa.* Internè conducit *Rhabarbarum* ac *Myrobolani*, præ cæteris *Tamarindi*, & hinc quælibet *remedia, quæ internè* ad *hæmorrhagias habituales* in uſu ſunt, ac ferè vi *acidi abſorptivâ* ſimul inſtructa ſunt. V. g. *Conſerva foliorum quercus, ſyr. de roſis ſicc.* mediante quo *Borell. cent.* 4. *obſerv.* 58. hæmorrhoidum fluxum ad ℔x. compeſcuit. *Syr. & ſuccus portulac. ſuccus urticæ maj.* ad ℥ij. experimentum eſt *Riverii cent.* 4. *obſ.* 81. *Succus & ſyr. ſtercoris aſinini, decoctum ſanguiſorbæ* egregium etiam experimentum eſt. vid. *Bartholin. in actis Medic.*

Hafnienſ. vol.1. p. 165. Dens equi marini, ſeu *Hippopotami præpar.* fuit ſecretum *D. Michaël.* ex quo *dente* etiam paravit *annulos pollici pedum applicandos* in nimio hæmorrhoidum fluxu. *Trochiſci de carabe*,ac præſertim *pilulæ de bdellio* ad ℥j. uſurpatæ egregium ſunt experimentum contra hæmorrhoidum fluxum. Primus qui hoc notavit,eſt *Solenander conſ. 20 ſect.4.* ubi plura reperies quæ ad Hæmorrhoidum praxin pertinent, quem poſtea ſecutus eſt *Foreſtus l.23. obſ.5.* Unde nonnulli non ſine ſucceſſu adhibent *ſuffitum ex bdellio*, qui egregiè ſolet conferre. De *♂ialibus*, quò etiam pertinet *Hæmatites*; de *opiatis*, quò pertinet *theriaca*, etiam interne *contra hæmorrhoides fluentes* uſitatis taceo,cum per ſe nota ſint.

Externè hæmorrhoidum fluxum ſiſtit *ſpongia* iſta *terreſtris*, *crepitus lupi* dictus, qui ſiccatus, & venis fluentibus admotus, non tantum ſanguinem fluentem ſiſtit; ſed & partes jam exulceratas optime ſanat. *Fuligo furni conquaſſata cum album: ovi*, & poſtea applicata cum *telis aranearum*, fluxum cohibet. De *pulvere ſympathetico* ceu aliàs noto,taceo. Sunt qui recipiunt *ſanguinem recenter excretum*, quem in lamina ferrea bene calefacta exſiccant, exſiccatum hæmorrhoidibus fluentibus inſpergunt, & ſic ſiſtunt. *Pinguedo* etiam *anguillæ*, quæ,dum aſſatur,exſtillat,non ſaltem egregium eſt contra *dolores hæmorrhoidum* remedium; ſed & *nimium fluorem* optime ſiſtit. *Pulvis ex mumia & ſubere uſto*, it. *terra ⊕-li dulcis* ritè edulcorata, & cum *ſucco plantaginis* in *Linimenti* conſiſtentiam redacta: item *unguentum de Lithargyrio vel tutia*, *cum cinere oſtrearum* ſubactum, compeſcit nimium hæmorrhoidum fluxum. *Venæſectio* in brachio,quam quidam uſurpant,non adeò neceſſaria videtur, ne forſan occaſione ſolennis ſuppreſſæ ſanguinis evacuationis hæmorrhoidum nimius metuatur fluxus.

Tandem illa,quæ *cæcarum dolorem* ſiſtunt,easque diſcutiunt,*anodyna ac appropriata* ſunt plura; præter *lac* enim *opiata*, *decoctum fol. hyoſcyami in lacte chalybeato* ac ſimilia, ſub *fotus* formâ, vel cum ſpongia, vel cum linteolis multiplicatis applicata conveniunt: Specificè *momordica*, ex cujus *pomis* per infuſionem *in ol. communi vel amygd. dulc.* paratum nobile *oleum*, eſt non ſaltem *vulnerarium*, ſed imprimis ad *hæmorrhoides cæcas* egregium experimentum, quod feliciter tentavi in muliere, quæ ex ☒um impedito fluxu hæmorrhoidum patiebatur dolorem. Hinc eminet *verbaſcum* ejusque *flores*, per infuſionem olei, imò tota planta appropriatiſſimum eſt ad hæmorrhoides fluentes, applicatur præſertim in *aq. ferrariorum* cocta pro fomento. *Floribus verbaſci* non ineptè adduntur *flor. ſambuci*,ut ſimul *in lacte* vel ▽. cocti pro *fomento* applicentur, quibus in graviori dolore, ad imitationem *Foreſti l.23. obſ.6.* addendum eſt *ſem. hyoſcyami*, ut pro fotu eo melius experto ſiſtatur dolor, vel *ex fol. & flor.*

iſtor.

istorum simplicium, in lacte coctis, *cataplasmata* pro eodem scopo parari possunt. *Linaria* herba unum est *ex primariis specificis* contra fluorem hæmorrhoidum, tam ☍ & *unguentum de Linaria*, quam *sacculus ex linar. & flor. chamomillæ* in lacte coctus & applicatus. Sanè unanimis est commendatio Practicorum in exaltanda Linaria contra Hæmorrhoidalia pathemata, vid. *Hartm. in prax. pag. 198. vel 203. Horst. l. 4. obs. 50.* item *Hoeferum Hercul. Medic. p. 195.* vel

℞. Unguenti de Linar. ℥j.
ol. hyoscyami expr. ℥j. vel ij.
sacch. ♄i (in ardore & inflammationis metu) ℥ß. vel ℥ij.
M. pro Linimento.

Baccæ it. *herbæ paridis* in oleo cum modico vini coctæ, dant linimentum revera elegans, quod *in hæmorrhoidibus cæcis ac furentibus* in puerpera observavit *Gesnerus*, ac commodè *cancrosis hæmorrhoidibus* quælibet ex baccis his remedia applicari possunt. Tandem cum *asellis & scarabæis stercorariis*, cum ☍ lini infusis, pluribus permistis fiunt olea expertissima contra *hæmorrhoides dolentes & tumentes*: Nempe in *oleo lini* coquuntur *scarabæi stercorarii*, quod ☍ usurpatur, vel ☍ *violac.* ℥ij. adduntur *asellorum contusor.* ℥j. coq. invicem cum additione ceræ, ℥ß. vel ad formam unguenti, quod externis commodè illiniri, in internis vero hæmorrhoidibus, in forma glandis immitti potest. Nec minoris usus est, si *millepedes in* ☍ *nuc. expr.* coquantur, aut etiam sine coctione *millepedes cum* ☍ *misti* digerantur aliquandiu, in cucurbita probè obturata, & hinc facta transcolatione pro usu asserventur. Conf. de his *Solenander sect. 4. consil. 20. Borell. cent. 1. observ. 63. Fonseca l. 1. consil. 27.* *Cineres suberis usti* specificum sunt *Hartmanni cum oleo myrtin.* misti contra dolorem hæmorrhoidum cæcarum. Melius si *suber combustus* cum *oleo sem. lini & vitello ovi* misceatur in consistentiam *Linimenti.* Quòd si ingens adsit ardor sub dolore, commodè *suber cum oleo rapistri* misceatur, & aliquantum *succi sedi major.* addatur, certissimum erit ad hæmorrhoides dolentes & ardentes remedium. Experientiam suggerit *Forestus l. 23. obs. 5.* dum nobilis mulier, quod in puerperio semper dolore hæmorrhoidum valdè affligebatur, aliis multis frustra tentatis hoc linimento præsentaneum semper levamen percepit. Nempe ℞. *Ciner. Suberis* q. v. & *cum oleo rosac. & vitell. ovi F. Linim.* Quod si inflammatio adsit, misceantur probè in mortario plumbeo. Applicantur etiam contra dolorem & tumorem hæmorrhoidum cæcarum *mucilagines semin. psyllii, cydoneorum, lini, &c.* Continent enim in se ⊖ volatile ipsius concreti, cujus ratione tam egregiè conducunt in pluribus affectibus, ac speciatim in hæmorrhoidalibus. Siquidem in his etiam in externis remediis ea præpollent, quæ acidum istud, unde hæmorrhoidalia pathemata oriun-

oriuntur, vel *absorbent*, ut ♄*nina*, vel *vi opposita alcalina* corrigunt & temperant. Dictis mucilaginibus in ardore ac inflammatione commodè *succus portulacæ, saccharum* ♄*i*, etiam *camphora* addi potest, vel

℞. Mucilag. sem. psyll.
cydoneor.
lini, an. ℥ß.
aq. rof. ℥j. bulliant lente ad consumtionem aquæ, adde butyri recent. ℥j. vitell ov. N. ij. ol. rosac. complet. parum, postea tunde in mortario plumbeo cum pistillo ♄neo ad colorem lividum usque F. l. a. *Linim.* perquàm egregium *in inflammatione ac dolore Hæmorrhoidum.* Hinc aliquoties ad hujus imitationem cum fructu præscripsi:

℞. Mucilag. sem. cydon. c. sperm. ran. extr. ℥j.
▽ camphorat. ʒij.
sacch. ♄i ʒj M. F. l. a. liniment. quo linteum humectatum applicetur crebrius.

Rulandus contra dolorem & tumorem hæmorrhoidum applicat *sacculum ex glandibus contusis & foliis quercus in aceto coctis*: quo ipso sacculo miraculi instar sistatur dolor hæmorrhoidalis. Unde & hunc sacculum tanquam expertum commendat *Lotich. in observ. p. 519.* *Camphora* non immeritò his additur, quæ efficacissima etiam est ad dolentes hæmorrhoides, si ʒß. ad ʒj. subigatur cum aquæ rof. ℥j. & ita applicetur ad dolentes & ardentes hæmorrhoides. Inprimis *scrophularia* summum est specificum ad quosvis hæmorrhoidales affectus, in quocunque sint statu, usu interno pariter ac externo: sc. *radix scrophulariæ* autumno collecta, per se sola lumbis alligata, ut cutim attingat, hæmorrhoides sanat, fluentes nimirum sistendo, dolentes & cæcas dissolvendo. Item ex hac sola recenti mundata & contusa fit unguentum, si cum butyro recenti in olla nova per dies 15. in cella aut loco humido reponatur, dein liquefacto sensim butyro lento △e exprimatur; servatur Linimentum egregium contra hæmorrhoides. Item radix ejus in tessulas dissecta, & filo annexa, vino injiciatur, de quo 9. diebus patiens in nimio fluxu bibat, post radices siccentur, & eo modo, quo siccantur radices, etiam hæmorrhoides imminui & quasi siccari asserunt: Sin vero rursus aperire velis, vino vel aqua simplici rursus imponendæ sunt, atque tunc iterum nonnihil hauriendum. Quò facit, quod refert *Henr. ab Heer obs. 22.* sæpissime, inquit, expertus sum, si quis hæmorrhoidum cæcarum insano dolore torquetur, minimum quidem *scrophulariæ*, vel *radicis*, vel *foliorum*, cum cibo vel potu capiendo, statim dolore liberabitur, sive ipsam *substantiam* siccam, aut viridem, sive *decoctum* assumat. Conferatur etiam *Scultetus in Armament. Chirurg. tab. 42. p. 174.* Curavi mulierem juvenculam, quæ occasione primi partus difficilis, hæmorrhoidum cæcarum dolorosissima pathe-

mata

mata contraxit. Duravit hoc malum integro anno. Post partum denuo gravida facta longè pejus habuit, non secus ac in subsequente puerperio, ita ut interdum ad plures dies alvum supprimere cogeretur, metu insani hæmorrhoidalis doloris. Suppurabantur interdum & gravi cum dolore pus fundebant. Hinc tentandi gratia tempore autumnali totam *scrophulariæ* plantam transmisi, ut radices quasdam femoribus alligaret, alias radices unà cum foliis incisas, nodulo inclusas, cerevisiæ infunderet, & inde ordinariò biberet: Folia quædam minutim concisa omni matutino tempore cum pane butyrato assumat. Horum usu, per unam alteramve septimanam continuato, egregiè convaluit. Nec minoris usus *Crassula major*, seu *sedum Telephium* interno & externo usu, cum primum turgentibus primo vere foliis contundantur, & terantur *c. ol. rosac.* hinc coquatur blandè ad humiditatis superfluæ evaporationem & consistentiam Linimenti, ac applicetur: admodum convenit in dolore & ardore hæmorrhoidum. Imò sola hæc radix, & aliquot ejus nempe nodi de collo suspensa, ut circa lumbos cutim attingant, egregium est in hæmorrhoidum cæcarum malis, ex quacunque causa natis. Confer. *M. A. N. C. Ann. 2. p. 296.* Id quod probavi aliquando in studioso hæmorrhoidibus cæcis admodum afflicto, qui, hoc usus amuleto, egregiè convaluit. Facit huc, quod refert *Solenander sect. 4. consf. 20.* Chirurgus quidam hæmorrhoides dolentes, tumentes, fluentes curat per herbas integras *scrophulariæ* & *crassulæ maj.* c. radicibus, macerat eas in cerevisia, mane & vesperi offert. Idem *Solenander cit. loco* nescit ferè, quibus verbis sufficienter commendare debeat ad quæc. hæmorrhoidum vitia *Chelidonium minus*, usu tàm interno quàm externo, fluentes sistit, tumentes aut dolentes sanat. *Herba siccata* cerevisiæ infunditur. Hoc modo Empiricus omne Hæmorrhoidum vitium curabat. *Herba tusa* vel *succus expressus* extrinsecus admotus idem præstat. *Aqua destillata* adhibita eos curavit, qui ferè hydropici facti fuerunt, nimio profluvio. Tusa planta oleo incocta ad dolentes & tumentes prodest, flores etiam & herbæ manè comeduntur. Hinc alii recipiunt ℥is *rad. scrophular. chelidon. min.* an. ℨjß. cum *ol. verbasci. F. Linim.* Hisce tandem addatur, quod pro usu interno ad sedandum dolorem, & absumendas hæmorrhoides prosit *decoctum millefolii totius*, *pulvis* item *millefolii* & *tormentillæ*.

Quòd si Chronici facti sint, & quasi habituales affectus dolorosi hæmorrhoidales, speciatim post ☒ium emansionem, convenit egregiè *fonticulus in tibia.* vid. *Velsch. Hecatost. 2. pag. 50.* Item *Zacut. Lusit. lib. 2. prax. admir. observat. 71.*



CAPUT IX.

De VARIIS INTESTINORUM DOLORIBUS.

NAturaliter siquidē alimenta distribuuntur aut egeruntur, nulli dolores in intestinis percipiuntur, nisi quod intestinum rectum saltim stimulum sentiat, quando fæces sunt excernendæ. Deinde adsunt interdū murmura & borborygmi, quando flatus naturalis intestinor. tenuium, speciatim ilei peristaltico intestinor. motu hinc inde agitatus ista phænomena infert. Verùm præternaturaliter crebrius dolores patiuntur intestina, quæ dicuntur tormina, à torquendo, quod intestina quasi contorqueri & convolvi videantur. Ac revera formaliter omnes ferè dolores, paucissimis exceptis, à convulsivo spasmo intestinorum, in quem à spirituum impetu cientur, immediatè criuntur. Utut autem causaliter sint varii, vix tamen quæcunque causæ dolores inferunt, nisi ad motus convulsivos per irritationem intestina disponantur, id quod non solummodò confirmat observ. *Helmont. de flatibus* §. 38. sed & ordinariò ferè alvus suppressa esse solet sub talibus intestinorum doloribus, dum spasmis istis impeditur, & plus minus retardatur naturalis motus peristalticus, & hujus medio contentorum protrusio.

Ante omnia considerandæ *differentiæ dolorum intestinalium*, quæ omnes vel *ratione partis affectæ*, vel *ratione causæ* considerandæ sunt.

Ratione partis affectæ laborant intestina vel tenuia, vel crassa. Dum afficiuntur tenuia, jejunum & ileon, vocatur propriè *dolor Iliacus*; quando vero in intestino crasso, colo, observabilis est, *Colicus* vocari solet, utut vulgò confundi, & omnis dolor intestinorum in genere *Colica* appellari soleat. *Distinguitur* autē iliaca passio à Colica, imprimis intestini utriusque situ. Nam *colon intestinum* à recto ingvine incipiens, supra dextrum renem sursum exsurgit versus hepar, & hinc ad hypochondrium sinistrum, ubi mox angustatur, & ad renem sinistrum deflectit, indeque porro ad ingven sinistrum, unde tandem ad os sacrum in intestinum rectum terminatur. Hinc isti dolores, qui in abdominis ambitu percipiuntur, sunt *colici*, utut nonnulli eum tantùm hoc nomine appellent, qui partem abdominis superiorem & anteriorem instar circuli ambit, cùm tamen sæpè dolor, usque ad umbilicum imò interdum usque ad vesicam insigni ambitu devolvatur, qui revera etiam sunt *colici*. *Tenue* vero *intestinum*, ubi emergit ab intestino duodeno, versus hypochondrium sinistrum torquetur, & hinc recedens meditullium ventris imprimis occupat, unde in & circa & infra umbilicum percepti dolores sunt inprimis *iliaci*. Ad partem affectam pertinet & *situs doloris*, ratione cujus *dolor* est vel *hypochondriacus*, vel *umbilicalis*,

calis, vel *lumbaris*. *Lumbaris* eſt multiplex, nunc *nephriticus*, nunc *meſentericus*, nunc *pancreaticus*, nunc *inteſtinalis*. In ſpecie, quod attinet DOLOREM HYPOCHONDRIACUM eſt iſte, qui frequentiſſimè percipitur in hypochondrio ſiniſtro ſub coſtis nothis, dolor *pertinax* & frequentius *punctorius*, qui communiter adſcribitur lieni affecto, unde vulgò quicunque dolores in iſta parte percepti, mox pro augurio affecti ſplenis habentur. Econtra qui conſiderat parenchyma ſplenis infarctum quidem ſed per ſe minus ſenſile, ſtatim poteſt percipere, quod lien vix poſſit habere dolorem, niſi gravativum obtuſum, inprimis ex tumore & infarctu à contentis vitioſis productum. Deinde poteſt habere dolorem obſcurè tenſivum, ſeu quaſi diſtendentem ex diſtenta membrana lienem cingente, ab infarctu nimio enatum. *Dolores* vero *punctorii* & *terebrantes* nullo modo ſunt in liene, cum ineptiſſimus ſit lien pro tali dolore, & quando cum his doloribus in dicto hypochondrio concurrit tumor ad tactum renitens, aut quando concurrit iſtius hypochondrii inſignis intumeſcentia, nullo modo talia conveniunt lieni, cùm hic in profundo ſituatus nullo modo contingi queat. Dolor autem hicce *punctorius* & *terebrans* in hypochondrio ſiniſtro obſervabilis, ſitus eſt in inteſtinis, partim quidem in inteſtino *jejuno*, partim vero & ut plurimum in *Colo*.

Quod attinet jejunum inteſtinum, duodenum ubi deorſum pergit à pyloro ad principium jejuni, contorquetur hoc ipſum jejunum mox ad hypochondrium ſiniſtrum, ubi à lumbis & meſenterio liberius aſſurgens, contorquetur poſtmodum denuò in abdominis meditullium. In modò dicto angulo ſæpius latet nunc *flatus*, nunc vero ut plurimum *mucilago acida*, quæ pertinaciter ibidem affixa, dolores iſtos acerbos in profundo hypochondrii ſiniſtri ſitos inducit. Verùm frequentius hi dolores ſunt in *Colo*, id quod obſervat *Hildanus cent.* 1. *obſ.* 58. idque quoniam in dicto loco ſæpius *mucilago acida* deprehenditur, partim, quia in eodem nunquam deficiunt flatus: Et, utut dicant, medicamenta ſplenetica tam interna quam externa hujusmodi dolorem curare, tamen quoniam externa unguenta & emplaſtra ordinariò ingreditur *gumm. ammoniacū*, quod vim egregiam diſſolvendi mucilaginem viſcidam, ibid. hærentem obtinet, evenit ita, ut, quæ ſpleni conducere putantur, revera inteſtino colo à tali cauſa affecto conferant. Obſervantur etiam ſubindè ſimiles dolores punctorii in hypochondrio dextro, qui non ſunt ex hepate, ſed revera ex inteſtino, ut ſuperiori colo affecto.

Quoad *lumbarem dolorem*, *nephriticus* quidem eſt frequentiſſimus, ſed ſunt & alii, qui ut plurimum cum nephritico confunduntur ſi: quidem pylorus, dum in inteſtina ſe dimittit, duodenum exinde genitum reperitur circa dextram lumborum regionem, unde in inteſtino duodeno circa principium jejuni ſubindè oriuntur dolores, circa dextram lumborum regionem obſervabiles, ſed in iſto duodeno perſcrutabiles.

Pancreas

Pancreas itidem transversim lumbis incumbens, *obscurum* seu *obtusum* & in profundo delitescentem, subindè *gravativum* dolorem infert.

Mesenterium porrò lumborum vertebris annexum, dum hoc convellitur, unde *dolores parturientium hysterici* subindè oriuntur, non minus ac dolores *scorbutici* abdominis, etiam gravem lancinantem dolorem in dorso circa lumbos exhibere solent.

Altera differentia doloris intestinorum fundatur in varietate causæ efficientis & fiendi modo, indeque dolores intestinales, seu uno nomine

COLICA

dicuntur, quæ vel *humorosa* vel *convulsiva*. Nam ut semper *tormina à spasmis intestinorum*, vel in toto vel in parte oriuntur, tamen quatenus vel à contentis humorosis in intestinis hærentibus occasionaliter proritantur, vel quatenus sine his, ipsorum nervorum ad intestina distributorum vitio spasmodicè excitantur, ita dirimere licet.

Colica humorosa doloribus variis, & pro causarum afficiendi modo distinctis affligit. Hinc *dolor* in *humorosa* est nunc *fixus* seu *perterebrans*, nunc *pungens*, nunc *distendens*, nunc *rodens*, nunc *contundens*, nunc *gravans*, nunc *pulsans*. *Terebrans dolor* est *fixus*, quando scil. intestina uno quodam loco perterebrari videntur. *Oritur à mucilagine viscida & acida*, in determinato quodam loco hærente, & agglutinata, inprimis in colo, sub hypochondriaco dextro vel sinistro, in cujus cellulis aptum invenit diversorium. Et hic dolor est iste, qui *hypochondriacos* non rarò vexat, & est dolor colicus à materia viscida acida. *Dolor distendens*, & quasi *disrumpens*, *oritur* frequentius *à flatibus*, qui oriuntur ex materia viscida per fermentationem vitiosam ab acido productam. Et hic dolor à flatibus est unus ex frequentioribus Colicæ modis: Semper tamen necesse est, concurrat intestinorum *spasmus*, nunc in uno quodam loco fixus, nunc hinc indè vagus, cujus occasione flatibus exitus intercipitur, qui aliàs defacili, quâ datâ portâ, exitum invenirent. *Dolor gravis*, cui vicinus est *contundens* oritur ex muco copioso & viscido, absque acrimonia, in quadam parte infixo, ac præsertim pituita vitrea simplex dolorem talem infert; Quæ pituita, si parum sit acida, sive ex vitio stomachi, sive ex vitio pancreatis, præter gravativum dolorem, sensum infert contundentem. *Dolor rodens* à salso est acri, quasi muriatico vellicante, arrodente & fodicante intestina. *Dolor pulsans* ex arteriarum est spasmo, & frequenter inflammationem comitatur, ut patet ex inflammato digito propter infixam spinam, in quo mox pulsans arteriarum dolor percipitur. Præterea tamen & aliud quodvis inimicum objectum, gravius intestinum quoddam in loco quodam vellicans, facilè ex superveniente spasmo arteriolarum dolorem pulsantem inferre potest.

COLI-

COLICA CONVULSIVA cum dolore contorquente, lacerante,lancinante & abdomen nunc contrahente,nunc in duritiem tendente,nunc vago,nunc quodam in loco fixo,à convulſionibus & contorſionibus inteſtinorum ſimpliciter oritur, adeoq; quando contorſionis,aut vagæ lancinationis ſenſus doloroſus in inteſtinis vel abdomine percipitur, à convulſionibus eundem oriri certiſſimum. *Convulſiva* hæc *colica* eſt iterum vel *accidentalis*,vel *habitualis*. *Accidentaria* eſt, quæ à cauſa evidenti ſolitaria, ſine certâ in corpore prædiſpoſitione ad colicam, oritur,& iis, qui nervos ſenſiliores obtinent, imprimis moleſta eſt, adeoque frequenter à cauſa externa,vel aliena excitatur, & ſic per conſenſum frequentius inteſtina affligit. Talis eſt v.g. *nephritica,dolores parturientium*,aut qui *poſt partum* affligunt,&c. *Habitualis* eſt illa,quæ certam in corpore radicatam diſpoſitionem ceu cauſam antecedentem aut fomitem agnoſcit,quo leviter à cauſa procatarctica ſeu occaſionali quacunque commoto, atrocia tormina abdomen occupant, & aliquandiu ægrum excruciant,utut inteſtina,quoad contenta,rectè ſe habeant, & ſenſim denuò remittunt, ſubinde etiam in *epilepticos motus*, aut etiam *pareſes* transeunt. Talis dolor eſt *dolor*, v.g. *abdominis ſcorbuticus*, it. qui in *ſuffocationibus hypochondriacis*, vulgò dictis *hyſtericis*, virorum & mulierum ſunt obnoxii, item qui *febribus intermittentibus* malè curatis in cujusdam ſuperveniunt. *Colica* talis *convulſiva*, dictum fuit, quod ſit iſta, quæ conjuncta eſt cum *doloribus nephriticis*. Non oritur propter contenta in inteſtinis, ſed oritur ex plexibus meſenterii nerveis, qui diffundunt ramos partim ad inteſtina, partim ad renes, partim ad ſtomachum. Ubi igitur occaſione doloris renalis, ratione nervi ad iſtos renes derivati, communicatur hujus doloroſus ſpasmus iſti plexui radicali, tunc, in graviori malo, omnes cæteri nervi ex plexu oriundi, *ſimiliter* convelluntur, & inteſtina convulſa infeſtat colicus dolor contumaciſſimus, nullis nec purgantibus nec evacuantibus cedens. Confer. *Willis in Anat. cerebr. c.27.* Colica talis convulſiva, ſed ſubinde plus minus habitualis ſunt *tormina fœminarum*, quæ vulgò dicuntur *ſuffocatio hyſterica*,ſunt quæ nihil aliud, quàm *convulſiones meſenterii*, & *plexuum nervoſorum*, quarum partium vehementiorem contracturam ulterius inſequitur *faucium conſtrictio* & quaſi *ſuffocatio*. Nec rarum eſt,quod mulieres ſub difficili ☒ium fluxu patiantur tormina gravia abdominis ex ſimilibus ſpasmis: imò ipſi *dolores parturientium in abdomine*, & *dolores poſt partum* ſunt tales *convulſiones in meſenterio & inteſtinis*, quibus in partu accedit *convulſiva uteri contractura*. Pertinent huc etiam iſti abdominis dolores, qui non rarò morbis diuturnis, & febribus intermittentibus non ritè curatis ſuperveniunt, qui nullis cedunt remediis evacuantibus, quæ fruſtra propinantur & potius malum irritant. Videntur oriri ex metaſtaſi fermenti morboſi ad glandulas meſenterii & nervos iſtius loci, à quo vellicantur partes nerveæ. Unde etiam non rara ſunt ſimilia tormina in meſenterii abſceſſibus mor-

bisque cognatis. vid. *Barth.cent.*1. *epist.pag.*253. *Dolor Scorbuticus abdominis* adeò est urgens, ut cæteræ species sint saltem risus jocusque, de quo nemo melius scripsit quàm *Dravviz*. vom Schmertz-machenden Scharbock. *Sect* 8. rectè demonstrat, oriri hunc ipsum *ex convulsionibus intestinorum ac mesenterii*, cum percipiatur ab ægris, quod inchoet dolor in dorso ac regione lumbari, & hinc penetret ad interiora; inchoat scil. ubi annectitur mesenterium, & pertingit interiora versus usque ad umbilicum. Admodum vagus est & oberrans: interdum in intestinis & abdomine convulsiones infert dolorosas, interdum hæ cessant, & superveniunt convulsiones artuum: quibus cessantibus repetit dolor abdominis, interdum pertinaciter abdomen afficit. Accedit quoque, quod sæpius in tali colica podex sit pertinacissime clausus, & tantùm non retractus, ita ut nullum clysma poterit applicari, propter spasmum, simul intestinum rectum occupantem. Fit non rarò, ut ipsum abdomen excavatum appareat, & umbilicus introrsum versus retractus propter istas convulsiones, quibus umbilicus, & forsan etiam ipsum peritonæum, simul afficitur. Certum est, quòd hi abdominis dolores sint contumacissimi, & nisi rectè tractentur, facilè degenerant in *pareses*, uti in locis vinosis, Austria, Moravia, Franconia satis experiuntur incolæ, vel *contracturas artuum*. Videmus hinc indè apud Scriptores Practicos exempla talium dolorum, quos ipsi saltim ex humoribus, speciatim ex bile, derivare nituntur: Sed non possunt se explicare. Nunc dicunt oriri ab humoribus intra membranas intestinorum seu ipsam eorum substantiam contentis: nunc dicunt oriri ab humoribus biliosis vel acribus in duplicaturam peritonæi effusis. Alii alias assignant causas. Conf. *Forest. l.*21. *obs.*2. præsertim *in Scholio*. it. *Riolan. in Enchir. Anatom.c.*3. *p.*96. Solus *Willis* primus hic aperit oculos, tam in *Anatome Cerebri*, quam in *Tr. de morbis convulsivis*.

Omnes hæ colicæ ratione adjunctorum nunc *cum ardoris & æstuationis sensu*, nunc *cum algore* juncta sunt, nunc *vomitus* adest, nunc abest, nunc, idque sæpius, contumax *alvi adstrictio*, nunc *alvus fluida*, interdum nimis aperta. *Ardor & æstus* nunc universum corpus occupat, atque plus minus febrilis est, & verè in impetu spirituum, & concitatione sanguinis, cæterorumque humorum motu, occasione dolorum concitatus oritur. Interdum saltem in profundo sub hypochondrio dextro prope regionem lumbarem, ubi inseritur ductus pancreaticus & cholidochus in intestinum duodenum, perceptibilis est. *Oritur* ex bile acriori effervescente cum succo pancreatico acidiore, ex qua effervescentia talis inducitur caloris ac ardoris sensus. Exemplo rem illustrabo: notum est, quod ex confusione spiritus ⊕-li acidi, & olei terebinthinæ oriatur intensissimus ardor, ita ut per vitrum manus insigniter incalescat; vel si confundatur spiritus ⊖ cum spiritu vini ex his duobus, celeri manu confusis, intensissimus oritur æstus. Parili ferè ratione concipiamus æstum oriri ex prædictis

causis

causis in intestinis. Quoad *algorem*, qui in abdomine perceptibilis, qualis é. g. etiam interdum in febribus intermittentibus obvius est, *oritur* dolor hic ex contraria causa, ex succo nempe pancreatico nimis acido aut austero, qui occurrens bili paucæ, vel nimis oleosæ, aut etiam obrutæ ex materia viscida in intestino duodeno, ibidem cum eadem concurrens, effervescit quidem, dolorem tamen cum frigoris sensu junctum infert. Hoc frigus sæpius quidem in regione lumbari, interdum etiam in aliis intestinorum locis percipitur, prout plus vel minus acidus existit talis pancreaticus succus. Revera autem vix videtur positivum frigus, quin potius spasmi membranarum ab acido vellicatarum frigoris sensum solent repræsentare; parili ratione ferè atque rigor & frigus febrile, nonnisi à tali membranarum circa præcordia, & hinc panniculi carnosi Spasmò tremulo oriuntur. *Vomitus* interdum abdomine dolentes affligit, præsertim in *colica convulsiva* crebriores observantur, uti in *nephritica, hysterica, scorbutica* notum est; minus in colica humorosa, nisi vel intestina superiora tenuia magis afflicta sint, vel occasione assumtorum in ventriculo corruptorum malum ortum fuerit. Interdum tamen *à colo malè affecto*, quatenus ventriculo proximè substernitur, *vomitus* concitari solet. *Alvus adstricta* ut plurimum oritur ex intestinorum convulsiva, eaque pertinaci in quodam loco contractura, unde in convulsiva frequens est, & hinc etiam in humorosa, magis tamen in illa, & etiamsi aperiatur alvus in convulsiva, parum commodi exinde percipiunt ægri; secus in humorosa; In hac enim si evacuetur, quod evacuari debet, melius ordinario habere solent ægri.

Pars affecta in his doloribus *à morbo* quidem semper sunt *Intestina*: Pars affecta *à causa* in humorosa sunt *eadem*. In convulsiva vero vitium est *in nervis & plexibus mesenterii nerveis*, vel per consensum affectis; vel acido acri, eo disposito & eo congesto irritatis.

Quoad *Causas* has in specie, in *colicâ humorosâ* considerentur inprimis intestinorum contenta varia, plus minus naturalia, & multiplex eorum nocendi artificium, & crebrius tamen quoad causam antecedentem, respiciendum ad acidum plus minus austerum, in subjecto plus minus viscido, vel ex stomacho ad intestina delatum, adeoq; ab assumtis vel vitiosis, vel vitiosè digestis eò distributum, vel ad intestina ex pancreate derivatum. Hinc etiam *Colica flatulenta* dicta; hinc *Colica stercoraria*, à stercoribus induratis: hinc *Colica pituitosa*, item ab assumtis, præsertim fructibus horæis, fermentescibilibus: item à cerevisia novella, item à pinguibus, superingesto potu frigido vel acidulo, crebriores oriuntur Colicæ. *Bilis* sanè per se inepta videtur ad inducendum dolorem colicum. Hujus enim ⊖ volatile oleosum abstergit potius intestina, & temperat acorem, aut si *biliosa* observetur *colica*, à bile porracea seu æruginosa originem eadem habebit. In specie *sub purgationibus* ægri sæpius tormina patiuntur, partim à stimulis remedii

 purgan-

purgantis, partim ab acrioribus ad intestina commotis humoribus. it, ab *alimentis difficulter digestibilibus*, aut quæ mucilaginem viscidam loco chyli suppeditant, oriuntur subindè colicæ, præsertim si *abdominis* nimia superveniat *refrigeratio*, nempe *mucus acidus, viscidus* hujusmodi tormina infert. Talem colicam *ex nimio ostrearum esu* aliquando observavit *Forestus l.21. obs.7.* Pariter post usum *fructuum horæorum*, post potum *musti, cerevisiæ recentis*, it. *cerevisiæ triticeæ*, aliaque similia assumta, facilè præsertim in digestionis debilioris stomacho acescentia, colica præsens est. Hinc rectè mulieres nutrices ab omni esu acido dehortantur, ne infantes in tormina ventris incidant. Uti enim acidum lac in stomacho coagulat; ita viscidam mucilaginem in intestinis exindè producet: unde tormina infantum. Hoc sensu interpretanda venit theoria *Paracelsica*, quæ pro *causa Colicæ* adducit ∿ ⊖*ium resolutos*, aut etiam *tartarum nimis resolutum*, interdum *nimis coagulatum*. qui tartarus stypticis ponticis, acetosis ∿bus intestina & vicinas partes excruciat, nempe *acidum peccans* hoc ipso insinuatur. *Hypochondriaci* crebrius patiuntur tormina colica, utpote in quibus notissimus est excessus acidi unà cum cruditate materiæ viscidæ. Unde & *flatuum* tantus proventus, & *colicæ humorosæ* scaturigo. *Ictericorum tormina* huc pertinent, in quibus defectu bilis contenta intestinorum acida viscida promtè tormina inferunt. Item, *stercora* in intestinis nimis *indurata*, partim ex sui viscitate & crassitie, partim ex acido austero eadem coagulante, *colicam* dant *stercorariam*, subindè per quàm contumacem. Subsistentibus firmius in intestinorum cellulis dictis stercoribus, & ita ad dolorem eadem irritantibus. Facit huc *dolor colicus in lue Gallica* interdum affligens, ex acido specifico natus viscido, qualem observavit *Zacut. Lusit. l.2. prax. adm. observ.22.* nullis nisi *Mercurialibus unguentis* succumbens. Facit huc, si *varia præternaturalia* deglutiuntur. Sic *ex deglutitis nummis aureis*, indeque eorum subsidentia in cellulis intestinorum *pertinacem colicam* observavit. *Borellus cent.4. observ.25.* Item *Bartholinus cent.3. epist.69.* Pertinent huc *calculi* in colicis subindè observati, ac cum levamine ægrorum excreti. Qualia *colicæ calculosæ* exempla vid. in *Horst. l.4. obs.44. & seq. p.232. &c.* it. in *Benivenio cap.9. obs. p.122.* Conf. hic *Schenckius.*

Vermes quoque subindè in intestinis gravissima pathemata colica inducunt. vid. *Amat. Lusit. cent.1. cur.5. & 33. Hildanus cent.1. observ. 57.* & dolorem à lacertis ac bufonibus vid. in *Barth. cent.5. hist.94.* Tandem pertinent huc ipsi *intestinorum affectus præternaturales*, multiplices dolores referentes. Ut nil dicam de *inflammatione intestinorum*, ordinariò gravissimam dolorem inferente. Sanè colicum dolorem lethalem *ex intestinis à Dysenteriâ conglutinatis* observat *Rhodius cent.2. observ.77.* Sic pariter colicam lethalem notavit *Scultet. in Armament. Chirurg. obs.61.* natam *ex obstructione occulta meatus, cholidochi.*

Pertinet

Pertinet huc, quod observat *Horstius l. 4. obs. 47.* tormina continua sub hypochondrio dextro, *à calculo vesicam biliariam replente*, & intestinum atterente. Pariter colicum dolorem *à pituita* in externa intestinorum superficie hærente notat *Riverius in observat. communicatis.*

Causa colicæ convulsivæ pariter est *acidum*, sed *in plexibus nerveis mesenterii, viciniisq; locis membranosis* pertinacius hærens, à quacunque causa externa excitatum, sive cum nutrimento ad dictas partes deferatur, sive cum vehiculo lymphæ eò deponatur, id quod in *scorbuticis, hystericis* post febres malè curatas certissimum est. Imò tormina abdominis contumaciora, utut non semper æquè atrocia, sæpè *ab abscessibus in glandulis mesenterii & pancreate fiunt,* teste *Barth. cent. 1. epist. 253.*

Ut ritè *cognoscantur* hi dolores intestinales, & rectè à se invicem *discernantur*, observanda sunt 1. *antecedentia*, nempe constitutio ægri, victus ratio, vitæ genus, morbi consueti, & circumstantiæ plures, quæ morbum antecesserunt. 2. *adjuncta*, seu *essentialiter inhærentia*, ipsa doloris ratio, supervenientia aliarum partium symptomata. 3. *consequentia*, ut mutationes in urina, in alvi excrementis, *juvantia & nocentia, &c.* Ex his invicem collatis, sed probè ponderatis facile est, dolores dictos à se invicem discernere, & fiendi eorum rationem cognoscere. In specie attendendum, an sit *colica humorosa*, an vero *convulsiva*, & si hæc, an sit *accidentalis*, vero *habitualis*: & si habitualis, an sit *scorbutica, hysterica*, an alia. Speciatim sæpius confunduntur *colica simplex* cum ista, quæ supervenit *nephritidi*. Ut ita melius cognoscatur radix morbosa, omnes circumstantiæ probè pensitandæ, & speciatim *urina*, in qua, si sit *colica nephritica*, notabiles mutationes observari solent.

Quoad **Prognosin**, colica ex se leve malum est, quæ tamen interdum ex adjunctorum aut supervenientium symptomatum, aut plurium circumstantiarum ratione periculosa, imò lethalis esse solet. *Humorosa*, & quæ à contentorum in intestinis est vitio, est mitior, nec adeò periculosa atque *convulsiva*, quam veteres practici sæpius colicam *biliosam* vocare solent: Nam huic non rarò superveniunt *Epilepsia* vel *Pareses*. Item *Cephalalgiam* & *maniam* ex tali colica inductam notat *Höferus in Herc. Medic. p. 185. Thonerus obs. p. 93* notat Colicam in *geminatam visionem* & *Epilepsiam* terminatam.

Quoad **Curam**. Cura Colicæ *duplex* est, 1. *in Paroxysmo.* 2. *extra Paroxysmum.* *In Paroxysmo* 1. irritatio causæ morbosæ, ipseq; sensus intestinorum dolorosus, eorumque motus convulsivus *opiatis* sistendus. 2. Si Colica est *Humorosa*, causa peccans materialis corrigenda, & hinc per alvum inducenda. 3. Si Colica est *convulsiva*, appropriata nervina, in specie ⊖*ia vol. oleosa opiatis mixta*, propinanda.

Extra Paroxyſmum. Hoc ſedato, *morbus primarius, fomes morboſus*, unde dolores pendent, idq; ſpeciatim *in convulſiva, habituali*, variis *appropriatis* removendus, & crebrior aut conſueta *recidiva* præcavenda. Pro ſcopis iſtis *in Paroxyſmi cura* obtinendis, obſervandum.

I. *Clyſmata* in toto paroxyſmo legitime applicata ſæpius eſſe perquàm proficua. *Conveniunt* tamen *magis*, ubi hæret malum in inteſtinis craſſis, *minus* quando in tenuibus, idque ſpeciatim pro evacuationis ſcopo. Deinde conveniunt, *ubi* ventriculus gravius ſimul affligitur, ut tanquam revulſorio ſtimulo tam cauſa irritans, quam motus ſpirituum ad inteſtina derivetur. Uſurpantur *clyſteres* tam *mitiores*, nempe ex *emollientibus*, aut *carminantibus* parata, vel *fortiores purgantes*, aut acrius *ſtimulantes*, præſertim in *humoroſa* quando alvus præternaturaliter & pertinaciter obſtructa, aut quando ſuſpicio adeſt, fomitem materialem hærere in inteſtinis craſſis. Item quando poſt propinata purgantia non ſufficienter reſpondet alvus, optimum eſt in talibus caſibus, clyſteribus acribus, plus minus purgantibus, naturæ motum promovere: *quando* vero malum hæret in inteſtinis tenuibus, potius *laxantia per os* conducunt. Quòd ſi videamus clyſteribus acrioribus malum non mitigari, iis ulterius non inſiſtendum, ſed præſumendum vitium hærere in inteſtinis tenuibus. In *convulſiva* Colica *anodyni*, & *leniter demulcentes* ſunt optimi, it. accedendum eſt ad *clyſmata terebinthinata*, quæ in quavis convulſiva optima.

II. Quoad *Purgantia* per os aſſumta, curioſus horum ſelectus inſtituendus eſt, nempe in *colica convulſiva* propriè dicta *purgantia omnino nocent*, irritando etiam malum fortius exaſperant, & ex aucta hinc inteſtinorum contractura minus laxant. *Lenia* igitur *humectantia, blandè abſtergentia* ſunt in hac optima, ideoq; eò magis notanda, ſi in Colica convulſiva *vomitus* ſimul gravius affligat. Porrò ſi *ex inflammatione* eſt *dolor inteſtinalis*, caveat, ne ullo medicamento purgante, etiam levi, utatur. Ex irritatione etiam inflammatio augetur, unde ilei metus ſupervenit. In *humoroſa* in ſpecie, ubi inteſtinorum peregrini ac vitioſi hoſpites ſunt exturbandi, *purgantia locum habent*, vario tamen pro circumſtantiarum ratione, regimine, nempe *ſi* dolor non adeò urget, aut *ſi* ex errore externo, aſſumtorum nempe vitio malum enatum ſit, *initio purgandum*, ſecus differendum, donec nonnihil miteſcat dolor. In Colico tamen dolore *ex pituita vitrea vel acida* enato, ſi quis lenientibus ſolis contentus, à purgantibus veris abſtineat, nil aget. Potius quàm primum *viſcida materia* attendenda, & *per purgantia, attenuantibus miſta* eadem *evacuanda*. Confer. *Septal. in animadv. l. 7. §. 72.* aliàs non niſi ſumma neceſſitate urgente in principio ad *anodyna*, ad *narcotica* deveniendum, ſed inteſtina prius evacuanda, item, ſi *gravior vomitus* adſit ſimul, *purgantia* etiam *cautè propinentur*, ne humorum occaſione colicam in ileum trans mutet; In uſu Vomitorum remediorum, qui interdum neceſſarii

ſunt

ſunt, cauti ſimus maxime: Si enim ventriculus & ſupernæ partes inteſtinorum repletæ nimium fuerint, ex uſu maxime erit, ut medicamentis ad dejiciendum ingeſtis, locus detur pertranseundi. Quod ſi totus dolor ejusque cauſa infernas partes obſideat, non ſolum fruſtra tentatur vomitus, ſed aliquando fit cum certa ægrorum pernicie, cum *volvuloſi* facilè exinde fiant. Illuſtrat *vomitoriorum* uſum obſervatio *Plateri l.2. obſerv. p.451. ſeq.* Adoleſcens quidam Nobilis ex inordinata victus ratione & nimio potu vini Muſcati Narbonenſis Cardialgiâ primùm, mox colico dolore laborans, poſtquam ſemel curatus, maturius quam par erat, aëri frigido ſe credidiſſet, & quadrigis celeriter per urbem veheretur, recidivam paſſus, ſex ſeptimanarum ſpatio durante morbo, licet ſæpius *clyſteribus* & *narcoticis* uſus fuiſſet, non tamen integrè ſanari potuit, donec *vomitorio* ♁*ali* uſus fuerit, à cujus uſu mox magnam copiam *æruginoſæ bilis* aliquoties vomuit, uti & *pituitæ*, atque indè *urinæ*, quæ *ex atro crocea* diu permanſerant, in naturalem colorem permutari ceperunt, ipſeque ſenſim ad ſe redire.

III. *Opiata* ſunt optima, conveniunt tamen magis in *convulſiva*, & in hac tutius, ſi ægri alvus aperta, & ipſa opiata propinentur appropriatis miſta. In *Colica humoroſa*, ſaltem ubi neceſſitas urget, locum habent: frequentius tamen in hac uſurpari poſſunt, ubi materia morbifica eſt tenuior & acrior, minus vero ubi eadem viſcidior. Nam opiata ferè acrimoniam temperant, viſcidæ vero materiæ motum impediunt, & ita eandem magis figunt, ſiquidem inteſtinorum motum impediant. Denique non ſunt differenda eò usque, donec vires vitales jam collabaſcant, ne ægrorum vita dormiendo finiatur. Adeoque in *Colica humoroſa* uſurpantur *opiata poſt purgantia*, & hinc etiam *purgantibus miſta*, non niſi in caſu neceſſitatis, ante purgantia. Nempe ubi tanta eſt, ſive ventriculi debilitas, ſive vomituritio, ut nec pilulæ poſſint detineri, ibi primò *remedium anodynum* ordinetur. 2. paucis horis elapſis *Catharticum*, eo temporis ſpatio interjecto, ut catharticum à Narcotico tanto diſtet intervallo, ut ab eo non vincatur & pereat, eas tamen in ventriculo moras trahat, quæ ad virtutem purgativam eidem communicandam ſufficiant, ut ſuam demum exſerat operationem ceſſante altero. Licèt catharticum, modò id poſſit fieri, diu poſt anodynum rectiſſime propinetur, cum etiam ad horas 12. ab hoc aſſumto alvus iſti ægrius reſpondeat, atque non niſi operoſius ſolvatur. Cùm autem hic uti in aliis pleriſque morbis, in quibus indicantur narcotica, catharticum ſemper dolorem intendat, (ſaltem finitâ jam operatione, qua quidem vigente mitius nonnunquam cum ægro agitur,) idcircò ſolenne eſt, anodynum ingerere, ubi primùm exſpiravit cathartici ἐνέργεια, ut rectè loquitur *Sydenham in obſerv. circa morb. acut. p.297.* Quòd ſi cum *purgantibus* miſcenda ſunt *opiata*, non poſſumus imitari veterum morem, qui receperunt Elect. Diaphænic. ℥v. vel vj. & Phil. Rom. ℥j. cum talia

ægri

ægri noſtri nauſeoſi non bene ferant, ſed poſſumus imitari *Riverium cent.*1. *obſ.* 63. *cent.*2. *obſ.*1.

℞. Aloës opt. ʒj.
Diagryd. gr. viij.
laud. opiat. gr. iij. M.F. Pil.

Vel ſecundum *Stockerum*:

℞. Aloës zocotrin. vel
pill. aloephang. ʒß.
opii
croci an. gr. j. vel ij. aut
pro croco ponatur caſtoreum. F. Pill.

Exhibeantur jejuno ſtomacho, dolorem etiam ſedant, & poſtea alvum ſolvunt.

IV. In omni *Colicâ* fugiendum frigus, præſertim ventriculi & pedum. Hinc calidus potus eſt optimus. Et obſervavi in *colica convulſiva* cum copioſo vomitu conjuncta, & aliquot ſeceſſibus, ex abdominis ab aura frigida refrigeratione nata, optimum fuiſſe remedium bonum hauſtum *Aq. Vitæ juniperinæ*, unde omnia mala ceſsârunt. Hinc rara eſt & vix nempe rariſſimè imitanda obſervatio, quam habet *Septalius* loco ſupra citat. §.82. *Colicæ* deſperatæ *copioſæ aquæ multa nive refrigeratæ potu* curatæ. Sed arbitror accidentarium fuiſſe effectum, quaſi occaſione perfrigerationis inteſtinorum convulſorum ſpasmi relaxati fuerunt. Unde mirabilis flavæ bilis copia evacuata fuit, unde non niſi cautiſſimè imitandus venit.

V. Si alvo relaxatâ, dolores perſiſtunt, id quod in ſpecie in *convulſiva* evenit, uſurpanda ſunt adhuc *remedia appropriata*, quæ nempe & *acidum temperant*, *flatus reſolvunt*, ventriculo & inteſtinis grata ſunt, adeoque *aromatica temperantia* imprimis uſurpentur. Et hinc etiam remedia, qualia in *paſſionibus hyſtericis*, locum habent: Unde ex his *caſtoreum*; ex iſtis *chamomilla*, *ſemin. calid. maj.* & ſimilia inprimis conducunt. *Vinum* ſimplex vix ſemper æquè tutum videtur, *medicatum* melius convenire arbitror.

Quoad *materiam Medicam clyſmata* pro ſcopo variant. v. g. *Clyſma emolliens.*

℞. Herb. malv. Mij.
rad. lil. alb. ℥j.
flor. verbaſc.
ſambuc. an. Mß.
Coq. in ſ. q. aq. ſimpl.
Colatur ℞. ℥viij. adde

Elect.

Elect. lenitiv. ℥jß.
salis gemm. ʒj. M.
pro *clysmate* una vice applicando.

Quòd si *flatus* adsint, *olea destillata* simul addi possunt.

Clysma carminativum anodynum.

℞. Fol. chamom.
summit. anethi. an. Mj.
rad. levistic. ℥j.
bacc. lauri ʒvj.
sem. fœnic. ʒiij.
coq. in s. q. aq. comm.
Colati ℞. ℥ix. adde
Elect. de bacc. laur. ℥jß.
ol. destillat. angelic.
rutæ
cumin. an. gutt. v.
Theriac. ʒj. ad ʒij. M. pro *clystere* 2. vicibus injiciendo.

Impediunt enim flatus, quo minus totum una vice possit injici. Quòd si acrius stimulanda sit alvus, *infusa* ♉ *ialia clysmatis* addenda sunt. Conf. *River. cent.* 1. *obs.* 58. & 67. it. *cent.* 2. *obs.* 12. it. *cent.* 3. *obs.* 22. v. g.

℞. Juris pisorum ℥vij.
aq. benedict. ℥ij. vel iij.
Elect. lenitiv. ʒvj. M. nempe ad imitat. *Rulandi*, qui tale usurpavit *clysma*.

℞. Juris pisorum ℥viij.
sacchar. ℥ß.
▽. benedict. ℥ijß.
♋ comm. ℥jv. M. de hoc injiciatur quavis horâ recrudescentis doloris.

Et simili *clysmate* puerperæ, per 24. dies alvum obstructam habenti, & stercora per os rejicienti, alvus mota fuit. Sed in hoc casu loco *aq. benedict. extract. esulæ* addidi.

Clysmata terebinthinata supra laudavi, & multum commendantur à *Deodato in valetud. pag.* 247. v. g.

℞. ⊡ human. ℔j.
terebinth. in vitell. ovi solut. ℥jß. M.
pro *clysmate* applicetur.

Conf. hîc *Willis de anima brutorum*, ubi *de colica p.* 394. *vel* 542. *p.* 2. *c.* 15. & in specie in *colica nephritica*, proficui sunt *terebinthinati clysteres*.

Clysteres ex *fumo Tabaci* in *colica* sunt præstantissimi; de quibus confer. *Bartholin. cent.6. hist.66. cent.4. epist.52*;

Ubi *flatus* copiosi adsunt, speciatim *clysmata ex urina puerorum* conveniunt. v. g.

℞. Decoct. carmin. ℥vj.
urinæ human. ℥iij.
ferment. ʒj.
⊖ comm. ℈j.
mell. rosat. ℥j. M. pro *clysmate.*

Quoad *evacuantia* in intestinorum doloribus convenientia, equidem blandissime *emollientia & abstergentia* in Colica *convulsiva* locum habent, qualia sunt inprimis *potio passulata*, & hinc *pulveris salini* cum stimulo *Scammon.* Item, leniens ista potio *Plateri:*

℞. Ol. amygd. dulc. recent. ℥jß.
vini malvatic. ℥ß.
syr. de papav. ℥ß. M. pro haustu.

Sic in *Colica ab errore externo.*

℞. Lap. ♋ præp. ℈j.
laud. opiat. gr. j.
scamm. sulphurat. gr. iij.
ol. destillat. cort. aurant. gut. j. M.

Quoad *Colicam humorosam*, & hic nunc *fortiora*, nunc *mitiora* conveniunt *purgantia.* Fortiora hæc in specie, ubi ex *Spasmo* fortius contracta sunt intestina, aut motus eorum peristalticus minus fieri solet, non conveniunt, tunc enim *mitiora* interdum plus *acrioribus* operantur purgantibus. Sic referente *Sennerto* observatum est, cum æger quidam triginta clysteres sine fructu accepisset, alium Medicum *manna* ℥jß. cum *ol. amygd. d.* ℥ijß. in jusculo Gallinæ pingui exhibuisse, & ægrum à dolore liberâsse. Vel *ol. amygd. d.* loco *butyri* jusculis admisce, quibus etiam *sperm. ceti* ʒß. commodè addi potest. Quòd si vero tutius uti licet purgantibus, vel *cremor* ♀ cum *resinis purgantium* propinetur ad imitationem *Willis cit. loc. pag. 396. vel 545.* vel *infusum rhabarbari cum senna* adhibeatur. Vel ubi *viscida ac tenax pituita* primariò peccat, *potiones ex gumm. ammoniac.* vel *pilulæ ex eodem gummate, aut Mercur. dulcis* usurpentur, qui *Mercur. dulcis* potenter dissolvit & detergit talem mucum. Imitari possumus *Deodatum*, qui declinante morbo ex hac causâ natô has *pilulas* præscripsit:

℞. Mass. pilul. cochiar. min. ℈j.
aquil. alb. dulc. seu ☿. dulc. gr. xx.
♋ destill. anisi gut. ij. M.F. *Pilul.*

In

In frequenti etiam usu est *Riverio*, in cujus *observat.* sæpe occurrit *purgans* quod vocat *Calomelanos Turqueti*, quod nihil aliud est, quàm

℞. ☿. subl. dulcis. ℈j.
scamm. ⚴ it. ℈ß. M. F. ♁
vel cum *mucilag. Tragacanth. F. pilul.* pro una dosi.

Opiata per se nota sunt, qualiacunque etiam adhibeantur, inprimis *essentia opii, laudan. hysteric. syr. papav. theriaca* & aliàs cognitissima. *Appropriata* plus minus *aromatica* contra dolores intestinales sunt *veronica, chamomilla, sclarea, helenium, allium, absinth. gentiana, cortices aurant, sem. 4. calid. maj. zedoaria, fuligo, mandib. luc. piscis, castor. stercora animalium*, speciatim *lupi & equi, testiculi equini, sordes aurium humanar* ⚴. *&c.* Parata sunt dictorum *syrupi, essentiæ, extracta, olea destill.* it. *spec. aromat. compos. ⊖ ia volat.* ∽ *carmin. de tribus, liquor, C.C. succinat.* ∽ ⦶, *dulcis, sacch.* ♄*i.*

In specie *Veronica*, ejusque cum *myrrha* in vino *decoctum* multùm extollitur. *Chamomilla* est instar omnium in *colica convulsiva*, aliis irritis me nunquam deseruit, cujuscunq; sint conditionis, ita ut in *colica nephriticâ, doloribus post partum*, in *doloribꝰ gravidarum*, & omnibus aliis *decoctum flor. chamom. vulg. in aq. comm. vel cerevisia* paratum, calidè haustum, sæpius reiteratum, mirabile sit remedium. Hinc & ▽. ejus, it. 🝆 *destill. sapphyrinum* ad aliquot guttas haustum. *Sclarea* seu *horminum* istud odoratum est egregium, sive decoctum, sive essentia, sive ∽. aliquoties abstractus adhibeatur, tam in *colica virorum*, quam in *colica hysterica mulierum*. *Radix allii* jam à longo tempore fuit commendata. Conf. *Schenck. in observat.* Hinc *jusculum cum allio* & 🝆 calidè haustum cum *vini optimi* dimidiâ parte sæpe expertum est, authore *Borell. cent. 4. obs. 92.* In *corticibus aurantiorum* vis est non vulgaris anticolica, sive pulvis, sive essentia, sive 🝆 destill. *cort. aurant.* usurpetur, potenter *acida* quæcunque temperat. Unde *stranguriæ* medetur. Hinc sunt, qui commendant talem compositionem:

℞. Cort. arant. ℥jß.
maxill. luc. pisc.
lap. ♋. an. ʒjß.
talor. lepor.
succin. præp.
zedoar. an. ʒj. M. F. ♁ Dos. ʒß. ad ℥j.

Imprægnari potest *oleo destillat. cort. aurant.* item, *essentia opii. Helenii radix* cum *vino decocta*, egregium experimentum anti-colicum. item, *Absynthium* quocunque usu convenit, in specie iis, qui in peregrinationibus colicis torminibus vexantur, sive decoquatur, sive minutim dissectum cum *sacchare* misceatur & capiatur. Et in colica *ex febrium reliquiis* oborta, nil melius esse usu *absinth.* refert *Fehr. de Absinth. pag. 173.* Ob id *Mindererus* in

Medicina milit. contra colicam commendat *vinum decoctionis absinthii*, vel *radicis helenii cum cortic. aurant.* calidissimè potum, addito pauco *theriacæ* vel *mithridatii.* *Gentiana* in forma pulveris à ʒß. ad ʒj. usurpata, si alvus est aperta, egregium est experimentum, tollens intestinorum tormina. *Semina 4. calida maj.* in vino ebullita & ita hausta rectè dicuntur ab *Helmontio* solamen pauperum. Virtus & usus in eo consistit, quod nempe aciditatem intestinis hostilem corrigendo, intestinis malè affectis exinde egregium solamen & levamen adferunt, indeque eorum *spasmos* & inde ad tactum sensilem *duritiem* remitti faciunt. Confer. *Helmont. Tract. de Flatibus* §.75. unde & eorundem *olea destillata* non secus ac *ol. destillat. cort. aurant*, vel *angelicæ*, vel *menthæ* ad aliquot guttas propinata, sunt laudata. Et *Panarolus Pentecost.* 2. *observ.* 8. ad colicam ex causa frigida commendat *ol. bacc. lauri & cortic. aurant. per expressionem cum vino factum*, quo bibito ægri per breve tempus sedato dolore somnum capiendo convaluerunt. Par ferè atque *Gentianæ*, *zedoariæ* est ratio, *carminativum* egregium, *flatuum resolutivum*, & quod præmissis præmittendis, tam in substantia, quam tinctura & inde parato extracto est nobile. *Fuligo* pulverisata & cum acet. destill. mista ac bibita calidè dolorem statim pellit: pariter & ⁓ *urinosus fuliginis* maximo cum successu propinatur. Quæ remedia & *in casu ab alto* & *passionibus hystericis* & *pleuritide*, *&c.* egregiè conveniunt, dum acidum in hisce malis potenter corrigunt. *Castoreum* in quavis *colica*, non tantum in ea, ubi adsunt *flatus*, aut ubi adest *pituita viscida*, sed etiam in *colica convulsiva* egregia est medicina, non secus ac in *passionibus hystericis*, item in *doloribus scorbuticis* proficuus econtra est usus. Speciatim cum *salib. volatilib.* commodè propinatur in *colicis convulsivis.* Veteres *castorei* ℈j. ad ℈ij. in haustu *vini calidi* propinârunt in pertinaciori *colica*, uti constat ex *Joëlis Prax.* & *Solenandri consiliis.* Nos *Tinctura castorei* utimur parata cum *Tinctura tartari* acriori, aut etiam cum ⁓ *sal armoniac. vinoso*, quæ solæ ʒß. ad ʒj. Dosi, vel cum *essentia opii* sociatæ optimè conducunt. Pariter *extractum castorei*, vel cum *laudano opiato*, vel cum *extracto theriacali* misceri, & ita cum *oleo destillat. chamom.* aut *succini pilulæ anti-colicæ* fieri possunt, vel simplicitter secundum *Hartmannum theriaca* cum *castoreo* & pauco *laudano opiato* propinetur. *Partes animalium duræ* acidum absorbendo & corrigendo speciatim *mandibulæ lucii pisc.* vel *unicornu præpar.* vel *tali leporis* aliaque similia itidem locum inveniunt. In specie *stercus lupi* ab omnibus decantatum remedium est contra *Colicam* ex quacunque causa natam. *Dos.* ʒß. *ad* ʒj. Confer. *Panarol. Pentec.* 3. *observ.* 36. *Hartmannus in prax. Chymiatr. pag.* 184. *Forest. l.* 21. *observ.* 15. *in schol. Amat. Lusit. cent.* 3. *cur.* 12. *Riverius cent.* 1. *observ.* 59. & 86. Parabilius remedium est, idque inprimis in *Colica convulsiva* conferens *stercus equinum*

recens

recens ex equo avenâ pasto. Ex hoc ipso recenti cum vehiculo quocunque expressus *succus*, & ita calidè propinatus, imperando, quantum possibile, quietem, & expectando sudorem, origine sordidum, sed usu nobile est remedium. Sic *succum stercoris columbini* cum *lacte* expressum, laudatum vid. in *Velsch. Hecatost. 2. pag. 32.* *Aurium humanarum sordes* assumtæ in vehiculo calido subitò solent compescere dolores in abdomine. Tandem *pulv. testiculorum equin.* ad ʒj. cum ʒß. *sem. anisi* laudatissimum est remedium, prælertim à *Fonseca lib. 1. consil. 57.* Idem *pulv. testicul. equin. in aqua liliorum alb.* cum pauco *croco* exhibitus experimentum fuit *Zvvelferi* contra *Colicam.* Tandem *♃is flores* ad ʒß. in vino calido dati, probè corpus contegendo, optimè sedant dolorem.

Inter *præparata* multiplicia ferè ex specialibus cognita sunt *syrup. de alth. Fernel.* ubi emolliendum, & temperanda acrimonia. *Syr. cort. aurant. papaveris, &c.* item ♒. & ▽. *carminativ. & anticolic.* v.g.

℞. Flor. chamom. Rom.
    sambuc.
  fol. menth.
    rutæ sicc. an. Miij.
  baccarum Juniper. recent. ℥ijß.
    lauri excort. ʒvj.
  sem. cummi ℥j.
    anis.
    fœnic. an. ℥ß.
  calam. Aromat. ℥jß.
  flav. cort. aurant. ℥iij.
  cinamom. acut. ʒvj.
  zedoar. ʒiij.

Pulverisentur omnia tenuissimè, adspergantur ♒. ⊖. rectificat. ℥ß. ad ʒvj. infundantur *spiritui vini* non adeo exactè rectificato, stent per 12. horas in Mariæ Balneo digerantur lento △, vase bene munito. Tandem destillentur ex arena, vel cineribus per alembicum lentè, ut caveatur empyrevma. *Dos. cochl. j. vel cochl. ij.*

Species diacumini, diacalaminthæ, diagalangæ, diapipereon, diasulphuris. Mynf. item *salia volat.* quælibet, speciatim *spiritus carminativus de tribus*, & hinc *liquor C. C. succin.* sunt præstantissimi. *Ille in colicâ flatulenta hypochondriaca: hic in Colica convulsiva hysterica, &c.* *Spiritus ⊖ dulcis*, quibusdam *anti-colicus* dictus, est egregium remedium à ʒß. ad ʒj. in vehiculo appropriato calidè propinatus, prælertim, ubi vagæ phlogoses aut æstu-

 ationes

ationes corpus affligunt. Optimè paratur, si loco 🜄 recipiatur ⌒ quidam *vegetabilis*, *carminativus*, sive abstrahendo à vegetabilibus paratus. Hujus duplum vel triplum cum ⌒ ⊖. pedetentim mistum, hinc prævia digestione destillatum, ut exactius uniantur, dant egregium ⌒*um anticolicum*.

Ex his variæ fieri possunt præscriptiones, v. g. ad *quosvis dolores intestinorum* in genere.

℞. Aq. chamom. ℥iij.
⌒ theriac. ʒij.
laud. op. gr. ij. vel iij.
syr. cort. aurant. ℥ß. M. capiatur cochleatim:

In *Colica humorosa flatulenta:*

℞. aq. menth.
chamom. an. ℥jß.
carminativ. usit. ℥ß. vel ʒvj.
Elix. menth. ℥ß.
⌒. ⊖. dulc. anticolic. ʒjß. ad ʒij. M. capiantur cochleatim, expectando, si possibile, aliqualem sudorem; & convenit in specie talis mistura c. ⌒ ⊖ i, quando æstuatio corporis quasi febrilis juncta est.

In *alia Colica humorali:*

℞. Ol. destillat. carui.
cumin.
angelic.
chamom. an. gut. vj.
sacch. albiss. ʒij. M.F. Elæosaccharum, adde
fl. 🜍. ʒij.
mandib. lucii piscis. ʒj. M.F. 🝆. Dos. ʒß. ad ʒj. & ultra.

Addi potest cuilibet dosi
laud. opiat. q. s.

v.g. ℞. Flor. 🜍is ℈j. ad ʒß.
elæos. anis.
zedoar. an. gr. viij.
laud. opiat. gr. j. M.F. 🝆.

In *Colica convulsiva:*

℞. aq. menth.
chamom.
veronic. an. ℥j.
essent. castor. ʒiij.
liquor. C.C. succin. vel hujus loco
⌒ sal armoniac. ʒjß.

essent.

essent. opii. ℈j.
syr. cort. aurant. ʒvj. vel ℥j. M. Aut quibus inimica sunt vola-
tilia: ℞. ▽. flor. sambuc.
chamæm. an. ℥jß.
essent. castor. ʒjß.
unicorn. ver. ℈j.
mandib. lucii piscis. ℈ß.
sal vol. CC. gr. vj.
syr. artemis. ʒiij. M.

Quoad *externa*, inprimis in usu sunt *litûs* ex 🜔*sis*, v. g. 🜔 *aneth. chamom. rutac. laurin.* item, *olea destillat. lauri, juniper. rutæ, cort. aurant. macis, &c.* v. g.

℞. Ol. laurin. comm. ℥ß.
castorei ʒj. M. Illinantur umbilico, imponendo laterem calefactum, est egregium.

Item: ℞. Ol. chamom.
aneth. an. ʒiij.
destillat. chamom. ʒß.
cumini.
rutæ.
angelicæ an. ℈ß. M. D. S.

Zerthellendes Oel.

Pertinet huc inprimis *Galbanetum Paracelsi*, nobilissimum in *Colica convulsiva*, umbilico illitum: cujus loco *oleum saponis* commodè adhiberi potest ad gutt. iij. vel jv. umbilico illitum. Nempe dissolvitur *sapo in spir. vini* ad mellaginem, Massa cum calce viva destilletur & cohobetur aliquoties. Quòd si non semper in promptu sit *Galbanetum* istud nobile, etiam *ol. destillat. succini*, vel solitarium, vel cum *oleo spicæ* mistum commodè substitui potest. Hinc & *Emplastr. de Galbano matricale* usitatum, malaxatum, c. s. q. *olei succini*, applicatur regioni umbilicali.

Vel: ℞. Galbani in aq. vitæ dissolut. ʒij.
ol. chamæm.
rutacei an. ℥ß.
croci gr. vj. M. F. Linim.

Emplastrum etiam *ex gumm. tacamahac*, vel *ex gumm. carrann.* optimè hic substitui possunt. *Paracelsus* feliciter usus fuit *zibetho* umbilico illito: Vel subigatur *zibethum* cum *oleo nuc. moschat. expr.* adde parum *ol. destillat. macis*, & illinatur umbilico. Vel: ℞. *Balsam. zibeth. Mynf.* ʒj. illinatur umbilico

umbilico successivè. Talium loco & *balsamus apoplecticus cum oleo destillato, macis* acuatus, umbilico applicari potest.

CAPUT X.

De SITU INTESTINORUM MUTATO.

Situs intestinorum mutatur, quando ex loco naturali in alium transferuntur, quod sine insigni tumore fieri nequit, qui tumor ex iisdem extra locum prolapsis vocatur communiter

HERNIA,

ein Bruch. *Situs naturalis*, est hic: Mesenterium interius colligat intestina, eademque à vertebris lumborum suspendit: exterius vero peritonæum eadem ambiendo, veluti in bursâ, continet. Quamdiu hæc bursa peritonæi est integra, tamdiu in loco naturali permanent. Si vero eadem in loco quodam aut rumpatur, aut laxetur, necesse est, ut intestina prolabantur. Intestina hæc nunc sola, nunc junctim cum omento, nunc omentum solum prolabi observantur. Unde vel ἐπιπλοκήλη, vel ἐντεροκήλη, vel ἐπιπλο-ἐντεροκήλη oritur.

Intestina omnia sunt vel *tenuia* vel *crassa: Crassa* tam firmiter lumbis annectuntur & hypochondriis, ut citra vim insignis tractationis aut divulsionis situm mutare nequeant. *Intestina* vero *tenuia, jejunum* & *ileum* unà cum *omento* in *Hernia* prolabuntur.

Loca, in quibus vitiatur peritonæum, sunt varia: Frequentissima sunt ejusdem processus, per quos in scrotum descendunt vasa Spermatica, & post hos est umbilicus. Nam in his duobus locis facillimè laxatur aut rumpitur peritonæi membrana fibrosa. Unde etiam hæ duæ primariæ sunt Herniæ species, *Hernia umbilicalis* & *Hernia Scroti. Hernia scrotalis* est vel *perfecta* sive *completa*, vel *imperfecta* sive *incompleta.* Imperfecta est *hernia inguinalis* sive *Bubonocele*, quando intestina saltem prolabuntur in Inguina, & super osse pubis hærent. Quòd si verò successivè ulterius descendunt, donec in scrotum perveniant, est *hernia scrotalis perfecta.* Duo hæc loca, *umbilicus* & *processus Peritonæi* sunt loca magis ordinaria, per quæ fiunt *Herniæ:* interim tamen etiam aliis in locis ruptum peritonæum dat *Hernias.* Primus hoc observavit *Barbette in sua Chirurg. p. 1. c. 7.* ubi observat, quòd etiam aliis locis abdominis, juxta, infra & supra umbilicum: item à parte posteriori, vitio

vitio peritonæi oriantur herniæ, quæ ab imperitis tanquam abſceſſus, non citra periculum ægri tractari ſolent. Sic *cit. loc. Barbette* obſervat Herniam, dum inteſtinum non in ſcrotum, ſed extra hoc in partem muſculoſam femoris reſedit. Item, dum peritonæum prope ſpinam dorſi ruptum dat Herniam. Sic *Bartholinus cent.* 2. *hiſtor.* 95. obſervat *Herniam* mox *infra cartilaginem enſiformem* ex ruptura peritonæi. Rarum eſt, quod *utero rupto* inteſtina prolapſa fuerint. Tale exemplum habetur in *Schenck'o l. 4. obſervat.* Cœterum fit non rarò, ut *præternaturalis teſtis ſitus* ignoranti tanquam herniæ poſſit imponere, quia interdum teſticulorum alter retractus, versùs abdomen ſuper os pubis hærens, tumorem infert, qui à chirurgis interdum pro herniâ, interdum pro abſceſſu habetur. *In hujusmodi Herniis tumor*, ubicunque locorum ſit, in ſtantibus accreſcit & protuberat: in decumbentibus verò ſucceſſivè evaneſcit, totusque ut plurimùm diſparet, imò reſupinato ægro ac elevatis nonnihil cruribus ac natibus, interdum cum murmure intra abdomen relabuntur. *Sine dolore* etiam eſt *tumor Herniarum*, niſi vel fæces in inteſtinis induratæ, vel in anguſtiori foramine inteſtina incluſa, occaſionem doloris ſubminiſtrent. Jubendus etiam æger, ut tuſſiat: Hoc etiam facto, quando aliquid in ſcrotum deſcendit, crepaturas obſervamus.

Cauſæ Herniarum ſunt omnia ea, quæ aut laxare ſucceſſivè, aut dilatare, aut etiam rumpere poſſunt in loco quodam peritonæum. *Ruptura* in *Omphalocele* aut aliis ſpeciebus eſt frequentior, in *ſcrotali* verò eſt rarior, quoniam rupto proceſſu peritonæi, intra muſculorum confinia inteſtina ſubſiſtunt, & ita ſaltem *ingvinalem herniam* faciunt, cùm eadem ſucceſſivè per dilatatum peritonæum, tanquam per demonſtrata veſtigia, facilè in ſcrotum deſcendant.

Facilè patet ex dictis, quòd tales *cauſæ internæ* ſint *raræ* vel *paucæ*; interdum ſubeſt vitium hæreditarium, ita ut hernioſi parentes hernioſum producant fœtum. Vid. *Hildan. cent. 6. obſerv.* 73. Sic fiunt interdum herniæ inteſtinales *ex nimia & violenta purgatione*, quale exemplum ſuggerit *Platerus in obſerv.* Ut plurimum ſunt *cauſæ externæ*, quæ hernias inducunt, v. g. *motus nimius*, *clamor nimius*, *fortior ſternutatio*, *vomitus violentior*, *&c.* Hinc ratione continuati clamoris facilè infantes in herniam incidunt. *Tuſſis nimia* etiam ad Herniam diſponit. *Partus difficilis* crebrius *omphaloceles eſt cauſa.*

Quoad *Prognoſin*, omnis Hernia *eſt curatu difficilis*, præſertim in adultis, in quibus rariſſimè absque Chirurgica operatione curari poſſunt. In tenella infantum ætate facilius ſuccedit negotium. Bina ſunt pericula, quæ ex herniis ingruunt, nempe *morbus Iliacus*, occaſione inteſtinorum irritationis

in loco prolapso, sive irritentur à causa externa, frigore, contusione, &c. sive à causa interna, retentis fæcibus, flatibus, &c. Deinde periculum est, ne *intestina* prolapsa *inflammentur*, & *inflammata gangrænam* concipiant, unde mors: vel *suppurentur*, & *suppurata forâs aperiantur*, ita ut stercora, & interdum ipsa assumta, per aperturam egrediantur.

In *Cura* omnis *Herniæ* duo primarii scopi sunt observandi: I. *Ut reponantur intestina* prolapsa in situm naturalem. II. *Ut* reposita intestina *firmentur*, ne denuò excidant, idque vel *subligaculis* partem affectam *comprimendo*, vel peritonæum ruptum aut laxatum *consolidando*. Pro scopis melius obtinendis observandum.

I. CLYSTERUM usus non improbandus, cautè tamen adhibendus. *Prolapsu* enim intestini, si sit *recens*, & nondum gravia adfligant symptomata, tunc clyster non proficuè infundendus, ne forsan unà cum intestino in scrotum descendat & malum augeat. Præstat igitur alvum obstructam *suppositorio laxare*, mox *sacculum emollientem* & *discutientem* in aqua coctum applicare. Quòd si, jam *confirmatus* sit *prolapsus*, & *symptomata gravia* ægrum torqueant, in his *enemata* non tantum conveniunt, sed etiam necessaria sunt. Confer *Hildanum cent. 6. observ 73.*

II. In *Hernia intestinali* cordatus Medicus semper *flatuum* rationem habeat, & proinde nobiliorum *carminantium* & *præcipitantium* usum quàm sedulò observet, cùm talium causa & inde producti *flatus* mirè exasperent *Hernias*.

III. *Herniæ à frigore* præsertim *subitaneo* solent fieri lethales. Irritata nempe intestina *dolorem*, hinc *spasmum* & *duritiem* concipiunt, quas insequitur *ileos*. vid. *Velsch. in Hecatost. 2. p. 6.* it. *M. A. N. C. Ann. 8. p. 154.*

IV. Probè observandæ sunt *cautelæ*, quas suggerit *Panarolus* in repositione & cura Herniarum observandas in *Pent. 5. observ. 49.* quæ omnes perquàm sunt laudabiles, excepta secundâ, ubi *frigida* intra & extra commendat, quod periculosissimum est, quin *tepida* aut *subcalida* internè & externè usurpanda remedia. Conf. quoad Herniarum curas *Hildanum, loco superius cit. cent. 6. obs. 73.* & *Scultet.* in *Arm. Chir. tab. 39.*

Ut ergò reponantur intestina prolapsa, *conveniente corporis situ resupinato*, cruribus & natibus nonnihil elevatis *adjuvanda sunt*, & *impedimenta*, flatus, stercora, & intestinorum ad tactum durities *removenda*. Intestina prolapsa sunt tenuia, adeoque eorum *durities non à fæcibus duris*, quæ nondum sunt tales in istis, originem habet, sed potius *membranarum tensio* & *spasmodes intestinorum affectus* duritiem repræsentat. Ergò irritatio ista, duritiei occasio, *blandis fomentis externis* resolvenda, *internis aromaticis* in-

testinis

testinis amicis sistenda. Pro his igitur scopis internè inprimis conveniunt *semina 4. calida maj.* quocunque modo assumta, speciatim in vino bullita hausta, vid. *Helmont. Tr. de flatibus.*

Externè applicantur *fotus*, *unguenta* & *cataplasmata emollientia & discutientia*, ut & *anodyna*. *Emollientia* in fæcum præsentia, & apparente crassitie: *Discutientia* in flatuum præsentia; *anodyna* in irritationis molestæ plus minus dolorosæ, & hinc duritiei urgentia. *Riverius* applicat ♈ calidè. Aliàs *omentum castrati tepidum* commendatur. Interdum *fotus ex lixivio acri, sem. cumini* & *pauco malvatico*, filo crudo exceptis, admovetur. *Solenander sect.4. cons.13.* commendat *stercus ovillum*, si intestinum flatu distentum, aut induratis, ut loquitur, fæcibus infarctum vix reduci potest. Ex usu erit, quod in difficultate illa sæpius utile comperi, ut ex *stercore ovillo, dulci lacti* incocto, *fotus* exhibeatur, tum etiam idem *cataplasmatis* modô imponatur & reiteretur. Fidem facio, me aliquoties isto fotu, cum res videretur in præcipiti esse, prolapsa intestina reposuisse, antea frustra tentatis aliis. Confer. *Hildanum cent.6. observ.70.* Pertinent huc ea, quæ *regioni lumbari* applicantur, ut ibidem vi quasi tractoriâ intestinorum repositionem promoveant; Quò facit *Emplastrum Hoffmanni in meth. medendi*, quod est tale:

℞. Gumm. de sagapeno
ammoniac.
galbano, an. ℥iij.
Terebinth.
ceræ virgin. an. ℥v. ℈ij.
magnet. arsenic. ℥ j. gr. xv.
rad. ari ℥j.

Gummata dissolvantur in 🜋 q. s. & cocta in formam *Emplastri*, additis reliquis speciebus extendantur super alutam. F. *Emplastrum dorso & lumbis applicandum.* Aliàs *pinguedo ursina*, vel *pinguedo leporina* dorso illita ad reponenda intestina confert.

Quoad *secundum scopum*, ut, repositis intestinis, *peritonæum* iterum *conglutinetur*, usurpentur remedia tam *interna* quam *externa*. Ad *interna* pertinent omnia *vulneraria*, & ex his parati *pulveres*, *essentiæ* & *potiones*. Inter *simplicia* convenientia huic sunt *symphytum maj. perfoliata*, *herniaria*, *sem. nasturtii*, item *vinum decoctionis Betonicæ* & *saniculæ albæ*, præsertim *Herniaria* laudatissima est *Hollerii* planta, quocunque modo ad Herniarum curam usurpata. Sic *semen Nasturtii* nulli cedit interno & externo usu. Sic *Forestus l. 27. observat. 15.* idem *semen Nasturtii* eximiè laudat, non secus ac *Fonseca lib.2. consil.36.* qui sequentem *herniarum* describit curam: ℞. Pulverem sem. Nasturtii, subigit cum album. ovi, hinc extensum super alutam appo-

natur ad Herniam, neque removeatur, quoad ex se decidat. Item ejusdem *pulveris* detur manè seroque ℨj. cum *vino rubro* per aliquot dies. Sic Medicus quidam pueros herniâ laborantes quam plurimos restituit, propinando interius *sem. Nasturtii* infusum vino, exterius vero applicando *frustum pellis* vel *cutis angvillæ* cum album. ovi oblinitæ. Quò pertinet *ceratum ad Herniam intestinalem* expertum.

℞. Gumm. Carann.
Sem. Nasturt. ana q. plac. præparetur cum album. ovi, F. l: a. *Ceratum*, quod impositum herniam brevi sanat. Maximè autem juvat, si sumatur singulis diebus ℨj. cum *vino rubro*. Posthæc est *radix sigilli Salomonis*, cujus *decoctum* in *vino* per plures dies continuatum, egregium est contra *rupturas*. Cætera ut *millefolium*, *plantago*, *Geranium Robertianum*; item *pulver. lumbric. terr.* item *ex plantis istis* paratæ *conservæ* & *essentiæ* internè crebrius usurpandæ, inprimis *essentia hyperici* ceu per se nota, transeant. *Externa* sunt similia *adstringentia* ac *vulneraria*, loco rupturæ imponenda, eaque pro intentionis varietate multiplicia. Sic ex vulnerariis istis fiunt *cataplasmata*, læsionis loco imponenda. Præ cæteris *Faber* commendat *succum Herniariæ* cum *farina fabarum subactum* rupturæ applicatum. *Cerata* multiplicia, præsertim ex *pice navali*, *thure*, *mastiche*, *visco quercino*, *terr. sigill.* 🜖*li dulci* & similibus magna quidem promissione, sed sæpius exspectatione fallacia prostant. Mulier quædam medicastra plures herniosos egregiè curavit emplastro, facto ex *resina*, *pice* & *lateribus coctis pulverisatis*. Hæc omnia probè permista ac subacta crassè inducuntur super alutam, & ita applicantur.

Pertinet huc *Empl. dia*♃*is.* Item:

℞. Empl. contra ruptur. usit.
Picis navalis liquefact.
Empl. dia ♀is *Ruland.* an. q. s. Malax. c. s. q.

Ol. hyperici, inducantur super alutam & applicentur, quàm calidissimè æger potest ferre, nec removeatur prius, quàm sponte decidat. Ubi deciderit Balsam. sulphuris eodem calido pars probè inungatur, & iterum Emplastr. recens imponatur, quamdiu necessarium fuerit. *Mucilago symphyti maj.* instar cataplasmatis imposita meritò à *Zvvelfero* extollitur. Quò etiam facit ejusdem *cataplasma mucilaginosum*, *in Pharmac. Reg. pag.* 312. Porrò *Emplastrum ex gumm. cerasorum nigr. cum ol. hyperici* subactum, adjecto *pulvere thuris*, *mastich.* donec fiat Emplastrum rupturæ applicandum. Tandem *ol. hyperici*, *ol. terebinth. ol. spicæ*, inprimis *vitellorum ovorum oleum* inunctum, multum à quibusdam laudantur. Quibus omnibus præfertur *oleum lacertarum*, cujus insignia encomia & usus vid. in *Fonseca lib. 2. consil. 36.* & hinc *Zvvelff.*

Pharm.

Pharm. Reg. pag. 266. Sunt, quibus ſuſpecta ſunt hujusmodi externa pinguia & oleoſa, quod nimis laxent, & majorem peritonæi dilatationis occaſionem ſuggerant; hinc non adeò inepto conſilio jubent ℞. *acet. deſtill. acerr.* in quo *lithargyrium* ſolutum, cui ipſi lintea intincta præpoſitis inteſtinis ſuperimponantur ac probè firmentur usque ad conſolidationem. Cæterum cum his ipſis externis neceſſe eſt, ut ſimul uſurpentur debita *ſubligacula*, Bruch-Bänder/ quorum ideam & deſcriptionem apud *Paræum* in *Script. Chirurg.* & in *Hildan. obſervat.* vide. Cæterum nil æquè ad cujusvis *Herniæ* profectam curam utile eſt, quàm *quies corporis*, ſine qua difficilimè, interdum nunquam niſi per Chirurgiam, cum eadem vero facilimè interdum ſine remediis curari poſſunt Herniæ, adeò ut continuus in dorſo decubitus ſit vera Herniarum Panacæa, etiam in ſenibus. Conf. hîc notabile exemplum quod refert *Hildanus cent. 5. obſerv. 54.* Specialis inteſtini recti prolapſus vocatur

ANI PROCIDENTIA,

Quæ fit, quando ſub excretione fæcum inteſtinum rectum multùm prominet, & extra protruſum hæret, ut non poſſit rurſum ſponte in corpus retrahi. Nempe in omni alvi excretione inteſtinum rectum aliquantisper protruditur, ſed facta excretione idem inteſtinum à muſculis levatoribus ſurſum retrahitur. Quando igitur iſta protuſio excedit, aut retractio deficit, oritur affectus, quem dicunt *Ani procidentiam.* Ex quibus patet, *duplicem* ejus eſſe *originem.* I. eſt *nimia aut frequentiſſima aut violenta* ani extruſio. II. eſt *muſculi* plus minus *reſoluti* deficiens *retractatio*, quæ nunc ſeorſim, nunc junctim accidunt. v. g. à *calculo veſicæ*, & irritari continuò per conſenſum inteſtinum rectum, ac ad continuam protruſionem ſtimulari poteſt. Quin etiam tali occaſione à crebriori excretionis conatu in tantum extendi ac relaxari poſſunt muſculorum levatoriorum fibræ, ut pertinax alvi hinc ſequatur protruſio, qualis procidentia in *calculo veſicæ*, diutius adfligente, ordinaria eſſe ſolet.

Nimiam & frequentem aut violentam extruſionem inferunt quæcunque acria & mordicantia, in inteſtino recto hærentia, quæ omnia inteſtinum dictum vellicando, & irritando indeſinentem egerendi conatum, & ita continuam inteſtini protruſionem inferunt, quod ipſum in tantum tandem elabitur, ut non poſſit denuo retrahi. Hinc *Dyſenteriæ* ac *Teneſmo* non rarò ſuperveniunt *ani-procidentiæ.* Item, *ob acrimoniam clyſteris* aut *ſuppoſitorii* procidentia ani interdum inducitur, autore *Panarolo, Pentec. 1. obſervat. 23.* *ſtercora dura* aut *excrementa viſcida*, in inteſtino recto ſubſiſtentia, continuo ſtimulo idem malum inducunt. Par ratio eſt, quando *in partu difficili*

parturientes, omni conatu & respiratione retenta, motum excretorium inferiora versùs moliuntur, qua occasione & *ani* simultanea *procidentia* non rara est. *Hæmorrhoides dolentes* anum continuò stimulantes; item *nimis fluentes* pariter ad hoc malum disponunt.

Quoad *alteram causam musculi impedita retractio* adeoque *paralytica dispositio* fit *vel* vitio fibrarum musculi motricium, *vel* vitio nervorum ad musculum protensorum. Sic *percussio*, sive *casus ab alto* supra os sacrum, aut spinas lumborum paralysin horum musculorum nervorum ratione inducit. Item *intestinum rectum protrusum*, si diutius extra hæreat, ita ut fibræ musculorum retrahentes nimis laxentur ac extendantur, *procidentiam ani* subindè *chronicam* inferunt. *Excrementa serosiora*, aut *aquosiora*, copiosius & crebrius per anum secedentia, intestinum rectum ac fibras musculorum relaxando, similem *prolapsum* inferunt.

Quoad *Prognosin*, *ani procidentia* pro causarum varietate vel *facilius* vel *difficilius curatu* existit. Nunc etiam *periculosior*, nunc *minus periculosa* esse solet. Si diutius prociderit anus, subindè *tumorem* insignem contrahit, in specie *inflammatur*, quam facilè *gangræna* insequitur. *Ani procidentia, à Paralysi* orta, adeoque ex resolutione musculorum levatoriorum difficulter curatur, quia licèt semel reposito ano, iterum tamen excidere solet.

In *Cura* sunt notanda: 1. *Anus reponendus.* 2. *Repositus est firmandus.* *Repositio* est talis, fitque inprimis *manuum ope*, quando *indice digito* intruditur anus, aut quando *linteo decocto emolliente*, vel *adstringente ebrio* circumvolvitur index digitus, & ita anus intruditur. Quando ita repositus est anus, patiens coxas & crura extendere, & ita extenso, quousque potest, corpore, vel supra ventrem, vel supra alterum latus, quamdiu potest, quietus jacere debet, ut ita repositus melius firmetur anus. Pro quo scopo *ante repositionem* ungatur anus cum ♋ *hyperici*, quod *infantibus* præsertim confert, aut illinatur *oleo rosaceo*, superadsperso subtilissimo *pulvere gallarum* pulverisatarum, &c. Atque ita quidem *simplex ani procidentia* reponitur.

Cæterum non rarò incurrunt impedimenta, vel repositionem impedientia, vel recidivam minantia, quæ necesse est ut maturè ante repositionem removeantur. v. g. Si adsunt *stercora dura* aut *multa* in ano vel intestinis subsidentia, necesse est, ut prius *enemate* emolliatur alvus, & hujus medio evocentur excrementa ante repositionem: aliàs recidivat malum. Convenit ergo *lac decoctionis herbæ melilot. herb. verbasci, florum sambuci, &c.* Si adsint *sordes*, aut *quæcunque acria* intestina stimulantia, prius abluendum est intestinum *fomento abstergente & leniente.* Eadem igitur quæ modo insinuata fuerunt, hic conveniunt, vel horum loco *decoctum fol. quercus, parietar. cicer. rubr.*

rubr. florum verbasci cum aq. ferrariorum factum usurpetur. Si adsit *inflammatio* aut *tumor* intestini prolapsi, impossibile est, ut reponatur debitè intestinum, quamdiu hæc durant, adeoque inflammatio *fotu discutiente & resolvente* arceatur ex *fol. & flor. chamomill. verbasci, sambuci, malvæ, violariæ* decoquantur nunc in *lacte*, nunc in ∇. *ferrariorum*, nunc in *vino rubro* adstringente. v. g.

℞. Flor. sambuc.
chamomill.
hyperic. an. M ß.
rosarum rubr. p. iij.
summit. absinth.
melilot. an. M ß.

Coq. in *lacte* vel *vino rubro*, & hoc decocto anus tumefactus & inflammatus foveatur, donec *inflammatio & tumor* esset: hinc tandem intruditur. Vel in *diuturno malo* quasi *paralytico:*

℞. Flor. chamom.
anthos.
fol. salviæ.
balaust. an. M ß.
gallarum paria duo: Coq. in *vino chalybeato*, quo foveatur anus, abluatur, & successivè reponatur.

Ut *intestinum rectum* plus minus repositum *firmius cohæreat*, optimum est *Emplastrum* calidissime *ossi sacro*, aut etiam *lumbis applicatum*, quod fit *ex gummi sagapeni, opoponac. ana q. s.* inducantur super alutam, & applicentur dicto modo. Item ad *firmandum anum prolapsum* egregius est *suffitus Kesleri* in suis *Cent. Process. N. 396. p. 463.*

℞. Asphalti,
succini,
mastich.
thuris.
myrrh. an. ℥j.

Contusa super carbonibus ignitis inspersa, suggerunt *suffitum ad firmandum intestinum rectum.* Vel post repositionem: ℞. *Asser* probè calefactus, *mastiche* illitus, cui quàm calidè ferre possit æger, per quadrantem horæ insideat. Alii cum *medulla cervinâ*, vel etiam cum *pinguedine cervinâ* asserem inungere solent; Siquidem *pinguedo cervina* aut *hircina* liquefacta, & ita intestino prolapso illita, unà hoc blandè reponendo, & hinc simili modo insidendo malum curat. Loco pinguedinum harum etiam recipiuntur *Flores verbasci* in butyro non salito frixi, ac probè transcolati, quo

quo ipso simili modo procedatur. *Sacculi* itidem facti ex *furfure*, *foliis millefolii*, & *fol. verbasci* in *acet. destill.* vel *vino rubro* cocti ac calidè adplicati, firmant anum, ut tam facilè non possit prolabi. Convenit inprimis, si *post partum difficilem* malum natum fuerit. Si *ex hæmorrhoidibus* sit malum natum, inungatur intestinum prolapsum ☋ *scarabæorum* in *ol. mastiches* bullitorum. Sicuti si in eodem *oleo mastiches* bulliant *flores verbasci*, egregium est contra *procidentiam ani ex Tenesmo.*

Quod si propter *musculorum levatoriorum resolutionem* anus denuò firmandus veniat, nervina sunt recipienda, v. g.

℞. Flor. chamom.
anthos.
balaust.
fol. salv.
lauri an. p. ij.
gallar. contus. par. vj.
malicorii ℥j.
Coq. in aq. & *vino chalybeatis*, ac applicentur pro *fotu.*

Quòd si post repositionem ano firmato remaneat *calor* vel *rubedo* in ano, ne superveniat inflammatio, &c. *Aq. plantaginis*, in aqua solutum est *sacch.* ♄*i*, blandè fovendus est podex, aut locô hujus supra dictis *fomentis adstringentibus* utendum.

CAPUT XI.

De CHYLI DISTRIBUTIONE LÆSA.

VIdeatur hîc *Sylvius lib.* 1. *Prax. c.* 16. *pag.* 192. *& c.* 17. *pag.* 200. ubi notabilia inprimis sunt ea, quæ de *Ascite* scribit, ita ut *Ascitis* propriè dicti, ceu particularis abdominis hydropis, & in quo pedes non simul intumescunt, (adeoque confirmatæ *universalis cachexiæ* proles non est,) speciatim, qui subitò interdum generatur *ex causis occasionalibus*, iis præsertim, quæ à *Sylvio* memorantur, frequentissimam occasionem existimem talem *chyli per lacteas effusi stagnationem*: Sicut non negârim, & aliis ex causis in aliis abdominis visceribus vel locis, lymphaticis ruptis, & lymphæ extravasationem, & hinc *asciticam abdominis intumescentiam* supervenire posse, simili ferè ratione curan-

curandam. Atque de illa *ex chylo effuso* differit *Sylvius*. Hoc saltem in loco, occasione obstructionis lacteorum vasorum, explicanda quædam, *De obstructione Mesenterii, Hepatis, Lienis, Pancreatis, & similium vasorum abdominis.* Notum est, nil frequentius aut usitatius in morbis chronicis accusari, quam *anti-praxiam viscerum*, & dein *obstructionem viscerum in abdomine.*

Anti-praxiam rejecimus in *Pathologicis*. Et hæc ipsa non confundenda est cum *robore inæquali partium*, & deinde cum contrario quodam *visceris* cujusdam *fervore*: Scil. debilius subindè ratione balsami sui, sive ⁓. insiti observatur viscus unum præ altero, id quod & in partibus externis non rarum est, à quacunq; occasione læsum, & hinc debilitatum fuerit viscus aut pars v.g. bracchium, in quo diu gestatus fuit fonticulus, aut quod aliquando gravius sauciatum fuit, restitutum denuò, debilius ac minus robustum, flaccidius, frigidius, subtempestatum mutationibus irritabilibus præ altero observatur, hoc robur inæquale est, nulla partis anti-praxia. Quoad contrariam *visceris incalescentiam*, accidit interdum, ut viscus quoddam fervidius reddatur, quam naturaliter esse debet: Sic v.g. renes interdum æstuare, aut hepar intensiùs fervere observatur, id quod fit propter præternaturalem quasi spinam acidam infixam, cujus hostili præsentiæ visceris incalescentia supervenit: Hinc impedimentum actionis propriæ, non autem cum alio viscere antipraxia aut contrarietas, unde & non refrigerantibus, sed spinam infixam evellentibus, hoc est, acidum vitiosum corrigentibus curandum; de quo vid. *Helmont. Tr. Retenta.*

Obstructiones quod attinet, sanè nil frequentius his ipsis in Scholis Medicorum occurrere solet: Unde & nec rusticus, nec vetula existit, qui nesciant loqui, von der Verstopffung der Gekröß-Adern; unde & *febres intermittentes & cachexiæ, mala hypochondriaca* & plura alia in Schola Galenica, *ex viscerum abdominis obstructionibus* derivantur, quod & usu venit in Schola Paracelsica, in qua nil usitatius, quam loqui de oppilationibus, factis à tartaro hinc indè coagulato.

Cæterum sicuti *qualitates occultæ* Physicorum meritò dicuntur *asyla ignorantiæ*, ita simili ratione dicendum, quod tales *abdominis viscerum obstructiones* sint *balneum causarum latescentium.* Duo sunt quæ inprimis fulcire videntur hanc hypothesin: unum, quod eam reddit probabilem; alterum eam facit inculpabilem. Probabilem reddit hanc opinionem, quod in istis chronicis affectibus quàm plurima abdominis symptomata ægris molesta sunt, ac præsertim circa hypochondria affligant, & si alia quædam pars videatur affecta, conjungi tamen aut subsequi abdominis passiones solent. Accedit,

quod & *scirrhi* & *strumæ* in mesenterii glandulis, item in aliis abdominis visceribus inventi sunt. Alterum, quod eam reddit inculpabilem, est, quod fons per anatomen non adeo possit detegi: cùm enim præsupponant infarctum vasorum capillarium, quæ ordinariò post mortem connivent, ac clausa reperiuntur, nulla post mortem accurata satis inquisitio potest institui.

Res igitur ut pateat accuratius, *tres* concipiendi inprimis sunt *meatus*, in quibus supponitur fieri *obstructionem*. I. Sunt *vasa sanguifera*, quæ invehunt & evehunt. II. *Vasa lymphatica*, quæ ex uno loco invehunt in alterum. III. Sunt *pori & meatus* partium continentium, per quos continua est liquoris trajectio, primariò quidem viscerum ac glandularum, ac secundariò partium carnosarum. Quòd si in his locis fieri debeat obstructio, necesse est sanè, ut humor in motu impeditus stagnet, hinc pars intumescat, & vel liquoris stagnantis coacervatio, vel ruptis vasis in vicina loca effusio. Et quidem *in vasis sanguiferis*, ubi est in aliquo loco obstructio, necessario impeditur sanguinis motus. Unde sanguinis in ista parte stagnatio, ex stagnatione partis tumor; tandem vasorum capillarium ruptio, hinc sanguinis extravasatio, & sic inflammatio.

Ubi vero *in vasis lacteis & lymphaticis* fit obstructio, similiter impedimentum fiet motus lymphæ, ita ut per vasa lymphatica non aliorsum commota, nec ab his resorpta, sed in parte solida coacervata det tumores serosos. Sin vero jam absorpta sit, & in motu per vasa ex horum obstructione impediatur, tunc à lympha stagnante fit vasorum distensio, tandem ruptio, ac necessaria tandem lymphæ effusio. Quæ effusio si fiat in peculiarem cavitatem, dat hydropem particularem: Sin vero effusio fiat in partem solidam, fient exinde tumores aquosi, pro lymphæ conditione varii.

Obstructiones, quæ dicuntur fieri *in ipsis visceribus* aut *partibus solidis*, dant etiam suos tumores, nec sine his contingere solent. Cùm enim *meatus* ac *pori* in hunc finem sint excavati, ut fluidum exindè transeat; necessariò ex istis obstructis liquoris transeuntis fiet stagnatio, unde pars necessariò intumescit, ac tumor vel per suppurationem degenerat in abscessum; vel materia stagnans inspissatur ac indurescit, fiuntque *tumores duri*, plus minus *indolentes*, & *tactui renitentes*, qui *ex sanguine in partibus sanguineis* dicuntur *Scirrhi*, *ex lympha* vero *in partibus glandulosis strumæ* sive *scrophulæ*. Hæc *coagulatio* fit ab *acido*, à quo post successivam partium subtiliorum evanescentiam sive discussionem sensilem, restitans sanguis sive lympha inspissatur, ac firmiter coagulatur. *Acidum* hoc *in scirrhis & scrophulis* patet ex eo, quod inconvenienter tractati hi tumores, ubi eorum acidum vitiosam contrahit effer-

vescen-

vescentiam, facillimè in cancros depascentes degenerent. *Ex his tamen tumoribus patet*, nullo modo universaliter negandas esse obstructiones: Hoc enim absurdum esset, sed abusus tantum tollendus, & obstructionibus istis imaginariis superstructis morbis aliud quærendum fundamentum: Siquidem & ductus cholidochus, ductus pancreaticus, tubuli renum, oscula vasorum lacteorum sæpius infarciuntur: mesenterii item obstructionum repertarum, unà cum glandulis ejus induratis cum subsequente corporis macie hinc indè prostant exempla. Verùm in morbis istis chronicis causa radicalis non sunt obstructiones tales, aut si deprehendantur in talibus tumores viscerum, v.g. Si *quartanæ* supervenit *Scirrhus lienis*, aut *ictero scirrhus epatis*, hydropis prodromus, tunc quæstio de tali tumore oritur, an sit causa talis morbi, an vero productum morbosum. Et quidem scirrhosos aut similes tumores quod attinet, in his integer quidam ramus, & huic annexæ visceris partes omninò oppilantur, & in talem tophum coguntur; unde per eam cessat penitus contentorum trajectio; unde successivè vicini rami pedetentim dilatati ejusdem munere fungi videntur.

Origo igitur *prima* omnium istorum *affectuum chronicorum* ex viscerum infarctu derivatorum est *ex stomacho* & *primis viis*: nempe *digestio prima in ventriculo*, & *ejus perfectio in duodeno* plus minus *læsa* sunt *fons omnium morborum chronicorum*, in specie, *cruditas acida*, & multiplex alteratio *succi pancreatici & cholidochi* fœcunda mater morborum talium esse solet. Speciatim *bilis* vel *parcior* vel *inertior* fovere, & contumaces magis reddere solet hos ipsos affectus. Unde *ametria chyli*, *dyscrasiæ sanguinis*, *partium nervosarum* multiplices *dolorosi affectus* originaliter *ex vitioso acido* primarum viarum propullulare solent. Adeò ut *acidum* in subjecto seu vehiculo plus minus seroso aut pituitoso, ipsum etiam magis vel minus *volatile* aut *fixum* sit prima origo istorum affectuum. Hinc ubi gravius fuerit ventriculi sub digestione erratum, aut notabilior cruditas acida, non rarum est, quòd sanguini, in talibus subjectis, per phlebotomiam emisso, post sui grumescentiam supernatare soleat *mucus quidam albidus*, plus minus *lividus*, *spissus*, ac multis modis *variatus*, qui revera nil aliud est, quàm *chylus vitiosè digestus*, qui cùm non commodè, fermentationis motu, assimilari possit sanguini, in eodem fluctuat, fermentationis debitum negotium impedit, & hinc ad *cachexias*, speciatim mulieres ad *chloroses* disponit. Confirmant hoc remedia ad horum morborum curam usitata: Siquidem convenire solent remedia tam *generalia, alterantia*, nempe *acidum corrigentia*, *viscidum evacuantia*, & hinc *bilem* aromatica vi *acuentia*; quàm *specifica*, speciales *sapores acidos enervantia*, & specialia vitia humorum emendantia.

In *Minerali regno* in specie Chalybs, ac hujus ratione *acidulæ*, item ♄ in usu est: Chalybs sanè ac omnia ♂*ialia* per se semper adstringunt, unde & in *alvi fluxibus quibusvis*, *hæmorrhagiis*, *viscerum atoniis*, tam externè quàm internè sunt optima. Ergò quomodo conveniant in hisce morbis ex obstructionibus suppositis, & quomodo aperire queant, dubium remansit. Primus hìc oculos nobis aperuit *Helmont. in Paradoxis de Fontibus Spadanis*, cujus vestigiis laudabiliter insistit *Tachenius in Hipp. Chym.* nempe ♂*em per se semper adstringere*, *per accidens* vero, quatenus ratione suæ texturæ terrestris promptissimè absorbeat in se acida, & cum his in concretum ⊕-licum absterfivum abeat, saltim conferre, ut absorpta ex eo acida, tanquam vinculis constricta, secum sub forma nigrarum fæcum è corpore *evacuet*, id quod sanè signum est rectè operantis ♂*is*. Qualis selectus in ♂*ialibus* sit observandus, pluribus actum fuit circa materiam medicam, in quorum tamen usu observandum: 1. ut corpus semper sit apertum. 2. motu corporis promovendam earum operationem. 3. Delectum esse habendum in ipsis ♂libus, ratione constitutionis ægrorum: Nam quidam, quorum stomachus sensilior est, non ferunt crudiora; ob id talibus saltem *Tinctura* ♂*is liquida*, vel *Tinctura* ⊕-*li* ♂*is Zvvelfferiana* aut *vina* ♂*ia* usurpanda. Par ferè ratio cum ♄*o*, cujus *saccharum* & ex hoc cum 🜄 parata *Tinctura* reverà sunt egregia in *Melancholiis hypochondriacis*, affectibus *scorbuticis* ac similibus. Quibusdam *crystalli ex minera* ♄*i*, *cum* ⟿*is* ⊙*i* parati, *sacchari* loco in usu esse solent.

Ex Vegetabili regno conducunt *amaricantia*, vel *aromata, oleosa*, vel *acria volatilia*, vel *temperata diuretica*, & ex his artificialia parata remedia, præsertim *essentiæ*, ♎: ⊖*ia fixa & volatilia.* v. g. inter amara *absinthium*, *centaur. minus*, *gentiana*, *helenium*, *cichor. tarax. endivia*, *&c.* Quibus addantur *gummata*, præsertim *ammoniacum* & hinc *Galbanum*. Inter aromatica oleosa *rosmarin. salvia*, *fœnicul. &c.* acria volatilia sunt omnia *anti-scorbutica*, temperata *diuretica*, dictæ *rad. 5. aperient. rubia tinct.* item *genista*, *&c.* Inter salia speciatim *salia fixa*, & cum his parata *salia salsa*, ♀ ⊕-*latus*, ⊖ *hypochondr.* & speciatim *sal volatile* ac *spiritus tartari* conducunt optimè, vel ex fæcibus vini exsiccatis, vel cum ⊕o per retortam tubulatam præparatus. Item *cremor tartari* frequentis usus esse solet in chronicis hisce affectibus.

Animali ex regno præter *marina absorbentia*, præsertim *salia volatilia*, aut *spir. urinosi*, v. g. ⟿ *sal armoniaci*, *CC. lumbricorum*, *formicarum*, polychresti & usitati esse solent, quibus & *sal. armoniac.* & alia plura addenda sunt.

Quoad **methodum medendi** horum *morborum chronicorum ex obstructionibus vulgo derivatorum*, revera ex *acido vitioso* natorum. 1. propinantur dige-

digestiva. 2. hinc vomitoria. 3. præparato sic corpore, ♂*ialia*, quibus 4. interponuntur per ἐπίκρασιν *laxantia*, & 5. subjunguntur *alterantia, aromata*, præsertim *volatilia* plus minus *amaricantia*. *Digestiva* sunt v.g. *tart.* ⊕-*lat.* ⊖ *hypochondr. terr. fol. tartari, Tinctura tartari, Tinctura* ⊕-*li* ♂*is Zvvelf. &c.* *Vomitoria ac* ♂*ialia* jam per se nota sunt. Quòd si *purgantia* interponenda, speciatim talia, quæ successivè, & ut vocant, *per epicrasin* hauriunt, conveniunt, inprimis *gummata cum laxativis acuata*. Hinc *pilulæ usuales*, quavis septimana repetendæ sunt optimæ, quarum exemplum suggerit *Sylvius* c. 14. §. 50. item *Mercurius dulcis* commodè aliis additur: Item, *infusa ex foliis senæ*, mista cum *gummate ammoniaco*, aut cum hoc *acuatæ pilulæ* conducunt. *Noduli* pariter tam simpliciter *alterantes*, quam simul *laxantes* optimè simul ordinantur, v. g.

℞. Extr. helleb. nigr.
Mercurii dulcis. an. gr. xv.
scamm. 🜍ati gut. iij. vel ij. M.F. *Pilul.*

Vel ℞. Gumm. ammon. in ✳ solut. ℈j.
scamm. 🜍ati. gr. iiij.
Extr. troch. alh. gr. j. M.F. *Pilul.*

Rhabarbarum item, quod aliàs *Anima hepatis* dicitur, propter vim *corrigendi & acuendi bilem* commodè usurpatur, additis *stimulis* ⊖ *inis*. v.g.

℞ Rhabarb. elect. ℈j.
arcan. duplicat. ℈ß. M.F. ♄.

Vel F. *Elect.* ex *pulpa passular. cum rhabarb. pulverisato*, recipiendo ad quamvis ℥*am pulpæ Rhabarb.* ʒj. & ita sub forma *Electuarii* aliquandiu continuando, Dosi nucis juglandis quotidie bis.

Remedium ad *cachexiam* & quasvis *Icteri* species commendatissimum, Item *Nodulus ex recentibus:*

℞. Herbarum recent. cochlear.
nasturt.
fumar.
chelidon. maj. an. Mj.
radic. armoraciæ recent.
helenii an. ʒvj.
fol. senæ s. st. ℥j.
rad. elleb. nigr. non præp. ʒvj.
esul. præp. ℥iij.
zinziber.
cinamom.
zedoar. an. ʒj.

 sal.

sal. tartari ʒ vj. vel ℥ß. M.

Item *Nodulus alterans ex siccis:*

℞. Herb. menth.
absinth.
rosmarin. an. Mj.
rad. galang. ℥ß.
zedoar.
zinziberis. an. ʒ ij.
fœnic.
levistic. an. ℥ß.
cinam. acut. ʒ ij.
cort. aurant. siccor. ℥ß. M. includantur nodulo.

Alterantia aromatica sunt partim talia *vina medicata*, partim *Elixiria proprietatis* absque acido, & *Elixir anticachecticum:*

℞. Aloës succotrin. ℥j.
gumm. ammon. ʒ vj.
myrrh. ℥ß.
croci ʒ ij. infundantur c. s. q. *Tincturæ* ♀*i* actis, mediante digestione diuturna extrahatur *essentia composita*, Dos. ad 30. vel 40. guttas, bis in die propinanda. Quò etiam pertinet *absinthii essentia, essentia vincetoxici*, præsertim ex *succis inspissatis cum* ♎*u cochleariæ* parata.

Artificium *chronicos* hujusmodi *affectus* curandi ritè consistit in eo, ut tempori inservias, nec, nimis præcipitando curam crabrones irrites, hoc est, temperatis remediis successivè insistamus, ne acrioribus commoti acriores præternaturales succi, effervescendo, & partes nerveas irritando varia symptomata inducant; quibus inprimis moderatus corporis motus simul accedat. Hinc præmissis *digestivis*, & *vomitorio* vel *blando laxativo* remotis impedimentis, *Martialia* usurpantur, ut promtius absorbere & imbibere queant vitiosa acida; quibus interponuntur non purgantia propriè dicta, quæ insigniter tales ægros & tandem frustra vexant, & subindè periculosa symptomata inferunt, ex acriorum & effervescentium succorum ad intestina provocato influxu: sed *blanda* potius *laxativa*, & quæ leni stimulo intestina mediocriter proritant, istis ♂ialibus interponuntur, aut junctis alterantibus vegetabilibus propinantur.

Quod vero attinet *obstructiones* revera tales, tam *mesenterii*, quam *lienis* ac *hepatis*, ac inde supervenientes *tumores*, ut plurimum, præsertim in hepate ac liene in scirrhum degenerantes, nascuntur pariter hi ipsi *ex acido vitioso*, cujus hostili præsentia stringuntur fibræ, clauduntur pori, ac ordinarius fluidorum transitus plus minus impeditur, unde *Hippocratis magni lienes*, & *tumores viscerum*

ſcerum ſuperveniunt. Revera ex talibus, præſertim *meſenterii*, *obſtructionibus ac tumoribus* ſubinde oriuntur, aut ſaltim pertinaciter foventur *Chronici morbi*, mirabilibus, ac ſubindè difficulter explicabilibus ſymptomatibus, iisque quotidie variantibus, ſtipati. Et quidem *meſenterium*, ſi quadam in parte *affectum* ſit, *difficulter cognoſci poteſt*, cum in profundo ferè ſitum ſit, ſupervenire tamen ſolet aliqualis, *mollis* tamen, & ſine fluidi contenti indiciis, *abdominis tumor*, *excreta alvi liquida*, ſubindè *varia*, *dolor obſcurus*, interdum plus minus *gravativus* in profundo abdominis percipitur, & ægri ſucceſſivè emaciari videntur, nec niſi, ubi longius proceſſerit malum, tactu *tumor renitens* tandem cognoſcitur, imò interdum vix ante cadaveris apertionem obſervabilis eſt. *Lienem* vero aut *Hepar* ſi affligant *obſtructiones & tumores*, *dolor gravativus*, ſimulque *obtuſus*, plus minus *tenſivus*, in eorum regione percipitur: interdum quoque, *ſi majores* ſint, *tactui patent*. Dolores *punctorii* item *vagi*, nunc *diſtendentes*, nunc denuo *evaneſcentes*, nullo modo his viſceribus conveniunt, ſed *inteſtinorum* ſequuntur *affectiones*. Ægrorum talium *floridus faciei color* perit, ac *ſplenetici*, *obſcuri*, *lividi* & *quaſi plumbei* adparent. *Hepatici* vero ad *vitioſam flavedinem* ferè declinant; *urinæ crudæ*, ſubindè *variantes* excernuntur, eæque ferè pauciores; tandem *tumor hydropicus* ſæpiſſimè vitæ finem imponit. Deteriora hæc ſunt mala, ſi *lien* affectus *hepar* in ſui conſortium traxerit, cum omnis ex ſplene refluxus ſanguis immediatè petat hepar. *Recentia* hæc *mala*, ac indè ſucceſſivè ſuccurrentes *Chronici morbi*, nunc *hypochondriaci*, nunc *ſcorbutici affectûs* ſymptomata imitantes, adhuc *curabiles* ſunt: magis vero *confirmati*, ac præſertim ubi jam in *ſcirrhum* abierint tumores, *incurabiles* exiſtunt.

Curandi ratio ex ſupradictis ſponte patet, nempe *acidum corrigentia*, humorem *ſtagnantem* plus minus *viſcidum attenuantia*, & per epicraſin *evacuantia* primatum ducunt, quibus & *externa emollientia* ac *attenuantia* ſocianda. ♂*ialia* ergo ante perfectum *ſcirrhum* ſunt optima: hinc enim ▽*æ ferratæ* tumentes lienes abſumere dicuntur, ſed ubi ad *ſcirrhum* degenerant, nocent plurimum ♂*ialia*: Rationem imò idque exactè ſuggerit *Tachenius in Hippocr. Chym. clav. p.* 181. & 188. Hinc *gummata*, præſertim *ammoniacum* & *galbanum*, & plura ex his concinnata remedia ſunt optima. Item *Tinctura* ♁*i*, ∼ ♁*i*, ac alia quævis ⊖*ia volatilia*, ſed patienter & crebrius uſurpata. Hinc quælibet vulgò *aperientia* dicta, v. g. *cortices ligni fraxini*, *ſcolopendr. ceterach*, *filix*, *abſinth. rhabarb. marrub.* quælibet *antiſcorbutica* & ſimilia aliàs *aperientia*, item *hepatica* vel *ſplenetica* dicta locum inveniunt, cum quoad rem facti, ſive experientiam omnes conveniamus, ſaltem quoad theoriam ſive experimentorum per cauſas ſcrutinium differamus.

In

In specie quoad *externa*, ad hujusmodi partium abdominis *tumores*, plus minus *scirrhum* minitantes, primatum ducunt *gummata*, & hinc *vegetabilia* ad narcoticorum naturam propius accedentia, v.g. *Nicotiana*, *cicuta*, *hyoscyamus*, imò ipsum *opium*: quibus & alia istis tumoribus appropriata socianda sunt. Confer. *Doring. Tract. de opio c.5.* Hinc *Emplastrum de Nicotiana* est egregium, Item, *cataplasma ex Nicotiana* ad scirrhos splenis *Zvvelff. in Pharmacop. reg. pag. 312.* Item, *Emplastrum de cicuta*, cum ana *gumm. ammoniaci in acet. destillat.* soluti mistum. In specie *Emplastrum carminativum Sylvii* præstantissimum est *Prax. l.1. c.14. p.58.* Item, *Emplastrum de ranis cum Mercurio* officinale potenter penetrat, & hujusmodi tumores dissolvit. Sic *Emplastrum ex cicuta & ammon.* compos. *Heurnii*, vid. in *Sennerti Praxi lib.3. part.4. c.6. 492.* ubi *de Scirrho lienis.* Item facit huc non inelegans *Emplastrum de cicuta Sennerti.*

℞. Cicutæ Mij,
flor. genist. Mj,
gumm. ammon. ℔jß. ebulliant in s.q. acet. destill. donec ammoniacum dissolutum sit, postea colentur, adde
Succi Nicotianæ veræ ℥vj.
esulæ ℥iiij.
iterum bulliant. Tandem adde
resinæ pini
terebinth. an. ℥iij.
styrac. calamit. ʒiij.
myrrh. ℥jß.
🝆 cappar. &
ceræ, q.s. pro consistentia Emplastri.

Vel; ℞. Gumm. ammon. in 🜋 sol. ℥j.
tragacanth.
Emplastr. de mucilagin. an. ℥ß.
sal armoniaci ʒijß. M. F. Emplastrum applicandum loco affecto calidè. Malaxari possunt talia Emplastra usus tempore 🝆 *destillat. succini*, vel quod melius, utut ingrati fœtoris, *ol. destillat. gummi ammoniaci*, aut 🝆 *tartari*: nam quando destillatur *gummi ammoniacum* cum *viridi ære*, post *spiritum volatilem* prodire solet *oleum empyrevmaticum* fœtidum, sed penetrantissimum; Loco hujus tamen etiam *oleum Philosophorum* potest recipi.



CAPUT

CAPUT XII.

De CHYLI SANGUIFICATIONE ſanguinisq; fermentatione læſa.

MEretur de hac ipſa materia, qui legatur, *Sylvius lib. 1 prax. c.* 18. 19. 25. Utut enim fundamentalis ejus *hypotheſis de motu bilis* ſurſum, & hujus alcalinæ cum occurrente lympha acidula effervescentia ſit dubia, aut verius manifeſtò falſa, tamen propter ea, quæ de mutationibus humorum, & alterationibus, ac nocendi rationibus *bilis, lymphæ & pituitæ* aſſerit, & in praxi quotidiana ſuum uſum egregium habent, non negligenda ſunt, modò mutatis mutandis conſiderentur, hoc eſt, exindè ſuppoſita vitalis effervescentia in dextro cordis ventriculo deleatur, ſed ſaltim illorum mutatorum aut alteratorum operationes, chylo & ſanguini plus minus immutatis applicentur, egregium uſum pro facilitanda praxi habere poſſunt. Præſuppoſito igitur ſanguinem continuò fermentari, & in iſtius fermentationis medio, chylum ſucceſſivè ſanguificari.

Sanguificatio hæc & ipſa *Maſſæ ſanguineæ fermentatio* læditur duobus modis: vel *vitio Chyli*, vel *vitio ipſius ſanguinis*; *Chyli*, quando ineptus eſt, ut exindè fiat ſanguis per aſſimilationem fermentativam; *ſanguinis*, quando ineptus eſt, ut laudabiliter chylum aſſimilet. Primaria ferè *cauſa* quærenda eſt in *chylo*: hinc enim *κακοχυλία* mater Cacochymiæ. *Cacochylia* iſta ex tribus dependet fontibus, 1. Quando non ſufficienter *fermentatur*, aut *attenuatur*, aut *volatiliſatur* in ſtomacho. 2. Quando non ritè *perficitur à bile*, ejusque ſulphure oleoſo. 3. Quando non ritè *ſecernitur à ſcoriis* beneficio *ſuccorum fellei & pancreatici*.

Præter alia vitia ex ventriculo familiariſſimum eſt, quando *cruditate acidâ* laborat *chylus*, unde imminuitur *fermentatio* ac *ſpirituaſcentia ſanguinis*, & ſucco tali infarciuntur potius partes ſolidæ, quam nutriuntur. Item cum inſigniter varient *bilis* & *ſuccus pancreaticus*, facilè patet, variam quoque chyli in inteſtinis perfectivam eſſe alterationem. *Maſſæ ſanguineæ* vitio læditur *ſanguificatio*, quando deficit à debita craſi ſeminali, unicuiq; individuo propria. Inter iſta principia craſin conſtituentia, *acidum*, & ⊡ *ſum volatilia* primatum obtinent, à quibus & fermentatio & ∽aſcentia & chyli aſſimilatio læditur.

Fermentatio dicta multis modis læditur. In genere vel quando *augetur*, vel quando *imminuitur*, vel quando diverſimodè *depravatur*. *Signa*, quibus proximè cognoſcitur fermentatio ſanguinis læſa, ſunt *pulſus* & ⊡. *Ille* ſtatum ſanguinis in corde fermentantis, & exindè in arterias ebullientis oſtendit, de quo

 vid.

vid. *Sylv, l.1. prax, c, 26. Hæc* v. ⊡ statum sanguinis ex dicta ratione resultantis declarat. Fallit tamen utrumque interdum: Nam ut taceam de *febb. malignis, pulsus* subindè mutatur ratione *spirituum animalium* cor moventium. Hinc enim in quolibet *animi affectu* pulsus mutatio. *Urina* vero fallit, propter admistum urinæ potum, urinam plus minus alterantem. Item propter admista varia ex læsione partium urinalium enata.

Causæ itaque à quibus vitiatur hæc *sanguinis fermentatio*, sunt omnia ea, quæ *salium* istorum *proportionem* & *harmoniam* plus minus variare possunt. Talia sunt tum *assumta*, tum *inspirata*, quam *suscepta contagia*, quibus & *viscerum* sanguinis depurationi aut perfectioni inservientium *labes* ac *neglecta officia* accedunt. Ab omnibus his læditur massæ sanguineæ textura ac crasis, alterantur *salia*, quæ exindè novos quasi sapores adsciscunt, & ita fermentationem turbant. Sanguine hinc ita vitiato, aut à vitiosis fermentis inquinato, non tantum *chylus* perversè assimilatur, sed præterea totum corpus, ac quælibet ejus partes exindè plus minus alterantur: Qualis namque sanguis, talis totius corporis est habitus vel status. Qui *sanguis* exindè nunc *frigidior*, nunc *calidior* consequenter redditur, ita ut exinde omnia ea derivanda sint, quæ vulgò *de intemperie* dici solent, aut quæ vulgò *temperamentis* superstruuntur, ut illorum ratione hic ad hunc vel istum morbum inclinet; v.g. nunc quidam ratione *temperamenti* ad morbos *melancholicos, chronicos*; alius ratione *temperamenti Cholerici* ad affectus *acutos febriles* dispositus dicitur. Omnia hæc ex *sanguinis crasi* & hinc dependente *motu fermentativo*, & indè oriundis proprietatibus variis, tam sanguinis, quàm corporis proximè deducenda sunt: Hinc enim dum sanguis nimium incalescit, v. g. ex motu, vel febri, omnes partes intensius calent: dum is naturâ, vel senio, vel morbo tepidior existit, similem temperiem vitalem nempe influam quælibet partes experiuntur. Tanquam paradoxon *caliditatem sanguinis* nimiam, acutis præsertim in morbis notabilem, consideremus, quæ quidem ex *aucto motu fermentativo* omninò derivanda venit, sed primariò *ob acidum volatile* intensius cum *alcali* ☋*so* ebulliens, adeoque *à bile materialiter* sive subjectivè, *ab acido formaliter* sive effectivè: hinc & *aromata* & similia calefacientia, 🜄 *vini*, ☋*a destill.* &c. calefaciunt corpus non nisi ratione *volatilis acidi*, communicabilis contentis corporis nostri, iisq; assimilabilis. *Acida mineralium* refrigerant, id quod *figendo* acido suo intensiori, nobis non communicabili, motum humorum & acidum volatile subjugando præstant; undè cessante debito fermentativo motu, caloris remissio observatur. Sed eo ipso, quo nobis non assimilabilia, aut contentis communicabilia existunt, remedii, imò sub inconcinna dosi veneni naturam assumunt, & hinc alterata in corpore nostro plus minus per vias urinarias eliminan-

minantur. Hinc in quibus *acidum fixum* quasi, adeoque constitutivis nostris *præternaturale* exsuperat, ut in *hypochondriacis*, *melancholicis*, *mensibus deficientibus*, præsertim cum concursu *pituitæ viscidæ*, & *defectu bilis acrioris*, frigidiores observantur, adeoque *volatile acidum spirituosum*, contentis nostris commiscibile, & quod horum fermentativum motum promovere potest, quò plus *activum* existit, eò intensius calere corpus observatur; Ejus *acidum fixius*, quod subigit & figit illud *volatile acidum*, & ita contentorum, fermentativum motum plus minus inhibet, *frigoris*, & *imminuti* in sanguine *caloris* autor existit. Certè omnis rerum calor spontaneus ubique sequitur motum intestinum particularum minimarum *formaliter*; acidi vero agentis in terreum plus minus alcalinum *effectivè*: in ipso igne *adurendi vis* ab *acido* revera oritur. *Calcis vivæ incalescentia* ab *acidi activitate* dependet. *Mutata* igitur *temperies sanguinis*, ex *mutata fermentatione* nata, per *vitiatam crasin corrigentia* curanda, in quo negotio inprimis observetur *sapor specificus*, crasin sanguinis plus minus vitians, ut proximè per *specificum remedium* curari queat.

CAPUT XIII.
De
AËRIS INSPIRATIONE LÆSA.

NOtum est, *sanguis*, dum in eo est, ut ex dextro ventriculo abeat in sinistrum, circulari per pulmones, pro debita sui suscipienda perfectione, ac novo debitæ fermentationis suscitabulo, ita ut propter solos pulmones dexter cordis ventriculus sit constructus. Ad hunc transitum per pulmones necesse est, dilatentur pulmones. Cui usui inservit vesiculosum pulmonum parenchyma, quod facilè expandi & complicari, denuò potest. *Aeris ista* in pulmones dilatatos *susceptio* sive *inspiratio tribus modis* læditur, 1. quando omninò *abolctur*, ut in *suffocatione*. 2. quando *augetur* adeoque fit frequentior, in *frequentiori respiratione*, quando nempe ordinaria non est sufficiens, de quo vid. *Sylvius l.1. prax. c.82. §.12.* 3. quando *depravatur* seu cum labore & difficultate fit, ut in *Dispnœa*.

ABOLITÆ respirationis sive *suffocationis Causa* ex *triplici* haurienda *fonte*, quatenus respiratio sive aëris admissio & reciprocatio *tollitur*; vel (1.) *vitio viarum*, aërem non transmittentium; vel (2.) *vitio pulmonum* aërem non admittentium: vel (3.) *vitio musculorum ac nervorum*, thoracem non legitimè dilatantium ac moventium.

Quoad *primam causam*, quando *viæ clausæ*, non admittunt aërem, suffocamur: sive *extrinsecus* aliquid angustet vias; sive *intrinsecus* adhæreat. *Extrinsecus* se offert in specie *strangulatio cum laqueis*, quâ larynge constricta, aëri intercluditur transitus. *Inflammationes* pariter *partium* ad fauces pertinentium, tam inflammatio aut tumor *tonsillarum*, quam *musculorum pharyngis* aut *laryngis*. Item alii *tumores* aut *abscessus* in his locis geniti *suffocationem* inferre possunt. Pertinent huc *varia deglutita*, quæ *vel* in faucibus hærentia, ratione nimiæ molis, epiglottidis motum impediunt, *vel* in ipsam asperam arteriam ingredientia, ratione irritationis sensilissimæ pertinacem ab epiglottide clausuram efficiunt, & ita suffocationem inducunt. Sic ex *frusto carnis fumo induratæ* in gula hærentis; item ex infarctu gulæ à *frustis pomorum* non benè manducatorum suffocationem ferè enatam observat *Forestus lib.15. observ.28.& seqq.* Sic ex subitò deglutito *linguæ bubulæ frusto* suffocationem observat *Bartholin. cent.1. histor.11.* Sic ex deglutito *phaseolo* in asperam arteriam illabente suffocationem observatam vid. in *M. A. N. C. Ann.2.pag.*240. plura in *Schenckii observationibus*. *In genere*, quicquid motum laryngis & epiglottidis potest impedire, potest suffocationem inferre: Unde pili epiglottidi casu involuti, strangulatum inferre possunt. Conf. *Forest. l.15. observ.29.* Sic à *musca* in fauces involante *Hadrianum Pontificem* suffocatum historiæ memorant. Ex *uvæ acinis* alii suffocati fuerunt. Facit huc etiam *polypus narium*, qui interdum nimis excrescens, crura in fauces etiam protendit, & suffocationis periculum infert. Sic à *struma* internè circa jugulum abscondita suffocationem observat *Platerus l.1. observ.172.* Pertinet huc rarus casus, dum ex *prolapsu palati* repentinam & periculosam suffocationem imminere notat *Tulpius l. 1. obs.38.*

Secunda causa hæret in *pulmonibus*, aërem non admittentibus, id quod fit interdum, quando *sanguis* ex quacunque ratione vitiosè *stagnat in pulmonibus*, eosque nimis replet. Sic *Panarolus Pentec.1. observ.13.* suffocationem excitatam à venis sanguine turgentibus notat. Quò facit etiam *obesitas nimia*, à qua nonnullos suffocatos refert *Schenckius*. *Stagnatio* talis *sanguinis*, præter sui *abundantiam*; item præter *viarum impedimenta* etiam fit ab iis causis, quæ *coagulationem* ejus inferre possunt; v.g. ii, qui post nimium motum & exercitium, calefacto nimis corpore, subitò ingurgitant potum frigidum, facilè suffocationis periculum incurrere possunt, dum tali ex causa sanguis ad sui coagulationem disponuntur, id quod patet, quia à tali causa non raræ sunt *pleuritides*, unde *suffocationis periculum*. Exemplum curiosum habuit aliquando B. D. *Michaelis* in coquo, qui cum diutius & vehementius prope △ incaluisset, ex subito frigido haustu in tantam [illegible]uum angu-

angustiam incidit, ut quovis momento suffocandus videretur, quem curavit cum *succo expresso ex bellidis flore rubro*, quæ præter vim vulnerariam, insignem habet virtutem dissolvendi sanguinem congrumatum. Confer *Mindererum in Medicin. militar.* Pertinent huc alia exempla suffocationum ex impedito sanguinis motu per pulmones. Sic *Maurocordatus Tract. de usu pulmon. pag.* 88. *ob calculum* in arteria venosa enatum, suffocationem ob impeditum sanguinis motum notat. Facit huc observatio *Riverii cent.* 1. *obs.* 82. de suffocatione ex *materia viscida pituitosa* in dextra cordis auricula reperta. Confer. observatio parallela in *Majovv. Tr. de motu muscul. pag.* 99. Sic *polypus cordis*, quatenus sanguinis motum intercipit, suffocationem infert. Confer. *Bartholin. cent.* 2. *epist.* 66. *pag.* 273. *Catarrhus suffocativus* itidem propter effectum ita dicitur, de cujus inanibus commentis infra suo loco. Pertinent huc *sub aquis suffocati*, in quibus partim ex impedita aëris admissione, partim ex aquarum irruptione fit suffocatio. Faciunt huc inprimis *suffocationes* frequentissimæ, quæ ex *fumo carbonum*, ex *exhalationibus* sive *Gas vinorum* sive *cerevisiæ fermentantium*: item ex *parietibus recentibus*, à calce viva recenter incrustatis contingere solent; non secus atque quando ex *fumis metallicis* aut fumis *cryptarum subterranearum*, *latrinarum diutius occlusarum*, ex *fornicibus lithantracum* diutius occlusis, item ex haustis *odoribus* sive *fumis* ∇*tium*, 🜍*is incensi* aut similibus vel *suffocatio* inducitur, vel *ejus* saltem *periculum* imminet.

Quæstio est de his; quomodo ægros interimant? an Gas sive fumi exhalantes afficiant immediatè *pulmones*, & *sanguinem* per eos circulatum, an verò afficiant *caput* ac *cerebrum*, ∽*tusq;* animales in iisdem habitantes? Res est difficilis; necesse est, considerentur symptomata: Ante omnia *anxietatem circa præcordia*, quandoq; *respirationis difficultatem*, & hinc *vertiginem caducam* seu *tenebricosam* experiuntur. Hinc statim *vox*, *sensus* & *motus* intercipiuntur, hinc absque *pulsu*, aut saltem vix *sensili* toti *frigidi*, quasi *syncope* correpti, jacent, ut plurimum cum *spuma* circa os; ubi nonnihil ad se redeunt, plerumq; *vomitu* exercentur, & *mucosa* multa sponte, vel arte ex *orenaribus* & *ventriculo* rejiciunt. Prolixius negotium hoc ventilat *Schneiderus de catarrh. c.* 1. *sect.* 2. cum quo conferantur *Schenck. in observ.* quas habet ex *Paræo*. Reverà *ex una parte* suffocationis subitaneæ, *ex impedito sanguinis* tàm fermentativo quàm circulatorio *motu*, videtur species; *Ex altera* tamen *parte* revera *apoplexiam*, & quidem *positivam*, prout *Helmont.* eam in *Tr. de Lithiasi* distinguit, refert *symptomatum concursus*, cùm *apoplecticorum* instar & jaceant, atque in vitam revocandi sint ægri. *Probabilior* tamen ferè videtur sententia, revera *suffocari ægros tales*, & ex *alteratione* subitanea *sanguinis* per pulmones circulati, hinc [illegible]*uum vitalium* inchoata *extinctione*, & continuati radii cum [illegible]bus

 anima-

animalibus *interruptione* omnia ista mala oriri videantur. Id, quod hoc ipsum confirmat, est, quod in tali aëre quilibet △is statim extinguatur: Jam vero ex experimentis *Majovv. Tr. de* ⌒ *⦶i aëreo*, & *Boylei in sua machina* constat, parilem aëris ad △m & vitam animalium esse necessitatem; & ut aëris alteratio aut defectus subitò △m extinguit; ita etiam vitam tollit. Quod cum fiat *ob aeris vitium*, revera *ob respirationem* plus minus *vitiatam tales ægros lædi* apparet. Percipiunt tales ægri *angustiam præcordiorum* quasi *suffocatoriam* mox in principio, non quasi aër crassus pulmones nimis repleat; aut ex crassitie respirationi ineptus sit: sed mox videntur suffocari ægri, quoniam ex hostili præsentia aëris vitiati inspirati pulmones & thorax se stringunt, ac minus pro admittendo aëre se dilatare volunt: hinc mox sub primo talis aëris inspiratu *pectoris angustia*; vitiato postmodum sanguinis fermentativo motu ac superveniente spirituum vitalium subitâ eclypsi, adeoque *syncope*, etiam *spirituum animalium* deficientia in motu, indeque *vertigo, sensus & motus abolitio*, propter interruptum summè necessarium radiosum ⌒uum nexum: pari ratione atque suspensis, eô ipsô, quo constringuntur carotides, mox eadem symptomata superveniunt, propter interceptam ⌒uum continuitatem. Interim tamen adhuc dubium restat, quomodo hic gas inspiratus sanguinem atque spiritus in pulmonibus alteret? Sanè motum fermentativum sanguinis instar motus △ei mox extinguere ⌒us vitales figere manifestum est: Sed qua vi hoc præstent, quæritur? nam *sanguinis coagulatio*, quam alii hic incusant, minus satisfacit: *Gas carbonum* equidem videtur acidum, cùm in carbonibus sit 🜍 simile minerali, beneficio lixivii eliciendum, (vel alcali fixo) qui dum in combustione resolvitur, non dubito sic spiritum acidum eructare, à quo sanguis queat alterari. Minus plana res est de *Gas liquorum fermentescentium*, in quibus id, quod exhalat, revera est de ⊖e volatili. Dubium tamen est, an magis obtineat vim *sanguinem coagulandi*, an vero *spiritus* quasi *inebriandi & figendi?* adeò ut motus operandi talium *gas sylvestrium*, utut præsentaneus, sit tamen adhuc obscurus.

Tertia causa in musculis & nervis hæret. Hinc etiam forti *apoplexiâ* tacti instar strangulatorum suffocati intereunt, propter deficientem thoracis & pulmonum motum: sed præterea quoque in *syncope*, deficiente sanguinis & spirituum in pulmonibus motu. Tandem propter nervorum cessantem motum ex ⌒uum animalium defectu lethalis *suffocatio* supervenit, qui modi sunt ex *nervorum resolutione*.

Contrarium vitium *nervorum* est, quando *suffocatio* fit ex *convulsione nervorum*, quales sunt, quas patiuntur *hystericæ*, in quibus nervi paris vagi ac intercostalis spasmo affecti, ut pleraque viscera abdominis, ita in specie musculos

musculos thoracis ac laryngis constringunt. Hinc enim est, quòd *hystericæ* percipiant *angustias faucium*, quasi laqueo strangulentur, ex *spasmo* nempe *musculorum laryngis*. Conf. *Willis. in Anat. Cerebri c.* 10. Sicuti ex *convulsione laryngis* natæ *suffocationis* singularem etiam historiam refert *Bartholinus cent.* 4. *epist.* 454. Ex *venenis* nonnullis assumtis, in specie ex *fungis*, ob id dictis *strangulatoriis*, subindè imminet *suffocatio*; quæ similiter videtur originem ducere & simili convulsione *laryngem* aut *diaphragma* afficere. Facit huc etiam observatio *Plateri pag.*171. *l.*1. *observ.* de imminente suffocatione in coitu. Notum vero est, quod *congressus* rectè appelletur *parva epilepsia*, propter quasi *convulsionem* quandam, quâ in tali actu afficiuntur nervi; unde ex simili *convulsivo impetu nervorum*, thoracem moventium talem *suffocationem in coitu* natam fuisse probabile est.

Quoad *Curam*, variat hæc, pro caussarum antecedentium ratione. Quando *viæ* sunt affectæ, ut non transmittant, eorundem *impedimenta* sunt *removenda*. Sic v.g. *suspensis laqueus* solvendus, *vena* secanda, *frictiones* artuum instituendæ, ☉osa liquida infundenda, in *loco calido* seponendi. Conf. *methodus revivificandi suspensos* in *Wepfero Tr. de loco affecto in apoplex. pag.*182. Item *Barthol. cent.*2. *epist.*96. *p.*717. *Horst. lib.*11. *observat.*9. Quòd si *in faucibus* hæreant *boli*, *descensus* eorum promoveatur *concussione in dorso*, ac propinentur *incidentia & lubricantia*. v.g. *Forestus loc. supra citat. suffocationem* imminentem *ex frustis pomorum* curavit per lambitionem *oxymell. squill.* incisis sic frustulis, & sponte ad stomachum delabentibus. Sic *frustum carnis fumo indurata* in gula hærens, per lentam *cassiæ* deglutitionem ad ventrem promovit. Item ex potu 🜄*is* fauces ferè occlusæ, exhibitâ *mucilagine Cydoniorum* in potu curatæ: vel in graviori malo imitemur *Platerum observ. p.* 386. qui ex *officulo gulæ infixo*, unde *dolor* & *ardor*, & per consensum laryngis *spirit. angustia*, per *cataplasma maturans & suppurans* applicatum facta suppuratione & cum pure officuli excretione curavit.

. *Sanguis stagnans* vel *venæsectione*, corporis *quiete*, vel internis *sanguinem* plus minus *attenuantibus*, & *liberiorem motum* ipsi conciliantibus, in debitum motum restituatur. *Sub aquis suffocati*, ut restituendi sint, docet *Helmont. Tr. de mens idea*, §. 50. Item *Bartholin. cent.* 6. *histor.* 68. nempe elatis pedibus inclinato corpore concutiendi sunt, ut 🜄 effluat; omnium optimè opus explicat *Albinus in Tr. peculiari.* Nempe spes restitutionis deficit, 1. So sie durch die Nase oder Mund bluten. 2. So sie den Mund / wie die Sterbenden / offen haben / &c. Hisce enchiriſibus addatur methodus *Borelli*, qui suffocatis talibus *panis assati micas* 🜄 calidè imbutas admovet, easque sæpius repetit, & hinc, ubi reviviscere incipiunt ægri, pro alteratione corporis

interna

interna corrigenda imitemur *Forestum l.15.observ.26* propinando *decoctum flor. chamom. in cerevisia* factum, *evocando* in lecto *sudorem*, qui ipse citato loco *puellam*, 2. annorum in *aquam Saponariorum* delapsam ferè morituram *leni vomitu* curavit.

Qui ex *fumo carbonum, aëre cellarum* aut *puteorum*, *suffocati* videntur, iis inprimis convenit *vomitorium*, tam præmittendo, quam permiscendo simul *aquis & potus* ~*osos*, & quidem *in majori* longè *dosi* danda sunt *vomitoria* cùm difficulter talibus exhibeantur ægris. ~*osa* tam præmittenda, quam intermiscenda sunt, ▽, ~ *theriacal.* ▽ *a apoplectica*, & simul etiam *sternutatoria* insufflanda sunt naribus: item *in aërem* exportandi sunt ægri, *os* diducendum, continuò *ventus* faciendus, facies crebrò *frigidâ* adspergatur, *acet.* naribus admovendum: Refert enim *Nardius in noctib. Genial. p. 1. pag. 76.* à *fumo carbonum*, semi-mortuos solô calidô vapore *aceti* suscitatos. Item *castoreum cum aceto* admoveatur naribus, vel *acetum rutaceum*, aut ▽. *hirundin. c. castoreo.* An *larga venæsectio* conducat ad imitationem *Panaroli* ferè dubito, nisi forsan in *plethoricis* aut *obesioribus*, in quibus naturâ tardior est sanguinis motus, pro hoc melius promovendo conducat, sive locum inveniat. Vid. in *Panarol. cit. loc.* Plura de his vid. in *Sennert. lib.1. prax.* ubi *de Caro, p.656.* item *Schenck. ex Paræo pag.217. l.2. observ.*

Denique in *suffocatione convulsivâ* eadem conveniunt, quæ in *passionibus hystericis & epilepticis*, in specie *castorina* & ⊖ *ia volatilia.* Sin *ex fungis* sit malum, horum alexipharmacum est *oxymel. squillitic.* vel solum, vel cum *theriacâ* propinandum, præmisso, pro circumstantiarum ratione, *vomitorio.* Confer. *de fungorum medela Timæus in casibus p.311.* Item *Panarolus Pentec. 3. observ.45.*

Depravata inspiratio, sive ea, quæ fit cum *difficultate*, & non rarò insigni *anxietate*, ac in qua subindè imminere videtur *suffocatio*, dicitur DYSPNOEA, cujus *primus gradus* dicitur *Anhelatio*, aliâs simpliciter, secundus dicitur ASTHMA. Tertius ORTHOPNOEA, quia tales corpore erecto, sublatis alis, & admodum expanso corpore respirare nituntur. Quorum *Orthopnœicorum* erectam respirationem eleganter describit *Helmont.* Tr. *Catarrhi deliramenta §.45. lit.P.* Nam simul ac tales *Orthopnœici* incumbunt dorso, suffocatio imminet, unde surrecti manent, quò levamen percipiant.

In genere *Causa* omnis *Dispnœa* est *deficiens admissio*, & *reciprocatio aëris*, propter expansionem vesicularum plus minus deficientem, unde anxietas & suffocationis periculum, sive pulmonum, sive thoracis, sive aliarum

partium impedimento hoc ipsum eveniat. Melioris doctrinæ ergò *asthma* secundùm *Willis* & *Helmont.* dividam in *humidum & siccum*, sive ut aliàs vocantur, *manifestum & occultum*. *Manifestum* sive *humidum* est, quod à *materia vitiosa* movetur, ita ut ab ejus præsentia, motu aut occasione oriatur; ab ejus vero remotione iterum cesset. *Asthma* vero *siccum* sive *occultum* est, quod *citra* præsentiam *materiæ* talis oritur, undè & sine sensilis materiæ excretione cessat. *Asthmatis humidi* sedes est, prout materia vitiosa movetur, vel in *pulmonibus*, vel in *stomacho*.

In *pulmonibus* est vel *mucus viscidus*, ut plurimum, ex deficiente naturali, ac depravata præternaturali, pulmonum nutritione natus: vel *pus*, *in vomica*, *abscessibus pulmonum*, *empyemate*, *phthisi*: vel *serum copiosius*, inundans pulmones; vel *sanguis in motu* per pulmones plus minus *impeditus*, *vel* ob abundantiam, *vel* ab acido coagulationem, *vel* ob nimiam turgescentiam, & quasi ebullitionem, *vel* ob vitium cacheɑicum. In *stomacho* vero & in *primis viis* est vitium, si *muco crudo* & indè natis *flatibus* obsideantur, item, si ab *hydrope* abdomen nimis occupetur. *Siccum* sive *occultum asthma* fit vel ratione *conformationis vitiosæ* in gibbosis: item, ob *cruda tubercula*, *grandines*, *calculos*, bronchia obsidentes, *deglutita* illa obstruentes; item, propter *deficientem* pulmonum *nutritionem*, indeque horum *corrugationem* & *exsiccationem*, sive ratione *convulsionis nervorum* & *musculorum* respirationi inservientium, diaphragmatis, laryngis aliorumque: vel denique ratione *fibrarum* propriarum *pulmonum* nimis strictarum, ac contractarum vesicularum dilatationem impedientium, idque coincidit cum *caduco pulmonum Helmontii*.

Specialiùs paulò hæc explicanda veniunt. *Asthma*, quod fit ex *vitio pulmonum*, & ut plurimum intelligitur sub *asthmatis* mentione, est vel per *epigenesin*, vel per *metastasin*. Per ἐπιγένεσιν, vitio nutritionis propriæ depravatæ: per μετάστασιν, vitio materiæ ex sanguine vel immediatè, vel ex alio loco, mediante sanguine aut lympha ad pulmones depositæ.

• Per ἐπιγένεσιν igitur *fit asthma*, quando vitio *vel* aëris, *vel* aliorum inspiratorum v.g. in metalli fodinis, fossoribus, *vel* alia quacunque ratione lædunt pulmones, ut vitietur eorum digestio præfata ac nutritio, cujus effectus est coacervatio succorum crassorum, viscidorum, aut simili vitiosa qualitate præditorum, qui vel in proprio pulmonum parenchymate, vel in eorum bronchiis hærentes aëris reciprocum motum impediunt, undè *Asthma*. Par ratio est, quando ex *vitio lymphæ catarrhali* aspera arteria læditur, excoriatur, aut alia ratione nutritio ejus propria vitiatur, undè alimentum ejus pervertitur, & in succum vitiosum ac mucilaginosum degenerat. Nempe hoc est, quod *Petr. Joh. Faber* in *Patholog.* tradit, nempe, *excrementa* in pulmone ab ejus alimentis

sequestrata & *abundantia* esse *causam grandinis* vel *lapidis*, ♀*ig*. *coagulati*, si *indurescant*: quod si vero adhuc sint *liquida*, oriri *asthmata*, *tusses* & *catarrhos suffocativos*, si scil. liquidum hoc excrementum in lentam, gypseam & vitream mutetur viscíditatem, *verum* produci *asthma*. Fieri hoc solet inprimis iis, qui in *mineris metallicis* sunt occupati, aut qui mineralia, ⊽*tes*, ♁*ialia*, ☿*alia* tractant, quorum inspiratum Gas sive fumi maligni cum aëre hausti ita depravant digestionem pulmonum, ut loco assimilationis alimenti proprii hoc ipsum degeneret in excrementa varii generis, vid. *Helmont. Tr. Tussis & Asthma.* §. 44. Pertinent huc simili ferè occasione geniti *abscessus* & *vomicæ pulmonum*. Sic *Dodonæus*, & ex eo alii authores, refert in *observationibus* exemplum *asthmatici mortui*, cujus in pulmonum inferiori sede reperti sunt *abscessus* duo, à quibus inundati pulmones materiâ purulentâ, *asthma lethale* induxerunt. Hinc & *Phthisici* ut plurimum *Dispnœâ* laborant, propter *pus*, quod vel unum alterumve pulmonum latus occupat; vel in *empyemate* in thoracis cavo fluctuat.

Per μετάστασιν fiunt *humida asthmata pnevmonica* variis ex causis: v.g. dum *febres continuæ* interdum solvuntur *per decubitum in pulmones* materiæ in sanguine coctæ, cujus copiosa rejectione, præsertim mediante tussi, omnia postmodum levantur mala. *Serum* pariter, vel præternaturaliter in corpore retentum, vel ejus medio excernenda alia in corpore retenta, laudabili conatu intra pulmones seponuntur. Ipsum sanè *serum suppressum asthmati* dare originem luculenter patet ex *Rhodio cent. 2. observ. 27.* ubi refertur *orthopnœa ingens ex sero sanguinis* per excretionem 36. ℔rarum urinæ intra 24. horas levata. Imò *ipse sanguis* non saltim quacunque occasione *in cavum pectoris effusus*; sed quacunque ratione *in suo motu impeditus*, ac in vasis pulmonum *stagnans*, aut etiam *impensius* subindè *ebulliens* aut *turgescens* asthma & orthopnœam infert. Conf. *VVillis. Pharm. rat. p. 2. pag. 239.* Hinc enim post motum vehementiorem quasi *naturaliter* sumus *asthmatici*, quoniam sanguis rapidiùs per vasa raptus, vix tam promtè per pulmones ex dextro ventriculo in sinistrum cordis potest moveri, quin nonnihil subsistat in pulmonibus. Hinc observamus etiam, quod mulieribus, quibus *suppressi* ⊠*es*, viris item, quibus *suppressæ hæmorrhoides*, item *cachecticis* quibuscunque ex levissimo corporis motu supervenit *Dispnœa*, quoniam in illis sanguinis excretio suppressa, sub levi corporis motu, circulum per pulmones sui quodammodò sufflaminat. Hinc etiam *talium suppressionum occasione* non raro *sputum sanguinis* supervenire solet.

In his verò *Cachecticis* nempe alia est ratio: Horum enim sanguis crudus, ex cruditate ventriculi acida, diutius in pulmonibus hæret, ob tardiorem

rem ab aëre alterationem, & propter glutinosiorem paulò consistentiam, ratione quorum non nisi lento motu per pulmones circulari potest: Unde, celeriùs moto sanguine sub corporis motu, facilius circa pulmones subsistit, atque *dispnœam* infert. Forsan huc pertinent *terrores* propter similem sanguinis in pulmonibus stagnationem ad *asthma* disponentes. Sic enim *Forest. lib.* 16. *observ.*10. *orthopnœam lethalem ex terrore subitò* concitatam notat. *In genere* quicquid sanguinis circulum per pulmones quocunque modo sufflaminat, *asthma* infert. Hinc ex *materia viscida* in auricula cordis sinistra *coagulata dispnœam lethalem* notat *Riverius cent.*1. *observ.* 82. Pertinet huc *potus subitaneus frigidæ*, aut *lotio corporis frigida* sub nimio æstu. Sic enim *Rulandus in thesauro pag.* 112. ob *copiosum haustum frigidissimæ aquæ* ob ingentem sitim, ab intenso caniculari æstu excitatam, *spirandi difficultatem extremam jamjam suffocantem* observavit, per vomitum ▽*æ benedictæ* subitò restitutam. Conf. etiam *Gabelchof. cent.*2. *cur.* 17. & 18. Tandem & *hydrops pectoris* asthmata gravia inferre solet.

Ex modò dictis duo notanda veniunt: I. *Sanguinem, lympham, serum*, aut *materiam vitiosam quamvis*, quæ in pulmonibus talia asthmata inferunt, non destillare ex capite, sed solummodò ex vasis, vel sanguifluis, vel lymphaticis, eò inferri, sive fiat immediatè, sive mediatè, *alimenti* scil. vel *degeneratione*, vel *lymphæ alteratione*. II. *Asthmata* hæc *humida* eò esse vel *graviora*, vel *pertinaciora*, quò magis materia peccans acrimoniâ suâ, aliâve pulmonibus inimicâ impressione, hos, aut asperæ arteriæ ramos irritârit, ac ita eorum fibras ad pertinaciores sui constrictiones stimulaverit. *Asthma humidum* vitio stomachi ac primarum viarum subindè reperitur in iis, quorum stomachus reperitur infarctus materiâ crassâ, flatibus generandis aptâ, quæ ubi fuerit quacunque occasione commota, ut incipiat turgescere, & quasi inflari, gravia dat *asthmata*, per paroxysmos subindè affligentia; partim quoniam nimiâ ventriculi distentione impedit motum diaphragmatis deorsum, ad pulmonum dilatationem summe necessarium; partim quia ipsum diaphragma quodammodò in consensum trahitur, ex irritatione ventriculi, unde illius convulsio, & hinc vitiatus sub respiratione motus sequitur, adeò ut frequentissima sint *asthmata*, *ex stomacho* sæpius, sed malè *pectori* dicata. Sic pertinent ferè huc ista exempla, quæ *vomitu* fuere curata. v. g. *Timæus in Epist. pag.* 122. asthma contumacissimum, nullis cedens remediis, tandem vehementi provocato vomitu curatum refert. *Sylvaticus cent.*2. *consil.* 49. refert asthma singulis noctibus recurrens cum suffocationis periculo, à quo non prius æger fuit immunis, quàm succederet sponte vomitus assumtorum & materiæ pituitosæ: ut taceam alia exempla.

Et tales *stomachi vitio asthmatici* & *stertorem* in faucibus, & *tussim*, & hujus medio *materiæ viscidæ excretionem*, subinde habere observantur, non secus ac ii, qui ex pulmone asthmatici sunt. Ac sanè verissimum est de omni asthmate humido pituitoso, tam pulmonali, quam stomachali effatum *Gabelchoferi cent. 4. observ.* 20. annotatum: Quicunque *asthmati* sunt obnoxii, ferè habent ventriculum frigidum, imbecillum, flatulentum, hepar calidum, renes obstructos, quę omnia ad asthma conferunt. In talibus asthmaticis ex vitio primarum viarum sæpius etiam conjuncti sunt *flatus*, qui multùm ad *dispnœas* conferunt. Sæpius in *scorbuticis* & *hypochondriacis*, post pastum præsertim vespertinum, difficillimæ oriuntur *dispnœæ*, quæ non nisi ex *vitio digestionis*, & indè *copiosis* genitis *flatibus* originem ducunt. Imò novi *scorbuticos*, qui quando post pastum vel haustulum vini capiunt, brevi *asthmatici* fiunt. *Asthma* tale *à flatibus & ex hypochondriis* dicitur *Riverio Asthma nothum*, & existimo unum ex *signis* certissimis *mali hypochondriaci*, quando post pastus, & interdum etiam matutino tempore, conqueruntur de *difficili respiratione*, propter impedimenta circa hypochondria, quæ oriuntur partim à *flatibus*, partim à *materia viscida* in stomacho & vicinis regionibus hærentibus.

Hydropici deniq; *confirmati* tandem etiam fiunt *asthmatici*; *partim* propter liberum Diaphragmatis motum impeditum; *partim* propter distentos musculos abdominis, thoracis dilatationem & sursum versus elevationem sive sublationem impedientes; *partim* propter copiosius retentum serum, crasin sanguinis vitians, & acrimoniâ suâ pulmones nonnihil vellicans. Hinc enim & *tussiculosi*, tandem redduntur *hydropici*.

Alterum asthma, ab *Helmont.* vocatum *siccum*, est, quod citra materiæ sensilis cujusdam accessionem aut recessionem, aut excretionem paroxysmum & inchoat & finit. *Asthma* tale vocat *Helmont. caducum pulmonum Willis. in patholog. cerebri de morb. convulsiv. c.* 12. It. *Pharm. rat. part.* 2. *p.* 240. *&c.* vocat hæc *asthmata convulsiva*: *Lindanus* in *MS. asthma* tale *siccum crambum* sive *convulsionem diaphragmatis* appellat. Nulli latitudinem affectus debitè exhauriunt. Sanè legi merentur observationes & historiæ, quas habet *Helmont. Tr. Asthma & Tussis*: at apud Veteres altum est de his silentium, quoad theoriam: utut, qui attentè practicos legit, plurima inveniat exempla *asthmatum* tam *occultorum* quam *manifestorum*. Interim omnes Veteres Practici, *Helmontio* & *Willisio* excepto, suâ hypothesi falsâ præoccupati de infarctu pulmonum, in omni asthmate necessariò demonstrare nituntur, asthmata talia oriri ex flatibus in pulmonibus genitis, utut interdum videntes difficultates, ultrò fateantur, se non posse sufficienter explicare. Asthmatum talium exempla inveniemus in *Pisone*, *Tr. de morbis à colluvie serosa*: Et ni-

titur eorum originem demonstrare ex sua hypothesi per *serum*, sed frustraneo conatu. *Platerus in observat. p. 361.* cùm videret, quod non possit conciliare talia exempla cum infarctu pulmonum, dicit oriri ex *Catarrho*, qui subitò ex capite in pulmones derivetur. *Joh. Colle Tr. Cosmitor Medicæus, p. 159.* simile *Helmontianis* refert exemplis, ubi fateri tandem cogitur, oriri tale asthma *à pravo motu pulmonum* & *constrictione*, sive *à flatuum & fuliginum copia.* Ipse *Sylvius* talia asthmata *ex vaporibus & halitibus*, ex intestinis oriundis & pulmones replentibus, derivat. Multa & varia talium asthmatum exempla vid. in *Schenck. observ. p. 34.* item apud *Marcell. Donatum, in histor. medica mirab. lib. 3 c. 12.*

Jam ut pateat, quid sentiendum sit, liberè pronuncio, me nec præcisè facere cum *Helmontio*, nec cum *Willisio*. Notum est, hypotheseos *Helmontianæ* fundamentum falsissimum, quod pulmo nullo modo moveatur, sed saltem sit cribrum, per quod trajiciatur aër: unde tale *asthma siccum* vocat *caducum pulmonum*, id est, obstrui & occludi in eodem pulmonum poros, per quos aër transire debeat, quibus occlusis, tale sequatur asthma. *Willis* è contra in *Pathologia Cerebri, de morbis convulsivis* peccat in excessu, dum *proprios* pulmoni *nervos*, & *proprium* iisdem attribuit *motum*. Unde pulmonibus convulsis, inquit, & sursum ad fauces quasi protractis sequitur tale *asthma*; unde dum *Willis* à convulsione pulmonum hoc malum derivat, non admittendus est: Videtur tamen seipsum postmodum correxisse, dum *in opere posthumo*, nempe *part. 2. pharm. rat.* ubi *de asthmate*, de tali pulmonum motu nil memorat, sed saltem in nervis & musculis convulsis acquiescit.

Res ut pateat, consideremus *tria*, quæ ad legitimum *pulmonum motum* & hinc *aëris reciprocationem* faciunt. I. Legitima partium mechanica conformatio. II. Musculorum instrumentaliter moventium, & nervorum, musculorum motum, mediante [illegible]uum animalium influxu, dirigentium constitutio. III. Observandæ sunt fibræ ipsæ nerveæ pulmonum, tam membranæ, undique pulmones cingentis; quàm aliæ ad ipsas vesicas pulmonales, pro istis ritè colligendis, hinc indè dispersæ, quæ fibræ, pro fibrarum natura, motu saltem contractivo erunt instructæ, adeoque constringere saltem & coarctare vesiculas pulmonales, sed nulla aliâ ratione movere poterunt. Nempe de his fibris in *Epist. ad amicum* refert *Malpighius* in pulmonibus unum observari non indignum consideratione. In ranis enim & lacertis exterius reticularis adest plexus ex carneis fibris, ita ut sit mirus musculus, comprimens singulas cellulas pulmonis, & in testudine, præcipuè interius, etiam hujusmodi reticularis musculus mirus observatur. Idem etiam plexus carneus circa pulmones in reliquis perfectis animalibus patet, si extremitates lobulorum

turgidæ adhuc & molles perlustrentur, tunc enim caro aliquantulum rubet & turget. Conf. etiam quoad has fibras *Lamzvvaerde Tr. de Respir. Svvammerdam. expiration. p.35.* Ac sanè ab his fibris caducus iste pulmonum *Helmontii*, vel eorum spasmus rectius derivari videtur.

Secundùm tria hæc considerata, etiam *triplex asthmatis sicci* oritur *differentia*. I. Ea, quæ fiunt *vitio conformationis:* v.g. quando fiunt asthmata propter crudum *tuberculum*; aut propter *grandinem*, aut propter *calculum* in pulmonibus enatum; aut propter alia *concreta præternaturalia*, sive in parenchymate pulmonum, sive in bronchiis pulmonum hæreant. Conf. *Forest. lib.16. observ.10.* item *Helmont. tract. sæpius allegato.* Sic à *scirrho pulmonum asthma. M. A. N. C. Ann.3. pag.474.* à *calculis* asperam arteriam externè comprimentibus *asthma lethale* notat *Kerkring. Spicileg. observ.72. &c.* Notum porrò est, quod *gibbosi* ut plurimum sint *asthmatici:* item *Sterni* ac *Costarum notharum* vitiosa conformatio, cujus rei exemplum vid. in *Schenck. observat.* Facit huc *deficiens pulmonum nutritio*, unde pulmones aridi & flaccidi redditi instar membranæ exsiccatæ corrugantur, ut minus expandi queant. de quo vid. *Sylvius l.1. Prax. c.24.* item *c.22. pag.302.* Quò etiam disponit crebrior *Nicotianæ fumus*, immediatè afficiens pulmones, eosque plus minus ad atrophiam disponens, non vero caput immediatè alterans.

II. Sunt *asthmata convulsiva* in specie sic dicta, quæ fiunt ratione *nervorum*, musculos respirationi inservientes ad spasmos & convulsiones adigentium. Sanè sæpius miror, quare veteres non viderint thoracem moveri per tot & tam insignes musculos, nullumque respectum ad hos ipsos habuerint. Creberrima hæc sunt asthmata, eorumque exempla imprimis in *Helmont.* & hinc in *VVillisio* cit. loc. possunt videri. Exemplum *Dispnœæ* talis manifestum est, quod vexat eos, qui *subluxationem vertebrarum dorsi* patiuntur, qui quasi cingulo circa costas nothas constricti, difficulter admodum respirant, propter *nervos* ex vertebris subluxatis prodeuntes nonnihil compressos, & hinc *sensilius irritatos.* Pertinet huc observatio *Thoneri l.2. obs.1. pag.94.* qui notat *orthopnœam cum suffocationis periculo* ob *faucium summam constrictionem*, cum aliarum partium *convulsionibus*, excitatam occasione *vermium intestinorum.*

Pertinet huc *asthma muliebre* sive *hystericum*, ac in viris *hypochondriacum.* Sæpius namque mulieres hystericæ insignem patiuntur spirandi difficultatem, quæ revera fiunt à *convulsionibus* vel *diaphragmatis*, vel *musculorum thoracem moventium*, vel *musculorum laryngis.* Partes hic affectę revera sunt *musculi respirationi*, ac præsertim *inspirationi inservientes*; sive

sint

sint *diaphragma*, sive *thoracis musculi externi*, aut *intercostales*, sive *musculi laryngis* ac *faucium*. Vitium hic hæret in *nervis*, ubicunque etiam in suo tractu afficiantur, sive in exortu in cerebro & cerebello, sive in progressu circa plexus, sive denique in ipsis musculis, quibus inseruntur. Confer *VVillis. pharm. rat. p. 2. p. 241.* Illustre exemplum *asthmatis* talis *convulsivi vitio nervorum* circa suum exortum affectorum vid. in *Hobokenio* in *Anatome Secundinæ pag. 214.* Ex *plexibus* vero *affectis*, sive *superioribus* circa pectus, sive *inferioribus* in abdomine oriuntur *asthmata hysterica* dicta. Quæ denique ex ipsis musculis affectis fiunt, pro musculorum varietate diversa sunt. Puerum observavi 11. annorum, qui quavis vespera, præsertim à pastu, tàm crebrâ ac violentâ respirationis inordinatione, præsertim creberrimâ sed imminutâ inspiratione afficiebatur, in quo malum saltem oriebatur ex *diaphragmate affecto*; idque, ut videbatur, per consensum ventriculi; nam vomitorio propinato ferè in totum cessavit malum. Admodum autem *multiplex varietas* in hujusmodi *asthmatis convulsivis*, observabilis est, idque *duabus* inprimis *ex causis*: I. Propter texturam & tractum, sive distributionem planè singularem *nervi intercostalis* & *paris vagi*, qui præsunt membris ac partibus colli, thoracis & abdominis, qui nervi, ultra mirabilem sui distributionem, & pluribus plexibus hinc indè diversimodè sociantur, & hinc per consensum mutuum varios *Spasmos* etiam remotioribus in locis excitare valent. Qua ratione & *Nephriticos* quosdam *difficiliore respiratione* laborantes, hinc non rarò *asthmata convulsiva* incurrere, quorum fomes latet in abdomine, ibidem afficiens nervos, ex quorum consensu thoracis pathemata, ut in hypochondriacis notum est. II. Est *varietas musculorum* duplici motui *dilatationis & constrictionis* tam laryngis, quàm thoracis inservientium, & tam in anteriori, quàm posteriori thoracis parte situatorum unà cum diaphragmate, qui omnes & variam structuram, & distinctum motum, & hunc vel dilatationi, vel constrictioni thoracis inservientem, cùm obtineant, mirum non est, tam insignem varietatem circa *asthmata convulsiva* observari.

Causa horum *asthmatum convulsivorum*, quæ nervos afficiendo talia mala producit, est *acidum vitiosum* nervis inimicissimum, quocunque in loco nervos vellicârit. Hinc *hypochondriaci* & *scorbutici*, & similes crebrius *talibus asthmatis* solent affici, non secus ac ii, qui *inunctionibus Mercurialibus* pro cura *luis* ♀*eæ* malè sunt tractati, aut sub ipsa curâ aëri incautius se exposuerunt, his subindè nervorum impressionibus vitiosis *asthmata convulsiva* sunt familiaria.

Pertinent pariter huc *arthritici confirmati*, & in quibus vel rarius,

vel difficilius *paroxysmi podagrici* superveniunt: In talibus *hujusmodi asthmata* solent supervenire. Exemplum referam: Vietor senex sæpiùs aliàs *arthritide* afflictus, cum paroxysmi hujus requiem concessissent, sensim *difficilis* supervenit *respiratio*, qui interdiu erat tolerabilis: Edebat moderatè, satis interdiu erat vegetus, sed post cœnam cùm cubitum ivisset, nunc imminente somno, nunc cùm unam alteramve horam dormivisset, ex improviso *anxietates præcordiorum suffocatoriæ* superveniebant, unde, nisi suffocari vellet, mox cogebatur è lecto assurgere, mensæque assidere erectus, ubi *altam*, *anhelam* & *densam* agebat *respirationem*, idque *per*.3.4. pluresque horas, donec malo successivè remittente, cum tantilla saltem *materiæ viscidæ* rejectione ipse lectum repetere, & securè postmodùm dormire posset. Interrogabatur interdiu exactè, ubi perciperet impedimentum respirationis? monstrabat regionem, quæ circumscribitur costis nothis, in specie hypogastrica, quasi ibid. fortissimè constringeretur. In ipso paroxysmo dicebat, se percipere ein Gurren in abdomine, tandem subitò accidere sonitum quendam singularem in regione epigastrica; Es schnarrte: quo facto, malum breviter remittit, & lectum repetere potest. Tragœdia hæc omni nocte recurrebat, varia incassum fuerunt adhibita; optimum erat, ut post cœnam parcam, ingruente paroxysmo, *theriacæ* vel *mithridatii*, quantum capit cultelli cuspis, caperet, quod paroxysmum vel sufflaminabat, vel insigniter levabat. Interim pro varietate tempestatis vel gravior, vel lenior erat. Tandem cùm post aliquot septimanas *podagra brachii & manus* superveniret, modo dicto paroxysmi cessârunt. *Asthmata talia convulsiva* sæpius sunt *hæreditaria*, non secus ac *morbi Epileptici*: Sunt enim ut plurimum *periodica*, certum tempus recursûs observantes, & ubi cessaverint aliquandiu facilè per multiplices *occasiones externas*, v. g. *per iracundiam*, *mutationes tempestatum*, *&c*. recidivam incurrunt.

III. Observandæ veniunt *pulmonum fibræ nerveæ*, eæque propter obscurum pulmonum motum, non tam sensiles, quam motrices, & speciatim constrictoriæ, propter quem finem & pulmo suis nervis instructus est. Fibræ dictæ prout stringuntur nimis, aut contrahuntur, diversimodè præsertim si irritatæ, convellunt vesiculas pulmonum membranaceas, stringendo angustiores, & pro aëre suscipiendo ineptiores reddunt, adeoque sui stricturâ *asthmaticum pathema* inferunt. Quô sensu ferè conciliari potest *Helmontii* structura pororum membranæ pulmonis aut saltem doctrina, quam huic superstruit, hoc modo intelligibilius explicari potest. Exemplum talis asthmatis quilibet experiri potest in seipso, dum ♀ incensum naribus admovet, aut *butyri* ℥ *ij*, vel 🜄*tis* recentis odorem suscipit: in instanti enim halitum suspendi, fauces & thoracem constringi, ac spiritum intercipi præcipiet;

Constri-

Constrictis nempe occasione inspirati objecti admodùm sensilibus pulmonum fibris, & inde difficili reddita inspiratione. Undecunque igitur irritentur, aut malè afficiantur dictæ fibræ pulmonum, sive sit acidum internum sive externum, eas irritans, corrugans aut constringens, sive sint ♁ *metallici*, sive *aer externus* inclementior aut impurior inspiratus, talè *asthma* exindè oriri potest. *Asthmata* hæc nempe *humida & convulsiva* nunc sunt *solitaria*, nunc subindè *conjuncta*: Ac sanè rarum est humidum asthma, cui non & subindè convulsivum supervenire soleat. *Scabiosorum* huc pertinere videntur *asthmata*, siquidem ex *scabie retropulsa* ordinariò *difficultas respirationis*, interdum *perfecta suffocatio* supervenire solet, *malum* videtur tunc esse *complicatum*, natum partim *à fermento scabiei acri*, pulmonum fibras vellicante, & ita ad fortiores contracturas stimulante: partim *ex sanguinis crasi hinc vitiata*, in debito fermentationis motu ac textura *depravata*, ac quasi *cachectica* redditâ, unde & *asthma pituitosum* simul supervenire solet. Hinc observandum, *materiam rejectam per os* in asthmaticis, interdum esse *causam mali*, nempe in *asthmate humoroso*; interdum verò est *effectus*, nempe in *asthmate sicco* eorum, qui constitutionis sunt succulentioris & humidioris, & quorum sanguis & lympha mollioris quasi ac minùs firmæ texturæ, alterari faciliùs, & in variam formam mutari potest. In talibus enim ex crebriori pulmonum agitatione, & aëris per asperam materiam reciprocatione, subindè copiosior paulo lympha, per glandulas in asperam arteriam effusa, in mucum coit, in paroxysmi convulsivi declinatione ejiciendum. Hinc ulterius in omni asthmate, etiam humoroso, ad *motum thoracis* plus minus *liberum vel impeditum*, semper respiciendum. Nam ratione spirituum, ex irritationis cujusdam circa pulmones sensu, ut plurimum in paroxysmo aliquid convulsivi concurrit, unde & pro hujus ratione plus minus malum intenditur, ac tali ex causa *opiata* interdum leniunt tales paroxysmos.

Notandum ulterius, quod *difficilis* ista *respiratio*, quæ tam in tussi humida in statu, quàm etiam in tussis siccæ principio adest, non est semper, aut saltem non solùm, à *pulmonum infarctu aut catarrho*, aut simili quodam vitio, sed frequentissimè oritur *ex irritatione pulmonū*, & hinc fibrarum eorum contractura, indeque impedita plus minus eorū expansione. *Signum* mihi erat, adesse talem irritationē, quoties æger vel loquens, vel validius inspirans, tussire cogebatur: Nam in talibus casibus, propter crebriorem *aeris reciprocationē* irritati magis pulmones tussim concitabant magis, unde *difficultatem magis ex simplici pulmonū irritatione*, quàm materiæ peccantis coacervatione ortam judicavi: Hinc tali in casu ex *opiatis*, v. g. ex *spiritu salis armoniaci, anis.* cum *essentia opii*, misto, semper levamen observavi, non saltem minorem tussis violentiam; sed etiam liberiorem mox respirationem, vellicationis nempe sufflaminato sensu. Hinc etiam *sensus doloris cōpressivi*, sive *gravativi*, in pectore, sive profundo pulmonum, non semper *à co-*

pia materia, sed sæpius *à fibrarum pulmonalium* in particulari quodam loco irritatarum *constrictione*, quàm compressivus ac gravativus talis dolor subinde insequi solet. Observandum denique & hoc, quando *spasmi* vel *musculorum*, vel *fibrarum pulmonalium* dant *asthmata*, quòd tunc ut plurimum simul & tardior sanguinis circuitus per pulmones esse soleat, adeò ut ex impedito plus minus ejus motu insignis in pulmonibus anxietas, & majus imminentis suffocationis periculum adsit. Ac tali in casu *malarum* ac *faciei rubor*, *vasorum in collo* major *intumescentia*, aut sensilis etiam *arteriarum pulsatio* adesse solet.

Ut ritè *dignoscantur asthmata sicca*, vel *humida*, observandum ulterius, quòd in *asthmate manifesto*, si malum sit à *muco in bronchiis pulmonum contento*, quod *respiratio difficilis* fiat cùm *sonitu ex profundo*, eoque *stertente* & *tussi*, ac *pituitæ* plus minus *copiosæ excretione*, quæ quò magis excernitur, eò magis affectus minuitur. Si verò *materia peccans* sit in *substantia pulmonum*, vix talis adest *sonitus*, nec nisi successivè, idque non adeò copiosè, per tussim aliquid rejicitur. Sin tamen est *vitium humorale*, in pulmonibus aut in ventriculo, *asthma* solet esse *continuum*, quod semel etiam curatum, antequam denuò repetat, successivi incrementi signa prodit. Utut autem sit continuum, subinde tamen exasperatur, idque præsertim vesperi ac noćte, quo tempore omnes ægri asthmate humoroso affecti pejus habere solent: quod tamen omni asthmati ferè commune est, ut vespertino ac nocturno tempore acerbius affligat; item quòd motu corporis semper exasperetur, item quod pro aëris mutationibus melius vel pejus habere soleant ægri.

Quoad *asthmata* verò *sicca*, speciatim *convulsiva*, sine talis *materiæ peccantis*, vel præsentis, vel antecedentis indiciis affligere solent, ac etiam cessare citra talis materiæ manifestam excretionem. Ex improviso enim irruit in ægros, aliàs optimè respirantes, atque & evanescit citra sensile respirationis nocumentum, utut debiles admodum, plus minus tamen ægri esse soleant. Saltem difficile est hariolari, ubi lateat fomes & fermentum, sive spina nervos hostili suâ præsentiâ irritans & ad spasmos provocans. Si vitium in *capite* est, *vertigo* aut alia capitis symptomata præcedunt paroxysmum, aut aliàs ægros adfligunt. Sin verò vitium sit in *abdomine*, in *plexibus mesenterii lienaribus* &c. alia symptomata abdominis vel antecedere, vel conjungi solent in specie, *sonitus*, *murmurationes*, *sensus vermiculationis* in uno alterove abdominis loco, *tensiones hypochondriorum*, &c. Quòd si *diaphragmatis musculi*, *aut loca vicina* sint affećta primariò, *sensus instar zonæ* in ista regione, ubi diaphragma costis annectitur, percipitur ab ægris; Sin *musculi thoracem moventes* afficiantur, conqueruntur ægri in paroxysmo de sensu, quasi universus *thorax* firmiter *constringeretur* ac *comprimeretur*; als wann die Brust zusammen geschnüret würde. Si *laryngis* & *faucium musculi* affećti sint, *suffocationis*, quasi laqueo injećto, *sensum* habent

habent ægri. Sin *pulmo* constrictus primariò sit, inexplicabile quoddam impedimentum respirationis experiuntur ægri.

Quoad *Prognosin.* *Asthmata* omnia sunt *periculosa*, & quidem *inveterata*, sive sint *humorosa*: nam hæc ferè insignem pulmonum læsionem arguunt; sive *convulsiva*: nam talia *epilepticum* in quodam nervorum plexu radicatum *fomitem* præsupponunt. *Rarissimè* perfectè curantur, quod vel levissimo *diatæ* errore subitò recidivent. Tandem omnes *Asthmatici* sub contumacia morbi vel *cachectici*, vel *hydropici* tandem fiunt & moriuntur.

Quoad *Curam*: Hæc vel *in paroxysmo*, vel *extra paroxysmum* instituenda. Denique *Asthma* est vel *siccum*, vel *humidum*. Et tertiò *asthma* est vel *morbus primarius*, vel *secundarius*, v. g. quod affligit *phthisicos* aut *hypochondriacos*, illud *primariò* in specie curandum venit: *secundarium* verò non, nisi paroxysmus aliquis gravius urgeat: Nam morbo sanato, vel sublato primario, & hoc symptoma cessat. *In Paroxysmo* igitur quantum possibile, libera & sufficiens *respiratio procuranda*. I. *Impedimenta*, aëri libero accessum & recessum per pulmones denegantia, *removenda*. (2.) respirationis Organorum *inordinati motus* plus minus *convulsivi compescendi*. I. Ratione *prioris* aëris ambientis ventilatio, erecta sessio, alvi subductio, V. S. potiones sanguinem attenuantes, ejus motum circularem promoventes, viscida pulmonem infarcientia incidentes, spirituosæ, blandè dulces, pulmones demulcentes conveniunt: interdum etiam *vomitoria* utiliter administrantur. 2. *Ratione posterioris* antispasmodica, anodyna, volatilia &c. sunt optima. *Extra paroxysmum* in *Asthmate humido* pro causarum varietate cura varianda. I. *Asthmatis humidi*, κατ' ἐξοχὴν & extraordinariè sic dicti, à viscido muco geniti, *cura* fit 1. per materiam peccantem *attenuantia* & *incidentia*. 2. per convenientes vias vel *tussi*, vel *vomitu ejicientia*; 3. regenerationem, & deinde recidivam *præcaventia*. In quo puncto stomacho inprimis sedulò succurrendum venit.

II. (α) *Pus*, si asthmatis causa, *evacuandum*, vel per *expectorantia*, vel per *paracentesin* thoracis. (β) *Abscessus* vel *ulcus consolidandum*, de quo infra ubi de *Phthisi*.

III. *Asthmata à sanguinis vitio* curantur hæc corrigendo: (1.) per ejus *copiam imminuendo*. vel (2.) *Coagulatū dissolvendo*, de quo, ubi *de casu ab alto*. vel (3.) *vitium cachecticum emendando*, de quo, ubi de *Cachexia*. vel (4.) *solitas evacuationes revocando*, v. g. *menses proritando*, aut, si fieri nequeat, *fonticuli* in regione loci consuetæ excretionis vicini, *inurendi*. (5.) *Turgescentiam* quamlibet, acidum effervescens *absorbentibus*, aut blandè *diaphoreticis*, aut *copiam sanguinis imminuentibus* corrigendo.

IV. Si Asthmatis causa est *serum*, hoc *evacuandum per urinam* vel *sudorem*,

vel *vesicatorium* confestim; vel per *fonticulum* pedetentim. Sin vitium sit in *stomacho*, *vomitoria* & *carminantia aromatica*, ac digestionis vitia, præsertim cruditatem acidam *corrigentia*, conveniunt, ut plurimum *cura methodica* circa *scorbutum* & *malum hypochondriacum* instituenda.

In Asthmate sicco

I. *Conformationis vitia* difficillimè curantur, excrescentia tamen *tubercula* aut *grandines* beneficio *spritus sulphuris per campan.* successivè absumi posse, sunt qui afferunt.

II. *Asthma convulsivum* ex *nervorum* & *musculorum* vitio curabitur, radicitus *fomitem* ejus *corrigendo*, respiciendo præsertim viscus, in quo lateat: in specie *in paroxysmo acidum* nervis inimicum *corrigendum volatilibus*; item *mineralibus antepilepticis* & similibus. 2. *Paroxysmus imminens* suspendendus per *opiata*. 3. Recursus paroxysmi *præcavendus vesicatoriis*, vel brachiis, vel nuchæ, vel femoribus applicatis, pro nervorum vel nidi varietate, etiam *fonticuli* interdum inurendi.

III. Ex propria *fibrarum pulmonalium* strictura natum *asthma curatur*. 1. *Caussam* irritationis, quantum possibile est, *corrigendo* & *removendo*. (2.) *Opiatis* sensum vellicationis *sistendo*. (3.) *Appropriatis* simul *vulnerariis* & *balsamicis* pulmonibus *succurrendo*.

Pro Scopis istis ritè assequendis observandum

I. *Vomitoria* ferè *in quovis asthmate* esse egregia, non saltem in *humido*; sed etiam interdum in *convulsivo*, tam *extra paroxysmum*, quàm in specie *in paroxysmo*. Hinc omnes cordati practici semper in asthmate *vomitoria* usurpant, & subinde gravissimorum paroxysmorum, vomitoriorum propinatorum usu levatorum observationes prostant; nec est, quod exinde metuatur suffocatio. Inanis hic est metus, nunquam tale quid observatum. In *humido* sanè æqualiter haurit materiam *vomitus*, sive in pectore, sive in stomacho hæreat. Unde *pus phthisicorum*, quod in pulmonibus fluctuat, sæpius optimè & feliciter evacuatur per *vomitoria*. Quin etiam *expectorantibus* remediis commodè remedia *vomitoria*, sed in imminuta dosi, possunt permisceri, ut saltim stimulent expectorationem, non autem vomitum inferant. *Exempla vomitoriorum* feliciter administratorum vid. *in Rulandi thesaur-pract.p.*103.109 *112*. 116. 118. item *Plater.l.* 1.*obs.p.*165. *Timæo in Epist.p.*122. *Höferus in Hercul. Medic.p.*118. *Horst.in Problem Decad.* IV. *Q.*5. *Poter.cent.*2.*cur.*16.*&* 46.*cent.*3.*cur.*22. *Hartm.in Prax. chym.p.*134. *River.l.*7. *Prax.cap.*1. In specie etiam convenit *in asthmate sicco*, tam in, quã extra paroxysmũ, ubi radix mali est in hypochondriis vel abdomine, nisi forsan metuenda pathemata hysterica obstiterint. Hinc *secretum* est *Freytagii* ad asthma & Empyema in *auror. Medic. cur.*20. & est *vinum Emeticum Heurnii* ex *Elleboro albo*, quod prostat in *Schrodero, lib.*4.*p.m.*239. Fit ex *elleb. albo*,

si radic.

si *radic.* illius crassè contus. ℥ß. maceretur in lib. j. *vini Hispanici*, exponaturque soli. Hujus semicochlear cum aliis laxantibus exhibitum, alvum sine vomitu movet; cochlearis verò unius mensura vomitum excitat. *Linctibus* aliquot guttæ additæ *empyematis* expectorationes copiosè movent: Hinc præstantissimum ad *asthmata* & *empyema* remedium dicit:

℞. passul. mundat. ℥iv.
liquirit. ras. ℥j.
mell. despum. ℥iij.
sacch. cand. ℥v.
vini Hispanic. ℥vj. bulliant, ut fiant instar conditi, cui tantum admisce *spir. sulphuris per camp.* ut gratum acquirat acorem: Hinc aliquot guttulæ illius *helleborati vini* instillentur. Dentur in ore masticandæ *passulæ*, vel quoties eas in os recepturus est, guttas ij. vel iij. *hujus vini* instilla.

II. Quoad *Purgantia*, hæc in *asthmate convulsivo* minus conveniunt. Quoad *asthmata humida* in nullo paroxysmo conducunt, inprimis *propriè sic dicta*: Siquidem hunc potius exasperant. Facit huc monitum *Scholzii* in *consil.* 92. In *Asthmaticis*, dicit, diligenter cavendum, ne dentur *fortiora evacuantia*, à quibus commoveatur & agitetur materia, ipsæque fluxiones augeantur: Videmus enim homines, alioquin sanos, post purgationem multum exspuere, & emungere nares sæpè, ob motam materiam: quantò magis hoc illis accidere possit, quibus sponte & quidem continuò fluxiones ad pectus moventur. *Post* sedatum *paroxysmum* verò ad præcavendum malum, & reliquias exhauriendas *pilulæ* quæcunque, quibus semper *gummi ammoniacum* est miscendum, conducunt v. g.

℞. mass. pilul. de hier. cum agaric. ℈j.
gummi ammon. in acet. squillit. solut. ℈ß.
Extr. troch. gr. j. vel ij.
c. s. q. spir. anis. F. Pilulæ.

Nec negligendus in tali casu *Mercur. dulc.* cum *scamm. sulphurato* acuatus.

III. *Venæ sectio* per se in *Asthmate* nullum habet locum: per accidens verò ad circulatorium motum sanguinis promovendum subinde necessaria est, v. g. si vel ex primario sanguinis vitio, vel ex accidenti in paroxysmo sanguis stagnat circa pulmones, adeoque plus minus in suo circulo sistitur, ad venæ sectionem properandum, pro liberiori circuitu per pulmones sanguini conciliando.

IV. *Sudorifera* in *asthmate convulsivo*, tam in fine paroxysmi, quàm extra paroxysmum non negligenda sunt. In *Asthmate humido* etiam suum locum habent quodammodò, id quod confirmat *Scholzius supra citato loco*, inquiens: Multùm prodest *sudor*, qui & fuligines & aquositates collectas discutit.

Provocari potest *decocto Guajaci* calidè assumto; Facit quoque ad *expectorationem* & *pituitæ* in pectore *incisionem*. Scio quosdam *decocto ligni* usos pro potu quotidiano in vigore hujus morbi, & alios id saltem loco vini in principio pastus assumsisse, & exinde eximiam opem sensisse.

V. *Opiata* multum conferunt, præsertim respectu paroxysmi: Quando enim nimius spirituum impetus, & hinc inordinatæ pectoris motiones, item quorumcunque in corpore contentorum fluidorum nimius motus ad pectus urgent, optimè his omnibus *opiata* ritè administrata, præsertim *appropriatis* permista multum conferunt.

In *Asthmate* quidem *humido*, quantum materiæ peccantis motum & excretionem sufflaminant, suspecta videntur, cùm magis incrassetur & quasi inspissetur materia peccans. Ad nimiam verò paroxysmi ferociam mitigandam, qui à concitatiori spirituum impetu per accidens quasi exacerbatur, optima sunt. Tutiora autem sunt in *asthmate sicco*, tam ante paroxysmum, eundem præcavendo, quàm in paroxysmo eundem minuendo. Conf. *Willis. in Pharm. rat. part.* 1. *p.* 299. item *part.* 2. *p.* 247. Talia sunt *essentia opii*, *theriaca*, ac *Mithridatium*, *syr. diacod. Montani.* &c. Nempe in quovis paroxysmo asthmatis, tam humidi, quàm sicci, *spirituum impetus*, & hinc concitatior *sanguinis ac lymphæ motus* ad partem probè attendendus, & si nimius, *opiatis* nonnihil sufflaminandus. Docuit hoc Veteres experientia Practica. Hinc *Fonseca*, *l.* 1. *cons.* 85. inquit: *Arculanus* in paroxysmo Asthmatico & difficultate respirandi suffocativa, damnat communem curationem, quæ fit *avertendo materiam*, quæ fluit; quia hic modus curandi agitat magis illam: esse potius *inhibendam fluxionem* iis, quæ *incrassant*, præsertim, si fuerit *tenuis*. Quare exhibet *syrupum de papav. diacodion*, & devenit ad *opiata*: quale est *Philonium Rom. ad* ℈j. quam etiam *Galenus* videtur laudare curationem *catarrhi suffocantis*. Deinde adhibet *cucurbitulas* ad vertebras dorsi & super scapulam, hac ratione (inquit) omnes evaserunt. Illi verò in quibus processit *evacuantibus*, *divertentibus*, & *materiam agitantibus* perierunt, quæ certè verè prorsus proferuntur, ut mihi etiam experientiâ compertum est. Quoad *Philon majus* sive *Roman.* vid. *Zwelff. Animad. in pharm. Aug. p.* 61.

VI. Si oriatur *asthma ex scabie retropulsa*, opera inprimis danda est, ut eadem ipsa iterum efflorescere queat. Pro quo scopo usurpari possunt *essentia fumariæ compos. extractum & essentia helenii*, *extractum theriacale*, *decoctum helenii & fœnic.* ♁ *diaph. cum salibus fixis*. Nisi enim fomes scabiei denuò sub cute defigatur, omnis cura erit frustranea. In quem finem etiam *vesicatoria* femoribus & brachiis applicata optima sunt. Quod si nullo modo possit produci *scabies*, imitandus est *Zacutus Lusit.* qui talem ægrum cum alio scabioso in eodem lecto collocat, ut ab hoc fermentum scabiei hauriat, & ita denuò scabies introducatur.

VII. Si

VII. Si *Dispnœa* oriatur à *subito frigidæ potu* vel *admotione*, præsertim *post æstum*, inprimis conducunt, quæ *sanguinem grumosum* resolvere valent. In quo puncto *succus bellidis*: *acetarium ex bellide* jam supra laudavi. Conf. item *Deodatus in Panth. hygiast. l. 3. c. 22.*

VIII. Si sit *asthma ex fumis metallicis, mercurialibus* &c. nil in ejus cura perficitur cum aliis ad hunc affectum appropriatis remediis, nec expugnatur, nisi *mineralibus & metallicis*, hinc *Mercurius dulcis*, *Mercurialia fixa*, *cinnab.* ♁ *ii*, ♁ *diaph.* &c. saltem in usu sunt. *Horst. l. 7. obs. 25.*

Remedia igitur, quæ ad *asthmata humida*, eaque ex *pulmonum* aut *stomachi vitio*, ac *viscida* plus minus *serosâ materia* aggravata, utpote quæ ordinariò ferè *nomine asthmatis* intelliguntur, conducunt, sunt *incidentia*, *resolventia*, *expectorationem* promoventia &c. In specie *Nicotiana*, cujus *syrupus*, à vi vomitoriâ liberatus, nobilissimum est remedium in affectibus pectoris, exscreatione opus habentibus. Inprimis *Epiphan. Ferdinand.* in sua *hist. medic. mirab. hist. 48. & 32.* hunc syrupum ceu divinum remedium commendat, ad mucum in *asthmate*, ad pus in *empyemate* evacuandum, sed necesse est, ut vis ejus emetica mediante diuturna digestione infringatur. Propterea *Ferdinandus* ita præscribit:

℞. fol. tabaci ℥j. bulliant in
aq. dulcis ℔ ij ad consumpt. medietatis, addendo in fine
malvæ
brancæ ursinæ
violarum an. Mj. coletur & cum sapa misceatur & calidiusculum detur pluries. ▽ item *de peto destillata* est egregia, *essentia peti cum spir. vini* extracta & *melle* excepta, egregium est expectorans. Item *syrupus de peto* ex multiplici infusione paratus, atque sic magis à vi vomitoria liberatus est perquam utilis. Hinc *oxymel de Peto Quercet.* admodum proficuum est. Hinc etiam *Poterio* est basis *oxymellis sui asthmatici, cent. 2. cur. 45.* Alii

℞. vini malvat. vel Hispanici,
Melicrati cocti an. ℔ viij.
fol. tabaci sicc. ℥ iß.
rad. enulæ ℥ iiij.
polypod. ℥ ij. ebulliant. F. *potus* valdè asthmaticis utilis.

Imò solus *fumus Nicotianæ* per tubulum haustus paroxysmum cohibere observatur. Hinc *Gumm. Ammon.* est egregium incidens & expectorans in *asthmate*. Hinc est decantatissima *Brunneri*, quam habet *in consil. 34.* In *paroxysmo* eandem laudat.

℞. aq. hyssop. ℥ iij.
vini Rhenan. ℥ iß.
gumm. ammon. ʒ j. M.

ingrata

ingrata est, sed admodum in *paroxysmo asthmatis humidi* laudata. Facit huc *spiritus Asthmaticus D. Michaelis ex part. ij. viridis æris, gumm. Ammon. part. j. sulphuris* $\frac{3}{4}$ *partis*, v. g. *æris viridis* ℥ij. *gumm. ammon.* ℥j. *sulphuris* ʒvj. *M.* destillentur per Retortam, separetur spiritus ab oleo, rectificetur per alembicum, cui imponatur nodulus *croci*. *Spiritus* hic potenter incidit, attenuat, resolvit: *Dos. gt. 30. vel 40.* aut diluatur cum *spiritu hyssop. essentia helenii*, & fiat mistura cochleatim usurpanda. Nam *D. D. Michaelis* solebat recipere sui *Elixiris pectoralis* ℥ß. & hujus *spiritus compositi* ʒij. M. & dos. gutt. 40. propinabat. Porrò *radix raphani, ari, zedoariæ, zinziber, bryoniæ* conveniunt. In specie *aqua ex raphano recenti* in taleolas inciso, & *saccharo* adsperso, inter duas patinas expresso, potentissimum est *expectorans* & *mucum resolvens*. *Radix ari acris pulverisata* pro expectoratione etiam egregia est. *Aqua sive spiritus radicis zedoariæ* multum confert ad liberandum pectus à saburra, & liberiorem spiritum procurandum. *Bryoniæ radix*, præter vim *laxativam*, specialem habet usum contra *asthmata*, *dissolvit* quicquid *grumosum* & *coagulatum* est in corpore, & pectus liberat. Conf. in specie *Hartmann.* in sua *praxi chymiatr. p. 95.* His addatur *Helenium* optimum *anti-asthmaticum*, quocunque modo usurpetur, inprimis *pulverisatum*, & *cum melle* in *Electuarii* formam redactum, in *asthmate stomachali* multum confert. Hisce addatur *Marrubium, Hyssopus, Calamintha, Rosmarinus* tantoperè à *Borello* laudatus, *cent. 4. obs. 46.* *Crocus* item, uti & *sperma ceti, quod in paroxysmo* à ʒß. ad ℥j in vehiculo *cerevisiæ calidæ* propinatum, mirabile est in eodem sufflaminando. vid. *Timæus in Epist. p. 112. & 116.* item *in Casibus p. 97.* Mirabilis hujus est effectus in *paroxysmo asthmatico*, etiam *atrocissimo*, utut nondum adeò exactè de operandi modo constet. Notæ sunt aliàs *aquæ pectorales & asthmaticæ spirituosæ*, quas inter frequentior est *aqua asthmatica Rudolphi*. Veteres *oxymel, acetum squillitic.* in frequenti habuerunt usu. Hinc & *Riverius cent. 3. obs. 8.* item *obs. 21.* in *paroxysmo asthmatico* multum laudat.

♃. aq. cinam. ℥ij.
oxym. squillitic. ℥j. M.
propinetur cochleatim, præsertim senibus.

Ac sanè *Oxymellia talia* præstant ferè *syrupis de hyssopo, de helenio, de Erysimo Lobelii, de Marrubio &c.* *D. Schönfelder Hist. & curat. 44. p. 174.* Vidi & præsens fui non infimæ notæ mulieri, paroxysmo asthmatico conflictatæ, derepentè suasi, ut sumeret *aceti rutæ*, quod statim supra januam cubiculi in promptu erat, cochlearia ij. & ita quasi miraculo quodam paroxysmus sedatus est. Hisce addatur & *spiritus sulphuris per camp.* qui in paroxysmo egregius est. Sicut aliàs extra paroxysmum crebrior *florum sulphuris* usus pulmonibus optimè confert. In paroxysmo nempe

♃. aq.

℞. aq. hyssop, ℥iiij.
syr. de helen. ℥ij. vel iij.
spir. sulphuris, q. s. ad grat. acid. M.
capiatur crebrius cochl. j.

Quin etiam solus *spiritus sulphuris* cum *aq. appropriata* propinatus ad *attenuandum, abstergendum,* & *tussim expuitione promovendam,* à quibusdam exhibetur.

Vel ℞. aq. flor. rapar. ℥iiij.
cinam. ~os. ℥ß.
syr. de Nicotian. ℥j.
spir. sulphuris q. s. pro subtili sapore acido. M. D.
S. Lufft-Tranck.

Vel: ℞. aq. hyssop.
fœnic.
flor. rapar. an. ℥j.
spir. zedoar. ʒvj.
sulphuris q. s. ad grat. saporem. M. D.

Quibus misturis etiam *gummi ammoniacum* addi potest, nisi sapor molestus fuerit. *Flor. sulphuris* extra paroxysmum pro pulmonum conservatione, atque si læsi fuerint, restitutione usurpantur, nempe

℞. flor. sulphuris
sacchari an. q. v. D.

aut etiam *balsamus sulphuris, terebinth. & anisatus* nobile est in *asthmatibus humidis*, præmissis præmittendis, remedium.

Ex his haud difficile erit, plures concinnare formas. v. g.

Vinum pectorale.

℞. rad. Ireos Flor. ℥j.
helen. ℥ij.
imperator sive
zedoar. ℥ß.
herb. marrub. Mij.
comar. hyssop.
rosmar. an. Mj.
sem. anis.
fœnicul. an. ʒvj.
passul. min. ℥jß.

incisa infundantur *vino*, vel coquantur cum *aqua & melle* pro *mulsa pectorali*, vel cum *aqua*, *aceto*, & *melle* pro *oxymellite squillitico*. Pertinet huc *decoctum Joelis in Prax. l. 3. sect. 1. c. 4.* quo in *Orthopnœa* facilitatem respirationis sæpius restituit:

℞. zedoar. ℥ß.

gumm. ammon. ℥ij.
flor. sulphuris ℥iij.
croci ℈j. contusa coquantur in
hydromellis ℔.j. ad medias.
de quo sæpius patienti propinetur cochl. j.
Vel ℞. Rad. fœnic.
asari.
Ireos Fl. an. ℥iij.
glyzyrrh. ℥ij.
coq. in aq. font. ad casum tertiæ partis
Colaturæ ℞. ℥viij. in quibus dissolve
gumm. ammon. ℥j.
oxymell. squillitic. ℥ß.
Syr. de prass. ℥ij. M.

Nec inelegans est *mixtura Lindani.*
℞. rad. Ireos flor.
flor. violar.
rad. glyzyrrh.
tussilag. an. ℥j.
imperator. ℥ß.
helen. ℥ij.
sem. fœnic.
anis. an. ℥ß.
omnibus crassiusculè concisis affunde aceti acerrimi ℔.j. macera & digere per triduum, Colatur. adde sacch. ℔.ij.
spiritus sulphuris rectif. ℥ij.
vini malvatici. ℔ jß. M.
& serva diligenter. *Dos.* manè & vesperi *cochl. ij.*

N.B. Observandum autem, ne nimis abutamur *saccharo* & *saccharatis*, speciatim *in affectibus pectoris. Saccharum* propter facilem effervescentiam & hinc *flatulentiam*, multos exasperat morbos, quorum radices in primis viis; inprimis *febres*, *scorbutum*, *malum hypochondriacum* deterius reddit. *Pectoris mala*, utut iis familiarissimè *saccharata* præscribantur, in nimia tamen copia potius *aggravant*, viscidiora reddendo excrementa, & putrilaginem & corruptelam pulmonum magis intendendo. Conf. hic *Garencier. Tr. de Tabe Anglica*, item pro scopo expectorandi:
℞. aq. hyssop. ℥iij.
menth. ℥j.
asthmat. Rudolph. ℥vj.

spir. gumm. ammon. cum virid. æris ʒjß·
syr. Nicotian. ℥vj. M. capiatur cochleatim.

Vel:

℞. aq. flor. rapar.
asthmat. Rudolph. an. ℥jß.
oxym. squillit. ℥j.
spir. gumm. ammon. cum virid. æris ʒj. M.

Vel

℞. oxymell. squillit.
syr. de marrubio.
helenio an. ℥j.
gumm. ammon. ʒj. ad ℈iiij. M. D.

S. Lufftsafft auf etlich mahl.

Millepedes denique unum ex præstantissimis *specificis* sunt *contra asthmata.* Communiter quidem ad *asthmata humida* laudantur, non inepte tamen etiam ad *asthmata convulsiva* adhibentur à *Willisio*, adeo, ut fomiti quorumvis asthmatum eradicando videantur convenientissimi. *Lindanus* sane in M. S. super *Hartmann.* in solo hoc animalculo curam perfectam *asthmatis* esse asserit. *Vim* habent *anodynam*, & potenter *diureticam penetrativam, abstersivam*, hincque contra *arthritidem vagam*, item contra *ulcera & fistulas* interno usu sunt commendatissimi, sale volatili nitroso admodum penetranti turgent. *Modus utendi* varius est. Quidam eos pulverisatos in substantia ad ℈j. propinant; alii pulverisatos cum melle miscent, addunt etiam modicum *gumm. ammoniac.* & cum *syr. Nicotian.* ac *hyssopi* faciunt *linctum*, sive potius *Electuarium* &c. Optimus præparandi modus est, si *aselli* linteo inclusi infundantur *vino*, quod *vinum infusionis millepedum* expressum & filtratum singulare est ad *asthma* remedium.

Vel: ℞. vini infus. millepedum ℥viij.
syr. de marrub. & hyssop. an. ℥ij.
Extr. helen. ʒij.
croci ʒß. M. D.

S. Lufftträncklein auf etlich mahl.

Alii in *Asthmate puerorum millepedes vino* cum *croco & cinnamomo* infundunt, & modico *sacchаro cando albo* edulcorant, certissimo, ut dicunt, experimento. Ac *vinum* tale *macerationis millepedum in diæta* loco vini consueti quidam adhibendum suadent. Tentandum etiam aliquando quid *Salivatio Mercurialis in asthmate humido contumaciori* præstitura sit. Occasionem suggerit *Thiermair consil.* 51. p. 146. qui refert *asthma* per *ptyalismum* sive salivationem ex *pilulis* cum *Mercurio dulci* curatum: Sicuti idem *citat. loc. lib.* 2. *p.* 55. refert, quendam *asthmaticum* ex *pediluvio cerevisiæ calidæ*

illicò factum *artheticum*, & ab asthmate liberatum. Quod ipsum confirmat *pediluviorum* usum revulsorium in asthmate, quem quidam commendant. Vid. *Höfer Hercul. Med. p.* 119.

Quoad *asthmata sicca convulsiva* sive *occulta*, medendi rationem jam supra habuimus. Quoad *materiam medicam* observandum est dictum *Helmontii*, quod nempe id, quod *epilepticum adultum* sanat, sanet etiam talem *asthmaticum*, unde *remedia antepileptica* & *antihysterica* tam *fixa*, quàm in specie *volatilia* hîc sunt convenientissima, ut rectè observavit *Willis. in pharm. rat. part.* 2. *p.* 246. quibus subinde de *laudano* aliquid addendum; quod in talibus malis convulsivis nulli cedit remedio. *Vesicatoria* quoque scapulis aut brachiis applicata subindè multum opis præstant, tam irritatione molestâ *spirituum influentium motum divertendo*, quàm *seri acrioris*, præsertim *scorbutici*, talis asthmatis crebriorem *fomitem derivando* aut *avertendo*. Conveniunt igitur *sal volatile*, *succin. C. C. sanguinis humani* ac horum *spiritus*, *castoreum*, atque ex hoc parata remedia. Medicamenta ex *asellis* & *lumbricis*, *cinnabarina* & similia, *sulphura metallica* &c: His remediis utiliter interd. interponitur, interdum præmittitur *vomitus*, inprimis ubi malum hæret in abdomine, nisi *hysterica pathemata* obstaculo sint. Certè refert *Boyle in φυσ. experiment. part.* 2. *p.* 92. & 377. Asthma inveteratum & verè desperatum per usum *laudani opiati cum spiritu sanguinis humani* alleviatum, item p. 270. *asthma convulsivum* refert per *salia volatilia* curatum.

Ad *inspirationum vitia* pertinet quoque, quando *inspiratio interrupta cum impetu & sono ingrato peragitur*, quæ respiratio ita facta dicitur

SINGULTUS,

& fit à *subitanea Diaphragmatis* deorsum versùs *contractione*. Percipimus omnes, quod singultiendo cum impetu inspiremus, & quod tunc simul regio ventriculi antrorsum moveatur, sicut aliàs fieri solet in ordinata inspiratione. Dum igitur diaphragma violenter deorsum versus convellitur, ventriculum & abdomen antrorsum propellit, & ita cum subitanea inspiratione singultum efficit. Aliàs *singultus* statuitur *affectus stomachi*, sed parum consideratè. Nam ipse *Galenus in comm. super* §. 3. *sect.* 7. apertè statuit talem *stomacho* esse *singultum*, qualem *nervis convulsionem*. Inò hinc inde Autores Practici apertè comparant *singultum convulsioni*, sed cujus partis? nempe illius, quæ respirationi primariò inservit. Et hæc pars imprimis est *Diaphragma*, quod violenter deorsum convulsum singultum infert. Primus, qui hanc sententiam defendit, est *Platerus*, à cujus parte etiam stat *Sylvius*. Conferatur idem defendens *Majovv. de respiratione pag.* 292. nec desunt argumenta, quæ hoc persuadent, quod *singultus* oriatur *à convulsione fibrarum diaphragmatis versùs inferiora*. Omni tempore voluntariò possumus singultire: hoc innuit, necessariò affici partem, quæ

quæ voluntatis nonnihil subjacet imperio; & quidem cùm singultiamus inspirando, innuit affici talem musculum, qui pro voluntatis imperio respirationem ceu actionem mistam potest nonnihil mutare. Tum nullus talis est musculus, in toto respirationis negotio, quàm diaphragma. Pro hujus enim alteratione varia, possumus etiam pro voluntatis imperio respirationem mutare, quæ non possunt applicari ventriculo. Ergò pars in *singultu* affecta est *diaphragma*.

2. In omni singultu percipitur motus vehemens abdominis circa regionem epigastricam extrorsum versus, quod non potest concipi alio modo fieri, nisi quod *diaphragma* ex convexitate nimia aliquantisper planius reddatur, & abdominis contenta deorsum aut extrorsum premat, quod cùm fiat saltem sub *inspiratione*, patet *diaphragma* saltem in *singultu* esse affectum.

3. Nullus potest fieri *singultus* nisi *inspirando*.

4. Sæpius curatur *singultus* sola *inspiratione continuata*, & quàm longissimè *inhibita exspiratione*. Jam si esset motus ventriculi expulsorius in singultu, inspiratione potius aggravaretur malum, quàm curaretur. Ratio, quia diaphragma inspirando comprimit stomachum, unde magis ad singultum irritaret.

5. Notum est, joco interdum curari singultum, qui innuit aliquid voluntarii in singultu affici, id quod in *inspiratione* est *diaphragma*.

6. *Sternutatio* superveniens *singultui*, hunc solvit, teste *Hippocrate sect. 6. §. 13.* quia forti *sternutatione*, adeoque sub forti *exspiratione* concussum *diaphragma* ex se dispellit, non minus quam ex stomachi orificio, quod istud antea irritabat.

7. Nimii *animi motus* curant *singultum*, idque ratione spirituum animalium, qui à fortiori objecto commoti, minus vacant singultui: nempe *singultum per terrorem* notat *Valeriola in observat. p. 123.*

8. Absque ventriculo *hepatis inflammatio* dat singultum, quia hoc immediatè contingens Diaphragma, istud stimulat, ut convellendo singultiat: hinc

9. observatur etiam non rarò *singultus in morbis convulsivis*, v. g. in *passionibus hystericis* &c. *Singultus* ergò fit à *contractione convulsiva diaphragmatis inspiratoria.*

Causa est omne id, quicquid ad *violentam*, *reciprocam* tamen sui *contractionem Diaphragma* cogere potest. Hoc ipsum sæpius hæret in ventriculo, & speciatim afficit superius ejus orificium, quò pertinent inprimis assumta. Sic enim solum *panem*, nimia quantitate comestum, *singultum* concitare notat *Ferdinandus, cons. 43.* Sic in *febribus*, post intemperatum *juleporum* refrigerantium potum, non rarò sequitur *singultus*, *vini potu* curandus, *authore Schenck. l. 3. observat.* Alia itidem *ventriculum* intensius *alterantia*, in specie *refrigerantia*, *singultum* inferunt. Sic enim *Timaus in casibus p. 115.* refert, *singultum* gravem & contumacem *ex potu aquæ frigidæ & ☽i.* Alius loco *Balsami sulphuris*, assumens

sumens *ol. vitrioli* in gravē incidit *singultum*, autore *Barbette in sua praxi. p.* 136. Sed præter occasiones tales *externas*, & ex *internis singultus* supervenit *stomacho affecto*, sive per *essentiam* afficiatur, sive per *consensum*. *Per consensum* v.g. in *vulneribus capitis*, in *nephritide*, in *imminente ileo*, in *Hernia graviori* &c. Quibus sæpius, utut infausto omine singultus superveniat. *Per essentiam* afficitur stomachus, dum ab acriori quodam plus minus viscido succo, intra rugas propè orificium, superius hærente, originem ducit, cujus expellendi nixum *singultus* insequitur: Ratio, quod *ex affecto orificio superiori* superveniat *singultus* sive *diaphragmatis convulsio*, est, quia stomachi os superius sensile transit, non per circulum nervum diaphragmatis, ut fert communis opinio, sed per hujus musculum posteriorem. Conf. nova & accurata diaphragmatis anatome *Casp. Bartholini*, cujus epitomen vid. in *Act. Med. Hafn. vol.* 4. *p.* 14. Unde si aliquid pertinacius vellicat *orificium ventriculi*, facilè simul vellicatur *Diaphragma*, cujus fibræ musculares nerveæ, unde sequitur *singultus*. Præterea plures aliæ *causæ*, sive in *diaphragmate*, sive in *pectore* hærentes, aptæ natæ sunt, ut inducant *singultum*, modò irritent *Diaphragma*. Sic de *hepate inflammato*, *singultum* inferente, quò etiam pertinent *conformationis vitia*, dum *singultum continuum* ex *compressa thoracis vertebra undecima* notat. *Rhodius centur.* 2. *observat.* 61. item *costarum ad ventriculum detrusio trimestris singultus causa*, quarum repositio ejusdem curatio. vid. *Schenck. l.* 3. *obs.* Ex *arthritide* non amplius artus visitante *singultum desperatum* observavit *Velschius Hecatost.* 2. *p.* 20. *Purgationes effrenes* subinde *singultus* malo omine sequuntur, ut notat *Hippocrates sect.* 7. §. 41. Siquidem non rarum est, *convulsiones acriores* insequi *purgationes*. Tandem *febribus* sæpè *continuis*, aut in statu periculoso, aut in quibus jam *convulsiones* imminent, supervenit, partim ex *pessimè affecto stomacho*; partim ex *spasmis* jam imminentibus, ceu ultimo naturæ conatu. Rara, item diuturna *singultus* qui vult exempla, adeat *Marcell. Donat. lib.* 4. *histor. medic. mirab. c.* 5. *Schenck. l.* 3. *observat. Barthol. centur.* 2. *Hist.* 4. & *Act. Med. Hafn. p.* 2. *p.* 62. *Singultus* superveniens *purgationi*, *diarrhææ* aut *Dysenteriæ*, aut *herniæ contumaciori*, aut *ileo* imminenti, admodum periculosus est; item superveniens *inflammationi hepatis* periculum innuit, authore *Hippocrate* §. 58. *sect.* 5. & *sect.* 7. §. 17. In quavis *febre continua ardente* superveniens in *statu* & perseverans *singultus* revera periculosus est; mortis esse prænuncium asserit *Platerus lib.* 8. *observat. p.* 203. Quod tamen non æquè universaliter verum est, contrario apparente in *Horstio l.* 1. *observat.* 25. Singultus sæpè *diuturnum malum* est, ægrotumque subindè per plures dies, menses, annos affligit, interdum *penitus incurabilis* observatur, in quo casu occultum

occultum quoddam *conformationis vitium* os ventriculi, aut diaphragma, aut nervos afficiens ferè subesse solet.

Cura dirigitur 1. in genere eò, ut *irritationis sensus diaphragmaticus* tollatur, & consequenter ejusdem *conjectura convulsiva* remittatur. Vel 2. in specie eò, ut *causa occasionalis* removeatur.

Ad *irritationem* igitur & *Spasmum* sistendum optimum est *Opium* ac *opiata*, quorum felicem usum omnes deprædicant, sic *singultum* pertinacem admodùm *febri continuæ* supervenientem curavit *Horstius loco supe- rius citato* per *laud. op. gr. iij. theriac.* ℥ß. *& conserv. ros..* ℨj. *M.* Hinc *Galenus* similiter commendat *opiata* cum *appropriatis* mista, nempe cum *castoreo, zinzibere, caryophyllis* &c. Pertinet huc *bolus Timei contra singultum & vomitum* &c.

℞. Theriac. Androm. ℈ij.
Lign. aloes ver. ℈ß.
ol. macis destill. gr. ij.
laud. opiat. gr. j. M. F. Bolus.

Loco *ligni aloes* alia *appropriata* possunt addi, in specie *Castoreum*, *semen anisi*, ejus *spiritus & oleum*, item *spiritus salis ammoniaci anisatus*, uti & *zinziber in Ind. conditum.* Interim quoad causarum varietatem specialis nonnihil varianda cura, nempe ubi suspicio est, malum hærere in stomacho, optimum est instituere *vomitum*, præsertim quando contumacior *singultus* ex *pituita vitrea* orificio ventriculi impacta oriatur. Quod si per inferiora instituenda sit purgatio, conveniunt *pilulæ* aloeticæ cum laudano mistæ. Item usurpentur ☿ dulcis gr. vj. cum *diagryd. gr. viij.* ad imitationem *Riverii cent. 3. observ. 42.* Sicut *Rhodius cent. 2. obs. 60.* singultum septem dierum cum *hiera cum oxymelle* data excretis ℥xij. pituitæ sanatum refert. Peracta *purgatione*, vel *vomitorio*, ubi languet stomachus, propinetur *mistura*,

℞. aq. menth. ℥jß.
spir. theriacal. ℨiij.
conf. alkerm. ℨj.
laud. opiat. gr. ij.
syr. de menth. ℨvj. M. usurpetur cochleatim.

Pertinet huc etiam *mistura* sæpius ad singultum experta *cydoniata cum extracto zedoariæ & laudano in M. A. N. C. Ann. 6. p. 210.* Misturis talibus, ubi adsunt *flatus* simul, subinde *singultum* exasperantes, *spir. nitri* vel *simplicis* aliquot guttæ, vel potius *dulcificati* q. s. à ℨß. ad ℨj. addendæ. Sin fiat *singultus à crudo cibo* aut *vitiata digestione*, *aloetica*, *pilulæ rosac. Elixir. propriet.* conducunt.

Si *singultus* fiat ab *humoribus acribus, corrosivis, æruginosis*, plus minus *effervescentibus*, convenit *Ebur ustum*, vel *C.C. ust.* quod à ʒj. in omni singultu ceu expertissimum commendat *Joel in Prax.* item *lap. cancr. terra sigill. lapis percarum, carpionum*, in specie *pellicula interna stomachi gallinæ exiccata & sedata*, & in *aqua & syrupo portulacæ* usurpatæ. *Forestus* aliàs *decoctum* in singultu crebrius expertum laudat, ex *semin. anisi, anethi, carui, portulacæ & papav. albi* in cerevisia paratum & propinatum.

Externè in tali singultu egregium est *cataplasma Mynsichti ad singultum*; vel hujus loco

℞. baccarum lauri
rof. rub. sylv.
menth. an. M. j. pulverisata subige cum fermento acerrrimo, quantitatis ovi, impone patinæ, infunde ✕ fervens & calidissimè cum linteo impone. Si exiccetur, denuò cum ✕to irroretur & applicetur. Item *panis calidus* linteo obvolutus *ventriculo applicatus* efficax est remedium; efficacius, si irroretur *vino malvatico* vel alio *generoso*, & ita applicetur. Alii *fotum* faciunt ex ✕to *calido, acri, cum castoreo, pipere, sinapi*, ac pane calido cum *spongia* ventriculo *applicato*. Pariter *ol. destillat. anisi* umbilico & ventriculo illitum egregium est. Si suspicio sit, subesse in singultu *malignitatem*; aut si oriatur in *febre maligna*, tunc aliis addantur *aq. cordialis Hercul. Saxon. aqua cinamom. syrupus citri, extract. theriacal.* aut fiat *emulsio* ad imitationem *Riverii*, *cent. 4. obs. 78.*

Singultum *ex assumto acriori*, v.g. ☿|⊖li, lenit *mistura à Barbett. in Praxi* præscripta, ad cujus imitationem

℞. aq. plantag.
endiv. an. ℥ij.
Succi sempervив. maj. depurat. ℥j.
C.C usti ʒj.
terra sigill. ʒß.
lap. cancr. ℈j.
laud. op. gr. ij. vel iij.
syr. portulac. ℥j. M.

Ubi *Singultus* est *symptoma alterius affectus gravioris*, v. g. *inflammationis hepatis*, morbo primario curato, sponte cessabit, nihilominus tamen simul illi ipsi *appropriatis*, quantum possibile, resistatur.

Notabilis denique adhuc est observatio *Riverii* prima morborum infrequentium de *singultu obstinato*, per bimestre ex nimiæ frigidæ haustu post calorem, per *balneum aquæ dulcis*, in quo *plantæ nervinæ* coctæ fuerint, curato.

DE IN-

DE INCUBO.

Ad *affectus vitiatæ inspirationis* pertinet etiam *Incubus* sive *Ephialtes*: Nil aliud enim est *Incubus*, quàm *impedita & difficilis respiratio*, in specie *sufflaminata inspiratio, dormientibus inprimis ac dorso incumbentibus superveniens, cum somnio ponderis præcordia prementis, ac suffocationis imminentis*, cujus occasionis varia subinde de persona aut re certa superincumbente narrare vigiles, quia talia delirant somniantes, solent *Ephialte* affecti.

Est *affectus complicatus Incubus*, quem ipsi ægri ritè explicare nequeunt: *Symptomata* tamen ferè tali ordine sequuntur. 1. Læditur *inspiratio*. Hanc insequitur 2. *sensus* aut *motus*, interdum etiam *imminentis* plus minus *suffocationis*. 3. est *depravata loquela*, dum loqui nequeunt incubo affecti, sed *gementes, queruli* &c. fiunt, aut *sonum inconditum* & interdum etiam *boatum gravem* proferunt: unde & vocati parum, aut nihil respondent, sed ferè immobiles jacent. 4. adest *anxietas præcordiorum*. 5. Supervenit *insomnium* rei aut objecti alicujus nunc certi, nunc incerti, thoracem prementis, & quasi constringentis, quibus 6. accidunt *maculæ rubeæ, lividæ, cœrulescentes, artus* inprimis *pingentes* & *manè* postmodum *apparentes*. 7. Expergefactis, dum omnia cætera evanescunt symptomata, *corporis tremor*, & non rarò *diaphragmatis vibratio celerrima & violenta* superest, unà cum *totius corporis lassitudine*, als wann sie geprügelt wären.

Quoad *Causam* & *fiendi modum* incubi, quæ vulgò proferunt, nota sunt, incusant nempe *obstructionem meatuum cerebri ac principii spinalis medullæ*, à *vaporibus crassis* ex abdomine eò exhalantibus: unde *impedito spirituum animalium influxu* ista symptomata superveniant, ob id ad *affectus capitis* ordinariò referri solet. Vid. *Sennert. lib.* 1. *Pr. part.* 2. *cap.* 29. ubi *de Incubo*. Hic tamen int *Paralipomenis p.* 113. hanc sententiam mutavit, & *incubum* esse *affectum respirationis læsæ cum insomnio gravi* asseruit. Nempe jam olim *Fernelius* & *Platerus* istam Veterum hypothesin rejecerunt, qui asseruerunt, *incubum* esse primariò *affectum thoracis* & *respirationis læsæ*; secundariò *capitis*: nempe *causam proximam* statuerunt, *humorem crassum, melancholicum* sive *pituitosum* circa *præcordia* hærentem, quo, quacunque ex causa, turgescente & commoto, *diaphragma & pulmones* comprimantur: exhalantibus verò vaporibus *vox intercipiatur*, iisque cerebrum petentibus *spiritus animales conturbentur*, ac *insomniū* tale oriatur. Cum quibus ferè coincidit *Petr. Joan. Fabri* sententia in *Patholog. c.* 7. Sed adscensus iste vaporum ex primis viis ad caput usque hodie vix admittitur. Inter modernos imprimis *Schneiderus* eminet *lib. de Catharrhis specialissimo*, capite *de Catharro narium p.* 246. ubi *incubum* ad *convulsiones* refert, in specie talem, in qua *thoracis musculi* hominis somnum capientis ita afficiuntur, ut respiret inde laboriosius.

Res ut reddatur paulò evidentior, certè *causa Incubi* est omne id, quod liberum thoracis respiratorium motum impedire potest. Hoc namque primariò quoad respirationis negotium impedito, cætera symptomata mox superveniunt. *Impeditur thoracis*, ac speciatim *reciprocus diaphragmatis motus*, vel *vitio objecti* cujuscunque *externi* quasi, vel *vitio nervorum* motui musculorum thoracis inservientium. Et ex hoc fundamento imprimis observanda *differentia incubi*, quod alius sit *accidentalis* & quasi *levior*, alius sit *habitualis* aut *gravior*, & qui firmiores egerit radices.

Incubus accidentalis fit, quando saltem *diaphragmatis liber motus* impeditur, propter *impedimenta* in primis viis ac abdomine motui ejus deorsum resistentia. Hæc inter inprimis est *stomachus*, qui infarctus materiâ viscidâ & mucilaginosâ, quæ ab acido fermentata in flatus abit; vel etiam si ventriculus copiosioribus alimentis infarciatur, vel etiam omne, quod stomachum replere & distendere potest. Propterea *Hildesheim*, in *Spicileg. de affect. cap. spicileg. 4. p. 434.* inquit: Qui scire cupit, quid sit Incubus, is ante somnum comedat *castaneas*, & superbibat *vinum fæculentum*. Unde etiam *dorso incumbentibus*, & quibus à dictis causis *diaphragma* magis sursum repelli, motusècontra inferiora versus impediri potest, incubus frequentior est. Ob id rarius afficiuntur incubo, qui laudabili utuntur diæta, sæpius verò *temulentiæ* aut *crapulæ deditis* ingruit. Ob id *pueris* ex *ἀδδηφαγία* sive nimia ingurgitatione alimentorum *familiaris est incub⁹*.

Cæterum utut ab his occasionibus possit excitari *incubus levior*, nihilo minus tamen in *vero incubo*, adeoque in *malo habituali*, ad *nervos* inprimis est respiciendum, qui respirationi inservientes, malè suo munere funguntur, adeoque ad *nervos paris octavi*, unde & *intercostales* progrediuntur, & qui ex cerebello primas radices habēt, hîc inprimis respiciendū, ut rectè asserit *Willis. in Anim. brutorum part. 2. c. 6.* & notabili observatione fundamentum habitualis incubi in parte capitis postica circa cerebellum confirmat *Lowverus Tract. de Corde p. 157.* Adeò, ut respectu causæ revera *nervorum affectus* sit *incubus habitualis*. Sed dubium est, an ad *affectus paralyticos*; an verò ad *affectus convulsivos* referendus sit? id est, an *ex denegato plus minus spirituum animalium influxu*, propter impedimentum quasi obstructionis; an verò *ex impetuoso nimis spirituum per dictos nervos* propter irritationem quandam *influxu*, & hinc *musculorum spasmo* malum oriatur. *Prius*, suo modo *Veteres* asseruerunt, quibus etiam mutatis mutandis *Willis. cit. loc.* item *Lowverus* adstipulantur. *Schneiderus* ècontra *cit. loc.* ad *convulsivos morbos* refert, & ob id Arabibus *incubus* pro *parva Epilepsia* habitus fuit, quo nomine etiam vocatur à *Castro, Tr. de Epileps. cap. ult.* Ab aliis *epilepsia nocturna* dicitur, quasi similes ferè *convulsiones thoracis*, atque in paroxysmo Epileptico, in Incubo adsint: Sanè *Timæus in casibus p. 42.* refert *incubum*, cujus historia, prout describitur, ferè persuadet, ad *mala* quasi *paralytica* eundem esse referendum, nihilominus tamen in *Epilepsiam* tandem *lethalem* desiit.

desiit. Econtra *Rhodius cent.1.obs.54.* refert exempla *incubi vigilantibus obvenientis*, qui in *apoplexiam* terminari observatus fuit. Econtra ex historia infra narranda patebit exemplum *incubi ad epilepticos morbos* referendi. Sicut *vermes* in abdomine stabulantes, in pueris *incubum* inferre solent, de quibus hostibus notum est, quod horrendas etiam *Epilepsias*, aut *affectus convulsivos* pueris inducant. Forsan utrumque, utut variis in casibus, nempe tam *paralyticum*, quàm *convulsivum*, in *incubo* locum habet; Sicuti non rarum est, *paralysis cum spasmis*, *& contra*, subindè permutari, ita quidem, ut *causa incubi*, *acidum* nempe *peccans*, lymphæ medio ad cerebellum delatum, nunc irritando nervos respirationi inservientes, ac cordis motui dicatos, *affectus spasmodicos*; nunc spirituum motum nonnihil sufflaminando, leviores *affectus paralyticos* inducat. Revera igitur *incubo* infestante laborant *musculi thoracis motui inservientes*, præsertim *diaphragma*, quorum reciproco impedito motu sequitur *respirationis difficultas*, & cùm idem nervus ex intercostali etiam surculum pro motu laryngis subministret, etiam affectus larynx strangulationis sensum, loquelæ impedimentum, aut saltem sonum inconditum subinde gemebundum infert. Impedito hinc sanguinis circulo plus minus per pulmones anxietas admodum molesta eos adfligit, quod fit inprimis in somno; istis occasionib⁹ varia somnia irritari possunt, concurrente simul *Anima rationali*, & ex percepta molestia, varia insomnia cudente: Nam quod in somno *anima rationalis* alterationes corporis percipiat, & somnia varia hinc fabricet, v.g. *pollutio nocturna* persuadet, nempe in quorum vesiculis seminalibus genitura turget, indeque genitalia nonnihil titillat, somnia ♀ venerea cum genituræ excretione ordinariò superveniunt. |Parili ratione & *thoracis motus impeditus ad somnia & imaginationes* compressionis thoracis à re superimposita disponit.

Somnium tale *vagum* adplicatur interdum *certo subjecto*: Unde *incubo affecti*, nunc à vetula ingrata se comprimi imaginatur, quam etiam videant & contrectent. vid. *Schenck. obs. l. 1. de Incubo. Forest. l.* 10. *obs.* 51. qui putabat pectus suum à cane nigro oppressum fuisse, ut respirare non possit. Simile ferè exemplū habet *Zacut. Lusit. lib.* 1. *Pr. admir. p.* 41. quod mediante ☿io per superiora & inferiora curatum fuit. Hinc *Alsarius à Cruce* ex autoritate *Galeni* dicit, quod *incubus* sit quasi quædam *in somno Epilepsia*, cùm eadem, utut leviora perpetiantur in *incubo*, dum quiescunt, quæ patiuntur *Epilepsiâ* correpti, cum vigilant.

Fundamentum Ephialtis est in *nervis*, speciatim *intercostali*; cujus radix à *lympha acida*, *subtili* tamen afficitur, unde *respirationis symptomata*, hinc cætera consequentia. Adeoque *formaliter* ad *affectus nervinos partium respirationi inservientium*, nunc *paralyticos*, nunc *convulsivos*, referendus incubus. *Materialiter* sive *subjectivè* magis subjecta *constitutionis melancholicæ*, ut vocant, affligere solet. Nempe *hypochondriacis* inprimis familiare est symptoma *incubus*, & quidem jam *inclinantibus ad melancholiam hypochondriacam*, imò ex *hypochondriacis* talibus ad *scorbutum* declinantibus

 derivan-

derivandæ videntur *maculæ*, quæ eorum cutim pingunt. Hæ ipsæ enim ut *Scorbuticis* familiares sunt, ita etiam exinde dum declinante *Incubi* paroxysmo aliquis mador interdum prorumpit, illæ maculæ das Alpkneipen originem habebunt. Rarum est, observatum fuisse *incubum epidemicè* Romæ sparsim grassantem, uti hoc ex *Cœlio Aureliano* refert *Sennertus lib.* 1. *Prax.* ubi *de Incubo*.

Quoad *Prognosin incubus accidentalis* parum refert. *Incubus* verò *habitualis* nunc *Epilepsiam*, nunc *Apoplexiam*, nunc *Melancholiam* portendere solet. Quòd si *incubo nocturno* jungatur *Vertigo diurna*, res ægri eò deterior, & quidam ex dictis affectibus certius imminet. Si *incubus*, dicit *Sennertus*, accidit partim *dormienti*, partim *vigilanti*, deterior est, quia *Epilepsiæ* propinquior, & rursum deterior, si post excretionem *sudor frigidus*, *tremor cordis*, *spasmus* aut *syncope* sequatur.

Cura Ephialtis, si est *accidentalis*, consistit in eo, 1. ut *evacuetur* stomachus & primæ viæ. 2. Ordinetur benè *diæta*, & speciatim *lautior cœna* & subitaneus *post pastum decubitus* vitetur. 3. *Remedia volatilia oleosa* plus minus *antiepileptica* propinentur.

Habitualis verò sive *confirmatus incubus* ad modum *mali hypochondriaci* aliorumve *morborum Chronicorum* curari debet: nempe *per digestiva*, præsertim *Chalia*, hinc per *evacuantia*, præsertim *vomitoria*, quibus subjungantur *volatilia* ac *antiepileptica*.

Pro his scopis assequendis excellunt inprimis *vomitoria*, item *evacuantia helleborina*. v. g.

℞. extract. helleb. nigr.
☿ dulc. an. gr. xv.
scamm. sulphurati gr. ij.
Extr. troch. alh. gr. j.
c. s. q. ol. destill. succini. F. Pilulæ.

Juxta *fortiores* hujusmodi *evacuationes*, etiam *purgationes blandæ*, aut primas vias *per epicrasin* evacuantes conducunt. Quò facit εὐπόριστον *Zacut. Lusit. l.* 7. *Med. Princ. hist. c.* 8. cùm dicit, *medicamentum* hoc est, quod primas tenet in *vertigine & incubo*, præsertim *ex sensu ventriculi* enatis, *passulæ*, exemptis acinis, repleantur *aloes optimæ* granorum ciceris parvi magnitudine, quantitate ℈j. assumantur in aurora ante cibum, & post ad solita opera abeundum: vel *pilulæ aloephanginæ* num. v. vel vj. unâ vel alterâ horâ ante cibum assumantur: *præservant* non tãtùm *ebrietatem*, sed etiam assumta ante cœnam *coctionem juvant* sine metu laxationis: quod si laxare debeant, grano j. alterove scammonii acuari possunt. Quibusdam in usu est, dum cubitum eunt, ut *theriacam cum aq. pœoniæ* præservationis gratiâ ab *incubo* assumant. Item 🜄 *destill. rorismarin. succin. salviæ*,

viæ, lavendul. cinam, & ſimilia cum *ſacchara* in *Elæoſacchari* formam redacta, & ſub introitum lecti aſſumta commendantur. Præ cæteris *Pæonia mas*, ejusque *radix ac ſemina nigra*, ceu *ſpecifica in cura incubi* extolluntur, ſive *pulvis radicis* debito tempore collectæ; ſive *grana ſeminis* num. xv. ſive *horum emulſio* aliquandiu continuatim uſurpentur. Hisce annumerandum etiam venit *aniſum, ſemen ejus* aut ♁ *deſtillat.* ſub introitu lecti uſurpatum, quod præterea etiam non contemnendum in *ſomniis truculentis ac turbulentis*, ſicuti etiam *pavores nocturnos puerorum* curare ſolet.

Obſervandum denique in *incubo habituali*, præmiſſis præmittendis ſeu *evacuantibus*, non negligendum eſſe, ut *ſudoriferis volatilibus* univerſa ſanguinis maſſa, & hinc univerſum corpus ventiletur.

Coronidis loco *hiſtoriam Incubi* magis ad *epilepticos*, quàm ad *paralyticos affectus* referendi ſubjungam. Puella 18. annorum *cachectica*, & cui nondum menſes fluxerunt, indeque nonnihil *aſthmatica* ex narrationibus crebrioribus conſervæ ſive famulæ primùm imaginationē *incubi* concipit, cùm ab illa ſæpius audiviſſet, ſe quavis nocte *incubo* corripi, & iſtud mali ab alio concitari. Jam utut hæc ipſa dimiſſa fuerit, illa tamen mox ab hujus diſceſſu *incubo* corripi cepit, nempe omni nocte præcisè horâ 2. incipit *quiritare*, hinc mox *ſenſu & motu* privata jacet, donec ſucceſſivè ad ſe redeat, quo tempore *ſudori* madet, & hinc inde in corpore *maculas magnas rubeas*, præſertim in femoris parte carnoſa obſervat. Hæc quavis nocte eodem præcisè tempore redeunt. Ergo ſuſpicabar *incubum* eſſe reverà *convulſivum*, *in ſubjecto hypochondriaco cachectico*. Dedi *Tartari emet. gr. iij.* qui parum operabatur, & hinc quovis manè de *pulvere cachectico* ſive *croco* ♂*tis aperitivo* largam doſin, prohibendo *acida*. Succeſſus fuit, ut poſt aliquot dies *incubus* tardiùs affligeret; horâ 3. hinc 4. tandem 5. matutinâ, tandem per biduum penitus deficeret, quo transacto horâ quintâ matutinâ malum redit, ſed absque maculis. Propino *vomitorium liquidum*, cujus uſu cùm copioſa mucoſa rejeciſſet, non rediit incubus. Suaſi ut *Elix. Propr.* in poſterum continuaret, certus, modò primæ viæ à cruditatibus acido-pituitoſis eſſent liberæ, & hinc menſes comparerent, eam pancraticè vixuram.

CAPUT XIV.

De LÆSA EXPIRATIONE.

Dilatantur Pulmones propter thoracis per nothas coſtas ampliationem, quæ fit à muſculis ſerratis poſticis, ſuperioribus & inferioribus, rhomboideis, levatoribus coſtarum *Stenonii* & cervicalibus deſcendentibus *Diemerbroeckii*, quibus & accedit Diaphragma, ex convexo per ſui deorſum versùs contractionem, magis planum factum, ſpatium thoracis inferius amplians: comprimuntur

denuò à contractione thoracis, facta à musculis intercostalibus internis, sacrolumbo & etiam musculis abdominis, quibus in supplementum spontanea diaphragmatis remissio accedit. Istud aërem intra pulmones admittit, sicque inspiramus, hoc emittit, sic exspiramus.

Aeris expiratio hæc læditur semper simul, & iisdem modis atque *inspiratio* læditur. In specie tamen læditur 1. Quando fit *cum impetu* in *sternutatione*. 2. Quando fit *interruptim* & *cum sonitu in tussi*. 3. Quando aër expirans non legitimam, sed *vitiatam vocem* profert.

STERNUTATIO

nil aliud est, *quàm motus convulsivus musculorum pectoris expirationi inservientium, in quo motu convulsivo, post aliquam inspirationis inchoatæ suspensionem subitò & magnâ, sed mox iterum cessante vi, per nares & os aer una vice exploditur.*

Pars proximè affecta sunt *musculi thoracis, ejusdem constrictioni dicati*, in specie *intercostales interni & abdominis*. Percipimus nempe ipso contactu, semper cum impetu non solum constringi thoracem; sed & subitò abdomen comprimi ab ejus musculis, & hinc à contentorum sursum motu diaphragma intra thoracem cogi; Unde & in *partu difficili* aut *secundinarum retentione proficua est sternutatio*, dum à musculorum abdominis subitanea constrictione exploduntur contenta, sicuti à contrario *in herniis intestinalibus eadem nocet*.

Causa occasionalis motus hujus convulsivi est in specie, quicquid valet irritare *membranam narium internam superiorem*, nulla enim fit *sternutatio*, nisi hæc ipsa membrana irritetur, & tali occasione simul *pectus per consensum* afficiatur. Fundamentum hujus consensus est quædam per plexus connexio surculorum quorundam nervorum paris tertii & quarti ad nares productorum cum pari nervorum vago & intercostali, thoracem inprimis moventium. Nervulis igitur istis ad nares derivatis occasione membranæ vellicatæ spasmo fortiori, adeoque secundum eorum ductum affectis, simili spasmo convelluntur & nervi thoracem moventes, & exinde diaphragma aliquandiu, propter inspirationem protractiorem deprimitur. Sicuti & cæteri musculi inspirationi inservientes magis tenduntur, sed mox superveniente contrario spasmo nervorum & musculorum exspirationi inservientium, *sternutatio* supervenit, adeò ut rectè *Bartholinus sternutationem levem Epilepsiam* nuncupet in *Act. Med. Hafn. vol. 2. p. 49.* Certè quo sensibilior est ista narium membrana superior, eò propter faciliorem irritationem promtius sternutamus. Hinc Itali ex crebriori *pulveris sternutatorii* abusu, & hinc membranæ crebrius irritatæ, sed à copiosiori lympha affluente minus sensili factæ culpâ minus sternutare solent. Interim ultra præviam

viam talem irritationem interdum & *convulsivi quid* subesse, & etiam per *consensum aliarum partium* excitari posse *sternutationem*, videatur curiosa historia illustrata in *M. A. N. C. Ann.* 3. *observat* 138. *p.* 247. ubi referuntur sternutationes 300, in uno paroxysmo, eoque singulis 24. horis periodicè repetente.

Ea, quæ irritant narium membranam, sunt vel *externa*, vel *interna*. *Externa* sunt *odores fortes*, *medicamenta inspirata*, propter suam vellicationem & hanc insequentem affectum, *sternutatoria* dicta, v. g. *majorana*, *helleborus* &c. Quoad *interna*, est inprimis *lympha paulò acrior*, quæ aliâs naturaliter membranam humectat, quæ quando v. g. *in coryza* fit aliquantisper *salso acidior* sternutationes crebras provocat. Fit interdum ut *coitus sternutationes* stimulet: vid. *Barthol. cent.* 5. *histor.* 99. Quò facit, quod refert *Amat. Lusit. cent.* 4. *cur.* 3. *in scholio*, quod ii, qui à ♀e abstineant, conspectâ pulchrâ muliere facilè sternutent.

Ex dictis hactenus patet, *insons* esse *cerebrum in omni sternutatione*, utut vulgò dicatur, cerebro concusso sternutationem fieri. Hinc *quæ sternutationis motu ejiciuntur foràs*, primariò sunt *ex naribus & faucibus*, secundariò sunt *ex bronchiis pulmonum*. *Ex naribus & faucibus*, quando ibid. sitæ membranæ, à *Schneidero de Catharris* primitus descriptæ, continuò talem transudant lympham, ex contextu glanduloso post istas membranas excretam, quæ lympha, ubi copiosior, aut spissior fuerit, facilè ab erumpente aëre propellitur, & foràs protruditur. Quòd si quid hæreat *in bronchiis asperæ arteriæ*, simul ejicitur: hinc in morbis pulmonum, *pleuritide & peripneumonia sternutatio mala* est, authore *Hippocrate*. Ad pituitam verò in bronchiis pulmonum contentam potenter expellendam, quæ tussi rejici non poterat, sternutamentum conferre, docet *Galenus*. vid. *Riverius* ubi *de sternutatione*. *Remedia* etiam *sternutatoria*, quæ ex narium confiniis humores serosos, plus minus viscidos, emulgent, nil ex capite educunt, sed tantùm ex membranis narium, præsertim pituitaria superiore, ac substratis glandulis hauriunt. Simili ratione, atque *apophlegmatismi* nil ex capite, sed immediatè ex glandulis palatinis sublinguaribus & maxillaribus; mediatè verò ex massa sanguinea emulgent ac hauriunt. Plura quoad *sternutationis* theoriam, qui cupit, adeat *Mart. Schoockium Tr. de sternut.* Item *Schneiderum*, *Tr. de osse cribri formi*, & in specie *de Catharr.* ubi *de Catharro Narium*.

Quoad **Prognosin**, *sternutatio*, utut leve videatur malum, tamen interdũ *lethalis* observatur, ut in puerpera hoc refertur ab *Hildano C.* 4. *obs.* 12. *sternutatio sine causa manifesta* crebrò repetens *mala*. Aut n. *epilepticos*, aut *convulsivos affectꝰ*, aut *apoplecticos* & *paralyticos* infert. Ulteriꝰ *sternutatio* nociva est oculis. Sic n.

ex

ex sternutatione nimia cœcitatem observavit *Hildanus*, *cent. 1. obs. 24.* Item *Rolfinck. in dissert. anatom p.* 1754. Potius ergo *errhina in oculorum affectibus* conveniunt, in quibus etiam sunt optima, minùs *sternutatoria*. Conf. *Act. Med. Hafn. vol. 2. p. 243. 248. 251. 303. sternutatio post usurpata sternutatoria* non succedens, *malum est signum*, præsertim si id fiat in *Paroxysmis Epilepticis* vel *apoplecticis*: Totam enim vim animalem prostratam innuit.

Cura sternutationis consistit in eo, ut *tollatur narium vellicatio*, & hinc ortus *impetuosus spirituum impetus ac musculorum spasmus*. Removenda igitur 1. *causa vellicans*. 2. Obtundendus *irritationis sensus*. Hinc *odor opii* aliorumque *Narcoticorum* est optimus, vel *oleum rosaceum opio impregnatum* interioribus naribus illinendum. Item *ablutio sive eluitio narium cum lacte tepido* stimulationem sistit, præsertim ab occasione externa, inspirato scilicet acriori sternutatorio excitatam vid. *Horst. lib. 5 obs. 51.* item *Forest.* item *Acta Medic. Hafn. vol. 2. p. 166.* item cremor lactis & mucilago, sem. cydoniorum vel psyllii cum aq. nymphææ extracta, naribus injecta conducit. Item *semen fœniculi & anisi aceto infusa* naribus pro odoratu admoveantur. Plura de *sternutatione nimia* vid. in *Amat. Lusit. cent. 4. cur. 4. Horst. in obs. l. c.* & in specie *M. A. N. C.* supra allegata.

DE VOCIS VITIIS.

Vitia vocum sunt, quando vel *deficit vox*, vel *vitiatur*. Deficit vel *vitio thoracis*, vel *vitio laryngis*. *Thoracis vitio* deficit, quando non expiratur, ut fit in *Apoplexia graviori*, aut *convulsione thoracis* tali, ubi nulla respiratio contingit, ut *hystericis* subinde evenit. *Vitio laryngis* deficit vox, propter *ejus rimulam*, vel propter *musculorum ac nervorum moventium causam*. *Rimulæ* adest *vitium*, quando *à tumoribus vicinis* impeditur plus minus ejusdem apertio. Item quando *epiglottis* facta est *ossea*, vel quando ab assumtis adstringentibus *angustatur* penitus & *constringitur rimula laryngis*, de quo vid. *Barbett.* in *Anatom. Pract.* l. 1. c. IV. ubi *de Cartilaginibus*. Vox deficiens musculorum & nervorum vitio in specie dicitur *Aphonia*, quæ nil aliud est, quàm *obmutescentia ex vitio laryngis*: Sin *vitio linguæ* fiat, dicitur *loquela amissa*, & linguæ tunc motus deficit, aut alia ejus vitia suis signis se exhibent, quæ in *Aphonia* secus se habent, in qua nullum linguæ vitium, præsertim quoad motum observari soleat. *Aphonia* dicitur aliàs *Anaphtia*, quæ *Hippocrati* sunt distincta, à modernis verò confunduntur. *Aphoni enim Hippocrati* idem ac *Apoplectici*, cùm *Aphonias* nomine intelligat illos, qui ne motum quidem ullum proæreticum sive voluntarium retinent: *Anaphtos* verò eos, quibus *vitio laryngis* vox deficit. vid. *Gorraus in definit. Medic. p. 57. & p. 51.* *Aphonia* ista prout communiter accipitur, fit ex *vitio nervorum & musculorum* nunc *paralytico* nunc *spasmatico*. Quoad *vitium paralyticum* apho-

aphonia fit frequentissimè à paralysi musculorum laryngis; sive hæc vitio proprio; sive vitio nervorum recurrentium, ad eos distributorum accidat. Nam in canibus dissectis, vellicatis illis nervis aphonia in promtu est. Sic videmus non rarò aphonos fieri, qui magna raucedine laborant. Id quod fit probabiliter à nimia humiditate & consequenter resolutione musculorum laryngis, ut flaccidi fiant, & impotentes ad motum. Manifestum hujus rei exemplum est, quod refert Tulpius l. 1 c. 40. p. 78. Hinc etiam tardior loquela ob abundans phlegma, qui anno 12. demum loqui cæpit teste Amat. Lusit. cent. 6 cur. 5. Pertinet huc etiam crapula, subinde aphoniam inferens paralyticam. vid. Höchstetter. Decad. 3. cas. 9. Quò etiam facit aphonia ex casu ab alto, & inde contracto vitio nervorum paralytico, Poterius cent. 2. c. 11, & jam olim notata observatio Galeni, quæ vid. in Senn. l. 2. prax. p. 354. Sic ex terrore nervorum vitio oborta aphona pro apoplectica restituta. Vid. Act. Medic. Hafn. vol. 1. obs. 101. p. 193. Curiosa etiam est aphonia paralytica, ex globulo plumbeo per vomitum moto, indéque recurrentes nervos reprimente. De quo vid. Deodatus in valetud. p. 97. Ut taceam, nervos recurrentes, quovis infortunio abscissos vel resectos. Conf. Sennert. lib. 2. prax. part. 3. c. 4. p. 355. Observavi aliam aphoniam in virgine, quæ cubans noctu in hypocausto, ac suaviter dormiens, ob extinctam lampadem ex oleo constructam, & hujus fumo successivè inspirato, altero manè surgens, cætera sanissima, aphona erat. Videbatur subesse vitium quasi paralyticũ laryngis ejusque musculorum, ex isto fumo inspirato læsorum. Curabatur per electuarium ex scordio pulverisato cum melle excepto, crebrius assumto & deglutito. Atque hæ aphoniæ ad constitutionem nervorum & musculorum paralyticam pertinent, si in paroxysmo apoplectico accedant, & hoc cessante, etiam aliquandiu affligant, sive sine eo, aliis functionibus omnibus salvis, ægros subitò prehendant.

Quoad alterum aphoniæ fiendi modum, hunc ex convulsione musculorum & nervorum laryngis fieri insinuavi. Observatur tamen crebrò talis in graviori paroxysmo hysterico, in quo aphonæ jacent ægræ pariter ac Epileptici, convulsionibus sæpius aphoniæ superveniunt. Speciatim videatur hîc epileptica aphona per venæ sectionem curata. Höchstett. Decad. 4. cas. 1. & conf. casus Parallelus, nempe cas. 2. & 4. item ex vermibus in ventriculo & intestinis subindè obmutescentia observatur Teste Foresto l. 21. obs. 28. Schol. & lib. 14. obs. 33. Schol. Noti nempe varii spasmatici affectus sunt, occasione vermium obvenientes. Pertinere etiam huc videtur curiosa observatio in Act. Med. Hafn. vol. 1. obs. 86. p. 170. Nam ex constrictionis sensu in loco affecto spasmum nervi recurrentis adfuisse probabiliter concludi potest. Forsan & huc pertinet aphonia ista mirabilis M. A. N. C. Ann. 3. p. 193. sponte sua ex improviso affligens & sponte sua denuò cessans ac recidivans &c. Nempe vix paralyticum, sed potius convulsivum quid subesse videtur. Forsan etiam huc pertinet aphonia subor-

ta *ex retenta Gonorrhæa virulenta, fonticulis in inguine apertis* curata, *Zacut. Lusitan. lib.* 1. *prax. admir. obs.* 97. Nempe *acre luis venenum* facilè *nervos recurrentes* vel *musculos laryngis* irritando, *ex spasmo aphoniam* inferre poterit. Quoad *aphoniam in febribus* interdum supervenientem res dubia, an *paralyticum* potiùs, an *convulsivum* vitium sit. Sanè quantum colligere valeo, ad *convulsiva vitia* potiùs referrem: Nam & quæ in *Variolis* non rarò observantur *aphoniæ*. Vid. *Hild. cent.* 6. *observ.* 14. *ex convulsione* potius esse videntur, cùm *convulsiva pathemata* non rarò in illis observentur; dum scilicet *acre variolarum venenum nervos recurrentes* irritando, *ad spasmos* illos cogit: sicut *tussim*, *raucedinem* ac his affinia, *asperæ arteriæ ac laryngis mala* eædem inferunt. Sed præter *paralysin* ac *convulsionem*, etiam *subitanea spirituum perturbatio* ad *aphoniam* disponere valet. Sicuti videmus, quosdam *nimio terrore perculsos* planè quasi *obmutescere*. Pertinet huc mirabile exemplum ἀφωνίας *ex visis cancris*, in *M. A. N. C. Ann.* 2. *p.* 219. & *Ann.* 3. *p.* 348. Piæ qua longè curiosior est *subitanea ista aphonia* cum perfecta in toto corpore ἀναισθησίᾳ, omnibus cæteris, tam vitalibus, quàm animalibus functionibus salvis, in M. A. N. C. *Ann.* 3. *p.* 454. quæ omnia tamen beneficio *venarum raninarum sectionis* breviter evanuerunt.

Quoad *Prognosin Apolexia juncta Aphonia* difficilius curatur, ac interdum *diuturna* esse sole. Quæ *cum singultu* sunt *aphoniæ*, *pessimæ* sunt, authore *Hippoc. Bilbi profluvio* alvi maximè corripiuntur, teste *Hippocr. sect.* 6. §. 32. & hoc ipso ferè sanantur. *Aphoniæ per se & solitariæ*, modò ritè tractentur ægri, *successivè curabiles* sunt.

In *Cura* ad *primarium morbum*, cujus symptoma est *Aphonia*; aut saltem ad ejus *causam antecedentem* respiciendum, ut his remotis, facilior prædicti symptomatis fiat curatio. Pro quo curando ad *laryngem & ejus musculos ac nervos recurrentes* inprimis respiciendum tam *eorundem paralysin*, undecunque natam, quàm *spasmum* ex nimia irritatione *removendo*, *internè per volatilia aromatica & nervina*, aliàs *cephalica* dicta, subinde *sudorem* simul *provocando*, & etiam *ptyalismum masticatoriis promovendo*. Imò *in contumaciori malo* præsertim *paralytico diæta sudorifera ex lignorum decoctis* instituenda venit. Hinc *externè sacculi ex nervinis, aromaticis, spir. vini irroratis*, exterius collo applicandi, vel *spiritus apoplectici* cum *spiritu lumbricorum vel formicarum* eodem in loco calidè cum linteis multiplicatis adplicandi, aut *olea destillata nervina*, *succin. lavend. rutæ*, *juniperi cum theriaca* permista, aut *cum balsamo Peruv.* subacta, ibidem frequentius illinenda, aut etiam *essentia castorei* vel solitaria, vel istis sociata, sedulò admovenda. Pro quorum omnium meliori successu, ubi circumstantiæ aliæ permiserint, & venæ sectio *sub lingua* interdum institui potest.

VITIA VOCIS five VOX DEPRAVATA.

Vitia vocis funt varia, quando nempe *diverfimodè & non naturali modo* fonat vox. Præfuppono nempe hîc conftitutionem fiftulæ pneumaticæ ejusque capitis laryngis ceu vocem formantis, h. e. *vocales*, qui funt fonus ex larynge fimpliciter emisfus, & oris certa amplitudine, majori vel minori, absque nova allifione variatus, ficut, dum partes oris, fpeciatim lingua, vocem varia allifione & inflexione modificant, *confonantes* fiunt, & confequenter propriè fic dicta *loquela*, five *vox articulata* efformatur. Jam, uti notum eft, quod per fiftulam pnevmaticam in longitudine & latitudine, humiditate & ficcitate, aliisque qualitatibus & circumftantiis varius formetur fonus; nunc clarus, nunc ftridulus, nunc raucus &c. ita fimili ratione cum noftra fiftula pnevmatica five afpera arteria comparatum eft, fimilibus ex caufis vocem variante, fpeciatim quando eft ficca & arida, profert vocem claram, quàm fpeciatim in febribus vocant clangofam: ubi verò eft nimis humida, vox fit rauca & obfcura. Qua

DE RAUCEDINE

inprimis agendum cùm aliæ *vocis depravationes* vix fub medici curam veniant. *Vox rauca redditur, quando Aer expiratur per afperam arteriam & laryngem nimis humidam.* Præfuppono hîc, continuam in afperam arteriam tranfudare *lympham, item, moderatè glutinofam,* quæ eam humectat, ac partim ab aëre infpirato, vel inclementiori, vel variis permifto, defendat, partim ut, ubique eandem planam reddendo, voci formandæ aptiorem reddat, & tranfudat hæc ipfa ex glandulis juxta annulos laryngis fitis, de quibus præter *Bartholin. in Ep.* vid. *Schraderus in obf. p. 199.* quibus addatur *membrana glandulofa* interius cingens afperam arteriam, de qua *Willis. pharm. rat. part. 2. p. 11.* Quòd fi *lympha hæc* copiofius effundatur, & nimis humectet afperam arteriam, *raucedo* oritur.

Obfervandum autem eft *differentia Raucedinis* vel *recentis*, vel *inveteratæ*. *Illa* à lympha fimpliciter tenui, nunc mitiori, nunc acriori, nimis faltem humectante; *hæc* à craffiori, mucofo, tegmine aquofo obducente interius bronchum nafcitur. *Caufa remota* eft *irritatio laryngis*, cujus occafione copiofior lymphæ contingit irritatio, five fiat irroratio à *caufa externa* five *interna*. Quoad *externam*, eft *inclementia aeris hyberni*, *infpiratio fumi fulphuris accenfi*, aliorumve acriorum, quæ ad *raucedinem* difponunt: quib⁹ & fuo modo *diuturna loquela* vel *vociferatio intenfior*, aut *cachinnus diuturnior & vehementior* addi poffunt: nempe quo plus loquimur, eò copiofior emulgetur faliva per vafa falivalia ratione motus linguæ: parili ratione per motum laryngis & annulorum afperæ arteriæ copiofior lympha ex hujus glandulis provocatur. *Internè* ad *raucedinem* difponit five irritat laryngem *lympha acrior*, *falfior* aut *acidior*, quacunque occafione vel vitiata, vel ad afperam arteriam delata; quæ titillando

& irritando uberiorem lymphæ effusionem concitat. Ac talis *raucedo* vulgò *Catharro* tribuitur, & propriè *Bronchus* dicitur, qui *nullatenus à capite* destillare putandus est, contra vulgatam opinionem, sed ex *propriis laryngis & asperæ arteriæ glandulis* effunditur, & frequentissimè *à causis externis* provocatur. Interdum tamen etiam & ex *vitio externo* oritur. Facit huc *excoriatio partium asperæ arteriæ internarum* ex lympha simili acri, id quod *in lue ♀ea* obtinet, quæ sæpius *gravem & diuturnam raucedinem* infert. *Scorbutici* etiam ob acriusſle-rum facilè *raucescunt*. *Tussis crebrior*, præsertim in qua acrior plus minus materia rejicitur, irritando laryngem, & hinc copiosioris lymphæ instillationem provocando, ad *raucedinem* disponit: hinc *phthisici* item *empyematici* non rarò *raucescere* solent. Omnes hæ *causæ moderatæ*, aut quæ *facilè corrigibiles* sunt, *levem* inferunt *raucedinem*. Sin verò *majori impetu* aut *diutius* affligant, ita ut vel copiosior lympha continuò effusa, tandem spissescat, & in mucum degeneret, vel aspera arteria ad sui successivam excoriationem plus minus disposita, simul nutrimentum proprium, sub assimilatione alienatum, cum lympha transmittat, & undique branchiarum cannis affigat, talia *inveteratam raucedinem*, & quæ muci spissi oris expectoratione solvitur, inferre solent. Quin & inprimis in inveterata tali raucedine, aut in diuturniori malo, ad pulmones vel maximè respiciendum erit, cùm talis *occultam vomicam* tunc insequatur *pulmonum*, ut rectè hoc observatum fuit in *Act. Med. Haffn. vol. 2. p. 295.*

Quoad *Prognosin bronchi* & *coryzæ* in valdè senibus coctionem non admittunt *Hippocr. sect. 2. §. 40.* item, *Raucedo* per annum vel duos *confirmata* vix sanatur. *Raucedines*, quæ ob *suppurationem* sive *tabem* fiunt, ferè sub mortem futuram fieri solent.

Quoad *Curam* attendendum ante omnia, ut *causa remota*, & hinc *propinqua* removeatur. Unde attendendum inprimis, an *raucedo ab externa* vel *interna causa* inducatur. Deinde an *lympha humectans mitior*, an verò *acrior* fuerit, id quod juncta *Tussis* ostendit. Ac denique an sit *recens* vel *inveterata*; hoc est, an simpliciter à *lympha tenui*, sed *copiosiore*, an verò simul *à muco crassiori* oriatur: Id quod *partim* ex sensu majoris vel minoris titillationis, *partim* ex excretis per os, quæ screatu vel tussi rejiciuntur, manifestum est. In *recenti* igitur *malo* si sit à *causa externa*, hâc remotâ, *opiata* ac *lenientia*, *temperantia* irritationem & hinc lymphæ effusionem, sistendo eam curabunt. Si verò sit *recens à causa interna*, *temperantia* ac *opiata*, acrimoniam irritantem *demulcentia*, *sudorifera*, quælibet corporis contenta, atque etiam lympham *mundificantia*, & ordinarium *motum ejus promoventia* conveniunt, *præmissis*, si opus fuerit, *purgantibus* talibus, quæ sub seri formâ evacuare solent, in specie *Jalapp. Esula, Elaterium* &c. *Inveterata* verò curanda venit per *incidentia* & hinc *expectorantia*,

pro quo scopo interdum *vomitus* etiam necessarius est. Quòd si altiores in corpore radices habeat malum, v. g. *luem* ♀*eam*, *scorbutum*, *vomicam pulmonum* &c. ad hæc primaria cura dirigenda, simul tamen symptomati *raucedinis* succurrendum. *Temperantia* igitur item *opiata* & similia sunt præsertim *papaverina*. Unde *syrup. de papav. Diacod. Mont. essentia opii*, *theriaca* conveniunt. Præterea *dulcia temperata*, v. g. *syrupus de glyzyrrh. syr. violarum*, *de jububis*, quem *Rulandus* & *Dodonæus* valdè commendant, v. g. *in raucedine recenti & lympha tenui acri*:

℞. Syr. de jubub.
liquirit.
violar. an. ℥ß.
de papav. alb. ℥iij. M. capiatur subindè lambendo.

Rapæ earumque decoctum, præsertim *secundum cum sacchara*, perquam egregium est temperativum, ac quælibet ex *rapis dulcibus*, sive *recentibus*, sive *siccis* parata remedia. *Passulæ* elegantes etiam sunt, in specie *minores*, unde *rob passular. decoctum passul. cum aniso* egregium est remedium in *Raucedine*. *Flores sulphuris* quoque, item *balsamus sulphuris in raucedine* conducunt. *Isti* quidem in *recenti*, temperando lympham, & præservando partes spiritales ab erosione vel excoriatione. *Balsamus sulphuris* verò *anisatus*, vel *terebinthinatus*, vel ita simpliciter usurpatus, vel *cum sacchara* in pulveris formam redactus, convenit inprimis in *raucedine inveterata* etiamsi ad aliquot annos duraverit, curat simul *excoriationem* aut *incipientem* plus minus *exulcerationem partium spiritalium*. *Sperma ceti* itidem à ʒß. ad ʒj. in vehiculo *jusculi calidi* assumtum hic convenit.

Quoad *incidentia & expectorantia* in *raucedine inveterata* inprimis convenientia, excellit hic *syrupus de Erysimo Lobelii*, aliàs *syrupus ad raucedinem* dictus, mediante quo raucedinem desperatam se curâsse asserit *Lindanus*. Confer etiam *M. A. N. C. Ann. 3. p. 275*. Descriptio ejus ubique prostat. Vide in specie *Senn. l. 2. prax. part. 3. c. 3. p. 360*. Nempe *basis* dicitur esse *Erysimon*, cujus *semen & planta* sapore acri penetrante ad instar *antiscorbuticorum* egregiè incidit & dissolvit mucũ in raucedine inveteratâ. *Syrupi* hujus loco conveniunt *passulæ minores*, aut earundẽ *pulpa cum sem. Erysimi* contuso probè subacta, aut cum *erysimo recenti* decocta. Convenit etiam *Electuar. ex scordio*, *foliis salviæ*: item *rad. Helenii pulverisat. cum melle* ad consistentiam *Electuarii* spissioris subactis, quod *dosi* castaneæ aliquoties in die assumtum *dissolvit* & *expectorationem promovet*. Nam *mel simplex squilliticum* aliàs hîc in usu esse solet. *Rad. ari acris* inprimis commendatur ab *Horstio*, propinando nempe *pulverem rad. aronis* cum an. *sacch. candi* cum *syr. violar. vel jujubin.* instar *eclegmatis* Vel

℞. aq. hyssop. ℥iß.
    asthmat. Rupolph. ʒj.
    Syr. de Erysimo Lobel. ℥iij.
    S. Safft wider die Heiserkeit.

Brassica denique sive *caulis*, & in specie *ejus succus*, admodum *ad raucedinem diuturnam* laudatur, vel solus succus nonnihil inspissatus & cum melle mistus admodùm ad raucedinem extollitur. In specie videndus est *Codronchius de vitiis vocis & respirationis*, qui imprimis duo habet remedia, quæ instar omnium commendat, & quæ etiam *D. Michael*, tanquam probata sæpius commendavit.

Primum est *decoctum sequens:*

℞. hord. opt. non excortic.
    passul. minor. enucleat. an. ℥j.
    rad. liquirit. mundat. & concis. ʒij.
    caric. pingv. N. 6.
    herb. capill. ♀.
        hyssop. an. M. ß.
    sem. brassic. ʒij.
    pinear. recent. ℥ß. F. omnium decoctio in *aqua fontana*.

Colatura servetur usui. De hoc ipso capiatur ad ℥vj. ante somnum, & totidem in diluculo, vel etiam interdiu noctuque paulatim sorbendo. Inprimis in illa quæ fit ex *vociferatione*, v. g. in Concionatoribus & acclamatione, ita ut congeratur quasi *tensiva & phlegmatosa dispositio*, hujus usu vox ferè amissa una nocte restituta fuit. Uno nomine *potio hæc* temperat mirè & demulcet acrimoniam lymphæ, ac irritationem asperæ arteriæ, adeoque *in raucedine recenti* imprimis conveniens est.

Posterius remedium est:

℞. Succi brassicæ depur. ℥ij.
    sacch. penid. ℥j.
    oxymell. vel simpl. vel squillitic. q. s. F. *Electuarium molle* sive *lambile*.

Loco *sacchari penidiati* potius *syrupus de Erysimo* recipiendus. Convenit in *pituita crassa & tenaci* incidenda, unde fortius *extergentia* adhibenda, in quibus casibus hanc *misturam* sæpius experientia conformavit. Uno nomine, *in raucedine inveterata* inprimis conducit.

Familiare *expirationis vitium* est

TUSSIS,

opus quidem naturæ, h. e. *insolentia actionis*, *excitata propter materiam morbificam*, i. e. *actio extraordinaria*, *quæ non fit, nisi adsit materia naturam irritans*, adeoque est *bonum signum malæ causæ*. Est autem TUSSIS *motus convulsivus expirationis thoracis*. Fit scil. dum musculi thoracem cingentes & aërem sic expel-

lentes non blando nec naturali modo subsident, sed potius violenter simul contrahuntur, contractione quidem momentanea, sæpius tamen reiteratâ, ob id *ad motus convulsivos pectoris*, non autem veras convulsiones rectè refertur *Tussis.*

Adest aliàs complicata actio in tussi, ex strictura nempe aliquali laryngis ob irritationem, ex forti & vehementis aëris ex thorace elisione propter vehementem hujus contractionem. Utrumq; occurrit in tussi; exinde enim exsurgit ille sonitus, qui in tussi percipitur, si larynx non stringitur, utut vehementer expiremus, non tussimus, sed si stringitur, sonitus ac vera tussis adest.

Pars affecta sunt *nervi ac musculi*, à spirituum impetu in motum convulsivum acti. Afficiuntur igitur hi à *quavis irritatione*, quæ liberam respirationem impediat, in quocunque etiam sit *respirationis organo*, in *pulmonibus*, *faucibus*, *diaphragmate ventriculo*, *epate inflammato* &c. Frequentissimè tamen *occasione irritationis asperæ arteriæ*, vel sine tali occasione prævia *ex solis spasmis & motibus convulsivis*, tam ex primario affectu, quàm ex consensu cum aliis partibus nerveis, *in tussi* nempe *convulsiva.* Sic enim quærunt Anatomici, unde sit, quod auriculæ membrana interior vexata stylo, oriatur tussis inanis? ac rectè dicunt, fieri per *consensum* propter *irritationem*, & hinc aliqualem *spasmum plexus nervi auditorii*, *cum nervis intercostalibus* præsertim istis *ad asperam arteriam derivatis.*

Sic etiam observantur subinde *tusses convulsivæ præternaturales* sine vitio partium spiritalium per *simplicem nervorum spasmum.* Exempla vid. in *Willis. Pathologia cerebri, de morb. convulsiv.* ubi *de Tussi convulsiva.* Quales tusses convulsivæ *hypochondriacis & hystericis* sunt frequentes, in genere iis, qui *vitiis nervosi generis ex acido præternaturali* sunt obnoxii.

Sed missis his mere *convulsivis* illam in specie consideremus *tussim*, quæ *causam materialem* respirationis organa afficientem agnoscit, præsertim eam, quæ ex *prævia irritatione asperæ arteriæ* originem ducit, adeoq; tam laryngis quàm branchiarum, cum appendicibus vesicalibus sive lobularibus, ut vocat *Willis. Pharm. rat. part. 2. p. 8.* affectionem sequitur, sive ut *Helmont.* loquitur, *tussis oritur sensu noxii, infestantis laryngem à sui principio usque ad pulmonum profunditatem*, sive mediatè sive im̃ediatè eadem afficiatur. Ad quem posteriorem modum, & ventriculus acri lymphâ vellicatus, & *diaphragma* malè affectum spectant vel concurrunt. Quò facit historia *Bartholini* de tussi per annum inveterata in vacca, in qua salvis pulmonibus inventum fuit jaculum diaphragmati infixum. *cent. 6. hist. 97.* & epar inflammatum, quod siccam tussim comitem habet. &c. Adeoq; pars adfecta à causa occasionali materiali est *aspera arteria* sensibilissima, cujus *causæ occasionalis irritantis* focus sive fomes nunc in *pectore*, nunc in *stomacho* observatur. Jam verò considerandæ inprimis *differentiæ*, dum I. *ratione modi Tussis* est vel *sicca*, vel *humida*. *Sicca* est, quoties magno labore nil excernitur, sed irrito tussiendico.

dico.

di conatu corpus universum fatigatur, quâ *tussi inani* non rarò tam *capitis*, quàm *hypochondriorum* aliarumque partium *dolores contundentes*, plus minus *lacerantes*, oriuntur, imò quâ ipsæ nunc *Herniæ* excitantur, nunc in voluntarium *urinæ aut alvi profluvium* subsequitur. Qualem tussim graviorem ac vehementiorem *tussim ferinam* secundum *Hippocratem* appellare solent. *Humida* verò est, quando concussionis illius ope *humor, sanguis, pus, mucus*, sive *pituita* & similes liquores per os excernuntur, ex quocunque loco talia proveniant.

II. *Causæ irritantis ratione* oritur *tussis* vel ab *interna* vel *ab externa causa*. Utræque *tussim*, tam *siccam*, quàm *humidam*; & quidem pro loci materiæ occasionalis ratione vel *pectoralem*, vel *stomachalem* excitare possunt.

Tussis pectoralis sicca frequenter oritur ab *externis inspiratis*, quæ primò dant tussim siccam, simpliciter ex *irritatione*, consequenter etiam *humidam*, ex *majore partis irritatæ læsione*. Hinc enim *aer inclementior* præsertim *hybernus*, *fumi acidi minerales* inspirati ordinariò nunc asperam arteriam, nunc membranam pituitariam posteriorem, propè fauces sitam, afficiendo & irritando tussim inferunt: quam aliquandiu continuatam & *pectoris angustia*, & quasi *compressivus* ac *gravativus circa pulmones sensus* cum aliquali *respirationis difficultate* insequi solent, quæ omnia symptomata non *materiæ collectionem*, sed *irritationem bronchiarum & pulmonum* insequuntur. Ex horum enim aliquali contractura & *gravativus* ille *sensus*, & hinc *respirationis* aliquale *impedimentum* sequuntur, de quo supra, ubi *de Asthmate*. Tussis hæc aliquandiu continuata & hactenus *sicca*, tandem evadit *humida*, ac *materiæ* primò *serosæ*, tandem *mucosæ*, expectoratio sequitur. Communis hîc fert fabula, destillare talem materiam ex capite in laryngem, quod falsissimum est, non enim saltem in larynge & bronchiis pulmonum, sed in ipso etiam pulmone successivè colligitur, & hinc evacuatur. Nempe:

I. *Uberior lympha* ex irritatione transudat in dicta loca, quæ pedetentim condensatur in *mucum* plus minus *crassum & viscidum*. Quod si *gravior* ex irritatione dictorum sit *læsio*, & *phlegmonodes* plus minus *dispositio*, vel etiam aliqualis *excoriatio*, ipsum nutrimentum dictarum partium in debita assimilatione impeditum unà transudat, & successivè alteratum, sub *muci pituitosi* formâ evacuatur. Hinc ordinariò duo tempora in tali tussi distinguere solent: Quamdiu enim est *sicca*, *tussim à catharro tenui* esse asserunt, materiam adhuc crudam evacuationi ineptam: Hinc *remedia coquentia* sive *incrassantia* dicta, revera *anodyna & temperantia* usurpant.

Deinde dum est *humida*, & mucus excerni incipit, materiam coctam asserunt: adeoque *incidentia* pro facilitanda *expectoratione* usurpant: Generari ista in ipsis partibus affectis, non verò ex capite eò transmitti, aut in tali *tussi à causa externa*, tanquam saburram excrementitiam in pulmones deponi à natura ex massa sanguinea proprio exemplo didici. Eram

Eram sanissimus, tempus erat æstatis suavissimum, ac parabam *cyssum ♁ii acidum*, sed dum rumperetur retorta, inspirabam copiosè fumum ex *sulphure & antimonio*, ex quo acido fumo in vehementem *coryzam* & *tussim* per 4. septimanas incidebam, excernendo utrinque copiosa & mucilaginosa, quæ non destillabant ex capite, cùm nullæ pateant viæ, nec in corpore aut massa sanguinea inerant, sed fiebant in summitate narium & aspera arteria, *propter acidum*, lædens has partes, unde primò copiosior lympha alluebat, postmodum superveniente *dispositione phlegmonode* & aliquali *excoriatione* dictarum partium ex degeneratione alimenti proprii copiosa mucilaginosa ejiciebam, donec irritatione cessante, indeque lymphæ copiosiore affluxu desinente, & sponte naturæ restitutis partibus læsis, alimento non amplius degenerante, omnia illa symptomata cessarent. Hoc nempe est, quod suis custodibus tribuit *Helmont. Tr. Custos errans*, qui dictis partibus præsides, eas ab externorum inspiratorum injuriis defendunt, quibus læsis & hinc errantibus, privata illorum locorum digestio vitiatur, & ros nutritivus in tale liquamen viscidum pervertitur. Quæ omnia facilè ex dictis conciliari possunt, per custodem dictarum partium spiritū insitum & hinc influentem intelligendo. Ex tali *causa externa* genitæ *tusses* nunc sunt *propriæ*, nunc verò *sparsæ* seu *epidemicæ*, prout quodcunque grave aëris vitium inspiratione plures læserit.

Oritur etiam non rarò *tussis pectoralis* ex vitio *lymphæ acrioris* & *salso-acidioris*, & in specie *Tussis catarrhalis* dicitur, ut plurimùm *febrim catharralem* junctam habens, sive prævia externa occasione, sive proprio naturæ motu lympha ita alterata ad laryngem, asperam arteriam ac pulmones feratur, & *tussim siccam*, successivè *humidam* inferat. Talem *tussim catharralem* ferè comitari solet *febris catharralis* plus minus intensa, in qua ægri interdiu satis commodè habent, à meridie & apparente vesperâ vagis horripilationibus vexantur, quas ingruente nocte insequitur *æstus totius corporis*, non tamen adeò intensus, sed plus minus moderatus, præsertim capitis, & hinc reliqui corporis, donec revertente aurora *febricula* denuò cesset. Hinc etiam non rarò accidit, ut etiam sub *æstu* illo *febrili artuum lancinationes & dolores vagi* unà affligant, ex lymphæ acido sapore partes nerveas vellicantis oriundi. *Tussis* inprimis est *nocturna*, interdiu parcius longè affligens.

Tussis talis *catharralis* originem ducit ex *lympha* vel *salsidiore*, vel *acidiore*, tam *organa spiritalia* irritante; quàm in massa sanguinea *febrim* talem plus minus *lentam* excitante. Non rarum quoque est, *tussim* talem *siccam nocturnam sine febre* affligere, pariter ex catharrali vitio lymphæ oriundam. Itidem *Catarrhis* depluentibus à capite tribuunt authores eam; sed post *Helmont. Tr. Catarrhi deliramenta*, inprimis *Shneiderus de Catar-*

Ee rhis,

rhis, caliginem excussit. Hic enim in eo est totus, ut dicat, *tusses* tales *catharris tributas*, tam *siccas*, quàm quæ successivè superveniunt, *humidas*, oriri ex *materia transsudante ex sanguine per membranas*, ceu colatoria. Verùm rectius *Steno* observavit, quod post tales tunicas communiter *pituitarias Schneideri*, ac alias similes, per quas serosæ materiæ fit transcolatio, copiosæ sitæ sint glandulæ, quarum orificia per istas tunicas hient, & ita lympham in istas cavitates effundant. Adeoque, dum dicit *Schneiderus*, *in coryza* transsudare mucum per tunicam pituitariam superiorem, *in Broncho* verò transsudare membranam asperam arteriam investientem, potius cum *Stenone* dicendum, sub his tunicis latitare glandulas, lympham suam per istas excernentes.

Lympha talis *præternaturalis acrior*, *salsior*, *acidior*, aliove simili plus minus corrosivo sapore imprægnata est, qualis in iis, qui ad *phthisin* inclinant, item qui aliàs *adfectibus habitualibus* sunt obnoxii, item in *scorbuticis* observatur; Talibus hujusmodi *tussis* inprimis *nocturna* frequentior existit: Procedente tempore ex dictis causis *tussis* fit *humida*, & dum excoriatur, ac procedente ulterius malo exulceratur aspera arteria aut pulmo, *phthisis perfecta pulmonalis* eam insequi solet, dum primò ex *nutrimento vitiato mucus*; ulterius *ex procedente corrosione materia* quasi purulenta, tandem in perfecta exulceratione pus genuinum tussiendo expectoratur.

Radix mali, unde talis *lympha vitiata* generatur, *tussim* talem *catharralem* præsertim *nocturnam* inferens, est in *ventriculo*, *errata* nempe *digestionis* ejus & hinc *deficiens* in intestinis *ejusdem perfectio*, quibus in locis *chylus vitiosus*, *salsus* aut *acido-salsus* genitus sui labem, mediante lympha *variis partibus*, ac speciatim, quavis etiam occasione eò derivetur, *pulmonibus* affricat. Ratio, quare *tusses* tales *vespertino* & *nocturno tempore* magis exasperentur, adhuc intricata est. Universale aliàs est, quod *morbi à seri ac lymphæ vitiis oriundi* his temporibus magis exacerbari soleant. Ad quod ipsum non parum videtur ferre *prohibita* plus minus *transpiratio insensibilis*, vesperi, ex remittente tempore diurno, minus copiosè procedens.

Ad has *tusses ex lymphæ vitio* genitas pertinent etiam *tusses*, quæ in principio *variolarum & morbillorum* solent affligere; item quæ *infantibus ex malè curata scabie*, aut *ex tinea capitis*, aut *achoribus* quovis modo *repulsis* nascitur. Hæ ritè tractatæ curari possunt, ut non fiant *humidæ*; sin minus, *tussis* etiam *humida* supervenit, ex supra dictis rationibus, imò & *phthisis variolis* successivè, observatum fuit. Ad has *tusses pectorales* pertinent etiam istæ *humidæ*, quæ post *febres ardentes*, præsertim *minus acutas* contingunt, dum, nullibi apparente crisi, natura materiam coctam in fine status, & fine declinatione morbi ex vasis sanguineis in pulmones deponit, & ita *copiosa tussi humida & mucilaginosa* judicat. Ad *tusses pectorales* pertinent & istæ in *Pleuritide*, quæ in principio sunt *sic-*

ca,

ca, procedente tempore ex lympha & sanguine mixtis, & mutua temperatura tertium mucosum constituentibus *humidæ*, quin & in *supurata pleuritide purulentæ*, non secus ac in *pulmonum exulceratione*. Ne autem confundatur *tussis pectoralis* cum *stomachali*, in specie consideretur, 1. *Locus irritationis* sive *titillationis*, quæ ad tussim stimulat, quæ si in *larynge*, aut *aspera arteria*, aut *superioribus pectoris locis* percipiatur, manifestum est, exinde excitari tussim. NB. Jubeatur æger profundius respirare: Sic enim mox tussire incipiet, si vitium est in *pectore ac pulmonibus*; secus si in *stomacho*. 2. *Respiratio*, quæ quò magis affligitur, & quidem ita, ut *circa superiora pectoris loca* ejusdem impedimentum percipiatur, *tussim pectoralem* esse indicio est. 3. *Sonitus*, qui magis *superficialis*, item interdum quicunque *ex cavo thoracis* procedit, *tussim pectoralem* ostendit. Sanè tot sunt modi in sonitu tussis, quot sunt loca, in quibus materia latet, & quot sunt differentiæ materiæ excernendæ. 4. *Adjuncta* quoque *symptomata* simul consideranda sunt; Sanè ubi magis *noctu* affligit, aut ubi *febricula* simul adest *nocturna*, *tussim pectoralem* ostendit.

Quoad *Tussim*, cujus *occasionalis fomes* in *Oesophago* & *stomacho* latitat, & hinc mediatè *asperam materiam* afficit, sive quatenus *diaphragma* ab affecto orificio ventriculi superiore vellicatur, sive quod simul æsophagus vellicatus, contiguam sibi asperam arteriam per consensum afficiat, ac in tussim proritet.

Paradoxon quidem videri posset, ex *ventriculo tussim* derivare velle; sequor tamen in eo *Lindanum*, qui in suis *Meletematibus*, ac præterea super *Hartmanni praxin Chymiatricam* expressis verbis dicit: Mihi compertum est pluribus observationibus, plerumque *tussim* esse à ventriculo: *Ubi* autem materia latitet, & *unde* procedat, *ex sono* dicere possum, qui variatur pro materiæ & loci conditionibus. Si *materia* est *tenuis*; *acutus* est *sonus*; si *salsa* & *tenuis*, & *in ventriculo* delitescit; *furibunda tussis* est, in qua vix aliquid egeritur, licèt cum summo conatu tussiant. Certum est quod dixi, *plerasque tusses fieri ex ventriculo*, cum materia vellicans est in rugis ejus & orificio superiori. Hanc *Lindani* sententiam illustri ac notabili exemplo confirmatam vide in *M. A. N. C. Ann. 6. obs. 6. p. 16.* Quò etiam pertinet in *Schenck. observ. p. 237. Tussis nova* Lutetiis grassans, *quinta* dicta, in qua etiam ventriculus affectus fuit. Ac sanè quotidiana illustrat observatio, quædam deglutita, etiam si non intrent asperam arteriam, tussim concitare, quoties nempe bibimus aquam vitæ, aut aliud spirituosum acrius, eo tempore, quo transit gulam, fiunt simul tusses siccæ, subinde satis vehementes. Hinc præter assumta etiam ex causa interna frequentes sunt *tusses stomachales* tam *siccæ* quàm *humidæ*. *Siccæ* quidem speciatim *ferinæ* à *materia salsa*, *acri*, præsertim *tenui*, pertinacius orificium superius affligente.

Pertinent huc etiam *tusses* illæ, quæ in principio paroxysmorum *febrium intermittentium* una alterave hora paroxysmum antecedunt, quæ revera sunt ex stoma-

stomacho, & sequuntur motum inchoatum fermenti febrilis tam in stomacho, quàm motum humorum in primis viis, à dicto fermento febrili agitatorum, ac tales ferè sunt *hypochondriaci*: Tales enim tusses sunt, quas quidam contrahunt, dum in lectis aëri liberiori se exponunt circa regionem stomachalem, exindè facilè fit, ut pertinax *tussis stomachalis* superveniat.

Humidæ autem *tusses* ex *stomacho* oriuntur, interdum, sed rarius, ex prægresso errato diætæ, aut digestionis, undecunque facto, impedimento, & congesto hinc *muco salso*, orificium vellicante, & mediate ac per consensum tussim provocante, cum materiæ viscidæ excretione ex profundo, & ipsis ægris hoc fatentibus, stomachi regione elevata. Sed frequentior *tussis humida* fit per δευτεροπάθειαν, quod sæpius fit *ex læsione membranæ pituitariæ posterioris*, sive *ab aere externo inspirato* malè afficiatur, qua occasione ferè *coryzam conjunctam* sequi solet, sive interdum *lymphæ acrioris*, per membranam hanc transcolatæ, eandem irritantis & plus minus excoriantis *vitio* accidat. Talibus enim occasionibus per hanc membranam copiosè *lympha spissior*, & junctim simul *nutrimentum ejusdem proximum* pedetentim per œsophagum destillat, orificium ventriculi superius vellicat, & hinc primitus *tussim siccam*, hinc *humidam stomachalem* concitat. Sequitur hinc *tussis gravis* cum *copiosæ* admodum *materiæ viscidæ* rejectione, imò non rarò superveniente *vomitu*, nunc *pituitæ*, nunc *alimentorum ingestorum*. Estque hæc *tussis* ista, quam communiter ægri dicunt esse *catarrhum ex capite depluentem*, cujus defluxum per fauces exactè sentiant.

Media, quibus hujusmodi *stomachalis tussis cognoscitur*, sunt 1. *Locus irritationis*, sive ubi primò sentiunt ægri tussiendi stimulum. 2. Est *sonitus non adeò superficialis* ac in pectore, sed ferè quasi ex profundo loco erumpens. 3. *Vomitus* tussim hanc graviorem præsertim in inferioribus concitans. 4. Adjuncta, nempe *Anorexia*, ἀπεψία, *sensus stomachi gravativus* & similia. Cùm verò interdum subsit *catarrhale vitium*, ratione lymphæ per illam membranam pituitariam excretæ; etiam non rarum est, vespertino tempore magis exasperari hanc tussim, utut magis continuò affligere soleat.

Quoad *senum tussim*, variæ sunt hæ ipsæ; Nunc vitium est in *aspera arteria*, idque ferè contractum occasione *inspirati aeris*. Quod si citra tale erratum præcedens senes tussientes excernant *copiosa viscida*, ac simul conquerantur de *dolore* plus minus *compressivo* circa scrobiculum cordis, *tussis* est revera *stomachalis*, nata ac sustentata ex *defectu digestionis* præcipuè in senibus.

De *arthriticorum tussi* res etiam intricata videtur. Observavi aliquoties, *arthritidi obnoxios*, si hæc aliquandiu inducias dederit, quod tales facili occasione *tussim*, eamque *humidam* incurrant, cum *sensu molesto circa scrobiculum cordis*, ac *difficili* plus minus *inspiratione*, quæ symptomata, superveniente *podagrâ*

grâ breviter, & quasi sponte evanescunt. Revera *stomachalis* hæc videtur *tussis*, cum *faber Podagræ* revera in *stomacho* cudatur.

Observandum denique, varias has *tussium differentias* subinde complicari, ita ut in dispositis *tussi humidæ* facilè superveniat *tussis convulsiva*. Exemplum habemus *in infantibus*, qui interdum nimis tussiendo, pectore convulso, à respiratione cessant, quod vocant: Sie bleiben aussen. Sic in fœmina gravida, aliàs Epilepticis pathematis obnoxia, gravem *tussim stomachalem* patiente observavi, quod aliquando per plures dies *tussi* huic *humidæ* propter viscididitatem materiæ laboriosæ, validissima *convulsio pectoris* supervenerit, ceu genuinum *asthma convulsivum*, ita ut ægra subinde suffocanda videretur, quod adstantes non stolidè pro *catarrho suffocativo* habebant. Sic pariter *tussis humida*, tam *stomachalis*, quàm *pectoralis*, ferè complicari ac simul affligere possunt.

Prognosis facilis est. *Fundamenta* ejus ex varietate *causarum efficientium*, *subjectorum patientium*, & utriusque *adjunctarum circumstantiarum* desumi solent. Nempe *tussis à causa externa*, est *absque periculo*: si verò *crebrius* affligat in *subjecto*, quod *debiles* habet *pulmones*, aut quòd *lymphâ*, *sero* ac *sanguine salsioribus ac acrioribus* est præditum, *phthisin pulmonalem* post se trahere potest, vel *hæmoptysin* inferre &c. *Tussis ferina* tam in infantibus quàm etiam adultis maribus *herniam*, prægnantibus *abortum* inferre potest. *Tussis* præsertim *capiti* & *oculis* nocet. *Tussis pectoralis* ex vitio *lymphæ catarrhalis*, præsertim *nocturna*, non contemnenda; prodromus enim *phthiseos*, quam ex catarrhis oriri putant, esse solet. *Tusses senum diuturnæ* non maturantur, dicit *Hippocr. sect. 3. aph. 40.* *Scorbuticis frequentiores tusses* sunt suspectæ, ne ex partibus affectis serosis *phthisin* contrahant. Interdum *febribus continuis* in declinatione *tussis humida* supervenit, quæ si rectè procedat expectoratio, *bona* est, sin minus, *hecticæ* periculum infert.

Quoad *Curam*: In hac ante omnia attendendum, an *Tussis* sit *morbus primarius*, an verò *secundarius*, qualis v. g. *phthisicorum*, *pleuriticorum* &c. Nam hæc, primario morbo sublata, vel sponte cessat, aut sedatur: Interim *motus materiæ* promoveatur, si hic deficiat, ut in *phthisicis*, sufficienter *expectorantibus*; aut *inhibeatur*, si sit *nimius*, ut in *tussi ferina* crebrius inani. Aliàs *materia medica* in tussi tribus ferè generalibus Capitibus absolvitur, nempe *incrassantibus*, *incidentibus* & *balsamico-vulnerariis*.

Incrassantia sunt *opiata* ac *temperata*, quæ *irritationis sensum* sistunt, *acre vellicans* mitigant, & ita materiam vellicantem ad consistentiam moderatam pro meliori expectoratione disponunt; unde ab effectu *incrassantia* dicuntur. *Incidentia* sunt, quæ in tussi humida *mucum glutinosiorem* pro meliori expectoratione disponunt & *attenuant*, ac *mobiliorem* reddunt.

Balsamico-vulneraria, quæ noxiam *excoriationem bronchiorum* aut *pulmonum* aut *stomachi* emendant, ut ulteriores progressus maturè inhibeantur. His ita præmissis 1. *Tussis pectoralis sicca*, si fuerit *recens*, & *à causa interna* inducta, *hac* tantisper *remota* vel *correcta*, *opiata* eam sistunt.

Præservant causas externas, in specie *inclementioris aëris* insultum, *Balsamum ex oleis destillatis* v. g. *apoplecticum*, largiter naribus illitum: item *aërem mineralium fumis* inquinatum, ne corpori noceat, præservant *panis* comestus *largiter butyro illitus*; item *Theriaca* usurpata, præsertim si hinc expectetur *sudor*, mediante quo aliqualis noxa inducta promtè elicitur. Quod si ex his causis nata *tussis* fiat *humida*, eodem modo, ac aliæ tusses humidæ, curabitur. Quod si sit *tussis nocturna*, adeoque *catharralis*, curatur (nunc præmisso, nunc omisso *vomitu*, qui in quavis tussi est *proficuus*; in contumaciori verò, præsertim stomachali, est necessarius) per *volatilia sudorifera*, *opiatis* mista, *lympham corrigentia*, blandè *discutientia* & vellicantis *irritationem sistentia*, vesperi imprimis assumenda, v. g. *spir. salis armoniaci* præsertim *anisatus*, *Liquor C. C. succin.* cum *essentia opii* mistus, quæ præsertim conducunt, si *febris catharralis* juncta fuerit: si verò *citra febrim* fuerit *tussis sicca nocturna*, pro lymphæ vitiis corrigendis optimæ sunt *Pilulæ de styrac. Sylv. Prax. l. 1. cap. 20. p. 284.* Item *Pilulæ Schröderi N. 6. de styrace*, aut *Pilulæ ad tussim N. 7.* Item præter *opiata ac papaverina temperata*, *incrassantia dicta* ex *rapis*, *violis*, *jujubis*, *succino*, *benzoe*, *spermat. ceti*, *flor. sulphuris* &c. paratæ. item *ficus cum spiritu vini combustæ*, *species diaireos* usitatæ, *pulveres pectorales varii* &c. v. g.

℞. aq. fœnic. ℥iij.
asthmat. ℥vj.
Diacod. Mont. ℥ß. M.

capiatur subinde cochleatim pro lubitu ægri. *item*:

℞. Syr. de jujub.
papav. simpl. an. ℥ß.
aq. papav. rhæad. ℥j. M. pro 2. dos. vespert. 1. bihorio ante cœnam. 2. sub introitu lecti assumenda.

Vel: ℞. spec. diair. usit. ʒj.
flor. sulphuris ʒß.
laud. opiat. gr. iij. M. F. pulv. pro 3. dos.

Vel: ℞. spec. diair. usit. ʒjß.
flor. sulphur. ʒij.
laud. op. gr. iv. vel v.
c. s. q. sacch. in aq. scabios. solut. F. Rotulæ, S. Küchlein/ quæ crebrius sumendæ.

Vel: ℞ spir. salis armoniaci anisat. ʒjß. ad ij.

Essent.

Essent. opii ʒß. M. D.

S. Brust spiritus, 40. vel 50. Tropffen auf einmahl/ bihorio ante cœnam, &, si opus, ante introitum lecti.

℞. Tinct. sulphuris Willis. (Pharm. rat. p. 2. p. 113.) ʒij.
essent. opii ʒß. M. D.

Dos. 40. vel 50 guttæ eodem modo usurpatæ. Vel:

℞. aq. scabios. ℥ij.
papav. rhæad. ℥j.
Tinctur. sulphur. ʒjß.
diacod. ℥iß M. D. S. Hustensafft.

In tussi verò sicca, cum febricula catharrali juncta

℞. aq. scabios. ℥iij.
spir. sal. armoniac. anis. vel
liquor. C. C. succin. ʒj. vel ʒiß.
syr. papav. alb. ʒvj. vel ℥j M. D.

capiatur crebrò imminente paroxysmo & post mediam noctem, expectando blandum sudorem. Vel:

℞. Conserv. tussilag. ℥ß.
laud. opiat. gr. ij. M. F. Bolus.
D. S. Abendzucker auf einmahl. bihorio ante cœnam.

Possunt hîc ad Tussim pectoralem siccam applicari omnia ea, quæ supra de recenti fuerunt monita.

II. TUSSIS *humida pectoralis.*

Materiæ vel *causæ irritantis evacuatione*, adeoque per *incidentia*, *attenuantia* atque *expectorantia* dicta, interpositis præsertim *vomitorio* vel *moderato purgante*, (nam *tusses pectorales* à purgantibus solent exasperari) deinde per *pectoralia vulneraria*, læsionem bronchiis & pulmonibus inductam tollentia, ulteriorem progressum, aut recidivam faciliorem præcaventia. *Pro priori scopo gummata*, in specie *ammoniacum*, *spir. asthmaticus*, *syr. Nicotian*, *Oxymella*, *succus raphani*, *mel*, & ex *hoc* & *scordii* & *helenii pulvere* paratum *Electuarium*. In genere omnia ea, quæ supra in *asthmate humido* item *raucedine inveterata* fuerunt commendata. *Pro posteriori scopo* conveniunt *potiones pectorales* ex *tußilag. hedera*, *terra sigillat. scabios*, *helenio*, *veronic*, *lign. sassafr.* item *sulphur*, *benzoes*, *bals. sulph.* &c. v. g.

℞. aq. hyssop.
tussilag. an. ℥ij.
syr. de tussilag. ʒvj.
nicotian. ℥ß.

Oxym.

oxym. squillitic. ℥j.
aq. asthmat ℥ß. M. S. Lufftsafft.

℞. aq. fœnic.
hyssop. an. ℥ij.
asthmat. ℥j.
oxym. squillitic. ℥j.
Syr. Nicotian. ℥vj. M. capiatur subinde cochleatim.

Vel quibus sapor non est molestus, *gummi ammoniaci*:

℞. aq. hyssopi ℥iij.
asthmat. ʒvj.
gumm. ammon. aceto solut. ʒj.
syr. Nicotian. ʒvj. M. D.
S. Hust- und Brust-Safft.

Pro *purgationis scopo*, *vomitoria* equidem nota sunt, quæ nunc per se, evacuationis scopo usurpantur, nunc supra dictis *potionibus pectoralibus* in minuta dosi adduntur, pro promovenda *expectoratione*. Pro scopo *purgandi per inferiora* convenit *massa pilul. de hiera cum agarico*, addito *gumm. ammon.* v. g.

℞. mass. pilul. de hiera cum agaric. gr. xv.
gumm. ammoniac. acet. sol. ℈ß.
Extr. troch. alh gr. j.
c. s. q. ol. destill. anis. F. *Pilulæ*.

Quin etiam his ipsis *Mercurius dulcis* commodè potest addi. *Opiata* ac similia in *tussi humida* ubi *expectoratione* opus, non conveniunt, excretionem enim impediunt, & hinc materiam evacuandam crassiorem ac viscidiorem reddunt. *In fine* tamen, ubi maximam partem evacuata est mucilago, & crebrior tussis inanis, sæpius repetens, antequam aliquid ejiciatur, superest, in talibus ad vestigia læsionis irritantis delenda, commodè cum aliis *papaverina* usurpari possunt, ut nempe his nimia irritatio ac crebrior frustranea tussis suspendatur, interea verò materia expectoranda præparetur, ut minori labore excernatur. v. g.

℞. aq. scabiol. ℥ij.
asthmat. ʒvj.
flor. sulphur. ℈j. ad ʒß.
Diacod. Mont. ℥j. M.

Pro *posteriori loco potiones vulnerariæ* cum *pectoralibus* compositæ in usu sunt. v. g.

℞. lign. sassafr. ras. ℥j.
maceretur in aq. communi Mens. ij. adde
herb. heder. terrestris
scabios.

pulmon.

pulmonum an. M.ij.
sem. anis.
fœnic. an ℥ß.
liquirit. ras. ʒiij.
passul. min. conquass. ℥j.
coquantur invicem ad tertias. Colatura D. S.

Vel: ℞. herb. marrub. - hyssop.
tussil. - Pulmon. an. M.ß.
veronic.
heder. terrestr. an. M. j.
flor. scabios.
helen. an. p. ij.
rad. Ireos Flor.
helen. an. ʒvj.
sem. carth. contus. ʒvj.
mechoacann. alb. ss ℥j.
passul. min. ℥j. incis. & contusa. D. S.
Brust. species.

Ex his in *aqua* decoctis potest fieri *decoctum pectorale*, vel possunt coqui cum *hydromell.* & per manicam Hippocratis aliquoties colari, & usurpari bis vel ter in die, pro urgentia affectus, manè haustum calidum, à meridie bihorio ante cœnam, & sub introitu lecti, vel de *Balsam. sulphur. anis.* in declinatione mali *gt. x. xij.* semel vel bis quotidie sumantur.

Vel: ℞ rad. Ireos Flor. ʒij.
fl. sulphuris ʒj.
ol. destillat. anis. ʒß.
fœnic. gt. xv.
sacch. opt. ʒiij. M. F. pulv. D. S.

Vel: ℞. pulp. passul. min. ℥jß.
fl. sulphuris ʒß.
c. s. q. syr. papav. alb. F. *Elect.* de quo capiat æger pro lubitu.

Nempe jam à *Celso* contra *tussim pectoralem à lympha acri* commendatum remedium, ut *fl. sulphuris* ℈j. quovis manè in ovo sorbili accipiatur. Conf. *Ruland. Thesaur. p.* 109.

III. *Tussis stomachalis sicca, ferina*

curatur præmisso *vomitorio* partim per *opiata*, partim per *temperantia*, *passulas*, *decoctum raparum*, *liquirit. ejus succum*, *fl. sulphuris*, *decoctum helenii cum passul. Elect. helen. cum melle*, ac cætera supra *in tussi sicca* laudata. Sed hæc, modo præmissus fuerit *vomitus*, ut plurimum sponte evanescere solet, tantillis *tempera-*

peratis postea assumtis. Vel *rad. helenii* unà cum *uvis Corinthiac.* coqui *in vino dulci Hispanic.* & post coctionem fortiter omnia exprimantur: tum *sacch. cand. rubr.* addatur pro lubitu, vel ad consistentiam aliqualem *Syrupi*, manè & vesperi detur cochl. j. interdum etiam de *Diacodio* vel *essentia opii* cuilibet dosi aliquantulum addi potest.

IV. *Tussis stomachalis humida*

Curatur præmisso *vomitu*, *aromaticis nonnihil temperatis stomachalibus* reliquias *attenuantibus*, & stomachi tonum *restaurantibus*, v. g. *Elixir. menth. Elixir. propriet. sine acido*, *Tinctura Tartari acris* vel sola, vel cum *spiritu salis armoniaci anis. Diacod. Mont. Malvat. juniperin. Ficus in spiritu vini maceratæ*, hunc postmodum desuper deflagrando &c. Quin etiam, præmissis præmittendis, in tali tussi aliquando *liquorem terræ fol. Tartari*: item *Tincturam vitrioli Martis Zvvelff.* pro debita rugarum ejus expansione proficua observavi.

Non omittenda est *sudoriferorum* utilitas, de quibus *Lotichius lib. 3. obs. 1. c. 1. p. 239.* Ad materiam pulmonibus impactam digerendam, attenuandam, & per sudores successivè evacuandam nihil utilius excogitari possit *decocto lign. Guajac.* quo, tanquam affectus hujus *Bezoardico*, tum alii Medici, tum ego ipse singulari successu usi sumus. Conf. de his *Willis. Pharm. rat. part. 2. p. 110. 117.* Certè *in tussi Chronica*, præsertim *sicca* pectus affligente, & *à lympha vitio* oriunda, adeoque *phthisin* plus minus minitante, pro ejus correctela optima sunt hæc *decocta*; præsertim *sassafrata*; item *decocta sassafras* aut *chinæ cum passulis*.

Cùm *fauces* subinde sint læsæ, & ab acriori lympha plus minus excoriatæ, rubentes & quasi inflammatæ, ob id *blandè temperantia*, *dulcia* & similia conveniunt pedetentim deglutienda, & quibus partim leniuntur fauces, partim etiam lubricantur, ut facilior sequatur expectoratio; id quod occasionem dedit terrori, quasi talia in asperam arteriam penetrarent, & ita expectorationem promoverent. Sunt autem *Syrupus de scabios. violarum*, *jujub. liquiritiæ*, inprimis *Diacod. Mont.* cum *baculo liquiritiæ* sæpius lambendo degustatæ.

Affectus ex hactenus dictis, nempe ex *Asthmate*, præsertim *sicco*, *tussi & raucedine complicatus*, diversimodè tamen ita ut nunc hoc, nunc illud symptoma magis observari videatur, isque vel *subitò irruens*, vel *ex improviso exasperatus*, isque nunc *continuus*, nunc *remittens*, & vel *periodicè* vel *incertis intervallis* repetens, & quidem *suffocationis periculum* plus minus inferens, cum *stertore*, *materiæ* vel paucæ vel nullius *rejectione*.

CATAR-

CATARRHUS SUFFOCATIVUS,

ein Stöckfluß/ vulgò dicitur, adeò, ut vulgus in genere quamcunque respirationem subitò difficiliorem redditam, & suffocationem plus minus minitantem, inspecie si *cum tussi* conjuncta fuerit, nomine *catarrhi suffocativi* appellare soleat; es ist ein Stöck-Fluß gefallen. Hinc fit, ut & *Asthmata occulta* interdum *recurrentia*, item *asthmata humorosa*, inprimis *vesperi affligentia* sub hunc censum veniant. item *tusses nocturnæ gravius affligentes*, inprimis *cum excretione copiosiori facta junctæ*, huc à quibusdam trahantur. *Catarrhus* tunc dicitur, à præconcepta opinione, quasi subitò, ex capite præsertim, fluat humor serosus plus minus pituitosus, qui bronchia & pulmones replens *suffocationis* periculum intendat: Sed paucis rem explicat *Lindanus super Hartmannum* dicendo: Maxima de nihilo nascitur historia, nil obscurius hac de *catarrho suffocativo* doctrina. Nam ipsa Anatome eam ostendit falsissimam, & quomodo potius in pulmonem, per rimam asperæ arteriæ, & epiglottidem obstantem transibit, quàm per œsophagum? &c. Alii igitur verè cautiores per venas à capite deferri tales humores, hinc deponi in pulmones, replere hos & asperam arteriam, & suffocationem ita inferre. Sed ridiculas has de Catarrhis hypotheses non solum perstringit *Helmont. Tr. Catarrhi deliramenta*, sed in specie hanc *de Catarrho suffocativo* doctrinam exactè quoque rejicit *Vincentius Baronius Tr. de Plevropnevmonia*; & videri potest *Schneiderus de catarrhis l. 5. cap. 4. p. 276. & 296.* qui primus exactius paulò *de catarrho suffocativo* agere aggressus est. Ut supra ego monui, *complicatus affectus* est, qui vulgò *suffocativi catarrhi* nomine venit; Unde in vulgi judicio, præconceptis hypothesibus, per ignorantes Medicos confirmatis, præoccupati hîc non standum: Proptereà *Triplicem catarrhi suffocativi putatitii, asthmati convulsivo* contradistincti, *differentiam* facio, prout in praxi observare eam mihi contigit.

I. Ex pulmonibus affectis, & hostili acido inspirato vel intus genito, illis profundius se insinuante irritatis, hinc per proprias fibras fortius se stringentibus; unde *suffocationis* imminens *necessitas*, non prius cessans, quàm lymphæ uberioris irrigatione ablutum & abstersum fuerit *irritans illud præternaturale*, & ex eorum mutuo coalitu *concretum mucosum* factum, cujus expectoratione morbus solvitur. Remanet tamen subinde quasi vestigium in illis fibris, ita ut levi occasione renovatum, spasmum & spirituum occlusionem minentur. Mulier *hoc catarrho suffocativo* laborabat, principium mali erat, das viele Lerchen braten / quarum sub assatione & cum butyro irroratione & undique pinguedinis in carbones destillatione, & hinc fumorum elevatione

 factum

factum fuit, ut ipsa primò *tussim* aliqualem, sed *siccam* & *profundam* sive ex imo pectoris, experta fuerit, quam aliquando ex improviso *arctior pectoris & faucium angustatio*, & post aliquot dies perfecta *orthopnæa* secuta fuit, in quo statu continuò ultra octiduum videbatur suffocanda, ita ut leni auræ commotione, aut januæ apertione mox suffocatio imminere videretur, donec successivè expectoratione & materiam glutinosam ac perquàm viscidam ejicere, tali rejectione successive liberius respirare, & sic tandem ad sanitatem redire cœpit. Mansit tamen vestigium in pulmonibus impressum, ita ut facilè à quavis externa causa angustiam pectoris sentiret.

Circa hujus affectûs *ætiologiam* observandum, (α) *causa remota* est *acidum viscidum*, ex *butyro* & *alaudarum* pinguedine incensis exhalans, cum aëre inspiratum, asperæ arteriæ cannis & hinc pulmonibus undique inhærens. (β) Hoc irritavit inimicâ suâ præsentiâ, idque tam acrimonia quàm adhæsione glutinosa, tanquam *fuligo camini*, undique in pulmonum ductibus adhærens ad bronchia & pulmones, unde primò *tussis* eaque *sicca*, hinc ex irritatione illa *lymphæ uberior affluxus*, ab utrisque *gravior irritatio*, unde superveniens continua *fibrarum nervearum* in pulmonibus *strictura & coarctatio convulsiva*. (γ) Duravit hoc tamdiu, donec tam *lymphæ*, quàm *nutrimenti proprii adfluxu fuligo* illa absterſa, resoluta, & ex utrisque successivè *concretum novum*, ob moram & exactam mistionem sive subactionem, *spissum*, *candidum*, *glutinosum* genitum fuerit (δ.) Hujus medio *fuligo* sublata, *irritatio* sedata, *contractura pulmonum* hinc remissior reddita fuit, unde liberaliori paulò aëris accessu & recessu materia ista sub paroxysmo genita, cum fuligine involuta, commota, protrusa, & sic bronchia sursum ejecta fuit. (ε) Mansit tamen *vestigium*, ex pulmonum *nutritione propria*, *seu privata*, plus minus *læsa*, adeoque *contracta* hinc *pulmonum debilitate & fibrarum* tali *constitutione*, quæ facilè in *spasmos* agi possit, unde vel leviori occasione externâ *pulmo* irritari, *fibræ* contrahi, & hinc affectus pristini memoria revocari solet.

Pertinere huc videtur *infantum quorundam* plus minus robustorum *catarrhus suffocativus*, cum *Epilepsiæ* motu junctus, dum v. g. simpliciter creberrimâ thoracis systole & diastole cum levi vel nulla tussi continuò suffocari videntur, idque ipsum etiam evenit subinde ita, ut tali *spasmatica affectione* pulmones constringi, & thorax coarctari ita videatur, ut & respiratio libera impediatur, & sanguinis per pulmones circulus impediatur: hinc *facies* eorum *rubicunda* esse solet, & præcedere talem affectum per aliquot dies vel *raucedo levis* vel *tussicula* &c. Confer de tali *infantum suffocatorio affectu Hildanum*, *cent.* 3. *obs.* 10. item *Schenck. in obs. p.* 149.

Ut itaque talem affectum in adultis *opiata* & *attemperantia*, vulgò *incrassantia* dicta optimè levant, etiam paroxysmos; ita & talibus infantibus *thoracica*,

ca, item *sperma ceti* &c. *in vehiculo calido* propinata observantur proficua: cùm è contra *asthmata humida*, item *tusses humorales*, præsertim *ex stomacho* in infantibus non rari, inprimis per *Nicotianam*, item *per blanda emetica* curari debeant.

II. & III. *Differentia catarrhi suffocativi* revera est *Laryngis Catarrhus* ad *Bronchum* pertinens: Nempe in quo *larynx* speciatim ratione *epiglottidis* afficitur, cujus irritatio & hanc insequens pertinacior strictura & clausura omne id præstat quod dicitur *Catarrhus suffocativus*; sive in *larynge* hæreat malum, & sic erit affectus simillimus *Broncho*: sive *extra* Laryngi & Epiglottidi incumbat, eritque *Catarrhus*, qui pertinet ad *Catarrhum membranæ pituitariæ posterioris Schneideri*. Nempe notum est, si saltim aquæ vel cerevisiæ guttula, vel panis micula laryngem ingreditur, hanc admodùm sensilem irritatam mox convelli, sive pertinaciter ejus rimulam ab epiglottide occludi, nisi impetuosior tussis mox insequens eam eliminet. Quò diutius autem ista irritatio fit, eò plus muci pituitosi postmodum excernitur, qui est productum quasi morbosum; Unde ex quacunque causa, si similis fiat in faucibus irritatio, subitò suffocatio imminebit. *Causa*, quæ eam irritationem infert, est respectu laryngis vel *interna*, vel *externa*. *Illa* ut plurimum est *affluxus seri* sive *lymphæ acrioris* ad bronchum: estq; *raucedo subitanea*, hinc irritatur *larynx*, stringitur *epiglottis*, unde *suffocationis metus subitaneus*. Periodicè hoc fit interdum, ut simile ferè exemplum habet *Riverius cent.* 3. *obs.* 15. *Hæc*, nempe *causa externa*, est *lympha viscidior*, *glutinosior & copiosior* cujuscunque saporis, ex membrana pituitaria posteriore ad fauces copiosius delata, & subitò inviscans quasi laryngem, & epiglottidis liberum motum impediens, undè jungitur *materiæ viscidæ screatus*. Affectus hic vel ipse subitò *ex prægressa causa externa*, inprimis *ab aeris inclementioris facta alteratione*, vel *ex tussi diuturna & chronica* oritur, ut in exemplo *Hildani cent.* 6. *obs.* 8. manifestum est. Subolfecit hoc *Platerus*, unde *Catarrhum suffocativum angustiam intra fauces* ait, & Catarrhum *non ad pulmones*, sed ad *fauces* delabi animadvertit *lib.* 1. *obs. p.* 185. Exempli loco sit puer decem annorum, constitutionis ferè phlegmaticæ, facies naturali erat tumidior, dormiebat aperto ore & cum stertore, obnoxius subinde erat aliquali tonsillarum tumori. Hic vel ex simplici aëris frigidi nudo capite susceptione, vel ex refrigeratione extremorum, post corporis motum & exercitium proximè insequente, aut certè alterâ, in *Catarrhum suffocativum* dictum incidebat, ita ut suffocandus omninò videretur, facies intumescebat, ex rubro cœrulescebat, tussis crebra, sed inanis, & sub qua nil, præterquam tenuis & pauca lympha evacuaretur. Interrogabatur, wie ihm wäre im paroxysmo? dicebat semper: es kitzele ihn in der unrechten Kehlen; nempe erat *affectus laryngis* ex lympha

acri vellicante natus, occasione causarum externarum in motu debito impedita. Cùm evanuisset paroxysmus, febris aliquot dierum lenta supererat, tussis frequens, & pedetentim copiosi muci, crassi & viscidi per aliquot immediatè in sequentes dies excretio, & sic morbi solutio. Redibat tamen sæpius paroxysmus, idque speciatim hyberno vel verno tempore, rarius æstate. *In paroxysmo* adstantes inungebant vertici *bals. succini*, brachia fortioribus ligaturis constringebant. Præscribebam quod

℞. aq. scabios. ℥ij.
asthmat. ℥ß.
Syr. Diacod. *Mont.* ʒvj. ad ℥j. M. nempe ut *irritationis sensum* & hinc *laryngis contracturam* sic lenirem.

Externè in regione laryngis, ubi patiens titillationis & constrictionis sensum percipiebat, cum linteis calidè applicari sæpiusque reiterari jussi.

℞. aq. articul. ad extract. ʒij.
spir. ceras. nigr.
lill. convall. an. ʒj.
essent. opii ʒß. ad ℈ij. M. Applicetur. Hisce brevior reddebatur paroxysmus. *Finito paroxysmo*:

℞. aq. scabios.
serpill. an. ℥jß.
asthmat. ʒvj.
fl. sulphur. ʒß.
syr. asthmat. vel potius papav. ℥j. M.

Potio hæc crebrius hausta crebriorem tussim & materiæ copiosioris rejectionem prævenit, quatenus irritationis in larynge sensum & fluxionis causam removit, & acrimoniam lymphæ temperando, læsionem laryngis, & hinc muci excretionem avertit. Tandem ob crebriorem nimis recidivam in subjecto phlegmatico, sero-chyloso abundante, inurebatur brachio sinistro *fonticulus*, unde nec crebri adeò, nec adeò graves postmodum redierunt paroxysmi. Circa annum 14. denuò claudere cœpit fonticulum, cùm spes esset, ex alteratione corporis & notabili habitus ejus immutatione, etiam hunc affectum immutatum iri. Ex dictis

Curatio horum catarrhorum suffocativorum plana fit: nempe si est *catarrhus laryngis à causa interna*, curatur eodem modo ac *raucedo recens* sive *tussis nocturna sicca* &c. v. g. per *opiata* ac similia, *incrassantia* dicta, & acrem lympham *temperantia*, præmisso, si fuerit opus, *vomitorio*.

℞. aq. scabios. ℥iij.
asthmat. ℥vj.

spir.

spir. sal. armoniaci anisat. ʒj.
syr. papav. alb. ℥j. vel hujus loco
Diacod. *Mont.* ℥ß. M. Si asperior fuerit mistura propter *spiritum salis armoniaci*, omitti potest.

Si malum est *à causa externa*, curatur ut *asthma humorosum* vel *tussis humida stomachalis*, nempe per *vomitum*, & deinde per *attenuantia* & *incidentia* mucum viscidiorem, v. g. *succum raphan. syr. nicotian. spir. asthmat. oxymel squillitic.*

℞. aq. nicotian.
hyssop.
menth. an. ℥j.
asthmat. ʒvj.
oxym. squillic. ℥ß.
syr. Nicotian. ʒvj. ad ℥j. M. capiatur cochleatim.

Ex dictis patet, *Opiata*, & his cognata *anodyna*, & hinc *attemperantia* aliàs *incrassantia*, in paroxysmo & sistendo & præcavendo primatum obtinere, etiam ex vulgata aliqua hypothesi: Cùm enim nonnisi *ex humoribus, motu & hinc loco peccantibus* oriri soleant *pathemata talia*, humores verò locali motu nullo ferantur in corpore, nisi beneficio *spirituum animalium*, mediantibus organorum fibris eos moventium, non soleant autem præternaturaliter à spiritibus moveri, nisi hi promoveantur ab objecto molesto vel præternaturali, hoc est, nisi pars quædam sensilis irritetur; manifestum evadit, quod ea, quæ irritationis sensum tollunt, & spirituum impetum sopiunt, etiam præternaturales humorum motus refrenare, & partium inchoatos spasmos curare valeant, in quo puncto primatum ducunt *anodyna*, ut clarum est.

Quid ergo *clysteres* prosint in talibus *catarrhis suffocativis* supposititiis, usitatissimi, iique acriores? res clara est, quod nil valeant, *per accidens* saltem, primas vias evacuando, & sanguinis & abdominis viscera in motum concitando, & utroque modo *pectoris angustiam* nonnihil sublevando, saltem ex indirecto prodesse. Quid *venæ sectio*? ad quam, ut *sacram anchoram*, mox confugiunt? *Per se* nihil prodest, nisi in graviori paroxysmo & pulmonum reciproco motu, plus minus impedito, metus sit, ne gravior circa pulmones sanguinis stagnatio superveniat, pro *liberiori sanguinis circulo conciliando*, hæc interdum instituenda veniat.

Ulterius capiti, nuchæ, vertici *balsama*, *emplastra*, *cataplasmata*, *suspensoria* dicta, ex *masticke, succino, tacamahaca* & similibus aliis imponuntur; item ex *fermento*, ex *ovis ad duritiem coctis* ac similibus pro suspendendo catarrho defluente. Sed conatu sanè inani vexantur ægri sine fructu, cùm in capite non sit mali radix: Item *vesicatoria* cervici, scapulæ & si-

milibus

mil.b⁹ locis, pro scopo diversori applicantur. Malè itidem, nisi interdum *per accidens*, ubi *asthmatis convulsivi* quidpiam adest, in quo casu *vesicatoria* brachiis applicari possunt.

His IV. loco *affectus peculiaris* annumerandus venit, & qui modernis, antiquatam istam de *seri catarrhalis ex capite defluxu* sententiam recipientibus, *catarrhi suffocativi* nomine venit, estque nil aliud, ut *Lindanus* loquitur, quàm *suffocatio subita*, quæ fit à *sanguine stagnante in pulmonibus.* Quæ sanguinis stasis accidit tam in *Syncope cardiaca*, *Veteribus* dicto affectu, quàm *in syncope ordinaria graviori*, in qua tandem deficit movens spiritus. Plerumque ergo qui authores *syncopen cardiacam* ignorant, ad *Catarrhum imaginarium suffocativum* delabuntur. *Syncope Cardiaca* quid sit, Veteribus sic dicta, optimè in lectione illorum versatus interpretatur *Caspar. Hofmannus Instit. Medic. l. 3. c.* 80. esse eam, *cùm, cerebro nil passo, sanguis ad cor tam vehementer adfluit, ut omnis spiritui via ad cerebrum intercludatur.* Hinc infert, non omnes, qui subitò moriuntur, apoplexiâ moriuntur, & sæpe causa frustra ab anatomicis quæritur in capite, cùm sit in thorace. Hinc ex his fundamentis *Schneiderus de Catarrh. l. 5. c. 4. p.* 297. definit *catarrhum suffocativum*, *quod sit ille Catarrhus, in quo sanguis plerumque pituitosus, tum de venæ cavæ trunco adscendente, tum maximè de ejusdem venæ cavæ trunco descendente in cor, & hinc in pulmones confestim & celeriter fluit, nec non & interdum in musculos thoracis.* Quemadmodum *Apoplexiâ* ingruente sanguis arteriarum in cerebrum; ita oriente *Catarrho suffocativo* venarum sanguis in pulmones, quà supernè, quà infernè tantò vehementius moventur. Conf. *Wepfer. Tr. de loco affecto in Apoplex. p.* 163. 202. item conf. *Schenck. in obs. p.* 278. ubi prolixius differitur, in *Syncope cardiaca qua concreto in venis sanguine ægri subitò moriuntur. Similes* nempe quoad externam apparentiam, *affectus sunt Apoplexia & Catarrhus suffocativus*, ita ut sæpius confundantur, aut etiam simul in ægris adsint. Hinc, ut in Catarrho hoc suffocativo fit sanguinis stagnatio in pulmonibus; ita similiter in iis, qui Apoplexiâ moriuntur, similis supervenit sanguinis stagnatio in pulmonibus. Nam non tantummodò *Frac. ssatus in Epist. de Cerebro ad Malpighium* refert, quòd in iis, qui Apoplexiâ moriuntur, vasa pulmonum reperiantur distenta & rupta, ex sanguinis impedito motu, sed etiam *Cornel. Consentinus in Progymnasmatis* inquit, quòd ii, qui moriuntur apoplectici, eo modo intereant atque strangulati. Nam in strangulatis, laqueo injecto collo subitò periit sensus & motus, ex impedito sanguinis in carotides motu, & succedente respirationis abolitione.

In hoc igitur affectu *catarrhi suffocativi* adsunt, *gravedo, doloresque pectoris, difficultas respirandi, vox fere amputata, periculum suffocationis, anxietas, interdum tussis*, non semper, & saltim, quando simul vasa laryngis lympham uberius

rius effundunt, *pulsus tardior & rarior.* Hinc qui Catarrho tali suffocativo oppressus est, ægerrimè spirat, & anima cum spiritu fertur. *In Apoplexia verò leviori*, abolitis tantum actionibus animalibus cæteris, nihilominus *plus minus respirant, arteriæ pulsant*, utut *pulsus* sit *durus*, nec eâ *spirandi difficultate* vexantur. *In Apoplexia forti verò vix vitæ* ulla manifesta *adsunt indicia, neque deficientis*, aut exinde *malè habentis, respirationis adsunt signa.* Est itaque *catarrhus talis* affectus ad *Peripneumonias* suo modo accedens. Et ejusdem exemplum videtur repræsentare mulier catarrho suffocante interempta, quam refert *Plater. lib.* 1. *pag.* 187. Quin etiam illustrat eum *exemplum canis* tali *Catarrho suffocativo mortui*, nempe per *chirurgiam infusoriam* injeci oleum sulphuris per campan. in aqua dilut. ℥j. in venam cruralem, unde canis per semihoram & successivè *anxiè respirabat*, sensimque *difficilius*, ita ut tandem *suffocatus interiret.* Antequam suffocaretur & etiam post mortem *copiosissima spuma* ex ore & naribus effluxit, imò facta apertione thoracis, totum pulmonum parenchyma, omnia vasa asperæ arteriæ, totus ejus truncus, fauces, nares & guttur erant infarcta *hac spuma* quasi *viscida*: extracta & asservata tandem abiêrunt in liquorem rubicundum, serosum, loturæ carnium similem. Factâ ulteriori inquisitione, *pulmones* erant repleti *sanguine nigricante & crasso*, ita ut hic canis exactè manifestârit tragœdiam *Catarrhi suffocativi*; Nam *acido sulphure coagulatus sanguis* subsistit, unde ab aëre violentiùs inspirato, crebriori sui reciprocatione, & sanguinis hîc facta concussione, mutatus fuit in spumam, quæ replevit eas partes.

Spuma ergò in iis, qui laborant catarrho suffocativo, & quæ tandem supervenit apoplexiâ graviore affectis, etiam ex pulmonibus esse videtur. Præter spumam in talibus apparentem, etiam interdum observatur *mucus*, qui dedit occasionem figmento catarrhi à capite depluentis, qui tamen revera nihil est aliud, quàm lympha paulo viscidior, ex larynge tunc uberius emulcta, & in tantis angustiis, mediante crebriori respiratione, cum aëre secum elevata.

Causæ, quæ talem sanguinis in pulmonibus stagnationem aut uberiorem influxum aut subsistentiam inducere possunt, *remotæ*, à Schneidero loco citato allegantur variæ, præsertim aëris observandum vitium, ratione cujus & epidemicum ac malignum hunc catarrhum interdum esse pluribus deducit.

Sed *propinquiores causas*, catarrhum talem inferentes, *triplices* esse arbitror. 1. Nempe vel *sanguis nimis abundans*, & qui præter rarefactionem intensiorem & uberiorem, undicunque concitatam, in pulmonibus majus spatium occupat, adeoque tardius circulatur, tandem vere stagnat. 2. Est vitium *sanguinis viscidioris sive pituitosi*, hoc est, chylo crudiori imprægnati, ad motum tardioris, adeoque stagnationi aptioris. Vel 3. est *sanguis* ab acido vitioso,

 aut

aut inspirato aëre nimis frigido, aut denique ex quacunque alia ratione *coagulatus ac inspissatus.*

Quoad *Prognosin*, res clara est, periculo esse plenissimum hunc affectum, propterea maturanda est cura, in qua *primarius scopus* est, ut promoveatur sanguis per pulmones, *id quod vel* imminuendo ejus quantitatem, *vel* resolvendo ejus coagulationem, *vel* denique eundem attenuando, sicque liberiorem ipsi conciliando motum, perficitur.

Ex remediis ergo inprimis se offert *venæsectio* in catarrho suffocativo, ferè semper necessaria, cùm nil citius ac potentius sanguinis circulárem motum immutare, eundem accelerare, & stagnationem impedire queat, quàm hæc ipsa. Hinc etiam *cucurbitulæ cum scarificatione* hinc inde affigendæ. Clystere quoque acriori alvus eluatur. *Interna remedia* sunt *aquæ asthmaticæ ac pectorales* dictæ spirituosæ, inprimis temperatis & *anodynis mistæ* mitioribus. Item *sperma ceti*, ad ℈ß. in haustu vehiculi calidi propinatum, est egregium & ab omnibus authoribus laudatum remedium, tam infantibus quàm adultis egregiè conveniens. Forsan etiam hic locum invenit *mistura Sylvii, quam habet in praxi l.* 1. *p.* 280. Quod si & *tussis, & materiæ per laryngem transudantis* superveniat *rejectio*, declinante paroxysmo, commodè etiam *leniter expectorantia* usurpari possunt. Sed de his & similibus videatur *Schneiderus l.* 5. *de catarrh. c.* 4. *seu ultimo.*

CAPUT XV.

De CORDIS & hinc ARTERIARUM PULSU VITIATO,

De sanguinis motu per cor, adeoque hujus pulsu læso.

Conf. hic inprimis *Sylvius l.* 1. *prax. c.* 16. una cum *ejusdem Differt. de sanguificatione & sanguinis motu.* Non enim alius est, qui magis perspicuè simulque accuratè negotium hoc tractavit. *Vitia cordis motus sive pulsus*, & hinc consequenter arteriarum sunt. 1. Quando plus minus deficit, estque parvus, tardus, rarus, in virium imbecillitate & animi deliquiis. 2. Quando est auctus, nimisque impetuosus in palpitatione cordis. 3. Quando est præternaturaliter frequens, & hinc aliis modis depravatus, ut in Febribus.

Pulsus est parvus, debilis & rarus, in virium imbecillitate, languore, & hinc animi deliquiis, de quibus optimè tractat Sylvius l. 1. pr. c. 34. Quoad virium imbecillitatem notum est, non saltim nativam hanc quibusdam contingere; sed

etiam

etiam variis ex causis supervenire, atque non saltim comitari morbos; sed etiam antecedere eos, interdum & subsequi. In hac languidi sunt ægri, tardi ad motum, membra ponderosiora videntur, torpent ad quaslibet actiones, pulsus est parv⁹ & debilis, tardus, quandoq; per intervalla certa aut incerta intermittens &c. Concurrunt simul sensuum tam internorum quàm externorum, item motus corporis plus minus defectus. Præter talem virium imbecillitatem, successivè ægros affligentem, observatur etiam nonnunque subitò ingruens virium prostratio, non tamen diu permanens, per intervalla tamen subinde recurrens.

Hujus subitaneæ virium prostrationis *tres* statuunt *gradus*, quorum 1. Lipothymia, 2. Syncope. 3. Asphyxia.

In omni LIPOTHYMIA, præter pulsum minorem & debiliorem, sensus simul externi & interni obfuscantur, & motus animalis tam voluntarius quàm & quodammodo naturalis plus minus aboletur, ita ut respiratio aut obscua aut ferè nulla observetur.

Gravior species est SYNCOPE, in qua subitò concidunt ægri, pulsus mox nullus observatur, uti & nulla respiratio, interdum sudor frigidus & glutinosus per poros erumpit, corpus friget & pallet; urina & alvi excrementa interdum sponte effluunt, imò tales syncopizantes mortuis quàm vivis similiores videntur.

Omnia hæc eadem, aut ferè graviora, observantur in ASPHYXIA, ita dicta, quod nullum pulsus vestigium motusve cordis tunc deprehendi queat.

Machinæ nostræ corporeæ *vis vitalis radicata est fundamentaliter* in sanguine; exerit verò se *formaliter* per subtilissimam sanguinis substantiam sive partem summè activam & mobilem, quam *Spiritus* appellamus, qui in pulmonibus & corde adjumento aëris volatilisati, instar radiosæ & luminosæ texturæ per totum corpus distribuuntur, *nunc junctim* in sanguine per vasa, qui vitalis dicitur: *nunc seorsim*, trajiciendo per cerebrum & nervos, qui animalis appellatur.

In sanguine igitur *remotè* & fundamentaliter, in spiritibus proximè & quasi *effectivè*, debilitas virium vel successiva, vel repentina investiganda: quatenus hi vel deficientes, vel minus mobiles, vel nimis dissipabiles, vel nimis inordinatè mobiles existunt. Adeoque repentina virium imbecillitas sive lipothymia vel vitio spirituum vitalium in sanguine, vel vitio spirituum animalium in systemate nervoso contingit. Unde & in omni virium imbecillitate *pulsus notabiliter alteratur*; in magnitudine quidem & parvitate vitium sanguinis & spiritus vitalis, in robore verò majori vel minori vitium spiritus animalis sequitur.

Observandus autem hic simul *circulus*, quatenus hi spiritus à se invicem dependent, ita ut vitalibus pessum euntibus ceu radice, inde diffusi evanescant & eclipsentur animales; sicut his evanescentibus cor-

dis ac sanguinis & spirituum vitalium motus itidem cessent: *prius* in suspensis, *posterius* in Apoplexia forti manifestum est.

Ex dictis planū est, quod *causa virium imbecillitatis omnis* sit deficiens sanguinis in pulmonibus & sinistro cordis ventriculo turgescentia ac spiritua-scentia, unde hujus respectu pulsus minores & rariores, sicut hinc dependentis spirituum animalium moventium defectus, debiliores existunt.

Causa remota consistit in vitiata crasi massæ sanguineæ, speciatim in deficiente acrimonia particularum salinarum, in specie salis volatilis urinosi oleosi, cui ècontra non rarò supervenit acidi vitiosi exaltatio. Horum *causæ* ex primis viis, adeoque ex cacochymia investigandæ veniunt, ita ut & hoc in puncto cruditas chyli, plus minus acida, etiam ferè primariam sui consideratio-nem meretur. Consentit ferè *Sylvius, qui loc. cit.* languorem talem ægrorum propter sanguinis nimiam viscositatem & glutinositatem oriri asserit, unde par-tes ejusdem salinæ activæ obrutæ minus fermentare possunt. Malum hoc est eò deterius, quò magis acidum vitiosum simul peccaverit. *Hinc* est, quod post morbos acutos curatos, si tantillum in diæta peccarint ægri, speciatim in alimentorum assumtione excedant, languores adhuc superveniant. *Hinc* est, quod & in scorbuto vires subinde sint adeò imbecilles, quoniam ex vitioso acido massæ sanguineæ fermentatio non leviter imminuitur. Sanguine taliter constituto ex spiritualscentiæ defectu, etiã spiritus animales pauciores erunt, vix sensuum fun-ctionibus, aut motui voluntario vel motui naturali, speciatim cordis sufficientes.

Quoad *Lipothymiæ vel syncopes causas, remotæ* nonnihil prius evolvendæ. Quod ab *odoribus ingratis* ægri concidant in Syncopen, non secus ac præsentia rei, quàm ex idio-syncrasia quidam horrent, eadem supervenit. Sic *Amatus Lusit. cent. 2. cur. 36.* ab adspectu, vel odore rosæ graves lipothymias in Monacho quodam observavit. Hinc est, quod fœminæ hystericæ subinde ex odore zibethi, vel moschi, cum passione hysterica incidant in syncopen.

Speciatim *idio-syncrasiæ* attendendæ, dum quidam ignorantes præsentiam felis, tamen cum sudore frigido & anxietatibus animo deficere incipiunt. *Affe-ctus animi* vel fortiores, vel magis subitanei etiam syncopen inferunt. De *gaudio subitaneo*, eoque nimio, res nota est ex *Livio*, *Lotichio in obs. & Marcell. Do-nato in hist. med. mir.* *Terror* item *subitaneus* ac *nimius* hoc facit. Ex *timore* gravem obortam syncopen, per venæ sectionem curatam, refert *Fontan. in Con-sil. & Respons. p. 63.* imò sola *imaginatio & cogitatio* rei horrendæ lipothymiam inferre valet. *Vid. Hildan. cent. Epist. 43.* De evacuantibus quibusvis nimiis res nota est, quod v. g. *sanguinis aut seminis &c. effusionem* sequatur lipo-thymia & syncope, item nimia *aquarum hydropicorum evacuatio*, *puris* præser-tim facta ex thorace emissio, nimius sudor &c. syncopen inducunt; *subitaneæ muta-*

mutationes ex aëre calido in frigidum, ut etiam *ingurgitatio potus intensè frigidi post insignem corporis incalescentiam*, lipothymias secum ducunt. Exempla vid. apud *Schenck. l. 2.* De *venenis* res nota est, quod eadem, sive extrinsecus applicata per morsum aut puncturam animalium venenatorum, vel intrinsecus assumta graves excitent lipothymias. *Nimius corporis motus ac extrema defatigatio* similiter interdum syncopen infert. Uti etiam *graviores dolores*, in iis præsertim, qui sunt rarioris texturæ, adeoque spiritus rariores & facilius dissipabiles habent.

Faciunt huc *vitia cordis*, præsertim *abscessus ejus & partium vicinarum*, qui rupti subito dant periculosas syncopes. Sic ex ulceribus in sinistra cordis auricula vide lipothymiam in *Tulp. l. 2. c. 16.* Inprimis notabilis est observatio, quam habet *Sanges in obs. operum p. 372.* de Bibliopola, qui longo tempore lipothymia sæpe deprehendebatur, quo mortuo, maximum in corde apostema inventum fuit, mediam ejus partem occupans. Alius Venetus in eodem corde apostema habebat, dimidii ovi magnitudine. *Sanguinis* quoque habenda est ratio, quia aut nimis parcus, post copiosas excretiones, aut pure vitiatus, aut subitò coagulatus, v. g. ex haustu frigidæ post æstum, aut alia quavis ratione inspissatus, & ob id fermentationi ac spirituascentiæ debitæ ineptus, aut in debito circulo impeditus, v. g. in syncope cardiaca, lipothymias comites ducit. Hinc sanguine ita in corde stagnante, adeoque deficiente plus minus ejus motu, tam locali, quàm intestino, intercipitur necessarium spirituum animalium & vitalium commercium, hinc ægri mortuorum instar corruunt.

Porrò *Epilepticis* paroxysmis subinde junctum symptoma syncope est, uti etiam aliis *affectibus convulsivis* gravioribus, uti in suffocationibus hystericis, in doloribus nephriticis subindè gravioribus, res nota est.

Inprimis sui considerationem meretur *syncope, stomachica* dicta, seu ex orificio ventriculi sinistro affecto superveniens, de qua vid. *Gorræus in def. medic. p. 157.* & quidem præ cæteris ex causis internis natis lipothymiis frequentior hæc est stomachica. Ex *lacte coagulato* lipothymiam observavit *H. Heer. obs. 15.* Ex *esu fungorum* syncopen notat *Zacut. Lusit. l. 5. Med. Pr. hist. 23. Amat. Lus. cent. 1. cur. 39. Acres succi, præsertim æruginosi*, orificium dictum gravius infestantes, præter anxietates, crebras lipothymias, præsertim in subjectis tenerioris & rarioris texturæ inferunt.

Tales syncoptici præter pathemata, quæ circa stomachi regionem percipiunt, item præter inexplicabiles istius loci mutationes seu molestias, sub imminente syncope sentiunt vertiginem & caliginem oculorum, unde sic animo delinqunt. Uti frequens est hæc syncope stomachica, ita etiam *nunc* per se, ex contentis stomachi, *nunc* per consensum, affectis partibus, aut nerveis abdominis, stomachum simul plus minus afficientibus, accidere solet. Imò vix lipothymia quendam corripit, quin sub eadem imminente alterationem quandam notabilem, vix etiam explicabilem circa stomachi regionem percipiat.

His omnibus ita consideratis, facilè est observare *causas syncopes proximas* esse, *aut* spiritus vitales, subitò deficientes ob cessantem sanguinis fermentationem ac circulum, *aut* spiritus animales, subitò in motu naturali deficientes, unde quasi abrupti, vel ad alias ἀταξίας & convulsiones acti, movendo cordi minus inservire possunt, unde spirituum consortio abrupto, syncope supervenit. Hinc causæ modò dictæ omnes vel sanguinem, vel spiritus vitales afficiunt, vel ceu objecta sensibilia spiritus animales in motu suo alterabunt, ita ut I. in motu debito, speciatim cordis, *vel deficiant*, dum oppressi, & quasi concentrati, in sua activitate impediuntur, v. g. in subitaneo terrore, *vel dissipati vel resoluti evanescant*, ac in operando desistant. II. In motu quasi *exorbitent*, & ex irritatione quadam & inde natis spasmis undecunque concitatis, *cor in continua systole detineant*: Sic *sanguinem & spiritus vitales afficiunt* quælibet evacuationes, mutationes subitaneæ aëris, sanguinis quæcunque insignes, aut in crasi, aut in motu locali, alterationes: *Vitio verò spirituum animalium, in motu deficientium*, orietur syncope, post odores graves ex objectis, & idiosyncrasia hostilibus, item quæ stomachi orificium afficiunt, ex cujus cum universa nervorum systemate consensu, facilis spirituum animalium in motu abruptio fit. *Dolores* item spirituum animalium ratione syncopen inferunt. Neque etiam hic negligendum, quod *Piso de serosa colluvie, p.* 166. scribit: ex obstructis aut interceptis nervis cordis motoriis syncopes oriri, undecunque nervus iste afficiatur, aut (verba sunt Pisonis) ab aquula in eum è cerebro derepentè pluente, spirituum motus impediatur. *Gaudium nimium* spiritus dissipando, item *dolores diuturni* pariter ex dicto fonte syncopen inferunt. Quod verò *spasmum cordis ac convulsionem* ejus, à spiritibus animalibus inductam, attinet, sanè in morbis convulsivis, præsertim partium internarum, non rara hæc ipsa est, unde in tali casu ægri ad se redeuntes conqueruntur, **es wäre ihnen gewesen/als wann jemand das Hertz mit Füssen hätte getretten**; id quod innuit validam musculi cordis contractionem.

In *Prognosi* sine causa manifesta languidi in morbos inclinant, Reconvalescentes, præsertim à morbis acutis, diu languidi, *vel* cachexiam, *vel* recidivam incurrunt. In morbo quocunque præter manifestas causas mox superveniens, summa virium prostratio maligni morbi signum est. Lipothymiæ quævis periculosæ plus minus, prout magis vel minus aut durat, aut deficit motus cordis, item prout causæ antecedentes graviores vel leniores fuerint. Unde si syncopizantes post exhibitionem spirituosorum, post irrorationem faciei cum frigida, post ptarmica, ad se non redeunt, summum periculum portendit. Sudor frigidus syncopizantibus superveniens, quò copiosior

ſior ac frigidior, eò ſtatus ægri periculoſior. Sudor hic, ut rectè dicit Helmont, nil aliud eſt, quàm mucilago rorida nutritiva partium ſubcutanearum, quæ ſyncope reſoluta, ſpontaneo motu per poros hiantes, ob reſolutum fibrarum tonum, emanat.

Quoad *curam.* *In languore ſucceſſivo* conveniunt ea omnia, quæ acrioribus & ſubtilioribus particulis ſalinis volatilibus, præſertim oleoſis turgent, adeoque acidum corrigere, bilem acuere, ventriculum reſtaurare, ſanguinis glutinoſitatem attenuare, ejusdem fermentationem ac conſequenter ſpirituaſcentiam promovere valent, id quod uno nomine præſtant *aromatica.* Pertinent huc *Clareta, ſive vina Hippocratica dicta.* Item *Noduli ex aromaticis* vino infuſi, ſubinde uſurpati, de quo vid. *Sylvius loco citato, in ſpecie p.* 613. *& ſeqq.* Item *Eſſent. & Elix. ſtomachica, Aqua vitæ, apoplecticæ* &c. *Salia volatilia oleoſa, Elix. Propriet,* ſine acido, & ſexcenta talia locum inveniunt, ter quotidiè uſurpanda, manè, à meridie, & ſub introitu lecti: quin imò, *ſed inconſultum videtur*, etiam ſub ipſo paſtu talibus uti.

In ſyncope & lipothymia præſtantiora paulò requiruntur remedia, habitâ tamen ſemper ratione cauſarum antecedentium. In genere tamen conveniunt ratione ſpirituum quidem deficientium volatilia ac penetrantia, & quæ ſpirituoſitate ſua ſpiritibus deficientibus facilè applicabilia ſunt. Ratione verò ſpirituum animalium in motu deficientium, ea, quæ partes ſenſiles, tam internas, quàm externas, fortius vellicare, & ita ſpiritus animales in motum debitum revocare valent. Ratione verò eorundem ſpirituum aut faciliùs diſſipabilium, aut in motus convulſivos, adeoque continuandam cordis ſyſtolen, pronos, ea quæ eos quodammodo figunt, ac convulſivum eorum impetum ſiſtere valent.

Remedia igitur ad tres claſſes revocari poſſunt. I. Spirituoſa, ſulphurea, ac oleoſa. Quo pertinent quilibet *ſpiritus inflammabiles* per fermentationem parati. *Spiritus & oleoſa deſtillata aromatica* tam ſimplices quàm compoſiti, plus minus ſuaviter olentes. Quoad hoc punctum tamen *cautè* nonnihil uſurpentur, cùm non ſolum mulieres omnes talia commodè perferre nequeant; ſed etiam mares plures, præſertim literati, aut lucubrationibus deditì, propter rariorem ac ſubtiliorem ſpirituum texturam, fortius odorifera, & quaſi nimis fumoſa, non commodè ferant: cum talia nimis ſpiritus vel ſanguinem afficiant, unde cephalalgiam, vel capitis gravitatem quaſi ebrioſam inde contrahunt. Alias tam internè quàm externè ſenſuum organis admodum conducunt.

II. Spi-

II. Spiritus salini, volatiles, acres, urinosi, quo omnia salia volatilia pertinent, eò præstantiora, quo magis oleosa prius reddita fuerint.

III. Acida volatilia, acria, vinum, acetum destillatum, &c. quæ partim sensuum organa potenter afficiunt, partim spiritus dissipabiles ne nimis exsolvantur, præcavent.

IV. His adduntur opiata mediocri dosi, in scopo nempe ultimo supra memorato, spirituum nempe aut dissipabiliorum, aut in impetus convulsivos proniorum impetum sistentia.

In specie in prima classe sunt aquæ spirituosæ, cinamomi ejusque oleum, spir. lil. convall. spir. theriacal. tam simplex, quàm compositus, aq. apoplecticæ qualibet. Q. E. Matthiol. spir. rosarum ambratus, Ess. ambræ cum spir. rosar. parata. Q. E. dictæ Meliss. Angelic. &c. Essentia croci, dicta Paracelso summa cordis lætitia.

Quoad *salia volatilia*, inprimis *spir. sali armoniaci oleosus* factus quicunque: item *spir. C. C. & sal. volatil. viper.* ac *qualibet spiritus & salia volatil.* sic *Sachsius in Ampelograph. p.* 511. Novi Medicum, inquit, qui frigidos, & calore nativo destitutos, haustulo Elixir. vitæ Matth. in quo grana aliquot salis viperarum volat. dissoluta, se recreaturum confidat. Porrò *liquor. C. C. succinat.* ac quælibet cum & *ex succino remedia volatilia* sunt egregia.

Quoad *acida* vinum generosum ac spirituosum, succus citri, succus aut syrup. rub. idæi, acetum simplex, acetum theriacal. caryophyllatum, rutaceum &c. in aceto infusum castoreum, usurpari possunt.

Quoad *opiata* denique præter Laudanum in parva dosi, theriaca, Mithridat. Extract. theriacal. ac his cognatæ compositiones administrari possunt, v. g.

℞. aq. meliss. cum vin. ℥iij.
syr. flor. tunic. ʒvj.
conf. alk. ʒj.
Q. E. Matth. ʒiij. M. D.
S. Träncklein auf etlich mahl.

Vel: ℞. aq. cord. Herc. Saxon.
cinam. borrag.
meliss. cum vino an. ℥j.
spir. theriacal. simpl. ℥ß.
Elix. citr. ʒvj.
Ess. ambr. ℈j.
syr. de cortic. citr. ℥ß. M.

Vel: ℞. aq. rub. idæi ℥ij.
cord. Herc. Saxon. ℥j.
spir. salis armoniaci ʒj.
lil. convall. ʒiij.
syr. borrag. ℥ß. M.

Vel:

Vel: ℞. aq. meliss.
 fœnic. an. ℥jß.
 liq. C.C. succin. ʒj. ad ʒjß.
 syr. fœnic. ʒiij. M.

Vel: ℞. aq. rub. idæi ℥iij.
 acet. theriacal. ʒiij. ad ℥ß.
 ∽ citr. ʒj.
 syr. rub. idæi ℥ß. M.

Vel: ℞. aq. flor. sambuci
 borrag. an. ℥ij.
 succi citr. recent. ℥j.
 ∽ rof. ʒij.
 syr. rub. idæi ℥ß. M.

Vel: ℞. ambr. grys. gr. vij.
 solve in ol. cinam. & cardamom. an. gut. viij. adde
 Extr. lign. aloes ℈ß.
 margarit. præp. ℈j.
 facch. cand. ℥j. M.

Quoad *externa*, Naribus, temporibus & labiis affricandæ sunt ferè similia, *vel* ∽osa, ▽ carbunc. lil. convall. Bals. apoplecticus, &c. Item admoventur naribus ∽ sal armoniaci, aut similis acrior, acetum vini, acetum florum tunicarum ac similia naribus adhibentur.

In *specie* quoad *causarum varietatem & differentiam* subinde *varianda cura*: v.g. in *syncope stomachica* interdum vomitus provocari potest, ubi nempe adsunt indicationes excrementorum evacuandorum, Sic *Forest. l.* 17. *obs.* 7. refert, *syncopen ex utero*, ex defectu mensium, afflicto simul stomacho, per vomitum curatam, *Faber cur.* 86. refert, Syncopen desperatam per vomitum cum aqua cinamomi copiosa curatam. Confert ergò *vomitus* in *syncope stomachica*, ac ubi fomes mali circa primas vias hæret, præsertim ubi nausea & similia symptomata urgent. In casu, quo non tàm resoluti, quàm oppressi, aut inordinatè agitati ∽us videntur, excitat quoq; tales ægros vomendi conatus, ac quasi in vitam revocat. Hoc ipso vomitionis actu, ne animo delinquant, odores penetrantes, inprimis vini generosi naribus admovent. Quod si vomitus non æq; tutus videatur, *clysma* paulo acrius injicere non vetabit. Si ex *veneno sit syncope*, præter alexipharmaca, aut remedia appropriata itid. convenit vomitus, ubi venenum in primis viis adhuc latuerit. Si ex *evacuationibus* quibusvis, speciatim purgatione nimia, immineat syncope, *theriaca*, it. *extract. theriacale in aq. cinamom. & mistura ex aq. menthæ*, ∽*u theriac. & confect. alkerm.* conveniunt. Sin *ex terrore* nata sit syncope, *præter volatilia* □*osa*, in specie ⊖ia volatilia oleosa, *etiam* graviori in syncope

venam aperire, & aliquali sanguinis detractione liberum motum huic conciliare, non inconsultum est. *Nam non semper syncopticis nocet sanguinis detractio*, id quod confirmat *Zacut. Lus. l.1. pr. admir. obs.*135. Ex *mensium* nempe *suppressione* syncope gravis *venæ saphenæ* sectione curata. A *Gaudio* è contra *nimio* syncope *curatur per acida, vinum, succum vegetabilium, aut julepos acidulos.* Sin à *V. S.* immineat syncope, *imponatur æger supinus pavimento, ac sal commune ori indatur*, vel labra ejus hoc ipso fricentur: defectu salis communis *urina* utiliter usurpatur, vel *acetum applicetur naribus, & affricetur linguæ.* Ubi metus est lipothymiæ à V. S. optimum est præmittere jusculum ante administrationem Venæ sectionis, & hinc in dorso cubantibus vena aperiatur. Quod si ex *nimia sanguinis excretione*, v. g. nimio mensium fluxu syncope immineat, *opiata v. g. acidis sociata sunt optima, addito* ♁*e corallorum: Sin convulsivis in morbis, hystericis pathematis, &c.* syncope gravior adsit, ⊖ *ia volatilia, liquor CC. succin.* ⁓ *carmin. de tribus*, præsertim cum *castorinis*, si ferre queat æger, propinentur, aut etiam *opiatis* additis malum præcaveatur.

De PALPITATIONE CORDIS.

Contrarium vitium Pulsui cordis deficienti est *Palpitatio cordis*, ac huic cognatus *Tremor cordis.* Utrobique est motus inordinatus & convulsivus ejusdem, sed in Palpitatione fibrarum vehementia; in tremore vero crebritas earum inprimis observatur, ut rectissime hæc distinguit *Willis. pharm. rat. part.* I. *p.*260. Est enim revera *Palpitatio cordis* motus ejusdem convulsivus, quo forti systole se contrahit, utut nunc vehementior, nunc mitior, nunc major, nunc minor. *Palpitatio* hæc cordis *ex pulsu arteriarum vix ullo potest cognosci.* Sic enim *Timæus in Epist. p.*140. observat palpitationem cordis mirabilem, in qua nullus in carpis pulsus percipi potuit: Inde ut plurimum necessarium est, lateri sinistro admovere manus, ut ritè percipiatur, pulsu ipso in arteriis subinde vix, aut leviter, mutato, utut leviori in malo celerior aut frequentior soleat observari. Interdum est malum adeò vehemens, ut solo auditu & visu possit cognosci, imo exempla prostant costarum ex palpitatione cordis distractarum, ferè diffractarum. Vide *Horst. l.3. obs.*17. *Hochstett. decad.*9. *p.*361. *Et Piso de colluvie serosa p.* 166. notat, in qua indumenta quasi flabello mota inæqualem cordis motum æmulabantur, & thorax & sternum ab illo motu à sede naturali dejecta, mediocriter extuberabant. Ex quo affectu patet esse convulsionem musculi cordis in tali palpitatione. Cognatum malum est

TRE-

TREMOR CORDIS.

Talis est trepidatio, ein Zittern; in qua fibræ musculorum cordis celerrimè & quasi semi-contractæ systoles & diastoles vices obeunt. Confunditur communis hic cordis tremor cum Palpitatione, cùm *multum differant.* *Palpitatio* enim est vehementissima contractio, impetuosissima systoles molestia, & rectè secundum *Hippocrateam sententiam* convulsio cordis vocatur, atque uberius *à Lovvero tr. de corde p.*132. confirmatur. *Tremor cordis* vero est, cum minores sunt pulsationes & crebriores & quasi tremuli.

Causa Palpitationis cordis est, quicquid quacunque ratione musculos cordis aut nervos moventes irritare potest, & hinc ex impetu suum convulsivam constrictionem inferre. *Causæ tales* irritantes investigandæ *sunt, vel in organo*, nempe in ipso corde, *vel in medio movente*, nempe in nervis. Ratione *cordis causa irritans* est ejus respectu *vel* externa, eaq; frequentior, *vel* interna, eaq; rarior. Inter *externas* hinc inde fit mentio aquæ pericardii nimis abundantis, quæ aqua nihil aliud est, quam lympha, eò per certa vasa lymphatica derivata; qua abundante, fit hydrops pericardii, à quo cor irritatum palpitationem inferat. *Galenus* jam hujus causæ mentionem facit, & exinde natam palpitationem notat. *Amat. Lus. cent.*3.*cur.*43. *Confer. Piso Tr. cit. p.*168. Sed dubium est, quoad hanc causam, annon acrior lympha potiùs impediat motum cordis, imò lymphæ hujus ubertas non tàm causa, quàm effectus consequens palpitationem. vid. *Lovv. tr. de corde p.* 104. Siquidem in homine vivente paucior, quam in mortuo hujus reperiatur quantitas, de quo vid. *Schneid. l.*2. *de catarrh. p.* 93.

Inter *externas* sunt *vermes*, dictus vermis cordis, der Hertzwurm; præcipuè intra pericardium cordi adhærentes, affectus rarus nec ubiq; cognitus. *Patiuntur* tales ægri Palpitationem cordis subinde recurrentem, rosiones, puncturas & dolores cordis, præsertim rosiones internas circa regionem cordis, facies pallet, ex improviso interdum lipothymiæ imminent, interdum etiam convulsiones supervenire observantur. *Curiosa est observatio*; quam excerpsi ex dictatis MScr. *Petri à Castro Pract. Veronensis*, cujus verba hæc sunt: „Mihi contigit, hoc dirum morbi genus in Cantabria observasse sub epidemica constitutione, in qua post ingentem ægrotantium stragem, qui omnes convulsi cum frequentissima & fere continua cordis palpitatione moriebantur. Dissectis cadaveribus invenimus in singulis vermem, magnitudine ferè minimo digito æqualem, capsulæ cordis affixum. Non valuerunt præstantissima alexipharmaca vermem occidere, non bezoar orient. non theriaca, non confect. alk. non scorzonera, &c. nec allium, aut quo tamen magis, quam ab omnibus aliis angebatur, & videbatur lædi, solus *succus scabiosæ* vermem occidit. Unde hâc experientiâ observatâ, scabiosa in posterum uti

uti justimus languentes, tam in jusculo excocta, quam decoctis & syrupis ex ea fabricatis. Tandem nulla auxilia ægrotantibus apponebantur absque hoc specifico alexipharmaco. Et certè mirum fuit, ab eo tempore nec ullum ægrotantium periisse. Itaque non cordialibus curari hic affectus potuit per aliquot horas. ☿ius vivus, ☿ dulc. ad gr. IX. exhibitus cum conserv. flor. scabiosæ magnopere prodest. vid. etiam hujus *Petri à Castro Tr. de Peste Neapol. Rom. &c. p.* 137. & 138. ubi etiam vermis ejusdem mentionem facit. Aliàs *medicamenta* ad hunc vermem usitata sunt inprimis *☿ialia*, & hinc *succus allii, raphani, nasturtii, &c. Conf. Hartm. in Pr. chym. c.* III. *it. Gabelchoverus cent.* 3. *cur.* I. *Externè* expertum est *cataplasma* pro enecando verme pericardii, *ex foliis cinaræ, tanaceti & absinthii* ✠ *vini incoctis, & cum pauco mithridat. mixtis, regioni cordis admotum.* Experimentam *Lovveri Tr. de Corde p.*107.

Causæ internæ respectu cordis palpitationem inferentes, rariores *sunt ipsi affectus cordis*, ut *abscessus in corde, aut* simile quid, *sed* potius omnia ea, quæ sanguinis localem motum quacunque ratione per cor impedire valent, unde circa cordis basin & radices vasorum aggestus, crebriores & validiores contractiones, adeoque palpitationem concitat, internæ causæ rationem obtinent: *Cujus sanguinis in circulo suo plus minus impediti non leve argumentum est*, quod pulsus in carpo, minus cordis motui respondeat, sed languidus & diminutus subinde percipiatur, quasi sanguine non sufficienter distendente arterias. *Has inter causas sunt tàm* ipse sanguis non rite se habens, quàm alia sanguinis, etiam rectè constituti, motum impedientia. *Sanguinem* quod attinet, ipse vitiosus, *minus turgescibilis & fermentescibilis*, indeque ad stagnationem pronus, ad palpitationem disponit. Hac ratione mensium suppressio mulieres ad palpitationem cordis aptas reddit, quam levi ex motu tunc contrahunt, non secus ac cachectici alii subinde hoc malo corripi solent; item sanguinis *grumescentia, aut aliqualis ab acido coagulatio*, indeque in ventriculis cordis plus minus subsidentia palpitationem cordis infert. *Conf. M. A. N. C. Ann.* 2. *p.*298. item *Willis in pharm. rat. part.* I. *pag.*262. *Alia, quæ sanguinis* bene constituti *motum impediunt, sunt* imprimis conformationis vitia, v. g. pulmonum infractus, & obstructio. *vid. Willis cit. loc.* item *Truncus arteriæ magnæ* prope cor *osseus* palpitationem gravem infert. *vid. Willis cit. loc. pag.* 264. *Item* vena pulmonalis aut cartilagine adnata ferè obstructa. *Mayovv de motu musculorum. pag.*97. *item* excrescentia carnea in cordis basi inter arteriam magnam & aortam ʒvj. pendens, & alterum corculum repræsentans. *vid. Schenck. l.*2. *observat. pag.*214. *Polypi* graviores in corde, aut etiam *calculi* seu lapilli in corde reperti. vid. *Hofer. in Hercul. Med. p.* 89.

Quoad *nervos* affectos, hi ad cor derivati, ejusque aut viscerum insignium motui

motui infervientes, undecunque irritati, vel fpasmo affecti, cordis palpitationem inferunt & convulfionem, ubicunq; etiam caufa occafionalis delituerit.

Res nota eft, quod *animi pathemata, præfertim terror*, fubinde foleant palpitationem cordis inferre: it. funt, qui *ex infecto odore* mox cordis palpitationem fentiunt. In fpecie ad hujusmodi palpitationem ex nervorum fpasmodico affectu contracta, *pertinet hoc malum*, in hypochondriacis & fcorbuticis præfertim frequenter obfervatum. Non putandum eft, vel flatus ex hypochondriis ad cor deferri, aut vapores ex fplene ad cor afcendere, & ita palpitationem inferre; utut ægri dicant, fe fentire præcedentem alterationem, dolorem pulfantem, aut fimilia pathemata, fub hypochondrio finiftro in lienis regione, unde concitetur cordis iftud fymptoma, nempe fimiliter *in hujusmodi fubjectis fpasmodica eft affectio*, fimpliciter ex affinitate ac intima communicatione, quàm nervi fplenici cum cardiacis habent, De quo & aliis huc pertinentibus *vid. Anat. nerv. Willis.* Sicuti enim hujusmodi fubjectis fpasmodica pathemata aliarum partium per confenfum vifcerum in hypochondriis non funt rara; ita etiam cordis fuperveniens palpitatio fimpliciter per confenfum nervorum explicanda. Siquidem ante infultum, vel cum eo percipiuntur murmura & rugitus in abdomine, præfertim circa finiftrum hypochondrium, præter fymptomata fplenis modo allegata, quæ non præcisè oriuntur à flatibus, fpontaneo impetu has turbas cientibus; fed potius à partibus flatus continentibus, fpasmo vario affectis. Præterea dum afficiuntur paroxyfmo tales, videtur cor quafi conftringi, aut ambabus manibus comprimi. Concurrit etiam interdum fenfus, quafi adfcendentis fumi ex hypochondrio finiftro, qui fpasmi membranarum iftius loci indicium (vel comes) exiftit, ut tacеam vertigines fubinde complicatas, anomalum & perturbatum [illegible]-uum animalium motum oftendentes. Acido nempe vitiofo hypochondriacorum utcunque commoto, & nervos, vel ftomachi, vel lienis, potiffimum irritante, & hinc fpasmos eorum ac partium appenfarum concitante, facilè & nervi cardiaci fimiliter per confenfum affici, & ita ad palpitationem cor adigi poterunt. Ut etiam nervuli, arterias cordi vicinas moventes, fpasmo affecti, & ita fanguinis circulum turbantes, & mediante vaforum arctiori ftrictura impedientes, confequenter ex fanguine circa cordis bafin congefto, hujus palpitationem inferre poffunt. Sed de his omnium optimè & prolixius agentem *vid. Willis. pharm. rat. p.1. p.268.* cui fanè multum debemus, quod in nervorum eorumque affectuum theoria tantam lucem nobis accenderit.

Tremoris cordis, in quo pulfus inæqualis & languidus, interdum quafi vermicularis percipitur, *Caufa vel* in mufculo cordis, *vel* in nervis inveftiganda, cùm pariter convulfivi quid fapiat. *Quod ipfos cordis mufculos attinet*, equidem in his aliquid vitiofum, five præternaturale contineri videtur, quod

fibras motrices parenchymatis eorum continuò vellicare, & hinc ad contracturas irritare valet, cum vero necessariò diastole cordis à sanguine influente superveniat, hæc vix sufficiens conceditur, quin ex dicta causa subitò contractio repetita superveniat, & ita continuus, sed interruptus, adeò tremulus sic fiet motus. *Quoad nervos,* scorbutici etiam ac hypochondriaci, ex his ipsis affectis, & ab aliorum viscerum nervis, per consensum in spasmos coactis, leviores licet, tremores in corde pati observantur. Pauca aliàs de hoc cordis tremore prostant apud authores & scriptores Medicos, cum ordinariò cum palpitatione ejus confundatur, aut circa pulsuum vitia, vel lipothymias, subinde tremoribus supervenientes, tractari soleat, & cum his ipsis confundi.

Quoad *Prognosin.* Si Palpitationi cordis superveniat pulsus sensim remittens, imminentis syncopis signum est. Facit & huc, quod observavit jam olim *Galenus*, quod omnes, qui juvenes, aut in declinante ætate sani, subito sine ullo manifesto symptomate palpitatione cordis correpti sunt, omnes ante senectutem mortui fuerint. Quæ ex malo hypochondriaco aut scorbuto est cordis palpitatio, frequentior quidem est, ac sæpius recidivans, levior autem reliquis speciebus, præsertim per ἰδιοπάθειαν cordis, aut partium vicinarum accidentibus.

Quoad *Curam* Hæc dirigatur eò in genere, ut saltim causa removeatur, quo ipso sponte cessabit dicta convulsio. *In paroxysmo fortius urgente, Venæ sectio subinde necessaria est*, ut sanguinis stagnationi, ejusque impedito motui, aut præsenti, aut imminenti, afferatur aliqualis medela, ut depleto sanguinis quanto, facilior ejus circulus fiat, nec tam insigniter aut copiose, item in uno loco subsistere queat. Eò *magis hæc convenit, si subjectum sit plethoricum*, sive revera tale, sive apparens. Item *si ex terrore aut metu, aut suspicione grumorum sanguinis malum ortum fuerit, aut si ex prægressa insigniori corporis commotione supervenerit*, in quibus omnibus casibus cum suspicio vel sanguinis circa cor aggesti, vel impetuosius circa vasa moti, Venæ sectio locum invenit. *A conformatione quidem læsa* si sit vitium, ferè incurabile malum erit, ac saltim per exactam diætam, & minimum animi & corporis motum, quantum possibile, sustentandi tales ægri.

Quoad cæteras causas, sive sanguinis subsit vitium, sive spasmodica per hypochondriorum consensum pathemata, pro his ipsis corrigendis *tria remediorum genera* maxime proficua observantur, *nempe Martialia*, hinc *terrea*, quò in specie pertinent *corallia*. Item *salia volatilia*: quibus pro Virium ac spirituum restauratione *analeptica volatilia inprimis temperata* conducunt. Nam *quoad volatilia sulphurea aut fortiter oleosa, attendendum*, non omnibus

bus talia convenire, sed hæc ipsa quibusdam hypochondriacis vel hystericis, genus nervosum fortius afficiendo, paroxysmum exasperare, quod pariter in aliis affectibus convulsivis observandum est. Et si à talibus forsan exasperatus jam fuerit, *acida*, ac speciatim ∽ ⊖ *dulcis* eum denuò compescunt, v. g. *cinamomum*, *& omnia ex hoc parata*, excellunt in paroxysmo palpitationis cordis, non secus ac in lipothymiis, & mirè in his laudantur à Lindano. Nihilominus tamen palpitationem cordis ex usu cinamomi concitatam, & per modo dicta acida denuo sedatam *vid. in M. A. N. C. Ann. 3. pag. 244. Extra paroxysmum* igitur, ut ista *absorbentia* inprimis conducunt; ita *in paroxysmo volatilia salia oleosa* præstantiora sunt. v. g.

℞. aq. meliss. cum vin.
  fœnicul. an. ℥ij.
∽ theriac. camphorat. ℥ß.
corall. rub. præp. ʒj.
syr. flor. tunic. ʒvj. M.

Vel ℞. aq. cinamom. cydoniat.
  cordial. Herc. Saxon. an. ℥j.
  flor. sambuc. ℥ij.
∽ CC. ⊖ e vol. acuat. vel
carminat. de tribus (qui speciatim in hypochondriacis, palpitationem cordis patientibus, est egregius,) ʒj. ad ʒij.
syr. fœnicul. ℥ß. M.

Aliàs *melissa* inprimis laudari solet ad cordis palpitationem, *tam internè* ex eadem parata remedia, *quam externus fotus, cùm melissa viridi & fl. borrag. c. aq. rosac. & acet. destillat. calidè applicatus.* Facit huc quod *Forestus l. 17. observ. 1.* refert, in thoracis vulneribus, ex sanguine concreto, ingentes palpitationes cordis excitatas, curatas per Venæsectionem, & hinc melissam viridem & borrag. accipiendo, & has cum aq. rosar. & tantillo aceto irroratas calidè cordi admovendo. *Camphora*, *crocus*, *castoreum*, præ cæteris ad palpitationem cordis laudari solent, sive internè, sive externè usurpentur. Hinc *essentia croci cum essentia castorei & ambræ* mista, in paulo largiori dosi usurpata conducunt. *Castoreum* vero jam à Galeni tempore in quavis palpitatione cordis in usu fuit. *Nodulus ex croco & camphora* circa cordis regionem suspensus itid. confert: *aut camphora aut crocus, vel* hujus loco *castoreum, cum* ∽ ✳ *urinoso, vel cum spiritu carminativo soluta,* & in essentiæ formam redacta, per consensum *hypochondriorum* palpitantibus conveniunt. In quibus *corallia* & hinc *salia volatilia* in paroxysmo sunt optima. *De* ∽ *rosarum, de remediis ex*

anas-

cinamomo & citro, rore mar. & Elix. junip. Q. E. Matthioli, item de theriaca & similibus, de quibus ubique Authores loquuntur, ceu rebus per se notis, non attinet plura dicere. Sunt, qui *remedia ex animalium cordibus*, v.gr. ex corde cervi, & corde vervecis & similibus parata commendant. *Sed revera nil valent*, quin præparata horum, speciatim spiritus & salia volatilia ejusdem valoris & usus sint, ac alia ejusdem generis. *Tinct. corallorum c. spiritu C.C.* egregia, & multi usus in tali casu *D. Michaëlis. Externè* balsami, ☋a, ☊ regioni cordis applicati, interdum aliquid præstant, sed parum saltim spiritus reficiendo graviora symptomata inhibent. Saltim ergò in malo ex passione hysterica nato, abdomini, aut per consensum splenis excitato, lieni emplastra, & in specie huic de Nicotiana cum fructu applicari possunt.

Observandum hîc, præter cordis palpitationem, subinde etiam *particulares arteriarum palpitationes* molestæ sunt ægris, ita, ut modo in hac, modò in illa parte sensilis arteriarum percipiatur palpitatio. *Tres* inprimis *causæ sunt* particularis talis palpitationis, sive pulsationis sensus: 1. Inflammatio ejusdem loci, exinde enim arteriæ tenduntur, & ex fibrarum aliquali contractura dilationi renituntur, unde semper dolor pulsatorius supervenit. 2. Est impedimentum quoddam in sanguinis circulo: hujus enim nonnihil in quadam parte sufflaminato transitu, distentæ nimis arteriæ, manifestum pulsationis sensum exhibent. In specie hypochondriaci ex dicta causa pulsationem arteriarum percipiunt, nunc in toto corpore, nunc & in specie in dorso, in regione infrà costas proximè, ubi nempe arteria cœliaca, & in specie insignior ejus ramus splenicus situs est. In his arteriæ per consensum splenis aut partium vicinarum aliquid *convulsivi* patiuntur, unde rigidiores propter fibras sensibiliter pulsant, & talis pulsatio paroxysmi ejusdem hypochondriaci aut melancholiæ, aut sanguinis vomitus indicium esse solet. *Curatur* hoc malum per ♂ia, sicut priores duo modi inprimis per sudorifera. Depravatur multis modis Pulsus tam cordis quam arteriarum in febribus. Qui communior morbus frequentiorque est

FEBRIS.

Adeò ut in Proverbium abierit: Vis sine febre mori, eò intricatiorem ejus esse theoriam, & consequenter empiricam in plurimis esse praxin, confirmat Scriptorum Medic. dissensus, ita, ut ne binos quidem exactè sibi consentientes in hoc puncto invenias, ut propterea ab alio in iisdem erudiri potius, quàm sententiam nostram proferre, adeoque alios informare vellemus. Tamen nos ea, quâ fieri poterit, brevitate, seposito omnium partium studio, doctrinam hanc pertractabimus, & quæ nostra sunt, h.e. practica, inprimis considerabimus, pro theoria hypothesin eligentes talem, quæ praxi facilius accomodari potest, adeoq; præ cæteris Medico utilis existit.

Inter omnia Febrim *concomitantia symptomata* immediatè nullum magis universale existit, quàm *pulsus notabilis mutatio*, & speciatim pulsus præternaturaliter *frequentior*, adeò ut rectè signum pathognomicum statuatur febrium in genere à *Sylvio*, tam in dissertationibus de natura febrium; quam in Praxi: quicquid in contrarium scribat *Deusingius Tract. Disquisitio Anti-Sylviana*. Accedit ut plurimum simul *celeritas*, unde celerem pulsum ceu inseparabile cujusvis febris signum, & quod nunquam abesse possit, statuit *Piens de febb: p.1. c.2 p.12.*

Magnitudinis & vehementiæ ratione variat. Quo *major*, eò melius signum, laudabilis & æquabilis sanguinis fermentatione turgescentiæ & ⌒ualescentiæ. *Vehemens* pariter spirituum influentium vigorem insequens, nunquam rejici debet, adeò ut magnus & vehemens pulsus semper animosum reddat Medicum, in quocunque febricitans statu fuerit: sicut *parvus ac debilis* non nisi vel periculosa sub ægri constitutione, vel maligna in febri adesse solet, & insignem virium labefactationem junctam habere solet.

Durus interdum observatur in febribus, *sed nunquam fausto omine*, quin semper tensionem spasmodicam membranarum, in quodam loco plus minus læsarum aut infestatarum, & hinc in dilatatione arteriarum renitentiam aut fibrarum aliquali spasmo sequitur, unde in febribus cum inflammatione partium membranosarum junctis, v.g. in pleuritide ordinariè observatur. *Deinde* in febribus quibusdam, præsertim malignis, in quibus ⌒us animalis & genus nervosum magis afficiuntur, in quibus etiam citra sensibilem, de qua conqueri possint ægri, molestiam, pulsus durus plus minus observatur, pessimo ut plurimum omine, cum deliria, convulsiones, & mortem sæpius insequi observarim.

Semper bonus est pulsus mollis, generis nervosi minus mutatum habitum, ac ⌒uum animalium debitum morum ostendens, & fere cum madore aut loci sudore junctus esse solet, & tali ex pulsu sæpius fausta exspectari possunt in febre, unde & *pulsus, undosus* dictus, ex magno, vehementi & molli compositus, ordinarius iminentis sudoris prodromus esse solet in febribus, cum in pulsu duro, vel nullum, vel quod absq; εὐφορία, quasi per vim naturæ prodit, sudorem observarim, sc. & fibras cutaneas in tali casu tendi, porosq; contractiores hinc esse arbitror, nisi pulsus talis insigniorem partis cujusdam inflammationem sequatur, tunc sudores enim proficui, & ut plurimum pulsuum mutationes inferentes, eliciuntur.

Vulgò *calorem præternaturaliter auctum signum febrium pathognomicum* asserunt, utpote in quo ipso febris essentiam positam esse autumant, definientes eandem calorem in corde incensum, & hinc in totum corpus per arterias diffusum. Malè. Non semper convenit febri calor, cum in principio continuarum febrium & paroxysmorum intermittentium horror & frigus urgeat. Nec omni convenit febri. Dantur enim febres malignæ, in quibus nil minus, quam calor molestus est,

quæ tamen ſunt peſſimæ, quò Caſtrenſes dictæ *Helmontio* pertinent, *Tr. de febb. c.1. §.4.* imò & frigidæ febres dantur, utut paradoxon videatur, quæ frigore aut rigore plus minus moleſtæ ſunt, absque æſtuatione ſuperveniente. *Conf. Sylv. Diſſert. 1. de febribus* §.13. fruſtra ſe opponente *Deuſingio in Diſquiſ. Anti-ſylviana, p 52.* Conf. de tali febre frigida, *Barthol. cent.3. epiſt. 293. 296. 302. Kergerus de ferment. ſect.3. pag.229.* Nec rarum eſt, intermittentes diuturnas ſolo frigore & aliquali rigore ſtatis temporibus invadere ſine eo, ut nullus, vel leviſſimum veſtigium æſtus ſuperveniat. Quin imò in lectione veterum jam exempla proſtant obſervatarum febrium frigidarum, tam ab *Hippocrate*, quam *Avicenna, vid.* loca allegata in *Rolfinck de febribus in genere c. 13.* Ac ipſe *Galenus* obſervavit horrores febriles ſine ſubſequente calore. Vide *Schenck. obſervat. l.6. pag.757.* Exemplum febris talis frigidæ & mihi aliquando obſervare contigit. Erat hìc artifex, qui laborabat perfecta tertiana, anticipando tamen ſemper duabus horis cum nullo ſubſequente calore. Patiens inclinabat ad phthiſin, ac erat inſignis ſcorbuticus. Paroxyſmus ingruebat cum inſigni horrore & rigore graviſſimo, qui ultra horam integram durabat, poſtmodum, cum deberet ſuccedere calor, nullus ſentiebatur, ſed loco hujus acerbiſſimi dolores totum corpus omnesque artus excruciabant, inprimis regionem dorſi & femora, & in ſpecie in regione dorſi lumbari circa locum connexionis meſenterii. Circa finem interdum materia viridiſſima amaricantis ſaporis vomitu rejiciebatur, absque ullo calore. Urina erat inſignis turbida, craſſa cum copioſo ſedimento. Paroxyſmi obſervabant ordinarium typum anticipando bihorio. Vocatus ergo, cùm jam ab uxore purgatus eſſet, proſcripſi ad temperandum acidum.

℞. ♀ ⊕-lati
lap. ♋. præp. an. gr.xv. M. propinetur hora 1. ante paroxyſmum qui nunc erat quartus; poſt hoc remedium & frigus & dolores inſigniter remiſerunt, & quidem blando ſudore ſubſequente, absque tamen inſigni corporis incaleſcentia, die intermiſſionis.

℞. ∽ ſal armon. ʒij.
cochl. ℥j. M. capiantur 40. guttæ, bis in die intermiſſionis, & die ſequenti paroxyſmi tantundem bihorio ante paroxyſmum. Paroxyſmus eodem modo redibat, cum frigore absque calore, remittentibus doloribus. Die 9. intermiſſionis continuavit hunc ∽um. Ante paroxyſmum ordinavi:

℞. Sal. abſynth. ℈j.
lapid. ♋. ℈ß. M. uſurpetur bihorio ante paroxyſmum, qui non rediit. Die intermiſſionis continuavit ∽m, & tempore paroxyſmi adhuc ſemel præfatum ♁em, ſicque curatus fuit.

Sub-

Subjectum ſive pars affecta in febribus ſunt ſanguis & ſpiritus influi, qui motu tam inteſtino, quam locali alterati omnia illa pathemata inferunt, quibus febricitantes corripiuntur. *Sanguinem affectum*, præter alterationem pulſus ſupra notatam, & ſudor, ſine quo nulla febris perfectè judicata ſive curata dici poteſt, & coctio ac cruditas materiæ in ſanguine contentæ, perque urinam manifeſtatæ & icterus, febribus facilè ſuperveniens, & alteratio inſignis ſanguinis, quæ poſt abſolutas febres obſervatur, eò major, quo diuturnior febris extiterit, dum indolem acidam exinde acquirere rectè dicitur à *Majovv Tract. de ⊕ o pag.* 159. confirmat. *Spiritus vero influos* ſimul laborare, confirmat opii uſus, qui ſpirituum ſiſtendo impetum, intermittentium paroxyſmos nunc penitus ſiſtit, nunc ſaltem poſtponere notabiliter, & minus hinc affligere facit. Tandem quod pariter in continuis obtinet, quorum ferociam & mitigare, interdum penitus extinguere notatum. *vid. Barthol. cent.*1. *hiſt.*84. Utut autem palliativum ſaltem ſubinde ſit remedium; eò ipſo tamen, quo inſigniter febres mitigari ac mutari ejusdem uſu, ſpiritus ſaltem alterante & afficiente, obſervatur, & ſpiritus ſimul affici in febribus manifeſtum evadit. Adhæc, qui gravibus, etiam ſaniſſimi, corripiuntur undecunque natis doloribus, aut diutius perſeverantibus, febrilia exactè patiuntur ſymptomata, qualia in continuis mitioribus contingere ſolent doloris occaſione, in motum nimium adactis, & inde alteratis in ſuis proprietatibus ſpiritibus influis, à quibus ſolis tunc febris. *Nec obſtat* ephemeram aut ſynocham ſine putredine dicas tales febres, eo ipſo enim, quo ephemeras tales unius ſive plurium dierum à ſpiritibus affectis, & undecunque alteratis, unicè dependere concedis, ſpiritus in febribus aliis quoque multò magis affici negare non poteris. *Id quod magis confirmant maligniores*, ſpiritus magis quam ſanguinem alterantes, quæ tunc etiam, ubi urinæ ſanorum ſimiles exiſtunt, nec adeò inſignis, pro ratione ſcil. peſſimè habentis ægri, à ſtatu naturali in pulſu mutatio obſervatur, adeoque ſanguis minus alteratus notatur, tamen ægros facilimè trucidare ſolent, ſpirituum magis affectorum culpâ. *Imaginatio* tandem, quantum in concitanda febre valeat, cùm meticuloſitate, aut horrore ægri, ſanus ſibi facile ſimilem febrim contrahit, aut dum ludicris, aut ridiculis amuletis intermittentes ſubinde fugantur, ex ſola imaginatione, ſpiritus ſaltem afficiente, per ſe notiſſimum eſt.

Conſiſtere ergò dicimus febrim formaliter in fermentatione ſanguinis præternaturali, eaque depravata, ſive ut alii loquuntur, diſproportionata, ſubinde ſimul inſigniter aucta (adeoque plus minus quaſi efferveſcente) cujus occaſione & alterantur ſpiritus, & rarefacti magis impetuoſiores & intenſius incaleſcentes redduntur, inducta à fermento peregrino, nunc ſanguinem,

nunc ⁓, nunc utrunque immediatè afficiente, quò depuretur eadem, aut ſeparetur, quod ipſi præternale & hoſtile exiſtit.

Omnis igitur febris eſt motus naturæ, ſive ut aliàs dicunt, quædam ejus lucta, qua ⁓uum plus minus alteratorum ope, & fermentativi in ſanguine motus auxilio, id quod hoſtile ſeu inimicum œconomiæ animali exiſtit eliminare ſatagit.

Quatuor primaria ſunt ſymptomata, in quavis febre notabilia: 1. Mutatus pulſus. 2. Calor ſive æſtus plus minus intenſus. 3 Frigus horror & rigor. 4. Urina mutata tam ſecundùm liquorem, quam ſecundum contenta.

Pulſus mutatus ſequitur *vel* ⁓ animalem, cor moventem, *vel* ſanguinem in cordis ventriculis, præſertim ſiniſtro turgentem, qui irritando cor, ſpirituum provocat motum, hinc Pulſus. *Ex* irritatione igitur frequentia & celeritas, *ex* impetu ſpirituum vehementia, *ex* ſanguine irritante plus minus turgeſcente, magnitudo, de quibus ſupra. Vehemens ſemper bonus æſtimandus, quia robur facultatis moventis oſtendit, licet etiam nonnunquam ex irritatione facultatis fiat, conantis expellere, quod noxium eſt, ut initio dolorum & in conflictu critico, ut loquitur *Poterius l.1.c.47. de febb.*

Æſtus omnis occaſionalis fit ab acido, craſin ſanguinis immutante, & inde fermentativum ejus motum, hinc ſpirituum alterationem & majorem incaleſcentiam & fervorem inducente. Cum ipſi ſpiritus, forſan certi volatilis ac ſubtilis acoris ratione, caloris ſenſum in animalibus undique diſtundant, quod tamen ulteriori conſiderationi relinquo. Et quidem eæ febres, in quibus ſanguis ſimul alteratur, & ad motum inſigniorem fermentativum præternaturalem diſponitur, intenſiori æſtu comitatæ eſſe ſolent, remiſſiori, quæ primariò ex ⁓uum alteratione accidunt.

Peccare autem in intenſiori corporis æſtu, adeoq; in febribus primariò *acidum*, *probatur* partim, partim *illuſtratur* ſequentibus.

I. In vulneribus & ulceribus, & hinc dependentibus febribus ſymptomaticis, vinum & quælibet acida nocent, quia inflammationem in vulnere & æſtum febrilem in corpore intendunt. Quæ omnia præſervantur & curantur interne per lapill. ♋. & ſimilia, & per externa ♄ina, acidum imbibentia. *Eſt enim* ♄*us chirurgorum patronus*, vulnerum & ulcerum pathemata, ab acido nata, curans: non ſecus ac ☿ ⊖-li vulnerum corruptionem tollit, ut loquitur *Helmont*, acidum imbibendo & corrigendo.

II. Pleuritides, anginæ, & quælibet inflamationes internæ, tàm in principio, quàm in progreſſu ad ſuppurationem tendunt, febrim continuam acutam junctam habent, h.e. æſtum continuum intenſum. Jam vero morbi hi extra controverſiam ab acido originem ducunt, hinc per acidum abſorbentia remedia promtiſſime curantur, verbi gratia dentem apri, maxillam lucii piſcis, ⊖ ia volatilia quælibet, ſtercus equinum, &c.

III. Ery-

III. Eryſipelaceæ aliæque, ſponte ſua, & à cauſa interna, enatæ inflammationes cum æſtu & ardoris manifeſto ſenſu, & non rarò gravi juncta febre cum externo ardoris & ruboris perquam ſenſili indicio ab acido originem ducunt, hinc præter interna modò dicta ſimilia externè conducunt, acidum iſtud abſorbentia optima ſunt remedia, verbi gratia creta, ceruſſa, ǂ & epithemata ♄nina, lac virginis, &c. ablato per hæc in Eryſipelate acido, juncta febris pariter evaneſcit.

IV. Intermittentes ex acida viſcida ſtomachi cruditate originem obtinent, hinc *alcalia* etiam tàm fixa, quàm volatilia, ut ⊖ *abſinth.* & ≈ *ſal armoniaci*, quàm *teſtacea*, ut oſtracoderma, ut *ſpecif. Crollii* & *Strobelbergeri*, quæ illas curant, & paroxyſmi fermentum acidum tollunt: in *quartanis* ſpeciatim *♂tialia & ♄nina*, intenſius acidum abſorbendo conveniunt.

V. Febres, catarrhales dictæ, à lymphæ acrimonia originem ducunt, quæ quo acidior fuerit, eò intenſiorem cephalalgiam, ferinam magis tuſſim, lancinationes artuum graviores, & ſpeciatim intenſiores æſtuationes veſpertinas, & nocturnas, & febriles infert. Unde & volatilibus, ≈*u ſal armoniaci*, inprimis *aniſato*, *liquore CC. ſuccin.* optime curatur, acidam lympham corrigendo, it. *opiatis* vitiatum lymphæ motum ſuſpendendo.

VI. Variolæ non ſecus ac Morbilli intenſiſſimum æſtum junctum habere ſolent, qui erumpentibus iſtis ceſſare ſolet. Acidum aut in variolis peccare, præter ſymptomata, ab acidi acrimonia & eroſione nata, v.g. ſuppuratio cutis, in foveas eroſio, interdum oſſium caries, pulmonum exulceratio; cura per abſorbentia, per invertentia ſalia volatilia, Tincturam tartari, &c. abunde confirmat.

Arthritis VII. quælibet, primariò vaga, & hinc etiam fixa, niſi hæc nimis inveterata fuerit, cum febrilibus ſymptomatis plus minus ingruit, & præter æſtum, in vaga ſubinde admodum intenſum, pulſum celerem & frequentem excitat: ſcil. acidum, ut in arthritide dolores excitat, ita & æſtum & ardorem infert febrilem; unde & acido devicto, dolores evaneſcunt, & ardores extinguuntur. *Confer. Tachen. Hippocr. Chym. edit. 2. p. 417.*

VIII. Febres iſtæ, quæ ex retropulſa vel ſcabie adultorum, vel achoribus infantum oriuntur continuæ, & ſubinde admodùm periculoſæ ſunt, in infantibus etiam ut plurimum cum diarrhæa junctæ, ab acido ſalſo, plus minus viſcido, originem habent, adeoque ſuperiora confirmant.

IX. Febris lenta quaſi hectica, ex ulcere partis cujusdam internæ, ſpeciatim pulmonis nata, & à ſaniè purulentâ originem habens, idem confirmat. In ſanie autem purulenta acre inprimis conſiderandum, & hoc non urinoſum, ſed acido ſalſum, hinc læſâ ſanguinis craſi, vitiatur ejus fermentatio & æſtuatio.

X. Infantes verè tormina patiuntur ex acido lactis vitiato, testes sunt excreta viridia, item semigrumosa: hæc si diutius durent, sequitur æstus febrilis totius corporis; Interdum satis contumaces quoque, itidem occasione acidi excitatæ, superveniunt convulsiones: sed destructo acido in primis viis per absorbentia & volatilia omnia ista cessant.

XI. Urinæ videntur idem illustrare. Hæ in febribus intensiùs tinctæ & perquam rubræ observantur, & quò intensior æstus vexat ægros, eò magis flammeum & rutilantem contrahunt colorem, nisi turbentur. Declinante febri, ac defervescente æstu, naturali citrino colore denuo apparent. Intensiorem hunc colorem ab acido esse, mechanica chymia docet, cùm ab acidis instillatis ⌒n ⊕-li, ⦶, 🜍, ⊖, etiam aceto, ▣æ intensius rubescant, quæ ab alcali, 🝆o ♀ per deliquium, lixivio cinerum clavellatorum, aut nonnihil pallescunt, aut saltim nullam in colore mutationem patiuntur. Scorbuticorum urinæ subinde intensissimè tinctæ sunt, absque febrili æstu, ab acido saltim luxuriante urinam ita alterante.

XII. Symptomata, quæ à vini abusu, v. g. Rhenani accidunt, ex acido tartareo volatili imprimis originem ducunt, verbi gratia orexis, æstus corporis, cephalalgia, pulsus febrilis, &c. similia ferè symptomata febrium: hinc ⌒ sal armoniaci, vel pulveres præcipitantes, os sepiæ, vel lac ipsum ista compescit.

XIII. Æstuationes vagæ & phlogôses, quæ hypochondriacos sæpius affligunt, ex effervescentia in primis viis, ab acido primariò excitata originem ducunt. Hinc præcipitantibus dictis corallis, ebore, alcalibus fixis, ferè cicurantur, & correcto acido emendantur.

XIV. Similia observare possumus in soda sive ardore stomachi, æstus ille ardorque, unde nisi ab acido? hinc, acido hoc præcipitantibus correcto, soda etiam evanescit.

XV. Considerationem etiam meretur, quod *Tackenius in Hippocr. chym. c.18.* remedia vegetabilia calida, acido prædominante, frigida verò alcali superante dari asserit. Sanè calida omnia resinosam substantiam obtinent, eamq; acrem, in qua vis calefactoria residet: adeoque 🝆 aut substantia ab acido concentrata gaudent. Hinc resinosa vel liquefacta, vel destillatione resoluta in ⌒ ardentem, intensè calefaciunt: porrò 🝆 destill. C.C. aut terebinth. in forma propria assumta, calidissima sunt: per digestionem verò cum alcali fixo in sal volatile mutantur, quod macrum (purum) nec 🝆sum, nulla caloris vestigia exhibet, calido, i.e. pingui acido in sale fixo remanente. Sane sæpius observavi in febribus intermittentibus æstum & ardorem ex usu ⌒ ✳ci simplicis, ante paroxysmum adhibiti, multum remisisse.

XVI. Illustrat negotium nonnihil, quod ardoris iste sensus, qui post combustionem ab △itis subjectis remanet, fit ab acidi spiculis, in parte læsa relictis, unde

unde per saturnina, per alcalia animalium, sperma ranarum, urinam humanam, 🝐 sal armon. &c. promtum levamen & refrigerium. Videtur ergo æstus oriri occasionaliter ex acido præternaturali, volatili sive tali, quod sanguini commiscibile, nonnihil naturalem ejus fermentationem turbare, & cum particulis alcalinis & 🜍sis præternaturalem quasi effervescentiam constituere possit. Sub qua & ipsi spiritus geniti acriores, hincq; calidiores & fervidiores existunt, à quibus cum sanguine per universum corpus ex præcordiis calor diffunditur. Equidem plures ex bile ardoris rationem, tam naturalis, quam præternaturalis febrilis, derivare amant. Sed 1. An ex bile ardor oriatur iste, dubium. 2. Posito ex bile eum oriri, quæritur quâ ratione fiat: an magis ab ejus 🜍o, in recessu acido volatili imprægnato: an verò ab alcali (si quidem id extra artis opem bilis formaliter possidet,) ejus origo sit. 3. Unde in febribus intermittentibus, quæ quasi tot continuæ sunt, quot paroxysmos habent, amara, resinosa, bili quasi analoga, & hinc alcalia volatilia tam proficua sint.

Observetur hic caloris duplex in febribus differentia: 1. vel humidus, vel siccus. 2. est vel mitis vel acris. *Humidus, sive vaporosus*, aliàs semper melior sicco. *Oritur* à juncta copiosa transpiratione, quæ ferè præsupponit cutim mollem, & ejus fibræ minus sint tensæ, & ostendit talem febrilem in sanguine commotionem, qua copiosè secedant, & mediante sero emittantur particulæ heterogeneæ separatæ sive coctæ.

Contrarium fit in *Sicco* calore, quo cutis arida, & quasi squalida deprehenditur, ac inordinatam particularum in sanguine fermentationem & insignem confusionem 🝐uum præsertim animalium, præternaturali impetu, fibras plus minus stringente, innuit. *Mitis calor*, vel *acris sive mordax* crasin sanguinis & spirituum sequitur, qui minus acrioribus particulis ⊖inis, præsertim acidis effervescentibus turgidus, mitiorem, sin copiosioribus aut acrioribus iisdem sit imprægnatus, acrem, ad tactum mordacem, tanquam si igneæ particulæ tactui se insinuarent, calorem repræsentat.

Frigus, Horror & Rigor, non nisi gradualiter differunt. *Frigus* quod attinet, non rarum est, quod febricitantes conquerantur de frigore, & multò magis de horrore, utut ab alio calidi observentur, aut licet extremæ manus, pedes & nasus frigus actuale contrahant, item pallescant ac ungues livescant, corpus tamen ipsum calidum plus minus observatur: Nempe membranosarum saltem partium pathemata hæc tria sunt, quæ ab acido febrili vellicatæ, motus convulsivos patiuntur. Unde pro horum graduali differentia, si leviores sint, & vix tali appellatione dignæ, in quibus saltim fit cutis anserina, frigoris sensu interdum imponunt ægro, si graviores sint

ſint, ita ut ſenſili convulſione quatiantur membra, & per conſenſum ſimul nonnihil afficiantur muſculi, Rigor exiſtit, medio modo ſi ſe habeat, horror dicitur.

Sanè interdum tam gravis rigoris eſt inſultus, & tanta convulſiva membrorum extremorum ac totius corporis conquaſſatio, ut epilepticis ſimiles concutiantur. *Afficiuntur aut ſub hoc rigore qualescunq; ſenſiles membranæ*, non panniculus ſaltem carnoſus; quæ plurium eſt opinio, ſed etiam aliæ quævis membranæ, etiam internæ, ventriculi puta, inteſtinorum, meſenterium, &c. & aliæ quævis. Cum enim ſentiendi vi polleant exquiſitâ, ſi ab acri, in ſpecie acido, irritantur, rigores fiunt. Hinc in *colicis doloribus* rigores frequentes accidunt. *Abſceſſus* itidem quilibet interni, dum rumpuntur, & ita membranas, quæ eas ambiunt, perfodiunt, rigores ſuperveniunt. De hoc vide pluribus agentem *Piens Tract. de febrib. part.1. c.7. pag.254. & ſeqq.* Sanè rigores & horrores, qui intermittentium inchoant paroxyſmos, non niſi ex præcordiis ſive partibus membranoſis in primis viis affectis excitantur, ut rectè docet *Fernel. Pathol. l.4. c.10. p.248.* Quod etiam de iis aſſerendum, qui in principio continuarum contingunt.

Illi vero, qui in continuarum curſu, tam benignarum, quam malignarum accidunt, & præſertim circa ſtatum morbi affligunt, ex irritatis, & hinc quaſſatis partibus membraneis externis; inter & ſubcutaneis ferè contingunt, & in *benignis*, ſudoris præſertim critici ferè prænuncii exiſtunt, in malignis vero excretionis intercutaneæ purpuræ, puſtularum & ſimilium ſunt indices.

Urinas quod attinet, *tinctura harum intenſior* ab acido prædominante, & hinc cæteras particulas magis concentrante, originem ducere ſupra inſinuatum fuit, ubi de ardoribus, & ab hoc acido plus minus exaltato, aut enervato & ſaturato; etiam coctionis & cruditatis materiæ morbificæ in ſanguine ratio, ac in urina ſigna dependent. Nempe *coctio* in ſeparatione, & quaſi præcipitatione heterogenei ex ſanguine conſiſtit, quod cum ſero dilutum per renes transcolatur & in urinæ fundo conſidet, in ſigno coctionis perfectæ. Sicut dum nil ſecernitur, & in ſanguine intimè plus minus commixta ſunt omnia, nil ſeparari poteſt, & cruditas eſt, cujus ſignum urina clara, absque ſedimentis excreta. Quod ſi verò mediante fermentatione & motu fiat ſucceſſivè extruſio & ſeparatio iſtarum quaſi fæculentiarum, urinæ craſſiores, magis contentis ſaturatæ, & quæ ſponte turbatæ prodeunt; adeoque inchoatam coctionem oſtendunt: Quod ſi turbidæ maneant, adhuc ingentem motum, & inordinatam fermentationem & confuſionem in Maſſa ſanguinea innuunt. Sin vero turbidæ clareſcere, & ad fundum contenta dimittere incipiant, ſignum progreſſus ulterioris in coctione oſtendunt. Rem exemplo quaſi ſimili nonnihil illuſtrabo. In febre continua aut paroxyſmo intermittentium Maſſa

ſangui-

ſanguinea eſt ſimilis vino aut muſto generoſo fermentantibus. Nam utut variis conſtent particulis ex ſalibus, tamen ejus acido & alcali fit fermentativus motus, quo mediante ſeparantur, & ad fundum ſucceſſivè præcipitantur partes disproportionatæ, non benè miſcibiles, ſub fœcum nomine, quô factô ex recuperata debita particularum textura vinum quietum laudabile ac perfectum exiſtit.

In Turgeſcentia febrili ſimile quid occurrere videtur. Nam & ibi particulæ Maſſæ ſanguineæ, mediante tali fermentatione, ſeparantur, & quædam earum præcipitantur, quarum quædam cum urinis ſub forma ſedimenti rejiciuntur, donec ſuperveniente critico naturæ motu uno impetu vel ejiciantur, vel in locum quendam ſeponantur. Sed hæ ipſæ paratæ fœculentiæ non ſunt ſolum recrementa morboſa; ſed etiam partes ipſius Maſſæ ſanguineæ ſub tumultu iſto fermentationis febrilis alteratæ, mutatæ, & ſimul præcipitatæ, ita unà foràs emittuntur, non ſecus enim ac ſudore artificiali per motum, exercitia, non ſerum purum aut recrementoſis ſaltem particulis commiſtum eſt, quod emittitur, ſed etiam ex ipſa Maſſa ſanguinea copioſæ particulæ utiles, fermentationis auctæ motu attritæ, hinc in ſalſum mutatæ, & ita reliquiis minus ſociabiles factæ, unà excluduntur: ita etiam in ſudore intermittentium Maſſa ſanguinea ſub paroxyſmo in tantum, ſive plus minus, colliquata propriæ ſubſtantiæ unà jacturam facit. In intermittentibus quot ſunt paroxyſmi, tot ſunt febres quaſi particulares, in quibus poſt horrorem turgeſcentia fermentativa, in qua materiæ coctio peragitur, accidit, hinc in fine quadam quaſi criſi copioſus ſudor ſupervenit.

Quamdiu igitur ſanguinis craſis, unicuique homini propria, fundamentaliter ab acido & urinoſo dependens, naturaliter proportionata eſt, tamdiu fermentatur & ſpiritualſcit ſanguis: ſimul verò ac iſta læditur, inprimis ſi ſe inſinuent particulæ facilè fermenteſcibiles, & non ritè cum integra maſſa miſcibiles, ex primis viis fiunt fomes pro febri. Ab iſto negotio *cruditatis & coctionis univerſa criſium dependet ratio*, quæ in præcipitatione fœcum, ſubitaneâ ex Maſſa ſanguinea excluſione, & vel extra corpus excretione, vel in quendam corporis locum congeſtione in tumorem ac abſceſſum conſiſtit, ipſis ſeparatis fœculentiis priùs circa excluſionis locum, ex factâ ibidem, aut in vicinia, irritatione, varia ſymptomata occaſionaliter concitantibus; dum v. g. ſudores criticos, rigores repetiti; hæmorrhagias criticas, agrypniæ, deliria, narium pruritus, oculorum ſplendores, cephalalgiæ, obauditiones, præcedere ſolent; nam ſecundum Hippocratem, nōx, quæ antecedit criſin, gravis. *Hinc ſemper obſervavi*, quamdiu in febribus præſertim continuis, urinæ ſunt crudæ, tamdiu res ægri in ſtatu conſiſtit ambiguo: quando verò adſunt ſigna

coctionis, semper quælibet fausta possumus ominari, ita ut non meminerim, vel legisse me, vel observasse, cum coctionis signis quenquam interiisse. E contra quæ coctæ jam plus minus apparebant urinæ, si recrudescant denuò, semper periculum portendunt, si nempe sedimentum, quod primis diebus subsiderat, deficiat: aut si urinæ crassæ intensiùs tinctæ pallescere, aut tenuiores excerni incipiant, id quod nunc per causas externas, vini generosi potum, iracundiam, pastum paulò copiosiorem præsertim carnosarum vel similium; nunc per causas internas, ex deficiente naturæ motu & dominio causæ morbificæ evenit. Curabam puerperam purpurâ affectam, procedebant omnia mediocriter. Die 9. urina crassa, intensè tincta, turbari, & sedimentum deponere incipiebat. Interea etiam purpura utcunque erumpebat, coctionis signa augmentabantur, ipsâ ægrâ commodè se habente. Sed die 15. cùm nox prægressa fuisset inquieta, manè urina excernebatur pallida, tenuis, vix citrina, ex improviso delirium, convulsiones, circa meridiem mors: quod hic subitò factum, hoc interdum successivè & quasi aliquot dies evenire solet. Propterea rectè *Poterius lib.1. de febribus c.42.* coctionem veram, continuam & universalem esse debere asserit; vera quidem, quia non rarò falluntur Medici, opinantes, veram esse coctionem in urinis, ex crudo humore in fundo earum subsidente, quasi verum sit sedimentum. Continua etiam debet esse coctio, ut fida sit: Fit enim aliquando, cum non ex toto humor à natura superatur, ut manè appareat cocta, vesperi autem delitescat coctio. Debet etiam esse universalis & totius materiæ morbificæ: Frustra namque in parte quapiam coctio suscipitur, morbo in reliquo corpore crudo existente. Hæc Poterius.

Opus hoc coctionis solius est naturæ, & hanc insequens crisis, quam arte adjuvare non possumus, saltem impedimenta, naturam gravantia, removere valemus. Motus hic naturæ circa *coctionis negotium in eo consistit*, ut acidum fermentativum morbosum, unde febris oritur, corrigatur, & temperetur, adeoque in ⊖sum, aliarum particularum additione mutatum, ex Massa sanguinea extrudatur, id quod mediante fermentationis motu accidit: *Cruditas enim*, & arctior omnium particularum in sanguine unio, & hinc procedens acrior effervescentia febrilis, *ab acido dependet*, quo dominante intensior fermentatio, nulla secretio fit. Dum vero per mutuam collisionem quasi acidum febrile fermentum successivè ab alcalibus arreptis saturatur, in ⊖sum mutari, & sic ex compedibus sanguinis solvi, i.e. liberari incipit, etiam aliæ particulæ heterogeneæ, nec sanguini debitè assimilabiles, ab acido tamen vitioso unà colligatæ & quasi concentratæ, simul ex sanguine extrudi, & hinc ex ejus liquore, fermentationis medio, (qua partes unibiles ritè coeunt, non unibiles secernuntur.) præcipitari solent, coctio, & copiosorum cum ⊡a contentorum excretio accidit. Conf. *Sylv. l.1. Prax. c.55.* §.14. *& seqq.* Hinc etiam in febribus malignis, si

urinæ

urinæ sanorum similimæ excernuntur, signum periculosum est, scil. spiritus influos inprimis esse affectos, & ipsam massam sanguineam à fermento maligno citra insigniorem fermentationis ejus turbationem corrumpi, & in textura sua vitiati significans; unde & cum minori ardore tales febres junctæ esse solent, summa virium potius prostratio, & nervosi generis symptomata magis urgent: sin tamen in his etiam malignioribus coctionis veræ signa se exhibere inchoant, bene sperare Medicum jubent, & si salubres sunt tales, in fine coctione materiæ morbificæ ejusque signis in [☉]a terminari assolent.

Ex dictis hactenus patet, nec calorem, nec frigus esse de essentia febrium, aut rationem earundem formalem constituere, sed saltim esse symptomata febri supervenientia, non secus ac sitis, aut cephalalgia, easdem ordinariò comitari solet. Idem autem est calor in statu sano, temperatus, qui in febribus nimis corpus calefacit, idem deficiens, idem fiendi motus, idem subjectum recipiens, saltim in majori gradu omnia.

Patet deniq;, quid de putredine, adeo à veteribus in febribus hinc putridis dictis *decantata, habendum*, nempe quamdiu viventes corporis partes sunt, putredo propriè dicta locum nullum habere potest. Unde & veterum ista putredo non potest concipi, nisi per fermentationem explicetur. Hinc *Sennertus*, utut statuat, & explicet adhuc febres putridas. *Tr. de febb.* sæpius tamen vocabulo ebullitionis, effervescentiæ, &c. utitur *Conf. etiam Piens de febb. part.* 1. *p.* 236. *& seqq.*

Patet etiam non cor, aliámve partem quandam solidam esse subjectum febrium primarium, nec vasa, aut majora, aut minora, sed sanguis & ♎. Alia tamen ratio est foci febrilis, cujus subjectum viscus quoddam esse potest. Sic certum est, focum intermittentium, ubi nascitur fermentum febrile, esse ventriculum: sic in febribus symptomaticis ulcerum, & vulneris, afficitur quidem in febri MS, focus tamen est in parte ulcerosa vel vulnerata.

Non confundatur tamen focus morbosus cum receptaculo producti morbosi. Sic enim chronicis febribus superveniunt subinde tumores: v. g. Quartanis diuturnis lienis tumor supervenire solet. Interim universalis est morbus febris, cum sanguinis & spirituum ratione totum corpus necessariò affligat, adeoque ratione partium solidarum ita denominatur, quas tamen, nunc æqualiter, nunc inæqualiter affligit. Hoc fit ratione circumstantiarum accidentalium, prout fermentum febrile, aut corporis humores, sub febrili motu plus minus alterati, aut etiam producta humorum morbosa, &c. aptiora sunt, ut unam vel alteram partem magis vel minus afficiant. Ipsæ etiam partes solidæ vel connato, vel acquisito ex vitio, quò inprimis partium robur inæquale pertinet, magis vel minus dispositæ sunt, ad suscipiendam ex causis prædictis alterationem sive immutationem. Pro talium enim circumstantiarum ratione accidentales istæ febrium dif-

ferentiæ: continuarum quidem in Pemphigodem, Efferoden, Eloden, intermittentium vero in tussiculosam, deliram, asthmaticam, &c. oriuntur. Forsan etiam & huc referenda venit febris illa continua, in qua lateris sinistri totius æstus, & dextri frigus. *vid. Act. Med. Hafn. vol. 2. p. 137.* Item febris ista brachii dextri particularis quotidiana in *M. A. N. C. Ann. 3. p. 381.*

Quoad *Differentias febrium reales:* Febris I. ratione conditionis causæ, & inde acquisiti moris, est vel benigna, vel maligna. II. ratione modi afflictionis est vel continua, vel intermittens. Continua ratione generationis est vel primaria, vel secundaria, hæc vel comitata vel symptomatica. Primaria est vel continens, Synocha dicta, vel continua plus minus periodica, Synochus dicta. Eadem continua, ratione cursus seu motus febrilis, est vel acuta, vel lenta. Tanta tamen varietas in unaquaque febrium classe subinde observabilis est, ut certis eam cancellis includere impossibile sit.

Causæ febrium in genere erunt omnia illa, quæ crasin M. S. naturalem pervertere, & talem discrasiam, sive talem heterogeneitatem & disproportionatam texturam particularum componentium inducere valent, ut exinde salium activitate vitiatâ, fermentatio præternaturalis conciteretur. Hæc ipsa in genere, qualiacunq; fuerint, *fermentum febrile* appellare placet, cujus occasione nempe sanguis, præternaturalem fermentationem concipit, & ♌ simul insigniter alterantur, immediatè tale fermentum sanguinem, & hoc mediante spiritus afficit, seu ècontra mediatè ♌, & his mediantibus sanguinem inquinat.

Tale fermentum est, v. g. quod ex insensibili transpiratione prohibita & retenta febrim subinde accendit. Tale fermentum est, quod ex ulcere quodam interno, v.g. phthisi pulmonali febrim inducit. Tale fermentum est, quod in Erysipelate aut pleuritide febrim acutam infert. Tale fermentum est, quo scabies retropulsa febrim periculosam subindè excitat. Tale est lympha acidior febrem catarrhalem inducens. Tale fermentum est, quod ex fructuum horæorum abusu subinde febre nos mulctat. Tale fermentum est, quod contagii sub tegmine nos inquinat. Tale fermentum est, quod ex usu rei horridæ, ac facilè alterabilis, in primis viis, sæpius febrem intermittentem excitat.

Fermentum tale nunc extrinsecus nobis communicatur per assumtorum aut inspiratorum varietatem, quo & contagia pertinent; *nunc intus generatur:* vix tamen febrilem alterationem inducent talia nisi volatilis plus minus naturæ & ♌bus aut sanguini commiscibilia fuerint. Sine hac enim conditione variam quidem immutationem, non tamen fermentativam turgescentiam febrilem in sanguine concitare valebunt.

In specie, quoad intus genitum fomitem febrilem speciatim ad primas vias

respectus

respectus habendus, quarum errata fermento quidem digestivo acidó volatili, ex ventriculo impraegnata, & interius sanguini commiscibilia, defectu tamen debitæ digestionis & perfectionis in primis viis, qua in ⊖ sum volatile temperatum abire debebant, non adeò homogenealiter assimilabilia existunt, quin inordinatam fermentationem citius vel tardius inducant.

Notum hoc inprimis est ex febribus intermittentibus fomitem simpliciter in primis viis habentibus; continuatum vero præsertim benignarum plurium par omnino est ratio, si erratum primarum viarum sanguinem sive lympham inquinet, & eatenus, fermenti instar, continuam fermentationem in sanguine efficiat. Siquidem intermittentis febris paroxysmus quilibet integram quandam benignam, per crisin sudoris finientem, febrim continuam repræsentat. Unde non rarum est, ex intermittente tertiana continuam fieri, & contra ardentem continuam in intermittentem terminari aut complicari hæc duodenuo, ut in continuis periodicis obvium est.

Fermentum hoc in benignis videtur esse *acidæ plus minus naturæ* (ut ex iis, quæ supra de æstu corporis, rigore, ⊡a, &c. dicta sunt, probabiliter concludi potest:) Imò etiam in malignis, sed in his acrius, volatilius & penetrabilius, ratione quarum proprietatum & ∾bus tàm promptè communicabile existit, adeoque ad veneni naturam, quæ in intemperatura insigni simpliciter consistere videtur, propius accedit. Non autem humorum copia & moles, seu, ut vocant, saburra hanc fermentationis læsionem semper infert, sed sufficiunt interdum miasmata quædam fermentativa, vel inspirata, vel relicta, quæ quatenus sunt activa, & undique per contenta corporis diffusiva (odorum ad instar) facilè vel totam Massam sanguinis, motum salium æqualem pervertendo, vel spiritus influos, eorum texturam vitiando, inficere possunt. Qualia fermenta v. g. contagia sunt ∾osa in malignis, quæ vel ∾ibus vel sanguini se insinuantia, nunc citiùs, nunc tardiùs potentiam suam alterativam exercendo, febris occasionem suggerunt. Adeoque minimum subinde est, quod peccat in febribus, ceu materialis causa, quod tamen fermentationis medio multiplicabile existit, unde intermittentium insignis diuturnitas, continuarum vero malignarum copia contagia ∾osa.

Causæ remotæ variæ ac multiplices ex rerum non naturalium usu vario & abusu sunt derivandæ. Notabile tamen est, quod ii, qui laborant in ☿ii fodinis, raró febribus affligantur. it. quòd ii, qui ☿ii unguento peruncti fuerunt, ad longissimum tempus vix febribus corripiantur, teste *Poterio lib. 1. de febb. c. 15.* Nec obstat, quod *Panarolus pentec. 5. obs. 39.* referat, febrim periculosissimam ob hydrargiri inunctionem ad pecten & axillas contra pediculos, nam forsan febris occasione inflammationis, in dictis locis enatæ, inducta fuit.

Prognosis febrium in genere ex pulsu & urina desumitur, ille prout vehementior, major & æqualior, hæc prout coctionis signa laudabiliora ostendit, eò meliora sunt indicia, & contra; atque ex his etiam principaliter tempus & modus eventus cognoscitur.

Cura febrium in genere consistit in eo: I. Ut fermentum febrile acidum volatile, specifici tamen saporis, corrigatur, alteretur & enervetur sive quasi figatur, & hinc in saporem & texturam minus activam mutetur. II. Ut materia vitiosa peccans fermenti talis, vel vehiculum, aut fomes (mediante quo v. gr. ex primis viis, fluidis corporis contentis, speciatim sanguini permiscetur, ut in intermittentibus aut continuis benignis,) vel productum ab isto fermento ex naturalibus corporis contentis fluidis, per horum fermentativam alterationem genitum (v. g. copiosus ichor in variolis) ab iis, præsertim à sanguine separetur. III. Utrumque, qua data porta imprimis per peripheriam cutis eliminetur. *Opus hoc est vel* solius naturæ, *vel* solius artis, *vel* utriusque simul. *Solius naturæ* opus est hæc cura, dum coctione materiæ morbificæ, & hinc factâ crisi expedit. Unde in veterum methodo medendi Medici agebant spectatores naturæ, observando coctionis signa & tempora, & hinc expectando crisin, quibus ritè se habentibus morbus judicabatur & salvabatur æger. *Solius artis opus est*, quando remediis specificis antifebrilibus fermentum febrile enervatur, & corrigitur, id, quod superest, sponte sua & absque morboso conatu, curante natura. Talia sunt v. g. specifica febrilia intermittentium, ut febrifugum *Riverii*, aut specificum febrile *Kergeri*, aut in quartana specificum febrile sive China Chinæ, (nempe ℞. Chin. chin. ℥ß. sal armon. ℈j,) aut *Helmontii* diaphoret. Paracelsi quarumvis febrium rhizotomos.

Artis & naturæ opere simul curantur in methodo hactenus communiter recepta, qua naturæ fermentationis sanguinis febrilis medio, laudabiliter agenti & coquenti, *auxiliatrices opes ferimus*, impedimenta illius, sordes & fomites primarum viarum removendo. Hinc aut temperantibus aut absorbentibus, aut diaphoreticis, vulgò præcipitantibus dictis, appropriatis aliis fermenti febrilis vim, & vitiosorum humorum orgasmum refrænando, mitigando & plus minus enervando, & hinc nata gravia symptomata, motum & impetum naturæ plus minus frangentia, mitigando. In quem finem in genere V. S. purgantium, opiatorum & diætæ usus observandus venit.

Auxiliatrices opes ferimus naturæ rectè agenti, h. e. quæ fermentationis medio coctionem ritè molitur pro futurâ excretione. *Sed quid agendum Medico, cum vitiosè agit natura*, h. e. cum crudâ adhuc materiâ excretiones symptomaticas in principio aut incremento instituit eadem irritata, sive turgeat plus minus materia peccans, ut aliàs dicitur, sive non? Coacta sanè agit natura, unde & debili-

bilitant ægrum tales excretiones, & absque εὐφορίᾳ fiunt, quas tamen ubi presseris arte, periculum est, ne impetu contentorum intra corpus coercito, fiat irruptio in partem aliquam nobilem, adeoque exitialem vitæ calamitatem inferat. v.g. pone febrim continuam insignem, sed benigniorem, (utut malignarum revera eadem sit ratio, in quibus tamen magis ad malignitatem, præsertim si ~ potissimum occupet, respiciatur:) cui, crudis adhuc existentibus urinis, die tertia, quarta & quinta supervenit diarrhæa, aut hæmorrhagia narium crebrius repetens. Excretio hæc revera est symptomatica, debilitatur æger, franguntur vires, periculum est, ægrum vix superaturum morbum, aut ad statum cum ista excretione perduraturum. Quod si supprimas hæc ipsa, ex diarrhæa impedita febris intensior, sitis, cephalalgia, deliria, &c. metuenda erunt. Si hæmorrhagiam narium sistas eadem, ac præsertim deliria & convulsiones. Quid igitur agendum in talibus casibus? Varie decertant hic Practici, an promovendus, an sistendus sit talis naturæ motus. Omnium optime mihi videtur negotium decidisse *Stephanus Rodericus Castrensis Tr. Quæ ex quibus l.2. c.10. p.119.* Decisionis nucleum paucis comprehendam. Inquit: Omnis evacuatio symptomatis ratione facta, in tempore peccat. Si enim debito fieret tempore, h.e. in die decretorio, non amplius symptomatica, sed critica diceretur. Nihilominus vel peccat in solo tempore, vel simul cum temporis vitio habet vitium qualitatis, aut quantitatis, aut utriusque. Si qualitate & quantitate simul sit vitiosa, omnino damnanda est. Si quantitate, tantum quantitas vel excedit, & tunc est inhibenda, vel deficit, & tunc an sit supplenda, Certant artis proceres, & adhuc sub judice lis est. Si qualitate peccaverit, decreto *Hippocr. sect. 1. aphor. 2.* damnabitur. Nam cum non purgantur talia, qualia purgari oportet, (quod idem est, ac si diceret, quæ peccant in qualitate,) nec conferre, nec leviter tolerari. Profecto si non conferunt, non sunt proficua, si non tolerantur, non fiunt cum virtutis tolerantia. Si tandem solius temporis peccatum sit, non autem omnino qualitatis, neque valde magnum quantitatis, tunc posse aliquando judicare, tam certum est, quam quod certissimum. De deficiente ergo ex quanto excretione symptomatica sub judice lis est, *Hippocratis consilio sect. 2. aphor. 29.* cum morbi inchoant, si quid movendum videtur, move. Ubi *Galenus* melius esse ait, in principiis evacuare, quo minorem jam factam materiam facilius natura possit concoquere. Si igitur evacuatio in principio confert ad futuram coctionem, sane isthæc evacuatio ante coctionem fit. Si autẽ fieri potest cum utilitate ab arte, a qua majorem agitationem patitur corpus, multo melius fiet a natura, a cujus operibus minor contingit agitatio. *Hactenus Castrensis.*

Hinc & excretiones symptomaticas interdum morbum solvere observatum refertur, in *Act. Med. Hafn. vol. 4. pag. 104.* Interea, *Medicus*, sive sistendas, sive promovendas observarit hujusmodi evacuationes, *semper acre peccans temperan-*

perantibus & invertentibus enervare, sedulus insistat. Siquidem tam materiæ morbificæ turgescentia, quam excretiones symptomaticæ semper sequuntur nimiam materiæ occasionalis, sive fermenti ejus vehiculi acrimoniam tam benignam, quàm malignam. Sive enim ex aucta effervescentia, sive ex irritatione partium sensilium, & hinc nato motu contentorum vitiato, sive ex utroque oriri dicas turgescentiam & excretionem symptomaticam, sanè ubique principale peccans erit acrimonia nimia. Pertinet ad hujusmodi dubios naturæ motus Icterus de quo *Hippocrates sect. 4. §. 62.* Quibus per febres morbus regius supervenerit ante diem septimum, malum. Minus universale hoc esse, non solùm *Sennertus* annotat *Instit. l. 3. part. 3. c. 7. p. 740.* Sed etiam *ex Horstio l. 1. obs.* 23 patet, ubi Icterus salutaris quarta die in continua obvenit, & *Barthol. cent 3. histor.* 4. Icterum salutatem in quartana ante septimum supervenientem notat. Ergò præter signa coctionis plus minus jam prægressa optimè negotium hoc decidit *Castro supra cit. lib. 3. c. 20. p. 220. & seqq.* nempe etiam die quarta icteritiam cum rigore esse bonum signum, quia quasi critica sit. Item icteritiam sine rigore ante septimum accedentem, utut symptomaticam, si sequatur evacuatio aliqua, per alvum, v. g. aut urinam, ægrum liberare: quæ pluribus citato loco explicata videantur.

In specie superius insinuata *auxilia generalia* quod attinet, ex fonte Chirurgico se offert inprimis Venæsectio, de cujus usu quæritur. Ex supra jactis fundamentis, per se patet, insignem hîc intercedere abusum, cum per se nil in febre curanda conferat Venæ sectio, utcunque ejus effectus explicentur. Per accidens igitur in plethoricis tam veris, quàm apparentibus, quò pertinent & ii, quibus consueta quorundam sanguinis evacuatio suppressa est, item, qui consueti sunt aliàs sanguinis detractionibus artificialibus, aut qui ad nimias sanguinis ebullitiones & fermentationes, indeque ortas spirituum excandescentias proni sunt ut adolescentes, & qui laudabili, euchymo ac generoso victu præsertim in potu utuntur, interdum Venæsectio concedi potest, idque in morbi principio, magis tamen in benignis, minus in malignis, præsertim ubi jam aliquo usque progressa sit febris, in quibus non nisi cautè & circumspectè eadem locum habet, & quo malignior fuerit febris, eò minus locum habet.

Ex fonte pharmaceutico in genere se offerunt evacuantia, sive sint purgantia in specie sic dicta, sive sudorifera, sive diuretica, & hinc symptomatum urgentium sedativa opiata. Equidem & horum omnium usus sponte patet.

Evacuantia quidem purgantia nulla sanè per se febribus conducunt,

eunt, nisi in declinatione, adeoque correcto fermento febrili, & coctâ materiâ ac sedatâ ebullitione. Frustra enim aliàs propinantur, turbabunt magis massam sanguineam, irritabunt partes solidas, & quicquid evacuabunt, absque εὐφορίᾳ erit, cum non evacuetur, tunc temporis, quod evacuandum esset, nullâ factâ inutilis ab utili segregatione. Confirmat hoc experientia, quæ ostendit, post repetitas etiam purgationes eodem tenore pergere, interdum gravius affligere intermittentes. Continuæ verò magis exasperantur iisdem, id quod manifestò ostendit, non attingere purgantia radicem morbosam, sed Medicos & ægros deludere. Quod si aliquando à purgante remedio cesset febris, hoc uti rarum, ita summè accidentarium erit, sub liquaminibus istis, quæ conficiunt & evacuant purgantia, unà forsan exhausto fermento febrili, aut ab acrioribus amaricantibus solutivis, v. gr. scammonio, aut colocynthide vi alterante correcto eodem, vi solutivâ propriè nil operæ conferente. Sanè in omni purgatione in febribus instar cynosura *aphorismus Hippocratis* observandus: Cocta medicari oportet, non cruda. Hinc si in principio præscribenda propriè purgantia, vomitus saltim tunc convenit. Natura hoc monstrat, quæ nunquam, ubi sui juris est, instituit evacuationem, adeoque nec crisin, nisi cocta sit materia, hanc imitemur magistram. Interim blanda, primas vias abstergentia, & hinc præsertim diaphoretica, quovis ferè febris statu & tempore, nisi forsan crisis quædam instans aliud moneat, optimè adhibentur.

Primas vias evacuantia, in quibus ferè stabulatur fomes morbosus, sunt *vel vomitoria*, vel *per inferiora laxantia*. *Illa* tàm in omni febri locum inveniunt, inprimis in principio, sanè iisdem vomitoriis interdum radix morbosa quasi una falce, demetitur, id quod restitat febrile, facilius dehinc curatur. Intermittentes sine eo difficulter curantur. In continuis acutis & lentis, ibi in principio, hìc etiam in grogressu sunt optima: imò non rarum est, quod maligna exinde, sed in principio adhibito, multum leventur. Ergò qui apti sunt ad vomendum, nec in quibus aliquid obstat, item quibus vel hypochondria suspensa, aut rugitus in iisdem est, aut nausea, vel ructibus tetris amaricantibus: item cephalalgiâ vel aliquali vertigine vexantur, in febrium principio optimè, imò sæpius necessariò vomitu, evacuantur.

Quæ vero *per inferiora laxant* alvum in febribus, sunt *vel injecta clysmata, vel assumta pharmaca. Clysmata* familiarissima in febribus locum habent, & imprimis pro levando æstu, & aliarum, præsertim capitis, per consensum ut plurimum partium symptomatis, & hinc abdominis pathematis

propriis mitigandis conducunt. *Binæ* ſaltem *conditiones obſervent*, eorum uſum prohibentes. I. Quando natura aliorſum vergere, & evacuationem, præſertim criticam, vel huic ſaltim analogam, per alias vias inſtituere tentat, unde v.g. in paroxyſmo, in intermittentibus, naturâ criticum quaſi ſudorem tunc moliente, præpoſterè injiciuntur.

II. Quando excretio cutanea in febb. malignis vel expectanda eſt, vel imminet, vel jam adeſt & facta fuit. Hinc in variolis, morbillis, purpura, petechiis minus conducunt, nec niſi ſumma neceſſitate urgente ad eadem, eaque ſaltemleniſſima, & tamen cautè, fiat acceſſus: potius, quantum poſſibile, dictis in affectibus vitentur.

Per os aſſumta ſunt *blanda laxantia*, præſertim ſalibus digeſtivis ſociata, & acuata, & ultra primas vias haud penetrantia, ex tamarindis, rhabarb. infuſo ſennato, &c. & hæc ſpeciatim in principio locum inveniunt.

Sudoriferorum uſum ipſa nobis natura monſtrat. Cum enim in febrium fine natura ſua ſponte copioſos ſudores, movere ſoleat, ita ut absque ſudore nulla febris perfectè judicata dici poſſit, ob id declinantibus febribus ſudorifera ſunt optima, ſicut in toto illarum decurſu diaphoretica ſunt utiliſſima, quæ cum liberam & copioſam tranſpirationem promoveant, æqualia non ſolùm ſunt effectu ſudoriferis, ſed propter operandi modum illis etiam præferenda: dum ſine inſigni virium jactura ſucceſſivè, & citra vel contentorum graviorem agitationem, vel continentium partium moleſtam irritationem operantur, ac heterogeneas fermentativas particulas, in M.S. hærentes, diſcutiunt, & excludunt. Nempe ut ſupra inſinuatum, minus periculosè illi decumbunt, quibus in febribus cutis humida aut madida percipitur, quàm quibus arida aut ſicca eſt. Certe vulgus indoctum non rarò imminentes, aut jam increſcentes febres, etiam continuas, repetito ſudoriferorum, eoque promiſcuo uſu non rarò curat. Eligenda autem temperata, non acria, nec aromatica aut reſinoſa, ſed vel fixa abſorbentia, communiter præcipitantia dicta, vel volatilia macra non ☋ſa aut calida. In malignis ſemper alexipharmaca, eaque ſudorifera, uſurpanda, ſequendo nempe naturæ ductum, quæ ferè quarta quintáve die erumpere facit petechias ſive puſtulas. Hinc alexipharmacis ſemper ſocianda ſudorifera in malignis, in principio quidem temperatiora, in incremento & ſtatu fortiora. Sed de hactenus dictis remediis videatur *Holterhoff. Tr. de Error. Med. c.*1.

Opiata per ſe non conveniunt, per accidens interdum, ad mitiganda atrociora ſymptomata, inprimis ſubinde urgentia, uſurpantur, aliâs naturæ motum impediendo, febres quidem interdum ſiſtunt, ſed aut gravioris cùm recidivæ, aut chronici alicujus morbi ſupervenientis metu. Unde quando adhibentur, *ſaltim in incremento fiat, non in ſtatu, ne* motus critici plus minus impedian-

tur,

tur, non in principio, *ne* naturæ conatus inchoatus ſufflaminetur, & hoc continuis. In intermittentibus vero præmiſſis præmittendis, vel ante paroxyſmum ad inhibendam febrim, vel in paroxyſmo ad ſopienda graviora ſymptomata; utrinque non niſi appropriatis vel abſorbentibus, vel diaphoreticis permiſta.

Denique ex *fonte diætetico* petita præſidia quod attinet, dum *ſitis* frequentius urget, *potus tenuis, facilè tranſiens, ventriculo amicus, nec eum lædens eſt optimus.* Aliàs aliquot *ſpiritus ſive ſtagmatis* 🜍, *acidi guttæ*, plus levant ſitim, quàm integra menſura potus cujusvis. *Vinum* peſſimo conſilio febricitantibus interdicitur. In intermittentibus enim vinum non nocet, ſaltem die intermiſſionis, vel poſt paroxyſmum aſſumatur. In febri maligna vini hauſtus in conſervandis & reſtaurandis viribus eſt egregius: id quod etiam in febribus continuis ſub nimia virium proſtratione obtinet. Quoad febres vero continuas benigniores in Cauſo, tertiana continua, hæmitritæo, &c. vino abſtinere tutius eſt, niſi adſit vomitus, ſumma virium proſtratio, ut & ſyncope. *Hippocrates* in omni febre vinum porrigit, tamen animadvertere licet, vina generoſa non habere locum: alba, debilia & aquoſa probamus, ut loquitur *Poterius de febb. part.2. c.26.* Nempe vis fermentativa vini, ejusque acidum ardentibus in febribus nonnihil ſuſpecta ſunt, niſi in caſu, quo medicamenti vices ſubit. Eſt ſcil. vinum naturæ amiciſſimum, præſertim ventriculo, prætereaque non raro ſanguinis motum ita promovet, ut per vias urinarias, vel per poros cutis ſequatur larga excretio. Sanè quibus nocet vinum in febribus, mox ab ejus uſu nocumenta percipiunt, nempe mox phlogoſin & æſtuationis incrementum, non ob 〜m ejus volatilem, inflammabilem, ſed ob acidum. Talibus igitur interdicendum vino, vel mox ſuperingeſtis abſorbentibus vis ejus refringenda. Quoad potus alios, *Cerevisia* lupulata non rejicienda, niſi propter amarorem moleſtum. Hinc ut plurimùm febricitantes, in ſpecie in continuis, recuſant cereviſiam, quia tunc ceſſat in ſtomacho plus minus digeſtio prima; Ob id cereviſia talis aſſumta corrumpitur ac cadaveriſatur, ac nidorem ſtomacho moleſtum contrahit, indeque moleſtiam ipſi excitat, unde mox nauſea ejus & abhorrentia ſequitur, unde vel cereviſiam ſecundariam, vel Keuterling/ vel alios ſimpliciores aquoſos potus ſubinde appetunt. Non denegandi ſunt hi ipſi, ſaltim quoniam facilè flatus generant, & ſtomachi tonum lædunt, propterea ad præſervandam atoniam ejus ac inflammationes, vel ⊖ ☿iatum, vel parum 〜 ♀is acidi, vel cum hoc paratæ Tincturę vegetabiles, aut parum 〜 ⊖-li, vel 〜 ⊖ dulcis inſtillentur. *In continuis febb.* cum aqua vel cereviſia ſecundaria miſta pars tertia vel quarta vini, ac additum pomum citrium in taleolos inciſum, ſuggerit potum ægris talibus convenientiſſimum. *Serum lactis* aliàs bene depuratum, & ſucco citri nonnihil acidulatum in febre continua,

item in intermittente scorbutica potus est optimus, nisi laxior alvus inhibeat. Sed depuratum esse debet, ne pars caseosa remanens exasperet malum. In specie ♁ *sulphuris* sufficiente quantitate aquæ communis propinetur: quod præter alia commoda & copiosum sudorem movere solet. vid. *River. cent.* 1. *observ.* 19. *Piens de febrib. part.* 2. *pag.* 21. De cœtero sitientibus ægris non denegandus potus, modò fiat cum regimine, nempe dum in continuis continuò sitiunt, crebrius quidem, sed parcius, nec nimis frigidus porrigendus potus. *In intermittentibus* non prius potus propinandus, quam sub æstus vigore, tunc primum potum calidum, plus minus medicatum assumat, cætera moderatè frigida largius superbibant, ut largior provocetur sudor.

Quoad victum, parùm in febribus quibusvis appetitur, unde nec ad cibum cogendi ægri, ac nil, quod ipsi nauseant, porrigendum. Semper ruminandum illud *Hippocratis*: corpora impura (qualia primariò sunt febricitantium,) quo plus nutriveris, eò magis læseris. Ventriculus enim in febricitantibus languidior est, idcircò cibus non concoquitur, sed potius corrumpitur, sicque febrili causæ fomitem præbet. Laudatissimus est *Hippocratis aphor.* 65. *section.* 7. Si quis cibum febricitanti dederit, ut sano robur, sic laboranti morbus fit. Unde in febribus, præsertim continuis, tenuis victus est optimus; & quò magis acuta est febris, eò tenuior ac strictior convenit diæta, utut etiam ad aliquot dies nil comedant tales ægrotantes, perinde erit, nam appetitus & quantum, & quale, & tempus alimentorum præscribit. In specie *carnium* esus ut aversatur febricitantibus, ita nocet iis: *Juscula*, *leves pulticulæ* & ad summum *ova sorbilia* abunde sufficiunt, juscula inter avenacea, & pultes ex pane & cerevisia magis conducunt. *Saccharata* ac similia *dulcia* quæcunque in omnibus febribus nocent, cùm talia sint admodum fermentativa, adeoque malum exasperant. *Conf. Heinr. ab Heer. obs.* 5. *Panaroll. pent.* 2. *obs.* 12. *Fructus* omnes, vel ex his parata quælibet facilè fermentescibilia sunt nociva. *Nam omnia, quæ augere aut inducere possunt fermentationem præternaturalem in febribus, nocent.*

Quies corporis tam externa in vigilantibus, quam interna in dormientibus est optima; sanè quò quietiores sunt ægri, (nisi hoc ex omnimoda virium prostratione fiat) & minus anxii, eò melius est signum, & eò mitior est febris, ac benignior ejus conditio. Econtra, si anxii sint ægri, jactabundi, membra inordinatè agitantes, &c. suspiriosi, eò pejus.

Somnus semper bonum signum est naturalis, præternaturalis, nempe comatosus, qui malignis interdum supervenit, malus, & curandus. Aliàs nunquam arcendus somnus ab ægris est; sibi enim in somno relicta natura, nec perturbati ⁓ius, optimè suo funguntur munere, & coctionem materiæ eò citius absolvunt, unde & arte in incremento morbi, moderatè tamen pervocari potest; uberio-

rem

rem ferè eſſe inſenſibilem tranſpirationem, ac interdum ſenſibilem ſudationem ſub quiete ſomni, conſtat.

De FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

Intermittens Febris eſt, quæ per intervalla diverſis redit paroxyſmis, tempore intercalari ab omni febri penitùs vacuo. Hinc pro interſtitio diverſo, febres diverſa ſortiuntur nomina, ut quotidiana, tertiana, quartana, &c. ſic & porrò quintana, ſextana, octana, &c. videatur *Sennertus de febb. l. 2. c. 17. pag. 250. Ptens de febb. p. 2. pag. 99.* Obſervavi aliquando febrim octanam, omni die ♀is circa veſperam redeuntem, quam præmiſſo vomitorio per ſpiritum ſalis ammoniaci curavi. *Vid. etiam Schenck. l. 6. obſ.* Quin & dantur febres menſtruæ, ſive in quibus ſingulis ☽ſib⁹ redit paroxyſmus, quale exemplum citavit *Schenck. cit. loc.* Idem obſervavit in muliere, quæ toties, quoties menſtruam patiebatur purgationem, ordinario per triduum febricitabat. Imò dantur febres anniverſariæ, imò febris, quæ die natali quotannis affligebat, & tandem eosdem extinguebat, vid. *Schenck. cit. loc.*

Febres tales nunc ſunt ſimplices, nunc compoſitæ, duplicatæ, triplicatæ, quadruplicatæ. De his videatur *Sylvius l. 1. prax. c. 27. §. 13. & ſeqq.* Ex his omnibus de quotidianis dubium eſt inprimis, an dentur, h. e. talis febris intermittens, quæ quotidie ſimili typo recurrit, ita ut tertius paroxyſmus ſecundo, quartus tertio exactè ſint ſimiles, ſive in incremento accreſcant, ſive in ſtatu ſimiliter conſiſtant, in declinatione ſimiliter decreſcant. Paroxyſmi horum ut plurimùm ſunt horæ 8. intermiſſio ſex. Imò ſunt qui affirmant, ſubinde ad horas 24. extendi paroxyſmum, ita ut continuæ ſimilis appareat. Multi tales affirmant, plures negant. Cùm rariſſimè obſervatæ fuerint tales febres. *Rhodius* tamen ejus exemplum allegat *cent. 1. obſ. 4.* item *Gabelchofer. cent. 6. p. 132. & ſeqq.* Verùm ſæpiſſime decipiuntur Medici, dum febrem quotidie recurrentem, putant eſſe quotidianam, quæ tamen ſæpius eſt tertiana duplicata, cùm vel tertiana prius ſimplex fuerit, vel ſub declinatione in tertianam deſinat. Interim non arbitror, ſimpliciter negandas eſſe quotidianas, cum multa appareat contrarietatis ratio, quin potius, ſicut tertianæ in quartanas, ita & hæ in tertianas facilè mutari poſſunt, ſed negotium totum pendet à controverſia, unde ordinata iſta febrium ſit periodus, quæ quamdiu latet in obſcuro, etiam præſens de quotidianis controverſia ferè in ſuſpenſo manet.

Præter has febres periodicas dantur etiam quæ nullam periodum obſervant, & tales ſunt, *vel* erraticæ, *vel* vagæ, quæ *Hippocrati* planetæ dicuntur.

Erraticæ ſunt, quæ quidem aliquam periodum habent, ſed ita ut videantur non habere. Sic v. g. hodie invadit hora 12. perendie 6. matutina, rurſus

perendie vefperi octavâ, rurfus perendie hora 10. &c. *Vagæ* funt, quæ planè nullam periodum obfervant, neque tempus accedendi vel recedendi habent, quin aliquando per dies aliquot in feptimana remittit, & tunc redit, tum fit mox tertiana, mox quartana, &c. utut communiter hæ duæ promifcuè ufurpentur.

In Febris intermittentis paroxyfmo ordinariò *frigus ac horror vel rigor* præcedunt, fubfequente calore plus minus intenfo, quo in fudorem largum defi- nente, paroxyfmus ceffat. Hæc tria primaria conftituunt fymptomata paroxyfmorum, quorum accuratam & exactam delineationem vid. in *Sylvii Prax. lib.*1. *c.*30. §.13. *ad* §.26. Rarum interim eft, inverti horum in paroxyfmo ordinem, ita ut calor præcedat, fequatur frigus, &c. *vid. Primerofius de febr. l.*2. *c.*4. *pag.*98. obfervare & hoc licet, mutare fubinde febres fymptomata paroxyfmorum. Obfervavi enim intermittentes ordinario modo affligentes, quæ poft aliquot paroxyfmos absq; frigore prævio, folo æftu vexarunt ægros; ècontra occurrerunt tertianæ, folo calore in paroxyfmo affligentes absque frigore, quæ poft aliquot paroxyfmos in ordinarium fuum typum deflexerunt: Sicut frequenter occurrit, ut intermittentes chronicæ mutent formam, & declinantes folo horrore aut rigore crucient ægros, absq; æftuationis fuperventu. Unde pro hujusmodi fymptomatum variationis ratione in paroxyfmo plures accidentales intermittentium differentiæ emergunt, in ardentes, algentes, vomitorias, cardiacas, &c. quas enarratas vide prolixius in *Sylv. l. cit. cap.*30. §.7. *& feqq.*

[Ratione fymptomatum graviorum nomina diverfa fortita funt febres intermittentes. Nam 1. *algidæ* obfervantur, non tantum frigore præfertim, fed aliquando frigore tantum moleftæ, ita ut frequentius levis, aliquando & rarius nullus fequatur calor. 2. *ardentes* inprimis Tertianæ, in quibus breve ac levè duntaxat, vel nullum ferè notatur frigus, vel horror tàm mediocris præcedere calorem ardoremque fummum, eundemque poft finitum paroxyfmum, fæpenumero diutinè permanentem, ac femper moleftum: adeò ut nonnunquam novus paroxyfmus prius revertatur, quàm præcedentis calor auctior in totum remiferit. 3. *epialæ* in quibus fimul ac ubique frigus & calor vehementer urget. 4. *fiticulofæ*, à fiti valde importuna, & inextincta, adeò ut licet continuo bibant ægri, nihilo tamen fitiant minus. 5. *famelicæ*, à fame rabida & inexplebili etiam tempore paroxyfmi. 6. *cardiacæ*, dolore inexplicabili, circa ventriculi orificium fuperius comitatæ. 7. *torminales aut colicæ*, dictæ à torminibus ventris graviffimis, ejusdemque diftenfionibus

nibus mirè angentibus, & unà cum intermittentis febris accessu accedentibus, ejusdemque discessu discedentibus. 8. *syncopales*, à syncope ægros una cum febre invadente nomen sortitæ. 9. *præfocantes*, à comite suffocatione hypochondriaca, vulgò hysterica dicta, cum paroxysmo febrili gravius (fœminas præsertim) afficiente, nominandæ, cum revera nonnunquam ægras tunc suffocent ac interimant. 10. *anhelosæ*, à difficili & anhelosa respiratione nominatæ, & mirè misereque, cum vel sine cordis palpitatione ægros angentes 11. *asthmaticæ*, à comite asthmate nunc graviore nunc leviore: in quibus itidem abdominis anxietas & distensio præcedere solet, atque illis remittentibus difficilis respiratio & verè asthmatica sequi, quæ unà cum paroxysmo, ut plurimum satis diu, & aliquando ad unum vel plures dies durante, minuitur, & tandem cessat, nonnunquam illo sublato perseverat. 12. *tussiculosæ*, cum vel sine asthmate, in quibus mox atque ingravescit paroxysmus febrilis, urgere quoque incipit tussis, ut plurimum sicca, rarius, nec nisi per accidens, humida. 13. *catarrhales*, à catarrho non tantum ad pulmones, verùm ad alias partes, quoque ruente, atque unà cum paroxysmo febrili moto ac cessante. 14. *arthriticæ*, in arthritide notandæ. 15. *insanæ aut deliræ*, à delirio, rarius quidem durante frigore, crebriùs urgente calore, post capitis dolorem Vigilias, temporum pulsationem, ipsis superveniente, atque unà cum paroxysmo iterum, & quidem post somnum vel placitum, vel insomniis tumultuosum, sensim cessante. 16. *vomitoriæ aut emeticæ*, à vomitu, (symptomatico) aut mox incipiente duranteve adhuc frigore, aut mox inchoante accrescenteve calore, nunc continuò, nunc per intervalla multum molesto. 17. *cacatoriæ seu catharticæ*, ab alvi dejectione multa vel frequenti, & quandoque simul torminosa, diverso accessus tempore ægros valde molestantes ac debilitantes. 18. *sudatoriæ*, à sudore, qui nonnunquam durante bonâ vel maximâ cujusvis paroxysmi parte multus, ægrisque noxius, ideoque symptomaticus, sæpius calidus, rarius frigidus, ex universo corpore aut parte privata, capite, thorace, abdomine, artubusve manat. 19. *ureticæ*, quæ continua ferè mictione, & quidem symptomaticâ, ęgros infirmante, non critica & ipsos levante, molestę. 20. *sputatoriæ aut ptyalodes*, quas durante paroxysmo sputatio & salivatio gravis & molesta comitatur. 21. *odontalgicæ*, in quibus odontalgiæ, ab humore acidiore natæ, affligunt. *Hactenus Sylvius* cujus verba transcribere, & huc referre placuit.] Et hinc inde plures

plures tales, aut etiam aliæ in Practicis occurrunt. Sic quoad *Tertianam hystericam* vid. *M.A.N.C. Ann.2. p.295. Tertianam soporosam M.A.N.C. Ann. 4. append. p.45. Quartanam, in qua delirium melancholicum* mox in principio paroxysmi adest, eodem vero remittente & ipsum remittit. vid. *Marcell. Donat. Histor. Med. mir. l.3. c.14.*

Dubium hic occurrit: *An dentur intermittentes malignæ?* quæ istarum malignarum continuarum cum summa virium prostratione, interdum exanthematum aut petechiarum eruptione summa cordis anxietate, corporis inquietudine, & similibus funestis symptomatis stipatæ sint: In specie malignitatis suspicio est, ubi sub æstus vigore parvi & debiles observantur pulsus. Revera non negandum videtur, cùm observationes, malignitatis in intermittentibus indices, non raro in Practicis occurrant, utut ab his mutato nomine perniciosæ appellentur. *Conf. Sennertus de febribus.* ubi de tertianis. Exempla talium tertianarum & aliarum intermittentium malignarum videbis in *Epiphan. Ferdinand. histor.*85. item *in Rhodii cent* 1. *obs.9. &* 10. item Tertianas contagiosas epidemicas primò duplices, deinde simplices, sudoriferis curatas, in *Salmuth. cent.*3. *obs.*51. Tertianas, malignas, *Riverii cent.*4. *obs.*2. *it. obs.*36. tertianam intermittentem petechialem malignam, in *Fehr. de Scorzonera pag.* 72. Quartanam malignam habet *Horst. l.*1. *obs.* 15. & *Marcell. Donat. l.3 c.14. & l. 7. c.6.* Denique interdum epidemicè grassari solent febres intermittentes, sive vitio aëris seu vitio alimentorum, contrahantur. Exempla vid. in *Willis. de febrib. c.*16. it. *Bartholin. cent.*2. *hist.*56.

Omnes hæ febres intermittentes, cujuscunque fuerint typi, *sunt omnino ejusdem naturæ & essentiæ in radice.* Oriuntur ab eadem causa, diversificantur tàm pro subjectorum, & hinc pro rerum naturalium, nonnaturalium, & præternaturalium varietate; à quibus etiam causis tanta diversitas symptomatum in his ipsis emergit, unde etiam una eademque medendi in genere est ratio. Patet hoc ex eo, quia sunt invicem permutabiles, qualis permutatio non deprehenditur, nisi inter habentia symbolum, sive quę invicem symbolizantur, h.e. essentiâ conveniunt. Sic quotidianæ succedunt tertianis; quartanæ quoq; in tertianam subita mutatio, & vicissim tertianæ in quartanam, iisdem utrobiq; permanentibus symptomatis, urgere videtur, utramq; ab eodem humore generari, ut loquitur *Piens. part.2. de febrib. p.96. &* 234. Nempe præsupposito ~uum motu & impetu, ceu universali efficiēte motuum, tam animalium, quàm præternaturalium morbosorum, adeoq; febrium, causa proxima materialis seu occasionalis investiganda, quæ ratione radicalis originis & foci, ventriculum & primas vias; ratione vero alterationis primariæ & inhæsionis, M. Sm. speciatim afficit.

Arbitror ergo *causam hanc proximam* esse fermentum præternaturale, in ventriculo genitum, quod subinde Mass. sanguineam alterando, ratione

motus

motus fermentativi immutati, & partes nerveas primarum viarum vellicando, ratione acrimoniæ hostilis, occasionem & præternaturali spirituum motui, & hinc cæteris omnibus symptomatis, quorum complexus paroxysmum constituit, suggerit. *Fermentum hoc*, ceu admodum activum, *salinæ erit prosapiæ, ejusque acidæ*: conspirant enim in hoc & supervenientia symptomata, & una eademque intermittentium cura. *Origo ejus* est ex læsa ventriculi digestione immutata vel depravata, qua occasione ex acido fermentativo naturali facilè præternaturale fermentativum emergere, seque in alimentorum reliquiis, stomachi rugis inviscatis, inserere, & ita fomitem intermittentium pro pluribus paroxysmis recurrentibus suggere potest. Notum enim est, nonnullos antea sanos, ex usu rei adversatæ, vel ipsis horridæ, incidisse brevi post in febrim: Sicut è contra ex usu rei intensius appetitæ, utut apparenter etiam noxiæ, nonnulli in talibus febribus sanentur.

Confirmat hoc vel levis error in diæta taliter febricantium commissus, vel exasperans, vel duplicans, vel recidivas faciens has febres. Nec rarum est, curare se quosdam in his febribus sola pertinaci ac statutâ inediâ, cum alii ècontra curentur excessivo potu, insequente sive vomitu, sive largiore & profusiore sudore. Exempla passim sunt obvia.

Novi mulierem, quæ ultra tres menses conflictata fuerat tertiana, sub continuo medicamentorum abusu, tandem ipsa corripitur appetitu halecis, quem, Medico licèt prohibente, avidè devoravit, & exinde curata fuit. Novi aliam, quæ naturaliter aversabatur caseum, cui cùm clam tantillum casei cum aliis cibis fuisset oblatum, ipsa brevi post, nauseâ correpta cum insequente vomitu, febri tertianâ per 17. hebdomadas correpta fuit, quæ tandem comesto halece, intensius appetito, sanata fuit. Virum novi, qui esu anguillæ, quam nonnihil invitus comederat, in febrim tertianam ultra quadrantem anni durantem incidit.

Non igitur putandum est, ex distinctis visceribus affectis, distinctas etiam exsurgere febres, dum tertianas ex vitio hepatis ac bile, quartanas ex vitio splenis ac succo melancholico oriri volunt. Nam in principio talium febrium viscera utplurimum sunt sana diuturnis autem his febribus, vel iisdem malè curatis, nempe per figentia nimis, sive parxoysmum cohibentia, subinde viscerum talium tumor plus minus scirrhosus supervenit, nempe tanquam productum morbosum. Facilis interim concedo, infarctus tales quorumvis viscerũ, aut alia eorundem vitia, item menstrua v. g. suppressa subinde sanos disponere ad febres posse, vel aliunde natas febres fovere & obstinatiores reddere, aut crebriori ac faciliori recidivæ occasionem subministrare, prima tamen radice & talium morborum authore in ventriculi digestione fundatis. Fermentum hoc delitescens dum exerere se incipit,

ratione aciditatis hostilis partes nerveas primarum viarum vellicat, hinc earum spasmi, hinc succorum, fellei & pancreatici quocunque modo constitutorum, nimiæ effusiones: hinc quam plura abdominis symptomata: hinc & paroxysmorum in primis viis prodromi. Idem fermentum, sanguini permistum, activitate sua naturalem ejus motum fermentativum pervertere, hinc debitam incalescentiam ejusdem primitus impedire: hinc spirituum vitalium debitam emersionem & volatilisationem aliquantisper sufflaminare potest, (instar vini denuò fermentationem molientis, turbari tunc videtur M. S. hinc n. in tali statu *pulsus parvi*, minusque vehementes esse solent) donec ipso fermento cum sale volatili oleoso sanguinis ad præternaturalem effervescentiam concitato, oriatur hinc incalescentia cum sanguinis turgescentia, cum pulsu magno, celeri, frequenti, plus minus vehementi &c. donec dictæ nimiæ ac inordinatæ fermentationis motu separatis & quasi præcipitatis heterogeniis particulis, feroquè involutis, sudor quasi criticus superveniat: hinc etiam in *paroxysmo collecta urina* sanorum est similis vigente adhuc fermentationis motu, quæ post paroxysmum collecta crassa, turbida, aut copioso sedimento onusta solet excerni.

Ex acido igitur cum sale volatili urinoso in sanguine quasi effervescente, tota paroxysmi historia explicanda venit. Ex acido nempe vellicante membraneas abdominis particulas, speciatim stomachum ac intestina tenuia, hæc ipsa convulsivo impetu quatiuntur &c. unde *frigus, horror & rigor*. Confirmat hoc 1. Cura per *alcalia vel absorbentia*, rigorem sensibiliter imminuentia. 2. *Oleosa destillata*, tam intus propinata, quàm extra stomachali regioni illita, mirabiliter rigores sopiunt, corrigendo peccans acidum, & blando sensu afficiendo membraneas partes. 3. *Opiata* sensilitatem partium, & inde dependentes convulsivos motus sopientia, eosdem rigores placant.

Dum vellicantur ita primæ viæ, & spasmo concutiuntur, copiosius effunduntur hepatici ac pancreatici latices, à quibus plus minus naturaliter constitutis, adeoque plus minus in intestino duodeno effervescentibus, & ex mutua miscela texturam ac saporem plus minus præternaturalem acquirentibus, quàm plurima abdominis symptomata, v. g. *anxietates*, *vomitus*, *tussis clamosa*, *hypochondriaca symptomata*, *tormina* oriuntur, & à *Sylvio* optimè per dictorum succorum vitiatam miscelam explicantur *cit. loc. c.* 30. Nempe ab utrisque acrioribus *vomitus* crebrius repetentes originem ducunt. A succo pancreatico acidiore intenditur *frigus abdominis & circa lumbos*; Ab utrorumque acriorum intensiori effervescentia *æstus ac ardor in abdomine* molestus nascitur, ut ægri subinde dicant: Es brennt sie im Leibe: Ex iisdem fontibus *flatus hypochondriorum*, *intumescentiæ, inquietudines & præcordiorum anxietates*, & distentis plus minus hypochondriis *difficiles respirationes* nascuntur.

Æstum quod attinet, in febribus ordinariò ferè urgentem, quod oriatur hic

hic ab acido fermento in maſſa ſanguinea per vitioſam & inordinatam fermentationem cum ejus ſale volatili oleoſo, confirmant inprimis ⊖ *tata*, ut ⊖ *antimoniatum*, ⊖ *vitriolatum*, id eſt, *arcanum duplicat.* ♎ ⊖ *dulc. &c.* quæ optimè æſtuationes compeſcunt, figendo & corrigendo tam acidum volatile, quàm ſal volatile oleoſum, & ita nimios tumultus compeſcendo. Verùm quare tam ſtatutis horis recurrat paroxyſmus, h. e. quod à nemine hucuſque convenienter explicatum fuit. *Fermentum* dum dixi occaſione febrium intermittentium; innuo hoc ipſo non magnam materiæ molem, ſed interdum minimum quoddam miaſma, activum tamen & penetrans, indeque efficaciter alterans. Hinc, præſertim in febribus diuturnis, non videtur adeſſe ſemper talis materiæ morbificæ moles, utut in principio interdum contrario ſimul præſens eſſe poſſit, id quod *Celſus* ſubolfecit, cui natura interdum ex conſuetudine videtur febrim continuare. Unde etiam *Sennertus* vult, quod quoddam miaſma fermentativum hæreat in maſſa ſanguinea, quod revocet paroxyſmos febriles, & quod à *Poterio* dicitur Seminarium febrile, utut genuinus focus non ſit in maſſa ſanguinea. Illuſtrat hoc experientia, cùm tales febres diuturnæ ſint ſubinde leviſſimæ, inprimis quartanæ, ut paroxyſmus admodum tolerabilis ultra unam alteramve horam vix duret, ipſis febribus per plures annos durantibus. *Spigelius l. 2. de febri ſemitertiana* cit. 3. recenſet tertianam 30. annos durantem; quales etiam obſervat *Wierus* in obſervat. Quis ergo ex fomite adeo copioſo tantam febrium diuturnitatem velit derivare, unde & interdum curari ſolent citra excretionem notabilem, per terrorem, v. g. aliamve ſimilem ſubitam alterationem. Sic *Boyle in Philoſoph. Experim. p. 219.* Quartanam aliquot annorum fere incurabilem ſubito terrore curatam refert. Et quomodo amuleta, aut acria rubificantia extrinſecus admota tales febres ſubinde tollant, nempe fomes in ſtomacho fermentativus deliteſcit, in maſſa ſanguinea verò poſt paroxyſmos inquinamenta quædam, licet minima, ſupereſſe videntur. Unde fermento iſto in fomite tantillum ſaltem odorē quaſi ſpirante, reliquiis his commotis paroxyſmi recrudeſcunt.

Obſervanda etiam hîc venit trita iſta *intermittentium differentia*, præſertim *Tertianarum, in nothas & legitimas: Legitima ſive exquiſita* ex pura & ſincera bile fieri dicitur, rigor inſignis, corpus veluti pungens, ſitis & æſtus magnus, vomitus bilioſus, acceſſio longiſſima, eſt 12. horarum, ſeptem circuitibus ad ſummum judicatur. 1. igitur eſt debilis. 2. fortior &c. 4tus fortiſſimus, poſtea paulatim remittit. *Tertiana* verò *notha* dicitur, quæ ex bile cum pituita miſta oritur, acceſſiones ultra duodecim horas extenduntur, rarò 14. circuitibus ſolvitur, ſæpius longius excurrit, calor in ea minus pungens eſt, vid. *Poterius de Febr. l. 1. c. 27.* Uno nomine *tota differentia reſidet in fermento febrili, plus minus libero aut impedito.*

Liberum enim nec impeditum, adeoque acrius, potentiùs quidem agit, gra-

viora infert symptomata, sed citius saturatum & enervatum febri finem imponit. Impeditum verò vel propter vehiculum aut fomitem, cui inhæret, viscidius atque tenacius, adeoque, ut vulgò vocant, pituitosum, vel in subjecto, cujus massa sanguinea, aliique ejus humores temperatiores, chylosiores, adeoque quasi viscidiores existunt, minus se exerere potest, adeoque mitiora quidem symptomata, sed diuturniores paroxysmos, febresque etiam magis chronicas solet inducere.

Cætera symptomata, *cephalalgia*, *agrypnia*, *deliria*, *respiratio difficilis* &c. ex sanguine æstuante, spiritibusque animalibus intensius calefactis, indeque fortius agitatis, originem ducunt.

Quicquid sit de *differentia febrium in nothas & legitimas*, saltem ex diversitate paroxysmorum modò enarrata colligere possumus, quod quo acrius est & volatilius, adeoque activius fermentum febrile, eò acutiorem, hoc est, breviorem, sive gravioribus symptomatis stipatam inducere febrem: ècontra quo inertius est, ac minus activum fermentum tale, id quod in specie evenit, quando pro fomite, in quo nidulatur, habet humorem viscidum & glutinosum, eo minus acutam, sed diuturniorem, & mitioribus comitatam symptomatibus fore febrim. Ex quo etiã quotidianarum præ tertianis & quartanarum præsertim diuturnitas æstimanda, ita ut quò diuturnior sit febris, eò viscosum magis ac glutinosum fomitem fermenti in primis viis existere putandum est, *indeque in acutioribus magis absorbentia, vulgò præcipitantia dicta; in diuturnis verò sive chronicis incidentia & abstergentia magis conveniunt.*

Scorbutus, uti est Protheus, ac quibusvis ferè se associat morbis, ita etiam non rarò febribus intermittentibus se jungit, easque exacerbat, ac sæpius periodum erraticam infert, adeo, ut ubi adest febris erratica intermittens, semper scorbuti suspicio adesse debet, præterea dolores lancinantes artuum, item dolores vagi in paroxysmis vel præsentes, vel eundem antecedentes, scorbutum ferè monstrant: interdum plures maculæ corpus in statu paroxysmi pingunt, post sudorem denuò evanescentes, scorbuti indices: arenulæ quasi rubræ, facilè tamen friabiles, & undique matulæ parietibus adhærentes, eundem quoque prædicunt. Nempe salia sunt subtilia acido salsa crystallisata. Contumaces verò solent existere propter scorbutum, imò non nisi hujus simul habeatur ratio, in cura, creberrimè recidivare solent.

Febres hæ periodicæ nunc statâ redeunt horâ, nunc anticipare, nunc postponere solent, idque ferè æqualiter, nisi ægri aut Medici culpa, turbato nonnihil naturæ motu, inæqualitas inducatur.

Anticipatio talis vel postpositio tres ferè habet causas. 1. Robur naturæ validius vel debilius. 2. Fermentum febrile magis vel minus activum in vola-

tilitate

tilitate & acrimonia. 3. Fomes five vehiculum materiale magis vel minus viſcidum, magis vel minus copioſum &c. Ex his recurſus varietas deducenda, atque pro cauſarum modò dictarum ratione etiam prognoſis anticipationis aut poſtpoſitionis inſtituitur.

Quod attinet *multiplicationem febrium, quando duplicantur aut triplicantur* &c. *fiunt hi ex duplici fonte. Vel* 1. ex errore curæ, *Vel* 2. ex errore diætæ. *Ex errore curæ* 1. Quando Medicus vel adſtantes propinant intempeſtivè ſpecifica, præſertim figentia, v. g. ſpecificum febrile Strobelbergeri & Crollii. 2. Inconſideratus opiatorum uſus ante paroxyſmum, etiam febres multiplicat. 3. Acriorum, præſertim aromaticorum reſolventium item purgantium acriorum, aut vehementiorum præſertim vegetabilium uſus ante coctionis ſigna, quæ ipſa movent quidem cauſam materialem, ſed non promovent, reſolvendo exſuſcitant, ſed non enervant fermentum febrile, talia facilimè, *præſertim in quartanis*, multiplicant febres. *Veriſſimum eſt, quartanam in principio blandè eſſe tractandam, ne ſimplex in duplicem aut triplicem aut etiam continuam lentam mutetur.*

Errore diætæ multiplicantur febres, quando *ægri* imminente paroxyſmo non habent ſtomachum vacuum: vel quando ante paroxyſmum lacticinia bibunt: vel quando ante abſolutum perfectè paroxyſmum præmaturè comedunt: vel quando intermiſſionis die copioſiora alimenta aſſumunt: vel quando fructus horæos, aut alia ſimilia facilè fermenteſcibilia quocunque morbi tempore aſſumunt.

Quoad *Prognoſin*, in genere urinæ inſpectio, inque ea cruditatis ac coctionis obſervatio, ututnon adeò neceſſaria ſit, ac in continuis acutis, tamen propter evacuationem, & hinc ſpecificorum legitimum uſum, inprimis obſervanda. Nam quò citius aut perfectiora coctionis ſigna ſe exhibent, eo ſecurior ac etiam brevior febris innuitur: ſin verò vel pauca, vel non perfecta coctionis ſigna ſe offerant, præter febris longitudinem, invita ſolutio cum metu nempe recidivæ, vel febris in alium morbum diuturnum generatio metuenda. Obſervantur hæc in urinis aliquandiu poſt paroxyſmos collectis. Nam omnes, quæ in paroxyſmo excernuntur, crudæ eſſe ſolent: in paroxyſmo enim mediante fermentatione fit coctio, quæ eo finito, ceu facta, in urinis ſe exhibet. Quod ſi intermittentibus juncti ſint ſcirrhi viſcerum quorumvis, vel tumores his cognati, præter febris diuturnitatem, ferè lethale ſignum eſſe ſolent, dum aut febri intereunt, aut ſuperveniente hydrope moriuntur, aut chronico quaſi cachectico vitio ſucceſſivè enervantur. Intermittentes vel perfectè ſucceſſivè curantur, vel malè curatæ abeunt in febrim continuam acutam, vel hecticam.

Curantur probè per ſudores, quæ ſolutio omniũ tutiſſima, Interdũ ſuperveniẽ-

res icteri has febres solvunt. Quò etiam suo modo pertinent ulcuscula labiorum, utut non solventes febrim, fausto tamen utplurimum omine erumpentes. Sanè *Salmuth. cent.* 2. *obs.* 2. refert, tertianas intermittentes per inflationem labiorum criticam solutas.

In specie *Tertianæ benignæ* ferè sunt absque periculo. Dantur tamen etiam *tertianæ malignæ & pestilentes*, quæ quamvis evidentes habeant intermissiones, ægrotantes tamen non rarò è medio tollunt, dicit *Riverius in Prax. de febrib. Benignæ* exquisitæ tutissimæ sunt, & septem circuitibus ad summum finiuntur, teste *Hippocr. sect.* 4. §. 59. *Nothæ* verò uti sunt frequentiores, sic magis periculosiores & curatu difficiliores, quæ subinde ultra 14. periodos extenduntur. utut autem benignæ periculosæ non sint; si tamen vel ab ægro, vel à Medico error committatur, in lethales morbos degenerare possunt, ut rectè dicit *Willis de febb. c.* IV. *p.* 139. Speciatim tamen tempus durationis ex urinis aliquo modo & præcognosci potest.

Quoad *quotidianas*, cùm longæ sint, & à fomite pertinaci foveantur, interdum non vacant periculo. Nam cum ventriculus ferè insigniter afficiatur in hac febri, & ipse sanguis crudus & aquosus pravè constitutus sit, facilè qui eâ detinentur, in cachexiam, hydropem, ac alios periculosos affectus, item in Carum & Lethargum dilabuntur. Diurna nocturna est periculosior, cùm tempus medium deficiat.

Diuturna est hæc febris, & durat dies 40. nonnunquam ad aliquot menses, quò citius tamen signa coctionis se exhibent, & paroxysmi breviores sunt, ac in principio eorum vomitus adsit, brevior ac salubris promittitur eventus. Si vires & appetitus valde dejiciuntur, accessiones sunt longæ cum nullo sudore, parva salutis spes superest. Solvuntur frequenter vomitibus & dejectionibus viscidis seu pituitosis, tum per dolores articulorum, metastasi ad articulos factâ. Si æger quotidie somnolentior evadat, ac gravitatem quandam circa caput sentiat, carum seu lethargum affuturum notat. Vid. *Forest. l.* 3. *obs.* 21. ubi plura de hoc argumento. *Quartana* omnium quidem est tutissima, propter longa intervalla: ex accidente tamen quando multiplicatur, vel quando ob errorem ægri aut irritationem medicamenti exasperatur, degenerando in alios morbos, periculosa esse solet. *Duo* inprimis post quartanam morbi sunt pertimescendi, *Melancholia hypochondriaca & Hydrops*, quibus & adde *icterum nigrum*: *Senibus* plerumque est lethalis, iis præsertim, qui 60. annum transgressi sunt. *Dejectus appetitus* malum est signum, & rarò tales evadunt. Longissima est omnium febrium, & sæpè ad aliquot annos extenditur. *Massarias* vidit Romæ Matronam, quæ 22. annos eâ laboravit. Utplurimum tamen ultra annum non exporrigitur. Æstivæ sunt breviores, autumnales longæ, præsertim si non longè absint ab hyeme. Primus terminus est proximum solstitium, seu initium quarti mensis,

mensis, quo si non solvitur, extenditur ad proximum æquinoctium sive septimum mensem. Quartanæ inveteratæ rarò nisi verè solvuntur, aliisque anni æquinoctiis. His enim anni temporibus facilè curantur, tam spontè, quàm arte. Mulieres etiam quartanâ diuturna correptæ, dum gravidæ fiunt, sponte ferè liberantur. Diuturnior talis quartana, si ægri non exactum observent regimen, præsertim quoad potum, aut si conjunctus sit, aut superveniat pertinacior cujusdam visceris affectus, ægrotos in hydropem, aut contumacem scorbutum conjicit; Sicca corpora ad hecticam & tabem deducit. De urinis quartanarum refert *Joel*, quod extra paroxysmum sint aqueæ & tenues ac pallidæ, sed die paroxysmi magis ad obscuram flavedinem vergent, & ante solutionem febris ut plurimum turbidæ & nigræ excernuntur, adeoque nigras urinas in quartanis esse salutare signum, utut in aliis morbis periculosum.

In *cura febrium intermittentium* 1. fomes materiæ morbosæ in stomacho & primis viis resolvatur & removeatur incidentibus, abstergentibus, evacuantibus &c. 2. Fermentum febrile & inde nati paroxysmi appropriatis, aliàs dictis specificis, enerventur & tollantur. 3. Symptomata urgentia removeantur aut mitigentur, in specie rigor, calor & sitis. 4. Dyscrasia sanguinis, reliquorumque corporis fluidorum, ac atoniæ viscerum, sub cursu morbi supervenientes, alterantibus debitis restituendæ.

Hisce scopis ferè ita satisfaciamus, dum præmissis salibus digestivis, v. g. ♀o ⊕-lato aut sale hypochondriaco, propinatur vomitorium, aut purgans per inferiora; quibus præmissis diaphoretica tam vulgaria, quàm appropriata specifica ante paroxysmum propinantur: intermissionis diebus eadem digestiva & primas vias abstergentia, & postmodum alterantia aromatica, vulgò aperientia dicta, v. g. essentia absinth. Elixir. febrile adhibentur.

Sed pro meliori curæ directione observandum I. *Maturandam esse curam.* Nam quò diutius perstant, eò contumaciores fiunt, eò magis ægrum ejusque humores ac viscera lædunt, & eò graviora mala post se relinquunt. Maturetur autem cura secundum dictam methodum, motum naturæ promovendo, non autem eundem impediendo, quod fit, si paroxysmi inhibeantur, seu febris supprimatur. Wann man das Fieber flugs vertreibet. Sanè nil est, quod nocentius possit contingere ægro, quàm ista paroxysmorum inhibitio. Id quod fit stringentibus aut similibus fermentum febrile obtundendo, & in suo fomite quasi concentrando, unde quidem paroxysmi cessant, sed fomite isto febrili cum fermento concentrato, ad alia loca successivè delato, nunc colicæ convulsivæ contumacissimæ, nunc tumores pedum œdematosi ac subinde hydrops; nunc tumores & scirrhi viscerum; nunc icteri difficulter curabiles; nunc cachexiæ; nunc febres continuæ lentæ, tanquam hecticæ, supervenire solent. Vide *Gabelchof.*

cent.

cent. 6. cur. 109. & 111. item *M. A. N. C. Anno* 3. *p.* 145. 155. Ubi tertiana per amuletum curata in gravem passionem colicam & hinc iliacam degeneravit.

II. *Venæ sectio* in febribus intermittentibus inutilis est, præsertim in nostris regionibus. Nam febres tales verè diuturnæ magis sunt, ac certè paroxysmus venæ sectionem insequens, utplurimùm gravior esse solet & diuturnior reliquis antecedentibus. Et cui usui instituetur eadem? Sanè quo magis urget æstus, eo magis promoveatur naturæ opus in sudore, remittet sic æstus, æger q; percipiet levamen. Interim prout casus variant, contingere potest, ut aliquando per accidens necessaria videatur venæ sectio. Siquidem *Ballonius l.* 2. *Epidem.* & *Ephemerid. constit. Æstiv. ann.* 1579. *p.* 269. & ex illo *Bonettus in Pharo Medicor. p.* 196. tertianam ob intermissam venæ sectionem lethalem, superveniente sponte nimia excretione observavit. Salvatellæ sectio à quibusdam ad quartam commendatur, incerta tamen ex ratione, interim tamen *Ballonius cit. loc. p.* 194. quartanas diuturnas per salvatellæ sectionem curatas observavit.

III. *Vomitus ac Vomitoria* in omni intermittente sunt proficua, non in sola quartana, in qua tamen præ cæteris auxiliantur, ita ut radix curandæ quartanæ vomitum esse dicat *Freitagius.* Propinanda sunt vel ante paroxysmum, duabus vel tribus horis ante eundem, vel ita, ut ante paroxysmum negotio suo fungatur. Quod si verò vires ægri bino febris & vomitus labori non videantur sufficientes, die paroxysmum proximè antecedente propinentur. *Conveniunt* præsertim in principio febrium, nec nocent subinde in progressu, vel ipsa etiam declinatione, quando nempe contumacior videatur febris. *Indicantur* in specie, si conquerantur ægri de saporibus amaris aut nauseabundis in ore, præsertim dum manè evigilant, aut quando persentiscunt angustias, aut molestias quasdam circa præcordia, wann es ihnen so angst und bang umbs Hertz ist/ & monstrant regionem epigastricam, aut quando nauseæ vel vertigines tam in, quàm extra paroxysmum ægros vexant &c. Interdum in principio paroxysmi moventur humores vitiosi in primis viis ad os ventriculi. Et refert Primerosius de febb. l. 3. c. 2. p. 195. Vidimus convulsiones & cardialgias singulis paroxysmis enatas ex bile æruginosa, quæ ejusmodi bilis vomitu sedabantur. In his & similib⁹ causis vomitoria in specie sunt necessaria. Nec quęquā deterreat, quod ęgri sponte sua in tertianis subinde vomant. Nam talis vomitus ferè est symptomaticus, acrimoniam succorum in primis viis commotorum & effervescentium insequens, adeoq; verè est symptomaticus, ac rarò sufficiens. In quo casu, si cætera respondeant, etiam vomitorio, sed blando sufficiens vomitus promovendus. *Inprimis utilis est vomitus in quotidiana,* ita ut vix sit febris, in qua sit utilior, & quidem si necessarium videatur, per intervalla instituendus. Cautione tamen opus est, ne ventriculus

ventriculus aliàs debilitatus adhuc plus debilitetur. Peractâ vomitione, confortante aliquo vino generoso, aqua cinamomi, aut simili extra vel intra usurpato stomachus roborandus. Vomitoriorum *formulæ* convenientiores sunt.

℞. sal armoniaci gr. xv.
Tartar. emet. gr. ij. vel iij. plus minus. M.
D. in vehiculo calido vel
℞. aq. card. bened.
syr. emet. Angel. Salæ ad ℥iij. vel ℥ß.
syr Nicot. ʒj. ad ℥j. M. capiatur pro dosi.

Vel: ℞. ☿ vitæ gr. v. vel vj. in fund. in vini absinth. s. q. stent in loco tepido per noctem, manè, ℞. filtratura ℥j. ad ʒx. ℥jß. D. S. Brech. Wein.

In Quartanis extollitur in specie *radix asari.* ℞. ejusdem pulverisat. ʒß. ad ʒj. propinando ante paroxysmum cum aqua vel decoct. centaur. min. aut card. bened. Quod si post vomitum simul excitet sudorem, eo melius est.

IV. *Purgantia fortiora, præsertim vegetabilia*, in nulla febri intermittente conveniunt, præsertim in principio, Paulò efficacior purgatio est nociva, turbat massam sanguineam, & dum cruda adhuc est urina, nihil noxium expurgat, sed vires debilitat, & febrim efficaciorem reddit. Imò intermittens in continuam per ineptam purgationem degenerare potest. Adeò in genere potenter purgantia, præsertim acriora vegetabilia in febribus intermittentibus sunt vitanda. Conf. *Septalius in animad. l.* v. *p.* 104. Imò in statu etiam, ubi copiosa sedimenta onerant urinas, si violentior eadem fuerit instituta, insigniter debilitat ægros, & paroxysmos insequentes aut graviores, aut certè febrim diuturniorem reddit. Possunt hæ febres curari sine ullis purgationibus per inferiora, dum vel vomitus in principio ex primis viis, vel sudor post paroxysmos aut in declinatione universali erumpens, ex massâ sanguinea sufficienter heterogenea evacuet. Quod si in principio aut progressu morbi, ubi contumacior videtur febris, instituenda sit purgatio, idque vel ob vomitionem impeditam, vel ob suspicionem excrementorum, in primis viis stabulantium, sit ea levis, ultra quatuor vel sex sedes non proritans, idque *specialiter in Quartanis* observandum est. *Genuina purgantia ex Antimonialibus aut Mercurialibus desumenda sunt.* Nam hæc dum evacuant, simul corrigunt fomitem & fermentum febrile, adeoque appropriatissima sunt, quorum defectu mitiora vegetabilia, in specie *Sennata & rhabarbarina* substitui possunt. Inprimis ab initio leviter tractandæ sunt *Quartanæ*, nullumque ferè medicamentum in earum principio adhibendum, quia hæc ex simplici non rarò duplicem aut triplicem faciunt quartanam. Imò observatæ fuerunt quartanæ, quæ ab exhibitis remediis diuturniores & contumaciores redditæ fuerunt, iis, qui absque medicamentis relicti fuerunt, citius reconvalescentibus, *Vid. Ballon. in Pharo. Med. Bonetti p.* 198. Optimè usum

purgantium in *Quartanis* determinat *Ballonius cit. loc. p. 196.* nempe levioribus in initio utendum. Cocta quando est materia, ac jam aliqua ex parte mitificari cepit, locus valentioribus esto, quoniam humores tenaces, crassi, viscosique leniorem vim effugiunt, &c. qui prolixius hoc negotium explicat. *Tempus propinandi* purgantia convenientissimum est die ante paroxysmum, vel etiam purgans propinetur ipso paroxysmi die, sed ita, ut effectum suum ante paroxysmi invasionem compleat. De quo videatur notabilis locus in *Deckeri comment. in Barbett. Prax. p. 106.* Imò in contumaciori febre etiam appropriatis salinis incidentibus & abstergentibus remediis permista purgantia ante paroxysmum propinari possunt, in specie *Scammonium*, quod tunc ferè alterantis simul vicem obtineat, speciatim in quartanis ante paroxysmum simul cum aliis propinanda purgantia. Vid. *Ballon. cit. loc. p. 195. Höfer. Hercul. Med. p. 291.* Hic enim in recidivis appropriatis absorbentibus & abstergentibus scammonium additum felici cum successu usurpavit. *Purgantia talia sint, ut dixi, mediocria; fortiora, aut acriora nocent*, v. g. usurpetur infusum Sennæ vel solitarium, vel cum Helleboro in quartanis aut cum rhabarbaro in tertianis sociato. Quod si pulveres placant,

℞. Tartar. vitriolat. gr. xv.
scamm. sulphurat. gr. iij.
Troch. alb. gr. ß.
ol. destillat. caryoph. gt. j. M. F. pulvis.

Sin Pilulæ ℞. Mass. Pil. de ammon. Querc. vel
Tartarear. ejusd. ℈j.
extract. absinth. gr. iij.
scamm. sulphurat. gr. ij. M. F. Pilulæ.

Omnium *optimum purgans*, præsertim *in chronicis*:

℞. conserv. ros. ʒß.
Mercur. dulcis ℈j.
Scamm. sulphurat. gr. v. M. F. Bolus.

Egregius hic est Mercurius dulcis, viscida, pituitosa, cruditates chylosas & inde lymphæ vitia inprimis evacuat. Scammonium verò acrioribus, & uti vocant, biliosis, expurgandis inprimis conducit. Pertinet huc præsertim contra quartanas contumaces, Mercurius dulcis cum Mercurio vitæ mistus ad imitationem *Hartmanni Prax. Chym. l. 1. c. 4. §. 1.* Vid. *Cardiluc. officin. Sanit. p. 25.* Pertinet huc *specificum empiricum* pro intermittentibus, præsertim in intermittentibus tertianis vel simplicibus vel compositis.

℞. mechoacann. alb. ʒij.
granor. piper. alb. gr. vel no. xxj.
lap. cancr. ℈j. M. divid. in tres partes æquales, propinand. in haustu

haustu vini calidi, imminente paroxysmo, expectando semper largum sudorem. Plures diuturnæ hoc ipso curatæ fuerunt.

Pertinet huc *pulvis Comitis de Warvich*, præsertim additione ☉tis correctus, ante paroxysmum usurpatus, optimè conferens. Vel:

℞. corall. rubr. præparat.
sal absinth. an. gr. xij.
scamm. sulphurat. gr. ij. vel iij. M. & D. ante paroxysmum.

Egregiè confert, præsertim si mox in recidiva capiatur.

V. *Clysteres* ad alleviandam paroxysmi ferociam, ubi copiosi flatus, aut borborigmi, aut ardores abdominis, aut dolores in centro mesenterii circa vertebras lumbares percipiuntur, sunt insigniter proficui; item in ventriculi symptomatibus, ante vel in paroxysmo, v. g. vomitu nimio, anxietatibus; item gravibus aliis symptomatibus ex acrioribus & mordacibus æruginosis succis ad ventriculum delatis, in difficulter vomentibus, hoc est, orificio stomachi superiori robusto instructis, id quod cò magis observandum, quando alvus aliàs est contumacior, aut excreta indurata fuerint, uti istud subinde evenit in hypochondriacis & similibus. Fiant saltem ex leniter abstergentibus aut carminantibus. v. g.

℞. spec. emoll.
carminat. an. M. j.
sal. ciner. clavell. ℥ij. ad iij.
coq. in s. q. aquæ simplicis.
Colatur. ℞. ℥viij. adde
Elect. de baccis lauri ℥j.
scor. reguli antimon. ʒj.
ol. destillat. terebinth. ℈j. M. pro clystere.

Vel: ℞. rad. levistic. ʒvj.
flor. chamom. Mj.
sambuci
fol. lauri an. Mß.
sem. fœnugr. vel lini ℥ß.
coq. in s. q. aq. comm. & urinæ human. an.
Colatur ℞. ℥ix. adde
Elect. hieræ cum agaric. ʒvj.
de bacc. lauri ʒiij.
ol. destillat. angelic.
rutæ,
carui an gut. iv. M. pro Clysm.

Injiciuntur imminente paroxysmo, horâ una alterave ante ejusdem invasionem.

In *Scorbuto*, ubi dolores abdominis aut lumborum graviores adſunt, ex lacte ſalubriter fiunt, v. g,

℞. lact. caprill. ℔ j. in qua diſſol.
mellis roſat.
rutac. an. ℥j. ad ℥jß.
vitell. ovi N. ij. M. & applicetur pro 2. vicibus.

Non rarum eſt, quod febres diuturnæ, præſertim quartanæ, aut junctam habeant *colicam*, aut in colicam terminentur, quo in caſu emollientia ac temperantia clyſmata ſunt optima.

VI. Rarius, aut ferè nunquam, niſi interdum per accidens, ſolis purgantibus ac V. S. cedunt intermittentes, quin aliæ inſuper requirantur, quæ fermentum febrile corrigere, fomitem febrilem alterare & maſſæ ſanguineæ vitiatam craſin emendare valeant, eaque in ſpecie ſunt *Diaphoretica*, quæ ſanè in omni intermittente ſunt optima, ſed ea partim communia, partim ſalina tam fixa quàm volatilia, quàm appropriata, quorum vis in deſtructione febrilis fermenti ejusque per ſudorem expulſionem ferè conſiſtit, uti eſt v. g. *China Chinæ*, contra quartanas, item *Miſtura Crollii* contra tertianas &c. *Sed hæc ipſa diaphoretica* item *ſpecifica* nunquam uſurpari debent, niſi prius purgatum fuerit corpus, aliave debita univerſalia præmiſſa fuerint, alias febres reddunt compoſitas. *Aſſumenda autem ſunt* ſemper inſtante febre, una, duabus, vel tribus horis ante paroxyſmum, ut ita junctis viribus cum natura operentur. Eligenda autem ſunt diaphoretica pro varietate ſymptomatum in paroxyſmis diſtincta. In ſpecie calida nimis, ſive aromatica; etiam theriacalia vitanda ſunt, ubi intenſior æſtus affligit ægros, utpote in quo caſu fixa magis conducunt. vid. *Becch. Phyſic. ſubterran. l.* 1. *p.* 393.

Ac ſane febris intermittens tutò curata poteſt dici nulla, niſi per ſudorem ſucceſſivè finierit. Interim obſervandũ, in declinatione paroxyſmi, ſi ſponte ſudet æger, cooperiatur leviter; alioquin ſi beneficio naturæ non erumpit ſudor, *ante paroxyſmum quartum non provocetur*, idque in tertianis, poſt quem, apparentibus coctionis ſignis, in fine acceſſionib⁹ commodè cieri poteſt. In Quartanis ante coctionis ſigna nec proſunt, nec arte proliciendi ſunt. Quod ſi ante talia ſigna ſudent quartanarii, equidem non ſuprimendus eſt, aliàs graves dolores Oſteocopos inferre ſolet, de quo *videatur Ballonius in Bonetti Pharo Med. p.* 199. Et ſane quælibet ſpecifica mediante ſudore febrim profligare ſolent.

VII. *In Tertianis pernicioſis ſive malignis* alexipharmaca ſemper miſceantur cum ſpecificis diaphoreticis, quia magnum periculum ſubeſt, dum febris maligna tertianam ſimulat, propterea cautus ſit Medicus, præſertim cum lingua ſit aſpera, omniumque virium proſtratio. Forſan huc reſpexit *Joh. Toll. in prax. Schen-*

*Schenckian.p.*290. dicens: Cum paroxyſmus tertianæ eſt cum malis accidentibus & debilitate corporis,ita ut putetur à materia venenata eſſe, dentur infirmo in paroxyſmo ſem. citri aliquot grana, & videbis effectum mirabilem &c. Nempe *Emulſio ſem. citri* additis appropriatis alexipharmacis & abſorbentibus non foret inutilis.

VIII. *Opium ac Opiata* leniſſimo uſu omnes febres intermittentes tollit mitigatque continuas. Sed uſurpandum præmiſſis univerſalibus digeſtivis & evacuativis,idque *ſalt em duobus in caſibus.* 1. Quando paroxyſmi potius ex conſuetudine naturæ febriendi ſæpius recurrunt, quàm ex fomite morboſo. 2. Quando graviora quædam, aut etiam moleſtiora, ſymptomata,durante paroxyſmo, affligunt ægros. Interim *nunquam ſolum*, ſed febrifugis uſitatis, quacunque formâ, admiſceantur. Metus eſt,nec citò nimis,aut ſolum uſitatæ,ſimplices febres reddant duplicatas: aut ſopiendo febrim, graviorem recidivam poſtmodum inferat. Hinc quæſtio oritur:

An Theriaca concedenda in Quartana? id quod à Galeno olim factum fuit, rectè cum cautela hoc faciendum monent Practici, ne intempeſtivè ante coctionem data febrim multiplicet. Confer. *Ballonius Phar. Med.p.* 200. *Horſt. probl. p.*15. *Decad.*1. *Q.*IX. *Nam* modò ritè procedatur, *ſuccus abſinth. ad* ℥ß. *cum* ʒj. *theriaces* in hauſtu vini ante paroxyſmum propinatus, quasvis intermittentes abigunt. Quod ſi nimius æſtus theriacæ uſum videatur reſpuere,propinetur ʒj. in moderato hauſtu aceti, & mediante ſudore febrim profligabit. Hinc aliquoties, ubi omnia ritè præmiſſa fuerunt, ſequenti bolo aliquot febres fugavi.

℞. theriac. ℈ij. ad ʒj.
ſpecif. febril. Strobelbergeri ʒß.
ol. deſtillat. caryoph. gt. iij. M. probè, capiatur bihorio ante paroxyſmum.

IX. In omnibus intermittentibus aliisque periodicis febribus *æger ante paroxyſmum neque cibum neque potum aſſumat*, ſed neceſſe eſt, ut ſtomachus ſit vacuus. Quidquid enim ingeritur, aut ingeſtum eſt, digeſtionis primæ, in paroxyſmo penitus deficientis,errato in recrementa cruda abit,novo fomiti febrili inſervientia,è contra utiliſſimè ante paroxyſmum alvus exoneratur,vel per ſe,vel injecto clyſtere. Interim pro *potu in febribus* optimum eſt *vinum*, *& cerevifia abſinthites*, vel etiam vinum quoddam ex alterantibus aromaticis medicamentum, vel die intermiſſionis, vel declinante paroxyſmo, uſurpatum. In ipſo paroxyſmo etiam à potu abſtinendum eſt: niſi in ipſo caloris vigore,& paroxyſmo jam nonnihil declinante, potus ſed calidus concedi poteſt, isque quò calidior, eò liberalior: promtiſſimè enim ſudorem promovet. In *Quartanis parciſsimè bibendum eſt*,

est, cùm nil hanc febrim magis contumacem reddat, quàm nimia potus in paroxyſmo copia. *Crato* planè in paroxyſmo quartanario potum interdicit, quod maximè curationi conferre aſſerit. Certè crebrior, præſertim cereviſiæ potus diuturniores reddit has febres, in paroxyſmo febris ingurgitatus, mucum in primis viis, & hinc fermentum febrile in fomite augens, adeoque conſultum eſt, ut à potu abſtineant, quamdiu poſſibile, aut ſaltem non prius bibant, quàm æſtus invaluerit. Et quidem bibant potum calidum, & ſi melius ſuis rebus conſulere volunt, huic primo potui, aut ſaltim ſequenti, uni alterive minus calido inſtillent ſpiritus ſalis armoniaci ſimplicis ad gutt. 40 ut hujus uſu quaſi corrigatur noxa à potu illata, ac ſimul largior promoveatur ſudor. *Potus ſit* vel aqua, vel cereviſia tenuis, ſive ſecundaria cum vino abſinth. medicata aut ſaltem cum ſimplici vino ita correcta, vel quod his præferendum, *ſerum lactis* probe depuratum, præſertim in ſcorbuticis, cui etiam commodè de ſucco citri aliquantulum inſtillari poteſt, aut loco horum Decoctum Tamarind. cum paſſulis egregiè convenit. Quod ſi nimius ſitis urgeat, ſimulque æſtus gravior incenſus ſit, commodè potui nitrum addi poteſt, ita, ut aliquot drachmas ebibere ſit licitum.

X. Salia fixa vegetabilium; item volatilia ſalia animalium, adeoque quælibet alcalia omnes febres intermittentes tollunt: v. g. ſal abſinth. cent. min. carduiben. &c. & his additum vel antimonium diaph. vel lapill. ♋. vel corallia tanquam optima ſpecifica ſubinde paroxyſmos fugant, præſertim *ubi nimis urget frigus, ſalia fixa ſunt convenientiora,ècontra ubi æſtus excedit*, ♎ ✳*ci convenientior eſt, aut hujus loco* ✳*cum.* Certè ſalia volatilia, v. g. ♎ ✳ *ad* ℨ*j.* pro doſi, ante paroxyſmum propinatus, eſt univerſale intermittentium, & repetito uſu, præmiſſis præmittendis, rarò fallens remedium. Ipſas enim ſcorbuticas mitigat cum ✳ cochl. miſtus loco cujus ✳ convenit, v. g.

℞. ✳ci ℈j. ad ℨß.
corall. rub. præpar. gr. xv.
ol. deſtilat. junip. gut. ij. M.
F. ♁ ante paroxyſmum exhibendus.

Vel: ℞. corall. rub. præparat.
⊖ abſinth. an. gr. xv.
☋ deſt. caryoph. gt. ij.
laud. op. gr. ß ad j. M.
F. pulv. detur ante paroxyſmum.

Vel: ℞. ſal card. ben. ℈j.
♁ diaph. gr. xij. vel xv.
laud. op. gr. j. M. F. pulv. ante paroxyſmum in vehiculo calido aſſumendus, expectando poſt paroxyſmum ſudorem.

Vel:

Vel: ℞. ⊖is absinth.
arcan. duplic.
lap. ♋. an. gran. xv. M. F. pulv. D. ante paroxys.

Vel: ℞. aq. card. bened. ℥j. ad ℥jß.
spir. salis armoniaci simpl. ʒß. ad ʒj.
ess. opii gr. viij.
syr. Card. Bened. ʒij. M.

Vel: ℞. ▽ card. bened. ℥j.
♈ sal. armoniaci ʒß.
lap. ♋. præparat. ℈j.
ol. destillat. caryophill. gr. ij.
syr. Card. Bened. ℥iij. M.

Item contra Quartanam
℞. sal. absinth. ℈ij.
lap. ♋. præparat. ʒß.
♁ diaph. ℈ß. M. pro 2. dos.

Vel: ℞. corall. rubr. præparat.
sal. absinth. an. gr. xv. ad ℈j.
☉. fulminant. gr. vj. M. dentur ante paroxysmum.

De ☉ fuliminante *vid. Höferus in Herc. Med. p. 292.* item
℞. spir. salis armoniaci ʒj.
essent. opii gr. xv. M.
capiatur unâ vice ante paroxysmum.

Vel: ℞. ▽ card. bened. ℥j.
sal. absinth. ℈j.
cent. min. ℈ß.
Julep. rosac. ʒiij. M. pro dosi j.

Pertinet huc *mistura specifica febrilis Crollii*, quam toties usurpat *Riverius.*
℞. ▽ cichor. ℥iij.
sal absinth. ʒß.
♈ ♀is vel ⊖li. gr. xv. ad ℈j. M.
capiatur 2. horis ante parox. *Vid. River. cent. 1. obs. 20. & 26.*

Vel: ℞. ▽ cent. min. ℥jß.
cinam. ʒj.
♈ ✳ci simpl. ʒj.
syr. de beton. ʒij. M.

XI. *Fixa & inprimis calcinata* optimè quidem curant: sed revera potius supprimunt febres intermittentes, adeoque non æquè tutò semper usurpantur, quin recidiva superveniat, vel febrem multiplicent, nisi universalia ac primas

vias probè abstergentia exactè præmissa fuerint. Talia sunt *specif. febrile Strobelbergeri, Crollii, Mynsichtii* à ʒß. ad ʒj. item ♁. *diaph.* Quò pertinet *pulvis febrilis perlatus Timæi.* Certè aliquoties observavi, ab horum usu si febres curatæ fuerint, vel diu languidos fuisse ægros, vel tumoribus abdominis hinc facilè fuisse obnoxios. Usurpandi modus est:

℞. aq. taraxac. ℥jß.
specif. febrile Strobelberg. ʒj.
syr. de succ. carduiben. ℥ij. M. D.
S. Fieber-Milch auf einmahl.

Vel: ℞. specif. febrile ʒß.
sal. absinth. ℈j. M. D. pro 1. Dos.

Unde, pro his incommodis præcavendis, post febrim profligatam dandum est blandum laxans die illo, quo alias paroxysmus redire solet, v. g. ex mass. pilul. de ammoniac. addito extracto absinth. cum debito stimulo, vel si recidiva forsan supervenerit, hanc præmissis prætermittendis levat *sal armoniaci: vel solum, vel cum coralliis præparat. aut antihectico Poterii* mistum, ante paroxysmum usurpatum. Propterea præfero hujusmodi Calcinatis alcalia supra laudata. Pertinet huc alumen, à non paucis tanquam singulare febrifugum intermittentium commendatum, in specie *Magisterium alumnis Schroderi in Pharm. p. 324.* De quo conferatur etiam *Hoffmannus p. 349. Dos. ʒß. ad ʒj.* bis vel ter ante paroxysmum propinatum eas profligat: Novi hoc remedio empirico diuturnas in Medici opprobrium febres curatas.

℞. nuc. mosch.
nitr. depur.
alumin. an ʒj M. divid. in 3. part. æq. & tribus successivè paroxysmis, dum ingruunt, assumatur, expectando sudorem, febrim solvit. Sed stypticâ vi condensando humores, & figendo fermentum febrile, vel palliativè curat alumen, vel non sine metu alicujus succurrentis morbi. Facit huc & saccharum ♄i. in quartanis non inelegans εὐπόριστον.

℞. lap. cancr. ʒß.
sacch. ♄i ℈ß. M. F. pulv. propinandus ante paroxysmum.

Sicut continuo pul. ocul. ♋. usu ad 14. dies in decocto carduibened. propinati contumax aliquot mensium quartana aliquando curata fuit.

XII. *Salia fixa, ut & Tartarus vitriolatus, sal. hypochondriac. Arcan. duplicat.* &c. mirè in omnibus intermittentibus conveniunt, inprimis in principio morbi ante universalia utiliter propinantur. Diebus enim intermissionis pro abstergendis primis viis, & removendo paulatim, si quis subsit, fomite febrili, multum valent, bis quotidie usurpata: ita ante paroxysmum etiam commodè propinari possunt, præsertim *arcan. duplicat. Scorbuto* præ cæteris infestum, quam feliciter etiam tollit. v. g. ℞. Ar-

℞. Arcan. duplicat. gr. xv.
lap. ♋. gr. xij.
ol. destill. junip. gut. ij. M.

Vel ℞. Arcan. duplicat. gr. xv.
salis absinth.
corall. rub. præp. an. ℈ß.
laud. op. gr. j. M. F. ⁂.

XIII. *Acida*, an qua talia in intermittentibus ut sic conveniant, dubito. Sanè ex iis commodum adeò singulare haurire vix potui, nec nisi interdum, dum nimis urget æstus, pro hoc nonnihil compescendo, mediante fixatione humorum effervescentium, convenire solent, verbi gratia: Si in febre intermittente rigori intensior superveniat æstus: vel cum clamosa siti junctus: vel cum difficili sudoris eruptione: vel quando ipsa intermittens tota est ardens: vel quando intermittens plus minus ardens in continuas degenerare velit, optima sunt, declinante nonnihil paroxysmo, aut saltem non ante ejus statum, tunc sequens mistura confert:

℞. Aq. rubi idæi ℥iij.
succi rubi idæi ʒiij. ad vj.
♁ diaph. ʒj.
syr. rubi idæi ℥ß.
⁓ ⊕ dulc. q. s. pro grato sapore M. capiatur subinde cochleatim. Mirabiliter ardorem compescit, sitim minuit, sudorem provocat, &c. Item proficuum observavi sequentis misturæ usum.

℞. Aq. menth.
fumar.
acetos. an. ℥j.
✠ sambuci vel rubi idæi ʒvj.
⁓ theriacal. simpl. ʒß. ad ʒij.
lap. ♋ præp. ℈ij. ad ʒj.
syr. cort. aurant. ʒiij. M. F. potio cochleatim usurpanda, item proficua, quando *angustia & anxietates præcordiorum*, it. *flatulentia* & hypochondriaca abdominis symptomata nimis urgeant. *Frigus* febrium atque *rigorem* omnium optimè compescunt *aromatica*, præsertim sub ♁i vel extracti forma usurpata, v. g. mirabiliter frigus & rigorem compescunt ♁ destillata caryoph. junip. ac similia, ingruente paroxysmo regioni stomachali inuncta, applicato desuper latere probè calefacto. Vel

℞. ♁ destillat. macis
caryoph. an. ℈ß.
junip. ℈j.

ol.nuc.moſch. expr.℥j. M.F. balſam.præcordiis dicto modo inungendus. Qualis inunctio etiam interdum regioni lumborum aut plantis pedum applicari poteſt. Imò ſolus later calefactus, plantis pedum applicatus, rigores etiam ſolet imminuere. *Internè* hæc ipſa ſymptomata *optimè corrigunt ſalia fixa, extracta, aromatica amara, olea deſtillata acria, qualibet opiata.* Hinc *miſtura ex theriaca cum ſpecifico Strobelbergeri* egregia eſt, præſertim in caſibus, quando intermittentes omnem calorem deponunt, & ſolo frigore moleſtæ ſunt, ſive algore fiunt, it. ℞. Salis abſinth. ℈j.

matr. perlar. vel ⚲is oſtrear. præp. gr.xv.

piper. alb. ⚲ſat. gr.vj. vel vij. M. pro una doſi 2. vel tribus horis ante paroxyſmum aſſumenda. Sic etiam in *chronicis intermittentibus*, in quibus ordinario magis rigor urgere ſolet, vulgus *granorum piperis* viij. vel xij. in groſſa fruſtula conciſa in hauſtu cochlearis ▽ vitæ aſſumit ante paroxyſmum, fauſto cum ſucceſſu. Item pro compeſcendo rigore:

℞. ⊖ abſinth. gr.xv.
lap. ♋. ℈ß.
ol. deſtillat. caryoph. gut. ij.
laud. opiat. gr.j. M.F. ⚲. capiatur ante paroxyſmum, inungendo ſimul dicto oleo præcordia. Item

℞. Extr. abſinth. ℈j.
⊖ abſinth. ℈ß. c.ſ.q.
🝆 deſtillat. caryoph. F. Pilulæ, capiantur ante paroxyſmum, egregie calefaciunt.

XV. *Ad intermittentes ardentes*, præmiſſis præmittendis, nil melius eſt quam *ſal armon. vel ſolitarium, doſi* ℈j. *ad* ʒß. ante paroxyſmum uſurpatum. Vel:

℞. Sal armoniaci ℈j.
antihectic. Poter. ℈ß. M.F. ⚲. ante paroxyſmū. Certè nil magis *æſtum* intermittentium *mitigat*, quam ✳, *aut ejus* ⏝*us urinoſus*, & hinc etiam *arcan. duplicatum*. Aliàs aliquot febres ordinario modo affligentes profligavi.

℞. Sal armoniaci ℈j. ad ʒß.
corall. rub. præp. gr.xv.
ol. deſtillat. junip.
macis an. gut.j. M.F. ⚲.
ante paroxyſmum propinandus.

XVI. Poſt rigorem ſubinde, ſuperveniente jam æſtu, ægri conqueruntur de *inſigni virium proſtratione*, cum *reſpiratione anhela, celeri, frequenti & parva*, & *graviſſimo æſtu interno*, utut quoad contactum externum minus æſtuare ſoleant. Talibus in æſtu paroxyſmi vel ⏝✳*i*, quocunq; modo propinatus, vel *miſtura* cum aceto & lapidibus ♋. ſupra inſinuata, bono cum ſucceſſu propinatur.

XVII.

XVII. In Paroxysmis intermittentium subinde graves *Cardialgiæ* & *stomachi rosiones*, item *præcordiorum angustiæ*, similiaque symptomata *inquietudinem & anxietatem* inferentia, idque imprimis in hypochondriacis & scorbuticis molestias pariunt. Curantur, præmisso pro circumstantiarum ratione vomitorio, vel applicato in principio paroxysmi clystere, per Empl. ex Tacamahaca vel sola vel cum cerato de ladano *Cratonis* mista, cum oleis destillatis malaxata, & regioni stomachi applicata.

XVIII. *Cephalalgiæ* variæ post paroxysmum, aut die intermissionis, nisi suppressus sudor easdem inducat. Fit tamen in febribus nonnullis inprimis scorbuticis, ut in primis paroxysmis nullus omninò promanet sudor, sed declinante jam febre hic vel sponte prorumpit, ita ut noctu diuque interdum cum euphoria tales sudoribus tantum non diffluant. Ergo pro cephalalgia tali vel sudor patienter expectandus; vel blando epithemate camphorato calido dictus dolor mitigandus.

XIX. *Vesicatoria*, vel nuchis, vel carpis manuum applicata, febres diuturnas optime exhauriunt, speciatim rigor ex eorum usu cessare solet: interdum penitus cessat febris, applicantur die intermissionis, ut ita eorum operatio præveniat paroxysmum. Nam & *Strobelbergeri Empl. febrifugum* vim nonnihil causticam, certe intensè rubificantem obtinet. Sic quoq; *Poterius lib. 2. de febb. c. 23. p. 109.* refert, quòd in *quartana diuturna* vesicatoria carpo admota interdum sint proficua. Quò etiam facit suo modo *salivatio ☿ialis, quartanarios* subinde radicitùs curans, utut hoc reverâ videatur remedium ipso morbo gravius. *Conf. Ballon. in Bonetti Pharo. Med. p. 626. 653.* It. *Piens de febb. part. 2. p. 273.* Notabile est aliàs eos, qui aliquandiu intermittentibus laborarunt, promtissimè salivare, etiam ex aliquot granis ☿ dulcis propinatis. Hinc *ad præcavendam* talem *salivationem* purgatio promovenda; vel fortis sudor repetitus imperandus.

XX. *Intermittentes diuturnæ*, præsertim tertianæ duplicatæ, item continuæ paulo diuturniores, ita videntur alterare sanguinem & inde derivatam lympham, ut crassior, viscidior, glutinosior eorum evadat textura, unde convalescentes tales adhuc *febriculas lentas* subinde experiuntur, aut saltem *appetitus* aliquandiu infausto omine *non debitè redit.* Febriculæ tali optimè (præmisso interdum *vomitorio*, mucum primarum viarum eliminante) per ✳*cum* occurrere possumus. *Anorexiæ* vero vel *absinthii*, vel *centaurii min.* continuatum qualemcunque aliquandiu usum.

XXI. *Diuturnæ* febres, it. quæ per copiosa absorbentia, aut calcinata terrea diutius usurpata, curatæ fuerunt, vix sine insigni viscerum labe, aut multiplicibus hinc restitantibus symptomatis solent evanescere, unde & colicæ & hydropes, aut pedum saltem tumores, aut cachexiæ subinde hos insequuntur.

Talibus malis & præcavendis & curandis optimè inservit *absinthium in* decocto, essentia, succo, extracto, frequentius usurpatum, aliaque congrua amara. Sanè *crurum tumor œdematosus* ordinariò chronicis intermittentibus supervenit, præsertim si copiosius biberint ægri, & parum sudaverint, vel si copiosius post curam febris citò se ingurgitent; sed parum in recessu habet hic tumor; interno etiam multiplici *absinthii* usu, externo vero *chelidonii* maj. recentis plantis pedum admonitione facile abigitur.

XXII. Dum jam *remittit febris* universaliter, aut etiam alio tempore die intermissionis, commodè *essentia absinthii, centaur. min. spirit. cochlear. Elix. propr. sine acido, Elixir febrile Mynsichti,* similiaque alterantia, quæ acidum infringunt, & biliosiorem, actiorem & subtiliorem reddunt, propinantur bis in die ad 30. vel 40. guttas.

XXIII. Febres intermittentes hic loci ut plurimum *cum scorbuto* conjunctæ sunt, unde sæpius subinde recidivant febres. Retuli *D. Michaëlis* quendam quinquies recidivam passum fuisse, ob scorbutum febri junctum, quo curato, febris planè cessavit. Talibus in febribus necesse est, Medicus aliis remediis semper addat *anti-scorbutica*, v. g. conducunt in tali casu *arcanum duplicatum Mynf. magist. corall. c. succo citri & spir. cochlear.* ac similia aliis sociata, v. g.

℞. Elixir. febril. Mynf.
spirit. cochlear. an. ℥ij. M.
capiantur gutt. 40. bis in die intermissionis.

Vel: ℞. aq. antiscorbut. Dorncr. ℥j.
spir. sal armoniaci ʒß.
cochl. ℈j.
laud. op. gr. j.
syr. sceletyrb. Forest. ʒij. M.

Vel: ℞. arcan. dupl. Mynf.
magist. corall. c. succo citr. an. ℈j.
⊖ CC. vel viperar. volatil. gr. iiij. M. F. pulv.

Vel: ℞. aq. antiscorbut. Dorncrell.
febrifug. usit. an. ℥jß.
spir. cochl.
sal armoniaci an. ʒj.
laud. op. gr. j.
syr. sceletyrb. Forest. ℥ß. M. S.

Wässerlein zum Pulver.

In hoc ipso tanquam vehiculo capiatur iste pulv., atque durante paroxysmo, durante æstu, aut saltem post rigorem subinde de eâdem capiatur. Agitat subinde febrici-

febricitantes tales *sitis*, qua pro fallenda, optimum est *serum lactis caprillum acidulatum cum succo citri*, item *decoctum tamarindorum* egregium est in talibus febribus. v.g. ℞. *Tamarind.* ℥iß. *coq. in sero lactis vel aqua hordei. Colatura Tinctura fl. bellidis* ʒij. *tingatur, addendo Syrup. violarum q.s.* pro gratia saporis. M.D. pro Julapio durante æstu. [*Morellus de mat. med. p.m.* 33. Decoctum ita fit, ait: ℞. *Tamarind* ℥j. *coq. in seri lact. vel juris alterati lupulo vel fumaria* ℥x. *ad consumtionem* ℥ij. *Colentur per linteum densum.* cape de Colatura ℥ij. ℥v. ℥vj. cum Saccharo fiat potus.]

XXIV. *Julapia refrigerantia* locum non habent, ubi calor proportionatus est constitutioni ægri, vel qualitati materiæ coquendæ, &c. multò minus, ubi minor est. Ergo in tali casu satius est, si sitis adsit, concedere potum ordinarium consuetum. Sic quis vino adsuetus, nec in totum interdicendum, quia consuetudini aliquid dandum, & ingens delictum foret, ab uno extremo ad aliud prolabi: *Nobilissimum remedium ad temperandum calorem febrilem est* ⦶ *depuratum*, supra hoc nil melius desiderare poteris, si propinetur in decocto hordei. Sumatur ⦶ depuratum, cujus præsertim in febribus ardentibus continuis continuè ad ℥ß. licet dare, nempe successive. Si accidat, ut dato ⦶ urina cum tanto ardore non mittatur, vel liberalius accidat mingere, bono animo esto. In febribus ardentibus monendi sunt ægri, ne nimium potum ingurgitent, quoties lubet. Præstat liberiorem potum concedere, modo dein expectent, dum sentiant omnem ex ventriculo abiisse. Si vero hoc ab ægris impetrari non possit, ut calidum bibant, optimè esset. Si enim calidum biberent, cum ⦶ dissoluto, magis calorem refrænari & temperari videres; à potu enim frigido magis incalescimus, quod videmus, cum ex ambulatione æstuamus & frigidum bibimus, verba sunt *Lindani super Hartmann.*

XXV. *Externa specifica* subinde multum valent, *non* tamen *applicanda sunt, nisi præmissis universalibus.* Sic *Emplastra, Cataplasmata, amuleta* subinde proficua sunt. Illa parantur vel *ex allio, sabina, rutâ, ranunculo ardente, plantagine* vulgari & aquatica, *terebinthina, calce viva, pulvere pyrio, croco, araneis, harum oleo, &c.* Sic allium contusum mistum cum croco carpis manuum applicatur. Quibus quidam *piper longum* addunt; In *fuligine furni* non contemnendum remedium est, *si hæc & salvia ana misceantur cum albumine ovi*, & applicentur palmæ manuum, egregiè æstum compescunt. Alii recipiunt *fuliginem, eandem cum alliis, cepis & albumine ovi miscent, aceti nonnihil affundunt*, & ita carpis manuum applicant, &c. Facit huc *Empl. febrifugum D. Michaël.* quo mediante senem ferè octuagenarium *quartana* laborantem curavit.

℞. Fuliginis fumi splendent. ℥jß.
terebinthin. ʒvj.
telarum aranearum ℥j.
camphor. ℈ij.
☋ aran. q. s. F. Empl. carpis manuum utrinque applicandum. Rectè additur *camphora*. Nam hæc à ʒj. ad ʒij. sacculò lineo inclusa, & in scrobiculo cordis suspensa, donec exhalaverit tota, feliciter *tertianarios* restituit. In *quartanis* præ cæteris externè *aranea earumq;* ☋*a conducunt*. Unde & *Emplastrum febrile Strobelbergeri* araneas pro basi cognoscit.

XXVI. Notatu dignus est *Ballonii locus in Bonetti Phar. Med. p.213.* Puellæ febre tertiana jam mensem laboranti, ante paroxysmos dextri hypochondrii & cruris dolores calore extenso quiescebant, &c. &c.

XXVII. Sic in cura quartanarum & hinc etiam quarumvis chronicarum Medicus *tangat hypochondria*, an adsit tumor aut durities, scirrhus lienis, hepatis aut mesenterii, *quærat itidem*, an multi adsint flatus, item an viscera interna salva sint. Facto hoc, demum prognosin & curam instituat. Certè cum quartanæ aliæque intermittentes vix possint esse diuturnæ, quin superveniat vitium lienis, aut alius cujusdam visceris abdominis, in talibus casibus non negligenda *Martialia*, die inprimis intermissionis *cum febrifugis mista*, v. g. *Tinctura* ⊖*li* ♂*is Zwelf. solut.* ♂*is cum succo pomorum mista c.* ⁓ *cochlear.* ⊖ *Martis compos.* &c. ♁ *diaph. Martial.* & hoc præsertim, ubi *icterus* supervenire velit. *Externè* in talibus casibus *emplastrum de cicuta mistum cum gummi ammon. in acet. solut.* misceantur & Emplastri figura applicentur. Item *emplastrum carminativum Sylvii* hic optimo cum successu applicatur. *Helmontius* mentionem facit Emplastri, quo, ad splenis regionem applicato, plurimos quartanarios se curasse asserit. Compositio & præparatio ejusdem quibusdam dicitur hæc: ℞. *Tabaci, q. v. affunde vini q. s. coq. ad ebullitionem ad mediam horam, postea coletur & fortiter exprimatur. Colaturæ expressæ adde succi Nicotian. inspiss. mollis communis ceræ, olei commun. q. s.* ad consistentiam Emplastri, applicetur tepidè regioni lienis.

XXVIII. In chronicis ac diuturnis intermittentibus, ac in specie in quartanis, discussò licet morbô, diu paroxysmi tempus ægri observent, & præsertim ordinaria diæta & abstinentia recidivam declinent. *Conf. Act. Medic. Hafn. vol. I. pag. 191.*

XXIX. Inter Pathemata, quæ malè curatas febres, præsertim intempestivè suppressas insequuntur, est inprimis *Colica convulsiva*, quales nempe etiam *Paresin* inducere valent, v. g. mulieri post curatam tertianam, per ol. destillat. juniperi supervenit tandem gravis dolor abdominis, præsertim hypogastrium lanci-

nans

nans & insigniter gravativus, cum retractione umbilici interiora versus, pertinacissima alvi adstrictione.

℞. Aq. menth. ℥jß.
🜹 sal armon. ʒß.
laud. op. gr. ij. vel iij.
syr. cort. aurant. ℥iij. M.
capiatur subinde cochleatim.

Sedato nonnihil paroxysmo, propino potionem laxativam passulatam, propriè dictis purgantibus frustra, & cum dolorum exasperatione usurpatis. His præmissis, cum superesset adhuc dolor in abdominis regione hypogastrica, & tumor durus instar parvi farciminis ibid. tactui se offerret, applicandum jussi.

℞. Gummi ammon. in 🜊 soluti
Empl. de Galbano usit. an. q. s.
malaxentur c. s. q. Ungt. de alth. compos. F. l. a. Emplastr. irrorandum cum 🝆o philosoph. applicetur dictæ regioni, optimè contulit & ita curata est. Alvus in talibus pertinaciter clausa esse solet, ita quidem ut nec purgantia, nec clysmata aliquid operentur, tunc contra decoctum passulatum optime est proficuum. Quod si omnia fuerint sedata, in usu absinthiacorum aliquandiu persistendum.

XXX. Quoad febrifuga catholica, revera legitima sub medendi methodo plura dantur talia, ut ⊖ia fixa, vel ✳ cum non immeritò huc revocari queant, sicuti sub perverso ausu, & inconcinna methodo etiam optima specifica fallant. *Kergerus de ferment. sect. 3. p.* 250. commendat suum *febrifugum* præcipitans ad quasvis intermittentes. Relatum est ab amico, esse nihil aliud, quam *cremor* ♃*i part. jv. & corall. rub. præp. part. iij.* subtilissime pulverisata. M. exactè & dos. ʒ ß. usq; ad ℈ j. tam die intermissionis, quam ante paroxysmum usurpentur. *Helmontius* commendat suum ☿*ium diaphoreticum fixum*, sed quem in arcanis sibi reservavit. Pertinet huc *febrifugum antiquartium Riverii*, etiam quasvis alias febres curans, cujus plures hinc inde circumferuntur descriptiones. Plures parari istud volunt ex ⊙o, ⦶o, ♁*io &* ☿ *vivo*, una via sicca præcipitatis. *Sed dubito* fere de hac descriptione. Nam ☿iale remedium esse existimo, & si rectè operandi ratio in ejusdem operationibus observetur, facile quasi suspicari potest, *ex basi Mercurii dulcis* procedere.

His ita observatis, & medicandi ratio & remedia febrium intermittentium patent. Aliàs *inter febrifuga vegetabilia locum habent quævis amara*, in specie *absinthium, carduus bened. centaurium minus, gentiana*, tertianaria, *taraxacum, nasturtium, sedum minus*, præsertim in *quartana & in scorbuticis*. item *zedoaria, chelidon. majus, imperatoria, china chinæ, &c.* & hæc in specie ad *quartanam* usum est proficua, si dosi ʒj, ad ʒij. vel in forma sicca, vel quod præstat, in hau-

in haustu vini calidi ante paroxysmum usurpetur. Ordinariè *quartanam* fugat, *Invitum tamen est remedium*, quia post unam alteramve septimanam recidivat malum, nisi post chinæ usum ac profligatam febrim *purgatio blanda* instituatur. Genuinum usurpandi modum vid. in *Bartholin. cent. 5. hist. 50.* item *Sydenham*, *observationibus de morbis acutis & epidemicis, p. 98. s. 1. c. 5.* Sed loco hujus revera arbitror, *Gentianam*, aut ejusdem succum inspissatum commode posse substitui, cum hæc ipsa *Gentiana* in morbis chronicis, etiam quartana sit egregia, sicut *Barbette in sua Praxi salia fixa* huic chinæ chinæ solet anteponere. Ex hisce *Veteres* eorundem *succos recenter expressos*, aut etiam *decocta amarissima* ante paroxysmum adhibuerunt. Conf. *Rulandum in suis curat. empiricis*, per hujusmodi decocta mediante copioso sudore quosvis intermittentes curans. Addatur his *myrrha*, ante paroxysmum *contra quartanam* laudata. Ac credo, præsertim in *scorbuticis*, quod non contemnendum simplex sint. Sunt qui ℞. *Myrrh. castor. opoponac. gentian. absinth. an.* ℈j. c. s. q. *Mithridat. & succi gentian. F. pilulæ. N. 25.* de quibus horis 2. ante paroxysmum æger, 7. vel 10. deglutiat, & hinc sudorem expectet. His addatur etiam ♀ inter febrifuga non inepte relatum à ʒß. ad ʒj. ante paroxysmum. Sanè ♁ *pyrius* non ineptum est militum febrifugum, quo utuntur in castris ad intermittentes fugandas, Dos. à ʒß. ad ʒj. qui ratione ♀is & ⊕ utique convenit. Facit huc ♁ *roseus febrifugus D. Saltzmanni*, cujus basis est in sulphure:

℞. ⊕ fixi ʒß.
flor. sulphur. ʒiij.
sal armoniaci ʒj.
santal. rubr. ♁iat. ʒvj.
sacch. albissimi ʒij. M. F. Pulv. propinetur à ʒß. ad ʒjß. ante paroxysmum. Santalum & saccharum possunt sine noxa omitti, & tunc dosis diminuatur.

Febrium intermittentium curam tradit *Hermann. Grube de medicam simplic. cognoscendis sect. 1. art. 2 p. 13.* quam, quia compendiosa est, transcribere & superioribus addere placet. Multos ait febre intermittente laborantes compendiose (absit fascinum) restitui, præmissis tamen præmittendis, (vel Venæ sectione, si è re videbatur, vel clystere) sequenti, & bilis ferociam refrænante & eliciente sudorem pulvere.

℞. CC. phil. præp. ℈ij.
salis prunell. ℈j.
♁ diaphoret. gr. viij.
M. D. in 2. part. æq. S.

Ein Fieber-Pülverlein auff 2. mahl.

Hunc pulverem ægro, se paululum ad sudorem componente, in aqua carduib. aut

aut alia specifica aliquot ante paroxysmum horis curavi propinandum. Die intermissionis præbui per vices unum, item & alterum cochlear sequentis, quæ in usu mihi frequentiore est, mixturæ

℞. Aq. petroselin. ℥ij.
card. ben. ℥j.
cichor. ℥ß.
theriacal. simpl. ʒvj.
syr. de 5. radic. aper. ℥j.
spir. 🜍 per campan. ℈ß. M. S.
Ein alterirende Mixtur.

Postera luce alteram partem pulveris ante dicti (si opus fuerit, nonnulli enim restituti sunt sumto tantum priore) jussi propinari. Et sic fomes ille febrilis in multis est discussus. Si vero multum negotii dederit pituita (quæ quidem in omnibus peccat intermittentibus, in aliis etiam magis, in aliis vero minus) pulverem, quem una item & altera ante paroxysmum hora præbendum curavi, ita immutavi.

℞. C C. phil. præp. ℈ij.
salis card. bened.
cent. min. an. gr. vij.
M. divid. in 2. partes æqual. S.
Ein Schweiß-Pülverlein auff 2. mahl.

Hic 🝫is tali videtur casui maximè accommodatus, cum & pituitam incidat, obstructiones pancreatis, ceu genuinam febrium intermittentium matrem resecet, sudores moveat & urinam, & salium ratione alvum in nonnullis blandè solvat. Diebus autem intermissionis, vel sequenti, vel aliis ad similem modum formata usus sum mixtura, quæ & ipsa in multis mihi morbis instar polychrestæ habetur.

℞. mistur. simpl. ℈ij.
essent. absinth. ℈jß.
spir. cochl. ℈j.
tartari ℈ß. M. S.
Ein schöne Mixtur.

Vel illa: ℞. Elix. propr. Parac. ℈iiij.
essent. absinth. ʒj. M. S.
Ein Fieber-Mixtur.

Unde pro diversitate vel ætatis vel constitutionis ægrorum, vel scrupulum dimidium, vel integrum, aut in ▽. appropriata, ut fumar. cum syr. acetosit. citr. mixta, aut in vino exhibui. In quo quidem casu non citra fructum poterit adhiberi sal illud volatile oleosum Sylvii, si ejus detur copia, ex quo aliquot guttæ in vino possunt exhiberi. Sed si æger bile abundet, aut parcior

ejus sit usus, aut plane etiam ab eo abstineas, &c. Dispar autem in febribus intermittentibus procedendi ratio est, si aut malignæ sunt; aut cum aliis symptomatibus conjunctæ sunt gravioribus; vel in corpore cacochymico, vel in senibus, aut in infantibus. Hactenus Grube.)

De
FEBRIBUS CONTINVIS.

Quoad supra factam divisionem considerabo prius febres continuas acutas, postmodum lentas. *Acutæ primariæ* sunt vel *simplices*, aliàs continentes, sive synochi putridæ, vel *compositæ*, aliàs continuæ periodicæ sive synochi.

Synochus putrida sive *continens* ita dicitur ad differentiam *Ephemeræ & Synochi non putridæ*. Hæ enim in fermentatione sanguinis naturali intensius aucta, & plus minus turbata, adeoque non naturali facta ex abusu rerum non naturalium consistunt (facilè tamen in corpore impuro, sed cujus sanguis à debita crasi plus minus declinat, & heterogenearum particularum ad fermentationem præternaturalem dispositus est, in putridam vulgo sic dictam, seu fermentativam præternaturalem degenerare possunt,) & secundùm durationis suæ rationem in *Ephemeram sive unius diei naturalis* febrem, *Latinis diariam*; & hinc in *Ephemeram plurium dierum* sive synochum simplicem absque putredine, quæ ultra quintum vel septimum non durat, & aliquo critico naturæ motu finitur. De quibus jam amplius nil attinet dicere, cùm vel rarò sub Medici curam cadant, ut prior; vel sponte natura sua, modo à Medico non impediatur, desinat ut posterior. Videri tamen possunt *Sylvius l.1. c. 28. Piens de febrib. part.2. c.2. p.15. Willis de febb.*

Synocha febris igitur sive *continens* ingruit primitus cum rigore & horrore plus minus intenso, præcedente membrorum omnium lassitudine & aliquali capitis perturbatione, quam insequitur incalescentia, ac æstus totius corporis intensus, isque continuus, eodem tenore vel persistens, vel similiter accrescens, vel similiter decrescens, usque ad finem status. Isque *æstus* vaporosus boni ominis sæpius acris & mordax cum *pulsu* celeri frequenti, plus minus magno & vehementi, interdum inæquali, nempe similis ferè est pulsui, quem possumus in nobis observare, quando ex intensiori corporis motu concurrente irascibili animi pathemate, v.g. ex fuga, ex imminente malo incalescimus. *Urinæ* intensè tinctæ, crassæ, post aliquot dies successivè turbatæ, & sedimentum copiosum deponentes excernuntur.

Obser-

Observandum tamen, quod eorum urinæ, qui constitutionis sunt biliosæ, aut qui laborant scorbuto, aut qui declinant ad phthisin, levi etiam febricula intensè rutilescant, ob acriora & acidiora plus minus ⊖ ia Massam sanguineam talium ingredientia: ècontra quorum Massa sanguinea est magis temperata naturaliter, h.e. dulci nutritio chyloso succo æqualis permista, eorum urinæ minus intensè cæteris paribus tingi solent, & crassiores, illorum vero tenuiores observantur, hinc & pariter in illis naturaliter celeriores & frequentiores, in his rariores & tardiores pulsus observari solent. Semper igitur idiosyncrasia subjecti simul consideranda. *Sitis* affligit intensa, *saliva* pauca, eaque glutinosa observatur, *cephalalgiæ*, *agrypniæ* ut plurimum junctæ esse solent. Pergit tali cursu hæc febris, donec *solvatur*, id quod fit vel subitanea crisi, vel successiva λύσει. Illa nonnisi in his febribus accidere solet, idque frequentius in calidioribus climatibus, & generosiori victu potuque utentibus, rarius apud nos, idque vel septimo, vel decimoquarto, vel vigesimo primo, &c. λύσει vero pedetentim solvitur, dum cocta materia, v.g. per successivam urinæ excretionem, vel per sudores nocturnos crebrius repetentes, successivè excluditur. Quo etiam facit, quando eædem, præsertim plus minus acutæ, solvuntur per copiosam expectorationem, excretionem, & exscreationem cum mediocri tussi: sicut præsertim petechialibus, i.e. Fleck-Fieber / copiosa ex faucibus excretio & quasi ptyalismus morbum solvit; interdum successive abscessus quodam in loco supervenit, &c. nempe & λύσις hæc, his in febribus successivam coctionem materiæ morbificæ insequens, criseos cum sit vicaria, tamen excretione vel translatione materiæ coctæ fiat necesse est; nisi in lentam aut hecticæ similem acuta hæc febris degeneret, aut ex materiæ coctæ, sed non debitè, h.e. non sufficienter in salsum mutatæ, nec fixatæ, renovato fermentationis impetu recidiva sequatur.

In fermentatione igitur hac sanguinis præternaturali ita continuò pergente, & ∽uum influorum præternaturali fervore & impetu hinc concitato, id, quod eandem occasionaliter inducit, adeoque fermenti præternaturales vices occupat, est secundum fundamenta, supra in genere posita, & quantum hactenus ex juvantibus & nocentibus judicare potui, *Vitium chyli sub digestione plus minus corrupti, & ob id in duodeno à bile affusa minus perfecti, sed vitiose alterati*, quod sub liquoris fermentativi occulto acido dulcis, aut acido amaricantis volatilis nidorosi forma successivè Mass. sanguin. instillatum, eousque vices fermentationis & circulationis leges subit, donec ulterius aut copiosius congestum, vel quacunque occasione externa excitatum, tandem ordinariam sanguinis fermentation. & ∽ascentiam naturalem turbat, indeque quasi effervescentiæ febrilis præternaturalis occasio existat, mediante qua heterogenea ista materia sanguini suffusa, ipsique inimica secernatur, & hinc excernatur,

ut in morbo nempe salubri: vel Massa sanguinea corrupta & inquinata deficiat in effectu secretorio, ut tandem penitus immutata ejus textura, & fermentatio vitalis & [illegible]ascentia, & ipsa vita ceu illorum effectus deficiat. Adeoque depuratur Massa sanguinea in febre continente salubri; penitus vero pervertitur eadem in lethali, quasi sc. generosum mustum fermentando se depurat, & fæcum secretione, tanquam quadam coctione in vinum generosum abit: quod undecunque læsa fermentatione ista in vappam, aut situm, aut potum ingratum, aliisve modis vitiatum transit. Quod simile intelligibilius saltem reddendæ, non autem explicandæ harum febrium naturæ inserviat. Nempe hoc ipsum chyli vitium est quasi (mutatis nempe mutandis,) stercus liquidum, sive scoria ex intestinis præternaturaliter transmissum in Massam sanguineam, ibidem irritando archæum febrem inferens, ut vult *Helmont. Tract. de febrib. c.*11.

Confirmat hactenus dicta *analogia ista, quæ inter febrim intermittentem, & continuam talem intercedit*, dum non saltem de facili complicantur, aut invicem permutantur, ut infra patebit: sed quod unus est in intermittente paroxysmus, hoc in continua est integri morbi cursus. Nempe acidum primarum viarum fermentativum, sed sub digestione aberrans, chyli non ritè transmutati, & consequenter nec debitè perfecti medio, in ægri Massam sanguineam delatum, præternaturalis fermentationis est occasio, quod aliàs naturali modo chylum perficiens, hunc sanguini permiscibilem, & continuatæ fermentationis adjumento perfectè assimilabilem reddit. Adeo nempe secundum *Verulamium in histor. vit. & mortis. pag.*136. Stomachi robur fundamentum est ad reliquas coctiones, & omnes succorum in corpore fermentationes sunt saltem continuationes fermentationis, in stomacho inchoatæ, ut loquitur *Symson in zymologia, p.*50. *&c.*

Ex dictis hactenus vis & operandi ratio causarum remotarum promtè elicitur, cum febres hæ soleant frequentius occupare corpora juvenilia, magis grassari vernali & æstivo tempore, corpora it. εὔσαρκα & εὔχυμα, quorum Massæ sanguineæ ob particularum fermentescibilium copiam & volatilem acrimoniam intensiùs fermentari solent. Ut taceam prohibitam transpirationem insensilem, iracundiæ fervorem, acrium & volatilium abusum, &c. Sic *Hildanus* immersionem subitaneam in aquam frigidam post æstum, corpora disposita in febres ardentes conjicere observat: *Cent.*1. *observ.*95. item *Valeriola l.*2. *obs.*6. (nisi synochus plurium dierum sive non putrida hinc oriatur) ex nimio usu aquæ theriacalis febrem ardentem observat *Cent.*1. *hist.*31. it. ex theriaca nimia quantitate adhibita, &c.

Hisce *continentibus* plus minus acutis & simplicibus *complicari solent inter-*

intermittentes, *adeoq; continuæ compositæ*, sed quæ certo temporis recursu exacerbationes plus minus intensas patiuntur, ob id periodicæ dictæ generari solent.

Hæ ipsæ *continuæ periodicæ sunt plurimum tertianæ*, eæque frequentiores, in quibus nempe sine intermissione quidem febris pergit, utut subinde exacerbetur, & ab ista exacerbatione denuò remittat; hîc sunt *continuæ quotidianæ*, sed hæc rariùs est acuta, & ferè sub censum continuarum sed lentarum venit. *Omnium rarissima est continua quartana*, adeò ut *Joël. in Praxi*, cui Veterano Practico jam septuagenario, & tamen in Pomerania, ubi ex acido fixo viscido, sive Veterum melancholia, nati morbi, indeque hypochondriacum malum ac scorbutus frequentiores sunt, & ex quo humore quartanam derivant, viventi nunquam apparuit, eam aut nullam aut rarissimam esse judicet. Quin & si aliquando occurrant, ad lentarum naturam eas proximè accedere asserit *Piens de febribus part.2. pag. 98.* aut cum continua lenta complicatæ erunt. *Notabile* talis complicationis exemplum suggerit *Lindanus super Hartmann*, dum dicit: Vidi ego in hac urbe (nempe Amstelodami) tres quartanas cum hectica, ex animi mœrore contractas: primus paroxysmus erat vehemens, secundus lenior, tertius lenissimus, quartus qui respondebat primo iterum vehemens, &c. His quartanis remittentibus remanebat febris continua sive hectica ex mœrore orta. Principio non putavi dari quartanam continuam, sed postmodum deprehendi; effeci, ut omnes quartanæ cessarent, sed remanebat hectica.

Continua in his periodicis est febrilis fermentatio, ejusque effectus pulsus mutatus & caloris intensio, sed certa sua periodo saltem exacerbationem, cujus indicium symptomata præbent, patitur; ita tamen ut nunquam aut rarissime horroris sensus percipiatur, ob intensiorem caloris sensum & motum, totum corpus occupantem, quin æstuationis saltim augmento, sitis, cephalalgiæ, anxietatum, &c. intensione, exacerbatio funesta esse solet. Conf. *Sylv. lib.1. c.31.* *Ex intermittente igitur & continente componuntur continuæ periodicæ*, speciatim *tertianæ acutæ*. *Complicatio tribus contingere solet modis.* I. Dum intermittens in continuam degenerat, & ita postmodum perdurat. II. Dum continens in intermittentem abit, correcta plus minus Massa sanguinea, & concurrente successivè fomite præternaturali in primis viis. III. Simul inchoant & pergunt, sive simplices fuerint intermittentes, sive compositæ seu multiplicatæ. Notabilis est complicatio, quàm refert *Panarolus Pent.2. observ.33. p.99.* nempe Tertianam continuam duplicem cum quartana lethalem.

Jam vero notabiliora quædam his acutis in febribus occurrunt symptomata, pro quorum varietate & diversimodè denominari solet hæc febris. Nempe quædam harum febrium dicitur *Causos, sive febris ardens*, cujus *duo* quasi *pathognomica sunt symptomata; æstus nempe intensus, & sitis clamosa*, ferè inextinguibilis, sive sint continentes, sive sint continuæ tertianæ. vid. *Sylv. l.* 1. *c.* 29. §. 24. *& c.* 31. §. 5. quibus primariis symptomatis subinde accedit & linguæ ariditas, labiorum fissuræ, capitis dolor, &c. *Horstius v. in Problem. dec.* 1. *q.* 4. *p.* 5. Causum veterum, hodiernam Hungaricam esse asserit. *Easdem* penitus *Causas*, sed intentiores, & concitatiorem fermentationem excitantes, ac febres acutæ aliæ habet: unde *ex volatili acriori acido, intensiorem efferve-scentiam concitante, intensissimus iste æstus*, ex hoc ipso vero, dum alcalisatur quasi causa febrilis, ut loquitur *Helmont. Tr. Pylorus. rector.* §. 26. *intensa adeò sitis*, h. e. depravatum in febre fermentum stomachale, dum non aptum est ad consuetam digestionem, in excrementum nidorosum facessere finit, quicquid in stomacho fuerit, quod à calore partis, & speciatim ab nimio æstu febrili magis alteratum, & quasi colliquatum in texturam alcalisatam, ut quasi empyrevma contrahat, tunicis ventriculi tenacius impactum, febrilem sitim infert, irritando & vellicando certo modo membranam stomachi & œsophagi, & per consensum ipsius quoque linguæ. Unde intolerabilis ferè sitis & qui amaricantibus, v. g. cerevisia lupulatâ ex dictis causis intenditur, nec nisi acidis, præsertim mineralibus corrigibilis est.

Alia differentia est in *Febri, Lipyria* dicta, in qua interiora uruntur, exteriora verò frigent. *De qua disceptantes* admodum quoad ortum & fiendi modum *autorum sunt sententiæ. Quamplurimi ad secundarias* adeoque vel comitatas, vel symptomaticas *febres referunt*. Instar omnium sit *Lindanus*, qui *super Hartm. inquit. Febris Lipyria* est febris ardens, orta ex inflammatione visceris interioris valde sensilis, de qua loquitur *aph.* 46. *sect.* 4. *Hippocr. &* 72. *sect.* 7. de quibus notandum: 1. Febres non intermittentes, 2. in talibus algor extremorum & ardor internorum. Ubi per partes externas non vulgo dictæ manus, pedes, nasus, lobi aurium intelligendæ, sed universi corporis habitus. Algor aut non ex tactu Medici aut adstantium judicandus, sed ægri judicio, qui se algere dicit, & tegi jubet. Tepent enim membra, nec est ea vis, quæ in aliis febribus ardentibus adesse solet.

Hæc febris brevi terminum absolvit, plerumque intra triduum, quadriduum & vix unus evadet, nisi statim ab initio hujus mali præveniamus. In liene, hepate, visceribus, &c. quæ accenduntur, non sunt tam periculosa, quam quæ partibus membranosis accidunt, ut ventriculo, ileo, utero, vesicæ, &c. Solent conqueri de summo æstu partis affectæ, linguæ crusta nigra,

magna

magna corporis agitatio, sitis inextinguibilis, delirium, pervigiliæ, &c. *Hæc Lindanus.*

Notanter dicit *Lindanus*, partis sensilis valde inflammationem sequi *Lipyriam.* Pars enim non valde sensilis, v.g. Mesenterium inflammatum, febrim quidem etiam continuam, sed lentam ferè plus minus inferre solet. *Conf. Sennertum l.2. de febb. c.16. p.206.* Sanè practicæ experientiæ comprimis consentiens est hæc sententia. Sunt & nonnulli, qui etiam *primariam febrim subinde esse Lipyriam* contendunt, quos inter non tantùm est *Sylv. l.1. pr. c.29.* §.31 *&* 32. *Primerosius l.3. de febb. c.8. p.264.* sed etiam ex nimio liberali usu fructuum faginorum (der Buchäcker) eandem enatam, adeoque apparenter primariam observatam à *Borrichio in Act. Med. Hafn. vol.2. p.160.* Primaria talis cum rarissima sit, adeoque adhuc nonnihil dubia, & quoad fiendi rationem adhuc intricata, saltim frigoris ratione, ad genus nervosum membranosum undecunque irritatum, æstuationis vero respectu, ad sanguinem in præternaturalem fermentationem concitatum, hincque alteratos insigniter ♎, idq; ex supradictis probabilissimè à sui generis acido, respiciendum erit.

Ulterius sunt febres cum *Prunella*, Germ. die Bräune dicta, conjunctæ. De quibus *Sylvius cit. loc.* §.26. 33. Arbitror salivæ hic maxime habendam esse rationem, quæ alterata, & inprimis mox glutinosa reddita in febribus mucilaginis instar nonnihil obducit istas partes, quæ mucilago pedetentim ab æstu febrili calcinata quasi aut exsiccata, indeque istis partibus teneris perquam molesta & hostilis existit, quæ exinde irritatæ, mox phlogosin sive inflammatoriam quasi dispositionem acquirunt, unde rubedo, ardor, dolor, muci plus minus spissi proventus, &c.

Febres acutæ quædem sunt *Deliræ*, vulgò die Haupt-Kranckheiten dictæ, *vid. Sylv. l.1. c.29.* §.27. *&* 35. In his fermentum febrile (ut plurimum tamen malignum, unde & interdum epidemicè grassantur tales febres) speciatim ♎-bus animalibus, & hinc generi nervoso circa interiores capitis partes inimicum videtur, quod istorum texturam vitiando, adeoq; motum debitum pervertendo, h.e. continuò vellicando (unde intensior circa frontem, quam alias corporis partes æstus percipitur) vigiliarum pertinacium, hinc deliriorum ac consequenter convulsionum causa existit.

Benignæ quoque existunt hæ ipsæ acutæ, sed *sæpius* quoq; *malignæ*, eæque admodum periculosæ: imò sæpius accidit, ut febris revera maligna in primis diebus formam Causi, aut febris benignæ præ se ferat, ac sua malignitate lateat. Imo dubitant nonnulli, an detur Causus alius, cui non ut plurimum juncta sit malignitas.

Colli-

Colliquativæ dictæ febres etiam huc pertinent, in quibus subitò corpus emaciatur, dum ros nutritivus chylosus, tam in Massa sanguinea, quam solidis partibus dissolvitur, & ipsa pinguedo quasi funditur & liquescit. Accidit hoc *nunc* mediante sensili substantiæ colliquatæ excretione, idque crebrius, & hinc dicitur v.g. *diarrhæa colliquativa*, in qua copiosa, ut plurimum admodum fœtida (qui *fœtor* 🝆sæ substantiæ, adeoque & pinguedinis pessimam colliquationem notat, cum nil æque fætere soleat, ac 🝆sa sive pinguia corrupta, & ad putredinem vergentia) excernuntur. Item *urinæ fluxus colliquativus*, in quo urina copiosa cum supernatante propriè dicta pinguedine effunditur. *Sudor colliquativus*, qui copiosus, minus calidus, interdum plus minus glutinosus excernitur; *Nunc* sine tali sensili excretione, id tardius, dum nempe absumitur ros nutritius corporis pedetentim, nec alius suggeritur, necessariò corpus emaciatur.

Causa colliquationis talis *partim* in subjecto patiente, sive succo nutritio chyloso rorido, & inde nata pinguedine; *partim* in efficiente consistit: *in patiente*, si succus iste texturæ rarioris subtilioris, minusque ab acido concentratæ existit, hinc faciliùs resolubilis & attenuabilis esse solet: v. gr. carni aprugnæ sub assatione nil omninò, aut planè minimum est, quod defluit, suis vero domesticæ carni, plurimum, eò magis, quo plus adipe vel carne abundat, ut loquitur *Gorræus in definit. Med. p.* 319. Texturam autem istam, plus minus resolubilem, à certo contexente acido dependere illustrat experimentum istud, quo 🝆a per ∽ ⊖i acidum in pinguedinis consistentiam coagulare possumus, dum alcalia èccontra & saccharum butyri coactionem debitam penitus imminuant.

Causa efficiens attenuans, & menstrui instar dissolvens, & hinc seroso vehiculo unibile reddens, non est tantummodo caloris motus, utut hic multum simul valeat, sed *acrimonia septica sive quasi caustica fermenti febrilis* peccantis, penetrans, dissolvens, & nutritivum succum ac pinguedinem liquefaciens, simili ferè ratione atque acres quasi causticæ particulæ purgantium, aut sudoriferum resinosorum acrium, &c. dissolvere & liquefacere assolent chylosas & roridas nutritivas particulas: *quæ acrimonia, ad quam acrium classem*, an acidorum volatilissimorum an alcalium, *an* ⊖sorum *adscribenda sit*, in medio hoc loco relinquo.

Distinguenda autem sunt hîc, das gelinde Abnehmen in febribus, ab eo, quod nos dicimus das Verfallen oder Einfallen. *Illud* à colliquatione & hinc emaciatione oritur, *hoc* vero à spirituum influorum defectu, aut saltem deficiente vi elastica, fibras & stamina partium in debito tono, & hinc interstitia

ſtitia poroſa in debita dilatatione pro fluidorum quorumvis faciliori transmiſſione detinente, oritur. Hac igitur vi ceſſante vel ob [illegible]uum abſolutam paucitatem, vel eorundem vitia tam conſtitutionem, vel denegatum plus minus eorum influxum, partes molles, præſertim faciei collabi, naſus acuminari, tempora excavari, oculorum orbitæ profundiores apparere incipiunt: ut in ſubitanea ſyncope correptis, aut facie Hippocratica deformibus, manifeſtum redditur. Ut itaque colliquatio ſubitanea nunquam bonum ſignum eſſe ſolet, peſſimum tamen ſemper indicium eſt iſta ſubſid. ntia partium ſubitanea, quæ nunc mox in principio morborum, nunc in eorum progreſſu, interdum horali ſpatio contingere obſervatur, ſpirituum influorum affectum gravem omnino innuens.

Apud veteres ſcriptores Practicos & horum interpretes plures adhuc febrium acutarum differentiæ annotantur, v. g. febris *Pemphygodes* dicta, Latinè *Ampulloſam* diceres, in qua tam facies & os, quam caput & aliæ partes corporis bullis & bullulis hinc inde prętuberantibus interſtincta obſervantur, cujus notabile exemplum vide in *M. A. N. C. Ann. 8. pag. 93.* qualis tamen bullarum elevatio & intumeſcentia potius fermenti maligni cujusdam, critico quaſi naturæ motu cum ſuo vehiculo ad inſtar variolarum, excluſi effectus eſſe videtur.

Febres Typhodes, it. *Elodes*, it. *Hydrodes*, Latinis *Sudorifica* dicta, eſt, in quibus primo ſtatim die ægri copioſè ſudant, ſudore ipſo parum aut nihil alleviante (quæ an eædem fuerint cum *ſudore Anglico*, ut aſſerit *Langius, epiſt. 19. lib. 1.* dubitare licet,) ſive colliquativus, ſive non fuerit talis ſudor: illius nempe colliquativi theoria ex ſupradictis, hujus vero aliquo modo mutatis mutandis ex *Sylvio lib. 1. prax. c. 30. §. 40. & 114. item c. 58.* intelligi poteſt.

Febris Aſſodes dicta, ſive *anxioſa*, in qua ob anxietates ægri decubitum eundem non ferentes, figuram jacendi variant, adeoque in lecto ſe jactitant. Inter omnes anxietatis *cauſas* frequentiſſima eſt *oris ventriculi affectus*, quando nempe vel ob malignum quoddam fermentum, vel à pravis, utut paucis, humoribus, ejus tunicis immerſis, mordetur ſive irritatur. Præter hanc tamen *vel* καῦμα intenſius, *vel* orgasmus materiæ ejusdem, *vel* malignitas inſignior, *vel* imbecillitas in cauſa eſſe ſolet. De quibus in ſpecie *vid. Steph. Rodericus Caſtrenſis, l. 1. c. 21.* quæ ex quibus

Febris lyngodes, πυρετὸς λυγγώδης, ſive *ſingultuoſa* talis eſt febris, in qua ſingultus cum febre permanet, vel cum febre per totum morbum ſimul

exacerbatur. Exemplum *vid.* in *M. A. N. C. Ann.4. p.43.* ut plurimum equidem ex ventriculo sive per essentiam, sive per consensum affecto.

Febris phricôdes, πυρετὸς φρικώδης, sive *horrifica*, cui in toto morbi cursu crebri horrores & rigores superveniunt, quales non solum in suppurationibus partium internarum; sed etiam febribus compositis interdum supervenire solent. De quibus omnibus, ne actum agam vid. *Castrum cit. loc. nempe quæ ex quibus l.1.c.18.19.20.&c.* Conf. etiam *Zacut. Lusit.* qui & earum historiam ac observationes pertractat in *Medicorum principum histor.* & *Prax. adm.* Inter febres compositas plus minus acutas primariam sui considerationem meretur febris dicta *Semitertiana* sive *Hemitritæus*, de qua tamen variantes sunt Autorum sententiæ, cujus discrepantiæ, præter generalem febrium theoriam admodum intricatam, hæc ferè est origo, vel nimia veterum veneratio, & in iisdem defendendi studium: vel non ritè observata multiplex tam compositionis febrium mutuæ, quam complicationis earum cum aliis affectibus varietas. *Vulgatissima de semitertiana fert sententia*, esse eam compositam ex duabus febribus tertiana & quotidiana, quarum una sit continua periodica, altera vero intermittens, in qua ipsa, quoniam sub quovis paroxysmi insultu horror plus minus perceptibilis sit, ob id & *horrificam* sive *phricôdem hanc febrem vocasse veteres asserunt.* Talis semitertianæ typum, ex intermittente quotidiana cum tertianâ, exhibet *Regius in suis dissertationibus.* Vir quidam robustus incidit matutino tempore in horrorem totius corporis, quem insecutus est calor multus, pulsus celer & creber perpetuò durans. Sub vesperam ipsum eadem die invasit refrigeratio totius corporis, post quam sequebatur pulsus justo frequentior & celerior. Sequenti die, calore illo perpetuo & pulsu celeri ac crebro durante, leviter perfrigeratus est, calorque deinde increvit, & pulsus increbuit. Tertio die rursus mane exhorruit, & dein incaluit, & vesperi, postquam refrigeratus esset, rursus increvit calor: quarto vero die leviter sub vesperam rursus refrigeratus incaluit, & pulsus increbuit.

Semitertianam vero compositam ex tertiana intermittente & quotidiana continua, vid. in *Tymæo lib.8. cas.21.22. pag.367. & seq.* Conf. etiam *Riverium in observat. de morb. infrequentibus observ.23.* Item Hemitritæum ex continua quotidiana & quadruplici tertiana vid. in *River. cent. 4. observat. 23.* Sic Hemitritæum ex continua minus acuta & duplici tertianâ cum singultu vehementi & tumore in sinistro hypochondriaco observavit *Platerus libr. 2. observat. pag. 312.* *Sennertus* hisce duobus modis & alium semitertianæ typum addit, nempe illam, quæ ex intermittente, præsertim tertiana, vel simplici, vel multiplici, conjuncta cum febre symptomatica continua, inflammatio-

mationem partis cujusdam internæ insequente, oritur, persuasus ad hoc ipsum speciatim per observationes *Spigelii in Tr. de semitertiana*, v. g. Refert *Spigelius* se in Juvene quodam Belga, ex Dysenteria in febrim semitertianam lapso & mortuo, per anatomiam ejus inspectione factâ, intestina tenuia inflammata, ileum vero sphacelo corruptum, ubi adhæret colo & cæco, invenisse. Conf. de hoc pluribus *Sennert. l. 2. de febb. c. 21. p. 323.*

Observandum ulterius hic occurrit, *non raro febrem malignam esse, quæ semitertianæ typum referat*, *vel* quia intermittenti tertianæ, quocunq; modo complicatur; *vel* quia ipsa maligna vago nonnihil exacerbationis morsu semitertianæ talis typum repræsentat. Ob id *Forestus lib. 5. observ. 14. & 16.* Semitertianas has suboriri asserit grassantibus febribus malignis & pestilentibus. Nec refragatur *Spigelius cit. loc.* qui tempore pestis hanc febrim frequentissimam esse asserit, unde & *Schenckius l. 5. obs.* Hemitritæum, pestilentem pluribus describit. Quo facit & Hemitritæus malignus bezoardicis curatus. *Riverius cent. 4. obs. 56. Piens de febb. l. 2. p. 283.*

Complicationem istam minus admittit, sed semitertianam nil aliud esse asserit, quam febrim continuam horrificam sive phricôden, cum multis rigoribus ingruentem, vel plures intermittentes sibi invicem succedentes, & quasi subintrantes; id quod probabiliter subinde evenire omnino probabiliter arbitror.

Observandum & hoc, ut malè curatæ, quacunque ex causa, intermittentes in continuas lentas facile degenerant, ita & tali lentæ ipsa intermittens complicata, Hemitritæi faciem referre potuit. Sic enim tertianam intermittentem exquisitam mutatam in semitertianam refert *Forestus lib. 5. observ. 13. & 16.* & febrem lentam tandem mutatam in Hemitritæum, iterum *Forestus observ. 14. l. 5. refert.*

Sane omnes modò enumeratæ & observatæ complicationes ac aliæ plures, ut facilè fieri possunt, ita & Hemitritæi, in genere sic dicti, typum omnino plus minus variare necesse est. Nempe *signum pathognomicum Hemitritæi ferè esse solet*, quando febris continuò quidē affligit; sed cum succedentibus rigoribus crebrioribus aut horroribus, ubi rigores cum insequente intensiore æstu *tertianæ*, horror vero aut saltem perfrigeratio cum mitiori incalescentia, *quotidianæ* febris intermittentis typum constituere dicitur. Jam ex superioribus patet, fermentum acidum, aliudve quodvis acre, membranosum genus vellicans, horroris & rigoris: it. Massam Sang. inquinans, exæstuationis occasionem suggerere, quibus perpensis, de facili multiplicis typi, & complicationis acutarum lentarum intermittentium primariarum, secundariarum,

malignarum, &c. in subjecto patiente ratione criseos partium contentarum, & constitutionis partium solidarum plus minus variantium, & modi & hinc differentiæ patescunt, adeò ut uni cuidam certæ complicationis generi minus nos præcisè applicari debeamus, verbi gratia, Semi-tertianam cum variolis observavit *Spigelius de semitert. l.2.c.16.* Nullus dubito, recurrentes apparenter cum horroribus aut rigoribus paroxysmos ab acri variolarum fermento, partes membranaceas vellicante, & in sanguine æstuante, accidisse, & ita in subjecto patiente, ratione specialis contentorum idiosyncrasiæ, quasi typum quendam repræsentasse. Pariter *Forestus l.5. obs.22.* febris horridæ mentionem facit, cui accessit Erysipelas. Horrores hi non à speciali febris typo, sed ab acido Erysipelatis, vellicante subinde membranaceas partes ortum habuerunt.

Pro meliori δοκιμασίᾳ compositionis talis febrium inprimis notabilis est locus *Sennerti, de febrib. l. 2. c. 21. pag. 320.* dum dicit inprimis compositas arguit reditus rigoris, horroris ac frigoris post ejus quietem. Quod si planè continuæ & simplices videantur febres, attendendum est, *an post rigorem sudor subsequatur:* Nam si in febre, quæ continua videtur, rigor fiat, & sudor non subsequatur, aut forte plures rigores unus sudor, signum est febrem illam non esse simplicem, sed compositam. Nam in synocha rigor non apparet, nisi crisis tempore, quem sudor sequitur. Deinde etiam *pulsus febris compositæ indicium exhibet:* Nam quamvis febres quædam continuæ videantur, si tamen sæpius fiat pulsus contractio, illa novi paroxysmi motusque materiæ novæ indicium est.

Quoad *Prognosin.* Terminantur febres acutæ continuæ vel perfectè ad sanitatem, aut ad mortem, vel imperfectè. *Perfectè*, quando aut crisi subitanea, aut successivâ λύσει convalescunt ægri, de quo supra: sin minus, invalescente quotidie febri, agrypniæ, deliria, convulsiones superveniunt, hinc mors ultimam ducit lineam. *Imperfectè*, dum abusu nimio præcipitantium sive absorbentium fixiorum supprimitur impetus fermentativus humorum & spirituum febrilis, & fixato in tantum acido morboso, aut recidiva, ut plurimum periculosior denuò insurgit, aut febris acuta in lentam, hecticæ similem, mutatur.

Aliàs febris tam continens, quàm continua tertiana ceu acutæ sunt ambigui exitus: per se quidem minus periculosæ, de facili tamen periculum supervenit. *Eæ sunt periculosæ*, quæ mox extremos habent labores, h.e. quæ nimis sunt acutæ, & ubi symptomata, acriora præsertim, ac mox in principio, ingruunt. Tales ferè malignæ esse solent, unde quævis malignæ acutæ periculosæ censendæ sunt. *Urina alba*, aut admodum cruda, in febribus ardentibus admodum periculosa est, & plerumq; mortem portendit. Urina alba tenuis & clara in delirantibus cum febre continua vel ardente lethale est signum. Quando ⊡*a rubicundior*

cundior est initio, tanto citius terminatur cum signis bonis ad bonum, cum malis ad malum. Quæ lethales futuræ sunt, *vires* indies magis prosternunt, citra ullam criticam evacuationem, aut si quidem excernitur die minimè decretorio, naturæ fatiscentis signum exhibet. Cum sunt morbi acuti, septimo aut decimo quarto die finiuntur apud nos, quin & ad vigesimum extendi solent, quæ in aliis regionibus ordinario septimo terminantur, rarius ad 14tum extenduntur. Unde in effatis *Hippocratis* & Practicorum observatis, regionis ac aliàs circumstantiarum probè habenda est ratio. Satis secundum coctionis signa citius vel tardius se exhibentia, brevior aut longior expectandus est morbus. Dum per crisin finitur, usitatissimè quidem apud nos vel sudore, vel alvi fluxu solvitur; in calidioribus regionibus inprimis hæmorrhagia narium critica judicatur. Sic *Hildanus cent.6.observ.77.* observat virum robustum febri ardentissima & continua laborantem, qui septimo die in sudorem adeò flavum, ac si croco tinctus esset erupit, tam copiosè ut contorta subula aqua ubertim extillaret, & lineamina omnia croceo colore inficeret. Sic *Zacut. Lusit. l.3. prax. admir. observ.* 110. observat hæmorrhagiam criticam per porum juxta radicem pollicis pedis dextri, in interna parte, sponte apertum: non secus atque *lib.1. Prax. admir. obs.86.* observat, per hæmorrhagiam criticam, sive per sanguinis effluxum copiosum ex venula gingivæ inferioris febrim ardentem ingentem criticè curatam, & solutam refert. Curiosum est, quod refert *Platerus l.1.c.86.* Delirans in febre ardente uxorem per vim comprimit, moxque extinguitur. Uxor vero mox quoque eodem modo correpta, à febre quidem sanata est; mens tamen nunquam ferè constitit.

Quoad *curam harum febrium acutarum*, in hac, si unquam aliàs, Medicus sit in febribus acutis naturæ minister. Cum enim depuretur M.S. in iisdem, adeoque fiat sanguinis febrilis effervescentia, ob materiæ ejusque heterogeneæ, ipsiusque naturæ aversantis secretionem, ut ejus coctio, & hinc crises testantur, manifestum evadit, indicationes veras & genuinas in eo versari, ut sanguinis præternaturalis fermentatio intra modum naturæ propositum ingruentem conservetur, ea nimirum ratione, ut nec hinc plus æquo gliscat sive intendatur, unde periculosa symptomata insequi solent, nec illinc nimium torpeat sive deficiat, qua ratione materiæ coctio & excretio impediretur, ac facilè lenta chronica febris dubii eventus superveniret, ut rectè loquitur *Sydenham. Tr. method. cur. febrib. s.1. c.4. p.18.*

Medicatio igitur febrium talium cum à sola fiat natura, hoc saltim *Medici est officium, ut illius conatum debitè moderetur & adjuvet.* 1. impedimenta removendo. 2. alterantibus & blandè diaphoreticis (h.e. fermentum febrile, ejusque acrimoniam plus minus absorbentibus & temperantibus, vulgò bilem corrigentibus) causæ occasionalis peccantis vim moderatè infringendo. 3. sym-

ptomata nimis urgentia mitigando. *Primum* præſtat V.S. evacuatio, *Secundum* vero ⊖ tata, ☿ialia fixa, animalium partes duræ, &c. *Tertium* in genere anodyna, in ſpecie moderatè acida, aliáve appropriata. Hac nempe methodo nec negligit criſin Medicus, nec otiosè eam expectat.

Criſin negligere jubet Helmont, quia anticipare, idque rectiſſime, licet, remediis nempe univerſalioribus & ſublimioribus, mox in principio vim cauſæ occaſionalis ſive fermenti morboſi evacuando, & naturæ turbatæ impetum ſiſtendo. Sed quam paucis licet adire Corinthum. Criſin vero otiosè expectant non ſolùm veteres, qui præmiſſa Venæ ſectione aquæ frigidæ largiore hauſtu ſaltim curare ſolebant ægros, motum naturæ criticum obſervando: ſed etiam moderni plures Itali & Galli præſertim, qui poſt Venæ Sect. & clyſmata, ſola tenuiſſima diæta, & largiori ptiſanæ exhibitione ſanare ſuos in acutis ſatagunt, ſub ſpe criſeos.

Pro his ſcopis obtinendis obſervandum I. Cautiſſimus debet eſſe Medicus, ne pro Cauſo, aliaq; continua acuta curet præſentem malignam. Febris enim maligna non raro inprimis diebus formam tàm cauſi præ ſe fert, & ſua malignitate latitat. Ideò melius eſt, ſtatim adhibere appropriata alexipharmaca; & tutiori ratione procedent illi in cura, qui primis diebus uſum bezoardicorum & alexipharmacorum (ita tamen ut ad ſudorem patiens nequaquam cogatur,) recommendare recordabuntur. Si itaque certo jam conſtet, malignitatis metum adeſſe nullum, tutò, quæ agenda ſunt reliqua, peragi poterunt.

II. Si febris eſt, *in qua Venæ ſectio locum habet*, talis eſt ſanè febris acuta continua, idque ſaltim, ubi nimius urget, aut metuendus eſt æſtus, nimiaque turgeſcentia contentorum corporis, ut in plethoricis, generoſiori victu utentibus, item in adſuetis, aut quibus ſuppreſſa eſt ſolennis quædam evacuatio, in talibus commodè vena incidi poteſt. *Conf. Sydenham ſect.*1. *c.* 4. *pag.*19. Et quidem aperienda vena mox in principio, quocunque diei tempore, nempe rectè hic loquitur *Lindanus:* Venæ Sectio eam ob cauſam inſtituitur, ne calor immodicè exardeſcat. Ut igitur frænes illos æſtus, & circuitus ſanguinis liberior fiat, opus eſt Venæ Sectione, manè ſive veſperi; Multis enim religio eſt, alio tempore ſanguinem mittere, quam mane, & hoc qui obſervant, quandoque graviter peccant, & accidit ſæpe, ut ſanguis mittatur, cum in furore maximo eſt febris, cum tamen Venæſect. fieri non debeat, niſi meliore tempore morbi, & remiſſiore calore febrilis. Nam ut rectè *Celſus* monet, *lib.* 2. *c.*10. in ipſo furore ſanguis non eſt mittendus, & qui tunc mittit, idem facit, ac ſi jugularet hominem. Qui itaque matutinum præcisè obſervant tempus, ſæpe in hunc errorem incidunt. Ergo dies non oportet numerare, ſed in principio primo, aut tempore huic proximo ſanguis mittendus, modò hoc obſervetur, ut in remiſſiori fiat febris tempore. Quantitas ſanguinis

mittendi

mittendi secundum conditionem subjecti ac impetum febris determinanda venit.

III. *Vomitoria*, utut non æque videantur necessaria, atque in intermittentibus: nihilominus tamen, ubi in principio aut incremento morbi nausea urget; aut inanis vomendi conatus adest, sapórve amaricans aut similes ructus adsint; vel cardialgia aut præcordiorum anxietates in principio & incremento urgeant, sanè vomitoria sunt optima, nisi vel diarrhæam, vel gravia symptomata in cursu morbi experiri velis. E. g. in febris initio, propinato vomitorio, ab horrendis illis symptomatibus, ex humorum in ventriculo locisque vicinis delitescentium illuvie ortum ducentibus, ægros præmunimus, imò verò & fortasse in ipsis quasi incunabulis opprimimus morbum, qui aliàs cum ægri periculo grandescet & longævus evadet. Quod si serò accersitus, jam incrementum morbi adsit, nihilominus, cætera ubi responderint, ac speciatim, si vires à morbo nondum attritæ fuerint, etiam in incremento vomitorium propinari potest. Conf. hîc accuratus & elegans *Sydenham*, *cit. loc. p.* 21. & *seqq.* Quod si dubium sit, annon sit febris maligna, tunc sanè si ista indicantia supra indicata adfuerint, item si febris maligna ex contagio ortum traxerit, tutò vomitus provocandus. Hoc enim facto, sanè omnia symptomata toto morbi cursu erunt mitiora. Observandæ tamen simul erunt *Vires*. Item vomitoria non sint nimis valida, quoniam in talibus ægtis multùm & vehementer solent evacuare, fluidioribus corporis contentis, secus ac in intermittentibus, in quibus, præsertim contumacioribus, validiora subinde usurpanda veniunt vomitoria.

IV. *Purgatio*, nempè propriè dicta, sive quam abusivè eradicativam vocant, ut plurimum nociva est in continuis & ardentibus, nec nisi in declinatione morbi videtur convenire, coctâ scil. jam materia. Sed tunc ferè est superflua & inanis, cum materia cocta per urinas & sudores eliminari soleat. Quod si non fiat, aliqualis & repetita blandior purgatio, & quæ stimulando saltem motum naturę provocat, locum habet. In principio harum febrium est frustranea, movens quidem sive turbans corporis contenta, sed non ritè promovens nociva, crudis adhuc omnibus existentibus. In progressu morbi est ferè nociva, aut saltim inutilis dictis ex causis. Si quid tamen movendum videatur, in principio secundùm *Hippocratem* move.

Observanda tamen hic est animadversio *Septalii*, *l.* 5. §. 4. *p.* 98. ut in continua tertiana respectu sui, aut materiæ illam facientis, nunquam ab initio ante coctionem medicamento purgante evacuandum est; ita cum quandoque bilis acris ad ventriculum transfundatur & mordens, gravissima inferens pericula, & sępe mortem, potissimum, si ęger ad vomendum naturâ ineptus fuerit: illa ut prę-

veniamus

veniamus licebit purgatione uti respectu symptomatis; ut syr. rosac. solutivo, ex sero lactis vel solo sero, vel cui incocti sint Tamarindi, &c. Utut autem purgatione uti vix liceat, toto tamen morbi decursu eò respiciendum subinde, ut alvus blande servetur aperta, idque inprimis, ubi æstus urget, qui sub alvo clausa semper magis intendi solet: idque eò tutiùs fieri potest, quo minus malignitatis adest suspicio. Nam malignis in febribus in quibus natura verè intendit motum ad partes intercutaneas, cautissimi simus in alvo aperienda. Pro hoc igitur scopo alvum apertam servandi convenit inprimis serum lactis aut simplex, aut cui de Tamarindis ℥j. vel ℥ß. infusa fuerit. it. decoctum Tamarindorum cum passulis, &c. v. g.

℞. Pulp. Tamarind. ℥j.
dissolv. in s. q. seri lactis.
℞. Colatur ℥viij. ad ℔j. S.
Laxier-Tranck / capiatur pro lubitu.

Vel: ℞. Decocti Tamarind. c. passul. ℔j.
syr. rub. idæi ℥j. M. S.
Eröffnender Alterir-Julep.

Quod si vero in principio harum febrium blande purgare, aut primas vias abstergere animus sit, tunc

℞. Pulv. rhab.
crem. ♀ an. ℈j.
scamm. præp. gr. j. M. capiatur in vehiculo calido manè

Vel: ℞. Pulp. Tamarind. ʒij.
rhabarb. ℈j.
scamm. præp. gr. ij. M. F. Bolus. D. S.

Vel: ℞. ☿ii ⊕-lati gr. vij. ad xv.
scamm. ♁at. gr. ij. vel iij. M. D. S.

Item infusum blandum ex foliis senæ cum rhabarb. in principio harum febrium, ubi non nimis celeriter moventur, tuto concedi potest.

V. *In principio saltem* vel venam secare, aut etiam laxativo primas vias stimulare concessum esse dixi, *minus vero in progressu morbi*, id quod erudito discursu pluribus deducit *Ballonius in Bonetti Phar. Med. p. 172.* ubi ostendit, ob vehementiam morbi, & symptomatum in ejus progressu ad remedia, nempe V. S. & purgationem, non statim properandum esse. Rectè. Alterantia enim & blanda diaphoretica saltim conducunt, & quæ symptomata urgentia mitigant.

VI. *Clysmata*, perquam sunt proficua in his febribus, ut alvum continuò fluidam servent, idque præsertim duobus in casibus, 1. si urgent symptomata præcordiorum & abdominis: item si orgasmus humorum ad caput ferri quod-

quodammodo videtur. 2. Si nimia æstuatio & ebullitio fit sanguinis, tunc commodissime applicantur enemata. Conf. *Sydenham. loc. cit. p.27. & 29.* Quibus & adde principium morbi præceps, in quo ante V. S. clysmate alvus eluenda venit.

VII. *Diaphoresis*, ut in omni febre, ita in specie in continuis conservanda libera: Sic enim calor & æstus mitior, & cephalalgia aliaque symptomata minus gravia esse solent. Minus tamen ad sudorem cogendi sunt ægri, præsertim in principio aut incremento, quia tunc temporis, dum adhuc omnia sunt cruda, sine successu & absque εὐφορίᾳ debilitatur æger. Conveniunt aut inprimis diaphoretica salina, terrea; minus volatilia △urea & aromatica, vel resinosa, quia hæc καῦμα nimis incendere solent.

VIII. *Opium & opiata* legitimo usu in febribus ardentibus sunt optima. Docet hoc ipsum *Lindanus*, dum dicit: Si materia peccans turgeat, & orgasmus sit humorum, tunc syrupus papaverinus ad ℥j. optimè convenit. Nobilissimus enim & blandus est, & convenit in febri ardente; cum nitro, vel etiam laud. opiat. usurpari potest. In febribus sane ardentibus motus furibundus optime sedatur laud. opiato, cum tantillo ⊖, sed debet recto tempore exhiberi, nempe si ♎us animalis tenuis & furibundus sit. Consultum est in exhibitione ejusmodi medicamentorum non expectare, donec ♎us jam planè consumti sunt; sed in tempore usurpanda, dum adhuc vires constant, adeoq; urgente nimis æstu, symptomatibus mitigandis, quietem ægro conciliando, & hinc diaphoresin promovendo optima sunt moderatè usurpata papaverina, nam orgasmum humorum nonnihil sufflaminant, & hinc, ut coctio melius procedat, per accidens juvant, & spiritus blande figendo, absumptionem & dissipationem eorum nonnihil præcavent, v. g. imitari possumus *Platerum*, *cent.2. c.49.* dum aliquot causo laborantes cum dolore ventriculi curavit hac potione.

℞. Aquæ scabios. ℥vj.
syr. de papav. nigr. ℥j.
succi limon. ℥ß.
spec. diamarg. frig. ʒj. M.

Vel imitemur *Sydenham*, ad tumultum, ab emetico concitatum, sopiendum, sub noctem, vel hora somni blandum anodynum propinantem e. g.

℞. aq. papav. rhæad. ℥ij.
mirabil.
syr. de meconio an. ℥ij.
papav. errat. ℥ß.
M. F. haustus, *ut habet cit. loc. p.25.*

IX. *Victus* in febribus ardentibus sit tenuis, & cum appetitus ferè semper

 sit

fit proſtratus, minus ad victum cogendi ſunt ægri, nam alimenta aſſumta calore febrili putreſcunt potius, quam digeruntur, inprimis alimenta multum nutritiva aggravant ſtomachum. Melius igitur eſt, ut per aliquot dies jejunent ægri, quia facile ferunt. Nempe, ut rectè hoc urget *Helmont. Tract. victus ratio*, melius eſt ægros ſanos, quam obeſos reddere. Hinc etiam optime notat *Willis*, ſæpius circa victum poſt febrim inſtituendam, recidivæ ſcopulo allidi, ſc. à præpropero carnium & cibi fortioris comeſtu ægri in febrim relabuntur: Cum [illegible]m viſcera ſint debilia, & alimenta, niſi tenuia, non facile coquantur, cumque ſanguinis craſis ſit imbecillior, ut ſuccum nutritium non aſſimilet, ſi alterutri quid improportionatum offeratur, iterum naturæ œconomia pervertitur, & omnia peſſum eunt. Quare à carnibus reconvaleſcentes diu temperent, iisq; utantur demum, non niſi ⊡ fuerit ſanorum ſimillima.

X. In febre ardente ſive continua *Potus* concedendus eſt liberalior, inprimis quo major eſt ſitis, & intenſior ardor, eò liberius indulgendum genio. Recte enim *Paracelſus, Lindanus* & *Langius in Epiſtolis* carpunt eos, qui ægris febrientibus omnem fere potum interdicunt, peſſimo conſilio. Hoc ſaltim obſervetur, melius eſſe, ut frequentius & parcius bibant, quam ut una vice multum ingurgitent. Prius enim ſucceſſivè alterat, poſterius vero tonum ſtomachi labefactat. *In ſelectu potionis*, habenda eſt ratio effervefcentiæ febrilis plus minus temperandæ & ſedandæ, & hinc ſymptomatum, ſpeciatim circa primas vias urgentium, præſertim alvi plus minus clauſæ vel apertæ. Tandem & *conſuetudinis ratio ſimul habenda eſt.* Hinc ſerum lactis bene depuratum, & ſucco citri ad aliqualem gratiam acidulatum, potus revera medicamentoſus exiſtit, modo diarrhæa abſit, ſed potius intenſior æſtus urgeat. Confer *Piens de febb. part.2. p.116.* it. *Septalius in animadverſion. p.98. §.11.* Aliàs *aqua fontana* vel *cerevifia ſecundaria bene pura* cum 5. vel 6. parte *vini tenuioris* miſta, addendo *ſucci cydoniorum*, vel *ſucci ribium* q. ſ. ad gratiam ſaporis, ſuaviſſimum, & acutè febrientibus gratiſſimum potum ſuggerit. *Acida* enim inprimis his in febribus in potu conveniunt, tam *mineralia*, in æſtu nempe nimio ac *cauſo*, quam *vegetabilia*, in æſtu nempe moderatiori. *Decocto hordei* ſub nomine *ptiſanæ* plures utuntur, quod minus approbo, cùm cruditates ſtomachi flatulentas ejusque atoniam inferat.

XI. Veſicatoria, quando & quomodo *in febribus his acutis* applicanda, dum caput & genus nervoſum nimis affliguntur, infra, ubi *de malignis*, exponetur.

Remedia alterantia in his febribus uſitata, vel *ipſum affectum* ejusque *cauſam* materialem occaſionalem reſpiciunt, vel *ſymptomata primaria. Illa* ſunt ⦶. & ⦶*ata*, inprimis ⦶ ♁*atum* & ⦶ ⊖-*latum*, ſive *arcanum duplic. Mynſ.* hinc 🜍*a mineralium fixa*, præſertim ♁*ialia*, v.g. ♁ *diaph.* tam ſimplex quam compo-

compositum, aut ♂iale *Ludovici*, aut ♃ale *Poterii*, sive hujus *antihecticum*, *bezoardicum minerale simplex*, aut ♃. ℥ij. &c.

Hinc *absorbentia animalia*, hisq; cognata *terrea*, v.g. *C. C. sine* △. *hujusq; gelatina*, cujusvis acris temperativa, *ebur sine* △. *maxillæ lucii piscis*.

Corallia præpar. aut *horum cum succo citri Magisterium*, *unicorn. fossil. terr. sigill.* &c. Quin & *salia volatilia C.C.* it. *liquor C.C. succin.* subindè cum aliis fructuosè usurpentur. Hiscè ex *vegetabilibus refrigerantia*, & *hepatica* vulgò dicta, itid. accensenda v.g. *cichorium*, *taraxacon* & omnia *intybaica*, *plantago*, *acetosa*, *portulata*, *fumaria*, *fragaria*, *flores rosarum*, &c. ex quibus & similibus parata *decocta* reperiuntur promiscuè in Practicorum veterum scriptis, e.g. *Sylv. Prax. l. 1. c. 29.* item *Piens de febb. part. 2. c. 2. & 3.* &c. Quò etiam pertinent *sem. frigida majora* dicta, ☍sâ suâ vi blandè temperativa, *emulsionis* formâ quibusdam usitata.

Sylvius l. c. §. 40. *Corrigendæ acrimoniæ bilis salinæ* inter composita conducet *Apozema* sequens in die usurpandum quantitate mediocri & tepidum:

℞. Rad. acetos. cum fol. Mij.
fol. fragar.
violar. an. Mj.
coq. ex aq. hordei ad Colat. ℥xx.
adde syrup. acetos. citr. ℥iij.
⊖. dulcis ℈ß. M.

Ad emendandam bilis oleositatem inflammabilem præscribi poterit sequens *Apozema* similiter usurpandum

℞. Rad. plantag. ℥j.
fol. semperv. maj.
portulac. an. Mij.
coq. ex aq. pura ad Colat. ℥xx.
addendo syr. portulac. ℥iij.
ol. ♀. per camp. parat. q. s. ad acidit. temperat. M.

Ad bilem sanguini penitius immistam denuò ab ipso *secernendam* conferet *Apozema* sequens modo eodem, quo priora usurpatum.

℞. Rad. Tarax. cum fol. Mij.
herb. fumar. Mj.
coq. ex aq. pura ad Colat. ℥xx.
addendo syr. cichor. simpl. ℥ij.
⊖. ♀. ⊖. ʒj. M.

Ad bilem apozemate præcedente aut simili medicamento à sanguine solutam, & ad excretionem dispositam, *sensim & blandè* una cum reliqua in sua vesicula redundante turgenteque, *minuendam evacuandamq;* inserviet præter alia tum

tum *simplicia* tum *composita* sequens *apozema* bis terve in die ad ℥iij, vel jv. tepidè assumendum:

℞. Rad. cichor. ℥ij.
fol. endiv. Mij.
flor. rof. pallid. Mj.
crem. tart. vel tartari crudi ʒij.
coq. in vase fictili vitrato ex
aq. pura ad Colat. ℥xx.
add. syrup. de cich. cum rhab. ℥iij. M.]

Remedia quæ symptomata magis respiciunt, sunt inprimis *acida*, *æstum*, *sitim*, *oris squalorem*, *virium diminutionem* mitigantia. Talia vel ex *vegetabili regno* sumuntur, adeoque *mitiora*: vel *ex minerali*, adeoque *acriora* existunt; *Illa* in æstu minus urgente, *hæc*, ubi intensior æstus, nec subjecto patientis, aliisque circumstantiis proportionatus adest, magis locum habent. *Illa* enim facilius in salsum, temperatum, diureticum in nobis alterantur, *hæc* è contra fixioris naturæ, & quasi firmioris texturæ minus alterabilia sunt, adeoque humores nimis effervescentes, ceu acida potentiora figunt, & indè natas æstuationes aliaque pathemata mitigant.

Vegetabilia usitatiora sunt *succus citri*, *cydoniorum*, *ribium*, *rubi idæi*, *acetosæ*, *tamarindi*, *&c.* Præ cæteris commendabiles sunt hi ipsi per spontaneam residentiam post ♁ationem depurati. *Mineralia* suggerunt ∾*us minerales* tàm simplices, primariò ♁*is*, hinc ⊕-*li*, ⊖, *nitri*, quàm compositos, nempe *clysseos*, ♁*eos*; item illos tàm *acres*, quàm mediante ▽ *dulcificatos*, qui meritò aliis præferuntur. Hæc enim suprema sit lex praxeos, quam sæpius etiam urget *Sylvius*, ut, quantum fieri potest, *temperatis* insistamus, quia etiam naturaliter omnia corporis nostri contenta fluida sunt temperata. Secundò quia remedia intemperata subitaneam nimis inferunt mutationem, quæ nunquam bona. Ex omnibus illis ∾*m* ♁*is*, hinc ∾*m* ⊖. *dulcem* eligerem. Ex quibus plures formulæ in incremento & statu proficuæ concinnari possunt. v.g.

℞. arcan. duplic. gr. xvi.
♁ diaphoret. ℈ß. M. pro dosi.

Pulvis hic ita compositus interdum nonnihil laxare observatur.

℞. ♁. ⊖ trat. sive ⊖. ♁ial. ʒß. ad ℈j.
♁ diaph. ℈j. M. pro 2. dos.

Vel ℞. Ebor. sine igne
antihect. Poter. an. ℈ß. ad gr. xv. M. pro dos.

Vel ℞. C. C. sine igne gr. xv.
bezoard. min. vel ♃al. ℈ß.
camphor. gr. j. vel ij. M.

Vel

Vel ℞. C.C. sine igne gr. xv.
♁ diaph. ℈ß.
⊖ volat. C.C. gr. vj. M. pro dosi.

Item ℞. Ebor. sine igne
unicorn. fossil.
Cinnabar. ♁ ij an. gr. viij. M. pro dosi.

Vel ℞. Aq. taraxac.
card. bened.
flor. acac. an. ℥j.
Gelatinæ C.C. ℥j. ad ℥jß.
C.C. sine igne ℈j.
♁. diaph.
antihect. Poter. an. gr. xij.
syr. portulac. ʒvj. M.

Vel ℞. ▽. rubi idæi ℥jß.
— taraxac. ℥j.
succi ribium vel rubi idæi ʒvj. ad ℥j.
♁. diaph. ʒß. ad ʒj.
∽. ⊖. dulc. q. s. ad grat. sap. vel ʒj. ad ʒjß. M.

Item ℞. ▽. taraxac. ℥iiij.
Tinctura flor. bellid. ʒjß. ad ʒij.
CC. sine igne ʒß.
antihect. Poter. ℈j.
syr. papav. rhæad. vel papav. alb. ℥j. M.

Vel, ubi magis *acrimonia Salina* peccat:
℞. Sem. 4. frig. maj. an. ʒjß.
papav. alb. ʒij. c. s. q.
▽. flor. papav. rhæad. F. Emulsio, adde
Ebor. sine igne ℈ij.
♁. diaph. ℈j.
sacch. parùm, M. capiantur subindè cochleatim.

Aliàs acida ista ferè sub *Juleporum* forma sive titulo imprimis præscribuntur. v.g.
℞. Flor. bellid. rub.
rosar.
tunicarum an. Mß. infunde in aq.
comm. Mens. jß. aciduletur parùm ∽ *sulphuris* per campanam, stent in loco tepido ad extractionem Tincturæ,
℞. Colaturam, adde

 syrup.

syrup. rubi idæi, vel rosarum. rub. vel violarum.
q. s. pro grato sapore.

Confer. *Sylvius. l. 1. prax. c. 1. §. 13. & 29. §. 47.* [Ibi hæc habet in *cap. de siti læsa.*

℞. Aq. hordei ℥xxx.
flor. ros. rub. ℥ß.
spir. ⊕. q. s. ad grat. acidit.

Stent in aquæ dulcis vel arenæ balneo per horas 3. aut donec rubello colore tincta sit aqua, *Rosarum Tinctura* dicta, cui colatæ affunde

Syr. jujubini ℥iij.
M. & F. Julapium gratissimum.

Si quis ab acidis abhorreat, vel lædatur, sequenti utatur:

℞. Aquæ decoctionis hordei ℥xx.
cinam. ℥j.
syr. violar. simpl. ℥ijß.
lap. prunellæ aut nitri sola solutione & coagulatione depurati ʒj. M. Dosis haustus mediocris.]

Decoctum herbæ & radicis acetosæ elegantis & coloris & grati saporis, cui vel *succi acetosæ* expressi & asservati, vel *succi ribium* per se asservati & *syr. violarum* pro lubitu addatur ad gratiam saporis, usurpetur pro *Julapio.* It.

℞. Decoct. hordei ℔j.
alterant. usit. ℥iiij.
syr. de succo ceras.
ribium an. ℥jß.
spir. ⊕li q. s. pro grat. sapore.

Vel quod melius:

℞. Decoct. rad. scorzoner. cum CC. ℔j.
syr. acetosell. de nymph. an. ℥j. ad ℥jß.
Tinct. ros. violar. an ʒj ß.
spir. ♀. parùm. M.

Item ℞. ▽. fontan. ℔j.
syr. rubi idæi ℥jß.
papav. alb. ʒvj. ad ℥j.
spir. ⊖. dulc. ʒj. ad ʒij. vel q. s. M.

Pertinet huc *decoctum*, quod *alterans* in *Causo*:

℞. Rad. scorzoner. ℥j.
glyzyrrh. ℥ß.
fol. acetos. M. j.
flor. violar. ros. rubr.

borrag.

borrag. an. p. ij.
hordei ſelect. Mj.
raſur. C.C. ℥j. ad ℥jß.
paſſul. mundat. ℥j.
coq. in ſ. q. aq. ſimpl. ℞. Colat. ℔iiij. adde
🜍 ⊖ parum, q. ſ. ad æqual. ſapor. gratiam; M. de quo
æger ſubindè capiat.

Par, quoad *medendi methodum*, ratio eſt *continuarum tertianarum*, cùm & eadem omnia locum habeant remedia, ſaltem, quòd in his ad *exacerbationum viciſſitudinem* magis reſpiciendum ſit, adeoque ubi *præmittenda præmiſſa* fuerint, *abſorbentia* illa & *alterantia* ſupra laudata, in ſpecie ⦶. ⊖-*latum*, *corralliata*, *lapid. cancr.* & *antihect. Poterii*, imminente quaſi paroxyſmo in ſpecie uſurpanda ſint, conſervando corpus in diaphoreſi blanda, alvumque liberam retinendo, aliaq; pro ſymptomatum tam præternaturalium quam nonnaturalium varietate debitè præſtando.

Eadem ferè de *Semitertianis* aliisque ſimilibus *compoſitis & complicatis* variè *febribus* dicenda veniunt. Sunt autem omnes periculoſæ *ſemitertianæ* & nunc magis, nunc minus *acutæ*, pro varietate nempe complicationis & compoſitionis variæ, unde & cura ſpecialis pro harum varietate varianda, attendendo, an *benigna* magis, an *maligna* fuerit eadem: An *ſimpliciter febris compoſita* ſit. An vero *cum inflammatione partis cujuſdam* vel nobilioris, vel ignobilioris, ſenſilioris, vel minus ſenſilis juncta: quò nobilior aut ſenſilior pars inflammata fuerit, eò auctus magis & periculoſus erit affectus, & cui altiori ope ſuccurrendum. *Lenta* itidem ſi *intermittenti* juncta fuerit, pro ratione originis *lentæ* & *prognoſis* & *cura* nonnihil modificanda. Adeoque ea quæ de *intermittentibus & continuis* monita fuerunt, & de *lentis* & *malignis* infra monebuntur, aut de *inflammationibus* ſuo loco dicentur, ea & *ſemitertianis*, prout ad unam vel alteram talium prius accedunt, accommodanda erunt. *In genere rigorem & horrorem* tollent *abſorbentia*, *alcalia*, &c. *æſtum* vero eadem diaphoreſi & alvi libertate juncta. Siſtatâ periodo recurrant paroxyſmi, *ante exacerbationem* poſſunt remedia propinari.

Vomitoria in plerisque ſunt optima, ſicut ſi *cum inflammatione* juncta, *diaphoretica & ſudorifera*, cum *lentis* vero, *ſalia abſtergentia* & *incidentia*, ut *ſal armon. arcan. duplicat.*

Quoad *differentias continuarum* ſupra recenſitas *Caſus* nil ſingulare obtinet in cura, ſaltem quod ⦶ *ata*, tàm *ſitis* quàm *æſtûs* ratione imprimis conveniant, ſive in forma ſicca in potu diſſoluta uſurpentur, ſive 🜍 ⦶ *ſimplex*, aut potius *dulcificatus* in potionibus aſſumatur, v. g.

♃. ⦶.

℞. ⦶. ♁iat. ʒij. D.

Diſſolvatur in Menſura vel cereviſiæ, vel potus ordinarii, ita ut ℥ß. liceat dare die naturali, niſi liberior alvus obſtiterit. Quòd ſi accidat, ut dato *nitro* cum tanto ardore non mittatur urina, & liberalius accidat mejere, bono animo eſto, dicit *Lindanus*. ⊶ ⦶*i* in *Julepis*, it. in *potionibus*, quarum formulas ſupra dedimus. In hoc paſſu bonum etiam eſt remedium *laud. opiat.* ſi tempeſtivè & prudenter exhibeatur, omnem caloris vim refrænabit.

Lipyria febris ut plurimum periculoſa, admodum *inflammationum Eryſipelacearum* partes internas occupantium, curanda per *diaphoretica* tam *abſorbentia*, quam *volatilia alcalia penetrantia & diſcutientia*, quam medendi rationem infra, ubi *de inflammationibus*, in ſpecie ubi *de Pleuritide*, habebimus.

Prunellam cum febribus junctam præter apertionem maturam *venarum raninarum*, in hoc ſymptomate ſpeciatim convenientem, promovent *oris lotiones* tam cum, quam ſine gargariſatione; cujus formulæ v.g. fit præſcriptio à *Sylvio lib.* I. *prax. c.* 29. § 86.

[℞. Fol. prunell.
ſalicis
fragar. an. Mj.
hordei integri p.j.
F. decoctio in aq. pura
in Colatur. ℥xij. diſſolv.
diamor. ℥j.
lapid. prunell. ʒß. M.F. *Gargariſmus*, quo tepido ſæpius os colluat & gargarizet ægrotus.]

Item ℞. Sem. pſyll.
cydon.
malv. an. ʒij.
c. ſ.q. aq. ſpermat. ranar. extrahatur mucilago.
Mixtur. ℞. ℔ß.
de qua, quantum ſufficit, in ore ſubindè detineatur.

Confer, quoad has formulas, *Miſcell. A. N. C. Ann.* 8. *pag.* 123.

Item ℞. Mucilag. ſem. cydon. cum aq. rubi idæi extract. ℥iß.
ſyr. portulac. ʒvj.
⦶ parùm, M. detineatur in ore.

Item *ſuccus* ♋. *fluviatil. contuſ. expreſſ.* perquam egregius in hujusmodi *faucium affectibus* eſt, vel ex ♋. *fluv.* in mortar. cum pauco *aceto* contuſis, poſt lenem factam expreſſionem, addatur huic *ſucci ſedi Maj.* ℥iij. M. & hoc ipſo liquore fricanda lingua.

Aut

Aut ℞. aq. ſemperviv. maj. ℥ij. vel iij.
mucilag. ſem. cydon. cum ſperm. ran. extract. ℥j.
nitri depurati ʒj. M.

Aliis palmam præripere dicitur, ſi
℞. ſempervivi maj. q. v. & contuſi, tunc
℞. ſucci ſemperviv. maj. ℔ j. cui adde
ſal. armoniaci ℥ß. diſſolvantur & ita invicem deſtillentur, quâ ipſa aquâ fauces eluantur aut humectentur, cujus defectu

℞. aq. ſemperviv. vulg. cum ſucco præparat. rec. impraegnati & in ejus ℔. j. diſſolv. ſalis armoniaci ʒj. & dicto modo adhibeatur. Alioquin obſervavi in morbis malignis, dum fauces ſunt ſiccæ & aridæ, ſine cruſtæ pituitoſæ præſentia, optimum fuiſſe remedium *aqua commun.* ℔ ß. *mell. commun. cochl. j. vel ij. ſpir. vini* Rhenani rect. ℥j. vel ℥ iß. miſta uſurpentur pro *oris collutione.* Si poſt tales *oris collutiones* in graviori malo mox lingua denuò areſcit, tum nil melius eſt, wann die Zunge von der Hitz gantz verbrand wäre / daß es keiner collutioni weichen wolte. ℞. *Fruſtulum lardi non ſaliti*, vel ſi ſalitum fuerit, in aqua prius macerati, hujus fruſtulum unum imponatur linguæ, & ita aliquandiu detineatur, emollitur exinde lingua, & interdum cruſta quaſi coriacea ſeparatur. Loco *fruſtuli lardi* contra talem *linguæ ſcabritiem* alia pinguia, v. g. *butyrum non ſalitum* itidem commodè uſurpari poteſt.

Malignarum febrium curam ſuo loco infra tractabimus.

Delirium in febribus & ejusmodi ambulones, *agrypniam* & *cephalalgiam* curant *præſervativa*, inprimis *blanda anodyna* aut *opiata*, cum aliis *appropriatis* cautè & circumſpectè uſurpata. Quòd ſi caput affligi in ſpecie innoteſcat ulterius ex eo, quod circa frontem intenſior æſtus quàm circa reliquas corporis partes ſentiatur, *venarum raninarum* apertio ſubinde proficua exiſtit: Ac ſanè in *morbo* dicto *Hungarico* ſeu *febri caſtrenſi*, In der Soldaten, oder Ungariſchen Kranckheit / earum ſectio & ratione junctæ *prunellæ* & ratione *capitis pathematum* ſummè proficua exiſtit. Quarum loco, & tali in ſymptomate imminente, aut gravius urgente, cætera ſi reſpondeant, *venæ frontis* ſectio à quibusdam inſtitui ſolet.

Forſan ubi ſub *agrypniis* aut *Cephalalgiis*, item *frontis æſtuationibus* periculum *delirii* immineat, *hirudinum* ponè aures *applicatio* non inutilis foret, cùm aliàs in *febribus ardentibus* etiam periculoſiſſimis obauditio ſuperveniens bonum ſignum eſſe ſoleat, propterea quia ex decubitu aliquali fermenti febrilis, ſeu ut aliàs loquuntur, materiæ peccantis ad glandulas parotides cæteræ partes allevian- tur. Præter dicta iſtis in capitis pathematis epithemata non rarò fructuosè, ſed calidè, aut ſaltem tepidè applicantur. Obſervandum autem, quod ejusmodi epithemata etiam tempora ſimul tegere debeant, ita ultra arterias ibidem pulſantes pergant. v. g.

℞. aq. flor. sambuci ℥ij.
apoplect. usit. ℥ß.
Philon. Rom. ʒj. M.

item ℞. aq. flor. sambuci.
chamæm. an. ℥j.
apoplect. usit. ʒiij.
spir. vini camphorat. ʒj. M.

item Epithemata ex *succo cancr. fluviat.* commodè applicantur: vel hujus loco:

℞. sem. papav. albi ℥ij.
Nucl. Persicor. ʒij. vel iij.
aq. sperm. ran. ℥iij.
sempervív. maj.
solan. an. ℥ißß.
F. Emulsio, adde
Camphor. gr. viij. vel x. usurpetur pro *Epithemate*.

Huic dimidium vel ana *succ.* ♋ *fluv. recent. express.* permisceatur, & ita crebrius fronti applicandum.

Tandem & ea, quæ *pedum plantis* applicantur, tam ad æstum temperandum, quàm illa capitis symptomata mitiganda, in casibus, in quibus nulla ad cutim excretio futura speratur, aut expectatur, conferunt, v. g.

℞. rut. recent. M. iij.
radic. raphan. inciss. N. iij.
sal. comm. M. j.
fermenti acerrimi M. ij.
c. s. q. aceti rutac. F. *Cataplasma* pedibus ita applicandum.

Alii stomacho *radicem raphani* in taleolos incisam, pedibus sale & aceto probe prius mundatis, apponunt. Quidam etiam occipiti applicant. *Raphanus* enim irritando successivè quasi attrahendo derivare videtur.

Pauperiores saltem recipiunt *limum recentem*. Hunc *aceto* probè permistum, nudis pedum plantis applicant. Quin & *fermentum pistorum acre, aceto & sale* nonnihil subactum, ita nudis pedibus applicari potest. Quin & si impetuosior raptus quasi ad caput metuatur, in specie ubi excretio quæcunque inprimis cutanea suppressa, ista capitis symptomata inferunt, *Vesicatoria*, femoribus vel brachiis applicata, conducere arbitror.

Quoad *colliquativas febres*, in his ad *acre colliquefaciens* inprimis respiciendum, ut hoc corrigatur. Si enim hoc neglecto, excretiones saltem, quæ tantum producta sunt morbosa, respicere velis, hasque supprimere, retentis iisdem, mille malis mulctabis ægrum. Ad acre aut illud temperandum vix

vix aliquid convenientius esse videtur, quàm *absorbentia*: v.g. *Antimon. diaphoretic. ✠iat. terra sigill. unicornu fossile* &c. Quæ eò videbuntur efficaciora, si sociatione blanda *acidorum* aliqualem quasi austeritatem contraxerint. Hinc enim *Sylvius spir. salis dulcem c. 29. §. 92.* laudat. Forsan & quodvis *acre temperans* hîc locum habebit. Inter *composita Diascordium Fracastorii*, juncto *succo citri* propinatum, præ aliis conducibile videtur. Sufficiant hæc de *Continuis acutis*, sequuntur

CONTINUÆ LENTÆ.

Continuas acutas hactenus consideravimus, easque *benignas*: pergendum ad *continuas lentas*, ita dictas, quod tardiori motu sua absolvant tempora, minusque urgentibus febrilibus stipatæ sint symptomatis, calore in specie minus vehemente sive intenso, utut plus minus acri, mordaci molestæ: idque nunc magis nunc minus tales: *illæ* magis propriè ita dictæ, German. eine schmochende Hitze / ita à comite frequentiori, nempe contabescentia corporis, ein schwindsüchtig Darr-Fieber vocantur: *hæ* enim *minùs lentæ*, & nonnihil ad *acutarum* naturam accedentes, graviora ferè symptomata juncta habent, adeoq; brevius tempora sua, absque tamen critico motu, successiva saltim solutione percurrunt, quales *continuæ quotidianæ* in specie dictæ. Sunt enim *lentæ omnes benignæ*; *malignæ* aut *acutæ* esse solent, utut petechiales præ cæteris lentæ esse videantur.

Porrò hæ *lentæ* nunc sunt *primariæ*, nunc *secundariæ*: *illæ* per se incipiunt, & nullum alium morbum sequuntur: *hæ* verò ex alio fiunt morbo sive ab alio, tanquam à sua causa immediatè dependent; v. g. quæ vulgo corruptionem partis cujusdam internæ sequuntur, item *Febres catarrhales* dictæ, &c. sive ab alio morbo malè tractato per illius degenerationem fiant, adeoque tunc tanquam *primariæ* per se subsistant, quales sunt, quæ *continuas acutas*, item *intermittentes* malè curatas insequuntur, suntque *omnes febres lentæ* ferè *periodicæ*, hoc est, quæ suis plus minus periodis certis exacerbari solent, idq; *vel* (frequentius quidem) vespertino tempore, sicque *quotidianæ* typum repræsentant, *vel* ab omni pastu; tuncque ad *hecticas* ferè revocantur. De his singulatim.

Quoad *Lentas primarias*, *horrore* levi sed diuturno ferè ægros apprehendunt, insequente quidem *calore* continuo, sed non adeò intenso sive vehementi, prout in acutis, utut subinde mordaci, plus minus acri, interdiu tolerabili, sive mediocri, sed qui vesperi intenditur, & usq; post mediũ noctis graviter urit, & absque sensili quadã excretione solvitur, *pulsus* continuò celer, frequens, magnitudine & vehementia moderatus, ad parvitatem tamen declinans, *appetitus* nullus, *sitis* in-

intensa, *os* glutinosum, *urinæ* crassæ intensius tinctæ, quæ facilè turbantur, & subindè multum crassamenti seponunt, adest simul *lassitudo* totius quasi contundens, cum *lancinationibus artuum* subinde juncta, interdum etiam *cephalalgia* tensiva & gravativa molesta esse solet. Pluribus ad *acutarum* naturam accedere hujusmodi *lentas*, non solùm ex hactenus facta relatione patet, sed in specie, quod *acutæ continuæ* & etiam *intermittentes* in *lentas* tam has, quàm alias facilè degenerent, quin & in *hecticas* transeant.

Nempe, *acutæ illæ* ex concitatiori fermentationis febrilis impetu, occasione acrioris & volatilioris acidi in sanguine acriori, (cæteris hinc derivatis humoribus & ipsis acrioribus existentibus) originem ducunt: *Lentæ* ècontra ex remissiore illo impetu, ab acido minus acri, aut in subjecto seu vehiculo viscidiori ac glutinosiori hærente, ipsis corporis humoribus cæteris temperatioribus, plus minus ac glutinosioribus, vel naturaliter vel præternaturaliter existentibus.

Observandum enim est probè axioma: Chronicos, contumaces, diuturnos ac *lentos morbos*, ex *viscida*, *glutinosa ac tenaci materia*, vel tanquam proxima occasionali causa, vel tanquam fomite dependere; *acutos* verò & cum corporis perturbatione junctos ab *acriori causa occasionali materiali* originem ducere.

Ortus ergo *lentarum harum febrium primariarum* erit *vitium & defectus digestionis primæ* dum ex inertiori aut alterato fermento digestivo (undecunque id vitii ortum fuerit) & bile quoque mitiori minusque acri, chylus minus volatilis, vitioso tamen acido sapore inquinatus massæ sanguineæ instillatur, quo ipso successivè fomes febrilis supervenit, (unde à sanguine pituitoso, sive pituitâ acidâ oriri continuas quotidianas asseruêre Veteres) salubriter cessans, dum illo fermentationis motu depurat massa sanguinea, & quidquid heterogenei permistum fuerit, coxerit & præcipitaverit, ut cum urina, vel successivis sudoribus eliminari queat. Cùm verò chylus talis juxta sanguinem etiam lympham totius corporis insigniter alterare soleat, utpote in qua lympha naturaliter gelatina lactea seu chylosa deprehendi solet: &c. Sanè talis plus minus alteratio, ac debitis usibus exsequendis hinc necessaria ineptitudo lymphæ fovere saltim febrim, & nonnullorum in eadem symptomatum originem esse, probabile admodum videtur, adeoque revocanda huc veniunt ea, quæ de *febribus lymphaticis* eruditè disserit *Sylvius l.1.c.29.* Sanè *exacerbatio vespertina*, & *calor* circa idem tempus ibidem gravior, *ex lymphæ alteratione* illa primariò oriri videtur, cùm quilibet à lympha orti affectus circa vesperam & appetente nocte ferè magis intendi soleant, ut in *febribus catarrhalibus*, simpliciter ex lymphæ vitio natis, manifestum est. Ratio hujus intricata est; forsan, conniventibus circa id tempus nonnihil corporis poris, uberior transpiratio impeditur, unde lymphæ aut copia aut acrimonia augetur, aut textura seu constitutio ejus plus minus vitiatur &c. *Lassitudo* itidem ista *contundens*, & plus minus *lancinans*, *ex lympha* derivanda

venit,

venit, cùm lancinationes hæ in artubus ferè semper sequantur lymphæ vel in motu, vel in constitutione vitia. Observantur nonnunquam in *intermittentibus*, item *continuis* eædem; sed tunc fere semper *scorbutus* subesse solet, & inde lymphæ præternaturalis alteratio.

Ad has *lentas febres* pertinet & ista, quam veteres *Galeni* sectatores *Epialam* appellârunt, *in qua ægri simul calent & frigent*, vel ut alii, *in qua interiora algent & exteriora fervent*. Hanc cum *quotidianis* coincidere, & ex *cruditate pituitosa primarum viarum* oriri putat *Ballonius in Bonetti Phar. Med. p. 203.* Sed meritò fictitiam his modis definitam Galenicorum asserit *Lindanus*, qui hoc nomine nil aliud, quàm *febrim mollem*, sive *continuam*, *homotonon*, *cum calore leni, humido ac molli* intelligit; id quod & appellationis ratio insinuat, de qua vide *Piens de febb. part. 2. p. 91.* Quòd si unquam talis observetur febris in qua calor & frigus coincidant, placet præ aliis *Plateri* assertio, *Epialam* non continere febris peculiarem speciem, sed esse symptoma vel intermittentium copulatarum, cùm horror alterius febris supervenit calori alterius, antequam dissolvatur, quod *per subintrantiam* vocant, vel intermittentium cum continuis junctarum, cùm calori continuo misceatur horror intermittentium. Vid. *Plater. tr. 2. pr. p. 56. & 29.* & ex eodem *Piens.* citato loco. Simile quid interdum apud puerperas aliosve ægros *purpurâ* affectos videre est apud nos, in quibus ante purpuræ eruptionem, urgente licet æstu, tamen si tantillam partem quandam extra lectum proferant, mox horroris sensum in corporis peripheria, interdum sub ipsis quoque lecti integumentis, percipiunt, dum scilicet acriores particulæ salinæ, sub corporis communibus involucris delitescentes, & jamjam excernendæ, vellicatione sua talem horroris sensum circa panniculum carnosum inferunt.

Referuntur huc à quibusdam etiam *febres syncopales*, *in quibus ægri animi deliquio frequenter corripiuntur*. Symptoma tamen hoc non *continuis*, plus minus *lentis*, adeò proprium est, quin & *malignis* non rarò superveniat, quin & in intermittentium paroxysmis subinde observetur. Unde etiam ad *intermittentium differentiam* hanc referre visum fuit *Sylvio lib. 1. prax. c. 30. §. 104.* De cætero quibuscunque etiam febribus syncopæ tales supervenientes videntur esse *stomachicæ*, atque vel occasione muci vitiosi, superius ventriculi orificium obsidentis, & vitioso sapore illud crebrius irritantis; *vel* ex aliquali humore plus minus æruginoso in ventriculo contento originem ducere: de quibus supra, ubi de *Lipothymiis*.

Quoad *Prognosin*, *continua quotidiana*, quò magis vel minus diuturna esse solet, difficilis tamen ferè curatu, nec semper omni periculo vacans est. Quò pejora etiam habet symptomata, eò periculosior esse solet. Hinc *Syncopalis* quæ

quà talis non eſt abſque periculo: conſiderandæ tamen & cæteræ circumſtantiæ. *Paroxyſmi veſpertini* ſi ſint *longi*, cùm interdum ad 16. horas extendantur, *virtus debilis* & *appetitus proſtratus*, ingens periculum ſubeſt. Salubris *hæc febris*, niſi cautè curetur, nunc in *cachexiam*, ſi nempe *acuta* magis nonnihil fuerit, nunc verò in *hecticam*, ſi *lenta* magis extiterit, terminari ſolet. *Epiala lenis* eſt *absque periculo*, ſed *diuturna*, & quæ facilè in *hecticam* terminari poteſt.

In *Cura* 1. *Fermentum acidum* corrigendum. 2. Vehiculum ejus aut fomes ferè *pituitoſa*, *cruditas acida*, removenda. 3. *Symptomata* mitiganda.

Pro his ſcopis conſequendis obſervetur I. tam in principio, quàm incremento hujus febris *mitius vomitorium* optimè locum invenit, præſertim ſi vires ſimul conſtent. II. *Diuretica*, quia ſimul ſunt *alterantia*, optimo ſucceſſu applicari poſſunt, nempe ut loquuntur *Practici*, præmiſſis præmittendis, fundunt atque attenuant ſanguinem, & ita reſtaurant plus minus naturalem ejus fermentationem, ſimulque craſſa crudaque excrementa. Si quæ circa primas vias aut aliis in locis reſtiterint, diſſolvendo abſtergunt, & remotioni aptiora reddunt.

II. Remedia itaque, hac in febre proficua, ſunt *ſal armoniac. nitrum antimoniatum*, *Tartarus vitriolatus Tacken. Anti-hectic. Poter. terra fol. Tartari*, ejusque liquor, *ſpir. ſalis dulc.* &c. Hinc

℞. ✳ depur. ℈j.
antiheсt. Pot. ℈ß. ad gr. xv. M. D. unâ vel duabus vicibus, præſertim ante exacerbationem.

Vel: ℞. aq. hyſſop.
Card. bened. an. ℥jß.
♎ theriac. ſimpl. ʒiij.
♎ ſal. dulc. ʒß. ad ʒj.
ſyr. de hyſſop. ℥ß. M.

Epialæ ſpecialis cura ex ejusdem origine aut generatione facilè haberi poteſt.

In Syncopali habenda ratio cauſæ. Hinc *unicornu verum* maximè *Foreſto l. 3. obſ. 19. Schol.* prodeſſe dicitur, *cum vino* in paroxyſmi principio, tempore Syncopes propinatum. Nempe ubi acres aut æruginoſi ſucci ventriculum lancinârint; Sic *Zacut. Luſit. l. 3. prax. obſ. 22. febrem* refert *ſyncopalem minutam ſive mollem*, obſtinatam, cum nulla proficerent, per ▽ *cum tamarindis decoctam* aliquandiu continuatam, refert curatam. Nempe ubi nidoroſi acres ſucci, ſimiliave contenta in ventriculo hęſerint.

Aliàs nota ſunt ♉*oſa volatilia* vel *alcalia*, vel ♀*ea* ſeu *inflammabilia* ad *ſyncopes* curam, ubi nempe *viſcidum* plus minus *flatulentum*, in cauſa fuerit. Non inconcinnum tamen eſt hîc monitum *Ballonii in Phar. Med. p.* 211. §. 85. Lipothymia interdum præcedit febrim; Medici territi iſto ſymptomate ad *cardiaca* properant, cùm potius ad *purgans medicamentum* ſtatim ſit veniendum.

Ut

Ut res clarior fiat, exemplum quotidianæ *continua* minus lentæ, ſed ad *acutas* nonnihil accedentis narrabo. Virgo annorum octodecim, & cui diffi-culter fluere ſolebant menſes, negotiis domeſticis adſueta, nec adeò ordina-tâ utens diætâ, conqueritur de *laſſitudine artuum ſpontanea* quaſi *contundente*, cum *cephalalgia intenſa* & ſibi pedetentim aucta. His aliquotdiebus perſi-ſtentibus corripitur aliquando à meridie *horrore mediocri* per aliquot horas, quem inſequitur nox gravis cum æſtu ſatis *intenſo*, *cephalalgia graviſſima*, *an-guſtiis præcordiorum gravativis ſine ſomno*. Manè melius habet, cephalalgia to-lerabilis, calor moderatus, ut reliqua ſymptomata: ſed à meridie, appetente veſperâ, omnia ſenſim exacerbantur. Nox inſequitur iisdem ſymptomatibus ac antecedens gravis. Sequenti manè omnia denuò remiſſa & mediocria. Me-dicus à meridie vocatus, offendit ægram viribus adhuc conſtantem, de *cephalal-gia* & *laſſitudine artuum* præſertim conquerentem: *calor mediocris*, naturali ta-men intenſior, isque *continuus*, *pulſus celer*, *frequens*, magnitudine & vehe-mentiâ *moderatus*, *ad parvitatem* declinans; *appetitus nullus*, *ſitis intenſa*, po-tum cereviſiæ conſuetæ horret, aquam appetit: *Urina turbida*, *craſſa*, *intenſius nonnihil tincta*, *fauces & lingua* ſalivâ viſcidâ moleſtata. Præmiſſa *venæ ſectio-ne* partim, ut adſtantium poſtulatis ſatisfieret, partim quia menſes non benè flu-xerant, per aliquot dies varia tentabam, fruſtra omnia. Tandem *cruditatum pituitoſarum*, in primis viis deliteſcentium, ſuſpicione commotus præſcripſi:

℞. Aq. menthæ ℥ß.

Syr. emetic. *Sal.* ʒiij. cepit, ſed ſine vomitu, aliquot ſeceſſus admodum torminoſos habuit, ſed cum tanto levamine, ut cephalalgia & æſtus penitus evanuerint, nec redierint, hinc:

℞. ✳ ℈ij. D. pro 2. doſ. manè.

item ℞. ✳ci ℈j.

arcan. duplic. ℈ß. M. pro una doſi ante conſuetum exacerbatio-nis tempus aſſumenda.

item ℞ ∽∽✳c. ℥ß. Doſ. 30. gutt. bis in die, qui curam abſolvit.

Supra dictum fuit, extra *lentas primarias* etiam *ſecundarias* dari, ex aliis mor-bis, quocunque errato non ritè tractatis, enatas; & tunc tanquam primarias ſo-litariè exiſtentes. Non rarò tales in praxi occurrunt, & frequentiùs *febres* vel *continuas acutas*, vel *intermittentes* inſequuntur, quando *præcipitantium*, ut vo-cant, ſive *abſorbentium* abuſu nimio (oder wann ſie bald vertrieben werden) aci-dum morboſum fermentum præmaturè figitur, ac quaſi retunditur, & hinc, ceſſante ſanguinis ebullitione febrili, heterogeneæ copioſæ particulæ, aliàs præcipitandæ ſive concoquendæ, retinentur in ejus maſſa, quibus ipſis & ob-ruuntur ejus particulæ ſalinæ activæ, fermentativæ, & inertes quodammodo evadunt,

evadunt, & lympha simul, speciatim glandularum conglomeratarum, v.g. salivalium & pancreatis vitiatur & glutinatur, subindeque salsior evadit. Quibus occasionibus *febres lentæ continuæ* oriuntur cum *calore mediocri*, ægro interdum *vix adeò sensili*, nisi, ubi suas *exacerbationes* habent: easque utplurimum *vespertinas*, in quibus subindè *intensior & mordax satis* percipitur, *pulsus continuò celer, frequens, mollis*, magnitudine ac vehementia *moderatus*, *ad parvitatem* declinans, *vires prostratæ*, *appetitus nullus*, *os glutinosum*, ex quo copiosa viscida subindè rejiciuntur, *molestia præcordiorum gravativa. fluxus alvi*, subindè *materiæ liquidæ* quasi *pituitosæ*, nunc cum, nunc sine *lancinationibus intestinorum molestis*. *Urinæ crassæ, copiosum, crassum albidum* seponentes *sedimentum*, excernuntur, &c. & sanè plura in his febribus observantur symptomata, quæ eruditè *Sylvius* sub *febre lymphatica salivali & pancreatica* explicat *l.* 1. *prax c.* 29. §. 13. & 14. Superveniunt quoque tales *febres lentæ* supradictis febribus, si post has curatas ægri avidius alimenta ingerant, quo medio, ut non rarò recidivam sibi conciliant, ita, ubi depauperata magis fuerit massa sanguinea, *ex copiosiore & crudiore chylo, non ritè assimilabili, lenta* saltim *febris* gignitur. Nec solis febribus, sed etiam aliis affectibus, ex acido viscido plus minus natis, in quibus vel intempestivè movetur camarina, & hinc in massam sanguineã & lympham derivatur; vel non debitè evacuatur, de facili *lentæ* tales, quasi *hecticæ*, plus minus superveniunt *febres*, pro quarum tamen omnium cura *acido-salsi peccantis correctio temperando*; *viscidi attenuando, incidendo*; & ejusdem *excretio, vomitum, alvum, urinam* vel *sudorem ciendo* indicatur, prout hoc ipsum ex exemplis allegandis clarius patebit.

Juvenis 15. vel 18. annorum laboravit *febre tertiana intermittente ordinaria*, quâ ferè sublatâ, *concidit appetitus*, omnia *assumta* etiam potulenta *alieno sapore* videntur imprægnata, & ipse *gravamen* quoddam, *angustias & pressiones circa præcordia* sentit. Assumto ergò *vomitorio* rejecta copiosissima viscidissimæ materiæ saburra: omnia hæc symptomata cum ipsa febri omninò evanescunt: sed brevi post, cùm strenuè ederet, denuò eadem patitur in præcordiis symptomata, repetito vomitu eadem excrementa, eaque in magna copia rejecit, sed subsequitur *calor insignis* vesperi & noctu, usque post meridiem alterius diei graviter affligens, cum *virium imbecillitate*, *capitis dolore gravativo*, *procumbentia in somnũ, appetitu dejecto, salivâ crassâ & viscidâ* os & fauces subindè *agglutinante & infarciente.* Calor à meridie remittebat, sed post cœnam recurrebat, per noctem affligebat, donec à meridie remitteret. His benè pensitatis *febrim quotidianam lentam* & quasi *lymphaticam à Sylvio* appellatam esse, suspicatus sum, & quidem non tam ex lympha pancreaticâ, cùm nulla essent abdominis symptomata, & æger quotidie alvum exoneraret, quàm ex *lympha reliquarum glandularum*, quæ crassa, viscida & acida præternaturaliter reddita, unde

unde & saliva simili vitio affecta, oris & stomachi symptomata ista inducat. Hinc

℞. Antihectic. Poter. ℈ß.
⊖ ☿iat. gr. viij. M. D. in duplo.
mané & vesperi dosin unam. Aliquantulum profuit
℞. aq. menth.
fœnic. an. ℥jß.
spir. theriac. simpl. ʒjß.
oxymell. squillit. ʒvj.
spir. sal. dulc. gr. xv.
syr. de hyssop. ʒiij. M. D. capiatur cochleatim.

Sed æger, dulcedinem potionis nauseans, de novo copiosa, crassa, viscida, mucilaginosa rejecit. Hinc, ut cruditates viscidæ melius attenuarentur, & stomachus corrigeretur:

℞. ✻ci depurat. gr. xv. D. in duplo; quod optimè profuit.
℞. ✻ci depurat. ℈j.
Antihect. Poter. gr. xvj. M. d. in duplo.

Similis *lenta* erat *febris*, quæ sequebatur post *tertianam legitimam*, per pulveres fixos sive præcipitantes obrutam vel quasi curatam: Sed supervenit successivè *calor mediocris*, sed *lentus*, *continuus*, *pulsus celer*, *frequens*, *mollis*, magnitudine *moderatus*, *appetitus ferè nullus*, cerevisiam vix tolerabat, leviter saltem sorbebat, *viscida copiosa* ore rejiciebat, *urina* copioso sedimento imprægnata, subinde *admodum debilis* erat: uno nomine, omnia erant disposita ad *Hecticam*. Usurpabatur ✻ cum an. *lap.* ♋. vel *antihect. Poter.* it. *arcan. duplicat.* sed etiam his irritis: Ob viscida per os copiosè rejecta *vomitorium* in dimidiata saltem dosi datum; hinc copiosa, & viscido-serosa rejecta malum ferè totum levârunt: quod superfuit, matutinus usus *Elixiris Propr.* & vespertinus *spir. sal. armoniaci* sustulerunt.

Similis erat *febris lenta, ex acido viscido* sanguinem & lympham inquinante, quæ affligebat Nobilem. Hic post curatos morbillos purgationem negligit, unde post aliquot septimanas corripitur, *insigni lassitudine & omnium membrorum torpore*, accedit semper mox à meridie *calor præternaturalis*; ita ut circa vesperam non mediocriter æstuaret, usque post noctem mediam: mane commodè satis habebat, *febre* tamen *lenta continua* superstite, *dormit* nonnihil *inquietè*, *os ferè siccum* semper & *glutinosum* est, *copiosus mucus* à meridie *fauces* oppler, sponte subinde vesperi ad *vomitum* inclinat, quo tempore etiam admodum *anxius* est, *alvus obstructus*, *pulsus celer*, *frequens*, *parvus*, *vehemens*, *caput dolet & perturbatum* est; *Urina turbida cum copiosis sedimentis*. Aliis frustra tentatis, ordino *vomitorium*, quod cum εὐφορίᾳ operatur: postmodum *spir.*

salis armoniaci, & tandem post hujus continuatum usum *Elixir. Propr.* finem curæ imposuit. Nempe *acidum morbillorum* sub cura temperatum, & vehiculo seroso absorptum, non excretum, sanguinem, chylum, lympham, inquinavit, à quorum *acido-salsa viscíditate talis febris* supervenerat. Par ferè ratio esse videbatur cum alio, *contagio Venereo* inquinato, ac *bubone* & *exulcerationibus parvis circa glandem* correpto. Hîc, præmissis *purgationibus mercurialibus*, potare cepit *decocta lignorum* cum *antimonio & mercurio præcipitato*, sed cùm aliquot dies hæc continuâsset, incidit in *febrim cum totius corporis lassitudine, æstu præternaturali*, sed *vesperi* saltem *exacerbante* gravissimè, & post mediam noctem usque grassante, ante meridiem redibat, & à meridie finiebatur, vesperi recurrens &c. *Pulsus* continuò erat *frequens, celer*, ferè *parvus*, *os glutinosum*, rejiciebat *copiosa viscida*, *anxius* nonnihil erat, & *febris hæc lenta ex contagio Venereo*, acido specifico in materia viscida sanguinem & lympham inquinante, per ista decocta commoto, non sufficienter prius evacuato corpore, originem ducere videbatur; paucis præmissis propino *vomitorium* cum insigni εὐφορίᾳ. Hinc

℞. ✳ci ℈ij. pro 2. dos. semper 1. ante paroxysm.

Item. ℞. ✳ ʒß.
arcan. duplicat. ℈j. M. pro 2. dos.

Item. ℞. ✳ ʒß.
⊕ ☿iat. ℈i. M. pro 2. dos. hisce *æstus* & *symptomata cætera* remiserunt.

Tandem ℞. ~ ✳ci ʒiij. Dos. gtt. 40. bis in die, copiosam *urinam* cum euphoria movit. Sed cùm *appetitus* adhuc esset admodum prostratus, præscripsi decoctum.

℞. rad. chin. in taleol. incis. ℥jß.
rasur. lign. sassaf. ʒvj.
rad. liquirit. ʒvj.
santal. rub ʒiij

infunde in *aq. comm.* ℔. *vj.* stent in Mariæ balneo per noctem, manè adde *passul. min.* ʒiij. coquantur lento igne ad remanent. ℔. iv. de qua Colatura detur. De quo decocto manè & à meridie bonum haustum cepit, semper gtt. 40. *Tincturæ Antimonii* addendo, & ita quoad affectum hunc convaluit, redeunte appetitu & viribus integris.

Similis *febris lenta* est ista, quæ affligit quosdam *post scabiem malè curatam*, ut observavi in quodam Studioso. *Symptomata* erant *prostratio virium, fauces & os siccum, saliva glutinosa, liquidæ alvi dejectiones, calor continuus præternaturalis* vel moderatus, *pulsus celer, frequens, vehemens, parvus*: *Urina* cum *copioso lateritio sedimento*, *appetitus prostratus*, *sitis intensa affectus quasi hecticus*.

Varia & multa frustra tentabam, tandem optimè contulerunt *pilulæ ex extr. hellebori nigri cum ☿ dulci*, & hinc crebrior usus *essentiæ viperarum*, & tandem ∾ *carminativus de tribus*.

Pertinet ad hujusmodi *lentas* etiam *Febris virginea*, *chlorosi* sive *cachexiæ virgineæ* juncta, *hecticæ* interdum quodammodò similis, ex *cruditatibus* utplurimum *primarũ viarũ viscidis*, hinc *bilis inertia cum mensium suppressione* enata.

Fuerunt hæ *Febres continuæ primariæ*; sequuntur *secundariæ*, h.e. quæ non propriam subsistentiam habent, sed à graviori alicujus partis affectu originem trahunt: Dicuntur aliàs etiam symptomaticæ, per quandam similitudinem, quia vel ut symptoma morbum sequitur, ita & febres tales alium morbum: Vel sicut remoto morbo, removetur ejus symptoma; ita & hæc febris. Sunt equidem, qui *febres has in comitatas & symptomaticas* strictius dictas dividunt, ut *Sennertus de febb. illo nomine* eas indigitans, quæ *inflammationibus partium* junguntur: hoc cæteras.

Sed non opus est scrupulum in talibus quærere. Sunt autem hæ ipsæ *secundariæ* nunc *acutæ*, idque crebrius, nunc *lentæ*, pro *affectuum*, quos sequuntur, & *partium affectarum conditionibus*, dum *illi* vel graviores vel leviores sunt; *hæ* verò nempe *partes affectæ vel* sensiliores *vel* minus sensiles, *Item vel* nobiliores sive quæ majus cum sanguine & spiritibus commercium habent; *vel* ignobiliores.

Has ergo inter symptomaticas se offerunt I. illæ, quæ *vulnera* quædam insigniora sequuntur. die Wundfieber / *ab acido in vulnere oborto*, *doloris inflammationis*, & hinc etiam *febris* autore. Præter ea, quæ extrinsecus vulneri conducibilia sunt, internè egregia *mistura est*, *in casibus chirurgicis polychresta*. v. g.

♃. ▽ hyssop. ℥ij.
fœnic. ℥j.
∾ theriac. ʒiij.
acet. vini vel simpl. vel destillat. ʒiij. ad ℥ß.
lap. ♋. fluviat. præpar. ʒj.
syr. card. ben. ℥ij. M.

Vel in forma sicca:

♃. lap. ♋. præpar. ℈j.
Extract. theriac. gr. ij. M.

Quibus etiam pro partium affectarum ratione; vel symptomatum variorum syndrome simul alia *appropriata* addi possunt.

II. *Febres*, quæ adsunt *inflammationibus* gravioribus, *occasione acidi inflammationum* utplurimum causantur. *Febres* hæ *nunc* sunt *acutæ*, v.g. in *Pleuritide*, *Angina*, *Erysipelate*; nunc *lentæ*, ut in *inflammatione propè fundũ mesenterii* &c. *Curantur* hæ febres simul & eadem ratione, quâ *inflammationes ipsæ*, *per attenuantia*, *acidum absorbentia*, *volatilia*, *alcalia*, *diaphoretica* &c. de quibus suo loco, nempe ubi *de inflammationibus*, vide inferius.

III. Quæ sanguinem intra corporis cavitatem aut in ipsis solidis partibus effusum coagulatum insequi solent, & ex *acore, putredinalem corruptelam antecedente, oriuntur.* Conducunt *sanguinem congrumatum resolventia*, *& putredini resistentia*, qualia præter *misturam supra laudatam*, sunt *bellis minor*, *papaver rhœas*, ♁ *diaph.* non negligendo simul *potiones vulnerarias*.

IV. Dum *pus* fit, major *calor*, & *labor*, & *dolor*, quam facto pure adest, ut dicit *Hippocrates*. Aeoque in quovis *apostemate*, dum suppuratur, *febris* juncta esse solet, magis tamen *lenta* quàm *acuta*, v. g. *ex lacte coagulato* dum *apostema* fit, vel dum *apostema* fit *in auribus* &c. *febris* juncta esse solet, tam diu durans, donec facta sit perfecta suppuratio. Unde hujus *promovenda maturatio*, & *remediis* supra indicatis *acidum absorbentibus*, & *diaphoresi* & *diuresi sanguinem depurantibus* insistendum.

V. *Ulcera* insigniora externarum, aut quælibet internarum partium insequi solent *febres symptomaticæ*, *lentæ*, ferè *hecticæ*, adeoque *diuturnæ*, & ad *tabem ac mortem* tandem deducentes, *à sanguinis infectione*, *à pure salso acri, viscido*, ut notissimum est *in ulcere pulmonum phthisico*: Nec curari hæ possunt, nisi removeatur partis corruptela, & mundificetur & consolidetur ulcus, id quod *absorbentia* supra laudata, *potiones vulnerariæ*, alcali divites, ex *lap.* ♋. *heder. terrestr. chærefol. bugula, pulmoniaria, scabiosa*, ut & *lignorum decocta*; item *sulphurea balsamica*, *flores sulphur. myrrha*, *bals. sulpuris* præstabunt, de quibus infra, ubi *de phthisi*. Ac sanè quàm plures *lentæ*, *diuturnæ & tabificæ febres* ex *occulta*, nec à priori benè cognoscibili, *corruptione* aut *putredine* ac *latente ulcere sive abscessu* partis cujusdam internæ, mesenterii, pancreatis, renis, epatis, vesicæ, uteri &c. originem habere solent, & difficilè curabiles, ac sæpius lethales ægris existunt. Vid. *Schenck. l. 3. obs. Barthol. cent. 2. hist. 19. & cent. 4. hist. 18.* Hinc in M. A. N. C. *an. 4. appendic. p. 50. febres lentæ perpetuæ abscessuum latentium comites* esse dicuntur.

Quò etiam facit *fœtus mortuus*; aut *secundina*, vel integra, vel parte sui *retenta*, hinc putrescente, & in saniem plus minus purulentam abeunte, tam sanguinē inficiente, quàm per contactum simul uterum inquinante: haud *curabiles*, nisi *illis remotis*, ac *putredine*, ne latius serpat, supradictis remediis *maturè prohibita*, ac *parte læsa consolidata*. Pertinent & huc *fistulæ diuturnæ*, quæ etiam *hecticæ similem febrim* inducunt.

VI. Præ cæteris considerabiles sunt *febres Catarrhales*, die Fluß-Fieber/ quæ in principio & incremento catarrhorum, v. g. *coryzæ*, *tussis*, *raucedinis* &c. subinde molestæ sunt, & *ex vitio lymphæ*, glandularum, primariò quidem conglomeratarum, secundariò etiam conglobatarum, circa caput & pectus consitarum oriuntur, dum nempe illa, quacunque ex causa (de quo ubi *de Catarrhis*) *acidior* aut *salsior*, ac quasi *muriatica* facta, copiosius circa dicta loca effunditur,

occasionem

occasionem crebrius suggerente *ambientis aeris inclementia*, aut *alio objecto externo* dictas partes irritante.

Talem *catarrhalem lymphæ motum* comitatur *febris ex alteratione sanguinis, à lympha & irritatione spirituum influorum*, in qua febri cum *capitis perturbatione* & *dolore gravativo* seu *gravedine*, *levis horror*, facilè quidem transiens, sed crebriùs repetens, molestus est, quam appetente vespera insequitur *calor* sive *ardor rodens* sive *acris*, & *mordax* magis, quàm magnus; increscens ferè usque ad medium noctis, à quo successivè denuò remittit, durat tamen *continuò lentus*, sed *obscurus calor*, qui omni vespera intendi, & insigniter subinde exacerbari solet: *Pulsus* est *continuò frequens & celer*, vehementiâ & magnitudine *moderatus*, *sub exacerbatione* in dictis conditionibus *acutus*. *Urinæ* excernuntur *intensiùs tinctæ*, sed uno alterove die elapso *crassescere*, hinc *turbari* & *copiosum sedimentum* deponere solent. Durant ista symptomata sub *coryza* & *tussi gravioribus* usque ad statum morbi, dum nempe *lympha* temperari & crassescere incipit, seu ut vocant, *materia catarrhalis* cocta fuerit, & spissior mucus emungi, & glutinosior pituita expectorari incipit: Acrimonia enim lymphæ si correcta est, cessat etiam febris.

Catarrhales hujusmodi *febres*, ac ipsi catarrhi interdum *epidemicæ* esse solent, *ab aeris communi impressione* natæ, *nunc*, idque frequentius, *benignæ*, rarius *malignæ*, & tunc subindè *acutæ*, quæ malignæ contagio suo lympham in specie inquinare videntur. Scil. pertinere huc videtur *morbus* iste *Epidemicus*; cujus mentionem facit *Riverius de morbis infrequentibus*, §. 9. Ac sanè *lymphæ constitutio ac motus plus minus naturalis*, præsertim glandularum conglobatarum probè observandum venit pluribus *in febribus tam intermittentibus*, *quàm continuis*, cùm diversa symptomata, *lancinationes* in specie *artuum*, sub paroxysmis subinde urgentes, haud aliunde quàm *à lymphæ vitio* oriri videantur.

Catarrhales hæ febres, utut ex se omni graviori periculo careant, ob insignem tamen molestiam interdum & vehementiam curam postulant, in qua 1. *irritatio* partium solidarum affectarum, indeque natus *spirituum impetus*, ac copiosior *lymphæ* effusio *opiatis* sistenda. 2. *Lymphæ* acrimonia corrigenda aut per *salia volatilia alcalia*, aut *marina absorbentia*, & *temperata*, vulgò *incrassantia* dicta. 3. Correcta *evacuanda*, aut universaliter per *Diaphoretica & Diuretica*: aut particulariter *per nares & os*, atque hoc saltem *in statu*, cessante febre & coctâ materiâ.

℞. aq. serpil.
scabios. an. ℥j.
spir. sal. armoniaci anisat. ʒj.
Syr. papav. albi ℥j. vel loco hujus

laud. opiat. gr. ij. M. capiatur cochleatim ante exacerbationem vespertinam, & in hac ipsa, & excitetur blandus sudor.

Item ℞. liquor. C.C. succin. ℨij.
essent. opii ℨß. M. dos. gtt. 40. vel 50. aliquot horis ante acerbationem, & iterum ingruente nocte.

Ubi *diuresis* magis intenditur:

℞. liquor. terr. fol. ♀. ℥ß. Dos. 40. vel 50. gutt. bis in die.

Sufflaminatâ sic febri, & impetu spirituum ac lymphæ sedato, si opus fuerit, blanda laxatio institui potest, v. g. ex *massa pil. de ammoniac. Quer:* aut *mass. pil. de succino Craton.* acuatis cum *mercurio dulci* &c. Quibus factis reliqua jam *incrassata expectorantibus* ac similibus sunt *evacuanda.*

Anno 1669. mediâ æstate *Catarrh epidemicus* grassabatur cum *tussi gravi, coryza, cephalalgia, doloribus dorsi & artuum, hæmorrhagia narium, & diarrhœa:* curabatur optimè per *sudoriferum hocce:*

℞. aquæ sambuci
Carduib. an. ℨvj.
🜄 C.C. essentificat. i. e. cum sale volatil. proprio acuat. ℨß.
sal. volatil. succin. ℈ß.
syr. papav. rhæad. ℥ß. M. capiatur una vice.

Vel hujus loco:

℞. aq. flor. acaciæ ℥j.
liquor. C. C. succin. ℨß. ad ℨj.
Diacod. *Mont.* ℨvj. ad ℥j. M. capiatur pro dosi sudorifera.

Pro *tussi humida*, in qua copiosa viscida rejiciebantur, conducebat *potio expectorans*, ex *aqua asthmat. oxymelle squillit. &c.* vide superius, ubi *de tussi pectorali.* Pro *coryza* & *capitis affectibus* inunctio verticis cum *ol. succini*, item *Emplastrum ex Cerati probregmate usitati* & *Empl. de beton.* ana, malaxatis cum *ol. succini* vertici imponendum.

Pro *artuum affectibus eorumque debilitate* curandis, inprimis ubi *dolores* sive *lancinationes artuum* Reissen in Gliedern aderant:

℞. ▽ fœnic.
flor. papav. rhæad.
menth. an. ℥j.
asthmat. *Rudolph.* ℨiij. ad ℨvj.
🜄 lumbric. terr. per putref. ℨiß.
specif. cephal. ℨß.
syr. flor. tunic. ℥ß. vel ℨ. vj. M.

pro aliquot dosibus, aliquoties in die capiendis.

VII. Rari sunt *insigniores* aut *diuturniores dolores quarumvis partium*, quin *febrim symptomaticam* comitem tandem adipiscant, *continuo pulsu*, *celeri, frequenti, in principio vehementi, in progressu debili ac parvo*, interdum, dum membranosæ partes magis afficiuntur, *duro, calore lento sive miti, non adeò magno*: sive *acidum vel acre dolorificum* massam sanguineam simul alteret, & præter naturalem fermentativum motum inducat, sive simpliciter *ex* [illegible]*uum animalium concitatiore impetu*, hinc *vigiliis, inedia* &c. commoto sanguine intentiùs, *febris quasi synocha simplex plurium dierum* concitetur. Sic v. g. colicas contumaciores, aurium dolorem, odontalgiam graviorem, tandem febricula talis sequitur &c. Quæ tamen consopito saltem dolore, etiam evanescit, & ferè blanda sudatiunculâ terminatur. Pertinent huc *febres* istæ, quæ in principio *paroxysmorum Arthriticorum* usq; ad statum ferè observantur, de quibus videatur *Sylvius l. 1. Prax. c. 30. §. 36. 110. 161.* Sed *de febribus symptomaticis* vide in specie pluribus agentem *Sennert. l. 2. de febb. c. 16. p. 202. & seqq.*

Agmen harum febrium claudit

HECTICA

quæ frequentissimè esse solet *symptomatica*, aut saltim, aliarum febrium respectu, quæ in illam terminantur, *secundaria*, adeò ut negent quidam dari *hecticam primariam* ac per se incipientem. Vid. *Piens, part. 2. de febb. p. 49.* Quod tamen ita universaliter vix concedendum videtur, *quin ex perverso usu rerum non naturalium*, v. g. *tristitia*, aut *mœrore* diutius protractis, *excernendis præternaturaliter retentis, vitiosis assumptis*, aut saltem *malè digestis, hecticam* oboriri posse, Practici observârunt.

Est aliàs *hectica lenta admodum febris*, ægro interdum vix sensibilis, nam *calor ejus* admodum *lenis* est & quasi *occultus*, qui ipse primo attactu vix est perceptibilis, utut, si diutius contineatur manus ægri, nonnihil se manifestet, *duabus vel tribus horis* verò *post assumta alimenta* prodit se *calor*, isque nonnihil *acrior* vel *vehementior*. Deinde *corpus* insensibiliter & successivè *emaciatur*, & tunc hectica consumtio, *marasmodes* dicitur. Denique *pulsus equidem* est *vehementior solito ac frequentior, parvus* tamen *& debilis*, cum successiva & clandestina *virium prostratione*. Et hæc sunt tria *signa pathognomonica* quasi, & primaria symptomata, quibus præsentibus *hectica* conjicitur. 1. *Calor occultus*, post pastum *auctus*. 2. *Absumtio corporis*. 3. *Pulsus celer, frequens, parvus, debilis, durus*.

Symptoma, quod maximè *infestum* est *hecticis* est, *Marasmus* sive *marcor*, cujus ratione *Hectica in tres gradus* solet dividi. *Primus gradus* est, dum saltim rorida partium solidarum substantia, & quæ in nutrimentum partium proximè abit, successivè absumitur. *Secundus gradus* est, dum hæc ipsa substantia rorida

mutata

mutata in pinguedinem, vel jam in succum nutritivum partium solidarum mutata, & plus minus assimilata, successivè denuò liquefacta consumitur. *Tertius gradus* est, cùm omninò absumto ipso rore roscido, ipsa stamina partium fibrosa arescunt & exsiccantur, & hinc ariditatem sensibus manifestam contrahunt. *Urina hecticorum* in principio sanorum sunt similes: sin verò concurrat vitium stomachi, *urina alba, pallida* & *tenuis* subinde excernitur. *Hectica* ad *marasmum* progrediente *urina* est *oleaginosa*: qualis urinæ facies tamen etiam in duobus aliis casibus observari solet, nempe in *febre ardente*, item in *intermittente*, nimio *æstu* conjunctis, interdum talis *urina oleaginosa* conspicitur, quoniam aucto calore, liquefacta corporis pinguedine, nonnihil ejus cum urina excernitur. Deinde in *Scorbuticis* & *malo hypochondriaco affectis* similis pinguedo supernatans observari solet, sed non est pinguedo, sed potius salia vitiosa coagulata, pelliculæ instar urinæ supernatantia.

Ut *distinguantur* hæc, observetur, quod ubi *vera* est *pinguedo* supernatans urinæ, semper sit *uniformis*, & ad latus adspecta *nullum colorem* aut *splendorem* repræsentet: In *scorbuticis* verò & *hypochondriacis* hujusmodi quasi *pinguedo innatans* ad lat⁹ adspecta instar *caudæ pavonis* vel *iridis* elegantissimè colorata apparet. *Excrementa alvi* in hecticis sunt diversa, fæces quandoque sunt duræ, imò sæpiùs, dum in principio & incremento hecticæ difficulter egeruntur, fiunt postmodum admodum liquidæ & copiosæ ventriculo nempe labefactato, nec ritè continente, nec debitè digerente assumta. In *ultimo hecticæ gradu fluor alvi* ferè est *continuus*, ægrique *sudoribus nocturnis* ferè diffluunt, *capilli* tandem defluunt.

Modus generationis hujus febris est duplex: nunc *per se* incipit, adeoque *primaria* est, nunc *instar symptomatis* alios affectus sequitur, estque *secundaria symptomatica*. Ista *hectica*, quæ *per se* incipit, est, quæ oritur vitio *rerum non naturalium*: quæ verò aliis supervenit morbis *instar symptomatis* est, quando observatur supervenire *febribus continuis*, aut *intermittentibus* contumacioribus ac vehementioribus, in specie perverso modo curatis. Sic *Horstius l.* 1. *obs.* 34. observat *hecticam lethalem* obortam *ex intermittente*, per specifica ineptè & empiricè curata. Supervenit etiam *hectica* sæpissimè viscerum plerorumque, specialissimè *pulmonum, inflammationi*, uti etiam hinc natis *apostematibus* & *ulceribus*, cum quibus ordinariò solet jungi *Hectica*. Sic *Lindanus super Hartmannũ* vidit *Hecticam contumacissimam ex abscessu mesenterii*: item *ex ulcere renum*; item *ex utero*, qui in carcinoma inciderat. Vidit in fœmina ortam *ex multitudine fonticulorum*, qui omnem humiditatem & rorem consumserant, qui postquam clausi & sanati essent, curata fuit. Quin & *lui* ♀*eæ* subindè *febris lenta hecticæ* plus minus *similis* sociari solet, aut sub *febre*, quæ *hecticam* simulat, latet *morbus Gallicus*. Vid. *Zac. Lusit. l.* 2. *prax. admir. obs.* 119. item *Fonseca l.* 1. *consult.* 40. *p.* 264.

Ipsa

Ipsa *Hectica* verò quæ *per se* incipit, ordinariò *ex vitio ventriculi ac alimentorum* originem habere solet. Unde in tali *hectica primaria* semper respiciendum ad *stomachum*; ut corrigatur ejus *cruditas*, imò reliquæ causæ non naturales vix sufficiunt inferre hecticam, nisi simul stomachus ita afficiatur, ut hujus vitio alimentorum succedat corruptela. Vulgò dicitur *Hecticam* consistere *in habitu corporis*, ita ut sit quidam calor in partibus solidis accensus & residens, quod tamen non est, quin potius instar aliarum febrium radicatur in *massa sanguinea* una cum *lympha vitiata*. Prout enim se habent hi duo liquores, in specie sanguis, ita se habet universum corpus. Id quod confirmat *ulcus* in parte quadam nonnisi sanguinis inquinamento *hecticam* inferens. Vid. *Piens de febb. part.* 2. *p.* 46. & 51.

Causa proxima hujus febris est *dyscrasia sanguinis* nimis *acido-salsa & acris*, cum *nimia ejus viscositate sive glutinositate* juncta, unde simul *lymphæ* facilis *viscositas*, idque sensibiliter in glandulis conglomeratis adesse solet. Hinc enim *saliva* non tantum *pauca*, sed etiam *viscida* nonnihil & *glutinosa* percipitur. In ista igitur dyscrasia sanguinis, non blanda & æquabilis fit fermentatio in præcordiis, sed potius insigniter depravata. Unde & *spirituum* in corpore *defectus* & successiva *virium debilitas* superveniunt, cùm *particulæ salinæ acidæ & urinosæ* non debitè invicem intestino motu consolidantur, sed potius inertes factæ in tertium ferè salsum coaluerint partim, partim adhuc liberæ ab istis salinis particulis impediantur, quo minus debitè fermentent, quin potius ex *vitiosa fermentatione calor* nonnihil *auctus* quidem non tamen intentus, sed tantum *acris* nonnihil inducatur.

Hæc ipsa omnia augentur insigniter *à visciditate salsa lymphæ*, unde magis vitiata est, & quasi plus minus oppressa *sanguinis fermentatio pulsum parvum ac celerem* generat. *Sanguis* talis *salsus* & simul *viscidus* ineptus est, ut nutriat partes, quia potius asperitate sua rorem nutritium vitiat, eumque acri ac lento calore successivè colliquat, unde corpus necessariò tandem absumitur. *Post pastum* ergo dum fluidior, facileque digestibilis alimentorum pars per vias consuetas sanguini infunditur, hic ipse nonnihil dilutus fluxior redditur, & ob resoluta magis salia fermentationem nonnihil intensiorem inducit, unde aliquot horis post pastum *calor auctus*, cum *pulsu frequentiore* & *nonnihil majore*, percipitur, efflorescente simul nonnunquam *calore faciei* plus minus *roseo*.

Sed cùm hoc ipsum *chylosum excrementitium supplementum* minus commodè assimilatur tam sanguini, quàm partibus solidis, *tempore nocturno* sub specie *sudoris* denuò per cutis poros emanat, unde *sudores nocturni* in *hectica confirmata* sunt satis frequentes. Ulterius propter dictam *salivalis lymphæ visciditatem* imminuitur simul *appetitus*, superveniente omnium *alimentorum fastidio*.

dio. Nempe in *vitiis stomachi* semper ratio habenda est *salivæ* : nam ex hujus ratione non rarò impeditur & labefactatur plus minus assumentorum fermentatio, ac idem ipsa sanguificatio. Hæc quæ dicta sunt de *causa proxima* confirmant ea, quæ tanquam *causæ remotæ febrim hecticam* inducunt, dum nempe huc collimant, ut *ad acrimoniam acido salsam* cum juncta *viscositate* sanguinem & lympham disponant, quæ ipsa, ne actum agam, vid. apud *Sylv. l. 1. pr. c. 32. §. 8. seqq.*

Quoad *Prognosin*, in principio *Hectica* facilè curatur, quò verò magis *confirmata* est, & quò propius accedit *tabi*, eò difficiliùs curatur: *tertii gradus* planè incurabilis est. *Hectica*, quæ *putridæ*, ut vocant, sive *intermittenti*, vel *continuæ alii* jungitur, curatu difficilis est, & plerumque lethalis, ægris contabescentibus. In *junioribus* faciliùs, in *adultis* difficiliùs, in *senibus*, quocunque se habeant modo, nullo modo curatur. Si *facies* adsit *Hippocratica*, res ferè esse desperata. Ad hæc, si accedit *Lienteria*; vel *alvi profluvium*; aus si *intumescant crura*, mors brevi aderit. Quoad *tempus eventus*, notum est, quod sit *morbus admodum chronicus ac contumax*, ejusque longitudo ac difficultas ætate ac corporis constitutione est metienda.

In *Cura* primùm advertendum est, num *hectica* dependeat *à partis alicujus morbo*, adeoque sit *symptomatica*, tum enim cura ad istum morbum est dirigenda. Deinde considerandum, an sit *simplex primaria*, an verò *complicata cum febre quadam putrida*, & in hoc casu tollenda prius *putrida*, & hinc removenda *Hectica*.

Pro hujus ergò cura I. *acrimonia sanguinis & lymphæ acido-salsa* temperetur. II. *Eorundem viscidutas* corrigatur. III. *Ventriculi digestio* restauretur.

Hinc observandum (α) in *Hectica simplici* & quæ est *absque putrida*, sive *fermentativa*, nec *evacuationes* nec *venæ sectiones* instituendas (β) Si *prima regio corporis* excrementis sit referta, propter *cruditates* à debili stomacho productas, tutò *blanda purgatio abstersiva* institui potest. (γ) imò si *vitio stomachi* oritur *Hectica*, tunc attendatur consilium *Lindani*, dùm inquit: In curatione *Hecticæ* statim ad *partis affectæ cognitionem* incumbere oportet, quâ cognitâ, facilius *Hectica* quàm quartana curatur: Oriuntur plerunque *ex stomachi vitio*. Convenit ergò *vomitum* tali in casu instituere. (δ) Inter *symptomata*, quæ superveniunt hecticæ, præcipuum & magis funestum est *alvi fluxus*, ægros facilè ad interitum

teritum perducens; *colliquativus* enim est : Refrænandus ergò erit remediis ex *cydoniis*, *rosis rubris siccis lacte chalybeato* &c. (ε) Dulcia, ut *saccharata* & *mellita* &c. vitanda sunt, quod visciditati contentorum & hinc inæquali fermentationi eorundem fomitem suggerunt.

Primarium morbum curandam esse dixi, ab eo si dependeat *hectica*. Si ergo superveniat *febri intermittenti* vel *continuæ* malè curatis, ibi præmisso aut omisso *vomitu*, utilissimum est *sal armoniacum cum antihectico Poterii*, secundùm formulas superiùs traditas : Sin ab *ulcere*, *abscessu*, aut *simili vitio* dependeat, hujus cura intendatur, ut supra *de febribus symptomaticis* insinuatum fuit.

Quod si *Hectica* fuerit *primarius morbus*, eadem tractanda venit per *remedia pharmacevtica*, sed & præcipuè *diætica*. *Chirurgica* nihil hîc valent. *Ex Pharmacia* conveniunt remedia, quæ *temperant salsum*, & *attenuant viscidum*, quæ inter eminent *terr. fol. Tartari ejusque liquor* rite paratus, item *sal armoniacum* tam solitariò, quamque additis *sulphur. fixis* sociatum, qualia sunt primò *antihectic. Poterii*. Item *bezoard. ♃ale*, *antimon. diaph.* &c. Sanè *antihect. Poterii* ab autore *cum Conserva rosar. ad hecticæ curam* feliciter usurpatum fuit. *Mixturæ* ex *aceto destillat. cum lap ♋ vel cum perlis* utiles observantur hecticis, siquidem verum videtur quod affirmat *Helmont*, quod in *perlis & oculis* ♋. si resolvantur in primum suum concretum lacteum, fit *cura absoluta tabis*, sed talem liquorem primogenitum obtinere non omnibus æquè concessum est. Hisce etiam *cichoreum*, *endivia*, *lactuca*, *nymphæa* &c. *exque his parata remedia* accenseri solent. In specie conducunt *passulæ* perquam egregiè, nempe, ut aliàs dicunt, non datur melius *hepaticum* ac melius *nutriens*, quàm *rob* sive *pulpa passularum*. Unde etiam à *Riverio* tam in *praxi* quàm *observationibus*, item in *Joelis praxi* non secus atque aliis multum extolluntur ad curam hecticæ.

Sanè in discrasia sanguinis acri temperanda, & sanguine quasi renovando, perquàm egregiæ sunt *passulæ*; item *decoctum passularum cum radic cichor.* vel *cum radice chinæ* egregium est. Hisce sunt, qui addunt *rorem majalem*, & ex eodem paratum *♒m & ⊖ essentiale*, quibus accedit *ros ⊕li volatilis*.

qui nempe in destillatione ♎-⊖-li primus erumpit, ac *omne volatile phlegma*, quod ante stagma acidum prius prodit, nempe insipidum licèt ferè, sulphure tamen volatili singularium virium est imprægnatum. Hoc *phlegma* ⊖-*li roridum* à *Marco Marci* subinde rectificatum, & reiteratis digestionibus à ⊖-lo abstractum, fit *remedium egregium ad hecticam*, ab exacerbationibus partium internarum natam. Vid. *Marc. Marci in Philos. restit. Tr. de Magnetismo* ⊖-*li*.

Hæc quoad *remedia pharmaceutica*. Cæterum maximam in *hecticæ cura* partem constituit *Lac*, & *quævis lacticinia*, sed præmissis necessariò præmittendis, primas vias scilicet abstergentibus & mundificantibus. Ad hæc *circa usum lactis* observandum, ne hecticæ adjuncta sit febris alia putrida, febris putrida dicta. *Item* ne adsit capitis dolor: *item* ne ventriculus scateat excrementis ac sordibus acribus ex digestionis vitio natis: *item* absit hypochondriorum tensio. *Lac* ipsum inter convenientissimum *est muliebre*, inprimis si ex uberibus sugatur, cujus rei exemplum vide in *Forest. l.* 4. *obs.* 10. Extra hoc usurpatur *Lac bubulum* ex bestia sana & sanis pascuis gaudente, seu ipsum *Lac* usurpetur, quæ communis est sententia, sive in specie sumatur *lac ebutyratum*, à *Piens de febb. part.* 2. *pag.* 61. laudatum. Quibusdam etiam *lac caprillum* non sine fructu ordinatur. Optimum est *lac asininum*, præ cæteris in hecticæ cura expertum. Modò usurpentur hujusmodi lacticinia *maturè*, nec nimis tardè, adeoq; *viribus* adhuc utcunque *constantibus*: Deinde ut *coagulatio lactis* impediatur, *aliquantulum sacchari* addendum; *calidum* etiam assumtum, sive ex mammis sugatur, sive recèns emulctum adhuc calidum ebibatur. Primarium etiam *lac* alimentum sub tali *lactea cura* constituat, cæteris nonnisi *levioribus ac facilè digestibilibus*, iisque *paucis* assumtis. Ante omnia verò exploret Medicus, an æger lactis usum tolerare queat? Modum docet *Joel in praxi*, ubi *de Hectica:* nempe ventriculo prius *leni purgatione* evacuato, exhibeat ægro initio ℥iij. vel iv. lactis, videlicet si probè concoquat, & nil molestiarum ex eo sentiat, nec post assumtum lac *gravitas* in ventriculo sentiatur, aut *singultus* excitetur, aut *vomitus nauseaque* succedat, nec *calor* in corpore nec *pulsus* intendatur, tum potest integra libra manè & vesperi propinari, *post sumtum* autem *lac* nec violentius se commovebit, nec dormiet æger.

Alia inter *alimenta temperata* sunt optima, hinc *pultes*. v. g. *ex oryza*, item *jusculа avenacea & hordeacea* conducunt, de quibus *Borell. cent.* 4. *obs.* 89. item *amygdalata*, *nuclei pinearum*, *pistacearum*, *sem.* 4. *frig. maj.* &c. hinc & ♋. *fluv. ranæ*, *ostreæ* à quibusdam laudantur. Certè ♋. *fluv.* rore alcalino nutritivo turgidi, modò à stomacho digerantur, alimentum erunt medicamentosum egregium, vel *succus ex* ♋. *expressus, ac butyro non salito mistus* suggerit *butyrum antihecticum* egregium. Conf. *Sachs. in Gammarol.* *Ranæ*, item *ostreæ*, si eas feret stomachus, simili ex ratione benè conducunt. Notabilis est obser-

vatio *Lindani super Hartmann.* qui dicit: Amstelodami fuisse virginem viginti annorum, quæ ex *ulcere pulmonum in Hecticam* jam desperatam per aliquot annos inciderat: Huic virgini voluptas *ostreas* edendi obveniebat, unde præparatarum 12. offeruntur, quibus absumtis & tantundem iterum conceduntur, & cùm exinde benè haberet, illa intra breve tempus magnam earum quantitatem comederat, unde brevi convaluit, nupsit & octo liberos peperit. Nempe in talibus habeatur *ratio stomachi*, ejusque quoad *appetitum* dictamen, & quoad *digestionem* operatio: idem de *ranis*, alii de *testudinibus* id ipsum affirmant. Quod si *fluxus alvi* adsit, inprimis crassa alimenta conducunt, ut de *oryza*, *pultes farinac. lac chalybeatum* propinetur. Quod de *testudinibus* retuli, confirmat *Amat. Lusitan. cent. 2. cur. 53.* qui curavit quendam per *pullorum gallinaceorum testudinibus nemoralibus* saginatorum, & potum *lactis asinini*. Sed præstat sub lactis usu carnium esum intermittere, ne lacti ad corruptionem detur occasio, quin *lacticinia sola* pro cura usurpentur.

FEBRIS MALIGNA.

Maligna febris ita dicitur propter similitudinem ab hominibus malignis, qui sub specie recti decipiunt, nam tales morbi apparent boni, revera autem sunt mali. In Febribus *malignum* tale, item *pestilens* (hæc enim nonnisi gradualiter differunt) est materialiter nil aliud, quàm nudum nomen designans causæ occasionalis sive materialis statum & conditionem, quia nempe hæc degenerat à sua natura & mutata fuit, respectu nempe corporis universi patientis, in pejus. Hac ratione non tantùm *febres* tam *intermittentes* quàm *continuæ* sunt *malignæ & benignæ*; sed etiam communis affectio *quorumvis morborum* est, ut interdum sint *benigni*, interdum *maligni*. Sic dantur *pleuritides malignæ, dysenteriæ malignæ, choleræ malignæ*, & sic consequenter in aliis.

Ex istis sequitur fundamentum *diagnosticon febrium malignarum*, dum nempe illa *febris* est *maligna*, quæ habet *symptomata majora* sive *graviora* aut *solenniora*, quàm possunt ex causa ordinario modo constituta oriri, adeoque qualia aliàs in tali morbo adesse non solent. Hinc sequitur *fundamentum prognosticon, periculosos* esse tales morbos, & speciatim febres, & quod sæpius acutæ *ad mortem* terminentur, v. g. Febris hæc ex vitio digestionis primæ sub nato fermento febrili est *tertiana*, si more aliàs solito omnia procedant, est benigna. Si verò in eadem tanquam in *ardente* vel *animi* subinde superveniunt *deliquia*, vel *ægros anxios admodum* cum *pulsu parvo* in vigore paroxysmi existere videmus, significant, *fermentum febrile* ejusque *fomitem depravatum & corruptum*, adeoque subesse *malignitatem*.

Symptomata illa vel *majora*, vel *insolentiora*, quæ *febres malignas* ordinariè comitari solent, sunt multiplicia, adeò ut nulla ferè sint symptomata, quæ non

subinde in febre illa maligna observata fuerint. v. g. *hydrophobias* in *febribus malignis* observavit, *Salmuth. C. 2. hist. 52.* item *Sanchez. in observ. med.* Interdum malignitas est tanta, ut partes nunc internas nunc externas *sphacelo ac gangræna* corruptas observare liceat. Conf. *Hild. cent. 3. observ. 93. & 95.* item *Salmuth. cent. 1. hist. 7.*

Sed quæ *frequentius* ac *ordinariò magis* in febribus malignis observavi *Symptomata* sunt: *Virium subitanea*, sine causa manifesta, *eaque ferè omnimoda prostratio*, adeò, ut longè major in his febribus esse soleat, quàm in aliis. Sentitur etiam tribus, nonnunquàm quatuor diebus ante febrim, ac inprimis in brachiis & cruribus solet percipi. *Pulsus* inter initia sæpe *naturali pulsui* est *simillimus*, aut non multum adeò ab eo discrepare videtur. Subitò tamen *debilis ac parvus* reddi solet. Interdum mox in initio pulsus est *frequens, debilis, parvus*, ac invalescente morbo multis modis *inæqualis*. In genere, ubi in febri, quæ plus minus simulat *ardentem*, pulsus est parvus, ibi certò colligendum, subesse *malignitatem*, adeò ut quamdiu nonnihil *magnus* existit, vel quantocyus *ex parvo* nonnihil *major* evadit, semper *bonum* esse solet. *Sitis* in febre maligna aliquando tanta est, ut communem febrium conditionem longè superet, & cùm *calor* in malignis non soleat esse tantus, quantus in ardentibus, imò interdum adeò mitis, ut ægri de eo non conquerantur, nihilominus tamen gravissimè urgeat *sitis*, signum est, subesse *malignitatem*. Quod si *potus*, restinguendæ sitis gratia porrectus, non solum nil prosit, verum etiam simul *fluctuationem* aut *anxietatem* pariat, *linguamque scabram* aut *aridam* reddat, *malignam perniciem* subesse, indicium est.

Urinæ utplurimum sanorum similes sunt, adeò ut in *malignissimis febribus urina optimè constituta* subinde excernatur. Unde *tales urinæ*, præsentibus aliis pravis signis, *certum malignitatis indicium* præbent. Interdum *in statu turbidæ* fiunt, sed *tenues* sunt, indeque vel parum vel nullum *sedimentum* deponunt, simul etiam *color* talium *dilutior* est, quod tamen nil boni denotat. Unde malignis in febribus coctionis & cruditatis ratio non habetur tanta, quanta in benignis. Interim tamen, etiamsi pessimè habuerint ægri, modo tamen etiam in summa virium prostratione, *urinæ* excernantur *crassæ*, ac fiant *turbidæ*, & *sedimentum* plus minus *copiosum*, vel *candidum*, vel *lateritium* similéve, sed *æquale* deposuerint, tamen semper *bonum signum* est, & neminem cum tali urina intereuntem observavi. Quin & *sudores* antea impossibiles, aut similes huic *excretiones cutaneæ* spontè prodire solent. Econtra in *febre maligna*, etiam melioribus signis præsentibus, *urina* tamen *cruda* & *perspicua*, licèt *crassâ* & *intensè tinctâ* existente, & ita perdurante, tamen nihilominus intereunt ægri, utut etiam in tali *clara urina* aliquid quasi *sedimenti flavescentis* seorsim natare videatur. Hoc enim chyli portiuncula est, ex assumtis cum urina secreta.

Calor

Calor eam non habet *acrimoniam*, quàm aliæ *febres benignè fermentativæ* sive *putridæ*, si nempe ejusdem generis benignas & malignas conferas. *Symptomata* tamen sunt *graviora*. Interdum *foris* non admodum *vehemens* sentitur *calor*, qui *intus* tamen exurere solet. Interdum ægri dicunt: **Es brennet im Leibe/** & monstrant *regionem stomachi*, sive præcordialem. Certè dum conqueruntur ægri de intensissimo *calore interno*, partibus externis *moderatè calentibus*, pravum *malignitatis* signum est.

Subitò *omnis perit appetitus*, cui interdum *nausea* & *fastidium ciborum* succedit, & quamdiu ægri aliquid jusculi vel tantillum alimenti *sine nausea*, aut *insigni* adstantium *persuasione* assumunt, semper *bonum* est *signum*, inprimis si adhuc saporem percipiunt genuinum, & non dicant: **Es schmäckt wie faul Holz**; quod etiam valet, si potum ordinarium, v. g. cerevisiam lupulatam ferre valeant, nec illam aversentur. *Agrypniæ* utplurimùm ægros vexant, mox *in principio*, sine *causa manifesta*, eæque nunc sunt *anxiosæ*, nunc *absque anxietate*. *Hæ* ex affecto *nervoso genere* & *spiritibus animalibus*, *illæ* ex *stomacho* & *præcordiis* malè habentibus originem ducunt.

Præterea *anxietas cordis*, indeque *inquietudo ægri* insignis, & interdum *jectigatio*, eæque *majores*, quàm pro ratione febris adesse solet; *Inquietudo* illa *anxiosa* non semper toto fit corpore, sed nunc *brachium* unum vel alterum *movent*, nunc *pedem agitant*, aut *extra lectum* exserunt, nunc *integumenta* hinc inde tradunt, nescii quare hoc faciant. *Anxietates* hæ quàm frequentissimè adsunt in his febribus, nunc, utut rarius, *in prinpio*, frequentiùs, in *incremento* & *statu*: sedem habent in *stomacho*, & ibidem angunt ægros. Interroganti: **wo ihm dann so angst sey?** monstrant *regionem præcordiorum*, *respiratione* tamen *libera*, & *non impedita* existente. Unde etiam *vomituriunt* ægri, interdum quicquid *medicamentorum* porrectum fuit, denuo *evomunt* & nil amplius. Subinde conqueruntur in istis anxietatibus: **wann ich mich nur übergeben könte/** dicunt. Hinc sæpius observavi, quibuscunque *vomitorium* in *primo* malignarum *insultu* dedi, hi omnes *morbi cursum*, sive salutaris sive lethalis fuerit, *quieti* & *tranquilli*, summa etiam prostratione virium existente transegerunt: *in specie*, si *à contagio* fuerit *malum*, adeò ut hoc in casu unum ex primariis videatur auxiliis *vomitus* maturè provocatus. *Anxietates* istæ, etsi per *sudores* leventur, tamen *sudoribus cessantibus* redeunt. Nempe hoc in casu non semper copiosa *materia peccans* aut *sordium saburra* adest, quæ stomachum afficiat, sed *effluvia* illa fermenti febrilis *maligna*, quæ cum *sudoris* medio difflantur, primæ viæ ac præcordia liberiora sunt, sed illo suppresso, eadnm interiora versùs ruunt, & anxietates inferunt: non secus scil. ac *diarrhœa* ex suppressa *diaphoresi* interdum oritur, & contra *hâc* auctâ *illa* cessare solet. *Alvus* interdum *clauditur*, id quod melius est, præsertim quando excretio cutanea expectanda, frequentius *nimis fluida* est, & *excreta liquida*, *fœculenta*, *pessime olentia* excernuntur, uno nomine, *fluxus colliquativus* est.

Hæc

Hæc & similia *symptomata* varia *malignis in febribus* observantur, sed *sæpe latent* febres tales, ut non nisi tardè subinde Medicus eas valeat internoscere. Sed *suspicio earum* oritur 1. quod *ægri* plus solito sint *imbecilles* citra manifestam causam. 2. quod, licèt omnes *functiones* sint *naturales*, tamen *appetitus* penitus sit *prostratus*. 3. simul *agrypnia* etiam sine causa quacunque ægrum vexet. 4. quod *urinæ* tales *sanorum* similes sint. 5. *Pulsus minor* plus minus *debilis*. 6. Quod *citra calorem magna* adsit *sitis* cum *aridura linguæ & faucium*. Quia etiam *critica symptomata* nonnunquam *malignitatis signa* mentiuntur, eadem distinguere docet *Poterius lib.* 1. *de febb. c.* 18. nempe omnia *symptomata gravia*, quæ apparent *ante signa coctionis*, *morbi maligni* ratione fiunt, at *post coctionem* pendent *à conflictu naturæ & morbi*, *nilque maligni* habent, præter *speciem & apparentiam*.

Quæritur jam in specie: in quonam consistat malignitatis ratio formalis tam *morborum malignorum* in genere, quàm in specie *malignarum febrium?* De hac controversia quatuor primariæ sunt *hypotheses*. I. Asserit, consistere *malignitatem* in *singulari corruptione humorum*, qua iidem *putredine* quasi afficiantur, & ita singulari modo corrumpantur. Verùm dum non explicatur, in quo consistat putredo talis, neminem sententia hæc sapientiorem reddit.

II. *Moderni*, quorum antesignanus est *Willisius Tr. de febribus*, volunt, in *febre maligna* sanguinem disponi ad *coagulationem* ita, ut hinc inde *semigrumosus* hæreat, & sic circulum naturalem turbet, undè tam tetra oriantur symptomata. Verùm hanc sententiam non ineptè refutavit *Carolus de la Font. Med. Doct. in Acad. Avenionensi in Gallia*, *Tr. de veneni pestilentis natura & cura*, *differt.* 1. *c.* xv. qui potius *venenum corrosivum de natura arsenici causam pestis*, hinc &, mutatis mutandis, *malignarum febrium* statuit. III. Est *Sylvii*, qui *malignitatem quamcunque* in *acrimonia nimia*, nunc *lixiva* sive *urinosa*, nunc *acida* consistere asserit. vid. *Tr. de lue* ♀*ea* §. 130. in specie autem in *febribus malignis* peccare acrimoniam *salis volat. alcali nimis acris*, enervantis acidum lymphæ & sanguinis. Vid. *Prax. l.* 1. *c.* 33. *& de peste Tr.* IV. Est eorum, qui *malignitatem* consistere volunt *in verminatione* sive *putredine animata*. Hujus sententiæ patronus est *Kircherus in Scrutin. Pestis*. Consentit eidem *Langius in præfat. super Tract. prædoct. de peste*, item *Hauptmann. de viva mortis imagine*. Sanè *Kircherus* non solùm *in Scrutinio pestis*, sed etiam in *Arte magna lucis & umbræ l.* 10. *part.* 2. *pragmat.* 2. innumeros vermiculos minutissimos in quovis subjecto putrescente, in plantis putridis, aceto, lacte, cadaveribus, lignis, fructibus, sed & in sanguine febrientium, in cerebro hominis, aliisque ejus partibus ex putredine ortos per microscopium observavit. Vid. etiam *Mundum subterran.* Kircheri *lib. de veneno p.* 107. *August. Hauptmann.* ejusdem est sen-

tentiæ,

tentiæ, qui omnes *morbos ex putredine maligna* exortos suam *ex verminosa substantia* originem trahere asserit. *Idem Author* per microscopium observavit in Gangræna, lue ♀*ea*, vermes plurimos, limacum instar, qui carnem non secus ac caseum fodicâssent, & unicus ejusmodi vermiculus chartæ impositus brevi spatio 50. alios extra corpus rejecit. In peste sævissima, quæ totam Lusitaniam depopulatam reddidit, principio morbi omnibus vermium rotundorum nigrorum copiam per nares manasse observavit *Zacut. Lusit. l. 4. med. Princip. histor. 46. quæst. 42. Zapff. in dissert. de morb. Ungarico* inquit: *Ipse in nupera dysenteria laborantibus per microscopium aliquoties observavi innumeros vermiculos, albos & rubros, acarum magnitudine æquantes cum rostrulis hamatis.* Item *in puerpera hujus loci, sinistræ mammæ, quæ laborabat ulcere, multa remedia, sed incassum fuerunt adhibita: Tandem in suspicionem vermiculorum ex lacte putrescente incidi, cremorem crassiusculum effluentem per microscopium examinans, tunc aderant innumeri vermiculi minimi, quales in caseo apparent:* postea adhibito *bufonum pulvere* cum pauxillo *oleo arsenici*, vermiculis enecatis, ulcus brevi fuit consolidatum. Sic habitum corporis verminosum cum variolis & pustulis vidit *Rhodius cent. 3. obs. 64.* Conf. etiam *M. A. N. C. an. 1. p. 147.* probabile ergo admodum videtur, *sanguinem* præsertim *malignè febrientium* admodum *vermiculosum* existere. Sed hanc sententiam, & hinc malignitatem derivatam optimè ventilat *Marcus Marci in Phil. vet. restit. part. 4. sect. 8.* dum dicit: *Vermes* nonnisi *præcedente putredine sive corruptione sanguinis & humorum* posse generari, adeoque potius effectus esse corruptionis malignæ, quàm ejusdem formalem rationem.

Ex modò allegatis *hypothesibus* eam probabilissimam arbitror, quæ in *acrimonia intensissima* & simul *summè volatili* consistere *malignitatem* statuit; sive *acerrimum fermentum & spirituosum*, adeoque *intimè penetrans*, & tam *fluidorum corporis texturam* insigniter immutans; quàm *solidorum sensibilitatem* singulariter irritans, esse *causam fermentalem malignitatis*: vel ut *Sydenham* loquitur, *observat. de morb. acut. l. v. c. v. malignitatē* in Epidemicis morbis, *in particulis calidissimis & spirituosissimis* consistere, ita ut *malignitas* ad *venenorum* naturam, quorum vis *in acrimonia summa* sub minima mole *insigniter activa* consistit, accedere videatur. *Sylvius* equidem in febribus malignis *acrimoniam lixiviosam*, sive *alcalinam* intelligit: sed cum *alcalia* potius passivè se habeant quàm activè, & ubique *acidorum* ductum sequi soleant; *nervosarum* etiam *partium symptomata*, v. g. *deliria, vigiliæ* &c. in plurimis perquam frequentia, potius *ab acido acri*, quàm *urinoso* videntur oriri, *& constitutio partium vitalis*, quarumvis, tam *solidarum* quàm *fluidarum*, sive veterum *calidum nativum*, quæ *in malignis* in specie oppugnatur, in *acido volatili* (quatenus

Tackenii hactenus probabilissimis, dum meliora monstrata nondum sunt, hypothesibus insistere placet) potissimum fundata sit, quæ nonnisi à *symbolizante*, sed *vitioso*, & illud quasi *subjugante* vitiari potest *acido*; remedia quoque usitatioria, ut *salia volatilia*, *camphora*, *animalium* partes duræ, ut *CC. ebur*, *unicornu*. Item *terræ pingues* & plus minus *temperando absorbentes*, *terra sigillata*, *bolus armen*. Item *antimonium diaph. bezoard. miner.* remedia *solaria*, *diaphoretica*, &c. speciatim vi *acidi volatilis temperativa & correctiva*, ac plus minus *fixativa* polleant, probabilius videtur *acidum acerrimum volatile sive spirituosum* potius *malignum* istud in *febribus* constituere, quàm *urinosum*, sive *lixiviosum*. Unde etiam causus aliæque fixiores *continuæ febres*, tam vicinæ sunt *malignis*, ut hæ subinde sub illarum regmine lateant, & illæ quoque promptissimè in has degenerent, quatenus facilè *fermentum febrium* illarum *benignum*, sive *mitius*, *acrius & volatilius* reddi, indeque *malignitatem veram* contrahere potest: ut taceam *variolas*, *pleuritides* ac similes, manifesto *ex acido* natas *febres*, sæpe *malignas* simul existere. Sed si ritè hæc consideremus, *malignitas* hactenus explicata nonnisi illas *febres* attingit, quæ ex *contentis humoribus maligno* tali *fermento* inquinatis, oriuntur, quæ *mitiores* saltim esse videntur, cùm *graviores*, ex *infectis*, & *maligno afflatu* quasi *vitiatis spiritibus* primariò oriri videantur, qui *infecti* exinde notabiliter *immutati*, & plus minus *syderati*, sive ex parte *mortificati*, contenta corporis, in specie sanguinem pessimè vitiantes, *maligniorum febrium* & speciatim *pestilentialium* ipsiusque *pestis* fundamentum existunt.

Nempe afficiuntur in *febribus malignis* primariò quidem *contenta corporis*, utut secundariò etiam *acres*, *maligna particulæ* generis nervosi partes quasdam, v. g. ventriculum plus minus affligere soleant. Prout autem *particularum fermentativarum* non est *differentia* in proprietatibus & activitate, ita etiam *malignitas* quibusdam in febribus *humores*, præsertim *sanguinem* inquinat, in aliis verò *spiritibus* magis infesta est, quorum prævio inquinamento & massam sanguineam plus minus afficit. Ut hoc pateat, observandum, quod *symptomata* illa inter *graviora* & *insolentiora* primatum ducat, *nimia virium prostratio*, tam ex ægri *narratione*, quàm ex ægri *pulsu* cognoscenda: Cum verò omnis *vis corporis viriumque debitum robur in spiritibus* situm sit, non poterit in malignioribus febribus tantus *virium collapsus* tam repentinus esse, nisi *malignitas* sive *venenum* primò *spiritus* occupet, hisque in specie inimicum sit, & his mediantibus *contenta cætera fluida*, speciatim *sanguinem* inquinet, id quod ulterius cætera *concurrentia symptomata* confirmant, *pulsus* nempe *parvitas & debilitas*, *urinæ* in malignioribus aut pessimo ægri statu *naturalibus*

similes

similes subinde; item *agrypnia ac delirium*, in talibus febribus citò ac frequenter affligens *contagium*, efficacissimè & latissimè, in distans non rarò, se diffundens, quod saltim *spirituosis ac subtilissimis effluviis* competere potest. Conf. hic in specie *Velthusius de usu lienis p.* 134. *& seqq.* ac sanè plures *contagiosiores* & speciatim *pestilentes*, ipsaque *pestis spiritibus* in specie inimica sunt.

Sunt autem *spiritus*, virium fundamentum, *duplices*, vel *vitales*, vel *animales*, qui tamen mutuo nexu & functionum circulo mutuas opes sibi conferunt, & ad conservationem sui ac totius corporis intimè conspirant. Probè itaque attendendum, utrum in maligniori febri magis *spiritus vitalis* cum massa sanguinea vitiatur, an verò ~ *animalis & genus nervosum*.

Spiritus vitales & hinc *massam sanguineam* primariò affectam esse persuadent. 1. *Æstus* intensus, cum *pulsu* celeri, frequenti, parvo. 2. *Sitis* clamosa, *fauces* aridæ, *lingua* scabra, nigra & fissa. 3. *Æstus* moderatus cum *pulsu* celeri, frequenti & inæquali, mox sub *ingressu morbi* apparentes.

Spiritus verò *animales* ac *genus nervosum* primariò magis affectum ostendunt (1) *ardor capitis* circa frontem continuus, & longè intensior, quàm in reliquo corpore (2.) *Pulsus durus*, citra partis cujusdam membranosæ in quadam corporis regione notabilem affectum, simul *celer*, *frequens* &c. Tales *pulsus cum duritie* semper *suspecti* esse solent. (3.) Si cum *pulsu laudabili*, hoc est, magno, vehementi, æquali, frequenti, *æstu* plus minus *intenso*, tamen *summa virium prostratio*, aut *stupor*, aut *facultatum animalium defectus* se exerat. (4.) Si *urina* parum à naturali statu recesserit, aut *tenuior*, quàm morbi ægrive conditio requirat, fuerit, adeoque pertinaciter *cruda* extiterit. (5.) *Agrypniæ pertinaces* sine manifesta causa. Forsan & (6.) huc pertinet, si *arida, scabra*, plus minus *squalida cutis* ægri fuerit, absque *vaporoso calore*, vel *blandi madoris* vestigio.

Talium adeoque malignarum febrium *malignitatis*, qua *spiritus* afflando quasi adeò pessundent, *ratio* à priori hactenus *imperscrutabilis* extitit, ipsâ spirituum naturâ & existendi ratione nondum adeò exactè exploratâ. Sanè *contagia* magis *activa*, sive *spirituosiora* & *potentiora* in ~*us* inprimis agere, præter modò dictas rationes, persuadet *imaginatio*, quæ nonnisi *spirituum ministerio* peragitur, & tamen efficacissimè *contagiorum receptionem* promovet.

Ex hactenus dictis lucem fœneratur, unde *æstus* & *febrilis sanguinis ebullitio* utplurimum *remissior* observari soleat *in febre maligna*, & vix unquam ad gradum *ardentium* assurgere, pessimo licèt ægri statu. Unde notatu dignissimum est assertum *Sydenhami de meth. mod. p.* 43. quamvis *malignitatem*, quæ sanguinem adoritur *sine insigniori febrili ebullitione*, *periculosiorem longè* esse. Aut enim *spirituum* magis affectorum & quasi *syderatorum*, quàm *turbatorum humorum* est indicium: aut saltem in *humoribus* præsertim *sanguine* à fer-

mentativis malignis miasmatis *confusionem*, & in *textura* & *motu intestino* eorum *inordinationem* indicat. Unde natura quasi oppressa non potis est symptomata illa magis regularia exerere, quæ morbo competunt. Conf. etiam ejus (*Sydenhami*) *obs. de morb. acutis, s. 5. c. 5. p. 362.* sanè in istis *malignis*, quæ cum *excretione cutanea* contingunt, v. g. *petechialibus*, *variolis*, *purpura* &c. Tantum abest, ut *æstus & sanguinis ebullitio* gravioris morbi sit indicium, ut potius, modò non nimius fuerit, promoveat insigniter & separationem & excretionem producti illius morbosi, sub cute defixi: cùm hi ècontra periculosius habere soleant, in quibus deficit magis calor & æstuatio corporis febrilis; unde & parciùs & tardiùs excretio talis cutanea procedere solet. Equidem *malignis febribus*, quæ ex *interna contentorum degeneratione* oriuntur, item in *Variolis*, *Morbillis* &c. & hinc etiam *febri acuta* sanguis effervescentia agitari solet; sed in *acutioribus*, *pestilentialibus*, *peste* ipsa, *spiritus influi* inprimis affici, & quasi mortificari aut necrôsi affici videntur.

Fermentum istud *malignum* quamcunque afficiat partem, nunc *in corpore humano* generatur, nunc *aliunde* ipsi communicatur. Multis equidem videtur dubium, an intra nos generetur malignum, & quasi ita venenum in nobis producatur; quod tamen non nisi ex natura veneni non ritè intellecta originem duxit. Sed qui considerat varias, & subinde imperceptibiles, in corpore nostro *humorum alterationes*, secundùm *res non naturales*, præsertim varia assumenda, & *præternaturales*, speciatim, in primis viis, & *multiplices miscelas* & per *medicamenta* quoque factas eorum *mutationes* & exinde *mirabiles texturas*, ac hinc *proprietates novas*, ac planè *singulares sapores*, is non dubitabit etiam *malignas febres* in specie & primis viis, suscitari posse. Nam & irati hominis morsus venenosus non absque ratione quibusdam putatur. Sic. v. g. *succus pancreaticus & felleus* naturaliter constituti tertium *temperatum succum* constituunt, quorum *alteratio*, præsertim pancreatico acriori aut acidiori existente, *bilis*, *æruginosa* dicta, plus minus *hostilis*, prout *acrior* sive *mitior* eadem fuerit, & ob pessima symptomata, quæ interdum inferre solet, plus minus *maligna* oritur. Sed tales utplurimum *privatæ* sunt. Nam quæ ab *extra* communicatur *malignitas* aut *contagio*, aut *epidemicâ quadam aeris & alimentorum alteratione* nobis insinuatur, adeoque in plures simul observatur grassari.

Hinc observanda venit *Febrium malignarum* differentia, à *Lindano super Hartmann.* insinuata. I. *Malignæ simpliciter*, v. g. quando καῦσος, aut *tertiana continua*, vel *intermittens* suâ naturâ benignâ, ex degeneratione causæ occasionalis sive fermenti febrilis, ex parte acrioris & subtilioris, pessima inferentis symptomata, facta est *maligna*. Sic *variolæ* nunc *benignæ* nunc *malignæ* observantur. II. *Maligna contagiosa*, v. g. *petechialis*, *febris castrensis* vel *morb⁹*

Hunga-

Hungaricus, quò ut plurimum etiam pertinent *Epidemicæ malignæ*, III. *Pestilentes*, harum summus gradus. IV. *Pestis ipsa*, Rex morborum.

Quoad *malignas contagiosas*; fundamentum harum consistit in tali *fermento maligno morboso* (h. e. quod ob *acrimoniam malignam* summè *activum*, adeoque sui mediante intestino, quasi fermentativo motu, aptâ in materia, *multiplicabile* existit, ob *volatilem* verò & *spirituosam naturam spiritibus nostris* inprimis *communicabile*, & hinc absque activitatis impedimento, in distans quoque *diffusibile* & *summè penetrabile* est) quod *auræ* sive *odoris* instar, adeoque in minima mole *contentis nostris*, præsertim *spiritibus nostris* sociatum, assimilationis modo *se multiplicans, effluviorum spirituosorum* medio longius in *distans*, vel per *aerem*, vel per alium quendam *fomitem*, aut etiam per ipsum cum corpore ægri *contactum* disseminatum, *spiritibus* sibi *symbolizantibus* se sociat, sicque etiam *sanum* inficit.

Nempe *contagium* istud videtur se inprimis associare *mumiæ nostræ spirituali vitali*, hinc enim v. g. in *peste humana* homines, non verò bruta, & contra inficiuntur: magis itidem ab ægris *consanguinei* quàm alii affici solent. *Contagium* tale, quod *Aere mediante* se nobis insinuat, præterea sensibiliter afficere solet *stomachum* & *massam sanguineam*, *spiritusque* per pulmones circulatos.

Quod afficiatur *stomachus*, ex eo patet, quod tales infecti, ubi aliàs nullam alterationem sentiunt, conqueruntur tamen de quadam *molestia in orificio ventriculi superiori*, quam molestiam sæpius sequitur *nausea*, quæ si superveniat, *bonum* est *signum*; Innuit enim ventriculum insurgentem contra malignitatem: Et sanè rectè dicit *Lindanus*, in constitutione Epidemica hoc esse observatum, neminem nauseare, nisi qui μίασμα contagiosum suscepit. Hinc in quibusdam febre maligna mortuis *ventriculus alteratus* & *Eschara*, tanquam à vesicatorio aut caustico *affectus* deprehensus fuit. Vid. *Barthol. cent.* 3. *hist.* 68. item *cent.* 3. *Epist.* 42. item *Helmont. de Peste.* Contagium autem afficit *stomachum*, quatenus *Aer* haustus contagio plus minus inquinatus & imprægnatus *salivam* inquinat, quæ per gulam descendens *ventriculum* inficit. Non enim possum consentire *Helmontio*, qui dicit cribari aërem per pulmones & diaphragma, & hinc ad stomachi ambitum pertingere. Sanè *Bartholinus in febb. malignis* locum primariò affectum semper esse *stomachum* exinde concludere nititur.

Quoad *Febres epidemicas* malignis privatis, & quæ ex particulari contentorum corporis, præsertim in primis viis, *dyscrasia*, & hinc *maligna volatili acrimonia* oriundis oppositas, hæ vel *vitio athmosphæræ*, vel *vitio victûs* generari, & his mediantibus in plures grassari solent. Quod si *contagii* simul accedat *violentia*, eò latiùs diffundere se solent. *Athmosphæram* quidem multiplicia *effluvia* inquinant, vel ipsa *nobis* in se *hostilia*, & *maligna*, vel mutuo *halitu* & *associatione* nobis contraria facta, vel (quo inclinat *Hodges Tr. de peste Londinens.* p. 39.)

p. 39.) *spiritus nitro-aerei* alterativa & quasi corruptiva, quo minus usui vitali nobis amplius inservire queat. Sic *febrim malignam* ex *attractione auræ*, ex *ventilato frumento*, per aliquot annos quieto, obortam, notat *Rulandus de febr. Hungar. c. 8. p. 231.* Sic ex *fœtore paludum & rerum injectarum putrescentium febrim malignam pestilentialem* paucos ante annos Lugduni Batavorum natam notat *Helvetius in Diribitorio p. 65.* & sanè frequentissimam *febrium pestilentium* originem rerum talium corruptarum fracedines esse, jam diu observatum est, confer *Hamel. de affect. corporis p. 438.* ubi, quo modo tales fracedines febres pestilentes inducant. Unde & post magnas hominum strages, & corporum minus debitè sepultorum *putredinales exhalationes*, & in diuturnis obsidionibus, aut castris non mutatis, ex varia colluvie putrescente exhalantes *fracidi odores* epidemicas malignas suscitant febres. Ut nihil hîc dicam de *antris subterraneis*, antea diu clausis, apertis, de *terræ motibus* &c. crebriùs *febres malignas* comites trahentibus. Quoad *Victus errata*, nihil notius est, quàm *famem sequi pestem*. Item esus alimentorum, præsertim carnium absque *salis condimento:* Item esus *carnium ægrotantium*. Vid. *Borell. cent. 2. observat. 32.* Item potus *aquarum putridarum*, aut usus *fructuum horæorum corruptorum*, *à maligna aura* afflatorum, fæcundæ matres *morborum*, speciatim *febrium malignarum epidemicarum* esse solent.

Cavenda autem in genere sedulò *fermenti maligni*, ceu *causæ*, febris malignæ, confusio cum *alterationibus sanguinis*, *aliorumve humorum*, *notabilioribus* in malignis febribus obviis, ceu productis morbosis, utplurimum *spirituum influorum*, prævia alteratione & affectione à fermento maligno inductis: hinc enim nec *sanguinis coagulatio* à *Willisio* asserta, nec ejusdem *nimia dissolutio*, quam *Sylvius* urget, ad *rationem* malignitatis formalem explicandam inserviunt; dum hæ alterationes *producta morbosa mediata*, non secus ac *bubones* ac *carbunculi*, putandæ sunt, v. g. in ægro *variolis* aut *morbillis* correpto, & per totum corpus iisdem incrustato, non putandum est, extitisse in corpore tales sordes, quæ febrim induxerint, & postmodum sub cute depositæ *variolarum* pustulas saniem constituant, siquidem sanissimus subinde ex improviso iisdem copiosissimis obducitur: sed à *fermento maligno*, interdum sub forma *odoris contagiosi* hausto, — *inquinante*, & horum medio *humores afficiente* generantur ista in corpore, donec unà cum multiplicato *fermento cõtagioso*, sed istorum humorũ, licet alteratorum, mediô temperato & correctô secernãtur, & circa glandulas intercutaneas desigantur. Par ratio *Petechiarum*, *purpuræ*, *bubonum* & *anthracum* esse videtur. Sunt horum *colores rubri*, *lividi*, *nigri*, non à maligno fermento, plus minus caustico sive urinoso præcisè; sed à majori vel minori *mortificatione*

ficatione & *necrôsi humorum* vel *partium solidarum*, ob *...uum extinctionem* oriantur, cujuscunque etiam naturæ fermentum malignum fuerit.

Quoad *Prognosin*, omnes equidem febres malignæ *periculosæ* sunt, & *pessimi* sæpe ominis; quò *periculosiora* tamen cum *viribus debilitatis* concurrunt *symptomata*, eò *majus periculum* portendunt. Interim verissimum est effatum *Hippocratis*, in *acutis incertas* esse *prædictiones* vitæ & mortis: unde & *Galenus*, malignas febres *statuta ad judicandum* non habere *tempora* asserit. Ideò prudens Medicus cautus sit in *prognosi*. Plurimi enim cum *periculosissimis* evadunt *signis*; alii cum *salutaribus* è medio auferuntur.

Quò magis *æqualis* est *pulsus*, & *consuetum* eundemque *tenorem* servat, eò meliùs: *inordinatus* verò *inæqualis*, & quasi *contractus*, periculosus, præsertim in principio. Inprimis, quò *major pulsus*, eò melius; *quò minor*, eò deterior. *Urinæ sanorum* sunt *simillimæ*, vel etiam *perturbatæ* & *crassæ*, tales *permanentes* malæ. Multi, *coctionis signis* in urina apparentibus, sed denuò recrudescentibus, sublati sunt è medio. *Urina* tamen *cocta*, laudabile habens *enæorema*, per aliquot dies *continuans*, & in *sedimentum* sensim abiens, *salutem certam* perpetuò pollicetur. Rarum est, quod *cruda urina* metastasin *materiæ peccantis* sive *producti morbosi* in morbis malignis *felici eventu* insinuet. Vid. *Act. Med. Haff. vol.* 4. *p.* 156. *Delirium* si *à somno* compescatur, non est metuendum, inprimis si simul *copioso* conjunctum sit *sudori*; *post somnum* autem *perseverans* delirium admodum est *periculosum*.

Surditas, sivè potiùs *obauditio* in morborum acutorum *principio periculosissima*, circa *statum* verò apparens *salutem* portendit, id quod aliquoties observavi: *quare*, nondum determinatum est; forsan ad parotides glandulas *decubitum* quendam quasi *criticum* innuit, & successivam hinc *discussionem materiæ peccantis*; Siquidem & *parotides tumores* in febribus malignis & purpuratis *lethales* in *augmento* & *statu* morbi; si verò tantillum *declinante morbo* appareant, *salutares*.

Narium stillicidium semper *malum signum* est, præsertim si cum *agrypnia*, sine manifesta causa, *ardore capitis*, aut *continuo* magis, aut *intenso* magis, quàm reliqui corporis, *faciei* simul *rubore* adsit: *rarò* tales evadunt: nempe *spina peculiaris*, (fermentum malignum) *capiti* quodam in loco, aut *ejus membranosis partibus* infixa est, cujus occasione hæc *symptomata*. Hinc *vesicatoria* brachio aut cruribus admota, item *raninarum* sectio, aut *hirudinum* ponè aures applicatio subindè *necessaria* est.

Sin in *vola manus* æger sentiat *tensiones*, aut *titillationes*; item si circa *carpum*, dum *pulsum* tentat Medicus, *tendines*, etiam quietis digitis, moveri

veri aut ſubſaltare videntur, *convulſionum* certò imminentium indicium eſt.

Muſcarum venatio, aut *floccorum* collectio in *malignis* ferè ſemper *lethalis:* Rariſſimè tales evadunt; cujus exemplum vide M. A. N. C. *Ann.* 3 *p.* 484. *Tempus eventus acuti morbi* ſive *febrium malignarum*, quod attinet, in noſtro climate *à ſeptimo* uſque ad 14. ferè ſuos terminos habent. Quoad *modum eventus*, ferè *modô* quaſi *critico* judicantur, nempe *per ſudores*: Quò pertinent *excretiones cutaneæ* puſtularum, petechialium &c. nunc *per metaſtaſin producti* nempe *morboſi*, à fermento quidem maligno geniti, ipſum tamen fermentum cicuratum & correctum in ſe continentis, *ad loca glanduloſa*, unde *bubones, anthraces* &c. originem habent.

In CURA 1. *Fermentum malignum* appropriatis *alexipharmacis* dictis corrigendum, & per convenientes vias, ſpeciatim *ſudores*, evacuandum. 2. *Spiritus* & *humores* roborandi, ne tam facilè à fermento maligno alterari, ſed hoc potius ſubigere queant. 3. *Symptomata*, tam ratione violentiæ *maligna*, quàm ratione febris continuæ plus minus ardentis, *urgentia* mitiganda.

Nam quoad primum, modò vel *acre acidum volatile malignum* in humorib⁹ *correctū*, vel *odor*, aut *fracedo venenoſa* in ſpiritibus ſuſcepta, *alterata* & *extincta* fuerit, quod ſupereſt, facilè ab hoſte liberata *natura ſupplet*, dum ſpontaneo ductu per excretiones cutaneas, *bubonum*, *anthracum*, *puſtularum*, *macularum*, venenum, correctum prius, & vehiculo ſeroſi humoris involutum, excludit. Quoad *ſecundum*, modò *ſpiritus* & *humores* in ſua naturali *craſi & conſtitutione* conſerventur, ſive præterea per *remedia* ipſis *ſociabilia*, fermento autem maligno *hoſtilia*, tanquam *quodam balſamo* condiantur, quò *ſymbolizatio* aut *convenientia* eorum cum aliorum hominum *ſanguine & ſpiritibus* hoc modo plus minus immutetur, & ita tam facilis *fermenti maligni*, præſertim *epidemici* aut *contagioſi ſuſceptio* impediatur, aut *ſuſcepti* licèt, *confermentatio* cum iisdem mutuaque earum *alteratio* ita præcavetur; in quo optima conſiſtit præſervatio, quin potius ita diſpoſiti *ſpiritus & humores vincere illud* queant, h. e. *corrigere* & *temperare*, & hinc *excludere*, in quo *curationis* verſatur *cardo*, res omnis de facili impedietur. Nempe, ut rectè *Paracelſus tom.* 3. *operum fragmenti de peſte* hoc verum regimen præſervativum afferit, die *virtutem attractivam* ſtillen/ daß nichts ein läſt gehen/ h. eſt, ut interpretor, ita *alterare corpus*, *ejusque contenta*, ut inepta fiant ad *veneni* aut *contagii* ſuſceptionem. Conf. idem *Paracelſ. de Peſte lib.* 2. *cap.* 3.

Hisce modis nempe *fermentum malignum* corrigendo, vel *balſamicâ vi mumiam naturam ſpiritualem* condiendo, operari videntur *Alexipharmaca*, eaque pro ſui varietate nunc ſaltim *alterutro*, nunc ſimul *utroque modo*. Rem *exem-*

exemplis quibusdam illustrabo: Præ cæteris decantata sunt *sulphurea*, v. g. ex *minerali regno sulphur commune*: ejus usu *Hippocrates* pestem istam famosam Græciæ abegit, & *suffitus ejus* pro *aeris* emendatione, & pro *potûs* medicatione, perquam laudatum existit, non secus ac *ejusdem in substantia usus*. Sanè *suffitus* sive *odor sulphuris*, ut quasvis *corruptiones & alterationes*, ipsamque, *Helmontio* teste, *sanguinis putredinalem alterationem* præcavet; ita & simul *odores & fracedines malignas, contagiosas, pestilentes*, ignis instar tollit & extinguit. Concreta ☿*ialia* ♀*ea*, debito & appropriato venenoso sive maligno habitu per *ignis* & ⊖*i* vim exhausta, in *febribus malignis* saturantur quasi denuò, dum *absorbent* similem *malignum & venenosum halitum*, sive *fermentum*, febris malignæ autorem. *Terræ pingues*, temperando & absorbendo *fermentum malignum acre*, & illud ita corrigendo se exerunt. *Camphoræ* penetrantissima *substantia* & *odor* efficacissimus, & *balsami* instar condit corpus nostrum, etiam mortuum, & *acre* ∽*sum* quodvis temperat, ita simul *odorem malignum & pestilentem* sui miscela alterat & enervat. *Aceta qualibet*, aut horum loco *succi vegetabilium acidi*, præsertim *citri*, item *clyssi mineral. sulphurei*, penetrando & permiscendo se undique certo modo *alterant contenta corporis*, & *firmiorem* suo modo *texturam iis conciliant*, quo modo tum *præservationi* inserviunt, idque eò magis, si *alexipharmacis aromaticis* infusis *balsamicam vim* majorem acquisiverint; quam pro *vehiculo* plurium remediorum, præsertim *aromaticorum calidiorum* optimè conducunt, quò etiam *vina generosa acidula* pertinent. *Animalium* partes duræ, *C. C. ustum*, *ungula alcis*, *lap. bezoar.* &c. *absorbent* non saltem partibus animalium *hostile malignum & acre*, sed simul & potissimum *salia* eorundem *volatilia* & ∽*crasi sanguinis* conservandæ, & per *diaphoresin* ac *diuresin* depurandæ, & ita suscepto *maligno evacuando* simul conducunt. *Alexipharmaca* cætera, *aromatica*, *amara* &c. v. g. *zedoar, baccæ hederæ, juniperi, lauri, angelica, myrrha, crocus* &c. exque his & similibus concinnatas *compositiones theriacales*, per *opium* inprimis animatas &c. quod attinet, præter *usum sudoriferum* modò laudatum, dum *æstum corporis* sui usu, mediante constitutione resinosâ (∞*sâ*) *intendunt*, hoc ipso *sanguinis balsamicam vim* & ∽*uum vigorem ac robur* conservare, *impetum* verò eorum, undecunque *intensiorem factum*, societate *opii* debitè refrænare, ac contra *malignum virus* ita defendere, ostendunt, *acido* præsertim *cum vehiculo* usurpata. Sed hæc in genere *de alexipharmacis* delibâsse sufficiat.

Ut autem in suas quasi classes redigantur *remedia*, *malignis febribus opposita*, sunt ea vel *fixa* vel *volatilia*. *Fixa* vel *mineralia* vel *animalia*: *Mineralia*, ut ☿ *diaph. bezoard. min.* quælibet. ⊙ *diaph. Cinnabaris* ☿*ii*, *terra miner. unicorn. fossil. corall. flor. sulphuris*, ⊕ & ⊕ *ata* &c. *Animalia* suggerunt *partes duras*, tam temperatas quàm ustas, ut *C. C.* vel *ebur*, cum vel sine △. *Unicorn. verum præpar. lap. animalium bezoardici, pulveres viperini* & similia.

Volatilia sunt vel *macra* sive *salina* ferè frigida, vel *aromatica* sive *oleosa*, ferè *amara calida*. *Macra* illa sunt *spiritus & salia volatilia urinosa*, *C.C. viper. urinæ, liq. CC. succin.* &c. Item *acetum, succus citri*: Nam *tota citrus* est *alexipharmaca*; *clyssi sulphurei*, qui tamen magis in *potu* usitati, *oleosa volatilia* sunt *camphora*, omnium optima, *zedoaria, cent. min. card. ben. scordium, allium, chelidon. maj. helen. vincetox. Calendul. crocus, Rob. junip. & sambuc.* item *olea destill.* ut *succini, citri, camphoræ*, exque his concinnatum *oleum pestilentiale Henisii. ol. destillat. C.C. Tartari &c. Essent* & *spiritus theriacales camphorati*, vel *crocati*, *aceta bezoard. Tinctura bezoard.* &c. Mediæ quasi naturæ est *Gelatina C.C.* item *semina expulsiva* dicta, *napi, citri, aquileg. card. bened.* &c. Ex modo dictis sexcenta alia concinnantur *composita*, v.g. *pulvis bezoard. Senn.* vel *D. Mich. rubeus Pannon.* inprimis conveniens, ubi *fluxus alvi* simul adest, *pulvis Saxon.* quorum largissima seges hinc videatur apud omnes *Scriptores*. Pertinet huc *theriaca* & *Mithridatium, Elect. de ovo, Confect. de Hyacinth.* & præ his temperatum magis *Diascord. Fracast.* & quod magis laudandum, à *Sylvio* correctum, quæ ipsa propter actuationis incrementum, quod inferunt, convenientissimè cum *vehiculo acido*, in specie *aceto*, propinantur.

Pro remediis supra dictis indicationibus ritè applicandis observandum: I. Ad illud præsertim, *quod magis urget*, esse respiciendum: nempe *febris* nunc est *simpliciter maligna*, nunc *complicata* plus minus *cum febre ardente*; propterea attendendum simul ad *motum sanguinis fermentativum*, *ejusque ebullitionem febrilem*, & inde dependentem *æstum*, *cephalalgiam* & alia symptomata *febribus ardentibus* communia. Quò magis enim hîc urget, eò minus *alexipharmacis volatilibus oleosis* utendum est, quò minus verò eò tutius talia, præsertim *in principio & augmento* usurpari debent, id est, ut vulgo vocant, attendendum, an major *putredo febrilis* sive *effervescentia* in sanguine, an verò major *malignitas*: Nam, si prius, *alexipharmaca minus sulphurea* aut *oleosa*, sed *magis absorbentia*, aut *salia volatilia*, eaque *subinde blandis acidis* temperata usurpanda. Sin verò posterius, tutius generosiora etiam & æstuationem corporis nonnihil intendentia *theriacalia* & similia usurpantur *alexipharmaca*.

II. Observandum, quia *febrium malignarum* non semper, nec in omnibus una eademque est ratio, sed eædem variis se produnt symptomatibus, & nunc *continuæ*, nunc *intermittentes* videntur, *malignitatis* gradus etiam differunt; ita eas *curãdi ratio* non simpliciter est eadem, sed pro varietate dictarum circumstantiarum subinde varianda sunt remedia. Sic illa *maligna febris*, quæ *à contagio* oritur; magis requirit *alexipharmaca* & *potentiora sudorifera*: quæ verò *à causa interna, humorum* nempe intus genita *malignâ constitutione*, magis *temperantia, absorbendo alterantia*, & successivâ diaphoresi *resolventia*. Sic attendendum

dendum quoque an *massa sanguinea*, an verò *spirituum animalium* ac *nervorum systema* magis affligantur. Posteriori n. in casu *volatiliora*, *subtiliora* ac *penetrantiora opiatis* mista magis conducunt: priori verò in casu non nisi *volatiliora* aut *fixa*, *acidis blandis* subinde interpositis, conducunt. Item propter *specialem* febrium malignarum *differentiam* semper observandum, ut in specie *huic malignitati appropriata* opponantur *remedia*, ut in *Variolis*, *Petechiis*, *Dysenteria Epidemica*, *purpura* & similibus fieri debet.

III. *In principio malignarum*, si vel *à causa epidemica externa*, vel *à contagio extrinsecus hausto*, ortum fuerit malum, *Vomitoria* sunt optima: innuit hæc *nausea*, post susceptum contagium ordinariò insequens; vel *anxietates præcordiorum* vel præsentes, vel metuendę ac imminentes; aut si alia circa *præcordia* molesta se offerant *symptomata*. Pariter conveniunt eadem *vomitoria*, si *ex privato contentorum vitio* febris maligna orta fuerit. Sed tempus observetur, ut maturè fiat, nempe in *principio antimonialia vomitoria* sunt optima, vi *fermenti maligni* collectivâ plus minus simul instructa.

IV. Observandum: *nil exitialius* est, & hominem *febre maligna* correptum, præsertim si intensior fuerit malignitas, citius ad interitum trahit, quàm *purgatio* in specie *superflua*. Uti enim nonnisi funesto omine *laxa* in talibus observatur *alvus*, & *Diarrhææ symptomaticæ* aut *colliquativæ* perniciosæ admodum sunt in his febribus: ita quælibet etiam artificialiter instituta *purgatio*, idque in specie, ubi *à contagio* natum est malum, item ubi suspicio est, *cutaneam* affuturam *excretionem*, item ubi minus urget *effervescentia febrilis* ac *æstus*, quàm *malignitas* &c. Omnibus in his casibus *purgatio* quocunque in morbi tempore *vitanda*. Quod si *primis viis obstructis aperiendis* aliquid moliendum necessarium sit, *blanda clysmata*, eaque *temperata* adhibeantur. Et hæc ipsa etiam ubi jam *excretio cutanea* se offert, nonnisi cautissimè applicanda. *Declinante* autem *morbo*, aut *devictâ pernicie*, post quatuordecim dies &c. *blandè laxantia* non incommodè conveniunt. Siquidem externè, pro *primis viis abstergendis*, in febribus malignis necessarium videatur, hoc vel *serum lactis*, præsertim cum *succo citri* nonnihil acidulatum, vel *decoctum Tamarindorum julepis* in debita quantitate additum, vel *nitrum antimoniatum* in potu dissolutum optimè complebit: Rectè hîc dicit *Ballonius Phar. Med. p. 175.* in malignis potius alterandum per *alexipharmaca*, quàm per *purgantia* evacuandum. Id quod observandum contra *Gallorum & Italorum* praxin.

V. Observandum, *Venæ sectio* in malignis, qua talibus, locum non invenit, adeò ut, quò magis maligna sit febris, eò magis noceat venæ sectio, idque fit eò deterius, quò tardius instituitur. Quid enim prodest, sanguinem & *spirituum* trahendo fores apertiores *maligno fermento* pandere? Atque inprimis

excretiones cutaneæ aut [redacted] si [redacted] sunt ubi ſperantur, minimè naturæ motus, venam ſecando, turbandus eſt, cùm ficta illa refrigeratio ex ſanguinis detractione noceat; cùm æſtuatio talium ægrorum, modò non ſit exceſſivè nimia, excretiones tales promoveat. Sanè multorum annorum Practicus *B. D. Michaelis* nemini in febribus malignis venam ſecuit, plurimis funeſtorum experimentis cautior factus. Sunt equidem, qui in Plethoricis venæ ſectionem exanthematum eruptionem promovere aſſerunt: ſed hoc non niſi rarò evenit. Ubi tamen *mitior* eſt *malignitas*, adjuncta autem *febris ardens vehementior*, in *ſubjecto juvenili*; in tali interdum, ſed *mox à principio*, vel ſub principio, venæ ſectio cautè inſtituenda. Conf. hîc ſimul iſtæ circumſtantiæ, quas inſinuat *Williſ. Pharm. rat. p. 2. p. 389.*

VI. *Sudorifera* ergo primatum obtinent in cura malignarum, ſed debitis tamen determinata regulis. Quò major eſt *malignitas*, eò frequentiùs & copioſiùs provocandus eſt *ſudor*, adeò, ut in *malignioribus* aut *peſtilentialibus* ter in 24 horis ſint propinanda *ſudorifera alexipharmaca*; Habenda tamen *virium ratio*, ne hæ ipſæ nimis exſolvantur. Ad hæc, ob nimiam ſeri exhauſtionem, inque ſanguinis ortam incraſſationem, *nimia ſudoris profuſio* ſubinde *minùs tuta*, largiori potu reſarcienda. Propter virium ergo iſtum defectum, poſt omnem ſudorem, ut etiam in ipſo actu fluente *blandis acidulis*, ſub *juleporum* vel *miſturarum* forma viribus proſpiciatur; unde *acida urinoſis* miſta naribus admovenda, ut *vinum generoſum*, *acetum cum aq. carbunc.* temperatum &c. *aq. apoplectica cum ſucco citri* aut *aceto* diluta, quæ etiam ſub ipſo ſudore cochlearis doſi poſſunt propinari, vel *aceti theriacalis*, aut ſimilis parum propinetur, v. g.

℞. Decocti citri ℔ j.
Syr. rub. idæi, q. ſ. pro grat. ſapor. M.

Vel: ℞. Decoct. C. C. ℔. j.
ſucci ribium
granat. acid. an. ℥j.
Diaſcord. *Fracaſt.* ʒij.
Syr. rub. idæi ℥ij.
🜄 ☉ dulc. parum. M.

Et hujuſmodi *miſtura acidulata* cum *diaſcordio* præſertim locum invenit, quando per *ſalia volatilia* paulò profuſior ſudor fuerit prolectus. In *ſudoriferorum* uſu attendendum eſt, an corpus ſit perſpirabile, & an ad ſudorem inclinet, vel non. Si *illud*, tutius & potentiora propinari poſſunt ſudorifera; ſi *hoc*, cautius & mitiora, ne turbetur magis & exagitetur maſſa ſanguinea, interpoſitis ubique *blandis acidis*.

Sed *ſudorifera* inter non levis delectus habendus eſt. Tutiſſima omnium ſunt *ſalia volatilia*, hinc *volatilia aromatica*; ſed hæc ipſa ſaltem *in principio morbi*

morbi & incremento conveniunt; *in statu fixiora* tutiùs usurpantur, idque præsertim in *volatilibus sulphureis* ac remediis *theriacalibus* observandum, ac nonnisi *in principio & incremento morbi* adhibeantur, ac ubi mitus urget *æstus*; periculum aliàs est, ne *in statu* novas turbas in massa sanguinea intensiorem æstum & ebullitionem, indeque varia capitis symptomata inferant. Vid. hîc elegans locus *Ludovici in Pharm.p.*237. cum quibus conferantur *loca parallela p.*243. 261. 280. 284. 328. *&c.* Nempe *volatilia* inter *sudorifera*, ubi *febris* paulò *intensior* fuerit, *macra* convenientiùs locum habent; ubi v. hæc *febris remissior* fuerit, *oleosa* seu *aromatica* adhiberi possunt. Et sicuti hæc *aromatica propter æstuationes nimias & phlogoses* circumspectè usurpanda; ita *salia volatilia*, propter nimiam sanguinis fusionem, & nimiam facilè supervenientem hæmorrhagiam moderatè usurpanda. Vid. *Act. Med. Hafn. Vol.*4.*p.*166. Nocumentis omnibus medentur interposita subinde *analeptica blandè acida*, nempe *ex succis vegetabilium*, in specie *citro* ac *cydoniis*, item *ex clyssis mineralibus sulphureis*; aut denique *mistura* cum pauco ♈ ⊕ *dulc.* Et in specie *compositiones theriacales* cum *vehiculo acido* propinatæ & meliùs ac tutiùs operantur. De *Theriaces* genuino usu vid. *Septalius in animadv. l.*5. §. 53. *p.* 130. Post *sudorifera* talia *volatilia* in *principio & augmento* aliquoties repetita *fixiora animalia* aut ☿*ialia* usurpanda & continuanda erunt. *Camphorata alexipharmaca & sudorifera* sunt optima; quæ præter *vim veneni correctivam* simul aliqualem *vim* ♈*-aum* quasi *fixativam* obtinent; unde præsertim in *inquietudinibus, vigiliis ac metu delirii* conveniunt, quando & *vigilias & deliria* ipsa compescunt. Sed propter volatilem penetrantiam non semper excessivè usurpentur, præsertim quorum vel caput debilius est, ut eruditi aut delicatiores fœminæ, aut etiam quibus aliàs horrida aut inimica existit. Aliàs in *propriè dictis malignis*, præsertim *contagiosis*, inter *alexipharmaca* nunquam intermittenda.

VII. De *Opiatis* apertum est *Horstii* judicium in *jud. de Chirurg. infusor. p.*83. In *febribus malignis* quibuscunque *opiata* utramque faciunt paginam; unde & *opium* tam insigniter extollit & quibusvis compositionibus alexipharmacis addendum suadet *Ludovici in Pharm.p.*276. Sicut etiam *Verulamius in hist. vit. & mortis p.*96. §. 21. *opiatorum* eximium usum in *febribus malignis* prædicat. Nempe egregium *sudoriferum* est *opium*. Spiritus quoque, ne tam citò resolvantur, quasi coërcet, & graviora in malignis symptomata mitigat; unde optimo cum consilio istud in magna dosi Veteres *Theriacæ* & *Mithridatio* addiderunt. Conveniunt autem inprimis *in augmento morbi*, dum *ad statum* properat, vel cum *sudoriferis* propinata; ut sic melius proliciatur sudor, præsertim ubi *anxii & inquieti* sunt *ægri*; vel etiam *post sudores* cum *julepis & misturis* propinentur, ut quasi roboretur nonnihil denuò, ac quietior fiat æger. Notabile est, quod *hæmorrhagiæ* in malignis subinde *periculosæ opii* usu fuerint coërcitæ.

Conf. *Timæus* in *Cas. p.* 378. Item *Horst. obs. lib.* 1. *p.* 18. Moderni vel *laudanum opiatum*, vel *essentiam opii*, aut hujus loco *essentiam theriacalem* usurpant. Ex Veterum compositionibus excellit *theriaca*, præsertim cum *vehiculo acido* propinata v.g. cum *aceto rosaceo*, ne nimium æstum in sanguine excitet; propter quam causam, nempe æstum, ejus loco *Diascordium Fracastor.* ceu temperatum magis adhibetur, in specie *in alvi, aliisque excretionibus præternaturalibus.*

VIII. Observandum *Vesicatoria ex cantharidibus* &c. sunt egregia in *febribus malignis*: conveniunt autem *in principio status* inprimis, *dum* vel graviora præsertim capitis & facultatis animalis imminent aut urgent symptomata, ut *Cephalalgia nimia, deliria, convulsiones*; item ubi *soporosi* imminent *affectus*, adeoque ubi suspicio est, ne vel *fermentum malignum* magis spiritus animales & genus nervosum afficiat, *vel* quacunque ex causa raptus sanguinis aliorumque contentorum ad caput fiat; *item ubi* interiora uruntur, exteriora verò frigent: *item* quando naturam aliquam excretionem moliri, erumpentibus hinc inde *maculis*, à doloris sensu in quadam parte suspicio est; *vel* quando facta jam excretio, quacunque ex causa denuò retrocesserit. In talibus casibus optimè *cruribus*, supra vel infra genu, vel *brachiis*, prope carpos, aut prope axillas, tandem etiam circa *nucham*, sed hoc vix, nisi in *affectibus soporosis*, aut ubi jam aliis in partibus applicata fuerint, *vesicatoria* applicantur. Sanè *talibus in casibus*, tam in *benignis*, quàm *malignis* conducunt, idque eò magis in his, quò ~~enim~~ *parcior sudor* aut *diaphoresis* in iisdem non rarò observatur. Arbitror, quod in *miasmate maligno evocando*, mediante spirituum ad locum dolentem concitato impetu, singulare quid obtineant: Hinc enim & *bubonibus* aliisve *tumoribus*, ut melius erumpant, optimo consilio applicantur: Hinc & *febres intermittentes* sui applicatione subinde tollunt. *Remedia* inter *vesicantia* optima sunt vel *Emplastrum vesicatorium in Pharm. Augustan.* vel *emplastrum* istud *vesicator. Schröderi.*

IX. Observandum: Sollicitus sit Medicus in cura ægri *febre maligna* correpti, præcipuè circa tria hæc: nempe *oculos*, *linguam & manus*: *Oculos* quidem ut possit judicare de futuro *delirio*, quando nempe sunt *ignei* & quasi *fulgidi*, aut quando *adspectus* eorum est paulò *ferocior*, *delirium* imminet: *Linguam* verò consideret, ac *fauces*, ut cognoscat, an immineat *prunella* vel *faucium excoriatio & exulceratio*, aut alia similia pathemata: *Manus* verò ut cognoscat, an *convulsiones* sint metuendæ.

X. Obs. Quoad *Diætam* in *febribus malignis* observandam, *tenuis* hæc sit necesse est, & cùm sæpius summè fastidiant alimentorum odorem, nullo modo ad eundem cogendi sunt; quin jusculа aut similia abundè, licèt in parca quoque dosi, sufficiant. *Potus* sit vel cerevisia secundaria, vel etiam aqua simpliciter,

pliciter,

pliciter, cum parte tertia vel dimidio vini temperata, & infuso *pomo citri* in taleolas inciso, vel *succo citri expresso* medicata, quin etiam *Gelatina C. C.* recèns parata largiter cum potu isto partim scopo *analeptico*, partim scopo *alexipharmaco* admisceri potest, vel *decoctum citri Mynsicht*, additâ *Gelatin. C. C.* convenientissimus in malignis est potus. *Vinum generosum acidum* non nocet in malignis, quin moderato usu remedii confortantis vices subeat. Nec inconveniens est, *fumo sulphuris* medicari potum quemvis ordinarium, cùm tale sulphuris gas ad extinguendam malignitatem, & condiendos balsamica vi humores mirè conducat; cujus loco etiam *clyssi antimoniales*, *sulphurei* moderatâ dosi cuivis ordinario potui utilissimè instillari possunt. Quem potum sulphurandi & *clyssos* hos proficuos præparandi modum vid. in *Cnöffel.* elegantissimo scripto, *Method. med. febres epidemicas.* Aliàs & ⊕ ♁*iatum* à ʒj. ad ʒij. in Mens. j. potus ordinarii dissolutum, nisi vel alvi liberior fluxus, vel stomachi nauseabundi imbecillitas obstiterit, commodè dissolvi potest.

[Poma & pocula febrilia *Cnöffelii* vid. in Append. ad Ann. 6 & 7. N. C. p. 178.]

His ita præmissis, quoad *remediorum formas* in *febribus malignis* magis usitatas sint v. g. tales, nempe in *principio & incremento*, præmissis præmittendis:

℞. aq. flor. sambuc.
card. ben. an. ℥ß.
liq. C. C. succin. ʒj. vel hujus loco
sal volatil. viper. ℈j.
syr. card. bened. ℥ß. M. pro dosi, capiatur expectando blandum sudorem. Vel more communi ℞. *Tincturæ bezoard.* ritè paratæ ʒß. ad ʒj. in quocunque vehiculo, stomacho vacuo, expectando sudorem.

Vel: ℞. aq. scord.
flor. sambuc. an. ℥jß.
C. C. f. △.
♁. diaph. an. ℈j. ad ʒß.
sal. volatil. C. C. gr. xv.
succin. gr. vj.
syr. card. ben. ℥j. M. F. Potus pro 3. dosib. expectando blandum sudorem, cui ubi gravius urgent symptomata, commodè & *laud. opiat. gr.* jß. potest addi. *Vel* cui *mistura theriacalis* placet;

℞. aq. scabios.
flor. sambuc. an. ℥jß.
acet. rutac. ʒvj.
theriac. ʒij.
♁ diaph. ℈j. vel ʒß.

bezoard.

bezoard. min. gr. xv.
syr. rub. idæi ʒvj. M. pro 3. dosib.

Vel: ℞. aq. flor. sambuc. ℥iij.
acet. sambuc. ℥ß. ad ʒvj.
theriac. ʒj.
♁ diaph. ʒß. ad ℈ij.
syr. card. bened. ʒij. M. pro 2. dos. pro eliciendo sudore.

Item ℞. Unicorn. ver. præpar.
♁ diaph.
Cinnabar. ♁ ij.
⊖ volat. viper. vel. C. C. ana gr. viij.
M. F. ⁂. pro 1. dosi.

Quod si *Theriaca* minùs conveniat, ℞. ejus loco *Diascord. Fragast.* v. g.

℞. aq. scabios. ℥ijß.
succ. citr. rec. ʒvj.
Diascord. Fracast. ʒij.
♁ diaph. ʒß.
camphor. gr. iv.
syr. car. bened. ℥ß. M. pro 2. dosib.

In progressu morbi, & ubi *volatilia*, in specie *sulphurea*, cautiùs usurpanda veniunt:

℞. Antimon. diaph. ℈ß.
ebor. s. △ gr. xv.
sal volat. C. C. gr. v. M. F. pulv. pro 1. dosi, cujus vehiculum sit.

℞. aq. flor. sambuc.
scabios. an. ℥j.
syr. papav. alb. ʒvj.
card. bened. ʒiij M. de quo capiatur pro lubitu.

Item: ℞. C. C. s. △. gr. xv.
Cinnabar. antimonii ℈ß.
bezoard. ☉ar. gr. vj. M. F. pulv. pro 1. dosi.

Quod si *Diarrhæa* forsan sit juncta:

℞. C. C. usti ℈j.
bol. armen. ℈ß. M. pro 1. dos.

Vel: ℞. aq. fl. sambuc. ℥iij.
spir. theriac. simpl. vel camph. ʒiij.
C. C. s. igne. ℈ij. vel usti ʒß.
terr. sigill. ℈j.
syr. acetos. citr. ℥ß. M.

Porrò:

Porrò: ℞. aq. scord. ℥ij.
spir. theriac. camph. ʒij.
C.C. s. △ ʒß.
bezoard. min. ℈j.
syr. papav. alb. ℥ß. ad ℥vj. M. pro 2. Dos.

Commodè hujusmodi misturis etiam *myrrha* potest addi, nisi saporem æger nauseat. Quod si *convulsiones* imminere velint,

℞. pulv. bezoard. *D. Michael.* ℈j.
Cinnab. antimonii gr. xv.
sal. volat. C.C. ℈ß. M. pro 2. dos.

Rosencreuzerus in specie hunc pulverem, ex tribus salibus ex tribus regnis desumtum laudat:

℞. sal. card. bened. ℈ß.
bezoard. min. gr. vj.
sal. volat. C.C. gr. iiij. M. pro dos.

In graviori malignitate:

℞. Antimon. diaph. ℈j.
Cinnab. Antimon. ℈ß.
camph. gr. v. M. pro dos.

Quod si pro scopo *expellendi semina expulsiva* adhibere sit animus, hoc fiat ad imitationem *Zvvelfferi, Pharm. Reg. p.* 209.

℞. cort. citr. flav. recent. ʒij.
sem. citr. ʒj.
 - card. bened.
 aquileg. an. ʒjß.
myrrh. elect. ʒß.
amygd. d. ʒj.

contundantur in mortario, & c. s. q. *aq. scord. & scorzon.* F. *Emuls.* ad ℥iiij. vel v. M. edulcoretur parùm. Detur.

Juxta hæc remedia *diaphoretica* in & post sudorem subindè *mistura blando acido-confortativa* adhibendæ sunt: v. g. post *decoctum citri Mynsicht.* supra insinuatum, *julepus ex decocto citri cum rad. scorzoner.* quem habet *Fehr. de scorzonera p.* 61.

[℞. pomor. citri recent. num. 2.
Incide cum corticibus in taleolas tenues. adde
sacchari albissimi ℥iij.
rad. Scorzoner. mund. ʒij. vel iij.
aq. font. ℔. vj.
coq. ad tertias & colentur.]

Zz Vel:

Vel: *Julepus ex decocto citri*, cum quo *Tinctura rosar.* elicienda, ad imitat. *Tilemanni de materia Medica p. 9.*

[℞. *pomorum citri* num. ij. In taleolas secta conspergantur saccharo albo, coq. in aq. quartariis 3. ad remanentiam Mensur. ß. Colatura frigida datur sola; vel etiam cum ea & *succo citri Tinctura rosarum* extrahitur.]

Vel: ℞. decoct. rad. scorzon. cum CC. ℔. j.
succi rub. idæi ℥ij.
citr. ℥j.
Gelatin. CC. recent. ℥j. ad ℥jß.
syr. acetos. citr. q. s. pro grat. sapor. M.

Vel: ℞. aq. fontan. ℔. j.
Gelatin. CC. ℥ij.
syr. rubi idæi ℥jß.
papav. alb. ℥j.
spir nitr. dulc. ʒj. vel q. s. pro gratia sapor. M.

Quibus placet, etiam *decoctum Tamarindorum* usurpare possunt, quando nempe alvus non nihil liberanda venit, v. g.

℞. Decoct. Tamarind. cum passul. ℔. j.
syr. rub. idæi.
acetos. citr. an. ℥j.
spir. nitr. dulc. parum. M. D. S.

Hæc *de malignis in genere*. Variant autem eædem in specie, pro adjunctorum symptomatum inprimis varietate. Sic quando in *febre maligna* hinc inde se manifestant *maculæ* corporis cutim tingentes, propriè

PETECHIÆ

& *Febris Petechialis* dicta, Germanis das Flecken-Fieber/ præ aliis frequens; Aliàs etiam *febris pulicaris*, *febris lenticularis*, *peticularis* item *puncticularis* &c. dicta: Ubi inprimis observandum est, sæpius quidem *in morbis malignis* erumpere *maculas*, quæ *febrim petechialem* constituunt; non tamen præcisè, sunt signa pathognomonica febris malignæ, cùm in aliis febrib⁹, non præcisè malignis, tales subinde appareant. Sic interdum *in tertianis* sub fine paroxysmi subinde *maculis* coloratur corpus ante sudorem, quæ post sudorem evanescunt, utut non adsit febris maligna. Ita *in Scorbuto* subinde *rubicundis maculis* tingitur cutis, utut ægri nil de malignitate possint conqueri. *Febres* pariter *scorbuticæ* hoc habent singulare, ut *maculæ* pulicum puncturis similes, subinde citra malignitatem efflorescant.

In febribus malignis petechialibus ægri inprimis conqueruntur *de lassitudine*, & *dolore contundente* totius corporis, *vires* simul mox insigniter *prostratæ*, *febri*

bri nihilominus *miti* adhuc existente: Nam *calor* non adeò *vehemens* est in toto corpore, minusque mordax, quàm *in ardente* etiam *mitiore*: ferè tamen *vespertino tempore* intendi observatur; imò interdum *in principio* tam *mitis* est, ut æger vix se ægrotare sentiat. Hinc superveniunt *graves & continuæ cephalalgiæ, agrypniæ, anxietates* & *jectigationes* ægrorum; *in principio* facilè *sudant*, in progressu *difficilius*, in statu *ferè nunquam*. Subinde *alvi fluxus* variorum *spumosorum*, utplurimùm *fœtidissimorum excretorum* supervenit, quæ omnia & aliis *malignis* sunt *communia*: Saltim, quòd *maculæ* rarò *quarto*, sæpius circa *septimum* erumpere soleant, præsertim *circa pectus & scapulas*; hinc & *abdomen*, & *crura*: tandem etiam *brachia* iisdem tinguntur; *facies* ordinariò *libera* esse solet. *Maculæ hæ* non solùm *externas partes* affligere solent, teste *Castro*, *de Peste* p.76. Interdum non *maculæ* solùm, sed etiam *vibices* in his febribus apparent. Vid. *Major. Dissert. de Chirurg. Infus.* p. 260. *Deliria* quoque & *convulsiones* frequentissimè *in statu* superveniunt, quo tempore etiam *in morbo salubri* & multò magis *in declinatione*, quasi *ptyalismus* quidam, h.e. copiosæ salivæ, mucosæ, eaque continua ex ore & faucibus cum ἐυφορίᾳ ægri exscreatio. *Continua* ferè esse solet hæc *febris*; hinc rarum est, *intermittentem* eandem fuisse observatam à *Febr. De Scorzonera* p.72.

Confundi solent interdum *pulicum morsus* cum ejusmodi *maculis pulicaribus* febrium. Ut *distinguantur* melius, *notandum*, quod *pulicum morsus seu maculæ* in centro sui habeant *punctum ruberrimum*, morsus vestigium, quod deficit in *petechiis*: Præterea *pulicum morsus* appositâ *farinâ lupinorum* cum *aceto* aut *oxymelle* subacta statim evanescunt; *pestiferæ* verò sive *petechiæ* nequaquam, autore *Zacut. Lusit. l.3. prax. admir. obs.* 14. *Maculæ hæ* in morbo salubri *intensè rubent*, hinc pedetentim *pallescunt, flavescunt*, sicque evanescunt; & quò *magis rubicundæ* sunt, eò *melioris* sunt *notæ*: è contra quæ *ex rubore livescunt*, seu ut aliàs loquuntur, *plumbei coloris* sunt, vel quæ *nigrescunt*, à Belgis Peperkorns dictæ, hæ ipsæ *pessimæ* sunt, ac quò magis tales, eò deterioris sunt conditionis: Nempe quò major est virulentia malignitatis, indeque superficiei cutis major vel minor mortificatio, eò etiam calor magis vel minus lividus ac nigricans esse solet. Mortificatio hæc in extinctione sive destructione ♌us insiti consistit, quo vegeto rubent partes cutaneæ affectæ, deficiente eodem ad nigredinem vergunt, ut in *Gangræna ac Sphacelo* notum est: Unde & *Petechiæ* veluti *inustæ escharam* simul inducentes observatæ fuerunt, vid. *M. A. N. C. An. 6. p.* 148.

Petechiales hæ *febres* ferè primitus ex *corruptela interna contentorum* oriũtur, adeoque magis *massam sanguineam* aliosque *humores*, quàm *spiritus* virulentiâ suâ afficiunt: contagiosæ tamen admodum sunt, ipso tamen contagio minus spirituoso minusque activo existente, quasi latere aliquandiu queat, antequam se exerat. Interdum epidemicè grassari observantur. Vid. *Febr. de Scorzonera* p.72.

Quoad *Prognosin. Febris petechialis*, quò magis blanditur, eò magis nocet: sæpe cum omnia pacata apparent, mors imminet; sæpe morti vicini præter expectationem evadunt. Aliàs *periculosus valde* est *morbus*. *Maculæ copiosæ* die septimo, 10. 11. 12. &c. prorumpentes, eæque *latæ, rubræ* sive sanguineæ, inprimis præcedentibus aliqualibus *coctionis signis*, *bonæ* sunt:ècontra latæ, *lividæ, cœruleæ*, plus minus *nigricantes pessimæ*, cum *virium debilitate* magnum *periculum* portendunt, *malignitatis mortificantis* indices. *Maculæ paucæ*, febre magis ingravescente & urina cruda existente *ferè lethales*. *Maculæ*, quæ subitò *disparent* aut *recurrunt* periculosissimæ. Quò magis cum *macularum* eruptione *coctionis signa* apparent, *eò melius*. *Hæmorrhagia parca* suspecta: *larga* in incremento, die critico aut indicatorio erumpens, *bona*; post *maculas* verò jam *efflorescentes* perquàm *suspecta*: *Excrementa* alvi *nigra, fœtida, periculosa.*

Quoad *tempus eventus*, *minus* quàm aliæ malignæ *acutæ* esse solent, *lentè* sua tempora percurrunt, ita ut *in statu* sex, octo & plures dies in eodem tenore persistent ægri, antequam vel in melius, vel in deterius fiat mutatio.

Quoad *modum eventus*: Qui morbum non negligunt, & statim sub initium utuntur remediis commodis, facilè liberantur, nonnunquam 11. 12. aut 14to *die*; qui verò curationem differunt, & aërem liberum non devitant, *diutius decumbunt*, sæpius *succumbunt*. Interim tamen, si omnia ritè procedant, nec vires adeò sint prostratæ, ferè *intra 14. dies*, acutorum more, cessant. *Solvitur* equidem interdum per *criticam hæmorrhagiam narium*, vel *sudationem*, vel *urinam*, quòd tamen raro apud nos contingit; quin successivè apud nos per *diaphoresin auctam* evanescere soleat. Interdum etiam *Metastasi producti morbosi* sive *materiæ coctæ* in quendam locum finitur; Sic per *apostema in testibus* febrem petechialem terminari aliquoties observavit *Rolfinckius.*

Quoad *Curam eædem indicationes* atque supra circa *malignas in genere* insinuatæ fuerunt, etiam hîc variant; saltim observetur:

I. *Vomitoria* in *petechialibus* præ aliis malignis maximè *proficua esse*; cùm mox à priori principio *graves anxietates* soleant prehendere ægros, quas curare, earum incrementum præcavere, & ita longè quietiores reddere possumus ægros, propinatô maturè *vomitoriô*. *Purgatio*, nisi in primo principio, ferè *nocet*, cùm aliàs ad *Diarrhœam* de facili proclives sint *petechiales*.

[Vid. Fracastor. l.3. Imm. ?tag. c.6. p. m. 231. seq.]

II. *Venæ sectio* nullius usus est, cùm *febris* ipsa minoris sit conditionis, magisque urgeat *malignitas*: *Et lethalem* etiam esse docet *Forest. in Schol. obs.* 36. *l.* 6. *nocivam* verò ostendunt *Act. Med. Haffn. vol.* 2. *p.* 290.

III. *Sudorifera* ergo primatum ducunt, speciatim *in principio & incremento*, dum adhuc sudare possunt, ac solent ægri, unde sub isto tempore *volatilia*, in specie

specie *theriacalia* tutissimè adhibentur. In *progressu* verò *morbi ac statu fixioribus* saltem indulgendum, devictâ jam prioribus malignitatis atrociâ, jamque quod reliquum est, naturâ operante. Quod si gravior sit malignitas, ad minimum ter in 24. horis porrigenda sunt remedia. *Sudor* autem non excitetur nimius; quin virium semper habeatur ratio, propter quem respectum nec linteis nimis vel stragulis opprimendus est æger, sed tolerabiliter saltem contegendus.

IV. Apparentibus jam *petechiis*, abstinendum non solum est à *fortiter laxantibus*, sed etiam *clysmata* cautè, nec nisi *blanda*, atque non, nisi *necessitate urgente* injicienda. Quod si *maculis* jam apparentibus superveniat fortè *alvi fluor*, cautè tractandus, & non adeò subitò supprimendus, nisi *copia* excesserit, quod *natura* evacuationem sensilem moliatur, idque præsertim, si *affectus* non tam ex *contagio*, quàm *interno contentorum spontaneo vitio* ac corruptela originem duxerit; ita tamen regatur, ut *macularum expulsio*, quantum possibile, promoveatur, non verò ab isto *alvi fluore* cohibeatur.

V. Si ulla est *febris*, in qua *vesicatoria* conveniunt, est inprimis *Petechialis*, speciatim, quando retrocesserint *maculæ*; rarò enim aut nunquam denuò apparere solent, sed vel supervenientibus *nervosi generis symptomatibus*, nempe *deliriis & convulsionibus*, ægri intereunt, vel successivè per *auctam diaphoresin* saltem, morbus solvitur. Ut ergo ancipiti tali in casu ægrum levemus, item si aliàs *graviora nervosi generis symptomata* immineant; ut ordinariò *in statu* harum febrium assolet fieri, consultissimum est, maturè applicare *vesicatoria* in pedibus ac brachiis, prout plus minus urgent symptomata. Vid. *Sanctor.* in *method. vitandor. error. p:* 841. M. A. N. C. *Anno* 2. *p.* 315.

VI. Quoad *Diætam*, in æquali calore naturali conservandi sunt ægri, *vinum* inprimis moderato usu conducibile est his ægris. Sic enim *Henric. ab Heer. obs.* 5. refert, mulierem in *febre petechiali* pro desperata habitam, *vini usu* restitutam; Conf. etiam *Bartholin. cent.* 6. *hist.* 7. *Febr. de Scorzoner. p.* 173.

Quoad *remedia ipsa*, nil peculiare, quod non supra *de febribus petechialibus in genere* dictum fuerit, monendum occurrit. Saltem *in principio* magis *sudoriferis*, præsertim *volatilibus*, *in statu* verò *fixioribus*, *blandè temperantibus & absorbentibus* magis utendum. Hinc *in principio*

℞. C. C. s. △
antimon. diaph. an ℈j.
sal. volatil. C. C gr. xij. M. F. pulv. pro 2. dos.

Vel: ℞. aq. cord. *Herc. Saxon.* ℥j.
Tinctur. bezoard. ℈ij. ad ʒj.
spir. C. C. essentif. ℈j.
syr. de scorzon. ʒij M. D.
S. Hertz und Schweiß-Tranck auf 1. mahl.

Item aliquoties *in principio & incremento* proficuam expertus sum hanc *potionem*:

℞. aq. flor. sambuci ℥ij. vel iij.
acet. sambuc. ℥ß.
Theriac. ʒij.
☿ diaph. ℈ij.
syr. card. ben. ʒij. M.

Aliquando septem in una domo *pestilentialibus febribus* corripiebantur, in specie duæ ancillæ, his præscripsi, præmisso *vomitorio*:

℞. theriac. ʒij.
☿ diaph. ʒß.
sal. absinth. ℈j.
cum s. q. syr. acetos. citr. F. Bolus pro 2. dos. quarum una quæque capiatur in cochleari acet vini, unde *copiosus* emanavit *sudor*. Una illarum actu patiebatur menses, quæ sine nocumento hunc *bolum* recepit. Hoc præmisso, postmodum creberrimo usu hujus *Electuarii*, die nocteque illud capiendo, ac sæpius repetendo, ac *sudorem* subinde expectando convaluerunt:

℞. conserv. pulp. citr. ℥jß.
Diascord. *Fracast.* ℥ß.
☿ diaph. ʒjß.
c. s. q. succi citr. F. *Electuar.*

postmodum verò *in & prope statum* convenienter usurpari potest, quod

℞. aq. flor. sambuci ℥ij.
ceras. nigr. ℥j.
spir. vini camph. ʒiij.
C. C. s. △. ℈ij.
bezoard. min. ℈j.
sal. volat. succin. gr. ix.
syr. flor. tunic. ℥ß. ad ʒvj. M. capiendo vel per 3. dos. vel cochleatim.

Item: ℞. aq. scabios.
menth. an. ℥jß.
Gelatin. C. C. recent. ℥j.
☿ diaph. gr. xv.
syr. Card. bened. ℥ß. M.
pro 3. dos.

Item loco *Julepi nocturni*:

℞. Decoct. rad. Scorzoner. cum CC. ℔j.
succi citr. recent. ℔. j.

Diascord.

Diascord. *Fracast.* ʒij.
antimon. diaph. ʒj.
syr. card. bened. ℥jß. M. capiendo pro lubitu.

Item, cùm plures simul ægrotent, pro remedio sæpius capiendo :

℞. Decoct. lign. sassafras. ℔jß.
succi citr. ℥iij.
Diascord. Fracast. ʒiij.
antimon. diaph. ʒjß.
bezoard. min. ʒß.
syr. flor. tunic. ℥jß. M. capiatur sæpius pro lubitu.

In statu, dum summa urserit *virium prostatio*, sequens potest usurpari *potio* :

℞. aq. scabios. ℥jß.
cord. *Herc. Saxon.* ʒvj.
cinam. ʒiij.
confect. alk. ʒj.
bezoard. ☉ar. ℈j.
syr. rub. idæi. ℥ß. M. capiatur pro lubitu.

Quoad *externa*, ubi *stomachi* urgeant *symptomata*, commodè *in malignis scutum stomachale* potest præscribi :

℞. Cerat. stomach. de ladan.
Theriac. Androm. an. q. s.
Malaxata inducantur super alutam.

Vel: ℞. Gummi Tacamahac. part. ij.
cerat. stomach. part. j.
liquefacta etiam subigantur largiter cum *theriac. Andr.* q. s. & applicetur.

Sunt, qui *epithemata fronti*, *præcordiis* applicare solent, sed malè. Quia enim de facili refrigerantur, clausuræ pororum occasionem suggerunt, & ita *petechiarum* eruptionem impediunt, aut eas facilius retrocedere faciunt, v. g.

℞. ol. scorpion. compos. Matth. ʒj.
destillat. meliss.
rutæ
citri an. ℈ß.
M. pro *linimento* : scrobiculo cordis & pulsui applicando; vel idem cum *oleo Nucis Moschatæ expreß.* M. in forma *balsami*.

Veteres in usu habuerunt *litum externum*, quando *petechiales* aut similes *excretiones cutaneæ* convenienter prodire nolunt; instituerunt *frictiones* sive *inunctionem externam cum nitro*.

℞. ol.

℞. ol. amygd. amar. ℥ij.
vini Rhenani ℥vj.
aq. chamæm. ℥ß.
nitr. ʒij.

Bulliant ad consumtionem aquæ, & F. transcolatio. Colatura *toti corpori* affricanda; in specie *dorso* ad evocandum virus malignum in *febribus malignis & petechialibus*, præsertim quando non benè procedere vult *sudor*.

VARIOLÆ & MORBILLI.

Huc etiam referuntur, quæ tamen sunt saltem *symptomata febris continuæ*, sive *synochi* sui generis, nunc *benignæ*, nunc, & quidem sæpius *malignæ*.

Earum historia ita se habet: *Prægresso horrore* plus minus *insensili*, insequitur *æstus intensus*, *gravitas totius corporis*, *cephalalgia insignis*, *dorsi*, præsertim *lumborum dolor*, cum *pulsatione in spina*, *oculi tumidi & subrubentes* & quasi *lachrymantes*, *tussis sicca*, *raucedo*, *faucium dolor*, *pulsus celer*, *frequens*, *vehemens*, *durus*, plus minus *magnus* vel *parvus* prout mos febris est. *Urina* sanorum non dissimilis; Natura nempe ad ambitum corporis serum inprimis propellente; interdum tamen *turbida* est, quod magnum contentorum ebullitionem & agitationem significat: interdum *alba* cum *sedimento furfuraceo* apparere solet. *Respiratio* nonnihil *difficilis*, *vomitus*, nunc verò saltem *inanis vomendi conatus*, *hæmorrhagia narium*, subinde admodùm copiosa, occasione nempe sanguinis nimium ebullientis & ferventis concitata; *in principio morbi* levioris spē reddens, *in statu* verò morbum longiorem vel funesti eventus innuens. Ægri sunt *inquieti*, *agrypni*, *deliria*, & inprimis *convulsiones Epilepticæ* satis frequentes; *diarrhœa* subinde ægros corripit, interdum *Diabetes*, & *mictus cruentus* ægros fatigant.

Hæc & similia *symptomata* ægros vexant plus minus, donec tertia & quarta die *maculæ rubræ* apparere incipiant: quibus ritè & copiosè prodeuntibus ferè mitigari solent quælibet prædicta symptomata: *Maculæ* istæ nunc simpliciter tales sunt, ita manent, ac sensim post aliquot dies evanescunt, ac *Morbilli* appellantur; nunc successivè in *pustulas rubras* elevantur, quæ albescunt pedetentim in centro, cum circulo *ambiente purpureo*, *livido*, & c. ibiq; in medio suo in *pus* abeunt, hinc in *crustas* & *squamas*; tandem decidunt, atque hæ *Variolæ* dicuntur.

Maculæ tales potissimum ac primitùs *in facie ac manibus* apparent, hinc & reliquis in partibus, quæ *tumidæ* omninò fiunt, ac quasi tumore ex phlegmone & œdemate misto affliguntur, præsertim caput. Sub suppuratione ista non rarum est, quod *ulcera gravia* variis in locis relinquant, ipsaque ossa carie afficiantur; in specie *malè*, aut non ritè *expulsæ variolæ*, indeque per *metastasin* ad internam quandam partem delatæ, successivè mille mala, pro partium affectarum varietate,

varietate, inferunt, adeò ut non arbitrer, esse vel reperiri morbum, qui tot mala post se queat trahere atque *Variolæ* & *Morbilli* non bene judicatæ, quorum Catalogum vid. in *Febr. de scorzoner.* it. *Schenck. in obs. l. 6.*

Multiplices autem solent esse *Variolæ & Morbilli*, prout videre est in *Sennerto de febb.* ubi de *Variolis.* Hinc & *Schenck. l. 6. observ.* præter variolas & morbillos *tertium pustularum genus Crystallinum* refert. Affligunt nunc *solitariè*, nunc *sociatæ petechiis* prodeunt, aut hæ post variolas sequuntur. vid. *M. A. N. C. Ann. 3. p. 378.*

Afficiuntur autem in *Variolis & Morbillis* non solùm *partes externæ*, sed & *internis* eædem copiosè insidere solent, vid. *Pareus l. de variol. c. 2.* it. *Schenck.* aliique, ac in specie *pulmonibus* non leve periculum ab iis imminet, ut rectè observavit *Barthol. cent. 3. epist. 38.* ac *Kerkring. spicileg. obs. 62.* refert puerum, pulmonibus variolis repletis, subitò suffocatum. Unde qui *variolis aut morbillis* intereunt ægri, vel *suffocati* intereunt, vel *ex convulsionibus epilepticis* moriuntur, vel *fluxu dysenterico* interimuntur.

Febris variolarum ac morbillorum nunc est *benigna*, nunc, idque sæpius, *maligna*: omnes homines, in specie infantes, iisdem corripiuntur. Radicem verò in sanguine obtinent fundatam, estque totus morbus tantùm *sanguinis depuratio*, & quasi *despumatio*, mediante *fermentatione febrili*, quâ sanguis se depurat *à recrementis* lactis matris aut nutricis vitiati, & plus minus *ab acido* corrupti sui vestigia in sanguine relinquentis: Unde talia *inquinamenta*, fermentando separata, unà cum *sanguine*, tunc simul *corrupto*, præcipitantur per fermentationis modum, & intra cutem defiguntur, ubi acrimoniâ suâ parvulas *inflammationes* & tandem harum *suppurationes* inferunt.

Non *differunt Variolæ & Morbilli*, quam *secundum magis & minus*, ac peccant inprimis *particulæ fermentativæ*, lactis acore *corruptæ*, à qua *acrimonia acida convulsiones partium nervosarum*, *dolores lancinantes*, *dorsi*, *dysenteriæ*, *urinæ cruentæ*, *ulcera* & adeò *ossium caries* & *phthisis pulmonalis* non rarò post *variolas* relicta. Confer *de acido acri* primariò in variolis peccante *Sylvium de morbis infant. cap. 9.* *Acidum* illud, uti effervescit inprimis cum *sanguine*, donec præcipitetur, ita excitatum simul *lympham* inquinat singulariter, cujus ratione *tusses siccæ*, *raucedines*, *oculi lachrymantes*, &c. Oculos vexant; de quo *lympham* imprimis affectam esse vid. in *M. A. N. C. Ann. 4. p. 302.*

Acidum illud ita ex sanguine *secretum*, ac in *pustulas* congestum *intercutaneas*, sanguinem in parvis, quas acrimoniâ suâ excitant, inflammatiunculis in pus mutat per *præcipitationem* 🜂*is sanguinis ab acido.* Idem illud *acre* rodit cutim, *pruritum* infert, & fibris ejus profundius erosis *cicatrices* efficit. *Acre* illud *acidum* nunc *volatilius* & *acrius* existens, *malignitatem* sic dictam comi-

tem secum trahit. Cùm adeoq; tantùm non omnes homines afficiantur *Variolis & Morbillis*; idq; ferè semel, (undè rarum est, mulierem septies variolas passam, tandem 118. ætatis anno hoc morbo periisse, teste *Borello, cent.3. obs.10.*) Sanè probabilissimum videtur, eas *causam occasionalem* altius *in sanguine radicatam* habere, non quidem ex vitio sanguinis menstrui matris, quæ sententia fuit Arabum, sed ut suspicor, ✠ *di lactis nutritivi corrupti* reliquiis. Hinc enim *earum* cum *achoribus* & *favis*, & ipsis ex lactis vitio ferè nascentibus *convenientia*. Propter hanc in sanguine fundatam originem, *consanguinei* in specie mutuò afficiuntur, ut *D.D. Michaël* plura retulit exempla; quod *frater* in Italia eodem tempore laboraverit *variolis* aut *morbillis*, quô alter eodem morbo laboraverit in Germaniâ, adeò ut longa etiam intervalla pertingat hæc inter consanguineos conspiratio. Novi tres *Nobiles*, quorum duo adulti *Gissæ* studiorum gratia morabantur; tertius cum sororculis *domi* degebat, sed cum hic tertius cum sororibus laboraret *Variolis*, isti duo *Gissæ* simul iisdem correpti moriebantur, utut tunc temporis nil aliàs ibid. de *Variolis* innotuisset: Sic *Studiosus* natione *Lipsiensis Wittebergæ* corripitur *variolis*, & eodem tempore *soror* ipsius *gemella* iisdem *Lipsiæ* ex improviso corripitur, imò *gravida* sanè enititur *puerum variolis* correptum, cùm antea *filio* ex *variolis* ægrotante sedulò assedisset, referente hoc *Morison. de morbis mulierum p.66.* Aliàs non rarum est, *mulieres gravidas variolis* correptas & *fœtum* similiter iisdem afflictum peperisse. vid. *Bartholin. Centur. 2. Epist. pag.681.*

Seminarium autem illud *fermentativum* in sanguine delitescens non nisi accedente *causâ externâ*, speciatim *certâ aëris alteratione* in actum deducitur; unde sæpè *Epidemicæ* existunt. Non tamen putandum, præextitisse in corpore sano tot & tantas sordes, quæ postmodùm in ambitum corporis copiosissime sæpe detruduntur; sed *fermentum acidum*, fermentando se multiplicans, ex *naturalibus* nutritivis *corporis contentis* eas generat. Unde quò magis quis est *cacochymicus*, sive cujus *sanguis alterabilis magis* existit, eò *copiosioribus iisdem* afficitur. Unde nec *Rabiosi* ab iisdem sunt immunes, uti observavit *Fehr. de scorzonera p.78.* it. *Henr. ab Heer. obs.6.*

Inutiliter dubitatur: An Veteribus Græcis eædem etiam fuerint cognitæ: Nam sunt, qui per Græcorum *ecthymata* variolas, per *exanthemata* morbillos intelligunt. Vid. *Paræus de Variol. cap.1.* Sed res præcisè determinari nequit, cùm ἐξανθήματα & ἐκθύματα Græcis vox generalis & universalis sit, quamvis in cute efflorescentiam denotans. Vid. *Castrum*; *Quæ ex quibus, lib.3.c.14.15.16. pag.187.197.201.* Sanè, utut Essentiâ *Variolæ & Morbilli* convenire videantur, *differunt* tamen hæ ipsæ, pro *ætatum*, *nationum*, aliarumque *rerum non naturalium varietate* diversimodè: Sic enim

morbilli

morbilli in Italia & Hispania periculosiores, quàm *Variolæ*, quæ in Germaniâ. Vid. *Thiermeyer consil. lib.* 1. *pag.* 88. Sic *Morbillos* in Gallia semper *cum febre*, *variolas* vero *sine febre* esse observatur, cùm ècontra in Germania semper *febrem acutam* comitentur, eamque ferè graviorem *variolæ*. Sic variolas in Indias primitus Hispanos intulisse vid. *Schenck. de fermento pag.* 468. *& seqq.* Item *Riverii Prax.* ubi *de Variolis*. In Islandia vigesimo quovis anno *periodicæ* observantur *Variolæ*, teste *Bartholin. cent.* 3. *Epist. pag.* 390. Frequentes variolæ esse solent in Japonia. Vid. *Act. Soc. Reg. volum.* 1. *pag.* 825. Eædem Variolæ in Æthiopibus, distinctæ à Variolis Europæis. Vid. *Act. Med. Hafniens. volum.* 2. *pag.* 235. Unde & mirabilem earum ab Æthiopibus curam vid. in *Miscell. A. N. C. Ann.* 8. *pag.* 116. Sic morbilli Amboinenses planè peculiares observati à *Saar*, in den Ost-Indianischen Kriegs-Diensten / *pag.* 30. Nec minus curiosum est, quòd *D. Michaël* aliquando curavit quendam, qui ab altera parte corporis morbillis, ab altera vero variolis erat affectus, quem natura ita mirabiliter in duas quasi partes diviserat. *Adultos* graviùs laborare, & difficiliùs ferre *variolas ac morbillos* quam *pueros*, per experientiam innotuit. Densior nempe adultorum cutis, & firmior ejus textura, neque dispositioni materiæ adeò apta est, & sub suppuratione sensibilius longè dolere solet. Maligniores etiam *variolæ* frequenter *verminosæ* observatæ fuerunt. Conf. *M. A. N. C. Ann.* 8. *p.* 143. & *sudorem verminosum* in Variolis in *M. A. N. C. Ann.* 6. *pag.* 8. *Vermiculos* post variolas cum [?]*a* rejectos vid. *M. A. N. C. Ann.* 3. *p.* 44. item *Vermes* in Variolis, *Rhod. cent.* 3. *obs.* 64. *Barthol. cent.* 5. *hist.* 20.

Quoad **Prognosin**, melius est Variolas & Morbillos *citò* quam *tardè*, *confertim* quàm *successivè* erumpere. *Materiæ* enim inobedientiam & *naturæ* robur ostendit. Post eruptas variolas & morbillos *febris & symptomata* remittere debent: Sin minus, res periculosa est. Aut enim *insufficientem expulsionem*, aut *defectum virium* ostendit. Quorum parentes *morbo Gallico* laborârunt, graviùs laborant Variolis, teste *Horstio*, *observ. p.* 308. *Maculæ purpureæ* an in Variolis *mortis prænunciæ*, observat *Sydenham observ. de morb. acut. p.* 180. Variolæ *meliores* sunt *citò albescentes* cum *circulo rubro*, magnæ, plures, molles, acuminatæ, rotundæ, disjunctæ & sine continuitate propinquæ; quæ *loca externa* & *ignobiliora* occupant, facilè maturantur & decidunt.

Malæ sunt *variolæ*, vel ipsæ *discolores* ad *livorem* declinantes, aut saltim, quæ habent *circulum lividum*, *violaceum*, aut *nigricantem*, *duræ* & *verrucis* similes; *depressæ* admodùm *periculosæ*, uti &, si antea acuminatæ *subsidere*, & in medio sui *foveolam* acquirere incipiant, item in quorum medio

nigra macula apparet, continuè: item aut *duplices*, aut *tardius erumpentes & maturantes.* Non terrere debet Medicum, adesse *epilepticas convulsiones* ante horum exanthematum eruptionem; Expulsis enim his pustulis subitò & sponte evanescunt, nec amplius redeunt, sed si continuent post expulsionem aut redeant, admodùm periculosum, sæpius lethale: Deficientem enim expulsionem hoc innuit; Nam semper post eruptionem alleviari æger, ac ejus symptomata remittere debent, sin minus, periculosum. *Stillicidium sanguinis* ex naribus est *ominosum*, præsertim *in principio.* Sed si in principio morbi sanguis è naribus largiter effluat, variolæ & morbilli pauciores erumpere, & æger faciliùs liberari solet. Sed si post eruptionem jam factam, vel *hæmorrhagiæ* superveniant, vel *alvi fluxus*, malum est: Aut enim retrocedere pustulas faciunt, aut inquinamenti humorum insignis ab istis pustulis inducti indicium sunt. Rarum igitur est, quòd hoc ægroti cum levamine observavit *Willis de febb. p.261. Hæmorrhagia* igitur *salutaris* debet (1.) *in principio aut incremento*; (2.) *Sufficiens & moderatè copiosa*; (3.) *Continua*, unâ vel alterâ vice, non interrupta; (4.) Per *anastomosin* fieri. *Urina sanguinea* sive *cruenta lethalissimum signum* est, dum etiam quævis *sanguinis puri & sinceri* supra aut infra factæ *excretiones* sunt *lethales.* Vid *Forest. l.6. observ.45. Sydenham observ.182, 212. River. cent. 1. obs. 71. Salmuth. cent. 2. observ. 20. Hochstett. decad. 1. cas. 8.* Rarum igitur est *mictionem cruentam* salutarem *in variolis* observatam esse, cùm *sanguinis per gingivas excretio* suppressa esset. Vid. *Schenck. l.6. observ.* Interim *hæmorrhagiam ex naribus & gingivis simul lethalem* vid. in *Hildan. cent.6. obs.77.* Sicuti etiam rarum est, quod *variolæ cum Dysenteriâ* fuerint curatæ à *Riverio, cent. 1. obs. 71.* Si in variolis & morbillis adsit *tensio & meteorismus ventris cum anxietate, huc atq; illuc agitatione*, intra paucos dies *obeunt*, præcipuè si junctus sit *dolor.* Vid. *River. in obs. comm.* & *Hochstett. obs. anatom. p.22.* Si variolæ appareant, comitante solummodò *levi febre*, ex *pulsu* aut ⊡a, aut etiam *calore externo* vix notabili, tum vel materia expellenda *pauca* est, *benigna*, & natura *robore* pollet; vel *suspecta res* est, præcipuè si *magnus* sit *dorsi dolor*, & *insolita virium oppressio* advertatur, latitante *febri admodum malignâ* & quarto subindè die *lethali.*

Quoad *Tempus eventus* pertinent hi morbi ad *febres acutas*, nam ut plurimùm in 14. diem totus cursus absolvitur. Qui ex *variolis* pereunt, aut *suffocati* intereunt, propter *faucium vel pulmonum* oppletionem; vel *convulsi* moriuntur; vel *alvi profluvio*, præsertim *cruento*, jugulantur. Hinc *Joh. Stephan. Comment. in Avicenn.* Nil *observatione* dignius est, quàm *anhelitus* & *vox* in patientibus variolas: Ubi enim prompte recteque agitur *respiratio*, *vox* facilè sequitur, neque raucescit, admodùm *salutare signum* est: Atque ubi *difficulter trahitur* [illegible]*us*, alterutrum significari, nempe aut *vires* concidisse, aut [illegible] *in septo transverso* adesse *phlegmonem.* Similiter quando variolis impliciti

vehemen-

vehementer *sitiunt*, *intusq;* continenter *anguntur*, prompteque *refrigescunt* bullæ, *detumescantq;* morbilli variolæve, glauco livore *pallescunt*, tunc ægri *capulo propinquant*: Hoc enim *caloris nativi extincti* argumentum est. Interdum *hæ pustulæ*, licet non statim jugulent ægrum, tamen quia vel malè curatæ, vel quia partem quandam nobiliorem gravius læserint, *diuturna* vel *lethalia* inducunt *symptomata*.

In *Cura* (1.) *Fermentum acre acidum* temperandum. (2.) correctum per *diaphoresin*, naturâ monstrante viam, ejiciendum. (3.) *Symptomata urgentia* mitiganda. (4.) *læsio partium* vel *imminens* præcavenda, vel *facta* restituenda.

Pro his scopis ritè obtinendis observetur:

I. Distinguendum esse *tempus ebullitionis* & *tempus excretionis*, sive *expulsionis*. *Illud* est, quamdiu *effervescentia febrilis* Massæ sanguineæ depuratoria viget: *Hoc*, quando *excretio cutanea* incipit probeque procedit. *Tempus ebullitionis* sive Massæ sanguineæ *despumationis* ut plurimum primis 4. diebus absolvitur; *excretionis* vero à tertia vel quarta die per 7. subsequentes ad 11. protrahitur, quo tempore etiam ferè maturescunt, ut circa 13. diem *curatio* absoluta fit. Nempe hæc ut plurimùm fiunt ita, interim pro circumstantiarum varietate subindè variolæ non præcisè tertia aut quarta, sed etiam 7. vel 8. etiam 20. erumpentes die observatæ; Sicuti variolæ jam desperatæ etiam post 17. diem demum suppuratæ notantur in *M. A. N. C. Ann.* 8. *p.* 141. Sicut *ex variolis retrocedentibus affectus singularis convulsivus*, qui post 2. menses, redeuntibus denuò variolis, demum evanuit. vid. *M. A. N. C. Ann.* 3. *p.* 380. His ipsis temporibus ritè distinctis magna pars curæ innuitur: nam nec *ebullitio* nimis evehenda, nec nimis supprimenda. Conf. *Sydenham. Meth. med. febres p.* 97. Nec *expulsio* variolarum nimis provocanda, teste eodem *in observ. de morb. acut. p.* 193. 177. Sed in principio, ubi pustularum elementa nondum comparent, haud protinus ad expellentia dilabendum, sed *naturæ conatus* ita expectandus, ut interim porrigimus talia, quæ non tantum *primordia morbifici fermenti compescere* ac *mitigare*, sed etiam quæ *corruptioni sanguinis* à *malignis miasmatis* perficiendæ *obstaculum ponere* possunt. Dum vero erumpunt, sive jam eruperunt variolæ, *symptomatis urgentibus*, pro re nata Medicus debet prospicere. Magnâ tamen in hoc cautione opus est, ne, dum exiguis consulimus, magnâ *pharmacorum* molestiâ *naturæ opus* turbetur. Etenim toto hoc tempore una & continua est ebullitio febrilis, quare nil temerè movendum erit.

II. Semper post *sanatas variolas* corpus *purgandum* est, *sanguisq;* *purificandus*, ne hinc indè hærentes *reliquiæ acido* ⊖ *sæ*, mille mala inferant: pro quo scopo ☿ *dulcis* præ cæteris excellit. Sed an *in principio* purgandum quæritur? Equidem variolis & morbillis, quà talibus nil conferunt *purgationes*,

quatenus tamen subindè *corpus cocochymicum* est, aut *primæ viæ* sordibus obsessæ, ne supervenientia exindè varia symptomata naturæ motum turbent, *blandissimum* primas vias *abstergens*, cautè tamen, & saltim *primo in principio* propinetur, ne occasio detur periculo isti, quod ex *alvi fluxibus* in variolis imminet; adeoque vel *blandum laxans passulatum* conducit, ad imitationem *Horstii*, *observ. anat. 27. vel ☿ dulcis* parcâ dosi propinetur, ac appropriatum contra variolas remedium, vid. *M. A. N. C. Ann. 3. p. 13. & 97.* Sanè cùm ante hoc triennium variolæ populariter grassarentur inter infantes, ad hujus loci imitationem omnibus, quibus suspicio forsan imminentium variolarum aderat, mox in primo principio *Mercurium dulc.* dedi, pro ætatis ratione, grano uno vel altero præter propter annorum numerum transcendens, v. g. infanti trium annorum dedi *gr. iiij.* 4. annorum *v. vel vj.* interdum pro stimulo granulo *pulveris jalappæ* addito. *Pulvis* hic nunc *solitarius*, nunc sub tegmine *conserv. rosar.* in principio primo datus, nunc vomitum & aliquot secessus, nunc alterutrum solum provocavit, & ferè semper felicem eventum appropriatis remediis adhibitis observavi. Sed in progressu morbi: item ubi pustulæ plus minus eruperint, à quolibet tantillum alvum stimulante, etiam levissimo clysmate aut suppositorio studiosè abstinendum, nec, nisi summâ urgente necessitate, alterutrum eorum usurpandum, vid. *Miscell. Largii app. de Morbill. §. 97. & seq.*

III. In variolis & morbillis *Sanguis mittendus* haud venit. In nostro climate nil prodest, sed naturæ motum turbando multum nocere valet. Interim tamen in principio, in adultis plethoricis, aut habitioribus vena aperta haud adeò nocere solet, præsertim cum subinde instituenda veniat in casu, quo de variolis nondum adhuc est suspicio, sed in primo fiat principio. Dum enim jam apparere incipiunt pustulæ, periculosissimum, modo non lethale, existimo, venam aperire. Hoc tamen non obstat, quin in aliis regionibus, aliis in casibus, subinde ante, aut etiam post pustularum eruptionem vena salubriter secta fuerit, exemplo tamen apud nos non imitando. vid. *Ballon. Pharos Medicor.* 179. 185. *Horstius in operib. med. in observat. pag. 39. lib. 1. observ.* item *Filius Horstii in observ. anat. pag. 23. & 24. Septalius in animadv. pag.* 121.

IV. *Opiata* in variolis & morbillis per quam proficua sunt, debitis cum cautelis adhibita, quas vide in *Miscell. A. N. C. Ann. 8. p. 115.* cùm pro mitigandis urgentioribus symptomatis, & promovenda excretione cutanea, pro sistendo alvi fluxu, & præcavendis nervosi generis symptomatis multùm conferant, in specie vesperi exhibita. Ad hæc ab eorum usu in faciei & manuum intumescentia, quam insignem in hoc morbo natura habet, evacuatio rectius procedit, dictusque tumor eorum ope ad debitum naturæ terminum pertrahitur,

hitur, ut loquitur *Sydenham observ. p.203.* Hinc puer in variolis per 5. dies ex abusu Syr. papaveris innocuè dormiit. vid. *M. A. N. C. Ann. 8. p. 114.* unde infantibus gr. j. vel alterum theriacæ, adultis laudani opiati concisam dosin commode propinare possumus.

V. Sanatione peractâ interroget medicus clientes, an in partibus quibusdam, præsertim in pectore, aut abdomine, aut cavitatum harum visceribus sentiant aliqua symptomata, & tunc parti læsæ maturè succurratur. *Post variolas enim non sufficienter expulsas sive excretas* facilè ægri in phthisin incidunt, aut pleuritidem, aut diuturnum periculosumque alvi fluxum.

VI. In variolis & morbillis *Aër studiosissime cavendus*, quin potius in locô tepido sive moderatè calido ægri asservandi, & debitis stragulis custodiendi sunt. Ne tamen quid nimis in hoc punctô. Passim in hoc erratur, dum ægri in locis nimis calidis custodiuntur, atque copiosis stragulis tantùm non suffocantur, id quod subinde admodum est nocivum. Ut hoc regimen fiat ritè tempore ebullitionis, observetur æstus in ægro febrilis, qui si excedat, nullô modô per integumenta, aliisve modis est intendendus;ècontra si est debilior, aut saltim videatur minor, quàm qui sufficiat secernendæ & expellendæ materiæ Variolarum, integumentis aliisque modis est augendus. Quod si medius fuerit æstus, ita ut nec excedat, nec deficiat, sed sufficiens videatur pro excretione variolarum, & morbillorum in mediocri calore sustentandi sunt ægri. Quæ regulæ in quibusvis febribus cum excretione cutaneâ junctis probè observandæ. *Conf. Horst. obs. anat. p. 25. Sydenham passim in ejusdem method. item in observ.*

Diæta tenuis inprimis convenit his ægris, præsertim ebullitionis tempore, ne impediatur naturæ motus. *Lentium decoctum* eorumque esus à quibusdam in his affectibus laudatur, sed sine fundamento. *Vinum* nocet his ægris vid. *Febr. de scorzoner. p. 87.* [Vinum, *ait*, semper noxium est, etiam rubrum.]

Quoad *Remedia* duobus scopis prioribus satisfacientia, eadem sunt vel generalia, *absorbentia & volatilia*: vel *specifica magis*, variolis & morbillis imprimis convenientia. *Absorbentia & volatilia* simul & acre acidum temperant, & per diaphoresin auctam illud ejici faciunt. Sed *illa fixiora* magis temperant, *Volatilia* magis sudorem & urinam movent. *Illa* potius conducunt, ubi circa primas vias urgent symptomata: *hæc* ubi acrius & volatilius peccaverit acidum, adeoq; graviora præsertim nervosi generis symptomata inferat, ut inquietudines, convulsiones, &c. *Illa* magis tempore ebullitionis, *hæc* excretionis conducunt, dum difficilem aut tardam eruptionem admodum promovent. *Illa* magis conveniunt, ubi primarum viarum urgent symptomata, *hæc* ubi pectoris aut pulmonum metuuntur à variolis mala. Remedia *Fixiora* sunt *unicorn. fossil.* ♁ *diaphor.* *Cinnabaris antimonii, corallia.* item *C. C. sine igne, unicornu verum.* Item

semina

semina expulsiva ista speciatim variolis & morbillis dicata. *Volatilia* autem sunt quælibet *Volatilia* ⊖*sa*, speciatim *sal volatile C.C. viper.* & in infantum variolis nunquam satis laudatus *liquor succinatus*.

His ipsis pro urgentium Symptomatum ratione & *opiata*, ut supra monitum, quolibet morbi tempore, possunt sociari. *Specialia* magis remedia, *myrrha*, *castoreum*, horumque essentiæ cum V ♀ lato præparatæ: it. *Tinctura* ♀i bene acris: it. *stercora animalium*; *crocus*, *ficus*, *milium*, & inter externa *succinum*. Myrrha optimum est præservativum, & curativum variolarum, balsamica vi alterationem horum à fermento maligno inhibens, adeoque ne copiosè nimis affligant, præservans, quod pariter & de Castoreo verum. *D. Langius* habebat essentiam, anodynam ex *Castoreo* & *asâ fœtida* cum *Tinct. tartari* paratam, quâ in præservandis & curandis his affectibus plura præstitit. De *Croco* refert *Lipsius de Variolis*, eum mirabilem esse in expulsione variolarum & morbillorum, dolorem sedando, & venenositati resistendo. Inter *stercora animalium* excellit *stercus equinum*, in forma noduli potui infusum, aut etiam cum cerevisia calida *succus expressus*, & exhibitus *scopis omnibus* in variolarum & morbillarum cura *satisfacit*, & in specie ab *angina ac pleuritide* ac cognatis in variolis periculosis malis præservat: In specie *stercus ovillum* tanquam infallibile ad variolas deprædicatur remedium. *Dygby Recept. part.*1. *pag.* 69. Sicut ad *morbillos* singulare experimentum est *stercus caprinum* in potu datum, mirabiliter simul expellens. *Ficuum decoctum* ad expellendas has pustulas, & temperandam eorundem acrimoniam, multum laudatur. *Forestus l.6. observ. inquit.* Morbilli adeo passim grassabantur, ut vix puer aliquis in urbe ab illis immunis esset, omnibus autem qui decocto ficuum in cerevisia utebantur, facilè foras expellebantur. Hinc etiam decoctum ficuum *Mynf.* contra variolas in usu est. *Sed observetur*, quod hoc interdum alvum laxare soleat, quod meritò his in morbis suspectum; præcavetur hoc, si *decoctum* paretur *milii cum ficubus* ad imitationem *Salæ in Append. Mirotech. p.* 825. Cum decoctum milii per se egregium admodum his sit in affectibus.

Quoad *Succini* externum usum, curiosa est observatio, quam refert *Beckerus de Cultrivoro Prussiaco p.* 48. Cum ante biennium Variolæ hic essent epidemiales, virgunculæ cuidam in principio morbi ante earundem eruptionem brachialia ex succino parata carpo circumposita fuêre. Cumque à sinistra manu deciderent sæpe, dextra verò semper admotæ manerent, variolarum immensæ copiæ ibid. loci prorupêre, ita ut non sine molestia ardorem illarum ferre coacta fuerit. Cum his confer ea, quæ quoad *succinum* habet *Helmont. in Tumulo Pestis p.* 881.

Ex his variæ fieri possunt formulæ, v.g.

℞ ♁. diaphor.

C.C.f.

C.C.f.△.an. gr. xv.
myrrh.℈ß. M. pro 2. dos.

Item præmisso præsertim usu ☿ii dulcis,
℞. C.C. sine igne ℈j.
myrrh. gr. vj.
theriac. gr. ij. M.D. pro 2. dosib. infanti.

Item ℞. C.C. sine igne
unicorn. fossil. an.℈j.
⊖ volat. C.C. ℈ß. M. pro 2. dos.

Vel ℞. Aq. scorzoner.
scabios. an.℥jß.
♁ diaph. ʒß.
C.C. sine igne ℈j.
⊖. volat. viper. gr. xv.
syr. flor. calend. ℥j. M. pro 3. dosib.

Item ℞. Sem. napi
aquileg.
Carduiben. an.ʒj.
c. s. q. aq. scabios. F. Emulsio, adde
bezoard. miner.
C.C. sine igne
unicorn. fossil. an. gr. xv. M. Edulcoretur parum.

Vel ℞. Unicorn. ver. præp. ʒß.
Cinnabar. ♁ij. gr. xij. vel xv.
⊖ volat. C.C. gr. vj. M. pro 2. dos.

Vel ℞. ♁ diaph. ℈j.
Cinnabar. ♁ij. ℈ß.
myrrh. gr. vj. M. pro 1. vel 2. dos.

Facit huc ♁, quem admodum laudat Joël in praxi.
℞. C.C. sine igne gr. xv.
bezoard. ☉lar. ℈ß.
⊖ volat. C.C. gr. v.
laud. op. gr. ß. M. pro 1. dos. Vel in forma liquida;
℞. Aq. scabios. ℥jß.
Essent. myrrh. ʒj.
C.C. sine igne ℈j.
bezoard. min. ℈ß.
laud. opiat. ferment. gr. ß. vel 1.
syr. Card. ben. ℥iij. M.

Convenienter quoque in principio salia fixa, in progressu & tempore ebullitionis *salia volatilia* usurpari possunt. Hinc

℞. Ebur. sine igne ℈ß.
♁ diaph.
myrrh. an. gr. vj.
⊖ Card. bened. gr. vij. pro 1. dos.

Circa statum & dum remittunt symptomata, & copiosæ jam pustulæ efflorescunt
℞. Tinctura 🜿i acris
essent. myrrh. an. ʒij. Mf. dentur adulto 50. vel 60. gutt. ter in die, infanti 20. vel 30.

Vel ℞. Tinctura ♁ij
Essent. myrrh. an. q. v. Mf. D. bis vel ter in die. pro circumstantia ægri:

Aliquando cum recessissent morbilli, & varia effecissent symptomata;
℞. ♁ diaph. ℈j.
Cinnabar. ♁ii ℈ß.
⊖ volat. C.C. gr. xij.
Camph. gr. ij. M. pro 2. dos.

Item in puella decenni variolis afflictâ, quæ sine suppuratione incipiebant evanescere, cum *fluxu alvi*, & hujus pedes jam ad genua usque cum dolore livescabant. Hinc

℞. ♁ diaphor. ♂t. gr. xv.
Castor.
myrrh. an. gr. iiij.
Camph. gr. j. M. D. in duplo.

Quem ♁em cum aliquoties sumsisset, alvo suppressa, variolæ denuo apparuerunt, sicque evasit.

Puero 13. annorum tribus diebus gravi corporis æstu, vomitu continuo, & incipiente *diarrhœa* afflicto, in suspicione variolarum cùm in vicinis locis observarentur: ℞. Extr. theriac. gr. v.
laudat. opiat. ferment. gr. j. ß.
M. F. Pilul. N. xij. pro 2. dos.
à prima dosi omnis vomitus & angustia cessarunt. Hinc
℞. ♁ bezoard. compos.
specif. cephal. an. ℈j. M. pro 2. dosib.

Hinc copiosissimè erupuerunt variolæ. *Potui* infundebatur *stercus equorum*, ejusque succus permiscebatur.

Puer unius anni cum semisse, cum alii fratres morbillis correpti, decumberent ex improviso, à meridie cum *gravi stertore* incalescere admodum & debilitari cæpit

cæpit, Er hat sehr geröchelt/ und sey ihm ein Stick-Fluß gefallen/ habe sehr kurtzen Athem/ und keiche sehr.

Cùm malum hoc ex imminentibus variolis esse suspicarer, cùm alii fratres unà decumbentes graviter tussirent:

℞. ▽. flor. sambuc. ℥jß.
liq. C.C. succin. ʒj.
syr. papav. albi ʒiij. M.

Hujus usu copiosissimi proruperunt morbilli, & stertor & difficultas anhelandi cessarunt. Nempe ex impetu lymphæ acrioris & hinc inimica vellicatione & irritatione faucium, laryngis & pulmonum, malum ortum fuerat, ob id acrimonia suspecta maligna erat corrigenda per volatilia; irritationis autem sensus sopiendus per papaverina.

Puero aliquot annorum ex variolis gravi difficultate respirationis laboranti, & simul diarrhæâ correpto in statu morbi:

℞. Aq. scabios. ℥ij.
terr. sigill. ʒß.
syr. è succo scabios. ʒvj. M. capiatur pro lubitu.

It. Infantibus in Morbillis diarrhæa affectis.

℞. ▽. menth.
flor. sambuc. an. ℥j.
Gelat. CC. ʒvj.
succi cydon. ℥ß.
terr. sigill. ℈j.
♁ diaph. ℈ß.
syr. de toto citr. ℥ß. M.
propter infantes est grati saporis.

Symptomata in his morbis *mitiganda sunt vel ante eruptionem, vel post eruptionem.* 1. *Anxietates præcordiorum & jectigationes,* quas, quando vel vomitus spontaneus præcessit, vel per medicamenta nauseosa provocatus fuit, omnium optime confert *liq. C.C. succin.* infantibus præsertim singulariter conveniens. Cui etiam *extr. theriacale aut laud. opiat.* in parva dosi conveniunt. 2. *Vomitus* in principio non statim supprimendus, ast si nimius fuerit, *extract. theriacale, syr. papav. laud. opiat.* unà cum *absorbentibus* curant. 3. *Diarrhæa* aut alius *alvi fluxus per terr. sigillat.* curatur. Si nempe hujus pulveris largiter cerevisiæ injiciatur, & sub quolibet haustu probè invicem agitentur, & ita assumantur; it. *CC. ustum, theriacalia* conveniunt. 4. *Vigiliæ, deliria,* imprimis *convulsiones epilepticæ,* quæ infantes mox primo in morbi principio cum abdominis duritie affligunt; quas optimè curat *liq. C. C. succ.*

 Cinna-

cinnabaris ℥ij, & si necessarium videtur, in morbi principio, *clysmata* levia, 5. *Hæmorrhagia narium moderata* aliquandiu sinenda, præstat ut plus fluat sanguis, quàm minus. vid. *Horstius. obs. Anat. p.95.* Quod *si non sufficienter* procedat, potiùs promovenda venit, vellicando nares, aut cum seta porcina, aut crebrius & fortius eosdem emulgendo, aut aliis modis hæmorrhagiam narium provocando, quod cum fecissem, sanguis bene fluxit, & febris desiit, & brevi sanata est, *dicit Forest. l.6. observ.48.* Quod *si excedit*, optimè narium hæmorrhagiam curant *bufones* appensi, aut sub axillis agitati, vid. *Willis de febb. pag. 266.* Id quod & in aliis malignis obtinet. Virgo adulta febri petechiali graviter correpta, cum jam efflorescerent copiosè petechiæ, gravi & pertinaci corripitur hæmorrhagiâ: pro qua sistenda jussi caperet. 2. *bufones vivos*, eosque contusos & conquassatos sub axillis utrinque alliget, cum linteolo, quo facto subitò omnis hæmorrhagia sedata fuit, & virgo per continuatum Electuarii ex conserv. citr. cum theriaca usum convaluit. Sed brevi post, cum nimis strenuè edisset, gravissimæ anxietates præcordiorum & æstus intensissimus recurrunt, jubeo ut vomeret, usa Syr. emetico, & dictum electuar. continuaret: quo factò perfectè convaluit. Aliàs cùm in variolis *nimiæ hæmorrhagiæ* ex ebullitionis sanguinis nimio impetu oriantur, easdem etiam *opiata* cum *absorbentibus* seu præcipitantibus dictis compescent, vitando tunc volatilia. 6. *Tussis.* Hîc *in principio* temperantia & levigantia, vulgò incrassantia; *in statu* vero incidentia & expectorantia usurpanda. Ibi *Syr. violar. papav. de jujub. Diacod. in aq. scabios. tussilag.* Hîc vero *Syr. Nicotian. de Erysimo*, cum 🜄. *menth. hyssop.* &c. *In omni tempore remedia ex scabiosa* præsertim, speciosè præservant & curant partes respirationi dicatas. 7. *Virium prostratio* corrigitur à Tincturâ corall. cum 🜍 C.C. it. vin. Rhenan. haustulo, speciatim quando prosternuntur vires à nimio sudore.

Post eruptionem symptomata sunt 1 *Retrocessus*, in hoc casu nil melius est quam *vesicatoria.* vid. *Act. Medic. Hafn. vol.2. p.200.* sicut aliàs, ubi in variolis graviora urgent symptomata, nec ritè eædem erumpunt, non absque fructu vesicatoria applicantur. vid. *Fehr. de scorzonera p.88.* item *Act. Med. Hafn. vol.3. pag.72.* 2. *Suppuratio* pro hâc promovenda, ac ne lædantur præsertim partes internæ, optimè conveniunt *lapid. cancr. cum myrrha* crebriùs usurpata, v. g.

℞. Lap. ♋. præp. ʒß.
myrrh. gr. xv.
C. C. sine igne ℈j.
⊖. card. bened. gr. v. M. pro 3. dos.

Vel vesperi ad promovendam suppurationem & levandum ejus dolorem in adulto.

℞. Aq.

℞. Aq. scabios. ℥vj.
lap. ♋ præp. ℈j.
myrrh. gr.vj.
laud. op. gr. ß.
syr. de succo scabios. ℥iij. M.

3. *Cicatrices & foveæ earum* ab erosione, ab acido acri ⊖ so. *Ergo temperandum illud*, ut plus mitescat: quo facto fovearum & cicatricum nullus metus; *unde* 1. maturantia & temperantia conveniunt. 2. nævos & maculas tollentia. 3. Cicatrices & foveas, si quæ sunt, implentia.

Pro quo scopo ut temperetur & mitigetur pus, 🝆 amygd. dulc. expr. recens cum penna calidè illinatur, quando jam maturaverint, & in medio oculi quasi albicantes apparuerint, hoc sæpiuscule fiat in die. Vel: Wenn die Pocken anfangen sich zu bezeigen / nimm Nieren-Fett von einem Schwein / schmelze es / und netze Tüchlein damit / und bestreiche mit solchen das Angesicht sechs, sieben, achtmahl deß Tages / das thue so lang / biß die Pocken oder Blattern außtrocknen / so wird kein Mahl bleiben. Frustulum item lardi, subinde impositum ac sæpius renovatum est egregium. Præstantius est pinguedo lardi incensi destillans, vid. *M. A. N. C. Ann.6. App. p.192. Pulvis ad variolas Mynf. vid. in Armam. p.134.* Unum ex optimis est *spir. vini aromaticus c. salibus volatilibus* leviter acuatus, & subinde calidè variolis applicatus. vid. *Sylv. de morb. infant. c.9.* vel observetur elegans illa methodus *M. A. N. C. Ann.4. p.150.* ut sub eruptione variolarum ▽ *myrrhatus* calidè per 2. dies repetitis vicibus illinatur. Hinc *sacch.* ♄i ▽. *ros.* mixtum, calide penna faciei applicetur: Hujus loco etiam *Empl. de sperm. ran. cum sacch.* ♄i imponi potest. vid. *Hoffmanni clav. p.249.* Sed cautè talia fiant, ne repulsis variolis superveniat mors. Vid. *Borell. obs.64. Forest. l.6. obs.45.*

Ne autem facies tot variolis obsideatur, Viennæ dorso sive scapulis imponunt *vesicatoria*. vid. *Thiermajer. l.1. Cons. p.106.* Alii pro hoc vaporem ex decocto herbarum emollientium pedibus suscipiunt. *vid. M. A. N. C. Ann.6. p.247.* Aut lacti calido pedes immergunt. Autore *Sylvio loc. supra cit.* Facit huc, quod refert *Forestus lib. 6. observ. 42.* In pruritu manuum & plantarum pedum, dum erumpunt pustulæ, ponantur dicta membra assiduè in aquâ calidâ & multum confert. Pluribus & punctiones cessant, meliusq; morbilli erumpunt. Sed habeatur tunc pedum ratio, ne à copia variolarum dolores diuturni aliáve gravia mala iisdem concilientur. Conf. *Hildan. cent.3. obs.99.*

Nævos tollunt inprimis sperma ranarum, hinc ▽. flor. fabar. c. pauco 🝆 🜿i per deliq. temperata: it. ▽. omnium florum, cui misceatur cosmeticum Clavii cum pauca tutia, &c. Facit huc etiam Cataplasma

 ℞. Farin.

℞. Farin. fabar.
lupinorum an. ℥ij.

M. cum ⊡ bovis ad consistent. Cataplasma. hoc ipso vesperi tota inungatur facies. Relinque ita per noctem, mane tunc ▽. florum fabar. ablue & videbis egregium effectum. Cicatrices denique, si nihilominus quædam supersint, pro his mediante nutritione debitè implendis inservit axungia asciæ piscis illita, & pinguedo anguillæ.

4. *Ptyalismus*, rarum equidem hoc post variolas apud nos est symptoma; observatum tamen sæpius à *Sydenham.* Hic igitur variolis malè tractatis, interdum auspicato superveniens, ut tractandus, vid. in *cit. Authore de method.med. febres p.*108. it. *in ejus observ. p.*174. & 201.

Quoad *quartam indicationem*, *'æsionis partium* adhuc habenda est ratio, quas inter rarius ac periculosius affligi solent inprimis *Oculi.* In his variolis laborantibus adhibeatur frustulùm crudum *carnis recentis vitulinæ*, & ita tepidè oculis imponatur, ut hoc ipsum salsam infestantem oculos humiditatem absorbeat. Hinc ubi ferè ad quadrantem horæ adhæserit, auferatur, & recens imponatur, & sic consequenter aliquando continuando. *Succus cerefolii* cum ▽. *fœnic.* instillatus variolas oculorum curat. Vid. *Sylv. de morb. infant. c.9. §.83.* Item

℞. Aq. plantag.
solan.
rosar. an. ℥j. in quibus ebulliant
sem. sumach. ʒj.
plantag. ʒß. Ex Colatura f. Collyrium, sæpe

oculis instillandum, idque *in principio*, ut defendantur oculi à pustulis, in quo obtinendo tale me nunquam fefellit, dicit *Renealmus in observ.* Aliquando cum jamjam humor ad partem appulerat, admiscui, detractis aq. solan. & sem. sumach, mucilag. sem. alth. in aq. fœnic. extract. ʒjß. Quibusdam minori in copia pro ratione morbi. Conf. *Horst. l.6. obs. append. p.*301. Loco sem. sumach. malicorium recipi potest. v.g.

℞ Cortic. granatorum ʒiij. infunde in s. q. aq. ros. & plantag. stent in infus. in loco calido, postea filtretur, & adde
margarit. præp. gr. IX.
croci orient. gr. iij. M.

Aut pro collyrio extemperaneo. ℞. Aq. plantag. & sperm. ranarum, in quibus parum sacch. ♄i misceatur, & ita oculis instilletur pro præservatione. Loco cujus ♄ *sacchari* etiam *tutia* præp. cum pauco ⊖-lo albo adhiberi potest.

Quod

Quod ſi nihilominus oculi progreſſu morbi intumeſcant, ita, ut nequeant aperiri, vel etiam glutinoſis ſordibus inviſcentur, *decocto ſem. lini, fœnugræci, cydon, malv. vel fotu ex malva & ſem. cydon. in aq. communi decoctis* aperiantur, idq; tamdiu, donec inviſcatio & tumor ceſſent. *Nebulæ* poſtmodum in oculis apparentes, *ǂe ſacch. candi in oculos inflato* curantur. Hoc enim ſaccharum præſervat non ſolùm oculos; ſed etiam nebulas detergit, ſi etiam cum aq. roſac. adhibeatur. Sin his omnibus non obſtantibus, tamen variolæ oculos occupârint, ita, ut iſtis curatis, nebulæ aut ſuffuſiones, aut ſimiles viſus obſcurationes poſt variolas ſuperſint, proficua eſt ▽. ophthalmica Rulandi, vel ▽. ophthalmica ex croco metall. Pertinet huc, quod refert Lipſius de variolis; Jn einem alten Buch hab ich diß experiment gefunden: Ein Knäblein ſahe nach den Blattern ein gantzes Jahr nicht / waren zwar ihm die Augen noch gantz / aber mit Wuſt überzogen. Endlich nam einer Entzianwurtzel / ſchnitzelt dieſe klein / ſod es in halb Wein und halb Waſſer / und ſprützte ihm das Waſſer 3. oder 4. Morgen in die Augen / das biſſe wol / doch genaſſe ihm das Aug. Item, das Oel von den Lebern der Aalruppen (muſtelarum) ein oder zwey Tropffen in die Augen gethan / beißt die Felle weg / iſt eine edle Artzeney. Conf. quoad Pterygion poſt variolas curatas *For. l. 6. obſ. 55.*

Nares defendendi ſunt, in quem finem

♃ Flor. roſ. rubr. p. iij.
camph. gr. viij. M. F. nodulus crebrius naribus admovendus,

vel ſolitarius, vel aceto roſaceo intinctus. Quod ſi in variolis *cruſtæ* ſubinde *circa nares* concreſcant, ita, ut per eas ~us trahi nequeat, *butyrum recens non ſalitum, vel cum ▽. roſar. ſæpius lotum*, blandè inunguendus eſt, quousq; cruſtæ decidant.

Aures. Ubi in variolis *auditus læſus* fuerit, inprimis veſicatoria pone aures applicanda: hinc eſſentia card. ben. aut caſtoreicum bombace crebrius auribus immittatur. Vel fiat *ſuffitus ex caſtoreo, myrrha, colocynthide, ſem. fœnic. & pauco croco in vino coctis*, ac per tritorium auribus immittatur.

Funeſtæ imprimis variolæ ſunt **Faucibus**, in quibus ſuffocatoria pathemata, atque adeo agrypniam quaſi inducunt. Ad præſervandas has fauces.

♃ Aq. prunell. ℥iij.
ſyr. de ſuc. ſcabioſ.
granat. an. ℥ß.
Rob. diamor.
dianuc. an. ʒij. M. S.
Safft zum Hals.

Vel ♃. Aq. prunell.

ſcabioſ.

scabios. an. ℥ij.
mucilag. sem. Cydon.
fœnugr. an. ℥j.
⊕ depur. ʒß. ad ʒj. M. S.

Gurgelwasser zum Hals.

In quem finem *stercus equinum* optimo consilio potui additur vel *succo cancr. fluviatilium c. ▽. sempervivi maj. misto*, pro collutione oris & faucium usurpato, fauces & lingua præservantur.

Quod si nihilominus fauces & lingua obsideantur, idque cum magno dolore & calore, imitemur *Forest. l.7. obs.17.* qui jubet, ut continuo cum *lacte caprino & aq. plantag. simul mistis*, tepidè se gargarizent ægri, aut si gargarizatio molesta sit, saltim aliquandiu in ore detineantur, hinc expuantur, quod miraculi instar prodesse ait, & oris & gutturis præstantissimum remedium, cùm signa exanthematum se produnt. It. ℞. *Gargarisma ex decocto hordei, passul. min.* ac similibus temperantibus adhibeatur, idque ad faciliorem maturationem, pustulis vero jamjam se aperientibus, huic decocto *mel rosaceum c. panxillo alumine* admisceatur ad meliorem purificationem, ne ulcera sordida remaneant. Quod si nihilominus fauces exulceratæ fuerint.

℞. Herb. salviæ, vel veronicæ,
sem. hordei, an. Mß. vel j.
passul. min. Mß. coq. in s. q. aq. plantag.
Colat. ℞. ℥viiij. vel ℔j.
adde mellis rosati ℥jß.
alum. ʒß. ad ʒj. M. pro Gargarismate.

Quod si *lingua* exulcerata fuerit, siquidem hæc non raro tota putrescit, eroditur, & expuitur. (*vid. Schenck. l. 1. obs. Barth. C. 2. hist. 22.*) Contra talem linguæ exulcerationem

℞. Flor. malvæ arbor. ℥ß.
balaust. ʒij.
myrrh. elect. ʒj.
alum. ʒß.
c. s. q. mellis despumati, F. Linim. molle.

Quod si variolæ *labia* obducant, adeoque ingentem dolorem inducant; *mucilag. sem. cydon.* eædem inungantur, & curentur.

Quod si *Dysenteria* vel corripiat, vel subsequatur variolas, internè *diascord. Fracastor. C. C. ust. terr. sigill. tormentill.* &c. conveniunt. Externè si ferat morbi conditio, *clyster* ex lacte cum rad. symphyti usurpari potest. Adhiberi etiam possunt remedia *Riveriana*, quæ in *cent. 1. obs. 71. & cent. 2. obs. 2.*

In

In *mictu cruento* remedia ex *plantagine* sunt optima.

Paralyses nunc particulares, nunc universales, non rarò insequuntur variolas, quam tractandi rationem vid. in *M. A. N. C. Ann. 4. p.* 13. Item quoad *loquelam* post variolas amissam, ex vitio paralytico, vid. *Hild. C. 6. obs.* 14.

Ulcera subinde pessimi moris post se relinquunt variolæ, adeò ut *Salmuth. cent. 2. obs.* 50. ulcera mammarum admodum maligna orta notet ex paucis latentibus variolis corruptis. Ulcera talia cautè, & non adeò vulgari modo tractanda sunt. Conf. *Fehr. de Scorzoner. pag.* 88.

Gangræna non rarò variolas uno alterove loco insequitur, quæ pars quomodo tractanda, & ægra à corpore separanda sit, exemplo gangrænæ genarum à variolis docetur in *M. A. N. C. Ann. 4. p.* 50. Facit huc curiosa observatio *Thiermaiers consil. l. 1. p.* 106. *Scortum* in Variolis sphacelatum per *præcipitatum rubrum* cum unguento rosato digestivo mixtum, separatum & resarcitum.]

Denique *articulorum tumores & Ulcera* post variolas ut curanda, vid. in *M. A. N. C. Ann. 6. p.* 139.

Ad malignas hujusmodi febres pertinet etiam

FEBRIS nostra PURPURATA,

der Friesel dicta. Aliàs *febris militaris* dicitur. Vid. *M. A. N. C. Ann. 6. p.* 76. quo loco p. 205. *Purpuræ epidemicæ malignæ* infantum fit mentio. Aliàs febris militaris dicitur, vid. *M. A. N. C. Ann. 3. p.* 397. item *Morbilli ignei* quibusdam vocantur, vid. *M. A. N. C. l. c. Ann.* 6. Febris hæc quosvis adoritur, mares & fœminas, infantes & adultos, præsertim puerperas, quibus & malignior & funestior existit, forsan mensium retentorum occasione. *Acidum* sui generis *malignum est ejus fomes.* Hoc enim ubi secretum & devictum fuerit, atque ad loca intercutanea propulsum, horum ardor, pruritus, desquammatio, excitatur. *Remedia volatilia & myrrha* conveniunt. Subinde acutus, non rarò præceps est affectus, qui dum maximè videtur blandiri, etiam ex levissimo horrore, subitò jugulat.

In *Cura* eadem quæ supra de malignis dicta fuerunt, observanda. In specie *rob. sambuc. cum CC. item:*

℞. aq. scabios.
fumar. an. ℥jß.
Essent. castor. ʒj.
unicorn. ver.

antimon. diaph. an ʒß.
sal. volatil. C.C. gr. xv.
syr. artemis. ʒvj. M. pro aliquot dosib.

Item præsertim, si diarrhæa talibus funesta se sociaverit.

℞. aq. flor. sambuc.
card. ben. an. ℥iß.
spir. theriacal. simpl. ʒiij.
C.C. ust.
antimon. diaph. an. ℈j.
bol. armen. gr. xij.
syr. flor. tunic. ʒiij. M.

Liquor C.C. succinatus egregius pariter est in hoc affectu. Agmen claudat

MORBUS HUNGARICUS

sive *Febris castrensis*, maligna admodum & gloriosa præ cæteris malignis febribus, trigâ symptomatum acerbius affligentium insignita. Nempe 1. *gravi cardialgia & anxietate.* hinc 2. *Intolerabili Cephalalgia*, indeque *gravissimis deliriis*, ac denique 3. *graviore Prunella*, quibus & *dolor sive lassitudo artuum osteocopos*, & subinde *alvi fluor* se solent sociare. German. Hauptkranckheit/ die Ungarische Kranckheit/die hirntobende Sucht/appellari solet, in specie & secundum experientiam dicta. De hoc morbo tractavit *Mart. Rulandus.*

Cura eadem est atque supra insinuatum. Valent in specie *Vomitoria*, quæ in morbi principio admodum sunt necessaria. Hinc etiam *venarum raninarum sectio*, respectu nempe *Prunellæ*, loco quarum *venam frontis* quidam secare amant, respectu habito ad *Cephalalgiam & deliria.* Remedia inter pro *Julepo* commodè inservit *decoctum C.C. cum succo citri.* Pro diaphoreticis *spiritus* therical. camphor. Diascord. Fracast. pulvis rubeus Panonicus. Quibus & nitrum antimoniatum, præsertim in potu subinde addi potest. Faucibus optimè convenit. aq. semperviv. maj. v. g. ℔j. cum succi proprii ℥ij. acuata, addita, salis armoniaci ʒj. quæ misceantur pro gargarismate.

PESTIS

Adhuc superest, cujus consideratio & Theologica & Medica esse potest. Theologi eam flagellam DEI dicunt, Medici ejus naturam, quantum possibile, & indagant, & per medicamenta malignitati ejus succurrere satagunt. Multi multis de peste agunt. Sufficiat nobis quoad theoriam *Kircherus in Scrutin. Pestis*, *Helmont. in Tumulo pestis.* Quoad praxin verò felicius imitandam *Barbett. in descriptione Pestis.* & *Diemerbrock de peste*, quibus & societur *Sylvius de peste*, utpote qui præsentes pesti interfuerunt.

Est

Est autem pestis, quando in morbis adest supremus gradus malignitatis, qui, quoniam ferè cum omnibus morbis conjungi, adeoque varia symptomata inferre potest, vix peculiarem quendam morbum constituit, sed tantum conditionem morbi pessimam designat. Conjungitur etiam pestis cum omnibus aliis morbis, unde diverso tempore diversæ pestes observatæ, Sic ab *Æginetâ* prodita est *Colica pestilens*. *Peripneumoniæ pestilentialis* meminit *Fracassatus*. *Pestis pleuritica* descripta est ab *Joh. Wiero*. Ab aliis *phrenitides, dysenteriæ, hepatides, pestilientiales* fuerunt observatæ; itē *Anginæ pestilentiales* non sunt raræ. *Mercurialis* meminit ejusdam pestis, quæ *pedes, tibias, & ossa* ita *infestabat*, ut correpti intra triduum plerumque interirent. Nec ignota pestis illa, quæ *sudoris Anglici* nomine superiori seculo innotuit.

Utut autem malignitas pestilentialis pluribus diversis affectibus se associare valeat, *proprie* tamen sic dicta, & peculiaris morbi species *est pestis ista, quam Bubones aut Carbunculi, subinde & Petechiæ insequuntur.* Adeò ut per *pestem in genere* nil aliud intelligatur, quàm *morbus maximè contagiosus & Epidemicus, qui ortum ducit ex miasmate venenato, ab aere primum suscepto, & hinc per contagium propagato, qui occultè & latenter homines aggressus in summum vitæ periculum conjicit, & ferè bubones, carbunculos, nonnunquam & petechias comites secum trahit.*

Miasma istud *summè subtile* est, adeoque admodum activum, adeò ut quaquaversus diffusum, virulentiam suam exerat, unde à quibusdam *spiritus pestilentialis*, ab aliis *aura venenata*, ab *Helmontio Gas fracidum* in aëre dicitur; *GAS* tanquam spiritus incorporalis, nullo sensu propriè cognoscibile, simile cæco isti odori, quo mediante canes heros suos agnoscere solent. Quò facit *observatio 74, cent. 1. Borelli*, de quodam, qui locum infectum odore cognoscere potuit. *Summè contagiosum* est miasma, quod miris modis inficere potest, cùm non tantum per immediatum contactum corporalem, sed per intermedia quæcunq;, vestes, nummos, literas hinc inde transmissas, propagatum fuerit. In specie tamen aëre inquinando in distans quasi, multipliciter se propagat, cujus medio fermentū tale pestilens inspiratum, mox spiritus vitalis partem quandam afficit, & cruorem plus minus inquinat: unde tam promtè vitæ periculum, hinc & terrore & metu aut pavore percussi tam facilè contagium suscipiunt.

Natura miasmatis pestilentialis à nemine hactenus cognita, aut debitè explicata fuit. Illustrarunt negotium hoc, qui *naturæ arsenicalis illud esse asserunt*, in specie *Kircherus in scrutin. pest.* qui plurib⁹ ventilat hanc controversiā, & suę putredini animali applicat. Hinc inprimis legend⁹ *Helmont*, in eo pręsertim artificios⁹, quod eleganter demōstret modū, quo ex animi affectib⁹ subinde pestes propa-

propagantur. Nam inter causas, quæ corpus disponunt ad pestis fomitem promtius suscipiendum, vix potentior est imaginatione, & hinc natis affectibus, horrore, metu, pavore &c. Exempla miranda vid. in *Deusing. dissert. de Peste*, speciatim in *Höchstettero decad. 7. cons. 7.*

Quoad *causas remotas* sunt hæ ipsæ variæ, præ cæteris *terræ motus* considerandi, cùm passim exempla prostent. Non immeritò tunc causa rejicitur in *effluvia mineralia volatilia*, *mercurialia*, simili dem Schwaden / cujus halitu toties jugulantur metalli fossores. Pertinet huc *fames*, quam sequitur sæpius pestis, item *hominum strages in bellis*, quorum cadavera, putredine resoluta, ad pestem disponunt, in quo ipso mumialis consociatio ad cadavera cum hominibus imprimis observanda. Plures aliæ *aeris alterationes*, undecunque natæ, ad pestes quoque plus minus disponunt. Hinc enim morbi maligni populariter grassantes nunc acerbius affligunt, nunc denuò remittunt, pro aëris scil. alteratione varia: unde & tales Epidemici morbi interdum prodromi sunt insequentis pestis. De *veneficiis* & aliis modis pestem inducentibus non est opus multa dicere, cùm exempla passim prostent apud Autores.

Quoad *affligendi modum* pestis *nunc cum febri complicata*, *nunc sine febrilibus indiciis* affligit. Sunt equidẽ multi, qui existimant, pestem esse non posse sine febre, verum contrariatur experientia, de quo videatur imprimis *Barbette Tr. de Peste.* qui, cùm duas pestes sustulisset Amstelodami, refert se observasse multos, quibus citra febrem bubones sub axillis, aut prope inguina, eruperint, manifesta indicia correptionis à peste, quos ipsos tumores absque febre longè difficiliores curatu esse, quàm reliquos observavit. Imò in genere *pestis absque febre periculosior est istâ, quæ fit cum febre.* Febris nempe est motus naturæ irritatæ. Dum ergo mox prosternitur spirituum exercitus, ut siderati quasi intereant, & hinc primarium naturæ robur deficiat, absque febri, periculosissimè tamen decumbent ægri.

Symptomata peste infectorum pluribus non attinet enarrare, cùm in qualibet peste ferè varient. Sufficiant interea, quæ tam *Barbette*, *quàm Sylvius & Diemerbrock* enarrant.

Multi pariter curiosi sunt in expiscandis *indiciis pestem futuram præsignificantibus*, quæ omnia tamen sunt vana, interim paucæ conjecturæ non omninò sunt inanes. Uti sunt multa aut varia insecta, bufonum copia, quæ & alia plura vid. *in Kirch. de Peste.*

Præsentis pestis indicia pariter sunt nulla. Ubi tamen *morbi acutiores* ac periculosiores *cum bubonibus ac carbunculis*, *aut petechiis* grassari incipiunt, de peste amplius dubitare nemo potest. *Ipsum verò ægrum peste correptum*

ptum ostendit *nausea sine manifesta causa*, id quod contagii suscepti indicium est. *Item* certum signum, quod nunquam vos fallet, dicit *Lindanus*, est, *si ægri sentiant in locis bubonũ*, i. e. in inguinibus, sub axillis, vel paroditib⁹ *puncticulam, plures vel pauciores*, vel etiam *unam quasi candente acu factam*, certi estote Peste. Quãdo igitur tale quid in bubonib⁹ fit, statim oportet evocare, quia punctio illa est conatus naturæ, volentis huc deponere venenum. Quæ ipsa confirmantur ulterius, si præcesserit metus vel terror, & conjungatur capitis dolor insignior, vel similis præternaturalis subitanea corporis alteratio. *Chronologiam Pestium* insignium à diluvio ad nostra usque tempora, vid. in *Piens de Febribus part.* 2. *p.* 189.

In *prognosi* cautus sit Medicus, utut minus possit in peste errare, quàm in febribus malignis, quia sæpissimè infecti moriuntur. De *scabie* saltem observandum, quod tempore pestis sit salutaris: teste *Forest. l.* 1. *obs.* 24. qui etiam lue gallicâ infectos, sed ulcerosos rarò peste infici asserit. Aliàs enim pestem libenter lui Venereæ se sociare asserit Hodges de peste Londinensi.

Salutarem promittit eventum, si Bubones atque tumores citò erumpant, & symptomata tunc remittant. *Bubonaria* pestis est omnium mitissima & securissima, *petechialis* pessima, media est pestis cum *anthracibus*. Bubones plures ac boni coloris sunt salutares, ècontra carbunculi quo plures, eo periculosior. Si per *sudores* largiores materia discutitur, bonum signum: si verò frigidus sit sudor, vel etiam extrema frigida, in specie nares, malum est. *Narium stillicidium* lethale. *Tumores delitescentes* periculum portendunt. Eminentibus exanthematibus vel bubonibus superveniens *singultus*, lethale signum. *Delirium* cum oculis igneis & lingua sicca, pravum signum. Si super *bubonem* erumpat *anthrax* sive *carbunculus*, est lethale. *Anthraces* in digitis erumpentes periculosi, propter multos concurrentes tendines. Si ante febrim erumpant *tumores*, minus est periculosum, quàm si post febrim demum appareant. Si *tumores* aliquantisper sunt *inflammati*, non est adeò periculosum, verùm ubi eos circumdat *circulus lividus*, periculosum. *Cantharides* applicatæ, ubi non excitant vesicas, audacter prænunciandum, ægrum vix evasurum. Si post vesicatorium applicatum & apertum, vel cauterium actuale intra 12. vel 24. horas anthracis progressus ad vicina non potest inhiberi, æger interibit. Idque etiam fit, quando *post cauterium* sive potentiale sive actuale applicatum, *locus aridus* permanet: sin verò applicato cauterio erumpat vesicula, quò major, eò melior, & postmodum materia laudabilis in illa generatur, æger erit extra periculum. *Anthrax cum vibice* communiter flavo, aut rubeo est admodum periculosus. Quod si vibex albescat citra febris decrementum, pauca salutis spes superest. Si bubones in collo, aut prope aures, inducant

dolores gutturis, & *deglutitio citra insignem internam inflammationem impediatur*, patiens vix ultra 12. vel 15. horas supervivet. *Febris* insignis *citra anxietates cordis* minus periculosa est, quàm anxietates cordis citra insignem febrim. Interdum fit, ut *anthraces* oriantur *in oculis*, *in manibus*, *in stomacho* &c. citra spem convalescentiæ: item si oriantur *anthraces in vesica urinaria*, ægri cum summis torminib⁹ intereunt. Quidam tanquã certum habent prognosticon, *projiciunt lac mulieris*, masculum lactantis, *in urinam peste infecti*, unde si cadat in fundum, ante 6. vel septem dies ægros interire; sin minus, dicunt eundem supervivere: sit fides penes experientiam.

Quoad **Curam**, *duo consideranda*. 1. ut præservetur æger ab insultu. 2. ut infectus curetur.

Præservativum ordinarium est fuga, cum conditionibus. Citò fuge, longè recede, tardè redi. Aliàs cùm pestis afflictio in duobus consistat. In causa agente, & subjecto patiente, genuina præservatio consistet. 1. In causæ averruncatione. 2. In subjecti ad resistendum roborationem, ne contagium malignũ suscipiat, i. e. ut loquitur *Helmont.* dicens xenexton tollere appropriationem & adoptationem mumialem, extra quam nullum fit contagium. Nempe spiritus corroborandus, ne perterrefiat: In contagio verò mumialis dispositio delenda, & hinc sanguis certo quasi balsamo condiendus, ut symbolizatio mumialis hoc ipso minuatur. Scilicet non adeò promiscuè in quosvis grassatur pestis, quin certas familias, certum sexum, certam ætatem, certos homines saltem affligat gravius. Conf. *Boyle suspic. de aeris qualitat. p.* 34. item *Felthusius de liene. p.* 171. Deinde jejunos facilè affligit pestis, quod de febribus quoque observandum. Item in metalli fossoribus, item qui in ♄io vel ☿io occupati sunt, ideoque *jejunus non esto*, sed semper antequam domum exeas, aliquot *bucellas panis & haustum vini absinth. bonum, vel alius medicati sumas*, ita quidem, ut prius accendas *camphoram* magnitudine pisi, quàm leviter accensam immitte haustui vini, ut supernatando comburatur. Sin extinguatur, denuò accende, & perge, donec consumta sit. Est vinum egregium in peste præservativum, acidum generosum, ex eo saltem quod animosos reddat homines. vid. *Willis. de febb. ut & de peste.* Potest etiam fieri vinum medicatum ex infusione vegetabilium alexipharmacorum, *nunquam omittendo myrrham & camphoram*, & tale vinum potest crebrius hauriri.

Purgantia ad præservationem *sint rara, parca, & cauta*. *Rara*, ne sæpius instituantur, *parca*, quæ non in magna dosi, *cauta*, ne sint vehementia. Ubi opus est laxatione, *haustulus Barbetti*; *qui videatur de peste p.* 603.

[℞. rhei elect. ℥iß.
fol. senn. mund. ℥ij.
crem. Tartar. ʒj.

rad.

rad. scorzoner. ℥ß.
sem. anis. ʒß.
coq. ex aq. card. bened. Colatur. ℥iij. adde
syr. de cich. cum rhabarb. ʒvj.
spir. salis parum.
confect. alker. ℈j. M. F. haustulus.]

Potus spirituosi, in specie *aquæ & spiritus theriacales*, *apoplectica &c.* item ipsæ compositiones theriacales præservatione non sunt adeò convenientes, quia ad phlogoses disponunt. Unde superveniente peste vel graves inducunt febres, & in his gravia deliria; aut igitur parum usurpanda; aut intermistis acidis temperanda.

Fonticuli corpori inusti sunt unum ex optimis præservativis per experientiam confirmati. vid. *Hildan. cent. 4. obs. 23. River. in observ. communicatis. Horst. in obs. p. 359. 360. Act. medic. Hafn. vol. 4. p. 152.* Hinc *Lindanus* optimo consilio ad præservationem fonticulos ordinari asserit. *Avunculus meᵘˢ*, dicit, vixit in Marocco, ubi suo tempore intra 5. septimanas 85000. perierunt. Ille suasit Judæo Medico, ut inureret fonticulos, unde illi omnes fuerunt liberi ac immunes, præter unum, qui noluit sibi inuri. Ipse expertus sum, pergit *Lindanus*, remedium egregium esse in fonticulis, & qui ignari accedunt ad infectos, statim sentiunt punctiones in fonticulis, idque etiam confirmat *Hodges de peste pag. 241.* Unde rarum est, quod interdum fallant, teste *Hochstetter. decad. 7. cas. 1. & cas. 31.*

Præservatio ipsa instituitur vel per medicationem aëris, vel per medicationem corporis. *Aerem medicari solemus* per suffitus, ubi imprimis excellunt 🜍ea, ⁂ola & acida. 🜍 *accensum* insigniter aërem corrigit, si adjungas *nitrum*, est eò melius. Hinc *pulvis pyrius* accensus est unum ex optimis corrigentibus, huic & alia sulphurea addi possunt, *succinum*, *thus*, *myrrha*, *camphora*, *baccæ junip.* &c. unde & tormentorum bellicorum crebriores in civitatibus explosiones conveniunt. Præterea 🜔l. 🜕 *ut & horum spiritus* lateribus calefactis superaffusi conveniunt. Hinc v. g. *acetum nitratum Salæ* lateri candenti affusum domos & vestimenta optimè purificat. Vel ℞. *acetum rutaceum*, cui aliquantulum 🜕 addatur, & hoc ipso dicto modo suffitus instituatur. Sunt qui præferunt acetum, in quo solutum sit ⊖, quod dicto modo pro suffimento usurpari potest, in quibus omnibus tamen *camphora* subinde addenda venit. *Trochisci* efficaces sed paulò suaviores pro fumo possunt parari ita:

℞. ⊖ ℔j.
🜍is ℥iij.
Benzoes, styrac. simul liquati an. q. s. ut:

formentur trochisci, sub usu carbonibus ardentibus injiciendi. De Hippocratica cum 🜍re, & pice aëris correctione vid. *Kircher. in scrutin. de pest. p. 362. & Helm. in tumul.*

tumul.peſtis. Non inepti videntur, qui lac calefactum præcipiunt, ut reponatur in conclavi ſuſpecto. Sic etiam fieri, ut infectio lacti ſe inſinuet, adeò, ut cruſta viridiuſcula ſupernatare appareat.

Medicamenta, corporis medicationi inſervientia, ſunt vel externa, vel interna. *Interna* ſunt *acida*, & hinc *ſulphurea*. *Acida volatilia* ab omnibus commendantur, in ſpecie *acetum*, per aromata alexipharmaca, præſertim diaphoretica infuſa, *medicatū*, ſub nomine *aceti theriacalis*, quod ſive cum, ſive ſine theriaca paratum fuerit, egregium eſt præſervativum. De talibus manè cochlear unum vel alterum jejuno ſtomacho, vel poſt juſculum aſſumatur, præſervationis gratiâ. Talia ſunt *acetum bezoard. Kircheri de peſt. p.* 176. Romanâ peſte, *ait*, dum hæc ſcribo, dominante, iſtiusmodi remedium confectum fuit, & quotquot illo uſi fuerunt, (ſiquidem pluribus externis tenuioris ſubſtantiæ id communicatum fuit) ii nullum, etſi cum peſte correptis intra eadem ædium gurguſtia unà commorarentur, eorumque curam haberent, peſte infeſtatum fuiſſe, faſſi ſunt. *Componitur* autem ex ſpeciebus domeſticis obviis, uti ſunt *acetum* exquiſitiſſimum, *ruta, pimpinella, betonica, nuces juglandes, allium, baccæ juniperi.* Quibus addatur ſi ſuppetat, paululum *camphoræ*, ſi non ſuppetat, paululum *ſpodii cervini*: quæ per infuſionem in aceto 40 horarum ſpacio digerantur ad ſolem, vel intra hypocauſtum. Deinde percolatum reponitur ad uſum, cujus matutino tempore ſtomacho jejuno aſſumatur tantum, quantum cochlear tenere poteſt, & habebis antidotum certiſſimum pro eo die & ſecuriſſimum. Nec te terreat ſaporis ingrati acrimonia, ſciasque tanto eſſe hujusmodi antidota peſti magis contraria, quantò ingratioris fuerint ſaporis, cum omnia dicta ingredientia, neſcio quâ antipathia occulta peſti, cæterisque venenoſis aeris infectionibus contrarientur, neque ſolùm ad intra ſuſceptione conferunt, ſed & odore, naribus, temporibus, pulſuum locis illita, mirum in modum conferunt. *Hæc Kircherus.*) Item *acetum theriacale Tymæi*, cujus ſucceſſum ipſe vidit in peſte, in *caſ.* 32. *l.* 8. *p.* 393. (A. M. DC. XXXVIII, *inquit*, Stetini Pomeranorum, ut & Straleſundi, maximè verò in caſtris exercitus Suecici ad Tribbeſæam, peſtis contagiū vehementiſſimè graſſabatur, tentata multa & varia remediorū genera. Nihil tamen æquè prodeſſe viſum eſt, ac acetum meum theriacale, mox inter initia cum tantillo Diaſcordii vel Theriacæ ad eliciendos ſudores exhibitum, plurimi namque ſolo hujus aceti uſu, Deo juvante, reſtituti ſunt. Sic Anno M. DC. XLIII. graſſante inter præſidiarios Suecicos Colbergæ febri maligna & peſtilente, hoc unico remedio tanta cohors ſervata eſt gregariorū, convaleſcentibus ferè omnibus, quotquot eodem aceto tempeſtivè utebantur, exceptis pauciſſimis, quibus ſerius oblatum fuerat. Deſcriptio aceti theriacalis hæc eſt.

℞. confect. orvietan. ℥ij.
diaſcord. Fracaſtor. ℥iß.

Theriac.

Theriac. Androm. ℥j.
Rad. angelic. contraierv.
enul. pimpinell.
tormentil. ſcorzoner.
dictamn. alb. petaſit. an. ʒvj.
fol. ſcordii - rutæ - millefol. an. Mj.
flor. calendul. - tunicar. an. Mß.
cort. fraxin. - citr. an. ℥ß.
bacc. junip. ℥ijß.
macer. zedoar. an. ʒiij.
camphor. ℈ij.
croci orient. ʒj.
myrrh. puræ & elect. ℥ß.
acet. ex ſucco rubi idæi q. ſ.

Miſta ſtent in infuſione loco calido bene tecta, donec extrahatur Tinctura, cujus colatur. ad uſum ſervetur.

Imò *acetum bacc. junip. myrrha, zedoar. card. bened.* infuſum inſtar mille aliarum ſufficiat compoſitionum, aut ſimpliciter Theriaca, c. ſ. q. aceti diſſoluta, hinc filtrata, dat acetum præſervativum ſufficiens, quibus ſemper tempore uſus ſ. q. 🜅 camphorati addenda eſt, cum camphora aceto ſolubilis haud ſit: Vel theriac. q. v. aſſumatur in vehiculo aceti, addita myrrha & camphora pro præſervatione. Vires aceti alexipharmaci præter *Sylv. Tr. de peſte, vid. Berthol. cent. 4. hiſt.* 13. (*Sylvius ait l. c. p.* 275. Ego ſanè ante novennium, cùm quotidie plures viſitarem ægros peſte infectos, præcautionis loco aliud non ſumpſi medicamentum, quàm *vulgaris aceti vini* cochlear unum, micâ panis exceptum, & quidem manè antequã inviſerem ægros. Id remedii genus uſurpavi per octo menſes continuos, nec unquam minimam toto illo tempore ab infectione noxam ſenſi. Poſtquam verò ſublato hoc malo deſiiſſem ab hoc aceto diutius aſſumendo, ſenſi poſtmodum ac ferè ſemper capitis mei dolorem mihi contingere, quoties infectam ingrediebar domum, licèt id ignorarem, nec tamẽ mihi metuerem. Novi equidem paucos meo exemplo potuiſſe acetum per aliquot hebdomadas ferre, dum aliqui ob peculiarem ſui conſtitutionem, melancholicam dictam, ne quidem per plures dies potuerint perſeverare in ejus uſu. Solent alii *vini Rhenani*, aut *cerevifiæ veteris*, adeoque *ſubaceſcentis* hauſtum manè ſumtum commendare. Novi non deeſſe, qui *vini ſpiritum* aut ſimplicem, aut theriacalem laudant, ſed novi id ipſum multis fuiſſe noxium: quod de acidis dici non poteſt, ſaltem ratione ipſius peſtis. Laudatur quoque *Elixir. propriet.* P. ut & ♎ ♀*is*, ⊖ *is*, ⊖-*li*, ex pauca cerevifia aut vino aſſumendus. Laudantur etiam *fructus acidi, mala citria, aurea,*

granata seu *punica*, *Ribesia* &c. confortat quoque *aceti spongiâ excepti odor*, si fuerit acetum simplex, aut aliquo aromate plantâve aromatica impraegnatum: Adeò ut si quis omnia in pestis praecautione efficacissima contulerit, comperiet pleraq; acida esse, aut cum acidis parata. Unde patere puto, acidum non tantum desiderari, contra pestis venenum, sed ipsum imprimis ab eodem impeti ac impugnari: Quibus verò acida meraca esse solent molesta & gravia, iisdem temperari possunt vini spiritu. Sic salis spiritus ejus ope ita temperatur, ut omnis pene ipsius aciditas obliteretur, si saepius cum eodem cohobetur, nec antimonium desinit conducere in peste. Hactenus *Sylvius*, qui loco citato plura notatu digna designat. (*Bartholinus l. c.* novi, *ait*, quos solum *acetum rosaceum* ore sumptum, carpoque illitum, à peste praeservavit. In eadem lue *acetum bezoarticum* omne tulit punctum. Alii nostrates grassante contagio *aceto calendulae* solo se munierunt, & incolumes evaserunt.)

Post acida sunt *sulphurea*, tam mineralia, quàm vegetabilia, balsamica vi corpus defendentia. Hinc sulphur ipsum, aut *ejus flores cum myrrha*, mistum & usurpatum convenit: hinc etiam *omnis potus sulphurandus*. Juxta sulphur est *myrrha*, *succinum*, *camphora* &c. *Camphora* tamen caeteris *palmam praeripit*. Hinc & Elix. propriet. cum spiritu sulphuris plus minus acidulatum, egregiè convenit. Vel:

♃. flor. sulphuris ℥iij.
myrrh. ℥ij.
aloes ℥j.
croci
camph. ℥ß. M. F. Pulvis.

Ex quo varia fieri possunt remedia, cum addito sacchāro q. s. F. Bolus praeservativus: c. s. q. conservae pulpae citri potest fieri *Electuar. praeservativum*, Cum addito aceto usus tempore semper agitando potest fieri *acetum praeservativum* &c. Hisce etiã *opium* addendũ venit, qui spiritus figendo, & animi pathemata nonnihil coërcendo, inter praeservantia non ultimum meretur locum. Hinc & *Theriaca*, *Mithridatium*, *Diascord. Fracast.* opio divites compositiones cum aceto praeservationis gratia usurpari possunt.

Inter *Externa* convenit *spongia aceto impraegnata*, naribus subinde admovenda, omnibus pomambris praeferenda. Vel ad imitat. *Zvvelferi. Pharm. Reg. p. 137.* fiat pyxis tornatilis perforata, spongia aceto etiam replenda naribus admovenda, quibus *camphora*, *myrrha* addi possunt pro libitu. In ore masticetur *radix zedoariae* vel *zinzib.* in aceto nonnihil maceratae. Quò facit, quod *Schenckius* ex *Fallopio* refert, nebulones, qui inserviebant peste correptis, non praeservabant corpora sua, nisi *zinzib.* & *zedoar.* esu, ea ore masticando. Masticabant ante zinzib. postea ebibebant haustum vini generosi, & tota die habebant zedoariã manducando. *Myrrha* itẽ frequẽter masticanda, aut fiant *trochisci ex myrrha & cam-*

& camphora, cum *mucilag. gumm. tragacanth.* qui in ore continuo volvantur: quod si quis præterea tempora, carpos, & præter alia præcordia ♁ aut *balsamo* illinire velit, is

℞. ol. destill. junip. ℥ij.
citr.
succin. a. ℥j.
camph. gutt. XXIV.
M. & dicto modo usurpetur.

Sunt qui *amuletis* multum tribuunt, & rectè, modò non recipiantur nociva, qualia sunt arsenicum & similia, & hujus loco ℞. *magnes arsenicalis. Ang. Sala.* egregium amuletum. ℞. ejus q. s. e. g. ℥ij. vel iij. &c. c. s. q. *Benzoes* f. Trochiscus, syndone rubro obducendus, & circa regionem cordis appendendus. *Vel* ℞. ☿ per fumum ♄i coagulati, & ita amuleti instar appendatur. Confer. *Höferus Hercul. Med. p.* 104. Nota etiam vim Bufonum, & quantum hi valeant & præservativè ceu amuleta. Nempe ℞. bufo per caput perforatus, & ita appensus, vel ad imitat. *Helmont. de Tumul. pestis* f. Trochisci ex ipsis bufonibus, eorumque vermiculis rejectis in patella cerea, & ita appendantur. Alii ex ossibus bufonum, vel etiam bufonibus integris, ichthyocollâ exceptis, ad collum gestandum amuletum parant, veneni attractivum & præservativum.

Curationis totius cardo in eo vertitur, ut μίασμα venenosum ab extra susceptum intra corpus, potenti sudorifero foràs educatur. Fundamentum suggerit natura, quæ curatura pestem, deponit venenum, & ab hoc vitiatam materiam, veneni tamen atrociam simul corrumpentem in bubones & carbunculos, & ita pestem curat, adeoque peste afflicti confugiant *ad sudorifera alexipharmaca*, quibus ob penetrantiam summam semper addenda *camphora*. Sed observetur,

I. *Alexipharmacum repetendum sæpius*, singulis 8. horis, ita, ut in 24. horis æger ter sudet: nec metuenda nimia virium prostratio, cùm ferè melius habeant, dum sudent ægri, interea, remittente sudore, analepticis acidis spirituosis & similibus refocillentur, etiam si quoque bubo & anthrax sit magnus cum levamine, & utut petechiæ sint copiosæ, sudorifera tamen sunt continuanda, ne fiat recidiva. *Interim* in sudore eliciendo, texturæ ægri, raræ vel densæ, virium infirmarum vel validarum, malignitatis majoris vel minoris sedulò habenda ratio.

II. Æger sudans à *somno* debet arceri. Somnus enim impedit convenientem veneni per sudorem expulsionem. Quod si somno nimis infestetur, subinde spongia aut linteum aceto vini vel rosaceo nonnihil camphorato, imbutum naribus admovendum, ut ejus odore somnus arceatur.

III. *Dum sudat æger*, ℞. panis parvus & furno calens, detrahatur crusta inferior,

ferior, excavetur circa medietatem aliquantulùm. Cavitas theriaces ℥ ij. repleatur, ac ita umbilico imponatur. Venenùm enim à pane, ut vocant, attrahitur, quod alii faciunt, si æger abhorreat à remediis, peste correptus. ℞. Panis secalinus adhuc recens calidus, in crusta fiat inferiori foramen quantitate imperialis, infundatur spiritus vini camphoratus, & ita dictus panis imponatur abdomini, ut foramen respondeat umbilico. Sic æger incipiet sudare, venenùm verò pani se insinuabit, qui propterea defodiendus est.

IV. Ubi adest *agrypnia*, aut ex hac *delirium* immmineat, aut adsit nimia inquietudo, tunc subinde necessarium videtur, sudoriferis de laud. opiat. addere aliquid, præsertim in principio, ut symptomata coerceantur, & post sudorem abstersum blandus sopor sequatur. Scil. leviter nonnihil abstergendus est æger, ne frigidior aër liberum offendat. Abstergatur verò linteis probe calefactis, sulphure, succino, thure & myrrha probè suffumigatis.

V. Pestis interdum conjuncta est cum *febre ardente*. Hæc si adsit, & insignis effervescentia totam agitaverit massam sanguineam, minùs commodè Mithridatium, aut therica conceditur, eaque nonnisi acidis temperata propinetur. *Diascordium Fracastorii* tutius tùnc usurpatur, quando *fixa antimonialia*, & *salia lixivialia* usurpantur: aliàs periculum est, ne dum veneno resistimus, febrim nimis intendamus. Si verò cum peste *febris mitis aut nulla* adsit, convenientius illa theriacalia aromatica usurpantur, ut debita sanguini & corpori æstuatio restituatur, & hujus medio expulsio promoveatur.

VI. *Acida nunquam omittenda*, quin eadem temperata nunc sudoriferis addenda, nunc in sudoris declinatione, & post sudorem propinanda, cùm ægrum reficiant, & simul malignitati quodammodo resistant. His ipsis tamen acidis semper aliquid sudoriferi addendum, ut corpus si non in perpetuo sudore, saltim in perpetua diaphoresi aucta plus minus conservetur.

VII. *Vesicatoria* in peste affectis fausto cum successu applicantur, paribus scil. in casibus ac circumstantiis, atque in malignis febribus eadem explicari hactenus diximus. Nempe *fonticulus* in præservatione, *vesicatoria* autem in in curatione melius conducunt. Admoveri potest partib⁹ variis, vertebris colli, versus humerum aut carpum, cruribus & suris internis, quin-imò & bubonibus subinde applicantur cum fructu. Talia enim vasa cujuscunque generis calefacientia, liquores reddentia magis obsequaces & fluxiles, naturæ segnitiem exstimulantia, & unà cum serosa colluvie & noxiis humoribus, per ulcerum portas miasmata pestifera educentia sunt, ut taceam à partibus nobilioribus revulsionem, atque à vicinis derivationem. Sed ut celeriter operentur, acerrima sint hæc ipsa. Sequens massa in ultima peste Londinensi fuit experta.

℞. pic.

♃. pic. naval. ℥v.
galban. ℥j.
ceræ ℥iß.

Quibus simul liquatis, & ab igne semotis, addatur pulvis cantharidum præpar. ʒviij. vel ℥j. fermenti veteris, sem. ammeos an. ʒiij. Euphorb. ʒj. cum aceto squillitic. q. s. incorporentur, assiduè agitando, quousque cogatur in Emplastri massam. *Pars autem ad ruborem prius fovenda*, quo vis emplastri eò potentius se exerat. *Excitata ulcera diu aperta relinquantur*, Emplastro de meliloto, pulvere cantharidum insperso, locum iterum atque iterum sauciando. Inflammationibus doloriferis opportunè succurrendum, foliis brassicæ ulceribus superimpositis. Existimo tamen in peste morbisque malignis hujusmodi epispasticis semper de magnete arsenicali aliquantulum addendum esse. Utut autem multum prosint hæc ipsa, *non tamen indiscriminatim omnibus admoveantur.* Nempe ubi urget urinæ ardor, ejusque incontinentia, sphyncteris vesicæ inflammatio, vel ulceratio, ubi mictus cruentus, si mulier in utero habeat, vel si instet fluxus menstruus, nec applicanda in nimia virium prostratione.

VIII. *Satius est in peste planè abstinere à* venæ sectione, quàm eadem vires labefactare, (cujus exemplum funestæ sc. sectionis vide apud *Verzascham observat. Medic. 58.*) Plura incommoda venæ sectionis insecuta eam prohibent, *idque eò magis*, ubi cum peste alvus fluere cœpit, vel ubi bubones ac carbunculi, aut petechiæ se manifestent. Vid. *Hodges de peste. p. 157. 168. Piens de febb. p. 179.* unde cautè legendus, nec facilè apud nos imitandus *Septatius in animadv. p. 112.* dum quibusdam in casibus, apparentibus jam bubonib⁹ & anthracibus, venæ sectionem instituit, ut taceam paradoxon, vid. venæ sectionis necessitatem, quàm in peste persuadere conatur. *Sydenham. obser-vat. p. 39.*

IX. In principio morbi, ubi venenum est adhuc in primis viis, quod testatur nausea, commodissimè adhibentur vomitoria, addendo ea, quæ vim habent alexipharmacam. Sane purgatio nulli, vomitio pluribus salutaris, dicit *Lindanus.* Et ubi jam mox in principio incipiunt apparere bubones & anthraces, necessitas verò ulterius suadeat, ut propinetur vomitorium, tunc, ne conatus naturę, per tales tumores expellentis, venenum impediatur, consultum est, buboni & anthraci attractivum remedium applicare, ne dum propinetur vomitorium, tumor recedat.

Si *vomitus* adeò vexet ægros, mox *sub primo insultu, ut remedia retinere nequeant*, imitandus venit *Hodges de peste p. 196. & Sydenham obs. p. 152.* Nempe tunc solo tegumentorum pondere & custodia (nisi quod linteaminis pars subinde ad colligendos halitus vultui superinducatur) sudor provocandus: item, ut dicit *Sydenham*, cùm materiæ morbificæ radii versus ambitum corporis se exporrigant, illicò alvi profluvium & vomitiones ab iisdem introrsum reflexis,

ac in ventriculum & intestina decumbentibus provenientes, ultrò sedantur, adeò ut quantumcunque stomachi subversio præcesserit, assumta deinceps medicamenta probè retineantur, ac ad sudores ex voto proliciendos conducant.

Quoad *remedia generale alexipharmacum pro peste nondum inventum est*, nisi *camphoram* aut *bufones* quis velit substituere, quæ tamen non videntur sufficere, cùm deprehensum fuerit, diversis temporibus diversa etiam remedia peculiares obtinuisse vires. Quod si specialia pestis ac appropriata remedia nondum inventa fuerint, generalibus istis in febribus malignis usitatis utendum erit, quibus pro symptomatum varietate & alia subinde admiscenda. Vehicula talium remediorum utplurimum sunt aquæ destillatæ, aceto sambuc. rutac. aut theriacali imprægnatæ. Remedia inter ipsa excellit sæpe laudata *Camphora*, unde & *Henisit. oleo suo pestilentiali*, ex oleo destillato succini, citri & camphoræ composito, ad gtt. x, vel xv. pro circumstantiarum varietate propinato, multa in peste Veronensi præstitit. Hinc *Mindererus* de peste inquit: Meo judicio camphora plus virium in peste obtinet, quàm vel pretiosa quælibet medicamenta bezoartica (vid. *Anatom. Camphoræ D. Mœbii cap.* 13. *p.* 50.) sunt qui

℞. camphor. ℥j.
album ovi ℥vj. destillant per retort. liquorem cum spir. vini cohobant, pro alexipharmaco pestilentiali. Hinc & *spiritus vini camphoratus, ut spiritus vini theriacalis camphoratus* tam egregius est in his morbis. Unde à nonnullis hæc duo remedia ab *Unzero* de peste præscripta extollunt,

℞. aq. vitæ vel theriacal. ʒvj. vel ℥j.
croci ad quant. cicer.
camph. ʒß. M. infecto adulto detur totum, juniori dimidium, ac superbibere potest parum aq. card. bened. ad proliciendum sudorem.

Vel alterum. ℞. Theriac. And. ℈ij. vel ʒj.
flor. sulphur. ℈j.
camphor. gtt. xv. M. D. totum infecto, expectando sudorem. Juxta camphoram & *spiritus C.C.* ritè paratus, ac *sale volatili probè acuatus*, ad ʒj. exhibitus egregius est in curanda peste. Crebra experientia in peste Londinensi confirmatus refert Hodges de peste p. 184. Juvenem summa spirandi difficultas tenebat, arteriæ vibrando cessare videbatur, omnia demum ultimum spiritum languentis in labiis supremis enunciabant. Exhibui spir. C. C. ʒj. cum ℥iij. aq. scord. compos. morbo pertinaciter hærente. Post trihorium iteravi potionem, addendo spir. ʒj. & admota erant etiam vesicatoria. Semihora vix elapsa calor viguit, æger ab orco revocatus fuit. Tandem cum exitus in facili erat ulcerum, in suris à vesicantibus excitatorum decoloratione, necnon sen-

ſenſus abolitione ſphacelationem imminentem minitante partib⁹ affectis profundè inciſis & ſcarificatis &c. hauſto etiam bis de die, medio memorato, res iterum in integro &c.

Baccæ hederæ arbor. ad ʒj. in vino. vel aq. cum card. bened. aſſumtæ ſæpius in peſte tanquam proficuum admodum remedium fuerunt obſervatæ, quibus etiam vix cedere videntur *Baccæ juniperi*, adeò ut ejus robore non immeritò Theriaca Germanorum vocari poſſit. Hinc ſunt, qui commendant ſequens Electuarium in peſte præſervativum & curativum remedium.

♃. rob. juniper. ℥iij.
Elect. de ovo.
mithridat. an. ℥jß.
theriacæ ʒiij.
flor. ſulph. ℥iij.
myrrh. ʒiij.
camph. ℥ij.
croc. or. ʒß.
ſucc. citri ℥iß. l. q. ad conſiſtentiam Electuarij: de quo ad præſervationem ſumitur quantitas caſtaneæ, pro cura verò ℈iiij. vel ʒiß. in aq. card. bened. & acetoſ. an. ℥j. M. hauriantur una vice.

De *Allio ejusque capitibus*, contuſis cum aceto vel vino aſſumptis in peſte ſudoriferis, res aliàs nota eſt. Præter remedia ex *cervo, item viperis* notiſſima, egregii ſunt *bufones*, dum præter uſum externum ſal volatile bufonum potens eſt & diaphoreticum & diureticum. Quidam recipiunt bufones vivos, quos in ſpiritu vini ſubmergunt, & ita ſuffocant, & 🜄 alexipharmacum acquirunt. Bufones ita maceratos per retortam deſtillant, ſpiritus & ſal volatil. egregii uſus præparant. Quibus tædioſi ſunt hi labores, ♃. bufones ab interioribus purgatos, exſiccant, pulveriſant, & cum hepate proprio ſimiliter exſiccato in forma pulveris à ʒß. ad ʒj. propinant, pro remedio antiloimico. *Stercus humanum* non ultimum eſt inter alexipharmaca. Obſervatum fuit, quod ſtercus proprium, cum urina propria hauſtum, per vomitum, alvum & ſudorem curaverit. de quo conf. etiã *Riverium in obſ.* unde & in *Zacut. Luſit.* non pauca proſtant exempla virtutis hujus ſtercoris humani contra morſum viperarum, aliorumque animalium venenatorum. Conf. hîc *Saar* in ſeinen Oſt-Indianiſchen Kriegsdienſten. Et certum eſt, *ſtercus humanum* buboni peſtilentiali applicatum, *optimè curare bubones peſtilentiales.* Ex regno minerali excellunt ſulphurea, tam ex ſulphure communi, quàm in ſpecie ex ♁ii ritè parata. Præterea, quæ *Kircherus & Helmontius* habent, *Petr. de Caſtr.* teſtis eſt, in peſte Romana felici admodum ſucceſſu exhibitas fuiſſe *ſulphuris tenuiſſime triti* ʒij. *cũ unciis aliquot aceti fortiſſimi*, quibus ſimul adderem *camphoram*. Unde & *potus* quilibet in *peſte ſulphurandi* ſunt.

De

De *potionibus theriacalibus* aliisque similibus pharmaceuticis sufficiant ea, quæ hinc inde circa malignas fuerunt monita: ex his facilè est parare formulas, v.g.

℞. Theriac. Andr. ʒj.
bezoard. min. ʒß.
Camph. gr. vj.
acet. bezoard. q. s. F. Bolus pro una vice, expectando sudorem.

Item ℞. ♁ diaph.
flor. sulphur. an. ʒß.
sal. volatil. viper. ℈j.
camph. gr. viij. vel x. M. divide in 2. partes æquales pro ♁ sudorifero,

Vel ℞. aq. card. bened. ℥j.
liq. C.C. succin. ʒj. ad. jß.
camph. gr. v.
syr. de scord. ℥ß. M. pro haustu.

Item ℞. aq. card. bened. ℥iß.
acet. theriac. ʒvj.
diascord. Fracast. ʒij.
camph. ℈ß.
syr. acetos. citr. ʒiij. M. pro 2. dos.

D. Michael. cum successu, usurpavit sequens Electuarium.

℞. specier. nostrar. alexiteriar. ℥iß.
pulv. Saxonic. ℥iß.
theriac. opt.
mithridat.
Elect. de ovo. an. ℥j.
flor. sulphuris ʒvj.
camph. ʒiijß.
ol. pestilent. Croll. ʒiß.
destillat. succin.
citr. an. ℈j.
syr. de scord. q. s. M. F. Elect.
S. Sonderliche Gifftlattwerg. dos. ʒj.

Hoc ipso multi milites ab eo conservati fuerunt.

Vel ℞. Tinctur. bezoard. ʒj.
🜍 C.C. ℈j. M. pro 1. dosi.

Loco Tincturæ bezoard. à quibusdam secretus habeur 🜍 pestilentialis sive antiloimicus.

℞. ⊕ benê calefact. ℔j.

Irrora

Irrora cum 🜋. ✠. ℥iij. destill. per 6tam vitream.
in ∴. △. intensiori. Jam

℞ 🜋 tart. rectif. part. iij.

Viridi æris modo præp.p.j.ß. Mistis his, adde singulis unciis camph. ʒß. ponantur vitro bene obturato in digestionem, donec camphora uniatur liquori. Si cum aliqua particula opii digeratur & filtretur, dat Elixir antiloimicum egregium.

Symptomata frequentissima Pestis sunt *Bubo & Anthrax.*

In *Bubone* curando tria externa sunt applicanda: 1. attractiva. 2. maturativa. 3. mundificativa & consolidativa. Utut enim sint, qui discussioni Bubonum operam dare volunt, minus tamen consultum hoc arbitror, nisi simul sudor provocetur: siquidem & bubones sponte recurrentes vesicatoriis extrinsecus admotis; ⌒bus vero internè propinatis denuò proliciendi erunt. Equidem sunt, qui suadent bubones crudos mox esse aperiendos & incidendos, quod tamen minus commodè videretur, quin potiùs aliqualis saltem ejus maturatio expectanda, plus minus perfecta, pro circumstantiarum varietate, nisi bubo sit vel lividus, vel niger, ita ut gangrænam minetur, nullâ expectatâ maturatione protinus etiam crudus aperiendus est.

Ea vero, quæ applicantur pro attrahendo veneno, & maturando simul plus minus tumore sunt varia. Quidam ℞. *ceptas coctas*, easq; contusas cum *sinapi albo* ♀sato mistas, applicant bubonibus ceu potens attractivum: loco sinapi, ubi præsertim dolor intentiùs urget, *theriaca* dicto modo cum cepis applicetur pro eductione veneni, & maturatione abscessus. *Bufones* exiccati in vino macerati, dum mollescant, buboni impositi, potenter malignitatem attrahunt, vel ♀*is bufonis exiccati cum* ▽. *scorzoner*. in forma cataplasmatis imponitur buboni. Pertinet huc *Emplastrum attractivum Magnet. Cnöphel:* quod vide in *method. med. fetres epidemicas pag* 60.61. *&c. it. pag.* 104. Elegans est Emplastrum, & quod plus in recessu habet. Reliquis ferè *Emplastrum magneticum* ☍*se Angeli Salæ* præfertur, cujus descriptionem ac legitimum usum penes Autorem in suis scriptis vid. in spec. in *Barbett. descript. pest. Bern. Verzascha obs. Medic. cent. obs.* 67. *ex ipso Barbette*, idiomate Germanico, in latinum translato, *descriptionem adducit*: Buboni statim *vesicatorium* applicato, etiamsi tumor non sit magnitudinis insignis: *cucurbiculas* intermitto, quoniam illæ bonos æq; quàm malos humores alliciunt, sanguinem alterant, & dolorem & febrim excitant. *Vesica* post horas octo vel plures dissectæ *Empl. magneticum* imponi jubeo, cujus sanè tanta virtus in peste existit, ut nullum nobilius mihi innotuerit. *Formula talis est* ℞. antimonii crudi, sulphuris flav. arsenic. alb. an. ℥ij. subtilissime pulverisata sepeliantur in phiola in arenâ, subministretur ignis, donec colliquescant, &

calorem rubeum vel subrubrum induant; vase refrigerato, exime materiam, quæ magnes arsenicalis vocatur, & venenata amplius non est, ut in canibus cuilibet experiri licet. Postea ℞. gumm. serapin. ammoniac. galban. an. ℥ß. ol. succin. ʒij. terræ vitrioli dulcif. ℥j. gummata dissolvantur in aceto vini forti, & per pannum lineum expressa bulliendo iterum inspissentur ad priorem consistentiam: deinde seorsim colliqua ceram & terebinthinam, & extra ignem agita, donec in spissitudinem redigantur: adde porro supra dicta gummata & magnetem arsenicalem cum terra ♁-li ac ♁. succini, sic habebis Empl. ad extrahenda omnis generis venena efficacissimum. Emplastrum istud hisce viribus præditum observavi: Cuti impositum ne minimam quidem escharam producit, interim malignos humores tam egregiè extrahit, ut bubo juglandi similis intra 4. aut 6. dierum spatium prorsus tollatur: verum hoc non semper tam citò succedit, & hæc est causa, quare necessitas, ad humores subitò evacuandos, sæpe-numero vesicam prius excitare desideret; imò in corporibus robustioribus escharam non producit, nisi ope vesicatorii non solùm cuticula, sed etiam cutis quædam portiuncula corrosa fuerit: in corporibus autem tenerioribus nullo vesicatorio præmisso escharam per se excitat. Crusta hæc veneni extracti vera sedes est, quare mediocriter crassa reperitur, cute superficialiter tantum corrosa, quod consideratione dignum est; nam inde colligitur, cur illa multò citiùs separetur, quàm aliæ crustæ artificialiter excitatæ: horis enim 24. aut 36. effluxis, solius spatulæ auxilio, nulla præcedente scarificatione absque ullo, aut saltem exiguo cum dolore auferri potest, si solum unguentum basilicon. usurpetur. *Separationem eschara* sequens *unguentum* etiam egregiè promovet. ℞. mellis virgin. axung. anat. an. ℥j. fuligin. camin. ʒvj. terebinth. ℥j. vitell. ovi, nuro ij. theriac. ʒiij. ol. scorpion. q. s. F. unguentum. Quod si tumor crustâ primâ ablata sufficienter non sit imminutus, emplastro prædicto magnetico secundam vel tertiam excitabis. Tandem *ulcus consolidandum emplastro de minio* vel *albo cocto*, aut *diapomphol.* Sed nimium *ad consolidationem non festinandum*, ne humor venenatus in corpore adhuc latitans novum morbum, vel ipsam pestem inducat. Idem *Verzacha curationem bubonum* pestilentialium Chirurgicam *in eadem observatione tradit.* Methodus medendi externa, ait, qualem in bubonibus inguinum pestilentialibus ex jussu meo Chirurgi instituerunt, tali modo absoluta fuit. Ante omnia ad tumoris evacuationem & veneni extractionem commune vesicatorium ex ʒjß. ℥is cantharidum cum ferment. & aceto mixta, in parte bubonis inferiore applicare, atque post 8. vel 10. circiter horas excitatâ & ablatâ vesicâ folium betæ aut brassicæ rubræ aut raparum oleo inunctum imponere jussi, ut venenati humores melius effluere possint. Secundo die *emolliens & suppuratorium Cataplasma* toti buboni à Chirurgo admotum fuit. ♃. mic. panis, tritic. alb. ʒij. farin. alth. lil. alb. an. ℥j. herb. malv. scabios. scord. rutæ. flor.

flor. Chamomil. melilot. an. ℥j. farin. sem. lini ℥ß. fœnugr. ʒij. ficuum recent.
num.vj. cepar. num.iij. pulv. & coq. in aq. font. ad formam pultis, sub finem ad-
de ol. scorp. ungu. resumt. an. ℥ß. theriac. Andromach. ℥ij. pulv. croci ℥jß.
vitell. ovorum num.iij. F. s. a. Catapl. Quando autem bubones solo hoc Catapla-
smate ad completam suppuratione͂ perducti propter cútis densitatem non rum-
pebantur, illos in parte decliviori Chirurgus Scalpello, lansetta dicto, aperuit,
& pure emisso *ad ulcus mundandum sequenti linimento* usus fuit. ℞. Unguent.
Apostol. ʒiij. terebinth. Venet. mell. rosat. an. ʒij. theriac. Andr. ol. scorpion. an.
ʒj. vitell. ov. num.j. F. linim. Postea Chirurgus more consueto ulcus consoli-
davit. Monendum hic est, quod prædictum Cataplasma, cum facilè corrum-
patur, in magna copia parari non debeat. Unde si tam citò haberi non possit, il-
lius loco sequens *emplastrum* substituatur. ℞. Emplastr. melilot. diachyl. c.
gum: an. ℥j. ol. scorpion. q. s. M. Pauperibus mandavi cæpas magnas aliquan-
tulum excavatas sub cineribus assare, dein axungiam suillam admiscendo illas
contundere, & ad formam Cataplasmatis buboni imponere, quod remedium
cum felici successu usurparunt. Si istis medicamentis bubones ad suppuratio-
nem deduci nequeant, Medicis futuris Loimiatris *methodum Barbettianam* pag.
præced. huc relatam, commendat *Verzascha.*)

Loco hujus *D. Michaël* in Peste pro curandis *bubonibus* & *carbunculis* hoc
usurpavit.

℞. Empl. diach. c. gumm. ℥jv.
☿is sol. uvæ in vers. sive parid. ℥j.
magnetis arsenical. ℥ß.
cum ꝏ scorpion. & aranear. Minderer.
F. Emplastrum.

Hæc ipsa emplastra magnetica in cute tenuiori & textura rariore optimè suffici-
unt, & malignitatem extrahunt, ut eadem sub forma crustæ & escharæ super bu-
bonem hæreat, *sed* in cute duriori, aut in bubone profundius latente, aut non
satis prominente, applicandũ prius venit *vesicatorium*, quod post 7. vel 8. horas
factâ eschara aperiendum, & hinc dictum Emplastrum imponendum, donec
malignitas sufficienter extracta, & crusta remota fuerit.

Alii præmisso vel omisso vesicatorio ℞. *herb. parid. Mij.* (hæc enim sola
applicata suppurare & maturare bubones dicitur) *alii fermentum* recipiunt, ex
quo cum *scrophularia*, additis & *baccis herbæ parid. cataplasma* faciunt, & ita
imponunt.

℞. Rad. lilior. albor.
alth. an. ℥ij.
ficuum pingv. N.ij. vel iij.
coq. c. s. q. ꝏ. lil. alb. ad consist. catapl.

adde fulig. splendent. ℥j.
sapon. Venet. ʒvj.
ol. ranar. ʒij. M. p. Cataplasm.

Hisce remediis *mitigatus nonnihil bubo aperiendus venit*, quia periculum est, si perfecta suppuratio expectatur, & sponte tumor rumpat, ne propter dolorem ac ardorem, subinde atroces, ∽us dissipentur, vires prosternantur, ac sanies pestilens retrorsum regurgitet, unde *vel* scapello aperiendus est, *vel* cauterio potentiali applicata exitus materiæ patefaciendus. Talium loco & sequens *emplastrum* ab *Hodges* expertum applicari potest.

℞. Empl. oxycroc. ℥iij.
Galban. colat.
gumm. caran. an. ℥j.
picis naval. ℥ij. liquatis simul cum 🝆 chamom. vel lilior. F. Massa pro empl. quod plus millies chirurgicæ manus vicem supplevit.

Apertio tamen Bubonum artificialis auspicatior, ipsi habetur. Aperto bubone vel sponte, vel scapello, usurpetur *balsamus* 🜍 *anisat.* vel *terebinth.* mistus cum *unguento basilicon, & theriaca*, imponendo desuper emplastrum *diapompholyg.* donec mundificetur & consolidetur ulcus, observando, ut istud quàm diu possibile apertum servetur. De cætero *probè attendendum*, ne acetum bubonibus applicetur, teste *Hildano* in suis observat. Sic pariter nec *opiata* propter dolorem, nec *Hina* propter ardorem applicanda veniunt, ne venenum pestilens vel interiora repetere cogatur, vel talium abusu sphacelus partis introducatur. Quodsi *bubones œdematosi aut rebelles* fuerint, quomodo tractari debeant vid. *in Horst. obs. p. 350. & 351.* Nec ☿ unguentis aut emplastris contra bubones addendus est, ut rectè monet *Barbette*. Exinde enim mortem observavit *Schenckius* in suis obs.

Parotides eodem modo tractandæ sunt ac Bubones.

Quoad *Carbunculos & Anthraces*. Cognoscuntur facilè, si cum colore purpureo & puniceo emergant, & circumcirca circulus rubicundus, qui melior, aut lividus, qui deterior se repræsentet. *Carbunculus* talis facilè serpit, & gangrænæ instar vicinas partes inficit, donec tandem pars mortificata excidat. Interdum saltim *pustula alba* apparet, materiam quasi coctam continens, quæ aperta aut compressa sicca ac profunda in partibus carnosis radicata apparet. Interdum *pustulæ plures*, quasi hydatides (wie Wasser-Bläsgen) emergunt, sub quibus durities inflammatoria apparet, &c.

Carbunculus talis quicunque nil aliud est, quàm incipiens partis mortificatio, unde in *Cura* 1. mortificationis vicinas partes inficientis progressus inhibendus. 2. Substantia mortificata separanda. 3. Ulcus relictum mortificandum.

dum. *Notandum aut in genere*, quod dum ardor summus est, abstinendum sit ab aliis oleis & pinguibus, quia quandoque sphacelismi periculum inducunt: quidam expiscaturi, *utrum curabilis vel lethalis sit Carbunculus*, Emplastrum ex molli galbano imponunt, quod si anthraci tenacissimè adhæreat, ut non nisi cum crusta avelli queat, salutis spem esse asserunt, si ei non adhæreat, incurabilem atque lethalem.

Pro primo igitur scopo sapphiro in cute ducatur circulus circa Carbunculum. Præcavet enim non tantùm, ut ulterius non serpat; sed præterea etiam vis veneni tota extinguatur, ita hoc non tantum affirmat *Hartmann. in prax. chymiatr. ubi de peste*, item *Helmont. Tr. de magnet. vulner. curat.* Sed videatur etiam *Marcus Marci in philosoph. vet. restitut.* ubi de magnetismo sapphir. hinc apex carbunculi illinatur *butyro* ♁*ii* quantitate nummi: hinc applicetur *ruptorium ex ol. lini & chamom. cum Croco Hartmanni ubi de peste* §. 15. vel loco talium *butyro* ♁*ii* extremitates anthracum attingantur, sive circumducatur circulus. Hoc enim non solum progressum mortificationis inhibet; sed etiam totum excidere facit. Talibus factis, vel mitiori in malo sine his applicandum est, *Empl. magnet. Ang. Sala*, utpote quo non datur melius, vel *empl. de fuligine*, cujus descriptio vid. in *Horstii obs. p. 349. 356.* *Alii* non ineptè mox applicant cauterium actuale, utpote in parte plus minus mortificata minus dolorosum, hoc facto escharam ruptorio successivè separant, &c. His factis, ubi exciderit Carbunculus, & substantia suppurata probè educta fuerit, idem *unguent. Basilicon. c. Emplastro tetrapharmac. & theriac.* usurpandum; *Balsamo vero* ♀*is anisato* ulcus probè est mundificandum.

Ea *quæ æstum* in genere *mitigant*, sunt in specie ⊖*ata.* v. g. pro usu *interno* ⊖ ♁*iatum*, in potu ordinario dissolutum, ℥j. ad Mß. aut etiam ♃ ⊖ ♁iati ℈ij. ♁ diaph. ℈j. M. pro 2. dos. it. *arcan. duplic.* it. ♎ ⊖ *dulcis* &c. *Externè* dissolvantur. ⊖ *in succo sempervivi maj.* & *acet. rosac.* quibus intingantur lintea, & applicentur pulsibus. it. fronti & temporibus. *Sed observandum* non semper opus esse refrænare calorem, nisi ubi modum nimis excesserit. In febribus cum excretione cutanea conjunctis, calor haud facilè sufflaminandus erit, ne modus excretorius impediatur.

In *Dolore capitis, vigiliis & deliriis* notandum, sæpius *dolorem capitis* febrium continuarum imprimis benignarum *esse* saltim per *consensum stomachi*, vel *primarum viarum* saltem in principio. Cujus ratio exinde desumitur, quod *vomitorio in principio morbi* dato, ut præcaventur omnia fere præcordiorum symptomata, ita speciatim cephalalgia, quam intensa etiam antea fuerint, remittat. Quin & *clysmata* injecta in f[...]rium cephalalgiis subinde eandem notabiliter levent. *Sunt tamen & febres* [...]

ſertim *malignæ*, quæ genus nervoſum, adeoque & *caput primario affligunt.* Hinc æſtu corporis utcunque moderato, caput, præſertim circa frontem, intenſe ardet, agrypniæ adſunt plus minus, interdum planè non dolet. *Febres ſunt peſſimæ notæ*, quibus correpti, rarò evadunt, nempe ſpina maligna capiti & nervoſo generi infixa eſt, unde illa ſymptomata. Quoad *vigilias*, hæ pertinaces in febribus *vel* hypochondria ac præcordia malè affecta ſequuntur; & tunc inquieti, & plus minus jactabundi ſolent eſſe ægri, *vel* capitis ſive cerebri malè habentis ſunt pediſſequę, & tunc intenſior incaleſcentia circa frontem, oculi fulgidi, capitis plus minus perturbatio, item ſubinde dolor per eſſentiam adeſſe ſolent, ægri minus inquieti ſunt. Hæc ipſa ſymptomata diutiùs ſi durent, aut gravius affligant, delirium poſt ſe trahunt, cujus comes tandem ſunt convulſiones.

Dolor igitur Capitis, ſi in principio eſt, adeoque non portendat judicationem, vel criſin, curandus venit. Si vero febris ſit valde intenſa, adſuntque ſalutis ſigna, ſupervenerit vero capitis dolor, cum ipſa prope judicationem venerit, nil oportet tentare, quia interdum talis cephalalgia ſolet eſſe ſignum decretorium, vomitum vel hæmorrhagiam præſagiens. Par ratio eſt quoad *Vigilias*, in quibus criſeos tempore vel præſentis vel inſtantis anodyna, aut plus minus ſomnifera minus tuto applicari poſſunt. Internè verò mala hæc curat in genere *papaver*, & quælibet ex eo parata opiata. Externè verò in febribus in uſu eſt *unguentum alabaſtrinum*, nunc cum ꝏ papav. expreſſ. temporibus ſubinde illitum, item *Emulſio ex nucl. perſicor. v.g.* ℥iij. *cum ſem. papav. albi.* ʒj. *cum* ▽. *flor. ſambuci aut verbenæ, aut ſolani parata*, ac fronti tepidè applicata, nunc cum, nunc ſine camph. Pariter & ſupputanea remedia, nempe *cataplasmata ex foliis rutæ, rad. raphani &* ⊖ *e comm. cum fermento* ſuſcepta, & plantis pedum applicata. Denique ⊕ *in* ▽. *appropriata quavis diſſolutum*, cum linteis multiplicatis fronti ac temporibus applicatum convenit. *Obſervandum tamen* hìc, dolorem in parte capitis anteriore à febri oriri, in parte vero poſteriori à proprio capitis affectu. Confer *Primeros; de febribus p.* 321. deinde quoad *Epithemata humida*, hæc minus conveniunt, quando nempe corpus in continuo eſt madore. Talia enim uti refrigerata fuerint, ſtricturam pororum capitis, adeoque & per conſenſum univerſæ cutis diaphoreſeos impedimentum inferunt.

Hæc ipſa ferè & vigiliis medentur: præterea tamen & *medulla crurum vituli recens* temporibus crebriùs illita, veſpertino tempore ſomni beneficium adfert. *Emulſiones ex ſem. melon. 4. frigid. major. papav. &c.* Ut interno uſu, temperando ſanguinis æſtum & acrimoniam fermenti febrilis, vigilias ſubinde

inde compeſcunt; ita & externè epithematis forma applicata non inutiles ſunt. Internè

℞. Aq. flor. papav. rhæad. ℥ij.
C.C. ſine igne
♁ diaph. an. ℈j.
laud. opiat. gr. j. vel ij.
vel eſſent. opij. gr. xij.
ſyr. corall. ʒvj. M. pro 1. vel 2. doſ.

[*Barbette de peste* ſcribit, *opio*, licet ſudoriferum ſit, iſto peſtis tempore ſe valde parum fuiſſe uſum, quòd ſomnus primis duobus vel tribus diebus non adeò conferat. Quando vero patientes 6. vel 7. diebus continuo ſe inſequentibus nullum ſomnum capere poſſunt, & virium defectus inde ſequitur, hac ratione, quod ſequitur, præſcriptum & egregiè aſſumtum contulit.

℞. Aq. prophylact. noſtr. ℥jß.
borrag. ℥j.
cinamom. ʒiij.
confect. hyacinth. ʒj.
ſacch. perlat. ℥ij.
laud. op. gr. ij. M.

Capiatur cochleatim ſingulo horæ quadrante, donec ſomnus redeat, hinc æger ſomnum benè naturalem, & in ſomno ipſo dolorem ſat tolerabilem capiet. Idem tamen *Autor temerarium opii uſum diſſvadet*, nec impuro ventriculo, ægrisque nimis debilibus, dandum eſſe monet, quod plus nocumenti quam emolumenti in his ab eo ſit expectandum. Econtra neminem meticuloſum nimis eſſe jubet, ne ejus uſum ſe ignorare prodat. Prius verò quàm ad laud. opiat. deveniat, *capitis dolorem* ſequenti more ſedare ſtudet *Barbette*. Hederam terreſtrem contuſam, plantis verò pedum, ut & volis manuum hoc vel ſimile admovere jubet.

℞. Fol. rutæ Mjß.
ferment. acris ℥ij.
fimi columbin. ℥j.
ſalis comm. ℥ß.
aceti ſambuc. q. ſ. M. F. Cataplaſma plantis pedum & volis manuum applicandum.

Vel ℞. Bol. armen.
terr. ſigill.
cretæ vulgar. alb. an. ℥ß.
acet. calendul. q. ſ. M.
uſurpetur eod. mod.)

Inter-

Interdum *profundior somnus* ægros febricitantes, quasi stupidos reddit, cui resistunt *acet. rutac. sambucin.* sive etiam *succus rutæ aceta mistus.* item *castoreum aceto intinctum, &c.* naribus applicata. *Vesicatoria* cervici, item carpis aut malleolis applicata *sunt optima. Conf. Horst. in obs. p.383. in Problem. p.26.* Vel ℞. *thuris, bacc. lauri, pip. nigr. an.* ℥ß. *subigantur probè cum albumine ovorum,* imponatur fronti q.s. & somnolentiam arcebit. [*Barbette* eò in casu theriacam, mithridatium & diascordium, ac similia non convenire ait, quod & hæc ipsa opium in se habeant: sequens autem conferre, qui vapores capitis & simul calorem ac cordis anxietates profligat.

℞. Sal. rutæ
scord.
prunell. an. ℈ß.
♀ ⊖-lat. gr. viij.
aq. prophylact. ℥j.
meliss. q. s.
syr. de betonic. ℥j. M.

F. Haustus expectetur sudor, somnus vero eo & seq. die, quantum vires permittunt arceatur.]

Hæmorrhagia narium varia est pro varietate febrium. Circa hanc notandum est, an hæmorrhagia sit critica, an symptomatica. Critica intempestivè suppressa, quæ mala intulerit, & quomodo ipsa correcta sit. vid. *Henr. ab Heer. in observ. p.70.* Hæmorrhagia talis febrium *sistitur, vel* sanguinis fluxum prohibendo, *vel* locum apertum occludendo, *illud* prius, *hoc* posterius, *illud* imprimis vellicantia, aut derivantia, aut interna refrigerantia præstant. Quod si sedata fuerit hæmorrhagia, placet consilium *Sydenham in method. med. febres, pag. 61.* Laxationem alvi esse instituendam, si nempe alia non impediant. Inter *interna excellit laud. opiat.* & *omnia papaverina* etiam & præsertim in malignis, præmissis præmittendis. vid. *Tymæus in Cas. pag. 378. Horst. observat. lib. 1. observ. 27.* hinc & *aq. papav. errat. cum syr. de portulac.* & de *papavere*, hinc & *succi aciduli cydoniorum, ribium, syr. portulac.* aut *plantag.* ac denique *terr. sigill. lap. hæmatit. corall. bezoard. Martiale*, aut ♁ *diaphor. Martiale*, &c. Inter *externa* autem imprimis confert, si hoc ipso abluantur manus ac pedes, vel epithemata ex aceto collo applicentur, vel *creta cum aceto* in forma Cataplasmatis temporibus ac fronti applicata. *Bufo vel vivus* sub alis applicatus, *vel exsiccatus* simili ratione sub axillis detentus, vel pugno compressus, ut probè incalescat, potenter hæmorrhagias sistit. Denique nitrum ad ʒjß. in aqua frigida dissolutum ac propinatum hæmor-

hæmorrhagias sistit. Conf. *Riverium cent.* 1. *obs.* 48. Quo facit *Julepus Primerosii*, quo sæpe usus fuit ad compescendam hæmorrhagiam aliis irritis.

℞. aq. symphit.
plantag. an. ℥iiij.
syr. de ros. sicc.
plantag.
cydonior. an. ℥iß.
acet. vini albi ʒiij.
⊖ ♁ati aut sal. prunell. ʒj.
~ ⊕li gt. x.

[*Barbette obs. histor.* 2. in quodam peste & cum hac insuper hæmorrhagia die 5. vel 6. laborante non ausus est sudorifera continuare, sed cor confortare, sanguinem incrassare, sicque sanguinem retardare. Hujus gratia ordinavit sequens, de quo sæpius cochlearia duo haurire jussit.

℞. aq. rosac.
plantag. an. ℥iiij.
cinamom. ʒvj.
sanguin Dracon.
corall. rub. præparat. an. ℈j.
confect. Hyacinth. ʒj.
spir. salis gtt. viij.
syr. berber. ℥iß.

Ex hujus usu hæmorrhagia fuit sedata, sanitas & mens redierunt.]

Sitis molestum perquam symptoma, sedatur convenientissimè per ⊖*ta* & per *acidula*. ⊖ *ta* interexcellit ⊖ ♁ *iatum* in potu quovis dissolutum: quo etiam facit serum lactis depuratum, imprimis succo citri, acidulatum. *Acidula inter* tam vegetabilia, quàm mineralia *excellit Julepus* ex ▽ *commun.* acidulata cum ~ *sal.* & *syr. citri*, sudorem simul movens. vid. *River. cent.* 1. *obs.* 19. *cent.* 3. *obs.* 83. Ex Vegetabilibus acidis vulgò notis *Tamarindorum pulpa*, aut *decoctum* conveniens est, ubi alvus simul aperienda venit.

[*Barbette de peste pag.* 615.

℞. aq. borrag.
acetos. an. ℥ij.
prophylact. nostr. ℥j.
succ. aurant. acid.
citri recent. an. ʒij.
julep. rosac. q. s. ad mediocrem. edulcor.
lap. bezoar. or. gr. xv. M. de quo patienti cochlear. j. sæpius exhibeatur bibendum, hoc sitim magis sedabit, quàm cerevisiâ, vel decies tantundem datâ, & tamen ægrum in sudore suavi insuper detinebit. Vel:

℞. aq. card. bened. ℔ j.
prophylact. noſtr. ℥ ij.
ſyr. granator. acidor. ℥ ijß.

Vel: ℞. rad. *Scorzoner.* petaſitid. an. ℥ j.
fol. acetoſ. M ij.
coq. ex aq. hordei. Colatur. ℔ j.
ſyr. violar. ſimpl. ℥ ij.
ſal. prunell. ℈ ij. vel ⊖ ſalis q. ſ. M.

Potus refrigerantes pro divitibus ſuaviores & magis confortantes hac ratione parari poſſunt, ita.

℞. aq. borrag. ℥ iij.
card. bened. ℔ ß.
roſac. ℥ j.
ſacch. perlat. ℥ ß.
ambr. gryſ. g. ij.
Moſchi gr. j.
ſucci citri recent. q. ſ. M.

Cereviſiam concedit, ſi impraegnata ſit fruſto C. C. uſti; vel nux moſchata contrita nodulo incluſa in ea detineatur. Nihilominus nec nimia quantitate, nec ſaepius, nec nimis frigidam bibendam eſſe monet, aliàs flatus, alvi fluxus, cordis anxietates & ſymptomata plura alia inde fore metuenda ſcribit. **Schwache Mägen**/ait idem, **und mit Bangigkeit deß Hertzens geplagte Perſonen laſſe ich im abnehmenden Fieber ein wenig Moſeler oder Rheiniſchen Wein mit Zucker und Limonienſafft gebrauchen: aber allhie iſt nicht die Maſſe zu halten Welche den Frantzwein zulaſſen / oder Schweißtreibende Mittel damit vermenget/ in einem groſſen Fieber eingeben / die irren meines Erachtens gar ſehr.**

Idem obſ. hiſt. 5. cuidam loco cereviſiae ordinavit ſeq.

℞. aq. card. bened. ℔ j.
alexipharm. ℥ ijß.
Julep. roſar. ℥ ijß.
ſpir. ſalis. gtt. viij. M.]

Cardialgia & vomitus. Sal abſinth. ad ʒ j. datum valde prodeſt in vomitu & nauſea febrium. Conf. *Riverium cent.* 1. *obſ.* 47. Item *conſerva menth. Extra: tormentill.* eſt egregium. Conf. etiam Remedia *Barbette uſitata in deſcript. peſt.* in vomitu febrium peſtil. [Si mala haec, *ait idem pag.* 622. non ex internis carbunculis peſtilentialibus oriantur (nam & hoc ventriculum, ut & inteſtina occupare, certiores nos reddunt temerarii quidem, at fide digni naturae ſcrutatores, qui in ſectione cadaverum eos ibi deprehenderunt, cui nec experien-

tia,

tia, nec ratio contrariatur:) citra insignem laborem ista sedavi, patientem quavis semihora coch. j. sequentis misturæ recipere jubens.

℞. aq. menth.
prophylact. nostr. an, ℥iß.
cinam. ℥ß.
Confect. hyacinth. ʒj.
sal. corall. ℈j.
syr. myrtin. ℥ß. M.

Ex hujus usu vomitus plerumque sedatur, si præsertim regio ventriculi ter vel quater quotidie oleo sequenti inungitur:

℞. ol. nucist. expr. ʒiß.
macis destillat. ʒß.
absinth. ʒj. M.

interea parcus potus conceditur, sedato verò vomitu, mox sudoriferum exhibeo.

Alvi fluxus uti & *Tormina abdominis* curat in specie Discord. Fracastor. à ʒj. ad ʒij. propinatum. v.g.

℞. aq. plantag. ℥j.
acet. Sambuci ℥ij.
diascord. Fracast. ʒj.
Extr. tormentill. gr. xij.
syr. plantag. ʒij. M. pro j. dosi.

Vel ℞. aq. plantag. ℥ij. vel iij.
cinamom. ʒiij.
diascord. Fracastor. ʒij.
C.C.s. △.
antimon. diaph. gr. xv.
syr. portulac. ʒiij.
spir. nitr. dulcis. ʒj. M. capiatur pro lubitu.

item *Essentia therical.* ad gut. 30. vel 40. item *extract. therical.* ad gr. iij. vel iv. aliaque similia: *anodyna* autem & *opiata* sunt optima, quibus adduntur & *absorbentia*, nempe *C.C. ustum bolus arm. terra sigill. cryståll.* præpar. cum *conserv. rosar. antiqua* propinata. Item *extractum tormentillæ* ac similia. *Cydoniata* denique quælibet sunt usitatissima. [*Barbette l.c. p. 624. Alvi fluxus* plerumque mortis est prodromus. Attamen quosdam, in quibus non merus sanguis vel materia cruenta prodibat, *sequenti modo sedavi.* Patiens ab omnibus salsis, ut & acidis, quæ aliàs in pestis curatione sunt necessaria, sicut & à potu largiore abstineat. Si *sitis*, quæ tum temporis ægros maximè urget, fuerit impatiens, sequentis mixturæ cochlearia duo vel iij per vices accipere jubeo.

 ℞. radic.

℞. radic. tormentill. ℥j.
flor. ros. rubr. p. j.
rasur. C.C. ʒß.
sem. acetos.
myrtill. an. ʒj.
coq. ex aq. ferrata. Colatur. ℥ix. adde
confect. Hyacinth. ʒj.
syr. Myrt. ℥j. M.

Theriacæ solius ʒj. singulo quadrihorio assumta, multis egregiè contulit, ut & sequens cochleatim usurpatum.

℞. Diascord. Fracastor. ʒij.
carabe ʒß.
corall. rub. præp.
Sang. Dracon. an. ℈j.
Margar. præpar. ℈ß.
aq. fœnic. ℥j.
plantag.
rosar. an. ℥iß.
syr. de symph. Fernel. ℥j. M.

Die Mutter oder Hefen von weissem/ und insonderheit von rothem Wein/ über den gantzen Leib warm gestrichen/ und mit einem vierfachen Tuch bewahret/ hat grosse Würckung gethan.

℞. ol. mastichin.
nucist. expr. an. ʒj.
aneth.
absinth.
myrtill. an. ʒij.
Theriac. veter. ʒiij. M.

Vel: ℞. bol. Armen.
Thuris,
mastich.
sanguin. Dracon. an. ʒij.
mumiæ ʒiij.
pulv. gallar. ʒiß.
sem. dauci.
levistic.
anet.
myrtill. an. ℈j.

ol. nucist.

ol. nucist. expr. ℥j.
Terebinth. Venet. q. s. M. F. empl.)

Sudores, rarius equidem hi nimiis vexant sub febrium motu, quia moderati sunt exoptati; interdum tamen post febres continuas, aut graviores aut paulò diuturniores, crebri sudores nocturni ægros vexare solent, atrophiam minantes, ex deficiente nutrimenti chylosi assimilatione, ob sanguinem depauperatum nati. Hos ipsos & *emulsiones temperantes*, vel *absorbentia corallata*, interdum & *alia cum aromaticis subjunctis amaris*, v. g. *absinthio cultant*. Confer etiam *Sydenham. in observat. p.* 335. De cætero corpore adhuc pleno in febribus non eliciendi vi, quia facilè translatio fieri potest ad caput, ut rectè monet *Ballonius Pharos. Med. p.* 215.

Quoad. *Vrinarios affectus, suppressio hujus* interdum supervenit, quæ *interdum* criseos per sudores imminentis indicium est, præsertim si prægresso sudore superveniat. *Conf. H. ab Heer. observat. p.* 62. *Interdum* in statu sine criseos indiciis supprimitur, vel in delirantibus, vel alio modo affectis. In talibus regio pubis illinenda venit *unguento de alth.* ℥ß. *oleum scorpion. simpl.* ʒj. M. applicetur crebrius.

De hoc affectu accuratè scribit DD. Mauritius Hoffmannus in tractatulo, cui titulus: **Bericht von den Pest-Fiebern** / edito 1680, cujus remedia tam præservationis quam curationis gratia præscripta sunt sequentia.

Primò Autor iste alimenta ex aceto vel malis citricis aut acetosella parata & frequentata commendat; Hebdomadatim tamen, præsertim mutatione lunæ occurrente, acido citri, aut potiuncula ex aqua card. bened. vel sambuci, vel spir. acido AA. aut mistura simplici usque ad ℈j. vel spir. ⊖-li ad gutt. 6. 8. 10. 12. manè sudorem ad horæ quadrantem vel dimidiam procurare jubet, quo modo præservationis scopus observandus.

℞. mistur. simpl. ℈iiij.
♁ per camp. ℈ij. M.
S. Sauerlicher spiritus zur Vorsorge AA. biß auf 15. oder mehr Tropffen einzunehmen.

In locis suspectis, vel de tempestate nebulosa de *pulvere camphorato*. BB. fumatur tantum, quantum cultri cuspis capit.

℞. pulv. macis alexipharm. camph. ℥iß.
rad. zedoar.
sulphur. chym. an. ℥ij.
M. ad scatul. S. Campffer Pulver zur Vorsorge. BB.

Aut cortex citri condit. aut radix ſcorzoner. condit. frequenter uſurpetur;

Aut in ore detineantur *Rotulæ de zedoar.* vel Angelica ſeqq. C.C.

℞. pulv. rad. zedoar. ʒij.
angelic.
flor. ſulphur. chym. an. ʒj.
M. c. ſ. q. ſach. fin. in aq. ſcord. diſſolut. F. Rotulæ.
S. Zitwer Schauffelein zur Vorſorg. C.C.

Vel *baccæ juniperi*. *Nares ſpongiolis aceto juniperino vel theriacali* DD. imprægnatis & in pyxide ex juniperi ligno tornata aſſervatis *præmuniantur*.

℞. aceti theriac. Auguſt. ℥ij.
ſpir. theriac. camphor. ʒij. M.
S. Theriac-Eſſig zum Schämlein. DD.

De *collo ſacculus* ex floribus cordialibus & camphora paratus & interpaſſatus E.E. ſuſpenſus continuò geſtetur.

℞. ſpec. pro Epithem. cordis rec. par. ℥ß.
camphor. pulv. ℈iiij.
M. ad ſacul. ſeric. rub. cord. maj. interpaſſat.
Num. 1. S. Campffer-Säcklein E. E. am Halß hangend zu tragen.

vel *nodulus de zedoaria & camph.* vel *allium* portetur &c. Conclavia evaporatione ex lapide ignito cum baccis juniperi acidis, vel pulvere pyrio, ſulphure, thure, myrrha ſuffiantur.

In *Cura.* Quamprimùm quis præter ſpem ob Lunæ mutationem, ob *animi affectum*, iræ nempe, vel terroris, qui pro reliquis flammæ vitali, turbando ſanguinis motum circularem, nocent, *vel* ob exceſſum in potu commiſſum, *vel* motum corporis, *vel* ſuſceptum aërem venenatum, *aut* patientis alterius ſudorem, quis inflammatur & corripitur, id quod ex inſolita anxioſa debilitate, rigore, ſommolentia, cephalalgia, nauſea ventriculi &c. eò facilius cognoſcitur, cum revera ceteri ſimilibus ſymptomatibus ſtipati morbi, peſtilentialibus graſſantibus, ſileant, nil certius melius eſt, quàm ut talis æger (ad multiplicem probam priſci per Germaniam & Italiam benè noti, potatoris veneni Tarquinii Romæ Neapolitani, qui ſicut Altorph. Ann. 1662. Domin. Palmar. ita & alibi ſæpius arſenici gr. xij. ex vino albo ſumſit, & mox Orvietano ſuo per vomitum reddidit, & veneni vim eluſit:) ſuſceptum venenum è ventriculo, ut alia venena ore ſumta, revocet & tractet, & ſtatim prima, ſecunda vel tertia horâ ſine mora, quando natura talem execretionis modum ſponte non tentat, beneficio aquæ calidæ oleo imprægnatæ, vel *potiunculæ acido-vomitivæ* A.

℞. oxy-

℞. oxymel. simpl. ℥j.
pulv. sal. vitrioli vomit. ℈ß. vel ℈j.
M. c. aq. hordei q. s. F. potio brevis.
S. ad vitr. Saures Brech-Tråncklein A. auff einmahl. vel *pulveris emetici.* B.

℞. pulv. ♀i emetic. Mynf. gr. iij. vel iiij.
S. ad Chart. dupl.

Brechpůlverlein B. in saurer Brůh einzunehmen auff 1. mahl. aut *syrupi emetici.* C.

℞. Syr. emet. Angel. Sal. pro ratione ætatis ʒij.
vel ℥ß. vel ʒvj. S. ad vit.

Brechsafft C. mit Holler- oder Geißrauten-Wasser auff 1. mahl. aut *aquæ benedict.* D. Ruland. se disponat.

℞. aq. bened. Ruland. ℥ß. ʒvj. ℥j. pro ratione ætatis.
S. Brechwasser D. auff einmahl mit ein wenig Essig zu nehmen.

(His omnibus, ut medica mentis aliis, pro ratione ætatis à minori dosi ad majorem cum judicio progrediendum, cùm in compendium omnia secundùm suas circumstantias contrahere possibile non sit;) & ita hærentem maximam partem in ventriculo massam febrilem malignam minuat, atque sic febrem, obstructo fonte, ut natura ipsa provida idem sæpe cum emolumento conatur, optimè & maximè truncet: Hoc autem facto, acidulo confortante ex vino tunicato, vel citriis, aut acetosella, aut scorzonera parato per duas vel tres horas se recreet, & tum statim ad *Electuarium alexipharmacum* E. properet.

℞. El. Diascord. Fracast. ℥ß.
C. C. absque igne præpar. pulv.
sal. card. bened. pulv. ana ʒj.
gran. cherm. elect. pulv. ʒß.
M. cum syr. papav. errat. q. s.
F. Boli. inaur. num. vj. D. ad scatul.
S. Gifftlatwerglein E. ein übergültes Kůchlein auff einmahl in saurem Trüncklein warm einzunehmen zu schwitzen.

Vel *acido-camphoratum pulverem.* F. in 6. partes æq. divisum, ut primo, ita & quarto, 7. 9. 11. & 14. die (utpote in quibus diebus aliàs natura libera vim suam & cooperandi virtutem, teste experientiâ, exerit. *ex* 4. *aph. Hipp.* 36. & quo tempore similes morbi acuti utplurimum judicantur, 2. *aph.* 23. quando nempe rectè tractantur, atque natura robusta est, qualis in calidis regionibus & corporibus, etiam 4. 7. vel 9. diebus liberatur.)

℞. Terræ sigill. Strigens ℥ß.
C. C. Camph. pulv.

sal.

ſal. card. ben. pulv. an. ℈j.
M. ad vj. chart. æqual. S. ad major.
Campffer-Pülverlein F. ein Briefflein auf 1. mahl.

Vel ℞. pulv. rad. zedoar. ℈iij.
C.C. absque △ præparat. ʒij.
camphor. el. ʒj.
M. ad Cart. vj. aqual. S.
Campffer-Pulver F. ein Briefflein auf 1. mahl.

Vel ℞. terr. ſigill. ☉-lat. vel
C.C. ☉-lati ʒiij.
ſal. card. bend. ℈j.
camphor. ʒß.
M. F. pulvis. D. ad vj. part. æq.
Campffer-Pulver F. ein Briefflein auf einmahl.

manè in potiuncula aquæ *acetoſellæ*, vel *galegæ*, vel *acetoſæ*, cum 4. vel 6. cochlearibus *ſucci expreſſi* vel *citriorum*, vel *acetoſellæ*, vel cum *aceto rubi idæi*, vel *ſambucino* acidulatâ, bene calida capiat, & poſtea per dimidiam vel totam horulam, pro ratione virium, ſudet. Interea conclave ex *acidis juniperi baccis aut ligno juniperino recente* ſuper lapidem ignitum ſuffiatur, ſudor calidis benè detergatur, & recenſitis rebus acidis patiens refocilletur. Quando jam æger ex virium reſtauratione & ſymptomatum gravium remiſſione, urinaque fracta, ſe in meliorem ſtatum eſſe translatum percipit, repetitionem *Electuarii E. vel pulveris. F.* uſque ad initium quarti diei negligat, & interea, ſi plethorica adſit diſpoſitio, in partibus extremis *tutius* ferè *cucurbitulas*, quàm *venæ ſectionis* uſum adminiſtrabit, quotidie etiam conditi confortantis acidi G. uſum, capiendo cochlear bonum, manè & veſperi, continuabit, reliquum in loco frigido aſſervabit., erectiq; ſemper animi erit.

℞. conſerv. acetoſell.
acetoſ. citri. an. ℥iß.
rad. ſcorzon. cond. & inciſ.
cort. citr. exterior. condit. & inciſ. an. ʒvj.
ſpec. liberant. ʒij. (Norimb.
gran. cherm. elect. pulv. vel confect. alkerm. vel cordial.
ſal. prunell. pulv. an ʒj.
M. ad fictil. c. ſ. q. ſyr. fl. tunic. F. cond.
S. **Krafft** Condit. G. **einen Löffel voll auf einmahl zu nehmen / und den Reſt im Keller auf zu behalten.**

Quod ſi verò *Cephalalgia*, *anxietates*, & cum *calore imbecillitas* non remittunt, ſed magis creſcunt, *Electuarium alexipharmacum* E. vel ℥ F. aliquot granis *Bezor.* aut *C.C. aurati*, vel *ſolut. margaritarum* prditionibus augeri, iisque manè per duas dies proximè inſequentes aſſumtis, ægri ad ſudorem di-

midiæ

midiæ horæ mediocrem se disponere, vesperi verò quotidie *conditum confortans* G. sumere, & interea *pro cibo* acidulis jusculis, vel hordeatis, & *pulpis* cum acidulis confortantibus ex Granatis, Ribibus, Citriis, Aurantiis, Acetosella, &c. pro potu aqua ex C. C. raspato H.

℞. C. C. raspat.
rad. scorzoner. mund. an. ℥ ß.
cort. citr. extern. ʒiij.
sem. acetos.
anis.
bacc. alkekeng. an. ʒj.
Incis. & contus. M. ad chart. S.

Stück zum Hirschhorn-Wasser H. verdeckt von einem Viertel biß auff 3. Seidel abzusieden/und abgeseyhet zu trincken wie ein Julep oder Krafft-Milch. (cui addi possunt nonnunquam Rad. graminis & sassæparillæ contra *convulsionis* pericula.)

aut acidulo Julepo. I.

℞. Syr. acetosell. ℥iij.
acetos. citr.
papav. errat. an. ℥j.
aceti rubi idæi. ʒvj.
sal. nitr. perlat. ʒij. M. ad vitr.

S. Sauerlichte Säffte I. zum Julep mit dem gesottenen Hirschhorn-Wasser.

Vel recens expresso *succo cydoniorum*, aut *granatorum*, & similium, *sine vino* uti possunt. A quarto autem die usque ad septimum nonnihil remissior sit sudor, ne in excessu peccetur. Quamprimum enim vitalis flamma ventilatur, & respiratio libera exercetur, exclusis, quæ suffocationem minabantur cum anxietate, fuliginibus igneis, ita ut flamma ista suffocationis periculum effugerit, vires redeunt, & sanguis in virtute coquendi laudabili perstat, vitaque vitura continuat. Quod si ventilatione tali primis 12. vel 24. horis, aut ad longissimum primo triduo flamma vitalis non erigitur, sed penitus suffocatur, totaque massa sanguinea, seu succi vitales omnes omnibus in vasibus corrumpuntur, homo quidem aliquot horas vel paucos dies anxiam cum fermentescente seu gliscente calore vitam agit, spes verò reconvalescendi, ut flamma vitalis, candelæ instar extinctæ, resuscitari queat, concipienda est nulla. Quapropter nullo modo feriandum, sed *statim in principio*, ut scaturigo mali obturetur, vitæque vitalis & sanitatis custos, sanguis scilicet conservetur, *sedula in vomitus & sudoris provocatione navanda est opera.* Quem in finem non modo *symptomatibus* metuendis maturè obviam eundum; sed & *diæta* certa, tenuis, acidula, quæ cibos euchymos & coctu faciles offerat, vinum & carnem excludat, nonnihil tamen alvum laxet, & aërem corrigat: daß

man sich nemlich mit sauren Gerstlein/ Aepffel-Müßlein/ Weinbeer-Brklein/ Zwetschen/Prunellen/Panatellen/Haber-Süpplein/ Hertzklee oder Borragen/ oder Saueramppfer-Müßlein und dergleichen vergnüge/ und Leibes-Oeffnung behalte/ und stets getrostes Gemüths bleibe. &c.

Symptomata quod concernit, quæ primis diebus, 4to. 7. 11. & 14. à fermentatione febrili totius massa sanguineæ omnium spirituum animalium, ut umbra corpus, sequi solent, quatenus ceu noxia periculum quoddam minatur (aliàs enim non sunt adeò formidanda, eaque adaucta flammâ vitali & correcto sanguine ac spiritu animali, remittenteque morbo redeunt:) sequenti modo iis occurri potest, & quidem

I. Ad ***nauseam, fastidium ciborum***, & quandoque ***vomitum frequentem*** ac ***singultum***, à fermento ventriculi depravato ortum, tam *acidi confortantis conditi*, G. cochlear j. quàm *spiritus acidi A. A.* sæpius guttæ 15. ad 20. in brodio carnis tenui sunt exhibendæ. *Externè Empl. de crusta panis Montagnanæ*, vel *sacculus stomachalis* interpassatus ex *mentha crispa*, *absinthio*, *rosmarino*, & *rosis rubris*, vel *ex fermento cum baccis juniperi*, *cariophyllis nuce moschata*, *macere & aceto rosaceo* facta *placenta* calidè applicanda.

II. Ad *Cephalalgiam, inquietudinem, & agrypniam* ab adscendentibus igneis fuliginibus excitatam, non solùm *internè emulsio refrigerans* K.

℞. sem. 4. frigid. major. enucl. an. ʒß.
papav. alb. rec. ʒij.
contunde c. s. q. aq. decoct. cum C. C.
vel lact. f. l. a. Emuls. ad ℔j.
adde man. Christi perlat. pulv. ℥j.
ocul. ♋. præparat. ʒj.
M. ad vitrum. S. Kühlende Milch K. auf eine Nacht zu verlieben.

nocte una duobus haustibus sumi, sed & *externè* calida, salsa, vel cineraria *pediluvia* ex *malv. chamom. violaria*, *hedera terrestr.* in coctis, manè & vesperi, ad quadrantis horæ spatium usurpari possunt. *Unguentum alabastrinum* L.

℞. unguent. de alabast. ℥j.
popul.
ol. papav. alb. expr. an. ℈iiij.
pulv. rad. Rhod. ʒij.
M. ad fictil. S. Alabaster Stirn-Sälblein L.

corio

corio inductum, fronti usque ad tempora, vel ex *nucleis Persicis*, *sem. papav. albi* & *aq. rosar.* applicari; soleis verò pedum singulo trihorio, quadrihorio, vel post 6. horas raphanus niger ralus & salsus, vel rapa flava, vel inferius sequentes placentulæ fermentaceæ adhiberi, vel insimul verò dorsum, brachia & crura sacculo sale repleto benè calido manè & vesperi fricari possunt.

III. Ad **Sitim** magnam, ex fermento in ventriculo gliscente igneo natam, & **ardorem ejusdem**, conducit *aq. C. C. decocta cum Berberibus* H. vel *aqua, in qua citrium malum totum cum sacchari quadam portione decocta*, præsertim si cum *syrupis acetosis* I. *Julapia* ex ea fiant, item *Emulsio* K. vel *cremor ptisanæ cum pulvere sacchari* candi & salis prunellæ, convenientissima sunt. Alternationis gratia *cerasa acida* in aqua decocta, vel *passulæ*, vel *berberes*, vel *citria*, vel *aurantia*, *granata*, vel nodulus ex *seminibus melonum* & *papaveris albi ex aq. rosarum saccharata*, concedi possunt.

IV. Ad **Syncopen, palpitationem cordis & anxietatem** à sanguine ebulliente & vappescente oriundam, *præter externam* suaveolentem *humectationem ex aqua rosarum* factam, aliquid *confectionis alkermes*, vel *cordialis cujusdam cum succo rubi idæi*, aut pulverum cordialium probatissimorum quidam. M.

℞. spec. cordial. temperat. ℥j.
conf. liberant. ℈ij.
sal. margar. sicc. ℈j.
M. ad iij. chart. æqual. S. major.
Hertzstärckend Pülverlein M. ein Brieflein auf 1. mahl in Julep oder Krafft-Milch.

alternis diebus dari, externè verò tres *sacculi cordiales* N.

℞. saccul. cordial. major. usit. ex speciebus pro Epithemate cord. rec. parat. ac interpassat. num. iij.
S. Hertz-Säcklein. N.

aceto rosaco vel tunicarum, vel rubi idæi cum exiguo vini, vel aquæ melissæ madefacti, calidi axillis & ad jugulum colli usque impositi, vel circumligati continuò gestari, *pulsus* quoque *balsamo citri*, vel *hujus cortice*, vel *oleo* scorpionum magno Matthioli juxta cum Empl. febrifugo O præservari possunt.

℞. Empl. antifebril. Strob. pro puls. super alut. ten. extens. magni. eines halben Thalers num. ij.
S. ad chartam. Fieber-Pflaster O. übergebunden 9. Tag zu tragen.

V. Ad *prunellam* sive *Anginam* & incipientem *oris putredinem*, ab inspirato & ex ventriculo rursus expirato vapore maligno productam, *Gargarismus* adstringens ex speciebus, cum rosis rubris, mistis, & cum aqua hordei decoctis paratus, addditis *rotulis salis prunellæ, terrâ sigillata*, unà cum *syrup. papav. rhead. & diamor.* confert. P.

℞. fol. plantag.
fragar. an. Mj.
summ. veron.
flor. scabios.
prunell.
ros. rubr. an. Mß.
Incis. Misc. ad chartam. S. Vermischte rothe Rosen Species zum Gurgel-Wasser. P.

Speciatim quando externè collo *sacculus integro croco, floribus sambuci* & *sale Petræ* repletus & interpassatus ita siccus calidè aaplicatur.

VI. Ad *alvi fluxum* ʒj. *terræ sigillatæ.* vel ʒß. *pulveris adstringentis rubri* Q.

℞. C. C. vel cran. cervi usti. ʒj.
Gran. chermes. el. ℈j.
Pulveris. M. ad chartam duplicem.
S. Stopffend Pülverlein Q. auf 2. mahl zu nehmen.

cum *aq. flor. sambuci*, vel *succo cydoniorum*, convenientissimè datur, calidè quidem, ut sudor eò facilius prodeat. Umbilico etiam *Emplastrum adstringens theriacale* R, imponi potest.

℞. Theriac. Venet. ℈ij.
croci ♂tis stipt. ℈j.
M. cum therebinth. q. s. & extend. super alut. ten. magnit. Imperial. S. Stopffpflaster R.

Si *alvus* contra *nimis adstricta*, *pruna* & *pruneola*, vel *passulæ* quoque & *pulmenta pomacea*, ut & parum de *rotulis salis prunellæ*, auxilio esse possunt, si necessitas flagitat, quod tamen rarò contingit.

VII. Ad *Soporem & affectum comatosum* sæpius, suscitandi ægri gratia, naribus *nodulus ex camphora* aut *ruta*, *aceto madidus* objici, vel succus nasturtii aquat. iisdem injici, *vesicatoria* quoque S. manibus & coxendici applicari, vesicæ maturè aperiri, & cum *unguento de cerussa vel camphorato* sanari possunt.

℞. Empl. vesicat. super alut. ten. extens. magn. eines halben Thalers/ num. iiij.
S. ad

S. ad chart. Zugpflästerlein S. an gehörige Ort zu appliciren.

VIII. *Sudoris fœtidi & contagiosi* ergo vapor *aceti juniperini* eò studiosius continuandus &c. *aq. rosar.* etiam acidulata ebulliens cum *cinnamomo* paretur, & cum *confectione alkermes, in aceto camphorato*, soluta fiat illitio.

IX. Contra *deliria* peculiares habentur *placentæ ex fermento* T.

℞. pulv. sem. sinap.
nasturt.
Sabin.
sal. nitri an. ℥j.
M. c. s. q. fermenti panif. acerrimi,
F. Placent. magnit. & crassit. manus extens. num. iiij.
S. Sauerteig-Kuchen über die Sohlen T.

quæ non solum post *pediluvium calidum ex aqua salsa* pedum plantis, seu etiam umbilico imponuntur, vel *nuchæ vesicatorium* S. applicatur. Istæ post 12. horas renovandæ: hoc statim usurpandum, & modo removendum, prout rubedo & vesica deprehenditur.

X. Ad *tremorem & membrorum tensionem* dicta jam *vesicatoria* S. pulsibus manuum & supra genua in parte interiore, imò contra *nimias cordis anxietates* etiam sub axillis, & supra umbilicum cautè applicari, vesicæ inde ortæ maturè aperiri, & medicamento refrigerante camphorato, vel siccante rursus curari queunt.

XI. Ad *maculas* non rarò diebus criticis, 4. 7. vel 9. in corpore hinc inde, præsertim dorso, brachiis & cruribus, ceu morsus pulicum; quandoque ut vibices longiores provenientes, & à guttarum sanguinis syderati dispersione & distributione ortis, non modò *sudorifera* continuanda supra nominata, inter quæ *aqua galegæ* excellit, hinc *Electuarium alexipharmacum* E. *& pulveris* F. ac M. *cavendo sedulò frigus*, & fricando quotidie corpus *sacculo*, *sale calido vel sale Petræ repleto*, & præterea de *aqua Corn. Cerv.* H. cui *nodulus* V. inhæreat, sæpe bibendum.

℞. sem. aquileg. vel Galeg. rec. ʒiiß.
sal. prunell. ʒj.
gran. cherm. ʒß. Contus. M. ad nodul. seric.
S. Bündlein ins Trinckwasser zu hangen. U.

sed etiam *cucurbitæ siccæ* passim in dorso, brachiis & cruribus calidè affigendæ & sæpius detrahendæ, vel dictis sacculis, sale vel nitro refertis, & lixivio calido, vel

vel aq. sambuci humectatis, corpus calidè benè fricandum, ut eò citius maculæ discutiantur, & resolvantur, nec ad interiora redeant.

XII. Sed si sanguinis sydelati venenatæ guttulæ, seu particulæ non amplius vitales à natura non disperguntur, sed post aures, sub axillis, in inguinibus, in glandulis coacervantur, ita ut post tertium vel quartum diem *bubones*, *carbunculi* & *anthraces* passim, tanquam certa pestis signa exoriantur, eò laborandum, ut promoveantur, emolliantur, & ad suppurationem sine sphaceli periculo deducantur. Quem in finem *Emplastrum sambucinum* probatissimum W. vel *Emplastrum pulmentare* X. cum *theriaca* mistum, quotidiè crassè illinendum, bis calidè applicandum, & cum *Emplast. de Fuligine Aug.* aut mixtura ex fermento, butyro & cantharidibus, vel pulte lactea cum croco & sale petræ alternandum.

℞. vitell. ov. ad durit. coct. num. iiij.
crudor. num. ij.
sal. comm. præparat.
nitr. præp. an. ℥vj.
M. cum rob. sambuc. q. s. pro Emplastr. ad fictil.
S. Holler-Pflaster. W.

℞. farin. orobi,
fœnu græc. ana ℥ij.
fol. scord.
succis.
flor. chamom.
sambuc.
hyperic.
summ. aneth.
absinth. ana Mi ß.
sal. nitr. ℥j.
caric. ping. num. viij.
Incis. tenuiss. incid. M. ad chart.
S. Pulver mit Holler-Wasser oder Katzeltreibel-Wasser oder Scabiosen-Wasser zum Breypflaster X. zu vermischen.

Quam primùm pus apparet, tumores tales corrosivo, vel quod melius, lancetta aperiendi, & postea salubri *digestivo* Y. & *unguento* Z. ac *Emplastro ex melle*, *vitello ovi*, *terebinthina* & *theriaca* composito & inducto circumligandum, & tardè ex toto sanandum, *hac tamen cum cautela*, ne corrodendo serpant, id quod periti Chirurgi scitè præcavere norunt.

℞. Vitel. ovi. rec. num. j.
ol. violac.

mell.

mell. rosac.
tereb. Venet. an. ℥ij.
theriac. Venet. ℈j.
S. Digestiv- Sälblein Y. mit gezüpfften Fassen zu appliciren.

℞. unguent. Ægypt. magistr.
ol. hyperic. an. ℥iij.
pulv. scord.
rad. arist. rot. ver. an. ℈ij.
mell. rosac. ℈iiij.
M. ad fictil.
S. Sälblein mit gezüpfften Fassen einzulegen. Z.

Hactenus *D. Hofmannus de febribus pestilentialibus* earumque cura.

Pestem ipsam verò ait *esse morbum contagiosum, non ab ebullitione, sed coagulatione & refrigeratione, tam fermenti stomachi, quàm sanguinis & spirituum animalium natum: Febres malignas pestilentiales, nil nisi ebullitiones continuas & vehementes totius massæ sanguineæ esse* proclamat, quarum vi natura renovationem totius massæ sanguineæ quærat, eamque victricem evadere, quando naturales succi præternaturales & ferè malignos citò superant: & eandem contra vinci, quando præter naturales humores copiâ paucos naturales superant, utut plerumque horrore vehementi vel frigore incipiant, eoque ipso prodant, flammam vitalem in sanguine vim, vel suffocationem pati, & post flammæ hujus extinctionem in massa sanguinea ignem prunæ instar superesse, proptereaque maturè, quantum possibile, mediante sudore, velut hypocaustum calidum fenestrarum reseratione, non autem ignis extinctione, ventilatione, & quasi per afflatum suscitatione opus esse. *Pestis* autem *causam* post Dei dispositionem, cœlique tempestatem, à venenosarum nebularum, semen fructusque perdentium, pluviarum frigidarum multitudine, inde orta aëris coagulandi virtute derivat, à qua vis fermenti stomachalis ignea sensim sensimque mediante faucium saliva adulteretur & extinguatur, sanguis albus (ita loquitur) & ruber in vasis fixus & refrigeratus, atque ita flamma vitalis in spiritibus subsistens, & in animo terrore perculso, quasi timida subitò suffocetur, ut homines etiam subito per imaginationem euntes & stantes cadant, & sine auxilio, quia nulla medicina in ventriculo actuari & ad operationem deduci potest, mori cogantur.

Quare hoc tempore, propter æstatis hactenus elapsæ calorem & aëris serenitatem (Deo gratia) nondum adeò pertimescendum.

Quod

Quod si verò talis necessitatis casus hic illic *post famem superatam*, & *usum alimentorum insalubrium* per singularem venenatam, vel vitali facultati adversam stomachici fermenti refrigerationem, ignisque ibi aliàs efficaciter operantis extinctionem, præter spem post diuturnæ, humidæ, nebulosæ & asperæ tempestatis mutationem *oriatur*, *optimum consilium est*, præservationis ergo variis *suffimentis, è ligno vel baccis juniperi, sulphure, pulvere pyrio, suffitu communi & tædis aromaticis Aug.* ædes & conclavia quotidie *suffire*, & moderato usu variarum, subtilium, *spirituosarum aquarũ* vel hebdomadario *Theriacæ*, *Mithridatii vel spiritus theriacalis camphorati, centaur. min. cochlear. Trifol. aquat. Elix. P.P. aut zedoar. sulphurei*, *aut camphorati pulveris, vel pilularum pestilential: Avicennæ, Plateri, Ruffi &c. vel vini medicati optimi* ex petasitide, helenio, carduo ben. centaurio min. absinthio & baccis junip. se *præservare*, *ulcera* non sanare, imò *fonticulos* excitare, *parum* verò, præsertim diebus mutationum ☽næ, in novi- vel plenilunio, oborta nebulosa & humidâ tempestate, in publicum *prodire*, sed nonnunquam *mane fistulam Tabac. Bezoardici vel junip. ri* haurire.

In *Curatione* verò summè *necessarium est*, extemplò aut properè, posthabita omni venæ sectione & purgatione, attamen *post moderatam vomitionem*, ad mutationem fermenti stomachici efficacissimam, *spirituosis*, subtilissimis, *volatilibus*, ignis vitalis multum foventibus, & in actum statim exeuntibus *calidis* remediis naturæ suppetias ferre, eamque excitare, ut fermentum stomachicum, præsertim vacillans vitæ flamma se multiplicare citissimè, & ubique coagulatus & refrigeratus sanguis vitalis calefieri, & ad priorem activitatem deduci queat. Facultatis enim animalis & vitalis quia fundamentum est facultas naturalis: Quem in finem post spirituosam ventriculi fomentationem ista hic magis, quàm in febribus pestilentialib⁹ convenientia remedia, *Therica Andromachi*, *Theriaca Diatessaron*, *Ther. Augustan. &c. Mithridatium Damocratis*, item *Antidotus Matthioli*, *Elect. Papæ & de ovo. Confectio Archigenis* & similia alia fortia & penetrantia Electuaria quam primum, ut dictum, post vomitum, *in spirituosis aquis ex aqua benè calida* possunt exhiberi. Eoque in casu etiam cochlear *raphani rusticani* rasi acrioris, ut in castris sæpius fuit observatum, *cum cochleari* 🜄 conducere potest. Similiter quoque *radix petasitidis, imperatoriæ* seu *magistrantiæ, levistici*, *vincetoxici*, vel ex *nucibus, ficubus, ruta* & *allio* composita, vitalem flammam suscitans *Theriaca rusticorũ cum rob juniperino* singulari usui esse potest, ut mox calefaciendum & calefactum stomachi fermentum ad sanguinem venæ portæ & venæ cavæ, spiritusque nervorum & vasorum lymphaticorum animales denuò se diffundat, & in Oceano sanguinis ad cor quasi gliscentem, & serpendo vires acquirentẽ coagulationem & concretionem sanguinis lethalem efficaciter impediat. Cujus gratia etiam necessarium, ut omnia *spirituosa remedia* probata quovis quadrihorio vel post 6. vel 8. horas, prout visum, offerantur,

offerantur, inter quæ ea, quæ ex *rad. scorzon. corticibus citri, conserv. acetosell.* & *granis cherm.* cum *syr. de cinnamom.* & *melissa* præparat. condita, & ex *C.C.* & *rad. scorzon. pimpinellæ, caryophillatæ* & *zedoariæ*, ac *cinnamom.* præparata decocta, quando præsertim in iisdem vitali virtute multa pollentia *semina aquilegiæ, galegæ, nasturtii, sinapi* infunduntur, insigniter conferre possunt. Sicut & loco *salium theriacalium vel viperinorum* Veterum celebratissimorum, *Confectiones viperinæ, aromatica & juniperina Quercetani*, item *salia chymica, volatilia C.C. sal. armoniac.* & alia tenuium partium, *vel salia fixa absinthii, carduib. cent. min. melissæ* &c. aciditatem coagulantem corrigentia valde proficua sunt, cum pulveribus cordialibus, *spec. cordial. temperat.* item *zedoaria cum flor. sulphuris & camphora.* Item *pulv. Pannon. pulv. Elect. de gemmis cal.* item *sanguis hirci cum mistura simpl.* atque nostro *balsamo vitæ* exhibita. Quamvis enim ista *calida* tenuium partium febrili sæpe accedenti calori incrementum addentia videantur, *conferunt tamen*, cùm fermentum resuscitant, sanguinem vigorant, quæque coagulant sanguinem, tollunt, spiritualscentiam fermenti ventriculi & sanguinis promovendo, & fuligines acidas, coagulationi faventes, eliminando, utpote per quas subsistentes coagulatæ, crassiores & chylosæ sanguinis portiones sæpius etiam gelidi & ignei *bubones pestilentiales* post aures, sub axillis, & circa inguina in glandulis, ut & interscapilio & aliis in locis vibices & maculæ, quatenus sequentem sanguinem in circulari suo cursu impediunt, & retentum coagulant ac colligunt, causantur, *quorum naturam, præservationem & curationem in præcedentibus exposuimus*, quod nempe non detinendæ, sed quantum possibile, *per diaphoretica* tenuissimarum partium ad exteriora expellendæ, & quidem imprimis post quartum diem cum *vitello ovi, vel allio, vel cepa assa, vel rob sambuci, & nitro, vel Empl. de fuligine*, aut *vesicatorio theriacali*, aut *cucurbitulis* evocandæ, ut sanguis reliquus in suo motu promoveatur, vitaque conservetur. *Hæc Mauritius Hofmannus.*]

[In Senatus Lipsiensis, vermehrter und verbesserter Ordnung sequentia habentur. Ad corrigendum aërem in ædibus & conclavibus.

♃. bacc. junip. ℔ j.
sulphuris opt. ℔ ß.
salis petræ ℔ ½.

Singula seorsim contundantur, postea misceantur, quo manè, meridie & vesperi, vel quando placet, suffitus fiat. Qui meliora desiderat, parare potest *suffitum ex thure, mastiche, styrace &c.* Ein Stücklein brennender Londen kan auch in der Kammer deß Nachts/ jedoch mit guter Vorsicht gehalten werden. *Præservationis* gratia semel vel bis *pillulæ pestilentiales Ruffi* hebdomatatim manè à ʒ ß. ad ℈ ij. usurpentur, vel *Elix. prop.* cum *Rhab.* 40. gutt. ad 60. in *vino absinth.* aut *pilulas Francof.* qui his assueti semel vel bis capiant. Reliquis diebus alterna-

t in *Elix. præpar.* per se, *vel cum tertia parte Tincturæ bezoard.* mist. 25. gt. ad 40. in vino absinth. sumantur manè, vel in brodio carnis.

℞. Elix. prop. P.
Tincturæ bezoard. D. Mich. an. ʒiij.
M. S. Præservativ-Elixir.

Purgantia calidiora caveantur; *Jejunus* in publicum nemo exeat, sed *vel* jusculum capiat, *aut* panem butyro cum ruta vel absinthio illitum, & deinceps haustum vini absinth. *vel* ex carduobened. parati sumat. Mundato corpore *alexipharmaca* tutius usurpantur, ut *Theriaca, Elect. de ovo, Elect. camphoratum* Kegleri, ut & *Diascordium* quotidie semel vel bis magnitudine castaneæ per se, vel in vino, vel in aqua card. ben. aut scordii alternatim. *In publicum exituri* gingivam quodam ex Electuariis jam notatis, vel cum vino absinth. vel aceto præservativo leniter prius fricent. Confert etiam singulis septimanis bis, sumtâ *Theriacâ* vel *Electuario camphorato* per se, vel in vino, aut in aceto rutaceo, scordiaceo, vel theriacali dissoluto, sudorem lenem provocare, & indusio bene prius perfumato se munire.

℞. conserv. acetos. ℥iij.
flor. citr.
tunicar.
Diascord Fracastor. an. ʒvj.
Elect. camphorat. Kegler.
Rad. scorzoner. condit. an. ℥ß.
zinzib. in Ind. condit. ʒiij.
syr. è tot. citr. q. s.
M. F. l. a Electuar. med. consist.
S. Præservativ-Latwerg vor Herrn/ Frau und Kinder / quotidie bis, manè & vesperi cubitum iturus, quantum cultri cuspis bis vel ter capit, pro ratione tamen ætatis & aliarum circumstantiarum capiat.

℞. spec. pro trochisc. sublingual. August. liberant. an. ʒij.
Extr. Angelic. ʒß.
zedoar. ℈j.
Sacch. in ∇. scorzoner. dissol. q. s. F. l. a. confect. in Rot.
S. Præservativ-Küchlein vor Herrn und Frau. Una vel duæ sæpius, nullâ habitâ ratione temporis, sub lingua detineantur, donec dissolvantur.

℞. Tinct. corall. cum spir. cord. cervi. ℥ß.
S. Hertzstärckende Corallen-Tinctur. bis in septimana gt. 25. usque ad 30. in haustu vini vesperi iturus cubitum sumat.

Pulvis Montagnanæ, de quo ipse scribit, quod nunquam viderit aliquem mori, qui illo usus fuerit.

[℞. sem.

[℞. sem. citri.
acetos. an. ʒij.
rad. dictam. albi.
gentiam.
tormentill. an. ʒijß.
boli Armen.
cinamom. elect. an. ʒj.
margar. præparat.
sapph. præpar.
oss. de C.C. an. ʒj.
santal. omnium.
sem. ocymi an. ʒiß. M. F. P.] Dosis ℈j. ad ij. manè in brodio carnis vel gallin. vesp. in cochl. vin. & quidem hebdomadatim bis, vel prout consultum videtur.

Aceta, ut *rutaceum*, *è toto citr. fl. sambuci, fl. tunic. rubi idæi*, *antipestilentiale* officinar. domi servari, & alternatim internè & externè usurpari possunt. *Externè* tempora, frons, nasus & pulsus iisdem illiniri possunt: internè nonnunquam cochlear. j. vel ß. pro ratione circumstantiarum spongiolæ & iisdem impraegnatæ globulis vel sphærulis tornatis inclusæ ad odorandum adhiberi possunt.

℞. conserv. acetos. ℥iij.
rosar. ℥iß.
Theriac. diatessar. ʒj.
Andromach. ʒß.
rad. angelic.
tormentill. ♁sat. an. ʒij.
cum syr. acetos. F. Electuar. mediocr. consist.
Præservativ- **Latwerg vors Gesinde.** Dos. 1. vel 2. **Messerspitz/** manè, vesperi, & quoties opus.

Si quis *Balsamum*, quem secum portet, desideret,
℞. ol. scorpion. magn. Matthiol. ℈j.
angelic.
rutæ. an. gtt. xv.
citr. ℈ß.
camphor. gt. vij.
corp. pro Bals. q. s. F. l. a. Balsam. S. **Präservativ-Balsam.**

Vinum

Vinum absinthides pro Familia.

℞. fol. & summit. absinth. ℔ j.
herb. carduib.
fol. & summit. rut.
scordii an. ℔ ß.
rad. angelic.
pimpinell. an. ℥ iij.
flaved. citr. recent. ʒ vj.
concisa. g. m. S.
Species pro vino Absinth. Præservativ.]



CAPUT



PARTIS SECUNDÆ
CAPUT I
DE
NUTRITIONE LÆSA.

SAnguis ex sinistro cordis Ventriculo ebulliens distribuitur ad omnes partes, ut corpus nutriatur. Hæc nutritio tribus læditur modis. I. Quando *abundat* idque vel *universè*, in toto corpore, secundum carnem musculosam & huic annexam pinguedinem, *in corpulentia nimia*: Vel *particulatim*, secundum partium nonnullarum & viscerum parenchymata; Qua ratione observatæ fuerunt stupendæ magnitudines hepatis, item renum &c. Sicut de magnis lienibus jam suo tempore locutus est *Helmont*.

II. Quando *deficit* in *Atrophia* & *Tabe*.

III. Quando *depravatur* in *Cachexia*, *Anasarca*, *Ictero* &c.

Quoad nutritionem auctam, *ad Corpulentiam nimiam* nil attinet dicere, cùm rarò hæc ipsa in praxi se offerat. Vid. *Sylvius*. Potius igitur consideremus

ATROPHIAM

QUæ est deficiens Nutritio, quando corpus non nutritur amplius, sed plus minus hæc ipsa deficit. Deficere solet nutritio ratione carnis musculosæ & pinguedinis, non item ratione cartilaginum, ossium, parenchymatum, membranarum ac fibrosarum partium. Hæc enim non absumuntur, utut subinde simul plus minus exsiccentur & arescant; adeoque habitus carnosi & pinguioris absumtio in genere *Atrophiam* constituit, das Abnehmen. Et quidem quando pinguedo solùm deficit, vocari solet *Macies*, die Magerkeit: quando vero caro simul absumitur, nec restituitur, vocatur *Tabes*, die Schwindsucht.

Atrophia hæc nunc est *particularis*, nunc *universalis*, quæ ultima frequentior est, quando totum corpus non nutritur: Illa verò *particularis* est rarior, quando unum vel alterum tabescit membrum & vocatur *Aridura*.

Atrophiæ universalis causa est vel in *efficiente*, vel in *objecto*. *Efficiens* sunt Spiritus animales influi, qui cum Spiritu insito confermentati nutritionem efficiunt, unde deficientes atrophiam inferunt. *Objectum* seu id, quod nutrit sunt alimenta, quorum vel defectus vel vitium nutritionem deficientem reddit. *Quoad Spiritus animalis defectus*, sunt, quando vel non generantur in abun-

abundantia, vel geniti absumuntur, in motionibus corporis aut animi. *Non generantur* ex variis sanguinis vitiis, quæ ex vitiis cerebri, aut intextura, seu ut aliàs vocant, temperatura aut conformatione læsa scaturiunt. *Absumuntur* in iis, qui fortius aut crebrius laborant; hinc raro grassi aut obesi rustici; item qui crebrius Veneri indulgent, unde ex parte tabes dorsalis; item qui indulgent intentioribus meditationibus, hinc literati frequentius macilenti, non secus ac qui mœrore aut tristitia diuturna sunt affecti, ut quando Virgo ob amasii discessum tabe perit, ex *Obs. Panaroli Pentecost. 6. Obs.* 18.

Quoad nutrimenti vitium deficit Nutritio

I. *Quando non generatur alimentum* in stomacho. v. g. in inedia voluntaria, aut etiam quando alimenta parùm nutrientia aut vitiosa assumuntur.

II. *Quando chylus genitus non distribuitur* usque ad vasa sanguiflua, idque vel *vitio lactearum* in intestina hiantium obstructarum. v. g. in passione cœliaca: vel *vitio glandularum* mesenterij obstructarum, hinc tumefactarum adeoq; plus minus strumosarum, cujus exempla non sunt pauca. Vid. *Hildan. Cent.* 1. *obs.* 7. *Horst. l.* 2. *obs.* 5. Facit huc, quod refert *Bontius de Medicina Indor. cap.* 12. quòd nempe Atrophia Indis quoque Epidemica sit, idque ex Mesenterij vitio nempe abscessibus. Infantibus præsertim atrophia ex hac causa est frequens, nempe vitio mesenterii, de quo vide *Barbette in Anat. Pract. part.* 1. *c.* 14. *it. in praxi part.* 3. *cap.* 2.

III. Deficit nutrimentum, *quando chylus* sanguini permistus & plus minus assimilatus *nimis cum* eo *evacuatur*; quo pertinent nimiæ sanguinis effusiones. Facit huc motus, qui etiam nutritivum rorem exhaurit, per glandulas intercutaneas, sudoris specie; item æstus nimius, quòd liquefaciendo succum nutritium hunc successive depravat: Item fluxus alvi nimis copiosi, quale exemplum refert *Borellus Cent.* 2. *obs.* 64. ac quilibet fluxus colliquativi. Fluor albus uterinus mulierum diuturnior item Atrophiam ac Tabem comitem secum trahit. Ulcera carnosa & fistulosa in artubus, v. g. in genu, atrophiam inferunt, abscissione partis curandam. Vid. *Horst. l.* 9. *obs.* 20. Denique nimia Venus, quæ c. Spiritibus mediante genitura & nutritivum rorem exhaurit. Pertinet huc affectus novorum maritorum TABES DORSALIS dictus seu *Hectica maritorum*, quando nempe hi nimis attenti ad rem talem dorsi Atrophiam incurrunt. *Duplex* Hippocrati ejus *species* est, vel *à destillatione* in spinam, vel *à genitura* aut huic analogi liquaminis copiosiore excretione; unde & Gonorrhæam quamvis fere insequi solet. Utrisque in casibus ægri in dorso successivè extenuantur, spina prominet, sensus vermiculationis c. titillatione subitò per medium dorsum decurrente percipitur. Exempla *vid. ap. Solenandr. Cons.* 5. *ap. Tulp. lib.* 3. *obs.* 34. *Zacut. Lusit. lib.* 1. *prax. admir. observ.* 122. Sed in specie de hac

de hac *Lumbagine* ac tabe dorſal. *vid. Sennert. Prax. lib. 2. part. 2. cap. 15. & hinc Willis. Phar. rat. part. 2. p. 82.*

II. *Altera ex nutrimento* oritur, quando hoc vitioſum eſt, quando v. g. hoc nimis acre, aut aſperum & ſalſum, alioque vitiô peregrinô inquinatum hinc ineptum eſt, ut nutriat corpus, idque fit vel propter vitioſam nutrimenti *in ſtomacho digeſtionem*, vel propter vitioſam nutrimenti geniti in *MS.* antea plus minus vitiatâ *corruptionem*. Conſpirant hæ duæ cauſæ ſed rarò, ita ut per circulum quendam ſe mutuo intendant, v. g. animi affectus, iracundia, triſtitia, potus frigidus poſt nimiam incaleſcentiam, eſus poſt iram &c. nam ſanguinem turbant, & digeſtionem primam vitiant; *Ventriculum* quod attinet, in hoc ſæpiſſimè hæret cauſa atrophiæ ac tabis, præſertim ſucceſſivè interno ex fomite ſupervenientis, quando ſcil. alimentum corrumpit, iſtudque in chylum vitioſè ſalſum, acido ſalſum aut aſperum, aut plus minus viſcidum, aut ſeroſum immutat, quæ vitia ſucceſſivè, aut ipſa vitioſa aſſumta, v. g. in picâ, ſequuntur, aut etiam vitio lymphæ ſalivalis ventriculi digeſtionem turbantis oboritur tabes, ut & ipſius fermenti, vel etiam ſuccorum in primis viis tabe ſucceſſivè contracta, & tunc vix amplius emendabili ſupervenit, quatenus ea quæ materialiter ad conſtitutionem fluidorum horum concurrunt, imprimis Spiritus, ſanguis & lympha, in craſi ſua vitiata exiſtunt. Non rara ſunt Exempla talis tabis ex ſtomacho natæ. *Vid. Solenand. Conſ. 8. ſect. 1. it. Conſ. 15. ſect. 2. Poterius hinc inde in ſuis centuriis*, & imprimis quotidiana experientia hoc confirmat. Secundo *Vitio Sanguinis*, ubi neceſſariô etiam vitiatur diſtributus chylus, oritur Atrophia, quando ſanguis quocunque modo in ſua craſi vitiatur, adeoque nutritioni ineptus, & hinc poſt febres tam continuas quàm intermittentes malè curatas ſuperveniunt lentæ & Hecticæ tabem inferentes, partim ex acrimonia acido ſalſa, partim junctâ viſciditate contentorum corporis. Unde Scorbutici ſæpe laborant tabe & atrophia ex acrimonia ſalis ſcorbutici, nutrimentum corporis inquinantis, id quod etiam in malo hypochondriaco familiare eſt, ut hi ipſi ſi malum progreſſum fuerit, in atrophiam incidant. Pariter & menſes retenti, ut & lochia ſuppreſſa, vel hæmorrhoides retentæ, aut imprudenter ſanatæ atrophiam ſubinde inducunt. Conf. etiam *Bartholin. Cent. 2. hiſt. 35.* & quæ ſunt aliæ cauſæ plures, ſanguinem diverſimodè inquinantes. Pertinet huc imprimis quando maſſa ſanguinea ad diſcraſiam degenerat, vitio partis cujusdam ſolidæ nobilioris, propter ſui malam conſtitutionem, in functione ſolitâ deficientis, aut etiam abſceſſu aut ulcere affectæ. Tali in caſu non ſolum ipſum pus ſed & viſcus ulceratum non amplius ſufficiens debitæ functioni circa ſanguinis conſervationem, malum eo deterius reddit. Et talis ex viſceris cujusdam vitio quovis inſigniori, ac ſpeciatim exulceratione nata tabes ſingulari nomine vocari ſolet.

 PHTHI-

PHTHISIS.

Est equidem *Phthisis* vocabulum per se generale & propriè significat quamvis corporum consumtionem à quacunq; causa natam. Cæterum strictius & ferè usitatius Phthisis dicitur omnis ista contabescentia, quæ sequitur corruptelam ac speciatim ulcerationem alicujus visceris nobilioris. Ita si quis contabescat ob purulentum hepar, purulentos renes, corruptos pulmones &c. Phthisi laborare dicitur. Hinc & ex abscessu mesenterij phthisin observavit *Horstius libr. 2. obs. 5.*

Jam quoniam pulmo præ omnibus partibus internis maximè expositus est injuriis externis, à quibus insigniter lædi potest & solet, ipse etiam talem sortitus sit texturam, ut facillimè ex sanguine suscipere queat varia recrementa, à quibus facillimè alterabilis existit, ob id etiam omnibus ex partibus pulmo frequentissimè vitiatur & exulceratur, propterea καθ᾽ ἐξοχὴν subinde phthisici ij dicuntur, qui ulcere pulmonum laborant, cum phthisi tali ex cujusvis partis abscessu vel ulcere nata. In omni hac phthisi semper simul conjungitur febris *hectica*, in quac. parte sit ulcus, qualis sæpe conjungitur etiam ulceribus partium externarum insignioribus. Quodsi viscus quoddam nobile suppuratum est, sequitur sordidum ulcus, quod magis magisque inquinando sanguinem, tabem admodum exasperat.

Phthisis pulmonalis à *vomicâ pulmonum*, cum qua sæpius confunditur, in eo differt, quantum à se invicem differunt abscessus & ulcus sordidum. Nam in vomica pulmonum seu eorum abscessu est pus purum, album, leve & æquale, quod ipsum interdum suis membranis inclusum citra excretionem in pulmonibus hæret: Verum ubi pus tale non expurgatur, degenerat variè à propria natura in varias sordes ac sanies, & tunc supervenit ulcus sordidum, quod *confirmatam* dat *Phthisin.*

Probè autem hîc observandum, quod inter Phthises, uti frequentior est pulmonalis, ita inter causas phthiseos pulmonalis, frequentior esse solet ejusdem *exulceratio*. Ast præter hanc & aliæ causæ viscus pulmonum vitiantes phthisin inducere valent; adeoq; non solum exulcerationem pulmonum, sed etiam quamvis eorum labem insigniorem, ob usum eorum, sanguinis eucrasiam & constitutionem vitalem summè necessariam, ad phthisin disponere certum est. Ut adeò rectè *phthisis pulmonalis definiatur* in genere: *Contabescentia corporis ex vitio pulmonum nata*, non ex sola exulceratione, ut communiter fieri solet. Sic & pulmonum corrugatio (de qua supra) tabem potest inferre, non secus ac si aliquid peregrini in asperam arteriam assumtum, hanc irritando ad tussim continuam, successivè constitutionem & hinc functionem pulmonum ita lædere potest, ut tabes superveniat. Sic ex nucleo avellanæ in pulmonem illapso tussis conti-

continua cum emaciatione totius & imminente phthisi vid. ap. *Bartholin. Centur. 2. p. 27.* Pariter ex nucleô pomi in asperam arteriam illapso phthisis perfecta lethalis *vid. in Miscell. N. C. ann. 4. pag. 26.* Plura huc facientia *vid. M. N. C. Ann. 2 pag. 58. Ann. 3. p. 181. It. Marcus Aurelius Severinus de abscess. p. 269.* Sicut è contra pulmones exulcerati sine phthisi observati fuerunt *vid. Kerkring. Spicileg. anat. obs. 72. It. M. A. N. C. Ann. 1. p. 223. Bart. Cent. 2. hist. 14.*

Frequentiores autem phthiseos pulmonalis, nempe *exulcerationis Causæ remotæ* sunt variæ, nempe vel *internæ*, vel *externæ*. *Internas* inter frequentissima est nimia sanguinis & lymphæ acrimonia & salsedo muriatica; Nam omnis phthisis pulmonalis, quæ à Catarrho vulgò oriri dicitur, seu destillatione vel defluxione ex capite, à nullo alio est, nisi à sanguinis & lymphæ acrimoniâ varia, præsertim acido salsa, cujus fundamentum ac origo prima in digestione ventriculi vitiatâ posita est. Inter *causas remotas externas* fortuita plura ulcerationem inducunt pulmonum, v. g. vulnus penetrans thoracem, hinc in ulcus degenerans, casus ab alto indeque sanguis in quodam thoracis locô grumosus, sanguinis sputum utplurimum, si non semper, phthisin pedissequam habet. Pleuritides & Peripneumoniæ non ritè judicatæ, ordinariò phthisin post se relinquunt. Variolæ frequentes phthiseos autores. Halitus acidi & corrosivi mineralium in iis, qui v. g. operationibus Chymicis, vel metallicis operam navant, non rarò tabem ac phthisin inferunt. Unde & aquæ fortis odor adeò virulentus ab *Helmontio* dicitur, ut crebriori inspiratu susceptus phthisin pulmonalem inferat. Unde gypsum & calcem præparantes plerumque phthisi moriuntur, observante *Zacuto*.

Pertinent huc Acidulæ & omnia Vitriolata in iis, qui debilioris sunt pulmonis. Potus vini acidi ad phthisin disponit. Hinc enim *Hœfer. in Hercul. Medic. p. 112. edit. in 12.* teste, in Austria fere *phthisis endemica*, propter abusum vini. Fumus Nicotianæ copiosius haustus, ad phthisin pulmonalem disponit; potus frigidus post incalescentiam corporis pariter eandem infert *vid. Miscell. N. C. Ann. 6. p. 309.* Hæreditarium malum est phthisis pulmonalis, quod à Parentibus per traducem seminalem in Fœtum transplantatur. Contagiosum quoque est malum exulceratio pulmonum phthisica confirmata, dum per fermentum ulceris corruptivum aut per halitum exspiratum, aut per saniem expectoratam, pulmonem sanum in alio similiter inficit; unde & sæpius conjuges se mutuo inficiunt *vid. River. Cent. 4. obs. 92. It. Schenck. in observat.* qui refert adeò contagiosa esse phthisicorum confirmatorum sputa, ut Medicus subinde olfaciens eadem factus sit inde phthisicus. Idem ex *Fracastor:* refert, phthisicorum vestes post biennium etiam contagium propagasse. Ac sane non mirabile hoc videri potest, si verum est quod refert *Panarolus Pentecost. 2. obs. 49.* expe-

ctoratum sputum ex confirmato ulcere pulmonum excretum adeò virulentum & malignum esse, ut muscas illud gustantes instar arsenici interimat.

Atrophiæ & Tabis jam factæ *Cognitio* est per se clara. Hujus historiam graphicè describit *Sylvius. l.* 1. *prax. c.* 37. Quoad causarum varietatem ea Atrophia, quæ Spirituum animalium vitio contingit: Item quæ ex defectu alimenti est, ex causarum antecedentium examine, & adjunctorum symptomatum syndrome facilè patet. v. g. ista tabes, quæ vitio glandularum Mesenterij contingit, abdomen inflatum, cum dolore in ejus profundo obtuso, inprimis tensivo habere solet, excreta liquida & chylosa excernuntur, ac sensim corpus emaciatur. Sed ea tabes, quæ ex vitio interno oritur, imprimis præcognoscenda venit, circa quam ad 3. causarum fontes imprimis respiciendum erit. 1. An tabes sit ex vitio stomachi? 2. An ex vitio sanguinis? 3. An ex corruptelâ ulcerosâ cujusdam partis, in specie pulmonum?

Cognoscuntur hæc ipsa ex antecedentibus imprimis, atq; etiam concomitantibus symptomatibus. Sic appetitus aut coctionis præcedentis læsiones circa stomachum negotium suspectum reddunt. Alia quæ immediatè sanguinem afficiunt, hujus læsionis suspicionem præbent. v. g. quando ulcus in quodam loco sanatum comitatur phthisis pulmonalis: Sic ex ulcere pedis sanato phthisin lethalem observat *Thyermeyer Consf. l.* 2. *p.* 85. Nempe à fermento ulceris unà cum sanie acri per istud evacuari solita retentis, cum sanguine hinc inde circum raptis & in pulmonem depositis, malum ortum traxit. Facit huc ipse habitus ægrorum plus minus ad phthisin & atrophiam dispositorum; nempe quotidianâ constat experientiâ seu observatione succulentos aut obesos minus evadere phthisicos, benè autem macilentos, aut naturâ plus minus attenuatos. Horum nempe sanguis minus temperatus, minus dulcis, minus oleosus existit, adeoque minus nutrit: E contra acrior, asperior, salsior esse solet, facileque incalescens, unde tales minus bene nutriri observantur. Frequentissima phthisis est pulmonalis, circa quam inquirendum, an à causa externa v. g. inspiratis, an ab internâ oriatur: Et si ab hâc, an affectus secundarius sit an verò primarius? Si enim affectûs secundarius, i. e. si pleuritidem aut sputum sanguinis sequatur, affectus antecedentis ratio imprimis habenda est. Si verô est affectus primarius, tunc ista est phthisis pulmonalis, quæ ab ulceratione ejus ex defluxu catarrhali, ut vocant, oritur. Hujus malè sic dictæ phthiseos catarrhalis radix seu ortus est in ventriculo malè digerente, progressus in sanguine aut lympha exinde acidô salsis factis in pulmonibus, uno alterove ejus lobo, ejusque vesiculis & cellulis plus minus erosis. Unde in loco eroso ulcus supervenit sive suboritur, cujus fermentum nutrimenti proximi corruptivum existit, unde sordiũ, saniei & puris generatio, ac mediante tussi successiva excretio, donec

vel ab istis sordibus suffocentur ægri, vel erosis & absumtis maximam partem pulmonibus sanguis debitâ in crasi deficiens, nunc mediante diarrhæâ colliquativa, nunc mediantibus tumoribus pedum œdematosis mortem inferat.

Hinc ut maturè præcognoscatur hujusmodi Phthisis catarrho à capite defluenti falsò adscripta, ejusdem historia bene notanda. Nempe ægri nunc cum, nunc sine manifesta causa de virium labefactatione conqueri incipiunt, cum appetitu plus minus dejecto, aut saltem carnes abhorrente, sentiunt flaccescentiam substantiæ carnosæ in artubus, percipiunt subinde aliqualem ad tussim stimulum, tussiunt sed inaniter, saporem in ore percipiunt salsum, præsertim matutino tempore, dum è lecto se levant; malô magis progresso, de sapore putrido cinereô, wie faul Holtz oder Asche/ conqueri solent

De sapore item piscium & carnium putridarum matutino tempore in ore conqueruntur, tussis successivè intenditur, idque præsertim vespertino tempore, aut saltem post lecti introitum; supervenit febricula lenta ipsis ægris ferè insensilis, saltem ab omni pastu præter gravationis sensum circa præcordia levem quendam calorem percipiunt; interim tamen quocunque tempore tentetur pulsus, semper celer, frequens, plus minus parvus observari solet: Interea tussis, in specie vespertina exasperatur, respiratio nonnihil fit difficilis, incipiunt expuere alba nonnihil viscida. Procedente malo exasperatur hectica, dum non tantùm calor post pastum augmentatur, sed etiam sudores nocturni incipiunt fluere, tussis augetur indies, evacuatur copiosa materia albida, viscida, quæ successive flavescere, interdum livescere, tandem nonnihil fœtere, denique purulenta fere evadere solet; quatit continuò pectus hæc tussis, præsertim vesperi & manè, vesperi minus, manè plus materiæ corruptæ ejicitur: Hinc hectica, sudores nocturni, difficilis respiratio, corporisq; contabescentia magis magisque intenduntur, unà cum virium omnium successiva labefactatione, sudores nocturni intenduntur, ita ut simul atque oculos claudant ægri, sudore diffluant, capilli defluunt, sed viribus exhaustis, cessante tussi, aut deficiente ejus expectoratione materiæ, ægri suffocantur, aut superveniente diarrhæa colliquativa, ad quam maximè proni sunt phthisici, aut etiam tumoribus pedum œdematosis ægri intereunt. Non rarum est surculos aut ramulos venarum & arteriarum erosarum expectoratione fuisse rejectos, qualia exempla præter *Bartholin. in Hist. vid. in Tulp. obs. l. 2. c. 12.*

Observandum autem hic ulterius, quod tussis phthisicorum non statim sit pulmonalis, sed fere in principiô sit stomachalis, cui tandem acrioris lymphæ occasione per glandulas asperæ arteriæ, aut pulmonum excretæ tussis pulmonalis supervenerit. Deinde non in qualibet phthisi, aut pulmonum exulceratione tussis adesse solet, quando interdum citra insigniorem tussim insignis pulmonum erosio, aut exulceratio observata fuit. *Vid. Kerkring. in spicileg. obs. 72.*

Sic

Sic quoque puris sputum seu expectoratio, etiamsi cum tussi fiat, non semper ex pulmonibus fit. Ita *Schneiderus l. 4. de Catarrhis p.* 103. Phthisicum habuit, qui copiosum pus & sanguinem rejiciebat, aperto corpore pulmo sanus, hepar exulceratum inventum. Sic puris sputum menstruum sine phthisi *vid. in M. A. N. C. Ann.* 1. *p* 233. *it. Barthol. Cent.* 4. *hist.* 17. Plura qui de Tabis & Phthiseos natura desiderat, adeat in specie *Willisium Pharm. Rat. part.* 2. *sect.* 1 *c.* 5. *&* 6. *it. Sylv. l.* 4. *Prax. & Tr. de Phthisi*; *deniq; Benedictum in Theatro Tabidorum.*

Quoad *Prognosin*, tres isti gradus *Phthiseos*, nempe *imminentis*, *incipientis & confirmatæ*, quos Willis insinuat *citato loco*, *p.* 106. probè observandi sunt. Primus enim facilè, secundus difficilius, tertius planè non curatur. Et quidem in gradu secundo vulnerariis ac laudabili diæta, ut interdum curari, ita ulterior progressus interdum per plures annos retardari potest. Sed necesse est cautissimè & rigorosè ægri observent omnia, aliàs impossibile est, ipsis succurrere. Quò melior & sanior stomachi est constitutio, eò uberior sanitatis spes superest. Qui ex pulmonum ulcere vult evadere, sex *Hippocratis* signa habere debet, quæ recenset *Sennertus libr.* 2. *prax. ubi de phthisi, p.* 207. §. 5. eaq; prolixius explicat *Sylvius* unà cum aliis *Tr. de Phthisi.* §. 87. *& seqq.*

Cura Atrophiæ & Tabis eò est dirigenda, ut *primò causa removeatur.* Hæc causæ remotio variat equidem pro earum varietate supra recensitâ; sed in tabe, quæ frequentius curæ subjicitur, aut stomachus curandus, aut acrimonia sanguinis ac lymphæ acido salsa temperanda, aut deniq; exulceratio visceris plus minus perfecta sananda, aliave è contra corruptela corrigenda.

2. *Symptomata graviora* interdum, præsertim in Phthisi, mitiganda, qualia sunt tussis ferina, præsertim nocturna, exscreatio difficilis, inde respirationis difficultas, item Sudor nocturnus vel Diarrhæa.

3. *Alimenta copiosi succi*, quæ stomachus appetit, & chylum dulcem alcali probè divitem suggerunt, succosque corporis temperatos reddunt, usurpanda.

Ratione stomachi convenit vomitus, hinc acida blanda conducunt, ut Spiritus Salis dulcis, liquor terræ fol. Tart. Elix. Prop. sine acido. lap. 69. cum acet. &c.

Ratione acrimoniæ sanguinis & lymphæ Sulphur, succinum, myrrha, ♁ diaph. antihectic. Poter. papaverina & opiata, tragacanth. amygd. passulæ &c. Ex his & similibus parati pulv. pectorales, species &c. His socientur ligna, in specie sassafras & rad. chinæ: Hinc Quajac. & ex his lignis parata decocta, quæ resinosam Sulphuream substantiam elicitam obtinent, unde temperant acre, resolvunt hinc inde hærentes sordes, & in progressu Phthiseos in specie, ubi jam discrasia sanguinis processerit longius, aut pulmones jam affecti sunt, conferunt, quibus optimè socientur passulæ. Præscribendi modus & usus *vid. in*

Lotichii Obs. qui *pag.* 23. ita ait: Ad materiam Pulmonibus jam impactam di- “
gerendam, attenuandam & per sudores successivè evacuandam, nihil utilius “
facile excogitari poterit Decocto ligni Guajac. quo tanquam hujusce affectus “
bezoardico alii insignes Medici tam olim quam hodieque, imò ipse ego, singu- “
lari cum successu, usi sumus. Non pigebit autem modum ac descriptionem “
haud incelebris Medici *D. Balth. Brunneri è Consiliis* ipsius *Medicinalibus* huc “
ascribere, qua ille, tanquam raro, sicut dixi bezoardico, contra catarrhos de- “
fluxionesque ad pulmones & ventriculum, uti solet: “

℞. Lign. Guajacin. el. ℥viij. cort. lign. ℥ij. passul. ℥j. lign. aloes pulv. ʒij. “
infund in lib. xv. aq. ferventiss. in ollam vitreatam & ponantur intra ci- “
neres calidos per xxiiij. horas. Postea benè clausa coquantur. Ante “
quam verò ad medietatem coctio facta est, injiciantur lign. Sassafr. ℥ij. “
Sem. anis. ʒij. cinam. el. ℈iiij. Santal. citr. ʒj. coq. probè tecta sine favil- “
lis & fumo, donec ad medietatem pervenerint, postea per se refrigerata “
colatura cautè defundatur. Hujus exhibeantur ℥vj. Fecibus decocti “
affunde aq. comm. ℔. xx. coq. ad tertias, sub finem coctionis addendo “
cinamomi ʒij. Refrigerata per se colentur & F. Potus communis. “
Quo deficiente “

℞. Lign. Guajac. probè limat. ℥iiij. lign aloes ʒij. passul. ʒvj. coq. in libr. “
xx. aq. ad tertias, sub finem, ut per quadrantem horæ unà coquantur “
addendo lign. sassafr. ʒvj. sem. anis. ʒiij. cinam. el. ʒj. ubi sua sponte re- “
frixerint, colentur. Porrò *pag.* 55. hanc habet formulam. ℞. Limatu- “
tur. lign. Guajac. el. ℥iij. sars. parill. ℥ij. rad. chin. opt. ℥ß. rad farfar. “
liquirit. pulmonar. an. ʒij. passul. enucl. ℥j. sem. anis. ʒiij. infund per “
noct. in aq. fontanæ (vel cœlestis) mens. iiij coq. manè ad casum medieta- “
tis. Colaturæ adde Sacch. & cinam q. s. ad gratiam gustus pro decocto. “

Ratione visceris læsi imprimis vulneraria simplicia, in specie veronica, scabiosa, hedera terr. chære fol. &c. conferunt. it. Sulphura quæcunque, in specie ♁ialia, substantiam puris ejusque proventum corrigentia. it. Bals. sulph. Peruvianus. Terebinth. &c. Quæ in synopsi concentrata paulo uberius explicanda veniunt:

Quoad g. primam intentionem seu indicationem observandum, quod *vomitoria* in Atrophia, item in Phthisi incipiente sint optima, ubi scil. malum est ex vitio stomachi & acrimonia M. S. Hoc inculcat *Lindanus*, cui consentit *Hartmannus in Prax. Chymiat. p.* 99. & 185. Quin & in ulcere pulmonum confirmato, ubi urget difficilis respiratio, aut est difficilis materiæ excretio, si vires adhuc constent, vomitorium similiter tum optimè convenit, hac observatâ cautelâ, ne metus adsit sputi sanguinis, nam potenter & copiosè saniosos ex pulmonibus evacuat vomitus. Post vomitum cavete à *purgantibus*. Nam, licet à leni purgatione, liberaliter evacuantur, præsertim ad Phthisin dispositi; experientia

tamen teſtatur, quod tales ægri poſt purgationem veſperi crebrius & pejus tuſſiant, imò vel lene purgans tabidos maximè & copioſiſſimè evacuare ſolet cum inſigni virium noxa. In totum ergô non ſunt purgandi, uti etiam *nec vena aperienda*, niſi quædam ſang. evacuatio ſuppreſſa in cauſa ſit, ubi V. S. conceditur *Vid. Miſcell. A. N. C. Dec. 2. An.* 2. ubi ex recenſione *D. Valentini* Mulier phthiſi incipiente laborans V. S. reſtituta. Sed poſt vomitum reliqua cuta conſiſtit in mitigatione acrimoniæ ſalinæ; Quam enim noxia ſit purgatio uti etiam V. S. in Phthiſi *vid. in Borello Cent.* 4. *obſ.* 15. Vulgò etiam ſolent inurere *fonticulos* Phthiſicis, ſeducti à Catarrho, quem ex capite in aſperam arteriam depluere exiſtimant, ſed nil proſunt, modò non noceant. Temperata acida ceu experta commendat *Barbette in ſua praxi p.* 107. & credo intelligere illum tabem ex ſtomacho, quæ tamen ſub moderata doſi blandiora etiam ſub curſu morbi haud adeò inconcinna ſunt. Talia blanda acida ſunt -^- ſal. dulcis, liquor terr. fol. Tart. Elix. Prop. Miſtura *Barbettiana* ex †to & lap. 69.

℞. Aq. Scabioſæ.
Card. bened. aa. ℥ij.
prophyl. ℥ß.
Syr. pap. errat.
laud. opiat. gr. 1. M. F. Mixtura cochleatim ſingulis horis capienda.

Item videtur huc facere *Conerdingii pulv. contra phthiſin*

℞. Sal. ✱ puri
nitr. depurat. an. ʒß.
liquirit.
ireos florent. an. ʒj. M. Doſ. manè & veſperi, quantum cuſpis cultelli capit.

Verùm in quac. tabe, in ſpecie illâ, quæ jam in ulcus pulmonum tranſiit, fugiantur Vitriolata, quæ nocent pulmonibus, cum Vitriolum ſit virulentum phthiſicis. Unde novi quosdam ad phthiſin diſpoſitos, propter Scorbutum vel malum hypochondriacum, viſitantes acidulas, qui vel ſub earum potu, vel paulò poſt Phthiſici facti fuerunt. Hanc ob rationem dulcia ſaccharata & mellita admodum nocent quibuſvis tabidis, fermentativa enim ſunt & putrefactiva, adeoque viſceri cuidam eroſo, ſpeciatim pulmonibus perquam inimica; præterea quoque inſigniter ſtomacho hoſtilia ſunt, ac imprimis quosvis corporis ſuccos viſcidiores ac activitate inertiores reddere ſolent: Unde etiam ſyruporum nonniſi moderatus uſus in Phthiſi tolerandus, niſi in quantum ad lubricandas fauces interdum, ſed cautè, ad ſcopum promovendæ expectorationis uſurpantur. De nocumentis mellis & Sacchari *vid. Garenzer de Tabe Anglic. D. Phil. Jacob. Schenfelder* pro phthiſicis ſequentes duas formulas celebres eſſe ſcribit *l.* 1. *curat.*

& hiſt.

& hiſt. p. 219. ℞. Farin. hordeac. ℥xv. Sacchari fini ℥v. lact. caprill. q. ſ. cum modico fermento fiat panis coctus: Scindatur in taleolas & rurſum ad formam biſcocti coquatur atq; pulveriſetur. ℞. 69. fluviatil. benè mundatorum No. 17. exſiccentur in furno, ut in pulverem redigi poſſint. ℞. Pulv. panis ℥vij. 69. exſiccatorum ℥iij. M. Ein köſtliches und bewehrtes Lungenpulver / davon einen guten Löffel voll alle Morgen in dünnen Gerſten-Schleim / oder kräfftigen Hamel-oder Fleiſchſuppen / mit ein wenig conſummato vermiſcht / zu nehmen. ℞. Radic. chin. elect. ʒiiß. radic. centaur. major. alth. tuſſilag. an. ʒß. Prius china inciſa coquatur benè in ℔. v. aq. Tandem addantur reliquæ radices & herbæ veron. ſcabioſ. pulmon. hedera ter. capill. ♀ ana p. ij. Flor. viol. purp. roſar. ex obſcurô rubrarum, tuſſilaginis, ſalv. an. p j. ſem. bombac. fœnic. eryſimi an. ʒj. poſt debitam cocturam colentur. ℞. Colatur ℥xv. add. ſyr. viol. è ſucc. ℥iij. ſcabioſ. veronic. farfar. an. ℥j. ſacch. cand. penid. mellis an. ℥ij. denuo ſimul coquantur & l. a. clarificentur, imponendo nodulum cum ſpec. diair. ſimpl. ʒiiß. flor. benz. ℈j. M S. Kräfftiger Lungen-und Bruſt-Julep / davon unter Tages / wie auch zu Nacht ein guter Löffel voll zu nehmen.

Quoad ſecundam indicationem conveniunt helenium, liquiritia, betonic. tuſſilag. amygd. Sed paſſulæ imprimis laudabiles, quæ omnium optimè temperant quamvis omnium humorum acrimoniam & benè nutriunt. Unde decoctum hordei cum paſſulis. it. decoctum paſſular. c. rad. helen. aut cichor. conveniunt. *Joel* in praxi dicit, quod paſſulæ pinguefaciant & *River. Cent. 4. obſ.* exempla habet pinguefactorum per uſum paſſularum. In ſpecie pulv. pectorales dicti, ex lap. 69. Sulphure, ♁ diaph. antihectic. *Poterii* ſunt egregii, v. g.

℞. rad. ireos flor. ʒiß.
lap. 69. præp. ʒj.
antihectic. Pot. ʒß.
croci ℈j. M. F. pulv. pro aliquot doſ. vel F. Rotulæ. It.

Pulv. *Cnöpheli* ex Sulphure & aliis parati, quorum compoſitiones & uſum vid. in cura Cnöphelianâ *in M. A. N. C. Ann. 6. append. p.* 81. Ubi hæc: Primò in “
morbo nondum confirmato & abſque excretione ſanguinolenta adhibuit Cl. “
Cnöphelius pilulas ſuas Balſamicas ex aloe, myrrha & croco, cum balſ. ſulph. “
aniſato ſeu Elixir. propr. helleborino efformatas. Doſis erat ʒß. ante ſo- “
mnum. Poſt per octiduum, & quidem ter in die, ſcil. manè â meridie & veſperi “
has rotulas ſulphuratas, quæ “

℞. Specier. diaireos, diatrag. frig. an. ʒij. ♁ ij fixi diaph. ʒvj. “
fl. ſulph. ℥ß. Sacch. albi. in aq. tuſſilag. q. ſ. diſſolut. ℥vj. “
ol. aniſ. gt. xij. F. Tabulæ ad ſcatulam mundam. “
Doſ. 6. 7. & 8. “

„ Vel ℞. ♁ ij fix diaphor. ʒiß. flor. sulph. ʒß.
„ specier. diatrag. fr. diaireos, succin. alb. præp. an. ʒj.
„ extr. helen ʒß. bals. sulph. anis. ℈ß.
„ sacch. in aq. fœnic. s. an. q. s. dissol. ℥iiij. F. l. a. Rotulæ.
„ Sequenti septimana loco rotularum præscripsit aliud, *quod vid. ibi & plura.* Pulveres tales vel sumuntur in decocto hederæ terrestris, vel in decocto lign. chin. vel sassafras &c. Sane sulphur ac alia sulphurea flores, Tinct. sulphuris, ♁ diaph. antihectic. Poter. mirè conveniunt, tam in Phthisi pulmonali incipiente, quàm in quacunque tabe ex acrimonia sanguinis enata; præsertim puris acrimoniam non tantùm corrigunt, sed & nimium ejus proventum coercent optimè. Unde & balsamus sulphuris tàm terebinthinatus, quàm anisatus egregii sunt in Phthisi excorruptione visceris cujusdam interni, aut exulceratione nata. Dos. gt. x. ad XII. in liquore appropriata, decocto nempe vulnerarriô, vel lignorum, aut ex his mistô decocto pectorali propinantur. Verum cùm ignea vis sit in hoc balsamô, ob id in iis, qui hecticâ manifestiori affliguntur, cautè aut plane non usurpetur, cum observatum fuerit, quosdam ex nimio bals. sulph. usu hecticam lethalem contraxisse. Hunc in finem cum tali bals. optimô consiliô junguntur alia, in specie sacch. ♄, quod singularem vim attemperandi & refrigerandi obtinet. Unde sacch. ♄i cum bals. sulph. à quibusdam bono cum consilio usurpantur; in specie a. species dia♄i *Mynsichti* conveniunt. Hinc & Tinct. antiphthisica dicta, ex sacch. ♄i & Vitriol. ♂is c. Spir. Vin. parata hoc in passu usitata est. ♁ diaph. & in specie antihect. *Poterii* per quam egregium est, cum hic ipse hoc antihectico conservæ rosac. misto, aliquoties Phthisin curaverit. *Vid. Cons.* 3. *cur.* 20. His omnibus *pro scopo temperandi* tussim, præsertim nocturnam sistendi, & hinc copiosum nimis puris proventum coercendi merito accensetur opium, cujus largas doses præ aliis ægris diu sine nocumentis ferre possunt Pthisici. *vid. M. A. N. C. annô* 4. *p.* 29. ac opii usu imprimis diu conservari possunt phthisici. Sic aliquando Phthisico dedi seq.

℞. Conserv. rosac.
heder. terrestris an. ℥j.
flor. sulph.
antihect. Poter. an. ʒj.
lap. 69. præp. ʒj.
laud. opiat. gr. xvj. c. s. q. Diacod. Mont. F. Elect.

Quod intra octiduum semper assumsit, capiendo bihoriô ante cœnam bonam dosin, cujus usu semper habent melius ægri, tussis remittit, melius dormiunt, mane facilius magisq; cocta exspuunt. Sanè hæc opiata quotidie it. essentia opii liquida successivè ultra tres menses continuata sunt, citrà sensilem noxam. Conveniunt

veniunt

veniunt autem præsertim in principio & incremento phthiseos: In statu verò quando difficilior est anhelitus, aut etiam quando multa viscida expectoranda sunt, tali in casu, ne sistatur excretio, cautè usurpentur, aut penitus intermittantur. Certè irritationis sensum sistendo, tussim, item humorum acrium in parte læsâ decubitum & hinc ulteriorem corruptelam & ulcerosum progressum sic inhibent. Hoc etiam commodi habent opiata in Phthisicis, ut vespertinô usu sudores nocturnos potenter cohibeant. Hinc aliquando Phthisico perfecto seu confirmato præscripsi:

℞. Antihect. Pot. ℈j.
Sacch. ♄i. ℈ß.
extr. croci. gr. iiij. l. v.
laud. opiat. g. ij l. iij.
c. s. q. bals. Peruv. F. Pilul. pro 2. dos. quarum unaquæque

duabus horis ante cœnam sumatur. Sub usu earum semper æger hilarior reddebatur, sudore nocturno ista nocte cessante.

Vel prô usu vespertino ℞. ▽. serpill. ℥ij.
Syr. de Veronic. ℥j.
laud. op. gr. iij. M. F. Potiunc.
S. Abendtränckleín auff 1. mal.

In specie conveniunt talia, quando Tussis vespertina aut nocturna plus minus sicca urget. It.

℞. ▽. Scabios. ℥ij
Syr. Scabios. l. betonic. ℥j
Diacod. Mont. ℥iij. M. D.
S. Abendtränckleín auff 1. mal.

Conf. hic ea, quæ supra circa tussim, de tussi sicca nocturnâ catarrhali &c. monita fuere.

Ad hæc ipsa remedia alterantia, crasin sanguinis & lymphæ corrigentia, in incipiente præsertim phthisi pulmonali, pertinent etiam decocta lignorum, qualia aliâs in morbis chronicis lymphæ vitio & inde natis malis, seu affectibus catarrhalibus in usu sunt, quibus eo magis felici successu utimur, si vulneraria, fermentum ulcerationis inchoatæ corruptivum corrigentia, simul addantur. Nam semper, quando practici dicunt, esse labem pulmonalem à destillationibus capitis catarrhalibus, subintelligitur vitium pulmonum, ex acrimonia lymphæ & sanguinis primariò dependens. Modus adhibendi hujusmodi lignorum decocta optimè docet *Arceus tr. de vuln. capit.* Unde etiam *Alphonsus Ferreus l. 2. de lign. Sanct.* decocto ejusmodi phthisicos tantùm non desperatos denuò sanitati fuisse restitutos, refert. Non secus ac *Erastus in Cons. Scholzii n. 88.*

„n. 88. dicit: Curavi phthisicos nonnullos planè desperatos & incipientes plu„rimos. Summa curationis hæc est: Exhibeo illis decoct. lign. Sancti per „2. vel 3. menses, prius purgato corpore, si ægroti sint cacochymici. In decocto „aliquando macerari jubeo saniculam, pedem leonis, sæpe pyrolam, quinque„folium & veronicam &c. quæ simul subinde usurpantur; Expectorantia sunt aut humida, aut sicca, ex speciebus diaireos simpl. flor. sulphuris sacchar. candi &c. *Vid. Riv. in prax. it. Cent.* 1. *obs.* 99. Ex his radix chinæ & lignum sassafras præ cæteris conveniunt, sed si ritè sibi volunt consulere tales ægri phthisici, alio potu non debent uti, quam ejusmod. decocto. Decoctum sassafras elegans *vid. in Poter. Cent.* 2. *c.* 99. Hisce accensentur etiam ligna santal. simili modô usurpata, præscribendi modus est seq. v. g.

℞. Rad. chin. in taleol. incis. ℥ij.
fl. papav. rhæad.
betonic.
Scabios. an. M ß.
passul. maj. enucl.
min. an. ℥j.
c. s. q. ▽. comm. coq. Colatur. edulcoratæ adde.
syr. papav. rh. parum.
S. Brusttranck auff etlich mal.

Vel. ℞. lign. sassafr. ras. ℥ij.
flor. papav. rh.
beton. an. p. ij.
macerentur per bihorium in ▽ font. hinc bulliant. Colatura edulcoretur Syr. papav. rhæad. D.
S. Sonderlicher Flußtrunck.

Aliquando in tussi pulmonali phthisin minitante cum successu præscripsi:

℞. rasur. lign. sassafr. ℥j.
maceretur in aq. comm. Mens. ij. adde
Herb. heder. terrestr.
Scabios.
pulmonar. an. M ij.
sem. anis.
fœnic. an. ℥ß.
rad. liquirit. ℥iij.
passul. min. conquass. ℥j.
coq. ad tertias. Colatura D.
S. Hust- und Brust-Tranck auff etlich mal.

Item

Item alii perfecto Phthisico

℞. Lign. Quajac. ℥iij.
cort. ejusd. ℥j.
rad. chin. incis. ℥j.
bardan.
helen. an. ℥ij.
bacc. junip. ʒiij.
herb. veron. Mij.
heder. terr. Mj.

incisa macerentur in ℔ xij. ▽ simpl. per 24. hor. coq. ad dimid. addendo in fine coctionis

sem. anis.
fœnic. an. ℥ß.
rad. liquirit. ℥j. Colatura D. capiebat omni mane bonum haustum in lectô, expectando aliqualem sudorem, addendo simul gt. xij. bals. sulph. Terebinth. unicuiq; haustui. Vespertino vero tempore remedia cum opio usurpabantur, sed minus, cum hectica ager affligebatur. Scilicet pro lymphæ vitiis corrigendis, ad ejusdem nimiam effusioné, pulmones nimis irritantem inhibendam & hinc puris seu sordium quantitatem & qualitatem corrigendam, non inepta sunt hæc ligna, præsertim cum vulnerariis usurpata, idque præsertim in phthisi non tam confirmata, quàm adhuc increscente. Cætera huc facientia, nempe species diaireos, diatragac. Pulv. Hali contra phthisin sperma ceti &c. ceu ubivis nota, in medio relinquo. Pertinet huc Electuarium illud Antiphthisicum, quod *M. A. N. C. Dec.* 1. *Ann.* 4. *p.* 134. habent, ubi *D. Winclerus* hæc habet: Uxor quædam post hæmoptysin sæpius molestam in phthisin incidebat, adjuncta hectica. Expuebat tussiendo purulenta cruore tincta, aderat sudor colliquativus respiratioque valde difficilis. Tamen unicô hôc præter spem & opinionem omnium Deo benedicente evasit. ℞. rad. symph. maj. tussil. enul. mundat. an. ʒiiij. coq. in aq. s. q. admollit. Tunde & trajice per setaceum. ℞. passul. maj. & min. ana ℔. ß. coque in brodio reliquo à radicibus & extrahatur pulpa eodem modo. ℞. Salviæ acut. beton. hyssop. veron. heder. terr. pulmonar. macul. an. Mj. coq. ad mollitiem in brodio à passulis relicto. ℞. decoct. colat. add. Sacch. canar. ℔. j. coq. ad consistend. coletur. Adde it. pulv. radicum & passul. amygd. d. excort. pinear. rec. probè pistar. an ℥iij. cinam. ʒij. croci ℈j. M. f. l. a. Elect. Eodem quoque medicamento paucis mutatis filium meum 3. annorum, cui post petechias superatas, vomicæ in pulmonibus 4. vicibus collectæ & ruptæ, ita ut pus in magna quantitate expectoraret, macie valde confectum & calore hectico consumtum, Deo sic annuente feliciter restitui. Pertinet & huc denique conserva, seu ut alii

alii vocant, saccharum rosatum, à pluribus adeo decantatum. Ac sane alcali non nihil stypticum in flor. ros. rubr. egregium est, pluribus scopis ad acrimoniam præsertim succorum corrigendam & viscerum tonum conservandum inserviens, sed saccharum junctum non æquè omnibus proficuum & hujus ratione nociva quibusdam observata fuit Conserva *Vid. Sylvium ubi de phthisi* §. 187. Aliàs à pluribus expertum idque sæpius feliciter est remedium Usus est, ut vel crebrius pro lubitu usurpetur, vel vespertino præsertim tempore crebrius assumatur. Ex quo c. flor. sulphur. terr. sigil. ♁. diaph. rad. ireos. flor. aliisq; similibus pectoralibus Electuaria parari possunt. In specie pulv. fungorum salicis, in pleni lunio M nf. Maij collector. ʒß. cum hac conserva crebrius usurpatus quibusdam singulariter laudatur. Nempe spongiæ istæ viridiusculæ in salice superius adnascentes exsiccantur in sole, pulverisantur & ita cum aliis contra phthisin usurpantur.

Pro tertia deniq; indicatione, quæ læsionem partis respicit, præsertim ulceratæ, conveniunt ea, quæ fermentum acidum, partis plus minus ulceratæ corruptivum, corrigere & ita puris ulteriorem proventum inhibere valent, adeoq; detergentia & mundificantia applicantur; hinc usurpentur ea, quæ naturæ opus in consolidando loco læso adjuvent, quantum possibile. Hæc inter excellunt vulneraria dicta, quorum alcali pluribns usibus in phthisi curanda inservit, si præmissis præmittendis usurpentur, in specie si ventriculi ac primarum viarum & his in locis, principalioris assumtorum alterationis, habeatur ratio. Hinc decoctum bugulæ seu consolidæ mediæ admodum commendat *Poterius in Pharmac. Spagyr.* Decoctum vero symphyt. & prunell. cum china & Quajac. laudat *Lindanus*, assumendo in quolibet haustu dosin ♁ ij diaph. Hinc & sanicula, veronic. plantago, vinca per vin. equiset. flor. ros. &c. tam in decoctis, quam inde paratis pulveribus, aut cum saccharo & melle electuariis, in usu sunt. v. g. Sequenti decocto *Chirurgus* quidam *Stetinensis* phthisi laborans per multos annos se sustentavit,

℞. Herb. alchymill.
pulmon.
sanicul.
cent. min.
veron.
auric. mur.
vinc. pervinc.
flor. hepatic. an. Mj.
coq. in cerevisia bene defecata;

de Colatura bibat æger manè jejune ante prandium, ante cœnam & cubitum iturus.

Vel

Vel in phthisi pulmonali nondum inveterata

℞. Herb. heder. terrestr.
chærefol.
veronicæ aa. Mj.
rad. helen. ℥iß.
ireos flor. ℥j.
sem. anis. ʒiij.
fœnic. aa. ʒij.
ficuum pingv. N. IV.
passul. min. ℥iß.
rad. liquirit. ʒvj. M. coq. in aq. & ita F. *infus.*

vel *decoctum*, vel cum sacchar. *syrupus*, aut cum melle *hydromel* &c.

Apud nos pluribus in frequenti usu est sequens farrago, quæ feliciter pluribus cessit, magis tamen ad phthisin pulmonalem inclinantibus, quàm perfectè phthisicis, siquidem ob alcali herbarum vulnerariarum aliorumque ingredientium vis alterativa, in corrigendis corporis contentis & confirmandis visceribus, non contemnendi usus est:

℞. Anis-Samen / Fenchel-Samen / aa. Mij. Engelsüß / Lungenkraut / Leberkraut Blumen / Ehrenpreiß / Tormentill-wurtzel / Sennet-blätter / Süß-holtz / jedes Mj. grüne Salbey / grün Isop / grün Leberkraut aa. Mß. diese Kräuter sambt ein paar Löffel voll Honig zusammen in einen neuen Topff von 4. biß 5. Kannen mit Röhrwasser gethan / wol vermacht / mählich gesotten / und ohngefehr halb einkochen lassen / welches in zwey biß dritte-halb Stund geschicht / so dann Morgends und Abends ein Töpflein davon getruncken.

Faciunt huc *pulv. antiphthisici*, præsertim pulv. antiphthisicus *D. Erbenii*:

℞. Visci pyror.
salviæ an. ℥j.
pulmonar.
veronic.
flor. farfar. an. ʒß.
rad. enul. ʒij.
sacc. cand. alb. ℥ij. M. F. Pulv. Dos. ʒj.

Pertinent huc *Electuaria* quorundam, imprimis tamen exscreationi inservientia, ex pulv. scordii, salviæ, rad. helen. &c. cum melle ad Electuarii consistentiam redactis. Sed cum his vulnerariis modo recensitis, in specie simul usurpanda sunt balsamica, in tantum, quantum hectica plus minus juncta usum eorum ferre potest,

potest, adeoque minus confirmatis, seu in cura magis incipientibus, i. e. in præservatione phthiseos conducunt, qualia ex aloe, myrrha, balf. fulph. tereb. Peruvianô & similibus usurpantur. Nempe *balf. Peruvian.* gt. j. aut plures cum facch. in pilulas redactæ, aut etiam guttatim in vehiculo calido, aut vitello ovi sorbilis dissolutum balsamum & quotidie usurpatum, multum laudatur ad quasvis partium internarum læsiones & exulcerationes. Huc pertinet balf. Pneumonicus *D. D. Dolæi in Encyclop. de Phthisi* descriptus; hinc & *Riverius* multum commendat has pilulas:

℞. M. P. Ruffi ℥j.
♁ diaphor.
Gumm. Quajac. an ℥ß.

c. q. f. balf. Peruv. F. Massa. Dos. ℈j. Capiatur per mensem integrum. De *Terebinthina* rès nota est, quantum vi balsamica in quibusvis partium exulcerationibus valeat. Optimè datur in ovo sorbili, vel sola, vel addito modico flor. sulphuris; it. permisceri solet eadem cum melle violato, ℞ cipiendo Terebinth. ℥ß. mellis violac. ʒij. M. cum pauco vitello ovi, de quo capiat æger omni manè quantitatem castaneæ, in jusculo calido. Alij Terebinth. ℥ß. c. mell. rof. & syr. heder. terrestri vel Nicotian. miscent & in forma boli subinde assumendum suadent. Sed nimis ingratus hic ejus usus; omnium optimè vitello ovi dissoluta capi potest.

Quoad *Symptomata*, præsertim in phthisi mitiganda, *Tussim* quod attinet, præsertim ferinam, hanc mitigant optimè supra laudata opiata, quæ ipsa etiam *sudores nocturnos* cohibere solent.

Quoad Symptoma in *Screatu*, equidem Nicotiana & quævis ex ea parata sunt optima. *Heurnius in Praxi* solo syrupo, ex succo ritè parato, quosdam tabidos phthisicos restitutos fuisse memoriæ prodidit. Certè ad ulcus pulmonum abstergendum & sordes acres plus minus viscidas pectori inhærentes eliminandas optima sunt ex Tabacô remedia. Pariter *si sputum multum ac fœtidum* fuerit, mel & myrrha screatum promoventibus semper addenda erunt.

Diarrhœa colliquativa si quæ supervenerit, utut ferè mali sit ominis, absorbentibus, terrâ sigill. CC. ust. & simil. inhibetur, vitando tunc, quantum possibile est, mellita, facilè aliàs alvum moventia. De *suffitibus*, odoramentis & similibus nil attinet dicere. Conferatur supra laudatus *Bennettus*.

Quoad tertiam indicationem, ut *Diæta* ritè formetur, imprimis ventriculi ejusque virtutis digestivæ & hinc dictaminis appetitus habenda est ratio. Hinc alimenta probè nutrientia, copiosum alcali, quodvis acre temperans, suggerentia & quæ succum minus alterabilem sed potius glutinosum, roridum, nec facile exhalabilem suggerunt: Hinc ♋. ostreæ &c. subinde utiles

utiles phthisicis observatæ fuerunt. *Lindanus* sanè refert, hecticam ex ulcere pulmonum, copiosô *ostrearum* esu curatam. Præ cæteris *lac* & quælibet *lacticinia*, ubi cætera ritè præmissa fuerint & dyscrasia contentorum maximam partem correcta, convenientissima sunt. Aliàs vix aut parum proderunt, quoties atrophia à colluvie cujusdam visceris aut vitio stomachi enata fuerit, nisi hæc impedimenta prius removeantur, quia aliàs vix fieri poterit, quin lac in ventriculo etiam corrumpatur. Convenit igitur imprimis in Atrophia, quæ est à nimia acrimonia humorum, cum eorum caliditate, ubi opus & humectatione & attemperatione. De Saccharo semper aliquantulum addatur, ne tam facilè coaguletur. Porro qui *lacte* ritè volunt uti, debent ter in die sumere & vix alium cibum gustare, saltim passulas quasdam sumere, idque per aliquot septimanas, donec denuò corpus iterum proficiat. Sumto lacte moderato exercitio corpus movendum est, ut facilius idem distribuatur. In istâ etiam tabe, quæ ex ulceratione pulmonali oritur, lac itidem præmissis præmittendis confert; Nam abstergit parte serosa, conglutinat caseosa, nutrit corpus & temperat butyrosa. Omnibus verò præferendum est *lac muliebre*, quo multos restitutos se vidisse testatur *Platerus*. Ab hoc proximum est *lac asininum*, optimè ulcus detergens, quia serosum, cui succedit *caprillum*, scorbuticis imprimis conveniens, præsertim si capra prius appropriatis vegetabilibus nutrita fuerit. Sanè in *Scorbutica phthisi* optima sunt lacticinia, quibus instillari possunt Spir. Cochlear. aut θ✳. aliave similia. Quantum butyrum è lacte muliebri in phthisi valeat, *vid. Borell. Cent.* 3. *Obs.* 82. Item de lactis muliebris usu, præter *Forestum in obs. Riverius in obs. communicatis*.

Præterea ad *Diætam*, passularum earumque Rob crebrior usus, & ova sorbilia sunt optima. Sunt qui etiam *Transplantationis* medio curare satagunt Atrophias. Modus vid. in *Hartman. Prax. Chym.* ubi de Atrophia. It. c. unguento armario. *Vid. Schmuck. in cur. magnet. pag.* 59. *it. Paracels. de rebus materialibus*. Sed talia transeant. Hæc de Atrophia universali.

Quoad *Atrophiam particularem*, quæ aliàs *Aridura* dicta, rarius observatur in quadam parte à causa interna, ut plurimum præcedentem quandam occasionem externam eadem sequitur ob nutrimenti vitium & ejus defectus; quando nempe tam sanguis propriè dictus quam chylus non rectè affluit in partem nutriendam, propter quoddam impedimentum, propter arteriæ nempe ad eam tendentis læsionem & compressionem, ex luxatione, fractura, tumore duro & similibus. Rarissimè tamen ex hoc principiô oriuntur *Aridura particulares*, motus enim sanguineæ massæ est vehemens, ejusque insignis per porulos quosvis & angustias penetratio, ut in vasis capillaribus manifestum est.

Deinde fit Aridura vitio partis debilitatæ, ita ut nequeat alimentum, licet

conveniens aut recipere aut retinere, aut commodè istud agglutinare. Debilitas hæc dependet à Spirituum vitio, animali nempe influo, & hinc insito, qui ceu agens se habent in nutritione & alimenti partis appositione. Debilitatur autem Spiritus insitus in manifesta membri, cum vulnere ac ulcere, læsione, quando nempe in vulneribus nutrimentum partis copiosius effluit, aut per ulcera idem copiosè in pus mutatur & ita cum succo nutritio influo simul Spiritus influus absumitur, à quô Spirit. insiti conservatio & vigor dependet; pars arescit, ac difficilè postmopum restitui potest. Usu hoc venit præsertim in articulorum vulneribus & hinc aliarum partium nervosarum similibus læsionibus, quibus copiosior lymphæ fluxus sæpius supervenire solet. Nam *Synovia* hæc est liquor chylosus nutritius, in parte nutrienda, occasione vulneris plus minus ad ulcus tendentis, degenerans in liquorem saniosum & aquosum, sub qua degeneratione acorem occultum contrahit, ut exinde vulnera ista non solum periculosa fiant, sed simul partes læsæ, dum destituuntur convenienti nutrimento, necessariò arefiunt, unde fibræ exiccatæ & contractæ poros partis magis connivere faciunt, ipso vero insito Spiritu simul plus minus labefacto, nutrimenti convenienti affirmationi impar redditur. Unde sanato licet vulnere seu ulcere, nihilominus tamen pars difficillimè denuò nutriri potest, quin potius pertinax *Aridura* sequitur. Quin & cum debilitata dicto modo pars minus robusta sit atque alia ipsi respondens (id quod *robur inæquale* vocat *Helmont*,) propterea facilius ac sensibilius ferè externorum objectorum impressiones recipit, unde tales ægri restituti licet, tamen quasvis aeris mutationes in loco antea læso mox præsentiunt Spiritus deinde influus & debilitatur in aliis partium nervosarum læsionibus, sine aperta licet continui solutione, modò debitum motum Spiritus influi plus minus inhibere queant; hinc paralyses, convulsiones articulorum & hinc compressiones & distorsiones nervorum ac tendinum, it. horum ipsorum dislocationes &c. à quibus ipsis, externis licet & apparenter parvi momenti læsionibus, propter Spiritus animalis influi impeditum plus minus radiosum influxum, pars in motu successivè debilior, cum sensu quodam stuporis aut formicationis, successivè flaccidior & plus minus tabida quasi redditur. Pertinet huc denique defluxus Catarrhalis, quando vid. sine ulla causa manifestâ, saltim ob lymphæ catarrhalis decubitum in quandam partem ejusve articulationem & inde fibrarum ac tendinum paralyticam plus minus resolutionem, cum sensu doloris obtuso, præsertim vespertino ac nocturno tempore ingravescente, pars successivè ad Atrophiam particulariter disponitur. Quâ ratione non rarum est, in arthridide vaga scorbutica aut etiam in aliis arthritidis speciebus, partem, quæ sæpius aut gravius affligitur, debilitari successivè, flaccescere plus minus ac tabescere. Omnes hæ ariduræ *difficiles* sunt *curatu*, idque eo magis, quo magis confirmatæ ac inveteratæ. Præ cæteris tamen optimè scripsit de hoc

de hoc negotio *Felix* Würtz in der Wund-Artzney Tit: Von den Zufällen der Wunden *cap. 29. 23. p.* 580. Post hunc *vid. Agricola in Chirurg. parv. p.* 31.

Quoad *Curam*, hæc eò sit directa, ut promoveat Spirituum animalium & hinc simul M. S. ad partem influxum, quo reparetur sufficiens nutritio. In specie habenda est ratio, an cum solutione continui & effluxu spirituosi nutrimenti inducta fuerit aridura, an vero solâ læsione, sine continui solutione, sive hæc à vi externa facta fuerit, sive ab interno lymphæ acidæ decubitu. Nam *si prius* obtinet, remedia magis temperata, adeoq; ut vocant, moderatè calefacientia, sed probè humectantia & humore roscido oleoso partem perfundentia adhibenda hic sunt. Hinc, ut vocant communiter, calefacientia & facultatem attractricem stimulantia conducunt, ut ita sensibilius afficiendo sensum tactûs, Spirituum uberior radius humorumque copiosior affluxus ita in parte conservetur; *Ultimum si fuerit*, cum internis seu sudoriferis, externa discutientia & resolventia usurpentur. Catholicum ad particulares ariduras remedium est arcanum *aluminis* quod commendat *Felix* Würtz *in Chirurg. cit. loc.* cum linimentis & pinguedinibus appropiatis applicatum. In specie autem *si cum effluxu nutrimenti* aut Synovia, post vulnera insigniora sit aridura, conveniunt fotus partis c. decoctis emollientibus, ex animalium partibus paratis, v. g. ex capite, pedibus, pulmone & hepate ovis & agni &c. Postmodum fiat litus ex pinguedine hominis, vulpis, ursi, canis, lupi & taxi &c. vel in specie f. Unguentum, ex pinguedine ardeæ, ranarum, an. ℥ij porcellorum ℥iij. & facto litu applicetur Empl. ex pinguedine porcina. Quod *si vero ex paralysi contusione* &c. sequatur aridura, post frictiones partium deorsum versus institutas, linimentum ex alumine plumoso, pulvere sabinæ, oleo laurino, juniperino & similibus, prout à Wittigio describitur, usurpetur; vel fiat ▽. cum vino destillata ex sem. cortic. radic. armorac. & similibus, prout describitur ab *Agricola cit. loc.* it. *à Schmuckio Thesaur. Med. secret.* 50. & cum pannis calidis probè affricetur & applicetur, præsertim in casu ubi ariduræ membri sensus formicationis aut stuporis unà adsit. Præter quæ remedia etiam ex Lumbricis paratus Spiritus ac litus in aridura ex dictâ causâ convenit. Quæ ipsa etiam locum habent, si ex defluxu catarrhali dolorosa aridura superveniat. In quô casu præter sudores internis concitatos, optimi sunt spiritus formicatum & lumbric. terr. c. pauc. Spir. Vin. addito alcali fixo per retortam destill. & restificati, vel aquæ articulares ad extra c. pauco spirit. θ✻. c. calc. viv. ita applicentur aut usurpetur; imprimis liquor lumbricorum rerrestrium, per deliquium in clibano paratus, prout describitur *à Mollenbrock de Varis p.* 270. cum usu applicari potest &c.

Qualitate peccans corporis *nutritio* in genere vocari solet

CACHEXIA

in qua nativus cutis color, imprimis faciei nitor languescit mutaturque in varium, pallidum, lividum, luteum, virescentem & est revera cachexia fructus cacochymiæ, hæc verò pedissequa cacochyliæ. Dependet sic ab effusione vitiosi nutrimenti, i.e. humoris vitiosi, loco nutrimenti hinc inde distributi in habitum corporis; & humor iste, qui ita habitui corporis affunditur, si est albus, dicitur *cachexia* in specie; si flavus *icterus*; si viridiusculus seu luridus aut lividus, aut alio tetro colore tinctus, *icterus niger* audit.

In genere igitur quamcunque corporis & partium subcutanearum mutationem à statu naturali in deteriorem innuit, ex vitiatâ quasi nutritione dependentem, unde variæ *cachexiarum* sunt *species*. Nam præter dictas datur cachexia scorbutica, it. hypochondriaca &c. In specie tamen usus obtinuit, ut vitium istud tantum cachexia appelletur, quando corpus à nativo colore in pallidum & humidum, subtumidum & flaccidum degenerat & à sanguificationis defectu in specie dependet. *Pars* igitur *affecta* seu *subjectum* inhæsionis sunt partes solidæ, in specie molliores; *subjectum* vero radicationis est massa sanguinea cacochymica facta.

Cachexia talis præter cutis mutatum colorem junctam simul solet habere dispnoeam, præsertim quoties corpus, adscensu in altum, tantillum movetur, quando tunc sæpe cordis palpitatio, arteriarumque circa jugulum temporaque pulsatio observatur. Accedit quoque universi corporis, præ cæteris crurum lassitudo, urget non rarò compressivus & anxiosus præcordiorum dolor, qui post alimenta assumta intendi solet. Adest sæpe etiam febris lenta, fere quotidiana periodica, pulsus sunt inæquales, parvi, frequentes & debiles, Urinæ sæpius etiam sunt crudæ ▽eæ, subinde turbidæ, copiosô sedimento albo. Tandem corpus turget & tumet, sequitur *Leucophlegmatia*, ac tandem *anasarca*, tam universalis, quam subinde particularis crurum, cum *ascite abdominis*, seu hydrope in specie sic dictô. Nulli ætati parcit cachexia, licet fœminas ob vitam sedentariam frequentius & ob supervenientia menstruationis vitia contumacius afficiat. Quin & sæpius comitem habet affectum Scorbuticum aut Hypochondriacum. Plura huc facientia *vid. in spec. in Sylv. l.* 4. *Pr.* & *Tr. de Cachexia.*

Causa proxima Cachexiæ est nimia cruditas M. S. indeque dependens deficiens aut imminuta ejus fermentatio. Unde chylus & ipse plus minus vitiosus non ritè assimilatur, sed tota massa eodem repleta cruda & vitiosè fermentans manet, unde tali crudo sanguine per partes circulato, hæ chylo & sanguine, non ritè alteratis nec volatilisatis, infarciuntur potius, quam debita assimi-

assimilatione nutriuntur, ita ut rectè dicat *Forestus*, corpus non aliter inflatum esse, quam pasta non ritè fermentata, in qua digiti impressi vestigium hæret.

Causa remota est multiplex. Observandum enim cachexiam nunc esse *affectum primarium* & qui per se incipit, nunc *secundarium*, aliosque insequitur morbos, v. g. qui quasvis sanguinis nimias effusiones, aut ejusdem consuetas suppressas, insequitur; in specie mensium suppressio, uti & nimius eorum fluxus cachecticas reddunt mulieres. Sic gonorrhæas diuturnas aut fluores albos, it. febres chronicas ordinariò insequitur. Mola aut fœtus mortuus retentus etiam cachexiam inferunt. *vid. Forest. libr.* 19. *obs.* 26. *in schol. Horst. l.* 5. *obs.* 21. Urinæ suppressio, viscerum hepatis aut lienis vitia, uti sunt atoniæ, obstructiones & tumores facilè scirrhescentes, renum ulcera &c. Cachexias inferunt.

Cachexiæ primariæ causa remota est deficiens chylosis, dum nempe alimenta nec ritè fermentando volatilisantur, nec in subdulcem aut subsalsum volatilem abeunt liquorem, sed in pituitam acidam degenerant, adeoque vitiosum in primis viis acidum quasi fixum nec volatile, primum fundamentum cachexiæ ponit, quod fovet ulterius semper conjuncta bilis inertia, seu deficiens acrimonia salino volatilis, quæ nec corrigit, nec perficit debitè chylum, nec ritè fæces separat. Unde M. S. particulæ fermentativæ succo isto crudo obrutæ, debitam chyli alterationem & sanguini assimilationem perficere nequeunt: Quin hic exinde crudus, plus minus viscidus & quasi occultè acidus remanet, unde de facili stagnans in præcordiis, dum levi corporis motu celerius movetur ad pulmones & cor, *dispnoeam* & *anxietates* infert. Quin & M. S. debita fermentatione vitiata & imminuta, imminuitur quoque in fœminis *menstrua* sanguinis *fermentatio*. Quod si ulterius incrementum capiat malum, ita ut habitus corporis tumidus insigniter inflatus & exinde fibrarum musculosarum & nervosarum laxatus tonus flaccidus fiat, dicitur *Leucophlegmatia*, summus Cachexiæ gradus. Quod si ex retento qualicunq; occasione sero (cachectici enim non, aut difficillimè sudant, & parum quoque mingunt,) serosior simul fuerit sanguis, oritur vitium, quod dicitur *Anasarca*, quæ eò erit major, si tali succo crudo obstruantur glandulæ partium musculosarum, aut etiam vasa lymphatica, ita ut lympha, aut saltim serositates non commodè per lymphatica reduci queant. Unde *Borellus Cent.* 3. *obs.* 66. observat corpus cachecticum crystalli instar translucens. Quod si humorum istorum serosorum plus minus chylosorum seu pituitosorum, ex proprio impetu, decubitus fiat magis ad inferiora, unde crura, scrotum ac tandem abdomen intumescant, erit ordinarius sic dictus *Hydrops*.

Con-

Confunduntur equidem subinde Leucophlegmatia & Anasarca, sed non, nisi subjecto, nempe habitu corporis conveniunt. Nam in Leucophlegmatia est habitus pituitosus, (i.e. crudus chylosus) Anasarca verò est ab ichoroso & crudo sero, in habitum corporis deposito, concurrente forsan plus minus vasorum lymphaticorum ruptione: Hinc in Leucophlegmatia minus est splendoris ac nitoris, quàm debet esse: In Anasarca plus justo splendet ac nitet corpus; deinde vestigia digito impressa diu durant in Leucophlegmatia, quæ in Anasarca brevi disparent & fere Anasarca Leucophlegmatiam insequi solet.

Vulgo statuitur cachexiam & similes affectus oriri ex intemperie frigida, quæ sententia cum superstructa sit hypothesi, quod hepar sanguificet mediante suo calore, sponte ruit; quin potius *Willis in Pharm. rat. part. 2. p. 384. & seqq.* materiam esse humorem serosum, efficiens vero esse sanguinem cachexiæ & Leucophlegmatiæ asserit. *Occasionales causæ* chyloseos vitiatæ, à rebus non naturalibus dependent.

Quoad *Cachexiam secundariam*, nascitur hæc talibus occasionibus, quæ sanguinem immediatè afficere, vel, idque frequentius, mediante læsionis digestionis primæ eundem alterare possunt. Sic ea quæ Spiritus nimis exhauriendo, aut dissipando & hinc fermentationem stomachi lædendo, ut hæmorrhagiæ nimiæ, gonorrhææ: Vel fermentum digestivum alterando, ut menses suppressi & febres chronicæ, mediatè sanguinem alterant. Immediatè afficiunt sanguinem lues Venerea semper cachexiam comitem adsciscens. Urina suppressa, viscera, abdominis præsertim, affecta, sanguificationis aliàs perfectioni inservientia, fœtus mortuus, aut secundinæ retentæ, sanguinem inquinando debitam quoque ejus spiritualscentiam impediunt.

Quoad *Prognosin* malum est chronicum cachexia & tardæ curationis: Quò magis inveteratum, eò difficilius curatu, sed sæpissimè in Hydropem degenerat. Sin occurrat scirrhus hepatis aut lienis confirmatus, vix cachexia curabitur. Si sequatur febrim acutam, aut intermittentem chronicam, malè à Medico, vel crebriori potu ab ægrô, tractatam, difficilis curatu. Si cachexia superveniat mulieribus, quibus ordine naturæ menses deficiunt, difficulter curabitur.

In *Cura* attendatur 1. ut emendetur prima digestio. 2. Corrigatur massæ sanguineæ discrasia.

Unde in *Cachexia primaria* I. acidum vitiosum primarum viarum removendum per absorbentia, in specie ⚹alia, partes animalium duras, terrea, alcalia tum fixa tum volatilia. II. Viscidum incidendum & attenuandum per gummata, salia tam salsa quam alcalia, stomachica aromatica. III. Bilis inertia acuenda, aromaticis seu resinosis volatilibus oleosis, præsertim amaris, quæ alias hepatica

hepatica dicuntur. IV. Cruditates primarum viarum & ſanguinis plus minus correctæ, evacuandæ *vomitu, ſeceſſu, diureſi* &c.

In *ſecundaria* vero *Cachexia*, morbus primarius curandus, aut læſiones ab illô inductæ ſeu relictæ eliminandæ, ſemper digeſtionis primæ negotium, quantum poſſibile, obſervando. Hoc ut ritè inſequamur, rectè monet *Lindanus*, quod obſervandum; quòd cachectici, quò lenius tractentur, tantò citius curentur. Et cum cachexia ſit initium hydropiſeos, commode methodus & medicamenta quæ in hydrope conveniunt, etiam in cachexia adhiberi poſſunt, & contra ea quæ in cachexia uſurpantur, validiora tamen, in Leucophlegmatia & Anaſarca quoq; proſunt. In ſpecie conveniens regimen *diætæ* obſervandum & præſertim motus perſuadendus, id quod confirmat *Panarolus Pentec. obſ.* 30. de muliere admodum cachectica exercitiô plus quàm alio auxilio ſanatâ. Hinc

℞. θ. digeſt. hypochondr ℥j. ad. ℈iiij.
div. in 4. part. æq. D. S. digeſtiv Pulver.

Vel hujus loco ℞. Crem. Tart. ℥j.
lap. ♋. ℥j. M. pro 2. doſ. duobus diebus, manè, in vehiculo calido, aſſumendis.

Vel ℞. Tart. Vitriolat. ℈ij.
θ. abſinth. ℈j. M. div. in 2. part. æq S. digeſtiv. Pulver.
℞. θ✳. ℈ij. p. 2. doſ. S. digeſtiv Pulver.

Quibus præmiſſis una alterave vice propinetur *vomitorium*, aut ſi hoc minus conveniat, inſtituatur *purgatio* per alvum.

℞. Extr. Panch. Croll. g. xv.
♂is cum ſucc. pomor. g. vj. l. vij.
troch. alh. gr. jß.
c. ſ. q. eſſent. ♂. F. Pil.

Aut etiam potio *laxativa* cum gumm. ammoniac. uſurpetur.

In Anaſarca ſuccus ireos recens per reſidentiam depuratus, cum paucâ *mannâ* miſtus, convenit, ad ſeroſitates abundantes evacuandas.

His præmiſſis ℞. Solut. ♂. c. ſucc. pomor. ℥ß D.
S. Eröffnende Eſſenz. doſ. 20. ad 30. gutt, cum leni motu.

Vel in ſubjecto paulo robuſtioris ſtomachi
℞. Liquor. ♂is ſolar. doſ. ad 40. v. 50. gt. ſimili modo.

Vel ℞. Salis ♂ compoſ. ℥iij. D. S. &c. Doſis omni manè quantum cuſpis cultelli capit. Parili ratione *Tinct. Vitriol. ♂is Ludovici, pulv. cachect. Hartman. vina ♂ialia* commodè uſurpari poſſunt, obſervando conditionem vintriculi plus minus robuſti & qui facilius aut difficilius talia ferre poſſit. Quo facit *Claretum ♂ial, Mynſicht. Vinum Malvaticum ♂ial. Hart.* & in

& in specie, de pulveribus anticachecticis vid. Hartman. in prax. Chymiatr. p. 204. 206. Sub usu *martialium* alvus semper aperta servanda est; quare consultum, omni septimana semel, vespertino tempore, dosin *pilularum usual. v. g. Classianar. aut Francof.* aut quales describit *Sylvius in Prax. c. 7. §. 52. p. 69. &c.* usurpare & ita interpolatis vicibus cum istis ♂*ialibus* adhibere. His aliquandiu continuatis, fiat progressus ad *alterantia volatilia* plus minus *aromatica*, qualia sunt omnia aromata, omnia simplicia amara, *hepatica* aliàs dicta, omnia *salia & Spiritus urinosi volatiles* tam *simplices* quam *compos. Rob Juniperi, pulpa passular. & omnia passulata, elix. P.* &c. Quibus pro circumstantiarum ratione nunc febrifuga, nunc antiscorbutica, nunc emmenagoga permiscenda. *Elix. P s. acido, Tinct. Tart. compos.* &c. Horum usus multiplex est, frequentius in forma nodulorum usurpantur, nunc specialiter alterantium, nunc simul laxantium, nunc ante, nunc post ♂alia v. g.

℞. Herb. absinth.
menth. an. Mj.
rad. helen. ℥j.
gentian. ʒß.
rhabarb. elect. ʒvj.
fol. sen. s. st. ℥j.
rad. helleb. nigr. non præp. ʒvj.
cortic. esul. præp. ʒiij.
θ Tart. ℥ß. Indantur Nodulo.

Vel ℞. Herb. roris marin.
salviæ. an. Mß.
absinth. Mj.
flor. Cent. min. p. jv.
genist. p. iij.
rhabarb. elect. ℥iß.
cinam.
galang.
Zingib. an. ʒij.
limatur. ♂ recent. ℥iß. includantur nodulo, vino infundendo, pro scopo alterativo. Nam *rhabarbarum* non tam propter usum laxandi, quam alterandi, acidum corrigendi, bilem in naturali statu conservandi, urinam movendi & atoniam hepatis corrigendi adhibetur, unde & etiamnum anima hepatis quibusdam dicitur. Sane præmissis præmittendis in virginibus, in specie cachecticis egregium usum observavi tam Rob Juniperi solius, subinde usurpati, quam ex Rob Juniperi cum rhab. pulverisato facti Electuarii

℞. Rob.

℞. Rob. Juniperi ℥iij.
pulv. rhab. elect. ʒiij.
cinamom. mors. elect. ʒj.
M. F. Elect. de quo omni mane capiat bonam dosin.

Aut hujus loco *passulæ* usurpari possunt, quæ mirè conveniunt in cachexiis quibusvis, sanguinem laudabilem ac temperatum reddunt, bilem optimè in statu naturali conservant & sanguinis motum fermentativum nonnihil restituunt. Hinc Elect. *Solenandri*, aut etiam *Electuar. ex passul. Horst. in obs. p.* 201. conveniunt. Aut

℞. Pulp. passul. ℥vj.
extr. ♂is cum succo pomor. ℥vj.
rhabarb. el. ʒij.
cinam. ʒj. M. F. Electuar. variando subinde dosin pro circumstantiarum ratione. Sanè quando in Cachexiis bilis acuenda & sanguinis motus fermentativus nonnihil restaurandus est, aromatica talia amara resinosa & Rob hi aromatici optimè conveniunt; nempe hæc omnia effectum calefactionis post se relinquunt. Jam vero intemperies frigida in cachecticis solet adesse.

Item ℞. Tinct. Tart. compos. s. hujus loco
Elix. propr. s. acido ℥j.
Ess. absinth.
cent. min. an ʒij. D S.

Eröffnende Essenz. Dos. 40. l. 50. gutt. bis l. ter in die manê in vehiculo calido hor. 5. pomerid. in cerevis. & sub intr. lecti.

Vel ℞. talia matutino tempore & à meridie.
℞. Spirit. ✱. ℥j. vel hujus loco.
carminativ. de tribus, l. hujus loco
Tinct. nephritic. l.
Liq. CC. succin. de quibus à meridie & sub introitu lecti capiantur 40. gt. It. cum aromaticis istis interdiu usurpatis capiatur sub introitu lecti *Elix. menth. cochl.* parva dosis; aut hujus loco *spiritus baccar. juniper.* &c. & horum medio promoveatur digestio prima, acuatur bilis, & restauretur denuò sanguis. In

ANASARCA & LEUCOPHLEGMATIA

eadem quoque conveniunt, in quibus tamen præterea *sudorifera* & *diuretica* laudantur pro habitu corporis simul emendandô. *Sudorifera* inter eminet *decoctum lign. Sassafras & Guajac.* de quo *conf. Willis Pharm. rat. p. 2. p.* 366. & 375. Sic

Sic *Lindanus* refert, se curasse Anasarcam in muliere. *decoctô Guajac. & elect.* unde curata & simul fœcunda facta fuit. *Decoctum gran. Junip.* vi diuretica & diaphoretica est egregium. *Decoctum rad. vincetoxic.* in vino parat. mira præstare asserunt, non secus ac *decoctum Helenii.* Novi exemplum insignis Anasarcæ mediante *decocto fruct. Cynosbat. c. arillis* curatæ. *Pro scopo diuretico lixiv. ex ciner. absinth. & Genistæ* c. vino albo paratum, est egregium. Nam certè *vinum absinth. aut enulatum* optimè conveniunt pro potu, in Cachexiis & Anasarca. Adeo nempe *amara* post ♂*ialia* utramq; in his affectibus faciunt paginam. Alia, ut *essent. lign. malvatic. juniperin. Elixir febrile Mynf.* ceu alias nota, mitto. *Forest. lib.* 19. *obs.* 34. Anasarcam ab obstructione mensium, præmissis universalibus per ea, quæ urinas ducunt & simul menses cient, curavit, ut est *decoctum asari,* quod mirè prodest, præsertim si *cinamomi* aliquid adjungamus, fortiter coquamus & una *herb. sabin. bacc. Junip. & radic. rubiæ* addamus. Aliquando in Anasarca una cum aliis proficuum observavi sequens decoctum:

℞. Rad. bryon. rec. ℥j.
asari. ℥ß.
♁. Tart. ʒiij. infund. in s. q.
▽. simpl. stent in loco tepid. per noct. manè adde
rad. vincetox. ℥vj.
comar. absinth. Mj.
flor. bellid. Mß.
bacc. Juniper. ℥iij.

Incis. & contus. infundantur & confundantur simul in ▽ simpl.
Colatur. ℞. ℥xv. ad ℔. 1. ß. adde
Spirit. ♁✳.
Tinct. nephritic. an. ℥ij.
Syr. de hysop. ℥iij. M. de quo capiat ter in die bonum haustum.

Externa ut *vesicatoria, escharotica,* acuum puncturas &c. pro Anasarcæ cura, *vid. in Willis Pharm. rat. P. 2. p. 269. seq.*

Cachexiam modo explicatam frequenter sequitur

HYDROPS,

non secus, ac reliquas ejus species, ut *Cachexiam ictericam, hypochondriacam, scorbuticam & febrilem,* tandem insequi solet.

Hydropis nomine intelligitur aquarum seu humorum serosorum præternaturalis collectio, quam necessariò tumor & distensio partis c. ejus mollitie & non rarò fluctuatione comitantur. Hydropis vox convenienter Latinis *aqua intercus* redditur. Jam vero aqua hæc vel totum corpus tumefacit

cit, vel determinatam ejus partem. Illud dat hydropem *universalem*, hoc *particularem*. Illa universalis, dicitur *Anasarca*; hæc vero particularis, pro partium varietate, quas affligit, varia & specialia sortitur nomina. Sic quando ▽ colligitur in capite, dicitur *Hydrocephalus*: Quando in pectore *Hydrops pectoralis*: Si in pericardio præternaturalis abundet lympha, est *Hydrops pericardii*: Si in abdomine, dicitur *Hydrops Ascites*, ab utre, quia abdomen instar utris repletum & tumefactum apparet. In utero est *Hydrops uteri*: In testibus est *Hydrocele*: In partibus externis, uno alterove membro, *tumores serosi aut aquosi* generali nomine appellantur. Imò in omenti bursa copiosæ aquæ inclusæ, in insignem tumorem abdomen attollunt quale Exempl. *vid. in Horst. obs.* It. in peritonæi duplicatura conclusæ aquæ, hydropis abdominis speciem præbent, *vid.* Meckrens *obs. Chirurg.*

Ex his patet Hydropem non esse propriè alium, quam ubi est ▽. Hinc *Tympanites* impropriè est hydrops, cum flatuum tantummodo, non vero aquarum collectio sit. Unde saltim propter similitudinem tumoris cum ascite, ad Hydropes refertur.

Saltem Divisio in *Universalem* & *Particularem* notanda venit, præter quas tamen frequentissima Hydropis species est ista, quando pedes, scrotum & abdomen insigniter turgescunt & intumescunt, quæ nec propriè *Anasarca* est, cum saltim partes inferiores occupet, utut *Willisio Anasarca particularis*, minus tamen appositè dicatur; neque tamen est *ascites* propriè dictus, quia præter particularem abdominis tumorem & universa crura subinde immensum tument. Revera igitur frequentissimus hic hydrops est, quasi Anasarca partium inferiorum, cùm origine, fiendi modo, ac medicationis ratione inter se conveniant, accidentaliter vero differant, de quo infra.

Causa Hydropis non est hepar frigidum ob hæmatoseos defectum, quæ veterum fuit sententia, cùm à modernis dejectum sit ab imperio sanguificationis, ipsique publicæ dictæ exequiæ. Deinde adversantur huic sententiæ omnes, qui per experientiam Anatomicam observarunt, sæpissimè hepar insons in hydropicis, in specie asciticis fuisset repertum, de quo vid. præter *Helmont. Tr. ignotus hydrops* §. 10. *Sennert. l. 3. prax. ubi de ascite*, qui jam suo tempore assertum hoc rejecit. Unde in principio hujus seculi *Sylvius Duncanus, Medicus Romanus*, peculiarem edidit libellum, cujus titulus: *Hydropem non semper à Jecore fieri, excusum Romæ An.* 1601. Non nego equidem hepatis & lienis scirrhos fuisse subinde inventos in hydrope demortuis, sed hoc commune habent cum aliis visceribus. Viscerum enim quorumvis varia & multiplex observata in hydropicis constitutio præternaturalis, ita ut hactenus nil certi de parte solida primariò in hydrope affecta, colligi queat. Imò fieri potest, ut sine vitio

alicujus viſceris hydrops naſcatur, quando ab errore externo, à potu frigido confertim ingeſto, ▽ in abdomine colligitur; atque adeo non ſolius hepatis, ſed & aliorum viſcerum culpa, imo interdum viſceribus penitus illæſis, hydropem generari conſtat. Ut taceam obſcuram eſſe generationem & fiendi rationem Hydropis, ſi ex hepate oriri ſupponatur.

Propius ergo ad *cauſas* accedamus: Eſt g. hydrops non ſecus ac ſupra memorata cachexia, nunc *morbus primarius*, qui per ſe ex vitio rerum naturalium aut nonnaturalium ſucceſſivè naſcitur; nunc *ſecundarius*, qui ex vitio quodam morboſo præternaturali præcedente originem ducit. Nempe oritur hydrops frequentiſſimè

I. *Ex febb. intermittentibus* chronicis quibuſvis malè tractatis, ſpeciatim quartana diuturna, præſertim quando ægri in paroxyſmo nimis bibunt, frequenter hydrops oritur, adeo ut frequentiſſimus diuturnarum & malè tractatarum quartanarum pediſſequa ſit hydrops, pro qua præſervanda diebus intermiſſionis *amara* ex vegetabilibus febrifugis, præſertim *abſinthio* ſedulò uſurpanda ſunt, pro conſervanda bilis & ſanguinis craſi debitoque viſcerum tono.

II. *Ex aſthmate* (præſertim orthopnœa,) non ſolum humoroſo, ſed etiam convulſivo, cui, ſi diutius duret, ordinario hic hydrops ſupervenit; item ex aliis pectoris pathematibus hydrops obſervatur, ſiquidem aliquando ad empyema, ad phthiſin & ſanguinis ſputum hydropem hunc inſecutum obſervatum fuit.

III. *Ex Renum vitio* frequentiſſimus eſt hydrops, adeo ut renem ceu adæquatum artificem hydropis omnis aſſerat *Helmont. Tr. ignotus hydrops* §. 16. & 20. vel ex eo imprimis, quod totus hydrops per urinæ fluxum ſolvatur *cit. loc.* §. 3. Sane ex renibus obſtructis & debilitatis, aut ab iisdem ulceratis, crebrior hydrops obſervatus; ſicuti pariter nephritica pathemata & renes exulcerati frequenter hunc affectum inferunt: Mictus quoque ſanguinis diuturnus hydropem infert, teſte *Schenck. in obſervat.*

IV. *Ex vitio viſceris* cujusdam nobilioris, aut uſus neceſſarii in abdomine, hepate, liene, meſenterii glandulis affectis, utero &c. frequens hydrops obſervatus. *Rondeletius in Prax. cap.* 35. *de ſcirrho hepatis* inquit ſe ex frequenti corporum diſſectione obſervaſſe, omnes hydropicos, vel ſcirrhos, vel glandulas meſenterii induratas habere, aut pancreas ſimiliter conſtitutum. Sic lienem malè affectum, in ſpecie ſcirrhoſum factum, hydrops neceſſariò inſequitur. Par ratio eſt de hepate ſcirrhoſo hydropem inferente & ex vulnere hepatis, ſclopeto inflicto, ſuppuratô hydropem natum *vid. in M. A. N. C. Ann.* 6. *p.* 145.

V. *Ex ictero* & aliis quibuſvis cachexiæ ſpeciebus confirmatis tandem naſcitur

nascitur hydrops; in specie scorbutum hydrops sui generis insequi solet, de quo vid. optimè disserentem *Eugalenum Tr. de Scorbuto.*

VI. *Ascites à sanguine, vel præternaturaliter excretô, vel retento*, frequenter admodum oritur. Sic suppressæ Hæmorrhoides, ▽æ intercutis metum injiciunt. Sic propter menstrua consueta suppressa hydrops non raro supervenit; è contra post quamvis hæmorrhagiam aut nimiam, aut crebrius repetentem, semper hydropis metus imminet. Sic post vomitum sanguinis, post immodicum sanguinis sputum, hydropem insecutum, observatum fuit. Videatur *Riverius in obs. communic.*

VII. Imo *ex* aliis *nimiis excretionibus*, præsertim *per alvum*, crebrò genitus hydrops notatus, speciatim ex nimiis alvi fluoribus, tam artificialibus (sic enim leucophlegmatiam & ascitem à variis catarcticis malè adhibitis, notat *Poter. Cent. 2. cap. 92.*) & nonnaturalibus, quam præternaturalibus; sic ex alvi profluvio diuturno, observat *Ferdinandus* hydropem *hist. 58.* item hydropem gravem, succedentem ptyalismo diuturno & pertinaci, observavit *Thonerus in obs.* idem de dysenter. ac similibus excretionibus observatum.

VIII. *Crebrior* & copiosior aut intempestiva *potus*, præsertim frigidi, ingurgitatio hydropem infert. Sic ex haustu copioso frigidæ, post nimium æstum hydrops post tertianam genitus *in M. A. N. C. Dec. 1. Ann. 6. p. 85.* Potus nocturnus in specie ad hydropem disponit. *Vid. Act. Med. Hafn. vol. 2. p. 260. & 202.* In paroxysmo febrium, qui copiosius potant, præsertim frigida, facillimè hydropem incurrunt. It. ex copioso frigidæ potu in æstate hepatis scirrhus & hydrops *vid. in Fonsec. l. 2 cons. 39.* it. *Riverio Cent. 2 obs. 65.* Alius frigidam quotidie ante prandium bibens hydropicus factus, Autore *Panarolo Pentec. 3. obs. 42.* Quo facit Spir. Vin. nimius abusus & similium potuum aromaticorum aut generosiorum ingurgitatio nimia.

Juxta has causas, magis particulares, observandum, *sensibilis urinæ excretionis*, & *insensibilis transpirationis defectum*, utplurimum, si non semper, adesse in hydropicis. *Urinam* quod attinet sanè hæc non uniusmodi excernitur in hydropicis, quando utplurimum crassa, intensè tincta & perquam lixivialis, pauca tamen excernitur, quæ in aliis è contra, utut rarius, pallida, tenuis, cruda & pauca prodire solet. Sanè in omnibus parcior & longè minor, quàm assumtorum potulentorum fert ratio, prodire solet. Et ferè primam occasionem suggerunt hydropi renes, imo frequenter ex solis renibus affectis, atque lotium non emittentibus hydrops supervenit. Hinc etiam est, quod optima & tutissima cura hydropiseos in urinæ provocatione consistat, qua denuò copiosius fluente, subitò evadunt. Hinc est, quod id serum, quod aliâs sub formæ urinæ emittendum erat, in abdomine verò coacervatum & exhaustum arte, nullas tamen

tamen proprietates urinæ, nec sapore, nec odore, nec colore exhibeat, cessante nempe renum functione. *Schenckius* in cive Altenburgensi decollato & publicè dissecto renalem adipem maxima ex parte aqueam, defluere vidit indeque hydropis initia visceribus & testibus induta observavit & *Bartholinus* omentum in hydropicis computruisse vidit.

Quoad insensibilem transpirationem, hujus penuria colligitur ex eo, quòd licet multum seri colligant hydropici, nihilominus tamen difficulter sudent, ideoque & citra madorem illorum corpus est, nec in balneis facilè sudore madescunt; quod ipsum cum aliis cachecticis comune habent, qui omnes difficulter ad sudores cogi possunt. Hinc si sudor hydropicis supervenerit, adeò ut æger alleviari se senserit bonum. Forsan observationem hic meretur, quod *Smetius Miscellan. l.* 8. asserit, illos præcipuè difficulter sudare, quibus jecur & lien ætate morbove vel obstructione magna aut scirrho obduruerit.

Præmissis hisce *Symptomata* necesse erit considerare, quæ præsentia sui *hydropem* vel *præsentem*, vel plus minus *imminentem* designant. Incipiunt ferè pedes in inferioribus locis circa talos intumescere, tumore quidem œdematoso, plus minus seroso, impressa digiti vestigia aliquandiu retinente, qui noctu quidem imminuitur, ita ut matutino tempore multò exilior videatur; interdiu augetur, adeoq; vespertino tempore major longè apparet. Idem tumor paulatim adscendens transit ad ventrem, quem successive occupat; ut plurimum in scrotum sibi parat viam & tunc simul quandoque intumescunt testes, præputium & colis; quandoque penitus occultatur, quandoq; quadruplo major & translucidus fit. Dum æger de latere in latus convertitur, murmur & fluctuationem ▽æ quasi sentit, quinimo moto corpore, ▽. ita movetur, ut impetus ejus conspici possit, ut habet *Celsus*.

Intumescit autem abdomen plerumque sensim & vix animadvertentibus ægris & interdum quasi subito & brevi temporis intervallo. Præterea nunc unum tantùm latus tumor occupat, nunc utrumque, ita ut venter quandoq; in duas partes divisus videatur, nunc vero æqualiter distenditur venter ab hypochondriis ad pubem usque, erecto autem corpore, sensus ponderis procumbentis in regione inguinum percipitur. Plerumq; quidem venter etiam post mortem tumidus manet, raro vero detumescit, quod tamen observavit *Wallonius libr. 2. Epid. Eph. p.* 270. in duabus mulieribus, quarum utraq; cum hydropica foret, postquam extinctæ essent, ita resedit venter, ac si nunquam intumuisset. Dum sic inferiores corporis partes accrescunt, superiores decrescunt & emaciantur, præcipuè jugulum, cervix & pectus, quibusdam tamen & facies, præsertim matutino tempore à somno intumescunt, interdum & ad extremum manus inflantur, colore in facie utplurimum pallido plus minus ac livido. Multi pruritu admo-

admodum molesto vexantur, quidam etiam scabie laborant. Abscessus quoque & maculæ in cruribus quibusdam erumpunt, sæpius tamen lethales. Plerumque febris comitari solet hydropicos, estque continua lenta, circa vesperam manifestior. Pulsus est parvus, crebrior, subdurus, cum quadam tensione. Sitis imprimis ægros miserè vexat, quæ indulgendo crescit *& quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* Simul etiam cibi fastidium adest insigne; quodsi, quod rarissimum tamen est, sitiant parum, è contra commodè plus minus appetant, melius omnino signum putandum est. Hinc magnam angustiam circa præcordia sentiunt & spirandi difficultatem, maxime cum loca alta scandunt, vel decumbunt, estque unum ex præcipuis de quo conqueruntur, quæ etiam nondum apparente tumore incipit hydropemque præsagit, eoq; emergente incrementum sumit, adeò, ut sæpius à mediâ nocte orthopnœicorum more erecti spiritum ducere cogantur; hinc dispnœam nocturnam prænunciam hydropis ascitis esse asserit *Platerus in Observ.* & tum plerumque etiam tussis sicca, seu inanis ad tussiendum irritatio, eaque mali ominis accedere solet. Alvus nunc clausa est, nunc quibusdam, idque non absque εὐφορίᾳ, subitò liberior esse solet. Quandoque & epilepsia Asciti supervenit & grave periculum plerumque minatur; interdum eadem in apoplexiam lethalem convertitur: Refert enim *Wallon. lib. 1. Epid. Eph. p. 27.* piscatorem quendam hydrope laborantem epilepticum factum, sæpius convulsum, abscessu in testiculos & femora facto, liberatum fuisse ab hydrope & epilepsia.

Observandum autem ne obesi nimis, habeantur interdum pro hydropicis, de quo *vid. Hochstetteri decad. 10. p. 418.* Probè quoque observandum est, ne confundantur hydropicæ & gravidæ. *Discernuntur* autem invicem

1. *Ex calore faciei vivido* & bene habito. 2. *Ex tumoris specie: In gravidis* tumor abdominis ad præcordia sursum vergit, estque inæqualis: *In hydropicis* autem inferior pars abdominis intumescit, mammæ detumescunt & tumor undique æqualis & quasi œdematosus, ut nil dicam de motu fœtus. 3. *Certum signum est fluctuatio*, nempe ad tactum senties fluctuationem in hydrope. 4. *Vivacitas & vigor oculorum* significat gestationem; sed ubi hydrops est, perit oculorum nitor, fiunt lividi &c. 5. *Urinæ in gravidis* non sunt ita constitutæ, ut supra de hydrope dictum. 6. *Hydrops* valde membrum gravat, in gestatione autem non item. 7. *Quo se vertunt hydropici, eò labitur* ▽, id quod non fit in gestatione. Sitis in hydrope juncta est, in gestatione non. 8. *Denique sub hydrope menses* sæpe fluunt, in gestatione non &c.

Porro *Aquæ* istæ serosæ, seu contenta fluida non semper unius generis observantur. Plerumque est pallida & citrina & urinam ferè refert, vocant das gelbe Wasser/ interdum lutea, interdum viridis, interdum flava in nigrum

vergens,

vergens, interdum loturæ carnium ſimiles obſervatæ fuerunt aquæ. Exempla allegata *vid. in Senn.l.3. Prax. ubi de Aſcite p.717.* Easdem exemptas & leni igne tractatas, in gelatinam albam abire obſervavit *Boyle in Philoſ. experim.p.83.* ut & *Willis Pharm. rat. P.2.p.150.* In gelatinam viridem abiiſſe obſervavit *Simſon in Hydrolog.p.370.*

Acre quoque eſt fluidum illud, *ſalſum* ferè aut *acido-ſalſum*, quod alij ▽æ permiſtum, ſpumam inſtar ſaponis excitat. Ita refert *Gabelkhoverus* civem quendam Auguſtanum hydropicum, alterius conſilio dolio (in ein Faß mit Waſſer) inſidentem, ▽æ ſalſæ ſe immerſiſſe quotidie, & poſt 15. lotionis diem ruptum eſſe umbilicum & aquam omnem, quæ in ventre continebatur, effuſam in aquam balnei, hanc verò inde ſpumoſam totam redditam fuiſſe, ut ſpeciem aquæ, multo ſapone agitatæ referret. Unde etiam acrimoniæ illius ratione, ſubinde interanea erodit & exulcerat. Sicuti & ſubinde *ulcera in externis partibus* præſertim cruribus excitat, difficulter curabilia; unde & quod per alvum excernitur, non ſine morſu inteſtinorum ac præſertim recti, evenit. *Speciatim* aceſcentiæ cuiusdam participem illam aquam eſſe collectam, non immeritò ſuſpicatur *Willis Pharm.rat.P.2.p.164. Et confirmatur ulterius* ex eo, quod ſudor hydropici acidus lac coagulans obſervatus fuerit. *Vid. Act. Med. Haffn. vol. 4.p. 174.* & quod internè pariter, quàm in ſpecie externè diſcutiendo tumori dicata, ad *alcalium* naturam accedant v.g. ▽*a calc. vivæ*, *limaces ac cochleæ*, *lixivia ſtercorum* animalium &c. Sane ex acrimonia hac præſertim occultè acida, *duo* explicanda veniunt *phænomena* ab autoribus minus animadverſa. I. *Quod intumeſcentia illa crurum*, ſcroti & abdominis ſit quidem à contento liquore, ſed tamen fortis iſta tenſio & juncta quaſi inflatio, non ab eo, qua tali, ſimpliciter proficiſci videatur, ſed arbitror potius vim fermentativam habere hunc ipſum liquorem, ſeu ipſe in ſe fermentet, ſeu cum contentis cæteris liquoris, ſpeciatim nutritio ſucco ad partes iſtas diſtributo, motum turgeſcentiæ, proximum fermentationi, concipiat.

II. *Dum acre iſtud contentum acido ſalſum* undique à partibus membranoſis, v.g. cute, peritonæo, &c. concluditur, vix fieri poterit, quin ab eodem *vellicentur & irritentur* plus minus *fibræ* illarum partium, qua occaſione illæ tendi, & quaſi ſpaſmo affectæ obrigeſcere plus minus incipiunt, quo ipſo occludi poros & anguſtari quoſvis cæteros meatus contingit, adeò ut non tantùm inſenſibilis tranſpiratio & ſenſibilis tranſudatio eò magis impediatur, ſed & tenſis hoc modo fibris & membranis renalibus, etiam uberior urinæ excretio eò magis ſiſtatur. Aliàs ſane non video, quare *tam parùm tranſpirent aut ſudent hydropici*, aut ſaltim guttarum forma non copioſius aliquid tranſmittant per cutim, niſi hæc prius in puſtulas eroſa fuerit, aut alio modo fibris læſis tranſitus aquis pateſiat. Adhæc *anguſtia* iſta *præcordiorum in hydropicis* & impedimenta illa reſpiratoria,

ſpiratoria, quæ non ſolùm circa pectus, ſed ferè maximam partem circa hypochondria ſentiunt, *quaſi cingulo* ibid. *conſtringerentur*, non à ſolâ videntur eſſe repletione abdominis, ex eo, quod gravidæ fœmellæ geſtantes, utut ventre maximè tumido, de ſimili non conquerantur pathemate, quin mollia omnia & tactui cedentia in iisdem ibidem deprehenduntur, cum *hydropici* tendi circa iſta loca & conſtringi ita ſoleant, ut ne digitus quidem infra coſtas nothas poſſit adigi.

His ita præmiſſis *ad cauſam proximam* collectionis nempe & extravaſationis illorum humorum eſt delabendum, in Aſcite nempe, quæ ad Anaſarcam proximè accedit, ſeu in *Anaſarca* ſic dicta *particulari Williſii*, in qua pedes, ſcrotum & abdomen ad pectus usque & diaphragma intumeſcunt & ab *Aſcite* propriè ſic dicto, ſeu *particulari* abdominis hydrope, multum differt (quæ differentia in hiſtoriarum & obſervationum monumentis probè attendatur.) *Præſuppono* autem hic humorem iſtum eſſe maximam partem ſerum, ſeu commune recrementi & alimenti vehiculum, utut pro contentorum ſeu miſtorum ratione nunc chyloſum, nunc pituitoſum, nunc cruentum, nunc alio modo affectum deprehendatur. *Coacervatur hæc in corpore* ad hydropem diſpoſitio ob deficientem inſenſibilem tranſpirationem & imminutam urinæ excretionem. *Generatur autem primitus* (adeoq; hujus hydropis cauſa proxima erit) ex inſigni & notabili vitio in hæmatoſi contingente, ac plus minus deficiente, ratione cujus aſſumta in chylum mutata cum juncto vehiculo ſeroſo aſſimilari debitè maximam partem nequeunt, quin hic ipſe ſucceſſivè in ſanguine, continuato hujus circulo, alteratus magis magisque attenuatus & reſolutus tandem certis in locis decumbit & extra vaſa cum vehiculo ſeroſo ſubſiſtens tumorem talem infert, quod pluribus explicatum *vid. in Willis Pharm. rat. p. 2.* *Remotæ cauſæ* omnes erunt eædem, quæ cachexiæ, cum ut ſupra monitum hæc frequentiſſimè in Anaſarcam, nunc univerſalem, nunc particularem cum aſcite junctam degeneret. Unde dum per ſe incipit hic hydrops, ferè vitium læſæ in primis viis digeſtionis ſubeſſe ſolet. Dum autem alios morbos inſequitur, pro horum læſione, corporis ejusq; partium ſolidarum & ſanguinis alteratione multiplici, etiam multipliciter ad hydropem diſponent, de quibus *remotioribus cauſis* ſuperius pluribus actum. Unde pro cauſarum harum remotarum diverſitate humorumq; in corpore alteratione multiplici, ſubinde tanta diverſitas humorum in corpore hydropicorum nata fuit.

Extravaſatur vero idem ſerum multiforme, non ex vitio vaſorum lacteorum & lymphaticorum, niſi in partialibus hydropis ſpeciebus (de quibus infra ſuo loco) aut niſi ſaltim per accidens & ſecundariò; ſed reverà ex vaſis arterioſis oriri omnino probabiliſſimum eſt. Nempe pro hujus notitia tria hic *ſuppo-*

nenda erunt. I. *Sanguinis texturam & mistionem* in hydropicis ita esse alteratam, ut minus exactè cum coacervata uberius colluvie serosa, plus minus chylosa miscibilis sit, adeoque serositates istas facilius separari & hinc inde extra se quasi diffluere permittere, cum aliàs serum à sanguine facilius separabile existat, ut in sanguine venâ sectâ emisso manifestum evadit. II. *Contentos corporis humores, in specie* sanguinem & serum naturaliter non moveri proprio impetu, quia aliàs omnis motus fieret ad inferiora, nullus vero ad superiora; sed more mechanico à cordis impetu per vasa pelli, adeoque se purè passivè habere, ac superius & inferius nescire: Simul verò ac vis ista vitalis seu animalis movens in corde plus minus debilitatur, proprio impetu gravitatis ac ponderis eosdem ferri, adeoque deorsum ruere. III. *Firmo stare talo experimenta ista Lovveri de Corde c. 2. p. 123. & seqq.* quòd ligata vena cava canis infra cor, brevi post tanquam ascite laborare, ut animalis abdomen aqua repleatur & ligatis jugularibus, tumor aquosus, hydrocephali instar, superveniat, utrumque saltim ex impedito sanguinis per venas circulo; sicut & eadem allegat *Willis in Pharm. rat. vol. 2. p.* 199. Adeoque ex impedito plus minus sanguinis arteriosi in venas transitu separationem & extravasationem seri facillimè contingere. Quâ ratione etiam videntur oriri *hydropes subitanei* à causa externa, sine prægresso interno vitio, v. g. dum hydropem ascitem subitaneum ex gestatione oneris gravioris notat *Bartholinus Cent. 2. hist.* 74. vel dum ex compressione circa os stomachi hydropem notat *Borellus Cent. 2. obs.* 24.

His ita præmissis dicendum videtur in iis ægris, quibus quocunque ex vitio *hydrops* supervenit, v. g. in *cachecticis confirmatis*, ex virium aliquali defectu & massæ sanguineæ serosioris laboriosiori & difficiliori circulo, hanc ipsam proprio impetu ac mole magis deorsum ferri, ac hinc difficilius adscendere, indeq; impulsum in arterias factum, in venis haud leviter imminui, ut difficilior ex illis in has, ob id pleniores, respectivè fiat transitus, sub quô transitu juxta osculorum extremitates sanguis spissior, & qui impetum moventem à corde impressum & per arterias continuatum facilius, quam fluidius serum suscipit ac retinet, in venulas tandem ex arteriolis intruditur; ipsum vero fluidius serum, quæ data porta suopte impetu fertur, à sanguine secedit ad inferiora, præsertimque circa loca, ubi notabilius languescit à corde impressus impetus, congeritur, donec pedetentim magis magisque coacervatus, superiora versus tandem vergat. *Hinc enim magis vesperi quàm manè*, magis stantibus aut sedentibus, quàm jacentibus tumor increscere solet; ad quod ipsum & supra insinuata fibrarum strictura haud parum facere poterit. Vivit hic aurifaber, qui ex quartana contumaci per annum male tractata, anasarcâ partium inferiorum, cum incipiente ascite laborat, ex qua ipsa suo quoque tempore morietur. Hic quoties quavis ex causa, in specie iracundia, vel *erysipelate*, vel *pleuritide notha*, quod sæpius

evenit,

evenit, corripitur, idque semper cum m[illegible] febrili, gravissimo rigore, intensissimo aliquot dierum æstu & hinc sudore uberrimo superveniente accidit, toties mox primo hujus affectus die omnis tumor *hydropicus* evanescit, pedibus flaccidis & extenuatis apparentibus. Dum vero febrilis impetus post aliquot dies remittit, pedetentim, etiam decumbenti adhuc, *crurum & scroti tumor* redit. Nempe febrili sub impetu cum alteratione sanguinis in specie rapidior ejus circulus & validior impulsus, quo retruduntur in vasa evacuatæ serositates, considerandus venit.

Idem extravasandi modus obtinet in *Anasarca universali*, hac saltem cum differentia, quod in Anasarca, virium, contenta corporis moventium, robur adhuc validum sit, quod æqualiter sursum deorsum eadem qualitercumque constituta movet; In *Anasarca* autem *particulari* partium inferiorum cum ascite complicata, debilius, adeoque regendis iisdem corporis contentis minus sufficiens, hæc ex parte sui motu spontaneo ferri permittit, quæ ob id deorsum magis ruunt, cùm aliàs undique æqualiter distribuenda forent. Sed dum sub transvasatione ista ex capillaribus arteriolis in venosa, ob pororum & meatuum angustiam, per quos trajectio fieri solet, difficilior suo modo, adeoque tardior fiat sanguinis motus, hinc serum facile à reliquâ sanguinis massa recedere, partium vicinarum porulos subire & ita undique plus minus stagnando, *Anasarcam universalem* inferre potest. Forsan & à chylo, seu pituitoso isto seri contento, quædam venulæ capillares ut & vasa lymphatica obstrui, aut angustari plus minus poterunt, qua occasione & difficilior sanguinis circulus & facilior copiosiorque seri secessus fieri potest.

Atque hæc quoad *theoriam* hydropis ordinarii sufficiant. Nam observatur præterea quoque *hydrops* magis *extraordinarius*, â colliquatione natus, dum non tam coacervari, quem ex contentis aliàs humoribus per colliquefactionem generari serum hydropicum observatum. Docet experientia in febb. acutis & hecticis, ut aliàs excretiones colliquativæ sunt familiares, ita etiam his subitò aquâ abdomen intumescere, ita ut præter chylum ac sanguinem ipsa etiam pinguedo colliquefacta in serum abire videatur, uti hoc ipsum in diabeticis quoque fieri solet. Hinc in hydropicis subinde observatur, aquam heri evacuatam arte per paracentesin, hodie æqualiter demum abdomen replevisse, de quo *vid. Helmont. Tr. Ignotus hydrops* §. 14. Sed in hoc hydrope colliquationis primaria ratio habenda est, utpote cujus affectus ceu productum saltim est hydropica ista intumescentia.

Prognosin nostri hydropis egregiè tradit *Hippocrates l. 2. prædiction.* quem locum *Celsus l. 2. c. 7.* ita vertit: Aqua inter cutem minimè terribilis est, „ quæ nullo antecedente morbo cœpit; dein quæ morbo longo supervenit. „

" Utique si firma viscera sunt, si spiritus facilis, si nullus dolor, si sine calore cor-
" pus est æqualiterque in extremis partibus macrum est, si venter mollis, si nul-
" la tussis, nulla sitis, si lingua ne per somnum quidem arescit, si cibi cupiditas est,
" si venter medicamentis movetur, si per se excernit mollia & figurata, si non ex-
" tenuatur, si urina ex vini potatione & non potis aliquibus medicamentis muta-
" tur, corpus sine lassitudine est & morbum facilè sustinet, siquidem in quo hæc
" omnia sunt, is ex toto tutus est: In quo plura ex his sunt, is in bona spe est.

In specie tota *prognoseos* ratio consistit saltim in accuratâ consideratione *causæ remotæ* & constitutionis viscerum abdominis horumque collatione. Hinc si cum hydrope conjunctus est *scirrhus* visceris cujusdam insignioris, v. g. hepatis, lienis &c. difficulter admodum ac fere nunquam curatur, aut curatus licet, facilè renascitur, qui recidivans ordinariò lethalis est. Hydrops, qui post febrem oritur, non adeò est periculosus, nec curatu difficilis, quam qui à seipso incipit. Et in hydrope, cachexia aliisq; morbis diuturnis similibus, dejectio nigra, quæ non est à medicamentis, lethalis. Hydrops ex perverso purgantium abusu admodum periculosus. Quò lotium minus redditur, eò deterior est hydrops. Tussis in hydropicis malum, autore *Hippoc. sect. 6. §. 47.* Abscessus vel maculæ in cruribus erumpentes, lethales.

Quoad *curam*, in hac 1. *humorum colluvies removenda.* 2. *eorum scaturigo sistenda.* Hoc principale, illud minus principale. Quoniam verò collecta colluvies impedit potiorem intentionem, propterea quantum possibile, removenda. Posterius obtinet *in genere*, sanguinis crasin & inde vitiatam hæmatosin emendando, digestionem primam corrigendo, bilem acuendo & urinæ fluxum promovendo. *In specie* pro antecedentium causarum varietate & relicta noxa aliqualis varietas subinde observanda: Adeoque omnia ea, quæ *supra de Cachexia* monita fuerunt, hic repetenda.

Pro his scopis ritè obtinendis *observand. seqq.*

I. *Purgantia* in hoc hydrope bene conveniunt, cùm iisdem sæpe copiosa ▽ ex abdominis cavô evacuari soleat; verùm purgatio crebra est nociva. Nam dum purgantia evacuant serositates, simul utiles succos plus minus colliquant & ita vires ac viscera debilitant. Hinc rectè dicit *Lindanus*,
" qui vult recte curare hydropem, raro debet purgare, dare tamen tunc debet
" ea, quæ vehementer purgant: Inter medio verò tempore *appropriatis* ac mas-
" sam sanguineam ac reliquos humores corrigentibus & in naturalem crasin
" reducentibus debent insistere. Confer hic ea, quæ habet *Bruno in Notis ad Jessenij iudicium de sanguine è vena sectâ emisso. p.* 147. Observandum etiam ut purgans exhibitum operationem suam ritè assequatur quod si fiat, bonum, sin minus,

minus, malum, cum colliquando ſolum contenta corporis, aſt non evacuando, malum augeat. In Principio vel *lenia* ſaltem, primas vias *abſtergentia* & *per epicraſin* blande *evacuantia* conveniunt, ut ita diſponantur primæ viæ ad ſubſecuturas fortes purgationes. Commodius inſtituuntur *purgationes* ☽ *decreſcente*, creſcente enim malum accreſcit, decreſcente verò decreſcit, unde quo tempore habemus adjuvantem naturam, purgatio inſtituenda.

II. *Vomitoria* rarius in uſum vocantur, utut interdum fructuoſus obſervatus fuerit eorundem uſus. Meminit *Celſus, in ſuis ſcriptis, Metrodori Philoſophi*, qui fuit diſcipulus *Epicuri*, qui hydropicus, cum plurimum biberet, ſed mox omnia revomeret, ſic convaluit; cujus exemplo, inquit *Celſus* Medici vomitum probant & laudant in iis, qui facilè vomunt. Facit huc quod refert *Foreſtus obſ.32.l.19. in Scholio*, ubi quidam hydropicus prô deſperatô habitus, adſcendit naviculam & petiit mare, hinc provocato vomitu & poſt vomitum exercitio curatus. Interdum ergo ubi adeſt vomendi inclinatio, aut etiam, ubi gravior diſpnæa urget ægrum, commodè inſtitui poteſt vomitus. Sed neceſſe eſt, ut larga doſi propinentur *vomitoria*, cum in hydropicis, præſertim confirmatis rarius vomitum procreare ſoleant exhibita emetica. Sic enim ☿ *ius vitæ gr. ij. l. iij.* quæ aliàs abunde ſufficiunt pro vomitorio, hydropicum non movebunt, idque aut ob ventriculi atoniam, aut ob remediorum à contentis ſeroſitatibus acido ſalſis alterationem & quaſi fixationem.

III. *Diuretica* ſunt optima. Hæc nempe vera ſunt hydragoga, cum naturæ ſit mos, per vias urinarias ſuperfluum ſerum naturaliter expurgare, unde præmiſſis neceſſariis univerſalibus his imprimis inſiſtendum, aliàs intempeſtivo eorundem abuſu, impeditur urinæ fluxus potius, quam ut promoveatur. Aliàs multis ſatisfaciunt ſcopis, præſertim quæ ſunt ex numero *volatilium*, v. g. quæ ex *urina, lumbricis, bufonibus*, &c. petuntur, quia ſalina virtute *incidunt, penetrant, abſtergunt, aperiunt, reſolvunt* &c.

IV. *Opiata* ac ſimilia *narcotica* qua talia ac per ſe, hydropicis utplurimum ſunt lethalia, ut per experientiam confirmat *Mollenbrock de Arthrit. vag. p.159.* Quod verum arbitror, cum *opiata* in morbis chronicis ac propemodum ad extrema deductis, ut fit in hydrope, quando vigiliæ accedunt, minus proſint quam in acutis, quin vires ulterius dejiciunt & viſcerum tonum ulterius labefactant. Imò poſt chronicos aut acutos morbos, dum languent adhuc ægri & quædam adhuc ſymptomata ſuperſunt, ſi iisdem *opio* ſuccurrere velimus, periculum eſt, ne hydropici exinde fiant, quod fieri obſervatum. Saltim per accidens ſpirituum impetum nonnihil refrænando & fibrarum irritatarum ſpaſmum demulcendo, ſicque ſudorum & urinarum fluxum promovendo prodeſſe

prodesse observata fuerunt. *Conf. Bartholin. Cent. 3. Ep. 46. & 149. p. 192. 201.* Quò pertinet mirabilis observatio *Willisii Pharm. rat. p. 1. p. 302.* Sed cum effectus hic sit accidentarius, propterea nonnisi sedulâ circumspectione administranda veniunt. *Vid. Bierling. C. 1. advers. 5. p. 16.*

Auxilia igitur quæ *priori scopo* conveniunt, sunt *evacuantia*, tam *interna*, quam *externa*. *Interna* sunt *purgantia*, *diuretica*, & interdum quoque *diaphoretica*. *Externa* sunt *paracentesis*, *vesicatoria*, *escharotica* &c.

Quoad *purgantia* plura hic passim in usu esse observantur. Selectiora saltem proponere est animus, quæ inter est *sambucus* eiq; cognatus *Ebulus*; in specie horum *cortex medianus*, ex quo expressus *succus* cum *oxymel. Squillit.* propinatus insigniter ▽as evacuare solet. Sed *Autore Foresto l. 19. obs. 37. in scholiis*, si *cortex* iste sursum à ligno abradatur, vomitus concitat, sin verò deorsum versus, per inferiora purgat, de quo experientia consulenda. Præ cæteris appropriatum purgans est *radix ireos nostratis* flore cæruleo. Purgat sanè validè, sed in sapore ejusdem acerrimo simul vim hydropicam alterativam specificam latere existimo. Usurpari potest *radix recens* incisa & ad ℥iij. *infusa* in vino vel sero lactis; vel exprimatur *succus* & per residentiam spontaneam depuretur, qui abjecto sedimento à ʒvj. ad ℥j. propinatus copiosè evacuat ▽as. Nam si decoquatur, vim laxandi amittit. Ne vero acrimonia sua noceat, cum *syr. viol.* mistus propinetur, ac ne ventriculum nimis labefactet, cum ▽ *cinam.* addita exhibetur; vel *radix recens* incisa blandè ebulliat in jusculo pulli, de quo ægro, præsertim debiliori existenti, tantum propinetur successive, donec sufficiens subsequatur evacuatio. *Gialappa* à ℈j. ad ʒß. propinata, aut etiam ejus *resina* ad *gr.* xv. cum vitello ovorum dissoluta & in form. *emulsionis* propinata, aut *essentia* ejusdem *citrata* ad ʒß. l. ʒvj. exhibeatur.

Vel ℞. Tart. Vitriolat. gr. xij.
resin. jalap. ℈ß. ad gr. xij.
Extr. troch. alh. gr. vj.
ol. distillat. macis gt. ij. M.

Gummi gutta & his accensetur, sed cautus sit ejus usus, tum quod incognita sit ejus progenies, tum quòd autore *Lindano* ab eodem facilè exulcerentur pulmones; quin potius his palmam præripit *elaterium*, quò vix datur præstantius remedium, cujus *essent.* it. *extr.* feliciter exhibuit *B. D. Michael.* v. g.

℞. Extr. Elater. g. xv. l. ℈j.
resin. jalap. gr. ij. *aut ubi evacuandum, serum pituitosius.*
Extr. troch. alhand gr. j.
c. s. q. ess. absinth. F. Pilul. S. Purgier-Pillen.

Sanè

„Sanè *Lindanus* dicit: *Elaterium* per se est nobilissimum remedium. Credo „meum parentem hoc loco centum hydropicos servasse. Nempe præscripsit aliquando rustico gr. viij *Elaterii* in pilulis, qui eas Pharmacopœo persolvens, statim deglutiit. Sed domum tendens, motu illo pilulæ cæperunt operari, detrahensq; caligas in via, ventrem suum amisit. *Radix bryoniæ* purgans est *Helmontii* in hydrope, sed correcta nonnihil; ac sane *bryonia* hæc tanquam evacuans & alterans singulariter convenit; in specie in *hydrope uteri bryoniæ* hæc *radix* singulare quid obtinere videtur.

Ex regno minerali excellunt pilulæ ☽nares, nempe *crystalli* ex ☽*a* purissima cum *spir. vitrioli* parati, sapore amarissimi, sed mirabiliter ▽m evacuantes. Præparandi rationem, cum omnibus enchirisibus, optimè descripsit *Boyle in usu Philos. experim.* *Crystallor.* talium *gr. ij. l. iij.* cum mica panis in *pilulas* redacti, aquam copiosam evacuare solent. Alias *&* ☿ *alia* decantata sunt in cura hydropiseos; unde ☿ *dulcis* mistus *cum* ☿ *io vitæ*, perquam conveniens laxativum est. Misturæ proportionem docet *Hartman. in prax. chym. p. 25. edit. à Cardiluc. in* 4. Si quidem sub benè factâ istâ miscelâ, acidum ☿ *ii dulcis* figit ☿ *ium vitæ*, ut evadat remedium maximam partem per inferiora purgans.

℞. Conserv. flor. persic. ℥j.
☿ vitæ cum ☿. dulc. mist. gr. xv.
Extr. Elat. gr. j. ad ij.
c. s. q. syr. flor. persicor. l.
syr. de spina cervin. F. Bolus. pro dos. j.

Diuretica inter excellunt in specie *juniperina*, cujus *rob* simul egregium alterativum existit; hinc *malvaticum juniperinum* mistum c. *tinctura nephritic.* egregiè prodest. v. g.

℞. Malvat juniperin. ℥iv.
tinct. nephritic. a. hujus loco.
spir. carminat. ʒj. M. pro dos. cochl. j. l. ij. pro lubitu.

Sanè *decoctum lign. juniper.* longè magis appropriatum sudoriferum existimo præsertim in Anasarca, quàm *decoctum lign. Guajac. & sassafr.* Unde & *decoctum bacc. Junip.* in vino generoso experimentum est *Rulandi*, quo ipso per sudorem & urinam hydropem curavit. In specie *alcalia* sunt, quæ pro usu diuretico hydropicis propinantur & quidem in hydrope anasarca magis *fixa*, in ea v. quæ ad ascitem propius accedit, aut, in qua urina crassa, intensè tincta & lixivialis apparet, *volatilia*. *Fixa* ista sunt θ*ia lixivialia*, *sarmentorum vitium. juniper. genistæ, stipit. fabar. absinth. fimi columbini, &c.* Hæc ipsa diluuntur in vino & ita sub forma *lixivii* propinantur. v. g.

℞. θ. Sarmentorum vitium,
fimi columbin.

juniperi. an. ℥j. infunde in
vini Rhenani ℥vj. M. de quo hauriatur. Sed adduntur interd. *aromata*, ut firmetur melius tonus stomachi.

Vel. ℞. Ciner. genist. ad albedin. calcinat. ℥iiij. ponantur in vase vitreo ad digestionem c. ℔ij. vini alb. per aliquot hor. Colentur. Dos. ℥vj. ad ℥viij. bis in die.

Pertinet huc *lixivium benedictum Mynf.* ab. ℥ij. ad ℥iij. pro cura hydropis usitatum; vel quod fuit experimentum *D. Ellenbergeri*

℞. Ciner. tamaris.
juniper.
vitis,
salicis.
genist. an. Mj.
Rad. Vincetox.
valerian. an. ℥ij
urtic. ℥ß.
angelic.
helen. an ℥ij.
ireos nostr. ℥ij.
liquirit. ℥j.
bacc. junip. ℥ß
rhabarb. elect. ℥ij. M. hisce infundatur vinum, l. ana ▽æ & aceti & de colatura post infusionem crebrius bibatur. Modo laudatus Practicus *lixivio ex cineribus stipitum fabarum &c.* vetulam curavit hydropicam, quæ postea 4. adhuc liberos peperit; in specie *θ junip.* it. *θ betul. arboris* in vino malvatico per urinam hydropem pellunt. *Volatilia diuretica* in specie sunt θia volatia ut *spir. θ✳, tartari, carminativus, tinctura nephritica.* In specie remedia ex *lumbricis & bufonibus* parata &c. Quo & *spir. urinæ* per putrefactionem, ejusque *θ volatil.* bene rectificata pertinent, isque multum laudatur à *Poppio.* spir. hunc *volatilem urinæ* conjungit cum ana S.V *rectif.* additô paucô *ambræ & moschi* digerit, circulat & ita unit. Dos. ℈j. ad ʒß.

Imprimis *lumbricalia* sunt optima; nempe 1. *decoctum lumbricorum* in vino propinatur. 2. *spir. lumbric.* per putrefactionem paratus in haustu vini malvatici, aut *malvatico juniperino*

Vel ℞. Spir. lumbric. terrest. ʒij.
urinæ volat. ʒj. M. Dos. ʒß. bis vel ter in die in haustu vini *decoctionis rad. fœnic. & bacc. juniperini*, it. *liquor. lumbric. terrestr.* in clibano paratus ad imitationem *Crollii in Basilica chym.* egregius est ad hydropis curam. Ead. de *Asellis* valent. In specie *Bufones* singulare quid obtinent in hydropis

dropis cura, nempe. ℞. *bufones* q.v. exicca in umbra, post exscinde capita & exime intestina, quod reliquum, redige in *pulverem subtilissimum* & de hoc vel solo, vel cum *pulvere hepatis* proprii misto, dentur gr. x. ad xv. usque ad ℈j. quæ potes dare 3.l.4. vicibus, ita tamen, ut 3.l.4 dies, post assumtiones, interponantur, ne debilitetur æger. Casu inventum hoc remedii genus, uti in *Hildani* ac *Solenandri* scriptis potest videri. Aliàs & *bufones* vivi lumborum regioni applicati per copiosum urinæ profluvium hydropem solvere dicuntur. Differentia hæc inter *alcalia* hæc *diuretica fixa & volatilia* probè observanda. *Conf. Wedel. in Pharm. p.* 150. *& Willis in pharm. rat. p. 1. p.* 316. *&* 36. Pertinent quoq; huc *opercula cochlearum*, quorũ bene depuratorũ & pulverisatorũ mane & vesperi larga dosis in liquore convenienti propinetur, pellunt n. potenter per urinas. Alii c. *spir.* 🜍*is* solvunt hæc opercula & hinc eod. modo atque c. *tinct. l. liquore nephritico* procedunt & ita liquorem diureticum antihydropicum acquirunt. Juxta hæc *diuretica* interdũ etiam procedendũ est *ad* diaphoretica & sudorifera, præmissis nempe præmittendis, in specie diureticis, & quidẽ conveniunt magis in hydrope *ad anasarcã* accedente, quàm in ascite. Pro quo usu quælibet etiam aliàs diaphoretica conveniunt: In specie dicta *juniperina* supra laudata, *decoctum lignorum*, *decoctum milii &c.* Occasionem primam, ut aliàs, casus suggessit. Refert nempe *Langius supra cit. ut & Lipsius de hydrope*, de rustico hydrope laborante, clibanum pictorium, adhuc calidum, ingrediente & mediante sudore ita curato.

Forsan & Salivatio ☿rialis *interdum* ceu fructu institui poterit, de quâ conf. *Grembsius Tr. Arbor integra & ruinosa hominis l. 2. c. 1. §. 6.* „Aliqui, *inquit*, in curatione hydropicis utuntur ☿*ialibus* præmisso digestivo. „℞. Magist. Tartar. Vitr.. ℥iß. fæcul. bryon. ℥i. 🜍. card b. genist. an. ℥ß. mag. co- „rall. ℈ij. M. pro 8. partibus, postea porrigunt ☿ii dul. gr. xv. gumm. gamandr. „gr. v. conserv. ros. ℥ß. cum syr. ros. q.s. Dosin postea tribus granis augent, usq; „dum Salivatio oris superveniat. Hæc sunt *interna* satisfacientia *indicationibus*.

Externorum usum ipsa docuit natura, quæ nunc per spontaneam in umbilico abdominis tumidi apertionẽ, nunc per vesicas in cruribus excitatas, nunc foramine in pollice pedis sponte aperto, successivè collectam colluviem evacuando, hydropicos curavit. Ad hujus imitationem instituta fuit primitus *paracentesis*, h.e. abdominis artificialis apertio, idque nunc veterum methodo, pertundendo abdomen per lancettam, imponendo hinc cannulam; nunc, idque melius, recentiorum methodo, per acum argenteam perforatam. Locus convenientissimus est umbilici dilatati prominentia, hinc à latere umbilici aliquot digitorum transversorum latitudine, notando simul membranam peritonæi in hydrope valde crassescere. *Vid. Barbett. Anat. pr.* it. *Observationes cultro anatomico*

Lyseri annexas p. 283. Emittenda a. venit ▽ successivè. Nam ex subitanea ejusdem extractione mors subinde sequitur. *Vid. Timæus p.* 31. ℥vj. vij. *vel* ℥x. pro virium ægri ratione, evacuentur. *Conf. Tulpius l.3.obs.*38. *Item l.4.obs.*42. *Hild. Cent.* .*obs.*47. *Cent.2 obs.*53. *Panarolus Pentec.2.obs.*17. & in genere quosvis Chirurgos. Operatio hæc in se est tutissima & quæ aliis remediis internis præsertim alterantibus ritè adhibendis optimè inserviet, modo in tempore adhibeatur. Nam in duobus imprimis fallit casibus. 1. *Quando nimis tardè adhibetur*. Sic enim fit, ut nimis profundè radicato malo & corruptis plus minus visceribus internis, ob præterlapsam occasionem malum non cedat. Et sanè magis in Ascite ceu hydrope abdominis particulari, quàm Anasarca locũ habet 2. *Quando cum hydrope nostro conjunctus est scirrhus*, l. aliud quid singulare, aut incurabile visceris cujusdam nobilioris vitium, tum evacuata ▽, restitante tamen scaturigine, palliativum saltem est levamen.

Juxta abdomen *& scroti* nimis tumidi, ad naturæ imitationem, fit *apertio* vel ferro, l. cauterio, atque sic optimè spongia admota, successivè evacuatur aqua. Sed probè hic observandum, ne, quod facile evenit, in loco aperturæ gangrænam concipiat. Labefactatur nempe partium membranosarum continentium tonus & spir. insiti vigor à contentâ colluvie, quæ magis per loca aperturæ jugiter destillans facilè mortificationem inferre potest. Hæc ipsa igitur sedulò præcavenda, defendendo partem, circa locum apertum, non communibus ♄ninis ac similibus remediis, defensivis dictis, ad inflammationem aliàs usitatis, sed additis in specie *balsamicis*, resinosis, amaris, ad gangrænæ curam aliàs usitatis. Hinc *Emplastro de minio Paracelsi* ad aptatur *Empl. diasulphuris Rulandi* ceu præservativum gangrænam inhibens. Interim tamen si gangræna scroti invalescat, fit subinde, ut penitus decidat, sed succrescente carne, testes involvente, defectus ejus sponte naturæ resarcitur. *Vid. Timæus in Cas. p.*269. Id quod pariter & in lue ♀ea, post scroti sphacelum, evenire observavi.

Post scrotum *& crura* subinde scarificari solent; nempe circa loca carnosa & circa suras instituendo scarificationem lenem, ita ut incisiones à se invicem aliquantisper distent, *defensiva* supra & infra admovendo. Promptè enim levi facta cutis læsione, copiosum serum transudat, linteolo molli citra frictionem abstergendum, vel apposita spongia excipiendum, ac præterea loca vicina propter facilem gangrænæ metum, defendenda, nempe fovendo subinde cum *S. V. simplici, aut theriacali, aut crocato* & imponenda desuper *empl. balsamica defensiva.* Quin & ne vulnuscula gangrænam concipiant, S. V. *camphorato* subinde eluenda sunt.

Præterea vesicæ spontaneæ subinde in cruribus se aperiunt, quibus disruptis multa ▽ evacuatur, unde iisdem *folium brassicæ* est applicandum, utpote quod multum seri extrahit. Ad hujus imitationem quidam *vesicatoria* locis crurum car-

carnosis applicant, nempe vel prope suras, vel in parte carnosa femorum. His enim apertis copiosa colluvies evacuatur & loca ista carnosa minus facilè gangrænam concipiunt, quam nervosa.

Cæterum quoniam confertim nimis per vesicatoria fit evacuatio & majus de gangræna periculum, potius *escharotica* seu *cauteria* vel *actualia*, vel *potentialia* circa loca carnosa applicant. His ipsis enim successivè per parvum foramen, c. minori gangrænæ metu fit evacuatio. *Modum applicandi cauteria* unà cum defensione crurum à gangræna, optimè refert *Willis Pharm. rat. P. 2.* Nempe fotus aromaticus partem confortat debilem, cujus robur per balsamicam vim *picis Burgundiacæ* conservatur, sicque gangrænæ metus optimè præcavetur. Quin & *puncturæ cum acubus*, ob evacundas aquas, optimè institui possunt. *Vid. Willis cit. loc.* Hisce denique accedit profundior paululum unguium abscissio. Hâc enim occasione successive ▽ destillans, hydropicos deserit. *Vid. Schenck. in observ.*

His modis *primæ indicationi* satisfieri solet.

Quoad secundam indicationem, in usu sunt *alterantia* in genere sic dicta, varianda quidem subinde pro caussarum remotarum differentiis: Quæ tamen ordinariò ferè locum habent, sunt imprimis *♂alia* & *amara*, aliâs *epatica* & *aperientia*, calefacientia dicta, quæ inter excellit *absinthium*, adeò ut existimem, potissimam hydropis curandi vim sitam esse in ♂ & *absinthiô*. Juxta hæc sunt & *vincetoxicum*, *chelidonium majus*, *rhab. marrub. rubia tinctorum*, *allium*, *hederaterrestr. Bellis minor*, *rob junip. & sambuc. Tartarea* quævis, *lap. ceraun.* seu *fulminaris*; quæ omnia eò nobilioris sunt effectus, quo ipsorum usu, sed additorum aliorum ratione, copiosior urinæ fluxus supervenit. Hinc quælibet *♂ialia aperitiva*, *pulveres & extracta anticachectica*, præsertim cum *Tart.* præparata aut sociata, sunt convenientissima, iisdem temporibus cum aliis alterantibus usurpanda, quibus à purgantibus vacamus. Sic vinum *♂tiale hydropicum Cnöpheli vid. in M. A. N. C. Ann. 6. app. pag.* 107. Ubi simul integra hydropis cura tam per interna, quam per externa reperitur. Quò referenda quoque cura hydropis, quæ recensetur in *Act. Hafn. vol. 5. obs.* 119. his verbis: Salvis „ aliquomodo visceribus & vasis lymphaticis incorruptis, medela dabitur, non „ purgantibus, non sudoriferis, non diureticis, quod fiet rarò (loquor enim de „ hydrope confirmato) non paracentesi, quæ ultimam plerumque absolvit „ lineam, vix centesimo salutaris; sed medicamentis exsiccantibus & diæta. „ Inter *exsiccantia* medicamenta laudem præ cæteris habet *chalybs*, ut sæpius Deo „ benedicente expertus sum, qui & aperiendi & viscera roborandi vi pollet „ insigni: *Limatura* in vino Canariensi seu Rhenano seu Gallico cum *Zedo-* „ *ariæ rad.* infusa, ubi Tinctura sensim extrahitur, & ab essentia chalybis vinum „ fere insipidum redditur, Formula hujus medicamenti talis mihi in usu est. „

 ℞. Lima-

„ ℞. Limaturæ chalybis recentis ℥j. rad. zedoar. elect. incis. & contus. ʒvj. M.
„ & insuantur sacculo ex sindone albâ. S. Säcklein zu einer Pote Wein. Hu-
„ jus vini chalybeati manè & vesperi recipiuntur tria aut 4. cochlearia, &
„ fiat continuatio ad 4. aut plures septimanas, sensim affundendo vini aliquid
„ (prout tinctura ex chalybe efficacior appareat) usq; dum mitigetur malum &
„ sanitatis spes affulgeat, observata diæta conveniente. *Absinthium* nobilissimum simplex, cujus solius usu plures hydropici curati fuerunt. Vid. *Febrius de Absinth. pag.* 116. *Vincetoxicum* à pluribus decantatum specificum est, cujus *decoctum* per sudorem & urinam specificè hydropicis confert. Huc pertinet *destillatum Paracelsi*, quod ad ejus imitationem multi autores usurparunt & commendant:

℞. Tart. rubr. ℔. j.
hirundinar. ℔. ß.
colcothar. ℥viij.
vini ard. q. s. pro incorporatione; destillentur & dentur in vehiculo quodam appropriato, aut in vino malvatico. Pellit urinam & alterat specifice, continuato tamen usu opus est, cum post aliquot dies saltem operari soleat.

Rhabarbarum alterans quoq; specificum ad hydropem, ita ut existimem Electuariô factô ex *Rob juniperi* cum *rhabarb.* multùm præstari posse in hydrope. Confirmat *Riverius in Obs. Comm.* dum refert, post vomitum sanguinis ortum ascitem, per *infusionem rhabarb.* pro potu ordinario curatum. *Chelidonium maj.* it. *Marrubium* specifica sunt ad hydropem, præsertim si icterum insequatur. *Allium* quoque vi alterativa & diuretica hydropicis multum confert. Præter n. exemplum *Bartholini Cent.* 1. *hist.* 74. hydropici per *decoctum allii* in lacte curati; facit huc quod refert *Forest. l.* 19. *obs.* 27. Hydropicum aliis irritis continuatâ *allii* commestione multum aquositatis per urinam reddendo, insperatò evasisse: Sicut & mulier hydropica deplorata, potu *succi allii viridis* expressi cum jure vervecis curata, ut & alij.

De *hedera terrestri* aliquot novi Exempla: Est vir maximè ad Anasarcam proclivis & cujus crura jam aliquoties insigniter tumefacta, copiosum serum per aperta ulcuscula emisere; hic per *decoctum hederæ terrestr. & absinth.* ana in cerevisia secundaria quotidiè aliquoties calide bibitum, hactenus pancraticè vixit, siquidem semper copiosum urinæ fluxum provocavit, sicut simul quoque *absinthii* familiaris erat usus. Quoad *hed.* vero *terrestr.* notabile est seq. Mulier quædam desperatè hydrope laborans & à Medicis relicta usu *succi rad. ireos in vino malvatico* hausti & interno & externo usu *herb. hederæ terr.* convaluit; nempe aniculæ suasu extra *hederam terr.* locis tumentibus imposuit, unde notabiliter tumorem remittere observavit. Quo ipso animata & ipsam herbam in 🜄. vel cerevisia decoctam calidè & copiosè hausit, & tali hujus usu c. *succo ireos* interdum repetito, convaluit.

Rob

Rob Juniperi & Sambuci vi alterativa bilis & ſanguinis, diureticâ ac diaphoretica multum valent in hydropicis, adeoque pro corpore electuariorum, aut aliarum formularum commode inſervire poſſunt. Ex *Tartaro, Tinct. Tart. acris, terr. fol. Tartari, Tinct. ♂. Tartariſata Ludovic. Tinct. Vitriol. ♂. Zvvelfferi, Spiritus Tart. probè rectif.* ac ſimilia, θ. *Tart.* &c. polychreſta ſunt & tanquam digeſtiva purgantibus præmittenda, optime conveniunt. Quoad *Ceraunium* præparatum, hunc ipſum cum aqua quadam appropiata in alcohol redact. part. iiij. c. *exuviis ſerpentum* part. 1. invicem miſtis dant *ſpecificum ad Hydropem & icterum, D. Hartm. & B. D. Michaelis*, qui his ipſis crebro uſi fuerunt.

Ex quibus variæ poſſunt fieri formulæ. v. g. In hydrope à vulnere epatis, quo totum corpus valde intumuit, hic nodulus profuit:

℞. Rad. ireos N. ℥ij.
cich.
fœnic. aa. ℥j.
Herb. cham.
fum.
agrim.
cap. ♀.
hep. aa. mß.
Flor. acat.
perſic. aa. ℈iß.
Spec. aperit.
Fol. ſen. SS. aa. ℥vj.
rhab. ℥iß.
Turp. alb.
galang. aa. ℈ij.
cort. aur. ℥ß.
θ. Tart. ℈j. Inciſ. & contuſ. F. nod. inf. Vino; bibens quotidie reſtitutus eſt. *M. A. N. C. Ann. 6. p. 143.*

℞. Rad. vincetox. ℥iß.
Herb. chelidon. maj.
marrub.
abſinth. aa. Mj.
Cort. citri.
aurant. aa. ℥vj.

Sem.

Sem. fraxini.
fœniculi an. ℥iij.
Galang.
caryophyll.
Zingib. aa. ʒj.
θ. Tart. ℥vj. Incis. & contus. infund. vino, pro repetitis pro lubitu haustibus.

Idem facile potest fieri purgans, addendo rad. rhabarb. hellebori nigri, Esulæ non præp. &c.

Vir quidam hydropicus sequenti nodulo fuit curatus, quem mirè per urinam evacuare dicebat:

℞. Rad. cichor. ℥iij.
gramin. ℥ij.
gentian.
helen.
Cort. capp. an. ʒj.
lign. sassafr. ℈ij.
Comar. absinth. vulg.
pontic.
Flor. card. bened.
summit. cent. min. an. p. j.
flaved. cortic. citr. ʒij.

Ex incis. fiat nodulus, cui affundatur dimidia mensura Vini malvat. seu alius Hispanic. stent in loco tepid. p. diem & noctem. Hinc bibatur manè haustulus unus, hor. j. ante usum jusculi; continuentur a. tales potiones necesse est aliquandiu. Omni septimana simul bis *clysma emolliens & carminans* applicatum fuit & simul *sacculus ex aromaticis* & *carminantibus* in ∇ vel vino coctis, abdomini & scroto impositus fuit. It.

℞. Rob Junip. ℥iß.
Extr. ♂is c. succo pom. ℥ß. l. ʒvj.
pulv. rhabarb. elect. ʒij. l. iij.
c. s. q. aq. cinamom. F. Elect.

It. ℞. Spirit. carminat. de tribus ʒß.
θ✱. simpl. ʒij. M. Dos. ʒß.
aliquoties in die in vehic. conven.

It. ℞. θis fimi colum. ʒj.
pulv. bufon. ℈ij. M. divid. in 2. part. æq.

It.

It. Fiat *vinum chalybeatum*, ad imit. *Hartm.* ubi de Cachexiis, in quo coq. *absinth. Rubia tinct. card b. &c.* quod commodè pro potu ordinario usurpari potest.

Aliàs quo magis abstemii sunt à potu hydropici, eò facilius curantur: Siquidē plura prostant exempla hydropicorum solâ potus abstinentia curatorum. Est enim unum ex gravissimis *symptomatibus* hydropicis *sitis clamosa*, ad quam fallendam *grana mastiches* in ore tenenda & sedulo masticanda. Vel imitemur Rulandum, qui ℞. bacc. junip: contus. Miij. decoq. in sero lactis ℔. vj. propinat pro potu. *Nitrum* optimè purificatū continuo in ore detentum, proficuum est hydropicis, aut etiam potui eorundem cuique additum, sitim temperat, urinam ciet & optimè iisdem confert: It: *Decoctum ex rad. liquirit. c. passulis* & similibus temperando acre salsum, sitim excitans, hanc mitigat. *Vinum seu succus granatorū* aut Julepus cum succo granatorum temperatus, non immeritò ab *Hartmanno* commendatur, *l spir. sal.* parva in dosi subinde propinatus, ad sitim egregius, simul diureticus.

Præter hæc interna etiam *clysmata* multis usibus hydropicis inserviunt, præsertim cum pectoris ac capitis urgent symptomata, v. g.

℞. Cortic. inter. frangul.
sambuc. an. Mi.
rad. bryon. ℥j.
ireos nostr. ʒvj.
bacc. juniper. ℥ß.
sem. cumin.
fœnicul. an ℥ij.
coq. in s. q. urinæ puerorum l. seri lactis.
Colaturæ ℞. ℔ j. in qua dissolve.
Elect. hier. picr. c. agar. ℥ß.
vitell ovorum. N. ij.
M. F. Clysma pro 2. dosibus.

Sanè *clysmata ex urin. pueri* in hydropicis per quàm sunt egregia, idque in specie, ubi flatus simul adfuerint. *Vid. Valeriol. l. 1. obs. 2. M. A. N. C. anno 2. p. 320.* quorum ad imitationem

℞. Sem. Apii.
fænic. an. ℥iij.
fermenti. com. ℥ß.
coq. in s. q urin. pueri. Colaturæ adde
mellis despumat ℥ß.
ol. destill. terebinth. ℈ß. M. pro clysm.

Non immeritò terebinthina hic allegatur, cum clysteres ex urinâ pueri c. terebinth. admodum laudentur *à Willisio Pharm. rat. part. 2 p. 318. 321.*

Abdomini verò, ut & scroto tumefacto, vel labiis vulvæ nimis tumentibus varia *externa* applicanda. In leviori malo *herba chelidon. maj.* aut etiam *Geran Robertian.* contusa & plantis pedū alligata, singulari enim experimento multas serositates elicere dicuntur. *Petroselinum recens* contusum & scroto applicatum, etiam conducere observatum. In genere vel *aromatica attenuantia & discutientia*, vel *bina resolventia* proficua sunt. Parantur ferè ex *foliis sambuc. ebul. chamom, fol. lauri, rad. cucum. asinin. bryon. absinth. bacc. laur. & junip. sem. carminat. & similibus.* Omnium optima sunt animalium *stercora*, in specie *caprillum*, hinc *columbinum*. Nam *stercus humanum* quidem aliàs præferunt, sed applicatum nimis ferit nares. Sanè *stercus caprillum c. urin. propria* subactum & catapl. instar abdomini instratum conducit. Hisce succedit ▽ *Calc. viv.* singularis in tumoribus serosis, si spongia hac ipsa ebria abdomini applicetur; cum aqua præterea in Cataplasmatis formam coqui & ita imponi possunt seqq.

℞. Fol. sambuci.
flor. chamom. an. Mij.
stercor. caprill. ℔. jß. l. ℔. ij.
rad. bryon. ℥ij. coq. in s. q. ▽ vel urin. puer. ad consist. Catapl. applicetur abdomini.

Singulare quid obtinent *cochleæ c. suis testis* contusæ & ventri hydropicorum ad modum Cataplasmatis applicatæ: Quæ si siccæ fuerint, aliæ rursus imponendæ. Singulariter conveniunt, tam in abdominis, quam testium tumore. Hinc plures *Catapl. ex cochleis c. testis contusis* adsperso *pulvere stercoris caprilli* & sem. carui ceu efficacissimum commendant Autores.

℞. Flor. chamon. Mij.
farin. fabar. ℥vj.
cochlear. cum testis contus. ℥iiij.
stercor. caprill. ℥ij.
pulv. sem cumin. l. carui ℥j. coq. in ▽ simpl. & aceto ana, aut etiam in aq. com. & applicentur pedibus, l. scroto tumenti.

Item, ℞. Bacc. junip. part. iiij.
laur. part. ij. pulverisata & melle excepta insternantur abdomini; cujus loco Cataplasma *ex fol. rutæ & absinth. an. c. melle* subactis abdomini applicari potest.

Aliàs etiam locum invenit inunctio partium tumentium *c. spir. junip.* addendo parum *oleo carui.* Alii *olea bufon. scorpion. junip. laurin.* ana, similiter abdomini illiniunt.

Vel. ℞. Ung. de arthanit. ℥j.
agripp.
dialth. an. ℥ß.

ol. scorpion. simpl. ℥ij.
chamæm.
anethin. an. ℥ß. M. F. Ung. crebrò
tepide abdomini illinendum.

Quod si gangræna aut ulcera pedum vel scroti in hydropicis adsint, topica pro his selecta, vid. *in M. A. N. C. Ann. 6. App. p.* 110.

De *curis magneticis* ad hydropem usitatis, nempe dum vesica suilla urinâ ægri impletur, in fumo suspendenda; vel dum sanguis ægri putamini ovi includitur &c. nil attinet dicere. Item, dum rasura unguium, manuum ac pedum cum sindone rubrâ ♋ vivo in dorso alligantur & ita in ▽m fluentē projiciuntur.

CACHEXIA ICTERICA

ad affectus cachecticos etiam pertinet, eaque multiplex, in qua ægri colore flavo, in corporis peripheria efflorescente, tincti observantur, ac vocatur *Icterus flavus*, & speciatim oculorum album, seu rete illud mirabile variis minutissimis arteriolis intertextum, afficitur, id quod patet in inflammatione oculi, ubi hæ magis fiunt conspicuæ; per quæ vasa distributum contentum flavum, istud sensibilius magis tingit: Nec solum partes externæ flavent, sed etiam interna viscera, imprimis hepar & intestina, colore flavo totaliter infecta observata fuerunt *à Zacut. Lusit. l. 3. P. admir. p.* 156. & 136. Quod si flavedo ista nunc ad viriditatem, nunc ad cæruleitatem, nunc obscurum livorem inclinet, *icterus niger* vocari solet. Omnes autem *icterici*, præsertim *primarii*, *de dolore compressivo præcordiorum* & stomachi; interdum vix tolerabili, miserè conqueruntur. *Vid. M. A. N. C. Ann.* 4. *p.* 107. *it. Ann.* 6. *p.* 302. quas præcordiorum inenarrabiles angustias icterus ferè comitari solet.

Adest præterea *lassitudo* totius corporis & omnium membrorum, sæpius dolores gravativi in regione lumbari, subinde difficiles respirationes anxietatibus istis præcordiorum junguntur, ita ut spiritus defectu vix verbum proferre queant. *Urina* imprimis icterum manifestat, non quod lutea appareat, sed potius ut vocat *Zacut. Lusit.* passea, i.e. crasse tincta rutilante colore, cui si linteum immersum, flavissimo colore, tanquam si croco tinctum esset, imprægnatum extrahitur, quod aliæ urinæ quæcunque, colore quamvis intensissimo, non faciunt; quod si subsederint, sedimentum qs. argillaceum seponunt; interdum ex viridi nigricantes, interdum ex flavo & rubro ferè nigricantes observantur *urinæ*.

Sapor utplurimum, idque in confirmatis, non in omnibus, amaricans, aut etiam varius in ore percipitur, cui ferè semper sitis clamosa jungitur, unde & cerevisiam horrent ægri, alium appetentes potum. *Alvus* nunc est fluida, nunc diar-

diarrhæa quasi biliosa est juncta, nunc è contra pertinaciter clausa, excrementis prodeuntibus albicantibus. Idq; contingere solet, quando ductus fellei in intestinum hiantes, undecunq; sunt obstructi. *Febris interdum juncta est*, interdum penitus abest; interdũ adest ante icterum, cui hic icterus supervenit, nunc criticè, nunc symptomaticè. In quibusdam, non in omnibus, dolor in hypochondrio dextro obtusus in profundo percipitur: Subinde facilè curatur, subinde autem est contumax, aut semel curatus facillimè recidivans; quo in casu sæpius calculi in vesica fellea observati fuerunt.

Quoad *fiendi modum. Icterus* nunc est morbus *primarius*, nunc est morbus *secundarius*. Hoc quando vel febribus supervenit, idque tam continuis, quàm intermittentibus chronicis, sive sit *criticus*, post prægressa coctionis in urina signa, die judicatorio superveniens, sive sit *symptomaticus*. Vel quando à venenis & inprimis à morsu animalium venenatorum oritur. Exempla curiosa refert *Marcellus Donatus in hist. med. mir, l.* 1. *c.* 7. Post morsum aranearum icterum flavum observavit *Joel in praxi ubi de venenis p.* 126. Ex viperæ morsu suboriri ordinario ferè icterum jam veteres annotarunt. A morsu canis rabidi icterum contumacissimum observavit *Bartholin. Cent.* 2. *hist. p.* 322. Icterum lethalem à manducatione staphisagriæ notat *Lossius in obs. p.* 259. Vel denique quum affectus convulsivos intestinorum, præsertim tenuium sequitur. Sic à partu laborioso subinde observatur superveniens icterus, passioni hystericæ quoq; sæpius in muliere quadam supervenire vidi; colicis torminibus subinde icterus supervenit. Quo pertinet, quod refert *Bartholinus Cent.* 5. *hist.* 62. Icterum provocatum per medicamentum sudoriferum in colica assumtum. Sic icterum vulnerato capiti supervenientem die 4to notat *Hochstetterus Decad.* 8. *p.* 198. Nempe sicuti vulneribus capitis gravioribus 3ia die aut etiam 4ta vomitus biliosus supervenire solet, ita & consensus istius ratione etiam icterus, nempe secundarius.

Quoad *icterum primarium. Causæ remotæ* sunt variæ: Non ultimum locum obtinet tristitia, quæ nunc inchoat, nunc fovet icterum, teste *Helmont. Tr. Sextuplex digest.* §. 56. Sic icterum curatum, à tristi nuntio recidivantem referunt *Acta Medic. Haffn. vol.* 3. *p.* 82. Iracundia etiam non rarò icterum provocat; nempe *River. Cent.* 2 *obs.* 9. Icterum mirandum in gravida ex irâ refert, in qua fæces alvi erant biliosæ & in lecto exiguam, extra illam intensam patiebatur flavedinem. Obstructiones ductus communis subinde in ictericis observatæ fuerunt. Ante aliquot annos hic vixit quidam, qui pertinacissima alvi obstructione cum colicâ intensissima affligebatur, cui icterus & febris continua superveniebant, hique lethales: Ab obitu dissectione facta, adverterunt fellis vesiculam grandem & tonfertissimam, infimumque porum viscida

pituita

pituitâ penitus obstructum, adeo ut post abscissionem hujus ductus bilarij ne gutta quidem bilis proflueret, quia bilis contenta crassissima atque tenacissima erat. Ac sane in pluribus ictericis vel bilis viscida, amurcæ similis, vel calculi plures, vel pauciores, majores vel minores in cysti inventi fuerunt *vid. Act. Med. Hafn. Vol. 3. p. 59. Panarolus pentec. 5. obs. 22. Deodatus in Valetud. p. 250.* refert icterum lethalem cum pruriginosa lassitudine & vagis hic inde erumpentibus tuberculis: In cadavere 3. lapilli in vesicâ felleâ reperti fuerunt; pariter ac *Timæus in Cas.* Icteritiam post arthritidem diuturnam, superveniente hydrope lethalem, ex calculô magnô in vesicâ felleâ, notat. Ac sanè ad icterum proni sunt calculosi, ut observationes Practicorum testantur, *Vid. Misc. A. N. C. Dec. 1. An. 2.* Non tamen hoc universale est, quin sæpissimè in ictericis folliculum felleum aut ductus biliarios apertos esse, non saltim docet debita tinctorum excrementorum excretio, sed etiam sæpius in icteris lethalibus dissectis, ductus fellei aperti fuerunt, teste *Helmont. cit. loc.* Sicuti in febricitantium ictero nulla hepatis aut ductuum biliariorum obstructorum suspicio adesse potest.

Porrò ex ulceribus quibusdam crurum occlusis, icterum natum observavit *Amatus Lusitanus Cent. 2. cur. 83.* it. ex mensibus instantibus, sed non prodeuntibus idem pathema notat *Bartholinus Cent. 5. hist. 62.* Sicuti *Henr. ab Heer obs. 6.* monialem ictericam ac cachecticam ex mensium suppressione observavit. Vulnus sclopeti, ventriculum perforans, icterum produxit *vide Barthol. Cent. 6. hist. 58.* Denique & hepar induratum, aut inflammatum, aut scirrho obductum crebrò icterus solet insequi.

Hisce præmissis, icteri sanè tot sunt *species*, quot colorum varietates: Intereà omnes unus sunt morbus, unam agnoscunt causam, unam eandemque etiam obtinent medendi methodum, ut rectè inquit *Faber in Patholog. p. 344. §. 6.* Quod confirmat *Schenckius lib. 3. obs.* qui notat icterum ex obstructione mensium, in quo successivè 4. colores observati; adeoque *icterus flavus & niger* non differunt specie, sicut nec *icterus viridis*, quem cum gravissimis symptomatib⁹ notavit *Petr. Joh. Faber in Curat cur. 71.* sicuti nec icteri colores plumbei, aliique plures varii, cùm ex uno fonte omnes oriantur. Nempe immediatè sequuntur vitiatam M. S. eamque impuram redditam, propter confusa heterogenea, nec ritè permiscibilia, donec imbibita ista recrementa ad superficiem deponantur. Vehiculum eorum est serum. Hoc autem non solum in ictericis post venam sectam flavissimum conspicitur, sed præterea quoq; ex excitatis vesicis intensè croceus liquor elicitur. Quod si ita M. S. ad debitum puritatis statum redeat, sanitas efflorescit: Sin verò in suâ crasi depravetur, mors sequitur. In statu quasi neutrô sunt icterici, nunc ad convalescentiam, nunc ad decidentiam proni. Vulgò omnis icterus dividitur in *flavum & nigrum*, hoc tamen ex

 præ-

præconceptâ opinione & hypothesi de humorum quaternione, ut sicut sanguis corpori habitum floridum, pituita vero cachecticum, ita necessariò bilis *icterum flavum*, melancholia *nigrum* inducat. Hinc ut suppositum falsum & alia falsa produxit. Nam quia bilis in folliculo felleo colligitur, è folliculô obstructô aut ductibus felleis infarctis, saltem ictericos flavos fieri voluerunt. Et quia lien fuit statutus bursa humoris melancholici, ob id in liene saltem icteri nigri fontem quæsiverunt. Verùm ex suprà annotatis manifestum est, icterum flavum sæpius oriri citra impeditum bilis motum ad intestina, quod non tantummodò *Riv. Cent. 2. obs. 9.* observavit, sed etiam post ferarum morsum natus icterus flavus, sine obstructione tali, observatur.

Nigrum icterum quod attinet, hunc non oriri ex obstructô aut affecto liene, patet inter alia ex eo, quod icterus flavus diuturnior semper in icterum nigrum degeneret, unde & nigrum essentialiter non differre à flavo asserit *Willis de urinis p. 355.* Unde etiam observatus fuit icterus niger, in quo excrementa alvi omninò alba apparuerunt, in quô tamen hepatis potius, ac vasorum cholidochorum, quam lienis vitium subesse videbatur, ut notat *Platerus l. 3. obs. p. 575.* Hinc rectè notat *Lindanus*, se in Frisia multos curasse, scirrhos ac tumores duros lienis habentes, in quibus tamen nunquam vel minimum icteri nigri observasset vestigium, adeoque lien in eô est insons. Interim tamen quoad bilem & vasa fellea & inde oriundum icterum, non adeò omnia sunt plana. *Supra notatum* fuit, icterum sæpius observari, dum lapides folliculum felleum replent. Sed memini ante plures annos dissectam hic fuisse mulierem capite mulctam, quæ in folliculo fellis copiosos lapides majores & minores collegerat, sine icteri vestigio. Et eodem fere tempore dissecuimus corpus masculinum, in quo principium erat Anasarcæ, erat subtumidum & apertâ ejus cuticulâ copiosum serum effluebat, in cujus folliculo felleô ne gutta bilis inveniebatur, in quo tamen nullum fuit icteri vestigium: Sic canibus folliculum felleum posse exscindi, sine vitæ aut sanitatis incommodo, notum est.

His ita præmissis *ad causam proximam* propius accedamus. Jam verò in omnibus ictericis, paucissimis casibus exceptis, observatur urgere primariò symptoma ventriculi circa digestionem & ægri circa istud negotium ordinariò vitium quoddam sentiunt, imò si *juvantia* consideramus, post vomitoria præmissa, ♂ialia & hinc amara totam absolvunt paginam; adeoq; in omni icterô acidum austerum in primis viis activè peccare observatur. Saltim dubium est, an hujus occasione, secundum *Helmontij* hypothesin & vitio digestionis primæ indeque nactis scoriis nidorosis plus minus flavescentibus, plus minus amaricantibus, in M. S. distributis & in peripheriam corporis diffusis, icterus oriatur? an vero præfatum vitiosum fermentum, acidum austerum, bilem inquinando

quinando & hinc ejusdem secretionem debitam in hepate impediendo, icterum inferat? Sanè quòd *ex digestionis primæ vitiò* & inde cruditate nidorosa, generentur, loco chyli, amara recrementa, aut dulcia flava & sic porrò, docent vomitus flavescentes matutini post crapulam. Lac facillimè, præsertim in infantibus minus biliosis, in nidorem croceum abit. Fructus horæi, pinguia, pisces &c. in stomacho nidore corrupti, similes sordes suggerunt: Quid igitur obstat, quo minus occasione talis fermenti austeri, dolores stomachi aut præcordiorum inferentis, vitietur digestio prima & inde geniti sordes nidorosi, in corpus distributi, icterum inferant? Existimo sanè omnem icterum, qui supervenit febribus, non bilis aut folliculi vitiô, sed diætæ & digestionis primæ vitiatæ occasione supervenire; non secus ac istum, qui post V.S. abusum crebrius nasci observatur.

Juxta hunc tamen icterum, eumq; frequentissimum, etiam *secundò* oritur icterus *ex vitiô bilis naturalis* (cum modò dictus icterus ex vitio bilis vitellinæ præternaturalis, in stomacho genitæ, oriri dici possit) istius nempe, quæ in hepate secernenda & per vasa cholidocha excernenda venit. Hæc enim vel *vitiata*, vel in debitâ *distributione impedita*, icterum infert. Illa causa frequentior, graviorem dat icterum; hæc rarior, leviorem inducit. Bilem vitiatam quod attinet, vitiatur hæc ipsa à modo dicto vitioso acido austero primarum viarum, quod inprimis bilem vitiare, texturam ejus immutare, ac plus minus inspissare valet, cùm, ut supra monitum, in graviori ac pertinaciori ictero, spissior ac tenacior bilis subinde inventa fuerit. *Acidum* hoc vitiabit bilem, aut dum in hepate est generanda aut secernenda, aut eandem in folliculo felleo jam secretam inficiet, incrassabit & in calculos coagulabit. Quibus occasionibus nec debitè secerni in hepate bilis, aut secreta licet, non debitè excerni poterit: Quin facilè ex mutata consistentia ductus cholidochos obstruere & ita transitum sibi ipsi intercludere poterit.

Denique ex sola *distributione læsa* indeque genita cum sanguine commistione bilis, oritur icterus, quando calculi meatus obstruunt, aut quando aliunde, quavis ex causa, ductus hepatici obstruuntur; vel quando occasione spasmorum intestinorum tenuium, ac speciatim duodeni, orificium ductus fellei constringi & condensari solet, cujus exempla in partu laborioso, passione hysterica &c. *supra* annotata fuerunt. Nempe non rarum est in ictero alvi excrementa hodie pallida, cras denuò flavedine tincta conspici & ita subinde evacuari, non quod nunc obstruatur, nunc denuo reseretur ductus, sed quod occasione spasmi intestinalis nunc constringatur idem, nunc denuo aperiatur, idque diversimodè, pro occasionum varietate.

Ex dictô igitur *acidô fermentô vitiosô* primarum viarum & bile, vel ex nidore præternaturali genita, vel bile hepatis naturali, eaq; aut vitiata, aut saltim

malè

malè distributa, omnis ictericorum varietas in *colore*, ac differentia in *symptomatibus* deducenda; nempe prout ab acido præfato in texturâ diversimodè mutabitur bilis, qualiscunque etiam ista colorum varietas emerget, cùm prævalente potentia bilis vel quantitativè, vel qualitativè, sequatur *icterus flavus*: Prævalente verò acido austero primarum viarum (sive ex stomacho, secundum *Helmont*, seu ex Pancreate, secundum *Sylvium* derivare velis) icterus nunc viridis, nunc plumbeus nunc niger oriatur, cùm aliàs notum sit, ab instillatis acidis bilem naturalem ad obscuriorem colorem, in specie viridem, disponi. Sane observavi aliquando in urinâ icterici, cui *spiritum* ♁ instillaveram, sedimentum viride exinde præcipitatum fuisse. Certè dum consideramus cardialgias insignes istas ictericorum, bilis in felliculo notabilem alterationem, per acidum austerum explicabilem, ut & *juvantia*, ♂*ialia*, acidum corrigentia, *amara*, aut *volatilia* bilis dyscrasiam emandantia, (nempe omnia amara hepati amica sunt, sicut acida stomacho) facilè ad acidum tanquam primarium agens deflectere possumus. Curavi his diebus mulierem, quæ subinde tantum non intolerabili cardialgia affligebatur, quam ordinariò sequenti die, totius corporis icterus insequebatur, breviter denuo uno alterove die evanescens, sed redeunte quavis occasione ista cardialgia semper superveniebat icterus in paroxysmo cardialgiæ; alvus liberè aliquoties fluebat, utut postmodum clausa esset, pulsus rarus, tardus, mollis, magnitudine moderatus, debilis, prostratio virium summa, sitis clamosa. Diligenter à me interrogata, an amarorem perciperet in ore, semper negabat, sed sedula attentione observavit semper, quoties paroxysmus cardialagiæ instaret, sentire se saporem acrem acidulum ex ventriculo eructatum; Eben alß wenn man so einen Spiritum einnimbt/oder alß wenn man saure Pulver nimbt. Hoc sane quoties sentiebat, toties die aut nocte sequente paroxysmus cardialgiæ & hinc icterus superveniebat. Curavi eam *pulv. cachect. Hartmanni* & hinc *absorbentibus*, *alcalinis* & animalium partibus duris. Existimo acidum istud austerum irritasse ventriculum ac vicinas partes nerveas, quorum spasmo tam miserabiles cardialgiæ, cum respiratione difficili & totius dorsi dolore, excitatæ fuerunt, sub quo spasmo & vasa cholidocha cum folliculo felleo diversimodè nunc constricta, nunc relaxata fuerunt, unde hujus occasione alvi libertas in paroxysmo, cum aliàs sat siccioris esset alvi natura, illius vero occasione bilis impedita distributio, c. sanguine permistio, in habitu corporis secretio, hinc vagus ille icterus. Hactenus dicta confirmat tristitia & mœror, it. iracundia, ad icterum, ut supra dictum, disponentia. Nempe tristitia & mærore omnes humores incrassari, acidum fixum augeri & ita effectus naturæ bilis contrarii, induci solent. Iracundia omnes humores tenuiores ac mobiliores, ac acido volatili acriores reddere solet.

Prognosis omnis nititur causarum antecedentium consideratione. Hinc icterus qui sequitur vitium quodpiam hepatis confirmatum, scirrhum &c. ferè lethalis esse solet & nunc immediatè, nunc mediatè hydropis superventu ægrum jugulat. *Flavus icterus* facilior est curatu, quàm icterus niger, aut his cognati alij. In specie niger icterus quartanis superveniens solet esse contumacior, sicut *Forestus l.19.obs.22.* observat quartanæ per 12. annos duranti, icterum nigrum diuturnum supervenisse. Ex flavo autem securissimus est, qui in febre est *criticus*, minus qui *symptomaticus*; post hunc facilioris est curationis & securior, qui ex impedito bilis, per meatum felleum, motu hujusque obstructione oritur, modo non nimis pertinax fuerit obstructio. Calculi in folliculo felleo & inde natus icterus difficillimè curantur, aut curati licet, crebrius recidivant & mortem inferunt.

In *cura* in genere (1.) *fermentum acidum austerum corrigendum.* (2.) *Bilis vitiata emendanda* & in naturalem crasin restituenda; quæ vero emendari nequit, per urinas & sudores evacuanda. (3.) *Distributio ejus debita promovenda.*

Prius præstant *absorbentia*, præsertim ♂ialia; *secundum* præstant *amara*, plus minus resinosa & *volatilia*, præsertim *appropriata*, quibus pro laxanda alvô *rhabarbarina, sennata* &c. pro diuresi *lumbricalia* &c. simul inserviunt. *Tertium* præstant *incidentia, aperientia* & tonum hepatis conservantia, *hepatica* vulgò dicta, simul blandè adstringentia, ut firmentur fibræ earumque tonus.

In specie vero pro *antecedentium causarum* varietate specialis cura nonnihil varianda, de quibus hinc inde.

Pro his scopis obtinendis *venæ sectio* nil juvat, utpote quæ potius exasperat malum, quam idem tollat. *Purgationes* in principio morbi sunt nocivæ, nisi fiant per lenia, primarum viarum saltim abstersiva, aut adsit tantummodo lenis obstructio meatus fellei in intestinis, tunc enim talis obstructio vel unica purgatione potest tolli. In progressu vero morbi, appropriatis imprimis præmissis, purgationes conveniunt, sicuti in declinatione *diuretica* & *sudorifera* sunt optima.

Præmissis itaque absorbentibus *specifica* utramque in cura icteri faciunt paginam. *Absorbentia* ista imprimis suggerunt ♂ & cætera ex eô parata, vulgò *aperientia* dicta, eaque imprimis in ictero nigro & plumbeo optima sunt. Hinc etiam *Hæmatites præparatus seu pulveratus*, ceu experimentum in ictero à qui-

busdam laudatur, quatenus & hic ♂ialis est prosapiæ. Hinc *Pulv. specificus ad icterum* est nil aliud quàm *limatura ♂is* exactissimè pulverisata & sub tritura *oleo destillato aromatico ligni sassafras* irrorata, ne scil. rubiginem contrahat, qui à ℈j. ad ʒß. commodè & cum successu, nunc solitarius, nunc cum *crystall.* præp. dimidiô propinatur, sc. ad imitationem *pulveris cachectici*, imprimis *Hartmanni in prax. chym. c.* 171. §. 5. it. ♁. *diaph. ♂ial. Ludovic.* expertum, quod vid. in hujus *Pharmacia p.* 330. & alia *♂ialia* &c. item *vina ♂ialia*, vel vinum in quo sæpe ☉ extinctum, *à Poterio & Burrho* commendatum. Facit huc & experimentum *Gesneri* in ictero quocunque, quod est *infusum chalybis, cum carbonibus de quercu*, in vino. In specie ex mensium vitio si fuerit icterus, *♂ialia* laudantur, unde *pulverem compositum ad pallidos virginum colores*, ad icterum à suppressione mensium commendat *Heer in obs.* 6. *Acidulæ* huc pertinent, quæ desperatos icteros interdum curant *Conf. Willis Pharm. rat. P.* 2. *p.* 284. cum hæ ipsæ post icterum relictam humorum dyscrasiam & viscerum atoniam, præsertim si diuturnior fuerit, optimè restituant.

Quoad *specifica antícterica*, hæc inter primatum obtinet *chelidon. majus*, optimum icteri remedium, præsertim quando ex vitiato bilis motu indeque fæcibus alvinis gryseis aut candicantibus existentibus, icterus oritur; in tali casu vel *succus* ex planta recenti expressus in quocunque vehiculo haustus pro lubitu confert, qua ratione ancillam ictericam paucos intra dies curavi; vel *radix chelidon.* maj. maceretur in vino, quod exinde flavescit, egregium in ictero experimentum. It. *decoctum hujus chelidon.* in vino est optimum remedium. Hinc *Joël decoctum chelidonij* maj. c. *granis juniperi* merito commendat. *Vid. Willis Pharm. rat. P.* 2. *p.* 280. *Forest. l.* 19. *obs.* 21. & 40. Pertinet huc decoctum *Lindani*, quo quemvis icterum curat, præsertim, quod probè notandum, præmisso vomitorio. Utplurimum enim in principio curationis *vomitorium* propinandum venit; *decoctum* est tale

℞. Rad. Cichor aut Taraxac. ℥ij.
Chelidon. maj. ʒvj. ad ℥j.
Herb. endiv. a. cichor. Mj. l. ij.
fragar. Miß.
marrub. Mß.
Tart. alb. ʒß. ad ʒvj.
Fol. sen. ʒvj.

coq. s. q. ▽. ant ▽æ & vini aa. q. s. in vase clauso. Decocti ℞. ℔ij. D. pro usu, addendo, si præstantius volueris, singulo haustui spir. Tart. rectif. ℈j. ad ʒß. sumat 3. diebus, omni manè duos haustus, interposita horâ, donec malum sit curatum. Attendite sub usu, ne sint secessus plures quam 2. vel 3. in die; si contingat liberalius

beralius purgari prima die, aliis ſumatur tanto minus. Tali decocto curavi Amſtelodami Mercatorem ex ictero nigro. Tribus ſeptimanis nil profeci; Urinæ manebant craſſæ & ſplendidæ, poſt paucos dies, apparente coctionis ſignô aberat ſplendor & turbidæ erant urinæ; prædixi ergò ſolutionem morbi; continuari igitur medicamentum, non mutari oportet. Juxta *chelidonium maj.* etiam *marrubium*, it. *Centaurium minus*, *Taraxac. flores Chamom.* appropiata ſunt icteri remedia, quocunque modo, inprimis in *decocto*, uſurpata. *Fragariæ* quoque *decoctum*, aliquamdiu continuatum, appropriatum experimentum eſt ad icterum, nunc ſolitarium, nunc *cum paſſulis* uſurpatum; præſertim vero tale decoctum *infantibus ictericis* proficuum eſt, teſte *Rulando in Theſaur*, it. *Fonſeca l.2. Conſ.*34. Sanè pro potu optimè valet decoctum hoc

℞. Fragar. Miij.
paſſul. min. ℥iiij.
decoq. in aq. font. pro potu.

Icterici enim, utut impensè ſitientes, malè ferunt cereviſiæ potum, partim propter amarorem, partim quod oneret ventriculum, cùm non benè digeratur, ſed in mucum degeneret. Hinc ſitientibus maximè ictericis, convenientiſſimus potus erit, vel modo dictum *decoctum*, vel, ſi *fragariæ* amaror ſit moleſtus, ſolum *decoctum paſſularum*. *Paſſulæ* ſanè multam in receſſu habent, unde non poſſum non laudare *Electuarium Dygbæi part.*1. *Experim.* ad quemvis icterum paratum *ex paſſulis min. & Rhabarb. Hirundinaria* ſeu vincetoxicum appropriatum eſt antictericum, præſertim in declinatione morbi, ſi vinum decoctionis ejusdem hauriatur, per ſudorem & urinam tincturam removens. *Flor. hyperic. flor. geniſt.* in ſpecie *croci flores*, experimenta ſunt ad icterum. Pertinet huc obſervatio *Borelli Cent.*4. *obſ.*31. ubi icterus à fumo tabaci, curatus per *conſervam florum geniſtæ & calendulæ*. Nec *abſinthium*, optimum hepaticum, hic negligendum eſt. Pertinet huc *decoctum* euporiſton *Camerarii* ad icterum, quod deſcribit *Fehr de abſinth. p.* 29.

℞. Comar. abſinth.
Flor. roſar.
prunor. ſylveſtr. an par. viij.
croci part. ß. decoq. in vino diuretico & exprime pro uſu.

Aliàs *ſem. Aquilegiæ* bonum ſpecificum ad icterum, unde eſt baſis pulveris *Timæi* ad icterum experti

℞. Sem. aquileg. ʒvj.
croci orient. ʒj.
Tart. Vitriolat. ʒß. M. F. pulv. divid. in 7. part. æqual. ſumantur ex vino Rhenano calido 7. diebus continuis. Teſtari poſſum, quod ali-

quando sartorem ictero flavo laborantem contumaciter, aliis irritis, præmisso vomitorio, hoc pulvere restituerim, juxta cujus usum imprimis *spir. carminativus* de tribus præ aliis proficuus erat. Convenienter potest fieri *emulsio ex hoc semine*

℞. Sem. aquileg. ℥vj. l. ʒß,
c. f. q. ▽. chelidon maj. F. Emulsio adde
Ebor. f. △. ʒj. ad ʒiß. edulcoretur parum D. & usurpetur pro lubitu. Benè confert hæc Emulsio & Tincturam ictericam optimè delet: Inter alia puerperæ, mox à partu fœtus mortui, ictericæ, cum successu dedi, *Ebur* certè ceu appropriatum absorbens à multis ad icterum commendatur; juxta hanc emulsionem pariter quoque experta est *emulsio ex sem. frigid. maj.* quæ vid. in *Miscell. A. N. C. Ann.* 4. *p.* 43. & 44. Hisce accensenda venit *radix curcumæ*, antictericum bonum, seu solitaria, seu cum ☿. *diaph.* ♂*ial.* propinetur. v. g.

℞. ☿ diaphor. ♂ial. Ludov.
rad. curcum. aa. ℈j. ad ʒß.
sal. vol. CC. ℈ß. M. p. 2. dos.

In specie, si à calculis in folliculo felleo fuerit icterus, radicem hanc ceu experimentum commendat *Hoffman. in clav. Schröd. p.* 365. de quibus calculis exturbandis etiam videantur remedia ordinaria in *Misc. A. N. C. Ann.* 4. *p.* 103. Nec omittendi sunt *lumbrici terrestres*, seu eorundem blandè exsiccatus pulvis ad ʒj. sæpius propinetur seu per putrefactionem *spir. urinosus* ad ʒß. subinde exhibeatur, propter sal. volatile nitrosum abstergens, incidens & saporem icteri specificum corrigens urinamque ciens, ab omnibus Practicis laudatur: Quibus vix cedit *spir. tartari* probè rectif. urinosus, *spir. carminativus de tribus*, *spir. urinæ humanæ* aut hujus loco *spir.* ♁✻. Hinc pauperculi *urinæ potu* ab ictero se curare solent, vel quod in multis probatum evporiston. ℞. Succ. absinth. & Marrub. q. v. M. cum urinâ ægri, de quo bibat bonum haustum, contineat se in lecto & sudet, sudorque sæpius abstergatur.

Certè præmissis præmittendis (id est *vomitu* & ♂*ial.*) post specifica, *salia volatilia* sunt optima icteri remedia. Unde propter hujusmodi volatilem salinam nitroso ammoniacalem texturam *stercora* quorundam animalium tantoperè ad icteri curam, tam Paracelsus, quam alii practici commendant; in specie stercus *anserculorum* juniorum, chelidonio & anserina nutritorum. Item *stercus canis* ossa rodentis. Item *stercus album pullorum* exsiccatum & pulverisatum; quò facit *tragæa stercoraria Quercetani* &c. quæ omnia à ʒß. ad ʒj. propinantur. Unde & quidam commendant *succum stercoris capræ* expressum cum lacte ceu egregium in ictero remedium. Hisce annumerandi veniunt *lapides in felle* animalium

reperti,

reperti, præsertim *lapis in felle bovis* repertus, cujus pulv. a ℨß. ad ℨj. mirè ad icteri curam laudatur; extra quem & *lapis ex felle porci* egregius est: *Conf. M.A. N.C. Ann.* 3.*p.* 499. it. *lap. bez. occident. Item lap. Ceraun* præpar. à ℈j. ad ℨß. Specificum ad icterum *D. Michaelis*, quo ipso aliquoties curavit, qui quotannis hoc morbo affici ebantur. Ex quibus variæ fieri possunt formulæ, v.g.

℞. Extr. chelidon. maj. gummos. ℨj.
lap. bezoard occid.
☿ diaph. ♂tial. Ludov. an gr. xv. M. F. bolus, diluatur in haustu vini, capiatur.

Item ℞. ▽ taraxac. ℥j.
extr. chelidon. maj. ℨß.
θ. volatil. CC. gr. viiij.
syr. card. B. ℨj. M.

Quoad *evacuationem primarum viarum*, remedia huic scopo inservientia, hactenus enarratis aut subjungenda, aut interdum etiam permiscenda, semper sint moderata & blanda. Præ cæteris commendantur *flores prun. sylv.* qui blandissimè & appropriatè laxant per alvum, si infundantur in potum ordinarium cum nodulô, qui crebrius bibatur, vel manipulus horum florum infundatur in vinum, maceretur per diem & noctem, quod vinũ ita hauriatur. Convenit hic etiam *infusum fol. Sennæ c. θe tartari*; in specie *rhabarbarum* appropriatum est, potius alterans quam purgans ictericorum, non sine causa à *Paracelso* commendatum. Nempe *rhabarb. elect. pulverisat.* ℨß. ad ℨj. propinetur in jure, vel vino calido manè jejuno stomacho, æger nonnihil contectus sudabit & à meridie alvum laxam habebit. Vel

℞. Rhabarb. ℨß.
Tart. Vitriol. gr. xij. M. F. pulv. usurpetur dicto modo. Et

sanè pulvis hic *rhabarbari* in his casibus præferendus est extractis. *In ictero nigro, infusum hellebori nigri* in sero lactis confert, aut *pilulæ ex extracto helleb. nigr.* concinnatæ: Quibus quantum possibile fuerit, *gumm. ammoniac.* sociandum, quod optimum aperitivum muci viscidi incisivum. *Præcipitata ☿ialia* pro purgandis ictericis à quibusdam commendata transeant, cum tutiora prostent.

Quoad remedia *externa* in icteri cura usitata, sunt *Centaur. minus. it. Radix chelidon. major.* It. *Hypericon* plantis pedum suppositum. Sic pro delenda penitus tinctura, sani licet sint ægri, interdum pertinaci, conveniunt *frictiones* corporis *cum sacculis*, repletis *farina hordei & fabarum*, quibus aquæ calidæ intinctis, fricetur corpus. Vel fiat *balneum ex saponaria, chamomill. parietar, beta, anetho* & similibus, quibus corpus abluatur. De *tinca pisce*, umbilico imponenda,

nenda, aut plantis pedum supponenda, quæ exinde flavescere dicitur & æger sanari, rem in dubio (ceu incertam) relinquo.

Pertinet huc *cura magnetica*, uti in aliis morbis chronicis, ita & in ictero proficua, v.g. ex *urina ægri & farina* formentur *placentulæ* & cani vel feli devorandæ projiciantur, sic icterus evanescet, quod ceu à se expertum refert *Boyle in Philos. Experim.* Vel infundatur ægri urina super acervum formicarum, *vid. M. A. N. C. Ann.* 3. *p.* 146. Vel permisceatur urina cum cineribus fraxini, *Confer Willis. cit. loc.* Vel, quod fuit expertum à *Castro.* ℞. Ovum gallinæ suo luteo & albumine per mediocre foramen orbatum, ita ut sola testa remaneat integra, quæ impleatur urinâ patientis & facta scrobicula in hypocausto sinatur ibi, donec lentô calore exsiccetur urina; pari gradu & exiccatur urina & tollitur icteritia. Potest fieri etiam citius in digestione cinerum: Si vero per incuriam contingat aduri testam, icteritia abit in nigram icteritiam immedicabilem. Vel sanguine ex medianâ ægrotantis extracto & ovi gallinacei testæ artificiosè incluso & ita ovo 14. dies gallinæ imposito, postmodum sui famelicæ exposito, ut comedatur, icterum & morbos ex vitioso sanguine oriundos, transplantando averruncare satagunt, *vid. Burggravus in Boylichn.* it. ex urina ægri & lacte & addito pane similagineo F. jusculum, propinetur cani, qui si non moritur, nec homo morietur, sed convalescet.

Pro *gravidis ictericis* quibus non æque conducunt interna, aut *imbecillioribus*, in quovis ictero applicari potest Catapl. *Joelis* ex *foliis marrub. virid. rad. Chelidon. maj. & visci quercin. an* ℳij. cum aceto vel vino subactis & plantis pedum applicatis.

CAPUT II
DE
SANGUINIS ex PARTIBUS REFLUXU vitiato & inde orta *inflammatione*, tam in genere, quam in specie.

SAnguis ex corde distributus in totum corpus & omnes partes, in his partim nutritioni inservit, partim in quibusdam certam fluidi separationem patitur, ad œconomiæ animalis integritatem necessarii: Per quas partes cribratus refluit per venas ad cor, circulari motu. *Motus* hic *circularis* sanguinis læditur & plus minus vitiatur, quoties 1. *in parte quadam stagnat.* 2. *Quando extra partem effunditur* in singularem corporis quandam cavitatem. 3. *Quando sanguis extra corpus effluit.* Sanguis in vasis capillaribus & partium spatiolis hærens

rens & ſtagnans, coagulatur & in minori quanto ſucceſſivè inſenſibiliter evaneſcit & diſcutitur, in *contuſionibus* v.g. Caſu ab alto. Uberius vero collectus mox excandeſcit, ac moleſtum caloris ſenſum producit, donec ſenſim corruptus, in pus vel ſaniem abeat, quarũ prima mutatio, vocatur *inflammatio*, ſeu φλεγμονή, poſterior vero abſceſſus vel *ἀπόςημα*.

Quando ſanguis in cavitatem quandam effuſus v.g. in pectus vel cavum abdominis, ac ibidem collectus in pus mutatur, vocatur *Empyema*; qui ſi extra corpus effundatur eſt *hæmorragia*. Refluxus igitur ſanguinis quicunque impeditus, ſucceſſivè

INFLAMMATIONEM

conſtituit, ita ut cauſa materialis proxima conſiſtat in ſanguinis collectione & ſtagnatione ob impeditum ejus refluxum. Nempe ſi qualibet pulſatione ℥ß ſanguinis per arteriam ad partem fluat, ſed ℈j. per venas ſaltim refluat, remanet ℈ß. & dum continuatis pulſibus ſemper major majorque ſanguinis erit copia, neceſſariò oritur ſanguinis inflammatio. Quod ſi verò in parte inflammata nil omninò refluat, adeoque nec reciprocus ſpiritûs influi fiat motus, à quo ſuſtentetur inſitus, ſupervenit *Gangræna*, dum ſuppreſſo ſpiritu inſito, pars emoritur. Sanguis dum ita ſtagnat, neceſſariò pars inde tumet, & propter ſanguinem contentum rubet, neceſſariò hinc etiam dolet, & tandem à ſanguine calido ſimulque plus minus effervescente intenſè calet, adeoque 4. *pathognomica ſigna* conſtituunt modo dicta pathemata, nempe *Tumor, rubor, dolor, & calor.*

Dolor triplex in inflammatione ſucceſſivè obſervatur 1. *Tenſivus.* 2. *Pulſatorius.* 3. *Punctorius.* *Tenſivus* à fibris partis inflammatæ convulſis, earumque adeò tenſione & renitentia: *Pulſativus* à fibrarum, membranas arteriarum conſtituentium, convulſiva tenſione, hinc ad diaſtolen reſiſtentia. *Punctorius* vix niſi in ſuppuratione, ſuperveniens ab acribus ſalinis acido ſalſis particulis, acicularum inſtar pungentibus. Hæc omnibus manifeſta ſunt in parte externa viſibili; dolor pulſatorius vero in parte interna, adeoque inviſibili, item interdum gravativus ardor & denique partis ordinaria functio læſa inflammationem comitantur. Hinc obſervetur, quod, quia non omnis inflammatio eſt in parte quadam determinata, tanquam ſubjecto, ſemper præter modò allegatum quaternionem ſymptomatum, ſimul alia accedunt, non morbi, ſed partis affectæ ratione ſupervenientia. Sic v.g. inflammationi *in angina*, deglutitio læſa, in *Pleuritide* reſpiratio difficilis, ratione partis affectæ ſuperveniunt. Quibus in viſceribus inflammatis ſemper ponderis gravantis ſenſus, ſive *gravativus* obtuſus dolor præter dicta ſimul accedit.

Cauſa

Causa efficiens inflammationum est vel *interna* seu proxima, vel externa seu remota.

Interna vel est sanguis ad æquabilem circularem, per quævis vasa capillaria, motum ineptus; vel est fermentum quoddam vitiosum, aliudve quodvis heterogeneum, irritans spiritum partis insitum & dolorem inferens. Adeoque omnis causa efficiens inflammationis quærenda, vel *in objecto* seu sanguine fluente, vel *in subjecto* seu parte, per quam fit motus. *Prior* causa est rarior, *posterior* vero est omnino frequentior.

Sanguis ad motum circularem ineptus est, vel 1. quando nimis est viscidus ac crassus ob seri defectum ejusque nimiam absumtionem, aut propter chyli crudioris ac glutinosioris, sive pituitæ viscidæ congestionem. 2. Quando idem sanguis ab acido quodam vitioso plus minus grumosus factus, hinc inde subsistere aptus redditur. Hinc v. g. in subitaneo frigore, aut haustu frigido, post nimium corporis motum & incalescentiam & inde sanguinis ad facilem sui coagulationem dispositionem, promtè pleuritis, aut peripnevmonia oriuntur, non secus ac immersio corporis calefacti in aquam frigidam, ad eadem mala disponere solet. Sed dixi rariorem ex hac causa esse inflammationem. Nam vel universalis in toto corpore aut una quadam parte, aut pluribus partibus simul, fieret sanguinis ex causis istis stagnatio, aut danda foret ratio, quare præcipuè in hac, non vero in alia parte fieret talis stagnatio, adeoque sic ad partem inflammatam simul semper respiciendum erit.

Altera causa, *in parte recipiente* scilicet est vitiū quodcunque, cujus occasione angustantur partes, quo minus sanguinem debitè transmittant. Hoc ipsum est acidum vitiosum fermentum, spiritui partis insito inimicum, cujus occasione pars tanquam à spina infixa dolet; cujus doloris occasione, ex fibrarum irritatione, spirituum influorum concitatior influxus seu impetus provocatur: Hinc stringuntur fibræ, clauduntur pori, angustantur meatus, sanguinis vitiatur circulus & adest *inflammatio*. Sed præter tale fermentum acidum, etiam quodvis heterogeneum, in parte quadam præternaturaliter retentum, eamque lædens, aut molestiæ sensum inferens seu irritans, talis spinæ locum obtinet, ac inflammationem excitat. Hinc enim est, quod quibuscunque ferè doloribus frequentes superveniant inflammationes, v. g. dolori dentium, ab acido radicem dentis mortificante, supervenit inflammatio malæ, quoniam fibræ nervosæ & musculosæ vicinæ ex dolore per consensum affectæ, se crispant & levi quasi spasmo se contrahunt, unde coarctantur venæ capillares, hinc inflammatio. Unde in arthritide ex simili causa tumor inflammatorius, ut plurimum Erysipelaceus, supervenit; it, puncturæ vespæ, intrusioni spinæ & coagulationi lactis in mam-

ma, mox inflammationes superveniunt. Non est talis tumor causa, sed potius effectus seu productum. Unde qui tales tumores simpliciter curant, ad posterius curam dirigunt: Econtra si modò causa dolorifica sistatur, omnis tumor & præcavetur & incipiens mox curatur.

Causæ externæ seu remotæ sunt variæ, ad alteram dictarum *proximarum* necessariò reducendæ. Hinc gravioribus contusionibus v. g. testium, ex equitatione violentâ, supervenit inflammatio: Item arctis partium compressionibus, vasorum angustationibus, nimis fortibus ligaturis, luxationibus & fracturis nō rarò inflammationes pedissequæ se associant. Sic spinæ post ossa fracta aut post craniū contusum, altius eminentes semper inflammationes inferunt.

Observandum autem hic, omnes *partium internarum inflammationes de Erysipelatum* esse genere, adeoque esse omnes *acutas*, subinde peracutas, cum febre ardente continua junctas; nam v. g pylori inflammatio vix ad quartum diem durat. Sanguis itaque extravasatus plus minus ac in parte stagnans, mox fermentando impensè calescit, effervescit ac in pus corrūpitur, quod suppurare dicunt, es wird unterköthig. Ratio est, quod sanguis præternaturaliter extravasatus, volatilibus balsamicis spiritibus mox depauperatur, unde ad corruptionem sui tendit, cujus individuus comes semper est acor præternaturalis vitiosus. Quæ vitiosa aciditas in sanguine extravasato, uti spissat & coagulat sanguinem primitus, ita postmodum sale volatili in sanguine abundante & successivè magis magisque emergente, fermentationis motum ciet, imò interdum acriter effervescit, unde intensus calor & major tumoris inturgescentia. Quæ acris effervescentiæ pugna, uti successivè sanguinem corrumpit, ita tamdiu durat, donec salia ista effervescentiæ mutuô concursu in tertium salsum coeant, quod *pus* vocatur. Salsum dico pus, si est laudabile & naturale, cum ex acido urinosoq; necessariò subsalsescat; albedo vero puris est ex sulph. sanguinis sub effervescentiæ motu ab alcali soluto perque acidum præcipitatô *Conf. hic Sylvius l. 1. prax. ubi de inflam.*

Ardor, qui in inflammatione perquam sensibilis, est ex acidi volatilis motu concitatiori, adeoque pro hujus plus minus acrioris, cum alcali etiam plus minus acriori, plus minus facta effervescentia majori, cætera symptomata *ardor, rosio, punctio &c.* plus minus intendi quoque solent. Idem *acidum vitiosum*, sive sanguinem purum inquinando ad inflammationē disponat, sive inflammationi ex alia causa obortæ superveniat, effervescendo in ejus massa cum sale ejus volatili, causa est *febris inflammationibus* semper *conjunctæ*, aut *acutæ*, in inflammatione partis internæ, à causa interna natâ, v. g. in pleuritide, hepatitide: Aut *lentæ*, supervenientes nempe inflammationibus partium quarundam externarum, à causa externa subortis, v. g. in inflammatione mammæ ex lactis grumis. Acidum hoc in quavis inflammatione simul subesse & quorumvis cæterorum symptomatum aut

aut supervenientium affectuum causam probatur 1. Exemplo pleuritidis, ceu inflammationis, spontaneâ de causa enatæ, frequentissimæ; In hac enim sanguis per sectam venam effluens semigrumatus apparet, quo de *vid. infra.* 2. Quia inflammationes quælibet, remotis causis externis, eas plus minus foventibus, curantur optimè internè per talia, quæ acidum vitiosum corrigere, aut per sudorem & urinam ejicere valent, v. g. ocul. ♋. dent. apri, flor. bellid. papav. rh. sperma ceti & in genere per omnia remedia, quæ sanguinem ab acido grumosum dissolvere, & in casu ab alto usurpari solent. 3. Externæ inflammationes quævis, in specie Erysipelaceæ per talia tolluntur, quæ acidum absorbere valent, v. g. per applicatam cretam, pulv. flor sambuc. chamom. camphoram, aq. calc. vivæ, lac virgini & similia applicata. Ultra hactenus dicta ulterius, ratione causæ efficientis formalis, in subjecto patienti considerandа venit crebrior inflammationum *recidiva.* Ratione vero causæ materialis & objecti, considerandus venit sanguis, prout in quanto & quali se habens, *inflammationum differentias constituit.* Quoad *recidivam* inflammationum, facilem observamus aptitudinem quandam in partibus quibusdam, ut vel ex levi quacunque occasione inflammentur, vel quod inflammatio semel in parte facta à causa interna, subinde in eadem parte recurrat. Prius quod attinet, dispositio ista seu aptitudo promta ad inflammationem in parte, consistit imprimis in nimia partis sensibilitate id: oque irritabilitate, dolore &c. Hinc enim partes nerveæ facilius, quam sanguineæ inflammantur, oculi facilius quàm genæ & sic porrò. *Quoad posterius*, notus est quidã pleuriticus qui subinde quotannis eodem malo laborat; alius Erysipelate suræ affectus, vel levissima data occasione idem malum denuò patitur. Inflammationes tonsillarum semel factæ, si non benè curentur, facillimè vel data externa saltim occasione, recurrunt.

Dicitur vulgò, remanere in parte inflammata dispositionem certam, unde ad tam facilem inflammationem disponatur. Sed revera triplex hic subest ratio 1. Debilitas spiritus insiti. 2. Atonia partis semel inflammatæ. 3. Relicta spina seu aciditas fermentalis occulta, facilè vel *internis* occasionibus, v. g. iræ excandescentia, vel *externis* diætæ erroribus, commovenda. Nam pars semel inflammata sive discussa fuerit inflammatio, sive, idq; imprimis, suppurata, necessariò debilitatur, ac plus minus enervatur spiritus insitus, ob denegatum liberius cum influo commercium; fibræ quoque laxatæ & pori partis transformati restitant, unde facile sanguis in suo legitimo motu impediri potest; imprimis si abscessus suppuratus seu inflammatio suppurata non probè & exactè mundificetur, etiam post consolidatum ulcus recurrit; tum enim odor fermentalis acidus residuus manet, qui partim partes sensiles irritando, si excitatus fuerit, fibrarum crispationem excitat, partim suo contagio sanguinem affluentem simul disponit ad faciliorem sui coagulationem, hinc subsistentiam & inflammationem.

Quoad objecti materialis seu sanguinis in quanto & quali vitia, attendendum,

dum, an sub inflammationibus concurrat simul aliqualis plethora, seu revera talis, seu ex consuetudine. Nam tali sub occasione copiosius sanguis stagnare & inflammationem intendere solet. Hinc qui adsueti sunt annuis phlebotomiis, aut statis scarificationibus, simul atque hæc intermittunt, sæpius in inflammationes crebrius recurrentes incidunt, quas ferè præcavent ordinariis istis sanguinis detractionibus. Novi mulierem, quæ nisi binis singulis mensibus utatur cucurbitulis scarificatis, ordinario tonsillarum & faucium inflammationi est subjecta; concurrit nempe hic plethora secundum quid, seu à consuetudine contracta. *Quoad quale* sanguinis, *dividunt* vulgò *inflammationes* in *legitimas* & *illegitimas*. *Illas* quando sanguis benè constitutus inflammationes excitat; *has* verò seu illegitimas in *biliosas, pituitosas, melancholicas* dispescunt, non propter tales humores sanguini permistos, sed propter variam sanguinis crasin, ac inde natam temperiem, de quo *in Physiol. de Temperam.*

Quoad *prognosin.* Inflammatio vel sua sponte recurrit, vel non recurrit. *Istud*, quando sanguis nondum perfectè extravasatus aut congrumatus fuit, quin relaxatis fibris aut apertis poris idem stagnare incipiens, denuò per venas regurgitat, sive purus fuerit, sive sordibus heterogeneis, in quandam partem depositis & ita inflammationem occasionaliter inferentibus, permistus; Id quod probè notandum est in tumoribus partium *criticis*, semper cum inflammatione junctis. *Dum non recurrit* inflamatio vel discutitur, vel suppuratur, vel scirrhescit, vel gangrænescit. Quando inflamatio discutitur (idquod fit imprimis operante & prædominante alcali, dissolvendo sanguinem) est optimus finiendi modus; hinc est iste, quando suppuratur & abit in abscessum, ex æquali vigore acidi & alcali; quod si vero acido abundante & prædominante coaguletur in scirrhum, malum est, propter tumorem contumacem & curatu difficilem. Nisi enim scirrhi cautè tractentur, facilè effervescendo in cancrum degenerant, cum cancer adultus & scirrhus dolens in paucis differant. Quod si inflammatio ex omnimodò spirituum & sanguinis in parte motu impedito, in gangrænam abit, omnium est pessima, dum acido vitali spirituoso destructo sanguis & pars in putredinem dilabuntur.

Positis his fundamentis facilis est accessus ad *curam*, in qua *sanguinis stagnatio tollenda & naturalis ipsius circulus restituendus*; idque fit vel *removendo* quasvis *causas externas*, vel *corrigendo internas*; adeoque quoad has 1. Sanguinis tenuitas & fluxilitas conservanda & circulus ejus concitatior reddendus per *sudorifera*, præsertim alcalinæ naturæ, tam *fixa*, quã *volatilia*; *Illa* acidũ, sanguinem plus minus coagulans, absorbentia; *hac* eundem positivè dissolventia &

attenuantia expectato sudore optime conducunt. 2. Fermentum vitiosum in parte affecta corrigendum, aut quodvis aliud heterogeneum removendum, id quod tam *interna* quàm *externa* præstant. *Illa* sunt *absorbentia fixa*, aut *penetrantia volatilia* cum sudore administrata, adeoque sudorifera, ac sudorem procurandô inflammationibus quibusvis conducunt.

Externa sunt ea quæ (1.) Acidum absorbent, ut ♄*ina* & *alcalia*. (2.) Sanguinem vi *aromatica* alcalina dissolvunt & ita inflammationem discutiunt. (3.) Quæ temperandô mutuum salium effervescentium concursum, suppurationem adjuvant. Quo facto abscessus aperiendus, ulcus mundandum, hinc consolidandum. Mundificatio sit exacta, ne tantillum fermenti in ulcere corruptivi residuum, recidivas inferre possit.

Pro his scopis observandum solenne ferè esse in omni inflammatione ingruente aut præsente V. S. instituere, eamque subinde aliquoties repetere, idque *secundum revulsionis*, *aversionis* & *diversionis* leges & fundamenta alibi explicata. Nempe ubi cætera respondent circumstantiæ, aut etiam plus minus urgent, *V. S. ventilatoria* pro impediendo nimio inflammationis incremento debitis ac selectis in locis instituta, omnino subinde concedenda venit, absque tamen nimio ejus, secundum alias nationes, abusu, utut non semper eadem necessaria sit, cum repetiti sudores per remedia appropriata subinde quibusvis sanguinis detractionibus præferendi sint. *Repellentia* quod attinet, sic dicta repulsio est impossibilis, sæpe nociva. *Intercipientia* verò, seu, sic vulgo dicta, defensiva subinde tolerabilia; sunt autem talia, quæ fermenti acidi vim aut progressum, absorbendo istud, aut corrigendo, emendare possunt; sed de his alibi.

Purgantia ad inflammationes, qua tales, omnino sunt frustraneæ, utut primarum viarum absterfio & alvi blanda *laxantia*, propter junctam sæpe febrem, perq; proficua esse soleant. *Remedia* igitur *interna* plus minus *diaphoretica* superioribus indicationibus satisfacientia, sunt omnia ea, quæ infra circa pleuritidem declarabuntur, quæ ipsa etiam in inflammationibus locum obtinent. Conveniunt g. omnia *volatilia salina urinosa*, ut *spir. tartari*, & ✳. *urin. CC.* &c. it. *animalium partes duræ*, *salibus* hujusmodi turgidæ v. g. *Mandibul. lucij piscis*, *lap.* ♋, *dens apri*, *ebur*, *unicorn.* &c. it. *sperma ceti*; quibus adde & *sulphura mineralia* & metallica fixa, præsertim ☿*ialia*, ut ☿. *diaph. bezoard. miner.* ac denique ratione febris acutæ junctæ, *nitr.* ac omnia *nitrata*; in specie *nitrum antimoniatum* ac *spir. nitr. dulcis*, simul egregiè diaphoreticus: Ex modô dictis præparata plura, *Mistura simplex*, *Pulv. bezoardici*, *liq. CC. succin.* &c. conveniunt e. g. in principio inflammationum, habita ratione V. S.

℞. Aq.

℞. Aq. Scabiof.
Flor. ſamb. aa. ℥iß.
ſpir. therical. ſimpl. l camphor. ʒiij.
dent. apri præp. ʒj.
ſal. vol. CC. gr. xv. ad ℈j.
Syr. ſcabioſ. ʒvj. M. p. 2. l. 3. doſ.

Quibus etiam pro circumſtantiarum ratione *opiata* addi poſſunt. Aut hujus loco

℞. Unicorn. ver. præp.
maxill. luc. piſc.
CC. ſ. △. aa. ℈j.
ſal. vol. CC. gr. xv.
laud. op. gr. ij. l. iij. M. p. 2. l. 3. doſ. in hauſtulo vini capiendis, expectando ſudorem.

In incremento inflammationum.

℞. Aq. fl. ſambuc.
chærefol.
papav. rhæad. aa. ℥j.
aceti ſambucin. ʒiij ad ℥ß.
lap. 69 præp. ʒj.
mandib. lucii piſc. ℈j.
ſyr. papav. rhæad. ℥j. M. p. 2. l. 3. doſ.

Nonniſi ratione acidi utimur iſtis abſorbentibus, quæ imbibunt acidum, ſed non penitus ſaturantur, quo ipſo lixivii naturam aſſumunt, ut dicit *Helmont*, ac potentius vitioſa acida abſorbere ſanguinemq; mediante ſudore diſſolvere valent.

Vel ℞. Lap. 69. præp. ℈ij.
ebor. ſ. igne ℈j.
laud. opiat. g. ij. M. F. pulv. p. 2. doſ in hauſtu vini Rhenani aſſumendis, vel in parvo cochleari aceti, expectando deſuper ſudorem. Quin & ſub morbi ſtatu *Emulſiones ex ſem. C. M. C. B. c. aq. papav. rhæad.* paratæ, addendo ♁. *diaphoret.* aut alia ſupra dicta, ſunt utiles.

Dum febris urget, convenientiſſimum eſt *nitr. pulveriſatum* in potu ordinario diſſolvere, idque plus minus copioſè, prout neceſſarium fuerit. Vel ſi in progreſſu morbi febris urgeat

℞. Aq. flor. ſambuc.
C. B. aa. ℥ij.
♁. diaph. ʒj.

Syr. C B. aut
papav. rhæad. ℥j.
ſpir. nitr. dulcis q. ſ. pro grato ſapore,

Capiatur ſubinde cochleatim, obſervando, ut, quantum poſſibile, corpus in madore conſervetur. Sub hujus defectu opiata non negligenda ſunt, quæ figendo ſpirituum impetum & hinc fibrarum nervearum ſolvendo ſtricturam, multùm promovent ſudorem. Loco potionis iſtius ſecundo locô poſitæ commodè etiam *miſtura theriacalis*, *ex theriaca* & *aceto*, ſupra, ubi *de febribus malignis*, inſinuata, uſurpari poteſt. Quod ſi

ERYSIPELACEÆ

ſint *inflammationes*, imprimis adhibendum ſimul *Rob ſambuci*, quibuſvis formulis additum, aut pro vehiculo *pulv.* uſurpandum, ceu appropriatiſſimum Eryſipelatis remedium, præſertim quando motus naturæ excretorius deficit, nec debitè Eryſipelas efflorefcere poteſt, tunc loco ſtimuli uſurpatum *Rob* optimum eſt.

Quoad *externa* vel diſcutientia, vel ſuppurantia, hæc ad *Chirurgiam* pertinent. Sufficiat interim, quòd omnium optimè de his agat *Sylvius l. 1. pr. c. 40. & Barbette Chirurg. p. 2. c. 3.* Ubi *Empl. diapalma in aceto* ſolutum in uſu eſſe ait: it. *folia braſſicæ, tabaci, hyoſciami* & ſimilia impoſita, calorem extrahere: Alios a. recipere *ſtercus ovillum* in vino vel aceto coctum; nonnullos *flores ſambuci, meliloti, chamomillæ* & ſimilia *in lacte dulci*: *Cretam contuſam cum charta cærulea* impoſitam citò & benè ſanare, refert. Fomentum ſequens commendat idem

℞. Myrrh. rubr. pulv. ℥ij.
ſacch. ♄i. ʒß.
camphor, ℈j.
opii gr. xxv.
vini albi Gallic. ℥vj. Mixta calefiant, quo linteola madefacta

imponantur parti affectæ, eaq; toties renovanda, quoties frigefieri aut exſiccari incipiunt. Aliud ibidem ſubjungit maxime proficuum

℞. Troch. alb. Rhaſis ʒj.
camphor. ℈j.
Sp. V. ℥j.
aq ſambuci ℥vj. M.

Pars etiam affecta quinquies vel ſexies de die ſuffumigetur maſtiche & *thure*, præſertim ſi facies eryſipelate laborat, *vid. cit. loc.*

Quoad *inflammationes particulares*, occupant hæ vel partes *internas* vel *externas*. Inter has ſe offert 1. Pharynx cum ſummitate gulæ: Larynx cum aſpera arteria, ac denique tonſillæ: Uno nomine partes in faucium iſthmo inflammantur; quæ inflammationes (excepta Tonſillarum inflammatione quæ ferè Notha exiſtit, ac aliâs ſpeciali nomine caret) in genere *Angina*, Barbaris *ſquinantia*, Germ. die Braune/ dicitur, utut hæc linguæ ſaltem ſymptoma ſit & ſimul quodammodo faucium, in febb. ardentibus familiaris. De his tamen omnibus ac partium huc pertinentium inflammationibus, cum habeant communem medendi rationem, conjunctim agere placet. Quoad

ANGINAM

ergo, fauces in hac ipſa afficiuntur, adeoque imprimis ea pars, quæ pharyngem & laryngem conſtituit, ac præſertim partium harum muſculi, hinc & ſubinde glandulæ, ſiquidem utplurimum ſimul tam Pharynx quam Larynx harumque partium muſculi tam interni, quam externi affici ſolent, utut nunc una pars magis, altera minus. Unde ſaltim ſpeculativa, non autem practica eſt iſta differentia, dum *Galenus* & *Trallianus* Anginam diſtinguunt in 4. differentias, nempe *Synanchen*, quando interni faucium ſeu Pharyngis muſculi inflammantur. 2. In *Paraſynanchen*, quando externi faucium ſeu Pharyngis muſculi affecti ſunt. 3. In *Cynanchen*, in qua internæ Laryngis partes ſunt inflammatæ. 4. In *Paracynanchen*, quando exteriores Laryngis & gutturis muſculi ſunt inflammati. Equidem in Cynanche ſæpius ſimul affecti ſunt plus minus pulmones, non ſolummodò Larynx, unde etiam tunc temporis tam inſignes reſpirandi difficultates, quales in peripnevmonia ſolent eſſe familiares, adſunt.

Præter verò *generalia* ſymptomata aliis inflammationibus communia, partium nempe in faucibus calorem, dolorem, tumorem & interdum viſibilem ruborem, adeſt in ſpecie in *Angina incipiente* difficilis colli motus non abſque dolore; it. difficultas reſpirandi, difficilis deglutitio & dolor admodum ardens in faucibus. In *factâ* verò jam angina ſigna ſunt reſpiratio ferè abolita, & nonniſi cum ſumma difficultate reiteranda, ita ut in quibus gravius afficitur larynx, ſubinde quaſi ſuffocatio immineat: Deglutitio impedita, ita ut liquor in ore detentus non poſſit ſubire gulam & ſi eousque penetrare poſſit, propter anguſtiam ſummam tamen & laryngis irritationem, denuò per nares ſurſum regurgitat: Dolor circa guttur & fauces inſignis & admodum urgens, tam rodens, quàm pulſans, aut etiam crebrius pungens; lingua rubet, ac inſigniter tumet; unde etiam ejusdem motus plus minus impeditur, ac faucibus angina præcluſis ſimul è lingua filum viſcidum propendet, ſeu copioſo muco conti-

continuò obducitur; sunt nempe mucidæ, salsæ amaræ aliæve tenaces particulæ salivæ aqueæ. *Pulsum* ita delineat *Pergamenus*: Anginæ pulsus tensione quadam præpeditus est & convulso similis, magnus & undosus, ut pulsus peripnevmonicorum: Quicunque vehementer ex illis suffocantur, habent parvum & rarum; ubi jam agunt, crebrum & inæqualem. Febris quoque adest, eaque plus minus acuta, prout vel exquisita magis, vel notha est angina. In illa acuta, in hac subinde lenta conjuncta esse solet. Interim quæ pars magis laboret, an Pharynx, an Larynx, ex læsionibus respirationis, item deglutitionis & situ doloris perscrutandum venit.

TONSILLARUM

inflammationibus occasione lymphæ vitiatæ, spissioris sc. & acidæ acrioris concitatis, febris continua sed magis lenta est juncta, fauces quidem rubent, sed minus inflammatæ sunt, tonsillæ verò tumidæ insigniter prominent & cum naturaliter habeant foramen amplum in summitate sui, tunicaq; crassa eas cingens, foramine aperto in fauces perforata sit, adeoque hiet & hinc à dictis glandulis excernatur lympha salivalis glutinosior in fauces & gulam: Propterea quando Tonsillæ hæ sunt tumidæ, ac plus minus inflammatæ, foramina hæc insigniter hiant & magis conspicua fiunt, ita ut imperitis Chirurgis pro ulceribus tonsillarum habeantur, observante hoc jam *Schenckio in obs. ubi de Tonsill.*

Imprimis in hac *Tonsillarum inflammatione* materia viscida, glutinosa & mucosa linguam & fauces incrustat, ac subinde tenacis pelliculæ instar eis adhæret, ac nil aliud est, quam lympha tonsillarum ac glandularum vicinarum vitiata ac impura reddita & glutinosa, â nutrimento dictarum partium chylosô, ob earum læsionem, non ritè assimilatô ita alterata.

Inflammatio hæc dictarum partium nunc est *exacta* seu *genuina*, nunc non exacta seu *notha*.

Exacta Angina, aut quæ rarior est, tonsillarum inflammatio, est ex solo sanguine, adeoque ut vulgò dividitur, vel *sanguinea* vel *biliosa*: Acutum malum est, de quo hactenus dicta fere intelligenda sunt. *Non exacta* est tantùm tumefactio istarum partium plus minus œdematosa & excitatur ferè occasione lymphæ, glandulas dictarum partium malè afficientis, loca vicina rodentis, plus minus excoriantis & ita junctam phlogosin inducentis; quæ ipsa vitiata lympha, prout plus minus circa dicta loca stagnat, etiam plus minus easdem tumidas reddit & circulationem sanguinis plus minus impediendo, aliqualem inflammatoriam dispositionem junctam habet. Et talis *notha angina* frequentius occurrit cum tonsillarum inflammatione, quarum tumor crebrius occasione vitiatæ lymphæ supervenit. Nunc febris expers est hæc *notha*, nunc lentam

tam saltim junctam habet. Et de hujusmodi *Angina notha*, seu *alba* dicta eaque satis periculosa *vid. M. A. N. C. Ann. 6. p. 218.* Pertinere huc videtur rara *Anginæ* quasi *membranosæ* species, quæ vid. in *Misc. A. N. C. Ann. 2. p. 31.* Porrò evenit interdum, ut *Epidemicum* malum sit Angina, simul in plures grassans, juncta cum febre continua, plus minus ardente eaque malignâ, qualis non saltim fuit ista, quam tractat *Bartholin. de Angin. Epidemica*; sed & facit huc notabilis ista observatio *Panaroli Pentec. 5. obs. 10.* de Angina maligna epidemica in puero ita contagiosa, ut parùm mordendo digitos obstetricis, mox in parte commorsa carbunculus excitatus fuerit, eaque simul angina correpta.

Quoad *causas*, præter *generales* inflammationibus quibusvis communes, in specie eæ, quæ faucium ac partium vicinarum inflammationem inducunt, sunt vel *internæ*, vel *externæ*. I. *Internas* inter primariam sui considerationem meretur lympha vitiata, acris, aut speciatim sapore vitioso inquinata, simul plus minus glutinosa, glandulas dictarum regionum plures vel pauciores afficiens & ita partim irritando, partim infarciendo, sanguinis naturalem motum & transitum per & citra glandulas impediens: Ac sanè hæc creberrima inflammationis tonsillarum videtur origo. Sicut aliàs lympha, per glandulas oris & vicinarum partium excreta, nimis salsa vel acida, ut in affectibus catarrhalibus contingit, acrimoniâ sua rodendo & plus minus excoriando loca circa fauces consita, nunc graviorem, nunc leviorem inflammatoriam dispositionem inferre solet, h. e. calorem, ruborem, dolorem, cum aliquali subinde tumore. Ulterius ordinariæ sanguinis evacuationes suppressæ, inprimis mensium suppressio, ad anginas disponit, isto nempe in casu, quando jam istæ, quæ fauces affirmant, partes, quâvis occasione prægressa, debilitatæ sunt & ita robur inæquale patiuntur, facilè exinde à sanguine stagnante inflammari possunt. Unde mulieres, ex tali occasione subinde pleuritidi, it. Anginæ sunt obnoxiæ & V. S. in pedibus, non brachiis, levandæ.

Pertinet huc morbi unius in anginam transitus; quâ ratione, dysenteria pravè curata, aut intempestivè suppressa, præsertim epidemica, uti crebrô pleuritidem, ita in specie anginam infert, qualia exempla non tantum recenset *la Monice de fluxu dysenter. c. 5.* sed & *Hildan. Tr. de dysenteriâ.*

Externæ causæ crebriores, sunt in specie res ineptè deglutitæ, quæ in faucibus hærent, & vel nimiâ mole eas angustant & ita vasa comprimunt, vel pungendo, aut acrimoniâ irritando, ad fibrarum contracturam & hinc ad successivas inflammationes disponunt. Sic à spina piscis in faucibus hærente, item ex frustulis vitri devoratis & faucibus infixis, inflammationes & tandem abscessus notarunt Practici. Ex potu *aquæ fortis* & similium liquorum corrosivorum, inflamma-

flammatas non raró esse fauces & gulam, res per se nota est. Imprimis inspirata, immediatô contactu hæc loca irritantia, multum conferunt. Hinc subitaneum frigus inspiratum, aut potus nimis frigidus post nimiam ac intensam corporis incalescentiam, lædendo fauces & sanguinem, per hæc loca circulantem, alterando, inflammationes inferunt. Ex simili sed singulari inspiratorum vitio, epidemicè oriuntur hæc mala, cum non saltem miasma morbosum inspiratum in sui transitu fauces naturaliter læserit, & acrimonia occulta, tanquam tot infixæ spinulæ eas irritaverit, sed forsan etiam sanguinem certô modô alterando, hunc ad facilem sui stagnationem, quin & febrilem malignam fermentationem disposuerit. Ad *externas* has *causas* pertinet etiam inunctio ☿rialis pro cura luis ☿reæ, quæ ineptè instituta, ab acrimonia caustica ☿rij, fauces vellicante, in liquore lymphatico corrosivo easdem rodente, subinde graves faucium inflammationes, interdum suffocationes infert. Sane luis ♀reæ virus acre, ut speciatim lympham glandularum conglomeratarum inficit, ita & hujus ratione sæpissimè excoriationes ac inflammationes faucium, subinde perquam contumaces infert, id quòd vulgò vocant, auffgelauffene Hälse.

Vulgò referunt multa de luxatione vertebrarum colli, quod nempe hæc ipsa etiam anginam inferat, idque occasione *aphor.* 35. *sect.* 4. *Hippocr. Si febre detento repentè collum intorqueatur, ut vix deglutiri queat, nullo tamen tumore intus vel foris apparente, lethale est*: Ordinariò, inquiunt, ob luxationem vertebrarum. Sed nota est structura vertebrarum colli & quod talis aphor. hujus explicatio nata sit ex falsâ hypothesi, cum non angina ex luxatione vertebrarum colli nata, sed convulsio emprostotono similis intelligenda sit. Nam quod non possit fieri talis angina ex luxatione vertebrarum colli & cervicis, facilè patet, cum non luxentur nisi summa vi, quâ necessariò deprimi debet spinalis medulla, unde abolitio sensus & motus mortisque appropinquatio, unde potius affectus apoplexiæ similis, quam angina sequeretur; sunt enim vertebrarum cervicis processus ita invicem inarticulati, ut citra fracturam luxari nequeant &, si luxarentur, præsentaneam potius mortem, quam anginam inferrent.

Quoad *prognosin*, hæ inflammationes tribus modus finiuntur; aut enim evanescunt & retrocedunt subitò, aut discutiuntur aut suppurantur: Et si suppurantur, in specie tonsillarum inflammationes, abeunt interdum in ulcera diuturna & difficulter sanabilia. Quod si ex dictarum partium inflammationibus ægrum mori contingat, suffocatus interit. Rarum est quod critico quasi motu per hæmorrhagiam curentur eædem; refert tamen *Forestus lib* 15. *obs.* 14. Cynanchen veram, quarto die, per fluxum mensium criticum curatam. Si angina tumore & rubore foris apparente subitò intro evanuerit, malum, nisi critice discussa fuerit, nam inflammatio ad interiores faucium partes recurrendo, suf-

focatio-

focationem infert, aut alio in loco inflammationes periculosiores concitat. Sic *Amatus Lusitanus Cent.* 5. *cur.* 37. periculosum anginæ in pleuritidem transitum observat. Nam vel ad cerebrum transfertur, unde cephalalgia, deliria, phrenitis; vel ad pulmones, unde peripnevmonia, pleuritis; vel ad cor, unde syncope, vel ad alia loca, unde varia mala.

Pertinet huc *Aph.* 10. *sect.* 5. *Hippocr.* quibus ex angina in pulmonem mali fit conversio, intra 7. diem moriuntur. *Si* vero hos effugiant, empyici evadunt. *Aphorismum* hunc optimè explicat *Lindanus*, nempe ea Angina, quæ est in arteria aspera circa laryngem, si suppuretur, ut magna parte fit, si contingat eam membranam, quæ succingit arteriam asperam, per materiæ suppuratæ turgescentiam & pravitatem rumpi, ut metastasis materiæ fiat in pulmones, intereunt intra 7. dies. Inflammatur enim ab hoc materiæ decubitu pulmo, hinc peripnevmonia, aut suppuratur pulmo, unde empyema. De cœtero etiam evenit, ut interdum rupto abscessu pus ad pectus ruat, unde interdum suffocantur ægri. vid. *Forest. lib.* 15. *observ.* 25. Febris cum angina conjuncta sæpius est continens, interdum typum tertianæ continuæ repræsentat; interdum est tertiana continua producta, seu cujus paroxysmi 36. horas durant, & hæc angina utplurimum est lethalis.

Quo minus oculis se sistit tumor, tam intra fauces, quam extra, nempe circa collum, eo majus imminet periculum, quia internæ laryngis & pharyngis partes sunt obsessæ: Certè interna talis inflammatio paucis est tuta, unde omnium gravissima est *cynanche*, hinc *paracynanche*, levior est *synanche*, levissima *parasynanche*. Sicut strangulatis & suffocatis, ita & anginosis spuma circa os apparens, lethale signum est, teste *Hippocrate sect.* 2. *aph.* 43. idq; imprimis quando cum tali circa os spuma magna, adsit respirationis angustia insignis. Pariter si in hypochondriis vel cruribus dolor excitetur & angina non solvatur, morbi augmentum innuit.

Cura in omnibus est eadem, quoad *remedia interna*, cum reliquis inflammationibus. *Externa* vero specialem merentur considerationem, qualia sunt *gargarismata*, *inunctiones*, *cataplasmata* & similia, in faucium, oris, tonsillarum, uvulæ & similium partium inflammationibus quæ applicari solent, de quibus junctim.

Ut ita rectè curentur Anginæ ac cognatæ inflammationes, *observandum*

I. *Internè* in angina omnia ea convenire, quæ alias in omni inflammatione, speciatim in pleuritide, sunt in usu v. g. *mixtura simplex*, *dens apri*, ♁. *diaphor.* *salia volatilia* &c. Sic *Valeriola obs.* 12. *l.* 2. refert quod *rasura dentis apri* ℨj. *cum ol. amygd. dulcium* propinata sit optimum remedium anginæ: In specie quædam *stercora animalium*, quæ *Paracelsus* & *Hartmannus* insigniter commen-

 dant,

dant, interno & externo usu dicata sunt anginis, v. gr. *stercus equinum*, ejusque expressus succus, expectato sudore, in anginis est nobile remedium, id quod etiam *de stercore canis* ℨj similiter affirmari debet; sanè hæc & similia remedia, cum debito sudore administrata, in paroxysmo Anginarum, & quamdiu ægri deglutire possunt, multum opis adferunt. Conveniunt ergò omnia acidum internè infringentia, sanguinem dissolventia & mediante sudore partes abstergentia; cum quibus

II. Si ita visum fuerit, mox ad *venæsectionem* accedendum erit, & quidem *saphænâ*, pro revulsione universali, postmodum *in brachio* alterutro vel utroque pro revulsione particulari, & denique *sub lingua*, in statu, propter derivationem. Has inter nunc una, nunc plures requiruntur venæsectiones & quidem sub vitio mensium, vel hæmorrhoidum cum angina juncto, necessariò vena in pede secanda venit. Venæsectiones hujusmodi nunc una, nunc plures juvare interdum equidem videntur, cæterum ipsis solis fidendum non est, quoniam sæpius ægri, quando videntur meliores, subitò intereunt, quod vid. in *Barbette Praxi.* Venæsectio hæc pro varietate subjectorum ac circumstantiarum interdum repetenda, interdum plures instituendæ, prout corpus vel juvenile, vel senile, prout plethora major vel minor, prout effervescentia febrilis impetuosior vel remissior, prout patiens sanguinis detractionibus magis vel minus adsuetus fuerit. Quidam suadent sectionem venarum jugularium, quam commendatam ac illustratam vide in *Riverii Praxi.* it. *Bartholin. de angina puerorum epidemica.* Verùm subinde est periculosa, nec nisi experto peragenda Chirurgô. Venæsectio sub lingua tantummodo in statu morbi convenit, quando jam inflammatio nullum capit amplius augmentum. Secantur *raninæ* quoniam per has naturaliter solet refluere sanguis, qui in locis vicinis stagnando, inflammationem infert. Interdum sola hæc sectio venarum raninarum præcavet angustiam ita, ut, dum sentitur anginæ principium, harum incisione maturè malum removeatur, eo scil. in casu, quo corpus non nimis est plethoricum, atq; adeò, quando non est conjuncta cum nimia effervescentiâ febrili, sed quando tantùm oritur ex impedimento aliquo, sanguinem in suo fluxu impediente. Alias nonnisi in anginæ statu utile erit illas secare. Prognosin ex modo, quo sanguis sectis venis raninis effluit, *vid. in M. A. N. C. Ann. 3. p. 376.* Nempe si apertæ parùm vel nihil stillent sanguinis, pro malô, imò lethali signô habetur.

III. *In tonsillarum ac quibusvis partium oris, anginis*, præter quæ in genere circa omnes inflammationes observantur, semper simul lymphæ habenda est ratio, quæ nimis crassa, interdum simul acida aut alio modo vitiata, per medicamenta interna *anticatarrhalia, succinata, myrrhata* it. *volatilia & absorbentia*, ac similia corrigenda & emendanda.

VI. *In*

IV. *In Angina maligna* ac ferè epidemica nil attendendum prius, quam *ut specifica* malignitas ista corrigatur & per diaphoretica, junctis *opiatis*, maturè ejiciatur. Et tali in casu non habent locum venæsectiones, aut saltim cautissimè instituantur, uti nec purgationes, nisi in summo principio; quin potius præmisso ferè clysmate, solis diaphoreticis appropriatis insistendum. Caveant autem sibi Medici ab halitu ejusmodi ægrotorum, ne & ipsi ab hac malignitate corripiantur, cùm ferè admodum contagiosa esse soleat.

V. In *Angina* cura vomitoria à multis insigniter commendantur, v. g. ab *Hartm. in Praxi Chimiatr. & Rulando*, qui sæpius cum fructu iisdem usus fuit: Confer quoque *Riverii centur.* 2. *obs.* 10. & 24. it. *Cent.* 4. *observ.* 60. Verum & laudem & vituperium merentur. Legitima ergò occasio, quæ omnis Praxeos est anima, observetur in vomitoriorum usu. *Duo enim sunt tempora*, in quibus conveniunt vomitoria, nempe aut *principium* aut *periculosissimus status. In principio* morbi admodum conveniunt vomitoria. Fit enim sæpe, ut dicit *Lindanus*, ut angina habeat occasionem ab æruginosa bile in primis viis & ventriculô, quando illa bilis subtilia & morsicantia effluvia mittit ad œsophagum & fauces, ubi ipsorum stimulo fit inflammatio & angina. Si igitur æger testetur, se saporem sentire æruginosum, acrem rancidum & titillationem, seu quasi erosionem, ibi protinus in initio oportet dari vomitorium, siquidem tunc subitô Anginam tollit, ac convenit tunc in specie ▽ *benedicta Rulandi*, quæ juxta vim emeticam etiam interdum sudorem movet: Ita quando gravitas in hypochondriis sentitur, vomitoria itidem conveniunt. Præterea *in Angina maligna* & quæ per contagium afficit ægrum, optimum est consilium, mox in principio propinare vomitorium. Post primum etiam principium, conveniunt itidem vomitoria *in statu periculoso*, quando jam scil. facta est suppuratio, sed propter angustiam & ineptitudinem loci, aut profunditatem situs, non potest aperiri scalpello, quin potius ex tumore immineat suffocatio, aut si aperiatur spontè, metus est, ne in pulmones irruat, ægrumq; suffocet. In talibus casibus, ubi alias pauca sunt auxilia, ut aperiatur abscessus vi, ultimum igitur refugium est vomitus, qui concutit abscessum, jam maturatum rumpit, eoque rupto pus per superiora evacuat. Periculosum equidem videtur remedium, satis tamen tutum, quod est unicum, inquit *Celsus*. Et licet medicamenta vomitoria non possint semper deglutiri, nihilominus tamen vel pluma illis imbuta, linguæ applicanda, *aut* ☿ *ius vitæ melle* exceptus faucibus applicandus. His enim modis ad vomitum provocatur stomachus.

VI. In Tonsillarum inflammationibus, sæpius subinde recurrentibus, præsertim illa, quæ ex lymphæ vitio, v. g. scorbuto aliove simili habituali crebrius recidivat, præsertim ubi ætatis aut aliarum circumstantiarum ratione à priori

malum non bene curabile existit, *fonticulus* brachio inustus convenientissimum est consilium præservativum. Sæpius enim evenit, ut qui semel in quadam parte inflammationem suppuratam fuerunt passi, & forsan fermenti ulcerosi aliquid residuum manserit & facili occasione ex irritatione undecunque factâ, præsertim in corpore cacochymico mox recidivet inflammatio, idque facilè in locis glandulosis; quibus in casibus pro palliativâ curâ fonticulus videtur convenientissimus.

VII. Non confundendæ sunt inflammationes aliæque faucium partiumque vicinarum tumores, seu à sanguine, seu ab aliis contentis excitentur, cum *Prunella*, isto nempe linguæ & fauciũ symptomate, quod in febribus acutis, ac in specie castrensibus seu Hungaricis familiare est. Ut plurimũ hoc evenire solet, ut *de Angina* tractantes Practici, remedia contra prunellã usitata simul consignent, facilè cum legentis confusione. Et talia *prunellæ* dicata, sunt in specie remedia *ex ♋. sempervivo maj. prunella, mucilag. sale ✳, nitro, butyro, lardo &c.* quæ ipsa minus anginis, nisi aliis temperata, vel cautè applicata, convenire possunt.

VIII. Remedia ipsis partibus inflammatis, faucibus, tonsillis &c. applicabilia, uti sunt *gargarisationes, litus, unguenta cataplasmata & emplastra*, eo debent esse directa, ut (1) resolvant & discutiant sanguinem stagnantem & inde natam inflammationem, & talia sunt blanda incidentia seu penetrantia, volatilia &c. Quod si hoc fieri nequeat, (2) suppurationem adjuvent, uti sunt temperata & emollientia. (3) Maturatum abscessum aperiant, eadem spirit. acriora aut acrioribus mista; It. auxilia *Chirurgica*, aut deniq; *vomitoria*. (4) Apertum abscessum purificent & consolident, vulneraria & adstringentia. (5) Partem restitutam denuô firment, ac naturalem tonum ejus restituant, nempe adstringentia. Equidem ratione vulgaris medendi methodi, in principio ferè adstringentia usurpantur, nunc sola, nunc cum discutientibus mista, ut nempe internè partibus oris & faucium nonnihil adstrictis, nimium tumoris partium internarum incrementum præveniatur. Sed quam præposterè hoc fiat, ex doctrina *repellentium* manifestum, ac præterea periculum est, ne hujusmodi adstringentibus superiora saltim loca proximè stringantur, inflammatio autem partium inferiorum & internarum sic intendatur, ut rectè *Sylvius* monet *l. 1. prax. c. 44. th. 58.* it. *Deckerus in comment. in Barbett. p. 57.* Adeoque talia potius in fine mali conveniunt.

Gargarisationes quod attinet, equidem suspectæ esse possunt hæ ipsæ, quoniam partes inflammatas nimis agitant, adeoque inflammationem saltem, doloris ratione, sic intendant: Sic in anginosis nihil molestius est, quam gargarisare, cum propter luctam aëris cum aqua gargarisando in angustiis faucium labor, motus, dolor, inflammationem potius augeant & exasperent. Hinc ergò in progressu morbi *Lindanus* tales suos ægros nunquam jubet gargarisare, sed de gar-

gari-

garismate unum alterumve cochlear in ore tenere, ad fauces depellere & retinere ibi paulisper sine agitatione & sic per cavum oris refundere, id quod fit eo melius, quando æger simul resupinatô jacet corpore.

Remedia igitur, ad anginas ac cognatas inflammationes conducentia, sunt *primò, quæ resolvunt & discutiunt*, qualia *fl. sambuci, chamom, menth. salvia, veronica, origanum, hyssopus, scabiosa, semen lini, fœnugræci, fabarum harumque farinæ, anethum, cuminum, sem. sinapi, rapæ, rad. liquir. croc.* θ✱. *nitrum crudum*, vel *cum sulph. fixatum, acet. sambuci, oxymel, spiritus vini, urinæ, salia volatilia &c. passulæ, jujubæ, cepæ*; ex quibus variæ possunt fieri *formulæ*, v. g. *decoctum raparum*, cui parum *salis armoniaci*, aut in gravi ardore, *nitri* parum additum sit, proficuum est. It. *Gargarismus Sculteti*, revera polychrestus, quem *vid. in Armamentario Chirurg. p. 32. it. in River. Cent. 9. obs. 76. v. g.*

℞. Aq. plantagin. ℔ß.
aceti vini ℥j. ad ℥iß.
sacch. alb. ℥j. ad ℥iß.
pulv. sem. sinapi ℥j. M. quo calidè gargarisetur os.

Huc pertinet etiam *polychrestus iste gargarismus Hartmanni c. 8. th. 3. Prax. Chym.*

℞. Florum malvæ hortens. l. arbor. Mj.
rof. rubr.
herb. prunell. veron. salv. an Mß.
rad. polypod. querc. ℥ij. ad ℥ß. coq. in ▽ communis ℔. iv.
aceti vini ℔ß. ad casum transversi pollicis, cum levi expressione.

Ubi viscidior mucus, præsertim in tonsillis inflammatis adfuerit, *sem. sinapi* contus. ℥j. ad ℥ij. simil. decoqui poterit, sicuti ubi acrior videatur talis *gargarismus*, colaturæ *sacch.* ℥j. vel ℥ij. aut *mellis* q. s. addi potest.

Moderni, speciatim *Deckerus super Barbett. spiritum vini*, item θ✱. ac similia *volatilia* gargarismis addere jubent. At sanè existimo, *spiritum vini ustum* maximè conferre, ut & *salium volatilium* tantum, quantum partes affectæ, aliàs admodum dolentes, perferre possunt, idque confirmat hoc ipsum etiam, quòd in inflammatione & tumore tonsillarũ urina, calida propria, modò emissa, gargarisationis loco adhibita, optimè prodesse dicatur. Et *Lindanus* refert, quod vulgus contra tonsillarum inflammationem familiare habeat remedium, ut *caligas* glandulis apponere soleat, die innere Sohlen der Schuhe oder Strümpffe ꝛc. Sic resolvunt tumorem: Ratio est, quia scatent sudoribus & vaporibus pedum, in quibus est vis digerendi & resolvendi, propter *sal volatile* quo abundant Ex quibus clarum fit, *volatilia* pro inflammationum harum resolutione esse optima. v. g.

℞. Herb.

℞. Herb. hyssopi
flor. sambuci
chamomillæ
herb. melilol. aa Mj.
passul. min. ℥ß ad ℥vj. coq in s. q. aquæ simpl.
Colat. ℞. ℔ j. ad. ℔ iß. adde
spiritus vini ℥j. ad. ℥jß.
vel hujus loco, spir. salis armoniaci ℥j. M. pro gargarismo.

Vel in decocto quodam diluto dissolvatur q. s. ⊖ *tart. & salis armoniaci*, ut ita sui juris fiat ⊖ volatile, ac ita penetrare queat, addito pro temperanda volatilium acrimonia, aut *melle rosato*, aut *syrupo viol.* aliove simili temperante.

Sic pariter *externè* pro hoc scopo intervenire poterit *litus*, qui

℞. Ol. amygdal. dulc. ℥j.
spiritus salis armoniaci q. s. pro consistentia linimenti extrinsecus locis tumentibus calidè crebrius illinendi; Vel ex *terebinth.* cum *sale volatili urinæ aut* ⊖✱*ci malax.* & hinc cum *unguento dialth.* aut *emplastro de meliloto* mista. Vel

℞. Ungu. dialth. compos. ℥ij.
ol. chamomill. ℥ß.
philosoph. ℥ij. M fiat litus externè applicandus.

Vel ℞. Empl. de melilot. q. s. malax c.
oleo destillato succini, aut ceræ & ita pro scopo dissolvendi imponatur.

Cataplasma ex absinthio contuso & cum pinguedine porcinâ misto, est egregium, quo solo *Rulandus* anginam curat.

Sequuntur ea, quæ *emolliunt* & *suppurant*, cum quibus semper asperitatem faucium & dolorem ardentem ac rodentem mitigantia socianda veniunt. Conveniunt igitur temperata quævis, *althea*, *malva*, *melilotus*, *caricæ*, *passul. viol. lil. alb. mucilag. seminum & radicum*. *ungu. dialth. Emplastr. de meliloto*, *decoctum hordei*, *lac*, *oleum amygdalarum d. butyr. vitell. ovor. pingued. capon. human. porcin. anserina*, *cepæ*, *nidus hirundinum cum stercoribus*, optimum pro omnibus & quasi universale, tam discussioni quam suppurationi inserviens, ubi & talia quævis *stercora*, in specie *album græcum &c.* conveniunt: Illa ipsa enim quia multum *salis armoniaci* quasi *nitrosi* continent, propterea plurimis scopis satisfaciunt. Hinc

℞. Rad. glycyrrhiz. ℥ij.
herb: malv. Mj.
chamomil.
melilot, an. Mß.

ficuum

ficuum pinguium incis.no.ij
albi græci ʒß. coqu. in s. q. ▽ simplicis vel seri lactis, ubi minor adest æstus, ipso *lacte* cum *aqua* misto, ubi est nimius dolor; M. pro *Gargarismate*.

Item faciunt huc *cataplasmata*, qualia communiter fiunt ita:

℞. Medullæ panis tritic. ℔ß.
rad alth.
lilior.albor. an. ℥j.
semin.lin ʒvj
fœnu græc. ℥ß. coqu. ex lacte ad consistentiam pultis; trajiciantur per setaceum, adde
ol. amygdalar. dulc.
lil.albor. an. ʒvj.
butyr. recent. non salin. ℥ß.
croci ʒj.
vitell. ovor. no ij. M. applic. pro cataplasmate omnibus 24. horis repetendo. Temperata enim hujusmodi temperant acrimoniam salium in inflammatione suppurante effervescentium & quo magis temperant, eo magis dolorem minuunt & suppurationem promovent. Præ cæteris *cataplasma ex nido hirundinum & albo græco* convenit:

v.g. ℞. Nidi hirundin. no. j.
stercoris canin. alb. Mj. coq. in vino vel, quibusdam in casibus, in lacte & applicentur in forma cataplasmatis.

vel ℞. Nid. hirundin. cum stercore, pistetur cum melle & axungiæ porci q. s. inspergendo *album græcum*, ut fiat instar *emplastri* mollioris.

Vel ℞. Nidi hirundin. no. j. adde
herb. malv. alth. an. Mj.
flor. chamomillæ, sambuci an. Mij.
farin. hordei, fabarum an. ℥iß.
croci ʒj.
chamomill. ℥ß. M. calefiant, ut instar cataplasmatis applicentur.

Quod si non sanguis purus, sed magis pituitosus, seu chylo magis temperatus inflammationem excitaverit, pro hoc melius dissolvendo commodè *cepæ sub cineribus coctæ* addi possunt. v.g.

℞. Nidi hirundin. no. j.
flor. sambuci Mj. cæpar. sub cineribus coctar. no. ij. coque ex cerevisia tenui coctisque adde albi græci ℥ß. ol lil. alb. q. s. M.

Vide *Cataplasma Mynſ. de nido hirundinum in suo Thesauro, section. ultim. p. 520.*

It. *Pauli Lutheri in Sennert. ubi de Angina*; *it. Barbettum in sua Chirurgia*, *ubi de inflammatione, in specie de angina.*

Quod si maturatus fuerit abscessus, aperiendus venit, quod fiet, si internè illinatur abscessus *melle c. albo græco* probè permistô & subacto; vel mel cui tantillum *salis armoniaci* admistum est, commodè, quantum doloris patitur ratio, illiniri potest. Vel *mel* cum *cinere hirundinum* subactum, illinatur abscessui; Item *decoctum sem. sinapi* ʒj. *in hydromell.* ℔j. *à Sennerto de angina*, laudatum, ad citò resolvendum, in suffocationis discrimine, admodum præstans habetur, & quidem si spontè his modis aperiatur, res est salva; quam apertionem screatus, tussis &c. adjuvant. Sin minus, si attingi potest abscessus scalpello aperiendus & incidendus. Alii *oleo vitr.* abscessum attingunt, sicque citò rumpi ajunt; aliis irritis ad *vomitoria* accessus faciendus est.

Quod si suffocationis immineat periculum, aut modis hisce nec tumor, nec abscessus removeri aut aperiri queat, ne suffocetur æger *laryngotomia*, auxilium ferè tutum, administrari potest, *de qua vid. Chirurgi Practici.*

Aperto abscessu *quarto* loco ulcus mundificandum & consolidandum; pro quo scopo *decocti hordei* ℔j. *cum mellis rosati* ℥iij. vel iv. sufficit. Vel *decoctum veronicæ cum melle*: item *decoctum plantagin. & fol. quercus cum melle* conducunt, quibus in contumaciore ulcere *spiritus vitr.* parum, quantum saltim ad blandam aciditatem necessarium est, addi potest; Utut probè observandum sit, quod sordida ac contumacia tonsillarum ulcera, ordinariò ferè pro fundamento habere soleant luem veneream. Vel,

℞. Herb. prunell.
veronic.
salv.
rad. pol. q.
liquirit. an. ʒij.
aluminis crud. ʒj.
mellis rosat. ℥j. coqu. in s. q. aquæ simplicis: Colaturâ utatur pro gargarismo mundificante.

Quod si propter latentem scorbutum *ulcera* talia *faucium* sint contumaciora, optimum est, si *mel rosaceum* impregnetur cum *spiritu salis bene rectificato q. s.* ad suavem acescentiam, quo ipso multa præstari possunt in faucium & oris exulcerationibus.

Quod si sordidiora sint ulcera, ad *æruginem* recurrendum est; nempe vel ad *aquam viridem Plateri*, aut *Hartmanni*, quam *vid. in ejus Praxi Chym. c. 52. lib. 4. & 5.* Quibus ipsis attingantur ulcera penicillo & hinc vel *gargarismus vel litus cum melle rosaceo* instituatur, vel horum loco recipiunt Chirurgi *ungu. Ægyptiacum*, subigunt *c. melle rosaceo*, ita ut acrimonia ejus sic nonnihil temperetur.

Hoc

Hoc ipso cum penicillo attingunt & mundificant ulcera, præsertim sordida, aut jam ad gangrænam declinantia. *Consolidat* postmodum talia ulcera *decoctum veronicæ cum melle*, quod eo potentius est, si de *alumine* aliquantulum simul addatur. Vel

℞. Rad. ireos fl. ℥iij.
myrrh. e'ect. ʒß.
alumin. ust. ℈ij.
mellis rosar. ℥ij. M. F. linimentum ulcera mundificata consolidans; *conf. Timæus in cas. l. 2. cas. 1. p. 78.*

Denique si necessarium fuerit, ad partes cum vino roborandas, fiat *decoctum ex herba prunell. plantag. & florum rosarum in vino decoctis*, quibus adde *dianucum* q. s. pro gargarismate blande adstringente. Interea toto morbi decursu potui semper *nitrum depuratum*, aut *antimoniatum* addatur, ceu optimum febricitantium ac impense sitientium, ægrorum auxilium.

Quoad *Anginam notham*, a ias *albam*, optimè hanc pertractat *Mindererus in medic. militari p.* 109. *& seq.* Nempe ubi lentor viscidus obsidet linguam, prodest abstersio faucium, mediante linteo cum *aceto* & fiat postea gargarisatio cum *decocto florum ligustri in aqua, cum pauco aceto*, addita particula *salis armoniaci*; sin vero *aphthæ* adsint, loco *salis armoniaci* addatur *alumen*; *succus sempervivi recens, acuatus cum sale armoniaco*, etiam loco *aceti* utilis est pro abstergenda lingua. Purificato ore idem inungi potest cum *rob nucum*, vel *diamor.* subactum cum pauco *melle rosat.*

Propter materiæ affinitatem consideremus

APHTHAS

quas in infantibus vocant, die Schwämme/ quæ nihil aliud sunt, quam aliqualis excoriatio aut levis exulceratio omnium oris partium, subinde & œsophagi ac ventriculi, id quod patet tunc in rejectis excrementis, cum quibus sæpius squamulæ rejiciuntur, seu leves quasi crustulæ.

Aphthæ succedunt ferè febribus ingentibus & æstuosis suntque pustulæ, quæ successivè in ulcuscula abeunt, & in febribus ingentibus his excitantur ex acrioribus humoribus, & ferè istis febribus superveniunt, quæ homines crudi ventriculi, seu qui sunt æruginosis seu porraceis recrementis referti, corripiunt. Hanc si Medicus evacuare in tempore neglexerit, aphthæ necessario sequuntur. Utut autem ventriculus purus sit, nihilominus interdum aphthæ oriuntur, nempe à saliva corrupta, à salso & acri humore. Quæ à ventriculo initium capiunt, in imis faucibus observantur; quæ vero ab ichore salivali corrupto, plerumque incrustare solent linguam, quæ tunc fit arida, pallida, viscosa & varia, prout peccant humores: Pessimæ sunt, quæ ex ventriculo non purgatô veniunt. Totum

enim ductum per gulam usque ad fauces obsidere solent. Optimæ sunt albæ, flavæ, candidæ, fungosæ, molles, quando instar flocci videntur tumere. Sed quando sunt glabræ, viscidæ, subsidentes, compactæ, tales significant morbum periculosum & diuturnum; In inflammationibus discere possumus naturam aphtharum benignarum, quæ fiunt ex corruptione lactis; raro namque non corripitur infans aphthis primis 7. diebus: Nihil autem melius, quam lac ipsum præbere, inde enim abstergUntur, modicè humectantur & molliuntur; sunt & aphthæ rubræ & molles, prioribus deteriores, lividæ, virides & nigræ, omnium pessimæ. Malum signum est, non facilè coqui, emolliri, humectari & longo tempore siccas, aridas, compactas, planas, æquales manere & quando diutius durant, tanto pejus est. Longum morbum significant aphthæ, quæ intra triduum veniunt & abeunt: Has enim rursus sequuntur novæ, adeò ut sæpius succedere soleant & tantò futurus est longior morbus, quantò Medicus frequentius purgat. Nil enim pejus quam sæpe purgare, eo tempore quo aphthæ sunt. Aphthas futuras in morbo cognoscimus ex sapore & singultu; qui toto morbi decursu non dormiverint, in soporem incidunt & tunc aphthæ prodeunt. Singultus accidit, si sunt ex ventriculo & tunc plerumque sunt deterioris notæ.

Curatio tota consistit in *humectatione*, quæ emolliat & leniter calefaciat. Cum vero aphthæ coctæ sunt, abstergere illas oportet vel spongiola alligata bacillo, vel linteaminibus; alterutrum intingi debet in *decocto* aliquo *emolliente &c.* Quando igitur lingua incipit exasperari, quod præcedit aphthas: ℞. *fol. sedi majoris*, detrahatur pellicula ab utraque folii parte, hinc in ▽ *rosarum* imponantur, ut humida serventur, postea imponantur linguæ ad humectationē; pari ratione adhiberi possunt *folia portulacæ, aut mucilago sem. cydoniorum cum aqua portulacæ extracta. Cum autem jam adsunt aphthæ*, optimum est *decoctum raparum*, ex quo expressus succus imponatur linguæ, humectat & abstergit. Si parum *salis prunellæ* vel *nitri* addatur, ardorem simul restinguit. Vel

℞. Herb. bellid. c. toto Mj.
ficuum pinguium no. ij.
coqu. in ▽ communi, adde ⊖lis prunellæ parum, quo humectentur fauces & lingua sæpius.

In maxima siccitate ℞. *butyrum recens insulsum*, misce cum *sacchаro cando rubro*, ut fiat instar *boli*, teneatur in ore, emollit, abstergit; addi potest pariter parum *salis prunellæ*. Quod si ulterius progrediantur aphthæ, degenerant in *ulcera oris* successivè depascentia, quæ ipsa *oris ulcera* etiam ex aliis causis nata, frequentius ferè curantur *abstergentibus* quæ inter est seq.

℞. Herb. veronic. Mij. coqu. in s. q. aquæ simpl.

adde

adde mellis q. s. & adhibeatur; addi etiam potest
herb. plantagin. effectu eo meliori.

Decoctum Satureiæ in vino à quibusdam laudatur, sed suspecta, quia acris est, quasi ignea, potius prædicta conducunt; item *phlegma vitriol.* cum ▽ *prunell.* & *plantag.* mistum, egregium in ulceribus oris partiumq; vicinarum. *Rob diamoron*, item *dianucum* detergunt & purificant ulcera, quibus in malo contumaciori parum *spir. vitriol.* aut *salis rectific.* pro suavitate acidâ addi possunt, præsertim si scorbuticum subsit vitium. In hujusmodi *ulceribus gallicis* optimæ sunt *aquæ virides Plateri* aut *Hartmanni*, de quibus supra dictum; *confer* & *Hildan. Cent. 6. obs. 18.* Par ratio est

UVULÆ EXULCERATÆ

undecunque etiam natæ, in qua etiam hæc ipsa remedia, in specie *gargarismus Hartmanni P. C. p. 264. polychrestus*, commodè usurpari potest, qui in affectibus ori communibus & anginâ est præstans:

℞. Herb. malv. hortens. mj. flor. rosar. rub.
prunell. veronic. salviæ aa. mß.
radic. polypod. quercin.
coqu. in aqu. portulacæ ℔iv. aceti vini ℥vj. usque ad casum transversi pollicis, postea colentur & colatura leniter exprimatur.

Sicut de his & cognatis oris ejusque partium malis vid. *cit. loc.*

UVULÆ vero PROLAPSUM

seu relaxationem optimè curare docet & instrumentum singulare pro uvula nimis tumente abscindenda describit *Bartholin. Cent. 2. hist. 88.* Aliàs recentem uvulæ prolapsum curat *fermentum cum S. V. humectatum* & vertici impositum, una cum gargarismate & *decocto florum ligustri cum nitro* & *sale prunellæ*; item *Sal decrepitatum cum pauco pipere* applicari potest uvulæ ita prolapsæ. Loco *salis communis* optimum est *sal armoniacum*, subinde uvulæ applicatum. *Spiritum aluminis* commendant Alii; quod si simul

UVULÆ INFLAMMATIO

adsit, optimum est *decoctum herbæ aut radicis taraxici*; *suffitus succini* ore exceptus specificum est *Rulandi*. Vel *semen cannabis* in posca parum coctum & colatum, pro gargarismate adhibitum, est unum ex optimis remediis; vel *radix tormentillæ* & *uvulariæ herb. an.* coquantur in cerevisia secundaria & cum modicô *mellis* edulcorata, adhibeatur pro gargarismate. Nempe Uvula est parva glandula in imis faucibus à palato pendens, laxa quadam membrana tecta, in

qua tanquam in sacco pendet. Non enim hâc tegitur, sed præter hanc, propriam membranam suam obtinet. Destillat ex illa glandula tenuis salivalis humor, sui generis, in membranam perforatam & per hanc in palatum; quoties autem materia est viscida, membrana oppletur & impeditur influxus, sicque fit laxitas & distensio membranæ, modo dictis corrigenda. Quibus si dolor ex irritatione aut dispositio inflammatoria exinde accedat, *diacodii Montani* parum modo dictis addi potest

INFLAMMATIO VENTRICULI.

Inflammatur porrò *ventriculus*, ex causis iisdem in genere, quas reliquæ habent inflammationes: In specie, assumta acria aut vitiosa interdum inflammationem ejus inducunt. Sic *Hildanus Cent.* 1. *obs.* 34. notat inflammationem ventriculi cum febre ardente & horrendis symptom. ex deglutita acicula; inflamatur rarissimè ventriculus integer, id quod est malum adeo furiosum, ut penitus sit desperatum; aut saltim unum alterumve ejus orificium ubi junctam febrem ardentem acutam habet, adest simul aliqualis tumor circa ventriculi regionem sub costis nothis admodum dolens, cum æstu ejusdem loci, siti inexplebili, corporis jactatione & vigiliis. Nonnunquam succedunt deliria, nonnunquam convulsiones, nauseant ægri & assumta ferè evomunt.

Non confundenda autem est ventriculi inflammatio, cum inflammatione lobi hepatis, super ventriculum ex parte protensi. Tumor enim proveniens cum dolore in situ ventriculi hoc indicat. Illud in hepate malum magis dolens tactui magis patens, magis circumscriptum, gravioribusque symptomatibus stipatum. *Malum est peracutum*, ex quo pauci evadunt. Quod si non evanescat, ad suppurationem tendit; Si aperiatur abscessus, melius est ut intra ventriculum aperiatur, sic enim per inferiora excernitur; sin vero extra peritonæum aperitur, malum: Pus enim peritonæum aut intestina inficere aliamve quampiam partem, & mediante gangræna ægrum interficere potest.

Quoad *curam*, eadem medendi ratio est cum reliquis inflammationibus in genere; saltim in specie quoad *venæsectionem* cautio est adhibenda, ne plus sanguinis evacuetur, quam opus est. Solet enim affectum hunc syncope & virium summa prostratio, propter vehementem dolorem, insequi. *Purgatio* in principio non est adhibenda, irritando n. ventriculũ magis malum exasperat; Clysmata tamen convenienter injici possunt, *vid. Forest. l.* 19. *obs.* 31. *Interne* igitur in principio & incremento conveniunt *medicamenta* ex *papavere rhœad.* & *carduo bened.* it. *nitrum* ♁*niatum*, quo solo *nitro* tam *purificato* quam

quam *fixato*, in *decocto hordei* sæpius propinato, *Lindanus* suam filiam inflammatione pylori laborantem curavit. Porro *spiritus nitri dulcis*, *saccharum* ♄ *ni*, *antihecticum Poterij*, convenienter usurpari possunt: Potui inserviat *infusum*, aut *decoctum liquiritiæ rasæ in* ▽ simplici, cum successu adhibitum in ventriculi inflammatione *à Rulando vid. ejus Thesaur. p. 175.* Quod si discuti nequeat inflammatio, adeoque in abscessum degenerare incipiat, convenit *terebinthina* cum *aqua absinthii lota*, si bis terve detur, resolvit enim vel maturat abscessum, sicuti & omnia ex *scabiosâ* parata & maturant & etiam sanant internè quoscunque, præsertim ventriculi, abscessus, præsertim si *spiritus tartari rectificatus* fuerit additus.

℞. ▽ scabios. ℥ij.
Syr. de succo scabios. ℥iß.
spiritus *tartari* rectif. vel
carminativ. de tribus ʒj. M.

Quod si aperto abscessu jam genitum sit ulcus, usurpetur *decoctum hordei* vel *hyssopi cum melle*, item *serum lactis* aut *lac chalybeatum*, mundificant & consolidant; *decoctum radic. chinæ cum herba scabiosa* præparatum confert. it. *CC. ust. terra sigillata*, *bolus armenus* &c. *oleum seu balsamum mastichis cum oleo hyperici* expertum fuit in *Cultrivoro Prussiaco*, de quo videatur *Beskerus de Cultrivoro Prussiaco p.* 182. ubi plura huc facientia reperiuntur; quod si ex acribus corrosivis aut similibus assumtis arrosus aut exulceratus fuerit ventriculus, præmisso in principio *vomitu*, *lacticinia*, it. *terra sigillata* sunt convenientissima, it. *tragacantum* in aqua florum rorismarini solutum, *vid. Bartholin. Cent. 6. hist.* 21.

Quoad *externa* inflammationi ventriculi convenientia, in principio fotus ex *chamomillâ* & *rosis rubris* imprimis convenit in vino aut saltim aqua coctis & crebrius applicatis. Quod si ad suppurationem videatur vergere malum, fiat *fotus* vel *cataplasma ex foliis brancæ ursinæ*, *radic. althææ*, *ros. rubr.* aa. Mß. quibus ad putrilaginem coctis, adde *farin. hordei flor. chamomill. sem. fœnugr.* aa. ℥ß. c. *ol. rosar. & chamomelino F.* Cataplasma quo tempore præter supra laudatam *scabiosam* & internè *passulæ c. ficubus*, *malva* & similibus, in *sero lactis* coctis adhiberi possunt; Tandem ut citius maturetur abscessus

℞. Sem. fœnugr. ℥iij.
ferment. ℥j.
stercor. columbin. ℥ij.
ol. chamæm. ℥iß.
mellis ℥j. M. pro Cataplasmate.

Aliàs rarum malum est inflammatio stomachi. Exempla *vid. in Amat. Lusit. Cent. 3. cur. 39. Forest. l. 18. observ. 1, 30. 31*, it. *Zacut. Lusit. Med. Princ. l. 2. hist. 63.*

INFLAMMATIO INTESTINORUM.

Inflammantur quoque *Inteſtina*, quæ præter *cauſas internas* omnibus reliquis inflammationibus comunes, interdum pertinacem & quaſi Iliacam alvi obſtructionem, interdum herniam, interdum dyſenteriam immediatè ſuppreſſam, interdum *externam* quandam læſionem, v. g. contuſionem &c. inſequuntur. Inflammantur inteſtina tam tenuia, quàm craſſa, utut illa frequentius. Gravis affectus eſt, habet cruciatus inſignes, ferè indicibiles, ſed ſicut ſunt vehementiſſimi, ita breviſſimè durant. Dolor, ut dixi, eſt indicibilis, fixus, diſtendens, ingens in parta affecta intus percipitur, ſubinde plus minus pulſatorius. In loco inflammato tumor quidam rotundus ac renitens percipitur, cujus ratione Veteres inteſtinorum inflammationem vocarunt *Chordapſum*, quoniam inſtar chordæ convoluta inteſtina apparent. Præterea in loco iſto percipitur intenſus ardor. Febris quæ adeſt, fere eſt lipyria, tepent extrema, uruntur interiora. Alvus occluditur & non rarò arctiſſimè ſtringitur ſeu contrahitur, ut ne ſpecillum admittat; dein podex introrſum retrahitur, quod quando fit, ſignum eſt certiſſimum imminentis vomitus ſtercorei, & tunc vocatur *Ileus*. Hoc ſi eveniat clyſtere paulò ante immiſſo, ipſe clyſter per os redditur; præterea urina interdum ſupprimitur, venter ferè inflatur, reſpiratio eſt difficilis, vires languent &c. *Si afficiantur inteſtina tenuia*, omnia hæc ſunt graviora, ac ſitus doloris & caloris, medium ventrem imprimis occupat, dolor & tormina ad ſuperiora magis vergunt, ſtomachi diſtenſio adeſt, ſpiritus anguſtia nauſea & vomitus aſſidui &c. *Si in craſſis inflammatio conſiſtat*, omnia iſta ſunt remiſſiora, vomitus non ita continuò durat, dolor ad hypochondria magis pertingit, ac lumborum adeſt gravitas. Inflammatio inteſtinorum *periculoſum eſt malum*, breviſſimè durat & non rarò intra biduum curſum ſuum abſolvere ſolet & ſuccedere gangræna, quæ inde patet, quòd ſubitò ceſſat omnis dolor. Neque enim inflammationes internæ ſubitò ceſſare debent, ſed tractu temporis. Omnis g. ſubita ceſſatio doloris, infallibile argumentum eſt extinctionis, ſive mortificationis partis: Sæpius etiam ſine gangræna in ileum terminatur, frequentius lethalem.

In *cura* tractentur leniter, ne irritentur crabrones, adeoque aut mortificatio, aut ileus citius provocetur. Sanguis g. *ſecta* in brachio *vena* revellendus, idque interdum etiam repetitis vicibus. Hinc ſi alvus aperta non ſit, *clyſteres* injiciantur, iique tales, qui non requirunt longum tempus ad præparationem, quia

quia morbus præceps, sed sit εὐπόριστον. v. g solum *decoctum hordei* cum *melle* aut *saccharo rubro*, aut *nitr. depur.* ʒj. ad ʒij. Vel *Clysteres ex lacte cum saccharo violaceo* vel *melle rutaceo*, vel *ex lacte* cum *succo plantag.* it. *clyster ex succo* aut *decocto* ♋ *fluviatilum*. Hinc leniendi causâ *externè* applicetur *cataplasma* discutiens in lacte ejusve sero coctum; præ cæteris commendatur hîc à *Lindano omentum vervecinum*, animali vivo extractum & ventri calidissime impositum. Oportet igitur in eodem conclavi animal discindere, omentum extrahere & leniter involutum immediate abdomini imponere, pulvillis calidis superimpositis. Si dolor non cessat, aliud omentum imponatur, imo tertium. Oportet simul *internè* dare *anodyna*, v. g. *laudanum*, quibus si dolor successivè remittat & somnus succedat, salva res est; si non & delirium sequatur, mors certa. Sin dolor subitò cessaverit, ex gangræna æger brevi moritur. Usurpari etiam potest mistura *Barbette in Praxi, ubi de ileo p.* 231.

Vel ℞. ▽ card. bened. ℥iij.
† sambuc. ʒß.
succ. semperviv. ℥j.
Rob sambuc. ʒij.
Bezoard. min. ℈j.
Syr. Portulac. ʒj. M.

INFLAMMATIO ANI.

Inflammatur etiam Anus, idque ex violentiâ *causæ externæ*, contusionis aut concussionis vehementis vitio, ut ex equitatione nimiâ, quale exemplum observatur *in Forest. l.* 23. *obs.* 13. it. ex irritatione externa v. g. chartis *piperatis*, vel *vitriolatis* applicatis &c. Vel ex *interna causa*, imprimis ex hæmorhoidibus suppressis, inflammationem in intestino recto excitantibus; In ano inflammato *necessariò* dolor pulsatorius, propter arterias hæmorhoidales & tumor adest, nunc magis, nunc minus sensilis. Dolor quoque nunc in occulto est & si in externa parte malum hæreat, interdum tangi potest digito non immisso, sed externè applicato, aut ano presso. Peculariter quoque foramen, seu Podex ipse, circulus nempe ultimus intestini recti, introrsum retrahitur, alvus difficulter redditur, accedit febris &c. Inflammatio hæc ani sæpe degenerat in abscessum & hinc *in fistulam*, quæ fistula interdum penetrat in vesicam, hinc crepitus & stercora subinde per vesicam emittuntur.

Quoad *curam* mox in principio oportet revellere *secta vena* in brachio & hinc ante omnia operam dare, ut protinus alvus solvatur. Fit hoc quidem cum aliquali dolore & inflammationis aggravatione, omnia tamen

hæc graviora fient, si fæces retentæ interea indurentur. Protinus g. injiciendus est *clyster* leniens & emolliens, cui, si induratæ sint feces, necesse est *sal gemmæ* addere. *Quodsi excreto enemate non videatur rectè* egisse, oportet aliud injicere cum *oleo napistri seu napi sylvestris*, ut sic præcaveatur abscessus; injiciatur autem clysma leniter & suspensâ quasi manu, ne dolor & ardor augeantur, v. g. fiat clysma ex *lacte*, *vel decocto flor. verbasci, parietar. fol. melitot. addatur sacchar.* &c. *Sin minus his modis aperiri possit alvus*, per blanda *passulata* aperiatur eadem, acriter quæcunque stimulantia fugiendo. *Externe* foveatur anus cum *decocto agrimoniæ & menthæ sarracenicæ c.* ▽ *& aceto* paratô, vel horum loco *cum vino*, quod appropriatum est discussivum; vel decoquantur hæc in ▽ *calcis vivæ*: it. *verbasci flor. in aq. coct.* ad hujusmodi calidos abscessus egregiè conferunt, quibus *folia solani* & *portulac.* aut si dolor urgeat, *folia hyoscyami* addi possunt, cautè tamen. *Mucilago sem. psyllii*, aut *cydoniorum c. aq. sempervivi extracta*, addito *sacchato* ♄*i* & applicata, est utilis. *Lac* vel cum *albumine ovi*, vel solum agitatum & ita pro fotu applicatum convenit in podicis ardore & inflammatione ex contactu piperatorum & rerum adurentium, teste *Platero, in Observ.* Quod si inflammatio ani abierit in abscessum, hic promptè curandus est, per *bals. sulph.* ad extra *Rulandi*, ex sulphure cum oleo papaverino, prout describitur ab *Hartmann. in Praxi Chym.* it. præparetur *unguentum Nicodemi*, ut vocatur & describitur in *Antidot. Weckeri*, quod *balsf. sulph.* permistum, optimum erit remedium, pro curando hujusmodi abscessu. Sin abscessus in fistulam abierit, hæc se facile non patitur curari; optimum tamen remedium esse dicitur *ol. dulce* ☿*ii*, quod videatur in *Agricolæ. Comment. in Poppium.*

INFLAMMATIO MESENTERII.

Inflammatur denique & *Mesenterium*; Ac sane *Mesenterii tumores* varii & inde nati abscessus, sæpius sunt origo & fons *chronicorum* & latentium *morborum*, ex eô, quoniam difficile cognoscuntur, cum mesenterium *in profundo situm*, aliis partibus hinc inde septum & propter sensum obtusum minus manifesta sint ejus pathemata, unde sæpe & ægros & medicos fallunt. Adsunt præterea *glandulæ variæ*, quæ diversimodè affectæ, varia abdominis symptomata inferunt. Accedit *textura nervorum* multiplex per mesenterium sparsorum, unde partes aliæ per consensum simul afficiuntur, ut nequeamus ob id rectè distinguere *Mesenterii* proprios *affectus* ab aliis. Frequentissimè *inflammationes* ac alios tumores & occultos abscessus patitur, hinc etiam *tumoribus* strumosis aut *scirrhosis* glandularum afficitur, id quod exempli gratia non rarum in infantibus, c. atrophia & tumore quasi tympanitico abdominis, ex

ex ista causa affectis. Affectus quos inferunt ista *Mesenterii vitia*, tumores & abscessus, sunt varii & vagi, nunc mitius, nunc gravius affligentes, interdum indolentes, interdum frequentius, idque in paulo obesioribus, plus minus dolorosi, nunc circa dorsum & lumbos dolorem, nunc in abdomine, ac præsertim circa umbilicum tormina inferentes, lenti tamen omnes & diuturni; subinde cum *febriculâ erraticâ* complicati, aut saltim vagis æstuationibus & intercurrentibus interdum horroribus leviter comitati, quæ symptomata fere sunt propria membranosis partibus affectis. Corpus simul successivè utplurimum emaciatur, respiratio evadit difficilior & subinde aliquid molesti, quod ipsi ægri satis explicare nequeunt, se in abdomine & circa præcordia sentire affirmant. Venter nunc inflatur, nunc ad interiora dorsum versus quasi retrahitur; dolor aut lumborum aut abdominis subinde per intervalla recurrit & sæpe multis annis affligit; flatulentiæ plures insimul ægros vexare solent. *Curantur* tamen ferè ut alii affectus chronici cachectici aut hypochondriaci, *interne* quidem per *salia salsa*, *tartarea*, *vitriolata*, *nitrosa*, *abstergentia*, ut & per *volatilia*; hinc per ♂*ialia*, subinde *aromatica*, *amara*, *aperientia*, aut *hepatica* vulgò dicta, interpositis blandis *purgantibus*; tractentur tamen cautè & sine violentia, exasperantur aliàs & deteriores evadunt, ob nervos tunc irritatos. *Externè Empl. ex gummatibus, de cicuta, de Nicotiana, Empl. Vigonis de ranis c.* ☿ *io, vel ex gummatibus &* ☿ *io*, descriptum *à Barbette in Anat. pract. p.* 557.

Plura tumorum & abscessuum occultorum in *Mesenterio*, hinc inde prostant observata, v.g. *callum* inter venas mesenterii natum lethalem; It. *Calculos* in mesenteriô refert *Schenck l.3.obs.* Hydropem *à vesiculis* mesenterii refert *Tulpius l.2.obs.* 34. Mesenterium *lapidosum*, hinc atrophiam lethalem *Panarolus Pent.* 5. *obs.*19 Abscessum mesenterii, ubi cum pure simul *vermiculi* excreti, *Thonerus l.*1. *obs. p.* 173. Tumor mesenterii durus circa medium pancras per emollientia curatus â *Forest. l.* 21. *obs.*1. Ex scirrhoso mesenterii tumore hecticum incipientem, menses albos, tormina, *Trincavellius l.* 3. *cons.* 22. *p.* 372. *Glandulas* mesenterii *induratas* & auctas, ventrem tumidum reddentes *Platerus l.3.obs.p.*464. Sed de his & similibus mesenterii affectibus præ cæteris omnium optimè scripserunt *Fernelius in Patholog. speciali* & post hunc *Matth. Martini de morbis mesenterii abstrusioribus* & hinc *Sennertus libr.* 3. *pr. ubi de Mesenterii morbis.* Horum *historiæ* observatæ, *diagnosis*, *prognosis* & *praxis* satis commoda, *theoria* saltem, pro temporis illius ratione, manca, ex sanguinis circulatione, lymphæ & glandularum observatis aliisque hodiernis experimentis emendanda.

Speciatim jam consideranda *inflammatio Mesenterii* & hanc subsequens *abscessus*, quæ haud adeo frequens est, propter obscuriorem mesenterii sensum, utut copiosis vasis sanguifluis sit instructum. *Inflammatur* mesen-

terium nunc solum, idq; rarius, nunc simul conjungitur inflamatio intestinorum. Præter generales inflammationum *causas*, *duæ speciales* sunt in *mesenterio*, nempe dysenteria & hernia: *Dysenteria* enim male curata sæpe in inflammationem Mesenterii lethalem degenerat, observante *Martini loco cit. p.* 42. In *hernia* vero, dum in intestinis tenuibus Mesenterium simul in scrotum descendit, non potest non contractum, aut vitiose compressum, ex impeditô sanguinis circulô, inflammationem contrahere. Præterea tamen & *febres* subinde *ardentes*, ceu metastasi critica, in mesenterii abscessus terminantur, quando & aliis febribus aut morbis complicatæ *inflammationes* & inde nati *abscessus mesenterii*, eos magis intricatos & molestos reddunt, unde non inepte *Sennertus* febres semitertianas dictas exinde derivat, *l.* 3 *prax. p.* 445.

Inflammatio hæc mesenterii non secus atque alii tumores & abscessus ejus difficulter *cognoscuntur*, quia latent in profundo & sæpe sunt indolentes, aut dolentes licet, pro uterinis, colicis aut nephriticis pathematis subinde habentur, cum nausea & vomitus subinde accedant. Nihilominus in *inflammatione mesenterii* percipitur quasi *pondus in abdomine*, dum æger se volvit, *ardor* adest, subinde præcordiorum, aut circa umbilicum, *dolor pulsatorius* in profundo abdominis, cum leni ardoris sensu absconditus, cum quo ardore *sensus* quidam *tensivus* in abdomine citra vehementem duritiem sentitur; adsunt, interdum egestiones chylosæ citra ventriculi vitium; adsunt *signa inflammationis* reliquorum abdominis partium, quæ alias facile confunduntur; præsertim cautione opus est, ne adsit *umbilici inflammatio*, non exterioris, sed interni circa musculos rectos, in quibus interdum fit inflammatio & abscessus, unde pus per eum evacuatur. *Febres* quæ in Mesenterii inflammarione & abscessu observantur sunt, diversæ. Si profundum Mesenterii inflammatum, utplurimum febres sunt *continuæ*, sed *languidæ* & quæ sine gravioribus symptomatibus interdum circa vesperam exacerbantur: Interdum multa febris indicia adsunt, teste *Rhodio Cent.* 2. *obs.* 95. Si vero circa exteriores partes, ubi reliquis abdominis visceribus conjungitur, inflammatio ejus accidat, febres plus minus acutæ, non raro semitertianæ, adesse solent. In genere, dum *suppuratio* fit, ut alias in quavis inflammatione, febris, dolor & symptomata reliqua fiunt graviora. Dum *apostema* rumpi incipit aut rumpitur, horror insignis, interdum rigor quatit ægrum, cum superveniente æstu interdum insigni, quæ puris, præsertim per alvum, excretio successive comitatur. Conf. *Horst. l.* 14. *obs.* 25. & 26. Item *Bartholin. Cent.* 4. *Epist. p.* 491. & *Cent.* 4. *hist.* 96. it. *Cent.* 2. *Epist.* 27.

Quoad *prognosin* inflammationes mesenterii aut suppurando in

abscessus

abscessus abeunt, aut in *scirrhos* degenerant, qui tam in mesenterio, quàm ejus glandulis observati sunt. In *obstructionibus Mesenterii* supervenientes cruentæ dejectiones subinde salutares *Bartholin. Cent. 6. Hist.* 41. Suppurationes mesenterii admodum sunt lentæ & non nisi tardè suum absolvunt cursum, unde etiam ægros vix in consuetis functionibus impediunt. Diuturno hoc malo adfecti, tandem aut ad *cachexiam*, aut ad *tabem* & *hecticam* deveniunt. Erumpente aliò, quàm in alvum pure, post ruptionem abscessus, nec locum alium excretioni idoneum reperiente, affectus *colicæ* similis subinde observatur. Sin vero in abdominis cavum effundatur, tunc membra vicina vel inficit, ut gangrænam concipiant, vel acredine corrodit & plurium malorum autor est. Optimè abscessus ruptus per alvum vel per urinam expurgatur. Quod si verò intestina corrodit, hæc siderata, seu spacelata reddit *vid. Tulp. l. 2. obs.* 37. Ut autem discernatur excretio purulenta ex mesenterio, ab excretione purulenta, vitio exulcerationis intestinorum, observetur, *quod si subitò, copiosè* & plerumque permixta est sanguine, non potest non à mesenterio esse. *Si verò pauciora, tardius* & cum torminibus sensim ac successivè effluat, est ab ulcere intestinorum.

Cura ferè cum reliquis *inflammationibus* coincidit, mutatis saltem mutandis, ratione nempe partis adfectæ. *Venæsectio* haud ita necessaria est, nec ipsô morbô, nec sanguinis effervescentiâ febrili adeo acutis existentibus. Præ cæteris tamen sanguinis quibusvis evacuationibus, *vasorum hæmorrhoidalium apertio*, præsertim per *hirudines*, applicatione facta, summô cum fructu *in mesenterii morbis* institui solet, naturâ monstrante viam & per dicta loca subinde felici cum successu se ipsam exonerante. *Purgatio* quævis propriè dicta est nociva, irritat crabrones & absque euphoria ægri evenit. *Clysmata* tamen lenientia, abstergentia, emollientia, anodyna, pro circumstantiarum ratione subinde injecta, imprimis quando per alvum purgari incipit abscessus, sunt utilissima.

De cætero *cura* ipsa consistit in *resolventibus* & *emollientibus*, ut loquitur *Hartm. in Praxi. Chymiatr.* Illis quidem resolventibus *internis*, his verò emollientibus *externis*. *Interna* ferè ex superioribus sunt nota, in specie *tartarea*, *tartar. vitriolatus*, *liquor terræ fol. tart.* rite paratus, *tinctura tartari*, *spir. tart. simplex*, aut *carminativus*, *tinctura* ♁ *Zvvelfferi* &c. Item ♁ *diaphor.* præsertim *♂ale*, hinc etiam alia blanda *♂alia*, *essentia ♂is cum succo pomorum*, *tinctura tartarisata ♂alis Ludovic.* Item *Essentiæ amaræ* aperientes dictæ, ut *absinthii*, *centaur. min. fumar. card. ben. chelidon. major.* *Externè* applicetur *Emplastrum de cicuta* usitatum, vel solum, vel

cum *gum. ammoniac.* subactum, hâc simul observatâ *cautelâ, si citra dolorem* emolliat & discutiat inflammationem, rem benè se habere: *Sin verò dolorem exacerbet*, certum est factam jam esse inflammationem & abscessum; Aliàs quoque *Cataplasmata* & *Emplastra* ex *betonica*, *agrimon. chamomill. verbasco, meliloto, absinth.* & similibus, in vino coquendis & cum spongia vel aliis applicandis conducunt. Quod si *febricula lenta* plus minus conjungatur, istis supra enarratis *lapides* ♋, *antihect. Poterii c. pauco* ♁ ✱ *ci* internè socianda erunt. His modis vel *resolvitur* inflammatio & tumor, vel *suppuratur*, unde rupto abscessu sequitur puris ut plurimum per intestina excretio, eaque in principio confertim, postmodum successivè ad perfectam usque abscessus expurgationem; Interdum remittit puris excretio, post aliquot dies tamen recurrens, idque crebrius, mutatibus sic vicibus, quando nempè tanquam in vomica purulentia successivè colligitur, donec in quanto sufficienti collecta, excernatur; in hujusmodi suppurationibus & abscessibus mesenterii notabile est, quod refert *Marcellus Donatus in hist. Med. mir. l. 4. hist. c. 7.* supervenire sæpe iis copiosum *urinæ profluvium*: Ob sedimentum autem quod in matulæ fundo reperitur, laudabile, nullam salutis spem concipere debet Medicus, cùm liquamentum potius corporis tabescentis existat. Factus ita *abscessus* est *mundificandus & consolidandus*, adeoque omnia ea hic conveniunt, quæ aliàs in exulcerationibus partium internarum, indeque nata phthisi proficua sunt.

Hæc inter primatum obtinent ea, quæ sunt ex *Terebinth.* hinc *vegetabilia vulneraria.* Sic *pilulæ de Terebinth.* item *Terebinthina Cypria in vitello ovi* dissoluta & ita assumta. It. *Balf. sulph. terebinthin. aut succinatus*, ni intensior febris obstiterit. It. *Balf. Peruvianus* in jusculo calido vel ovo sorbili ad guttas viij x. xij. &c. assumtus. *Potiones vulnerariæ* aliàs notæ sunt, speciatim in hoc casu, *persicaria*, *agrimonia & hypericum* sunt proficua. *Decoctum ligni sancti & sassafras*, in principio rupti abscessus insigniter conveniunt, quibus & *rad. liquirit. scorzonera, ficus* & similia addenda sunt; Item *decoct. rad. chinæ* cum *liquirit.* & *passul.* Talia enim & mundificant abscessum, & purulentias acres simul temperant. *Formulæ vid. in Martin. Serum lactis* egregium etiam abstersivum ulcerum internorum, ratione nitrositatis suæ, id quod vel solum propinetur; *vel decoctum cum rad. cichor. liquirit.* &c. usurpetur. Hisce subinde & blandiora ♂*alia*, præsertim in liquida forma socianda; *vel Tinctura sulphuris vitrioli*, it. *Tinctura antiphtisica* &c. Hinc *acidulis* cum fructu usus fuit *Thonerus in suis obs. p. 173. Rhabarbarum* tam scopo absterfivo, quam scopo adstrictorio & quasi vulnerariò non negligendum venit. Sed plura de his *vid.* in specie in modo laudato *Martinio.*

Quæ hactenus de Mesenterio dicta fuerunt, etiam de PANCREATE fere monenda sunt, cujus *morbi* & *affectus* ut perquam *occulti* sunt, ita plurium diffi-

difficilium & intricatorum morborum subinde origo sunt. Ex pluribus pauca annotasse sufficiat. *Tumorem scirrhosum pancreatis* cum affectione hypochondriaca, vel potius scorbuto eleganter curatum, vid. *in River. Cent.* 3. *obs.* 85. *Abscessum in pancreate* latentem, perpetuas vigilias, lipothymias aliaque gravissima symptomata inducentem, refert *Schenckius l.* 3. *obs. de Mesent. Pancreas suppuratum* lethale *Barthol. Cent.* 2. *hist.* 39. Pancreas *lapidosum*, vomitum lethalem continuum comitans *Panarolus Pentec.* 1. *obs.* 44. Idem corruptum & *sphacelatum* & vomitum continuum lethalem *Barbet. in prax.* Puellam per 8. annos miserè vexatam, hectica febre mortuam, in qua *pancreas scirrhatum* & induratum, vid. ap. *Petr. Pav. obs.* 14. Mortem repentinam ex pancreate sphacelato vid. *M. A. N. C. Anno* 3. *p.* 74. Ex *pancreatis excrescentia* marasmum *M. A. N. C. Anno* 8. *p.* 57. Interdum pancreatis morbi superveniente salutari fluxu cruento curantur, autore *Bartholin. Cent* 6. *hist.* 41.

Nec omittendum hic penitus OMENTUM, in quo collecti, tanquam in bursa, *humores* vel *flatus*, item glandulæ ejus subinde *scirrhosæ*, aut *steatomosæ* factæ, varia pathemata inferunt. Conf. *Barbett. in Anat. Pract.* & admirandos *omenti tumores*, vid. *in Marcell. Donat. hist. Med. l.* 7. *ab Horstio* adjectos. Item in Horstio *Decad.* 6. *probl. quæst.* 10. *Hildan. Cent.* 3. *obs.* 62. quibus addatur *Schenckius in obs. de Omento.*

INFLAMMATIO PLEURÆ, PLEURO-PNEUMONIA, PERIPNEUMONIA & PLEURITIS.

Inflammantur etiam *partes internæ ad Thoracem* pertinentes & hæ ex inflammationibus *partium internarum* sunt frequentissimæ, suntque frequentius *Erysipelaceæ*, nunc magis humorosæ, seu sanguineæ, qua ratione v. g. *pleuram inflammatam* decuplo crassiorem, quàm naturaliter est, observavit *Riolanus in Anthropograph. l.* 3. *c.* 5. *p.* 358. & omnes ferè fiunt ab aliquali sanguinis acescentia. Frequentia autem harum inflammationum ex eo imprimis dependet, quòd sanguis in pulmonibus, *alterationibus* aeris vel maximè sit expositus, quibus alteratus sanguis, promptissimè loca thoracis lateralia & alias ejus partes afficit, quia partium harum arteriæ proximæ sunt cordi. Vocantur *in genere* Pleuropnevmonia, quæ postmodum *in specie* varias sortitur appellationes. *Inflammatio* enim *utriusq; pulmonum partis* dicitur Peripnevmonia; *si altera pulmonum medietas* inflametur, una cum lateris ipsius *pleura*, vocatur Plevritis. Semper enim quando plevra est inflammata, simul quoque pulmo istius lateris fuit observatus inflammatus, observante hoc *Platero*

l. 2.

*l.2. Prax.p.*409. cujus rationes amplius deducit *Hochstetterus Decad. 7.caf.4. p.*92. it. *ex Lælio à Fonte Conf.*91. ubi refert observatum semper fuisse in plevritide correptis, quod pulmo similiter in isto latere inflammatus fuerit, Id quod pariter confirmant Modernorum Anatomicorum observationes. *Confer Sennert.l.2.prax.part.2.c.16. de Pleurit.quæst.2.*

Non autem solum lateraliter afficitur *plevra*, sed etiam interdum *membranæ humeri*, *juguli*, &c. afficiuntur, observante *Tulpio lib. 2. obs.*1. cùm plevrâ ita inflammatâ, impossibile fere videatur, quin & inflammatio *musculis continuis intercostalibus internis* communicetur. Siquidem interdum accidit, ut in vera plevritide phlegmone versus exteriores musculos ob magnitudinem affectus simul tendat, & dolor etiam primò attactu percipiatur.

Loco plevræ interdum cum pulmonibus inflammatur *mediastinum*, vel cum iisdem inflammatur *diaphragma*, cui ordinario supervenire solet *delirium*, quod speciali nomine *paraphrenitidem* appellare solent Veteres, à *phrene*, quod diaphragma significat. Conferatur quoad historiam in specie *Vincent. Baronius Tr. de pleuropnevmonia. Schneiderus* ferit ejus vestigia in *differt. de plevropn.*

Harum partium thoracis inflammatarum *pathemata* quædam sunt *communia*, quædam *propria*. *Communia* omnibus sunt (1.) *respiratio difficilis* & frequens. (2.) Deinde adest *febris acuta*, continua, cum insigni ardore utplurimum conjuncta, interdum tertianæ typum observans. (3.) *Pulsus frequens*, celer, magnitudine plus minus moderatus, saltim in progressu parvus. (4.) *Tussis* adest frequens, molesta, in initio sicca, hinc rejicitur sensim etiam sanies tenuis, nonnihil spumosa, mox varie tincta. Hinc sputum totum fit cruentum, tandem albescit, crassescit, fitque mucilaginosum, tunque vocatur *sputum coctum*. (5.) *Caput* insigniter *dolet*, adsunt simul *agrypniæ*, *sitisq;* intensissima fatigat ægros §. *In specie in peripnevmonia* insignis admodum spirandi difficultas est, cum periculo suffocationis, ita ut æger interdum erectus cogatur spiritum ducere. *In plevritide* vero minus spirandi difficultas urget. Item, in *peripnevmoniâ* primis diebus vomere familiare est, secus ac evenit plevriticis; interdum nec bibere nec loqui commodè possunt, ob *respirationis angustiam*, qualem respirandi difficultatem *Hippocrates* vocat *sublimem*. Pectoris angustia adest, cum dolore ejus gravativo spinam quasi attingente, qui dolor remissior est, nisi membrana succingens pulmones simul inflammata fuerit. *Febris* adest *continua*, utplurimum acuta, utut febrem mollem seu *Epialam* subinde se observasse referat *Lindanus*. Facies rubet insigniter. *Quod si vero altera saltim* pulmonum medietas seu plevra inflammata fuerit, *rubor in malis* respondet saltim lateraliter

parti

parti pulmonum affectæ, durat à principio ad finem uſque & tunc cætera allegata ſymptomata magis in uno, quam altero latere obſervantur.

Plevritis in ſpecie conjunctum habet *dolorem lateris*, ſeu plevræ affectæ, acutum, punctorium, imprimis moleſtum, quando inſpiramus; cujus originem ab acido & fiendi modum per contracturam fibrarum plevræ, eleganter explicat *Helmont Tr. furens plevra.* Adeoque rarum eſt, quod refert *Hildanus*, dolorem hujuſmodi punctorium non in omni eſſe plevritide; utut & plevritis ſine punctorio lateris dolore obſervata fuerit *à Zacut. Luſit. in Hiſtor. Med. Princip.* qualem & ipſe *Tulpius* obſervavit. *Pulſus* adeſt ſimul *durus*, ob tenſionem inſignem arteriæ quaſi convulſivam, affectui plevræ quaſi ſpaſmodice conſentientem, quæ pulſus durities juncta cum ejus frequentia, celeritate & parvitate iſtum conſtituit pulſum, quem aliàs *ferrinum* ſeu *ſerratum* appellant Medici, eumque plevritidi fere proprium aſſerunt. *Notabile* eſt, quod refert *Barbette in prax.* quod plevra in regione dorſi, ubi adnaſcitur diaphragma, inflammata, interdum ab incautis *pro nephritide* habeatur.

Diaphragma inflammatum ſe exhibet dolore quodam circa externa coſtarum adfinia ipſiusque ſterni, ubi ſimul cinguli inſtar venter tendi videtur; dolor tamen exiguus eſt & ſaltem moleſtia quædam juxta ſternum inſpirando percipitur. Nec punctorius eſt dolor, tuſſis non adeo humida, nec cum tam copioſis excretis, atque in plevropnevmonia adeſſe ſolet. *Conf.* imprimis *Plater. l.* 1. *obſ. p.* 158. ubi elegans obſervatio *inflammati* habetur *diaphragmatis*. In ſpecie *delirium* facile ſupervenit. Solent etiam nonnunquam accedere convulſiones, reſpiratio eſt inæqualis, modò parva, modò magna, modò frequens, modò rara. &c.

Quod ſi Mediaſtinum ſit inflammatum, paria ferè modo dicta obſervantur, dolor quidam anterius ad ſterni regionem percipitur, cum moleſtia quadam ſub inſpirando, non tamen eſt punctorius, tuſſis in principio ſicca, poſtmodum humida, in qua rubra & flava rejiciuntur, non tamen adeo copioſa obſervantur; pulſus qualis plevriticorum.

Hepar inflammatum ſubinde paria ac plevritis habet ſymptomata, in eo tamen *diſtinguuntur*, quod *dolor* ſit *in latere dextro* & circa dextrum hypochondrium gravativus; non punctorius, ut doloroſa quædam plus minus tenſiva moleſtia ad jugulum usque adſcendere videatur. Pulſus undoſus, non durus, tuſſis ſicca, non adeò frequens, nec tanta reſpirandi difficultas. *Quòd ſi progrediatur malum*, ita ut incipiant *ſuppurari* hæ inflammationes, adeſt certum indicium ex rigore, quod neceſſariò omnes internarum partium, præſertim membranacearum, ſuppurationes comitatur; Sicuti & febris, dolor, vigiliæ ac ſimilia

lia symptomata in suppuratione fiente ingravescunt. *Suppurationem jam factam* monstrant dolor, qui imminuitur, febris remissior, respiratio liberior, vires non adeo debiles. Verùm licet confecto pure cætera mitescant, tamen instante ruptionis tempore, ægri vehementius cum horrore denuo febricitant, ac difficilius ferè quàm antea respirant.

Causa proxima *Plevropnevmoniarum* est *acidum* in sanguine peccans, unde hic ad facilem sui coagulationem & congrumescentiam disponitur, & hinc vel in pulmone, vel in pulmone & latere aliisve vicinis locis hærendo, acidô simul membranaceas partes vellicando & crebriores contracturas stimulando, hos affectus infert. *Conf Helmont. Tr. Plevra furens.* Hinc sanguis, qui venâ sectâ emittitur, subinde nunc semigrumosus prodire observatur, teste *Gabelchoverô cent.* 4. *cur.* 71. nunc promptissimè coagulabilis existit, ita ut ferè exeundo congrumescat, teste *Helm. cit. loc.* ipsi verò extravasato pellicula tenax subalbida viscida supernatare observatur, teste *Willius in Pharm. p.*2.*p.*178. & 198. Relicta acidi hujus peccantis vestigia in parte affecta, etiam curato abscessu, *recidivas* crebriores in eodem loco facere solent. Quod si sanguis haud perfectè coagulatus minus firmiter intus fixus inhæreat, minorem quoque dolorem inferat, facile resorberi & hinc per μετάστασιν *plevropnevmoniæ* ad diversas partes *transferri* possunt.

Causæ remotæ sunt variæ: Frequentior solet esse *frigus*, externè haustum, post immoderatos calores & corporis incalescentias, seu aer, sive potus fuerit frigidus. *Vid. Horst. l.*3 *obs.*20. *Forest. l.*16. *obs.* 28. sic *River. obs.* 14. *communic.* ex indefessa *saltatione* hancque excipiente potu frigidæ, Pleuritidem notat. *Conf. Hidan. Cent.* 4. *obs.* 25. *Hornung in Cista Medic. p.* 276. observat peripneumoniam in Clerico concitatam ex eo, quod bene potatus sæpe in templo cantasset. Præterea *sanguinis ordinariæ evacuationes suppressæ* non rarò dant pleuritides, præsertim mensium, quorum occasione acidum vitiosum interdum colligi solet. Sic *Deodatus in Valetud. p.*219. observat ex mensium ante legitimum tempus emansione, hæmoptysin cum pleuritide sub mamma sinistra suppuratam. Pertinet huc *casus Timæi* pleuritidis ex subitanea mensium suppressione, propter casum in fluviū. Præterea *dysenteria* suppressa, aut malè curata dat pleuritides, observantibus autoribus omnibus. Hinc *Helmont* dicit, quod dysenteriæ & pleuritides non differant in radice, sed tantum quoad locum affectum. *Febribus* quoque *continuis* non raro supervenit pleuritis, adeoque tanquam symptoma quodā iisdem subinde se associat, ut rectè *Sydenham in observ. p.* 355. pleuritidem nunc essentialem seu primarium affectum, nunc *symptomaticam* febris esse asserat. Nec rarum est pleuritides grassari subinde *Epidemico* more, quo tempore, ut plurimum hi affectus sunt *maligni* & hinc plus minus con-

contagiosi. *Conf. Forest. l. 16. obs. 34. Wierus in obs. ubi de pleurit. malign. Lælius à Fonte Consf. 3. it. 83.* qui observavit anginas, pleuritides & peripneumonias simul vulgariter grassantes, unde earum cognitio patescit, unde & eodẽ modo curantur, unusque in alterum sæpe mutatur, quale exemplum habet *Rhodius Cent. 3. obs. 10.* Scabies retropulsa infert etiam pleuritidem, observante *Amato Lusitano Cent. 3. cur 62.* Denique *periodica* subinde est *pleuritis*, idque ut rectè insinuat *Helmont*, ubi non adeò fuit ritè curata, & quidẽ periodum habet interdum annuam, teste *Zacuto Lus. l. 3. prax. admir. obs. 112.* vel aliis modis crebrius recidivat, de quo videatur *Borellus Cent. 4. obs. 83.* Deniq; *causæ externæ*, casus, ictus, indeque natæ contusiones aliaque pathemata similia, quæ sanguinis ordinarium motum per vasa intercostalia plus minus remorantur, ad pleuritidem disponunt. Sic ex risu & sternutatione simultaneis, pleuritidem natam, *vid. in Act. Med. Hafn. vol. 2. p. 239.*

Quoad *differentias* pleuritidis dividitur I. In *ascendentem* & *descendentem.* Fundamentum consistit in distributione venarũ, per quas sanguinis recursus impeditus inflammationem infert. Hinc *ascendens* consistit in duobus spatiis trium costarum superiorum, intra secundam & tertiam vertebras, à jugulo numerando. *Descendens* consistit in 4. spatiis costarum inferiorum, id est, intra tertiam & quartam, quartam & quintam, quintam sextam, sextam & septimam. *Ascendens* dicitur, quia spatia illa intercostalia recipiunt vasa sua à truncis supra cor; *descendens* verò, quia spatia illa accipiunt vasa à truncis infra cor. II. *Pleuritis* est vel *benigna*, vel *maligna*, de quo supra, quando nempe acidum pleuriticum singulariter corruptum, acrimoniam per quam hostilem & venenosam acquirit. III. Est vel *primaria*, vel *secundaria*, sive quæ alios morbos insequitur. IV. Est vel *vera*, de qua saltem hactenus locuti sumus, vel *notha*. Vera est inflammatio medietatis pulmonum & pleuræ illius lateris, juncta hinc cum febri acuta. *Notha* est varia, imprimis triplex.

(1.) *Ista*, quæ à *Sennerto* ita dicitur *l. 2. prax. ubi de pleuritide p. 225. & 230.* quo loco intelligit *inflammationem musculorum thoracis* externorum & internorum costalium, in quâ febris est nulla, aut saltim lenta, tussis rara, pulsus minus durus, dolor saltim pulsans, non pungens, at qui extremo manus contactus exasperaratur, adeoque cum vera pleuritide parum, vel nil habet commercii, nisi cum vera graviori hæc simul juncta sit.

2. *Est ista*, quæ usitato magis *pleuritide nothæ* nomine venit, estque *dolor* insignis *punctorius*, in uno alterove latere, *sine febri ac siti*, pulsu ferè laudabili, nisi in quantum doloris ratione subinde frequentior redditur, tussis; aut nulla, aut si qua est, saltem catarrhalis, aut lymphæ vitio, unde & febris catarrhali similis tunc fere jungitur; oritur ex acido vitioso, vehiculo lymphæ aut seri

inter pleuram delato, sine hujus inflammatione, sine pulmonum alteratione & potius *dolor pleuriticus* quam *pleuritis* appellanda venit. Talis affectus in *scorbuticis* non rarò observatur; Item *Gallico morbo* affectis aliquando accidere solet. *Vid. Senn. loc. supra cit. p* 256. *quæst.* 11. it *Willis. Pharmac. rat p.* 2. *p.* 199. & hæc est ista *pleuritis notha*, quàm à *flatu* oriri vulgo afferunt. Spuria hæc pleuritis præter febris acutæ defectum, aliaque similia pathemata, à vera facilè dignoscitur, ex eo quòd in *pleuritide notha* super partem affectam difficilior fere sit decubitus, secus ac in pleuritide vera. *Vid. Amat. Lusit. C.* 3. *cur.* 67. *annot. Cent.* 7. *cur.* 62. In hac vero *vera*, nempe cum æger decumbit in latus oppositum, pars inflammata pondere suo divellitur majoremque patitur distensionem, minus in hac.

(3.) *Ad hujusmodi pleuritidem*, malè sic dictam *notham*, seu potius *dolorem pleuriticum* etiam pertinet ista, quæ à *vaporibus* subinde oriri dicitur. Sic *Quercetanus in Pharm.* scribit, observatam à se notham pleuritidis speciem, quæ in omnibus veram & legitimam æmuletur, ortam à malignis & acribus *vaporibus*, ab inferioribus sursum, in pectoris regionem delatis, ex quorum virulentia & acrimonia pleuræ inflammatio, nec non venarum erosio excitatur, unde sanguinis expuitio, spirandi difficultas, febris & alia symptomata &c. ubi purgatio cum ▽ *benedicta Rulandi* instituta sanguinis detractioni & eccoprotici exhibitioni longè lateque præferenda; imprimis *vermes* & corruptionum incommoda tollere jubet, à quibus sæpe numero hæc *spuria Pleuritis* oritur, id quod præstarent ☿ alia. Sic exemplum refert *Bartholetus de difficili respiratione T.* 5. *c.* 3. *p.* 548. dum inquit se curasse pleuritidem in quadam virgine cui omnia pleuritidis signa adfuere in principio, quæ tamen post primos dies malignam, ex pravo vermium halitu, se declaraverat & prorsus absque sanguinis missione fuit curata. De *lumbricis quidem videatur Amatus Lusit.* 1. *cur* 52. & *Zacut. Lus. l.* 8. *prax. hist. obs.* 7. *c.* 3. it. Pleuritis à verme *Hochstett. Decad.* 7. *p* 89. & hæc præter communia pleuritidis symptomata, ea quoque, quæ vermibus sunt propria, maxime ventriculi angorem secum habet conjunctum.

Quoad *prognosin:* Ex his *pleuropneumoniæ* variis quasi speciebus, cæteris paribus, levissima omniũ est *pleuritis*, etiamsi interdum pulsum intermittentem habere videatur, quod in ea minus periculosum est, *vid. M. A N. C. Ann.* 2. *p.* 338. Vehementior autem & periculosior est *peripneumonia*; adhuc periculosior *diaphragmatis inflammatio*, quæ acutissimus morbus est, atq; ægrum citò in summum discrimen deducit & sæpe jugulat; sicuti etiam *Mediastini inflammatio* est periculosior pleuritide.

Quod si absque interitu ægri finiantur hæ *pleuropneumoniæ*, terminantur vel 1. *discussione & resolutione* nunc *critica* nunc *Medica.* 2. Vel copiosa *sputi excretione.*

cretione. Vel 3. inflammationis *ſuppuratione*, ac in *empyema* transmutatione. Vel 4 rara ac ſingulari *metaſtaſi*, v. g. nunc ad phrenitidem, nunc in ſingulares morbos articulares, nunc in ulcera tibiarum &c.

Si terminantur reſolutione, vel per *ſudores*, vel *hæmorrhagias*, vel aliis modis, imprimis eſt obſervandus motus naturæ criticus, *qui, ſi poſſit, potius præveniendus.* Nam in diebus criticis natura ſibi relicta imprimis tales inſtituit evacuationes. *Vid. Amat. Luſit. Cent.* 7. *cur.* 28. *Piſo de colluvie ſeroſâ*, *Valeriola l.* 4. *obſ.* 4. *it. l.* 7. *obſ.* 6. Per hæmorrhagiam ſeptimo die pleuritidem ſolutam, *vide Foreſt. l.* 16. *obſ.* 37. & pleuritis in peripneumoniam converſa per fluxum menſium die critico ſanata, *Id. obſ.* 36. & 39 &c. Pleuriticæ mulieres per ſanguinis mictum curatæ *Ferdinand. conſil.* 5. & pleuritis magna in gravida, poſt partum ob uteri exinanitionem curata, *Ferdinand. hiſt.* 13. Sic interdum ſuperveniunt *diarrhææ criticæ*, per quas *pleuropneumoniæ* ſolvuntur. Sic diarrhæam ſalutarem pleuritidi ſupervenientem, *vid. in Amat. Luſit. Cent.* 1. *cur.* 7. *Zacut. Luſit. lib.* 1. *prax. admir. obſ.* 105. Deſperata pleuritis per alvi fluxum curata, in *Valeriola obſ.* 5. *l.* 1. Nec obſtat §. 16. *ſect.* 6. *Hippoc.* Diarrhæam, quando ſupervenit pleuritidi, vel peripneumoniæ, malam eſſe; de quô imprimis *vid. Caſtro, quæ ex quibus p.* 17. Pleuritidi ſi peripneumonia ſuperveniat, malum, *idem Caſtro, p.* 14. Porrò in pleuropneumonia, ſi ſputum ſtatim appareat in initio, intra diem tertium ſcilicet, indicat brevem morbum; ſin verò ſerius, longum, dict. *Hipp aph.* 12. *ſect.* 1. Qui pleuritide laborant, niſi intra 14 dies repurgentur, iis in Empyema fit mutatio *Aph.* 8. *ſect.* 5. Qui vero ex pleuritide empyici fiunt, ſi in 40. diebus repurgentur, à die quo ruptio facta eſt, liberantur, alioquin in tabem ſeu phthiſin tranſeunt, *Aph.* 15. *ſect.* 5. Nempe pleuritis maximè ex parte die 14. terminatur, aut ſaltim 20. & quidem ſi æger quarto die exſpuat album, leve, æquale, ter vel 4. tuſſiendo, in ſeptimo terminabitur. Si in ſeptimo tale ſputum primariò appareat, concurrentibus aliis ſignis bonis, morbus ultra 14. non extenditur. Periculoſum ſignum eſt, ſi in pleuritide pulſus perdurus, frequentiſſimus ſit.

Paria de *peripneumonia* quoque dicenda ſunt. In ſpecie ſputorum magis, quam urinarum habenda eſt ratio. Utut enim urinæ ſint optimæ & coctæ, ſin tamen ſputa ſunt mala, periculoſum; & contra, etiamſi urinæ ſint malæ, ſputa verò bona, melius. Quibus anginæ in peripneumoniam fit converſio, intra 7. dies moriuntur; ſin hos effugiant, purulenti evadunt, *Hipp. Aph.* 10. *ſect.* 5. Sicuti contra quàm miræ ſubinde ſint peripneumoniæ metaſtaſes plus minus fauſtæ, *vid. in Williſ Pharm. rat. p.* 2. *p.* 181. *Vomitus* copioſus & bilioſus in principio pleuritidis ſalutem prænunciat. Pleuritici dolore levati, facie triſti facta, oculisque perturbatis, ſignum eſt metaſtaſeos pleureſeos in cerebrum, caſusque ut plurimum lethalis. *Pleuritis* molliter incipiens & usque ad quintum ſic procedens diem, ſexto vero exacerbata, interdum eſt lethalis, interdum difficilis. *De-*

lirium, quod in *pleuritide* observatur, aut fortem sequitur pleuritidem, aut si non sequitur fortem, negligatur tanquam ordinarium symptoma. Si verò delirium sequatur mitiorem pleuritidem, mitiorem dolorem thoracis & per intervalla infestantem, de *metastasi* ejus in caput est metuendum. Aliquando in pleuriticis urinæ sunt malæ, cum sputis bonis & liberantur, naturâ criticè expellente malum. Nam in his morbis ex sputis magis indicium quam ex urinis sumitur. Si quidē sputi conditio signa propria coctionis hujus morbi suggerit, unde pro hujus conditione magna pars *prognoseos* instituenda est. Cætera ad *prognosin* pertinentia *vid. in Senn. dict. loc. l. in ejus Epitomatore Riverio.*

In *cura* horum affectuum omnium I. *Sanguis stagnans est solvendus* & acidum corrigendum, tam per generalia quam specifica. II. Hoc si fieri nequeat, *exscreatio est promovenda*, in principio quidē per temperātia seu incrassantia moderata, in progressu vero per incidentia, miscendo hæc variè, prout sputi conditio & expectorationis ratio requisiverit. III. Sin hæc sint frustra, *suppuratio expectanda* & adjuvanda, per pectoralia temperantia, anodynis mista.

Pro his scopis melius obtinendis *observandum*

I. Sæpe *in principio morbi* esse instituendam *venæsectionem*, eamque aliquoties interdum esse *repetendam*, prout urgentia affectus requisiverit. Non tamen simpliciter est necessaria, quando appropriata remedia, quæ sanguinis grumos resolvunt & sudorem movent, citra venæsectionem non rarò malum tollunt, *vid. præs. Helmont. Tractat. Pleura furens: Holterhoff. de err. Med. c. 1. §. 2.* Ac sane per se nullum locum obtinet *V. S.* saltim, ubi copiosior adest sanguis & nimis acutus, seu præceps morbi ad statum motus: In tali urgentia per accidens interdum instituta & repetita *V. S.* aliquale levamen adfert. Sic *Lindanus* necessitate coactus, *mulieri gravidæ* intra 24 horas, quinquies venam secavit, urgente nempe affectu. Propterea de tempore non multum deliberandum venit, sive vesperi, sive manè, sive medio noctis fuerit, dum necessaria est (quod tamen in nostro climate rarius evenit) instituenda est. Pluribus hanc *de V. Sis in pleuritide usu, controversiam*, ventilatam *vid. in Hochstettero decad. 7. p. 107.* Ubi ergo secanda est vena, eadem pro usu *revulsionis* instituatur in pede, si est *pleuritis ascendens*, aut in brachio, si est descendens. *Aversionis* gratia secetur in pede vena oppositi lateris, si est *descendens*, in brachio verò, si est *adscendens* &c. Quibus paucis prolixæ istæ controversiæ de loco V. S. quas agitârunt veteres insigni fervore, decidi possunt. *Conf. Willis. Pharm. rat. P. 2. p. 204.* Præstat autem ut V. S. fiat multis vicibus, nec longis intervallis, neque magna quantitate, ut loquitur rectè *Hildanus*. *In peripneumoniæ cura* V. S. nec revulsoria, nec aversoria, nec derivatoria locum habet, quia pulmo cum nullis vasis communicat, sed sua propria habet; Quod igitur à corde recipit, ei deniq; iterū remittit. Nō igitur ulla

hora

hora præstari potest, sed sanguinis tantum fervor mitigandus & ejus quantitas imminuenda, adeoque fiat in brachio. Interim sæpissime & ferè tutissimè *pleuritis benigna*, absque V. S. curari potest, per diaphoretica, volatilia præsertim & specifica. In *maligna* enim *pleuritide* V. S. vix locum invenit. Refert *Bartholetus cit. loc.* sibi diuturna praxi esse compertum, omnes ferè, quibus in pleuritide maligna vena tunditur, mori: Econtra periculo defungi, qui sine phlebotomia sunt curati. Vid. etiam *Gesnerus l. 1. Ep. p.* 19. qui asserit venæsectionem esse inutilem in *maligna Epitemica. Vid. ejus observationes.* Quod sanè in malignâ verum arbitror, utut in Epidemica non adeò semper locum inveniat. *Dodonæus enim Obs. cap.* 21. *p.* 38. refert, in pleuritide Epidemica administratam venæsectionem salutarem, neglectam lethalem.

II. *Purgatio* in Plevritide non convenit, nisi ad *declinationem* malum pervenerit. Et si interdum conveniat purgatio, utplurimum tamen ante diem septimum perniciosa est. *vid. Riv. Cent.* 1. *obs.* 98. imprimis verò præcedente sputo abstinendum à purgatione, per experientiam confirmante hoc *Zacuto Lusit. l.* 1. *Prax. Admir. obs.* 107. Quicquid etiam in contrarium dicat *Rulandus*, præsertim in *Thesauro Practico p.* 129. ubi defendit acriter, quàm maximè ex usu esse, in principio pleuritidis fortem purgationem & exempla refert à se curatorum, plerumque per vomitum & secessum, ex ▽ *benedicta*: Sane per se *vomitoria* nil valent in plevritide, per accidens verò, ubi vitiosa excrementa, in specie acidum & æruginosum in primis viis stagnaverit. In tali casu primo in principiô prodest vomitus; deinde facto abscessu ad ejus ruptionem, vel hoc rupto ad ulteriorem puris evacuationem vomitus aliquid conducere potest. Benè hic differit *Lindanus*, dum dicit se, in cura peripnevmoniæ non audere vomitorium dare, nec video, quod possit, nisi statuatur ventriculus onustus æruginosa cruditate, à qua sanguis vitiatus impetum faciat in pulmonem, sed in tali casu non respicerem ad peripnevmoniam, sed ejus radicem, nempe ventriculum malum. Ita nec in progressu vomitoria conveniunt, nil enim pulmonibus nocentius. Si enim intempestivè purgentur, diarrhæa accidit, cum alvus per se mollis sit; illâ autem accedente, sputum non coquitur, nec pus maturatur, & pereunt ægri.

III. Ex omnibus auxiliis, quæ huic morbo mirificè opitulantur, primarium est *sudor*, qui ex toto corpore, & inprimis ex thorace provocatur, id quod omnes elegantiores Practici fecerunt, *vid. Fabr. cur.* 8 *60. &c.* qui plurimos pleuriticos curavit per sudorem, cum ♉ *. diaphoret. ad* ℈j. propinato, præmisso *clystere*, interdum etiam *venæsectione*, applicando *externè balf. sulph.* cum *Empl. diasulph. Rulandi.* Confirmat hoc pariter *Hillerus Cent.* 1. *cur.* 52. *Renealmus*

mus obs. 32. qui pleuriticis aliquot, secta vena, *flores ♁ ii diaphoreticos* exhibuit & statim prodeunte sudore omnes dolores punctorii abierunt. Et sanè ipsa natura, vel viam monstrat, toties per sudores spontaneos pectoris curans inflamationes.

IV. Malè quidem mox in principio præscribunt Practici *expectorantia*, seu quæ tussiendo expectorationem promovent. Nam talia cum tussim stimulent vel adjuvent, concussionem thoracis pulmonum ac pleuræ inferunt, quibus in principio exasperantur hæc mala, ut rectè observavit *Gabelkhoverus*. Et hæc inter remedia, quæ *sputi coctionem*, aut *suppurationem* inflammationis faciunt, malim, dicit *Lindanus*, *decocta pectoralia*, quam *syrupos & saccharum*. Nobilissimum pectorale habemus in *liquiritia & passulis*. Saccharum malè pectoralibus additur. Nam constat, omnia dulcia saccharata & mellita facilè acescere in ventriculo, cui nil inimicius, quam illud sylvestre acidum. Præscribuntur ergo *radices* & *herbæ pectorales*, sed omittantur semper ista dulcia, nec credatis, gaudere pectus *dulcibus*; gaudet equidem insipidis & quæ non habent qualitatem excedentem, non dulcibus extremè, ut saccharum &c. *Liquiritia* igitur convenit; quæ tamen in pauca quantitate sumenda, cavendo ne uratur, tunc enim prava & acris fit.

V. *Opiata* non negligenda sunt in *cura* harum inflammationum, sed usurpentur saltem in principio & incremento, saltim ad suffocandam nimiam morbi vim & sistenda pathemata dolorosa, quæ ipsa quoque ad corrigendam materiæ expuendæ cruditatem, adeoque eandem coquendam seu incrassandam multum præstare solent. *In statu verò* vitanda sunt, ne impediatur *expectoratio*, atque materia cocta nimis pertinaciter sic inhæreat, id quod sine *suffocationis* periculo vix fieri potest. Solum *papaverrhæas* ejusque *flores* ceu optimum *specificum* in toto morbi decursu locum habet.

VI. Benè observandum est, ut omnia, quæcunque ægri *bibunt*, *calidè* assumant. Nil nocentius est in his affectibus, & quod magis exasperare eosdem solet, quam *frigidus potus*, qui coctionem impedit, excretionem remoratur, tussim provocat, inflammationem intendit & lædendo pulmones respirationem difficiliorem facit; quæ omnia in *calido potu* contrario modo se habent. Est autem potus optimus *decoctum hordei & liquiritiæ*, idq; in toto morbi decursu, it. *decoctum papav. rhæad. c. syrup. scabios.* aut *violar.* aut *capillorum ♀ is*. In contagiosa seu maligna *decoctum rasuræ CC. crudi. cum vel sine floribus papaveris*; aut etiam cum *sarsa parilla*, optimum est potulentum.

Præmissa igitur vel omissa venæsectione progrediendum statim ad *specifica antipleuritica*, circa quæ notandum, quod eadem sint, quæ in *dysen-*

dysenteria aliàs locum habent, ut rectè loquitur *Helmont*. Deinde quod omnia ea *specifica*, quæ conveniunt in *pleuritide*, etiam in aliis quibusvis internarum partium inflammationibus prosint, cum omnes ejusdem sint naturæ, sæpius Erysipelaceæ. *Appropriata* talia, ex regno vegetabili, sunt *papaver rhœas*, *bellis flor. rubr. C. B. Card. Mar. papav. alb. cerefolium*, *aquæ destillatæ* istorum simplicium, in specie ▽. *flor. acac.* ▽. *flor. papav. rhœad.* & *aq. flor. chamom.* Singulatim hæc tria: *papav. rhœas*, *C. B.* & *Card. Mar.* sunt optima exque his parati *pulv. syr.* & ex *sem. C. B. & M. Emulsiones*, v. g. in statu Peripneumoniæ

℞. Sem. card. bened.
Mariæ.
papav. albi an. ℥ij.
c. s. q. ▽. flor. papav. rh. F. Emuls. adde
dent. aprorum præp.
mandib. lucii piscis præp.
℥. diaph. an. ℈j. M. edulcoretur parum D.
S. Stärckmilch gegen das Seitenstechen.

Item. ℞. ▽. chærefol. ℥iij.
Syr. papav. rhœad. ℥iß. ad ij.
bezoard. miner. gr. xvj. M. D.
S. Träncklein gegen das Seitenstechen.

Quoad *succum Taraxaci* vid. *Mistur. Barbette in sua praxi pag.* 88. quæ hæc est:

℞. Succi Taraxac. depurat. ℥j.
aq. plantag.
rosac. an. ℥ij.
prophylact. nostr. ℥ß.
ocul. 69. crudor. contusor. ℥ß.
Syr. papav. errat. ℥iß.
M. in phiala.

De hac mistura sumat æger quovis quadrante horæ duo cochlearia, operationẽ ejus mirabimini. Quoad *radic.* verò *Bardanæ*, *Castro Veronensis* cum suma copia grumosi sanguinis, per sputum intra biduum rejecti, absq; V. S. curavit pleuritidem. 1. *Externè* applicando & singulo bihorio renovando lintea duplicata cum *spermate ranarum* non destillato, sed per se servato, applicando & ita per biduum continuando. 2. *Internè radice bardanæ seu Lappæ maj.* vere collecta, crescente ☽, autumno verò decrescente ☽: Servantur radices, ac in umbroso loco siccatæ & pulverisatæ dantur, dos. cochl. j. in vitrô vini generosi; vel *decoctum bardanæ* ritè paratum, ceu appropriatum sudoriferum, pleuropneumonicis convenit. *Priapi Ceti & cervi* commendantur quoque ad pleuritidem, quorum ra-

ſorum pulv. ad ʒj. aſſumitur, aut ex iis paratum *decoctum*, ceu corpus Julepo-rum optimè propinatur. Hinc & *Bartholetus* in pleuritide maligna, *raſuram priapi tauri* commendat, cui tamen revera *cervinus* præferendus.

Conveniunt ulterius partes animalium duræ, *θe volatili* turgidæ, præſertim in principiô & multò magis exinde parata *θia volatilia* & *ſpir. urinoſi*, mediante ſudore fauſtiſſima remedia, qnalia ſunt *dens apri*, *aut dens caſtoris*, *mandibula lucij piſcis*, aut quælibet *oſſa capitis lucij piſcis*, *lap. carpion.* & *percar*; hincque alia genera *marina* &c. Ex quibus ſpeciatim *dens apri* & *maxilla lucij piſcis*, *lapis carpion.* & *percarum*, hincque alia genera *marina* &c. primatum ducunt, ad ʒß. præter propter propinata. In *ſanguine hirci* legitimè præparatô, expertiſſimum remedium contra pleuropneumonias, ad ʒj. propinatum. Methodum parandi legitimum, beneficiô abſciſſionis teſtium ex hirco vid. *Helmont. Tr. ſextuplex digeſtio Tr.* 75. & hinc à *Zvvelf.* quod ſi ab ejus uſu non ſtatim ſequatur levamen, repetatur aliquoties. Pariles virtutes habet *ſanguis leporis* ritè collectus, ſi nempe à canibus in venatione captus, vivus ſtranguletur laqueô, ut ſanguis in alvum fluat & grumeſcat, aperitur poſtmodum & ſanguis in fumo ſiccatur doſ. ʒß. ad ʒj.

Nec *animalium ſtercora* hic ſunt relinquenda; præ cæteris exquiſitiſſimum, præſertim apud Anglos, *ſtercus equinum* maſculi, ſi ſcil. pila una ſtercoris hujus excreta benè exprimatur & ſuccus expreſſus propinetur, mox in principiô & quò citiùs, eò meliùs. *Conf. Willis Pharm. rat. P.* 2. *p.* 181. & 209. Secretum vero Magnatum ad curandum pleureſin eſt *pulv. ſtercoris columbin.* ad ʒß. in liquore conveniente. *Conf. Panarol. Penteceſt.* 4. *obſ.* 14. aut macerentur hæc *ſtercora* c. ▽. *papav. rhæad.* & hinc facta expreſſione propinentur. Ab aliis admodum extollitur *ſtercus ovillum*, nempe hoc vocat remedium nobile *Lindanus*. ℞. Stercor. ovill. pilam, ſubigit in mortariô c. aq. papav. errat vel. card b. ſ. ſcabioſæ, & exhibet ſtatim in principiô. Nam dicit, præſtat id ob θ. nitroſum; habent enim ſtercora copioſum θ-✱-cum. Pertinet huc, ratione *ſalis vol. fuligo furni*, quæ eſt ſpecificum pleuriticum *Horſtii Junioris*, dum *fuliginem* benè tritam lavat ▽-*ſl. ſambuc.* exſiccat, & doſ. ʒß. ad ʒj in *acetô ſambuc.* vel *infuſ. papav. rhæad.* propinat, expectando ſudorem. Sic pleuritidem ſævam *pulv. fuliginis camini* ad ʒß. in *aq. card. bened.* die ſeptimo curatam *vid. Riv. Cent.* 2. *obſ.* 89. Denique quoad *regnum minerale*, excellit imprimis *ſpir. nitr. dulcis* ſeu potius *ſpir. antipleuriticus*, dum nempe *ſpir. nitr.* digeritur & cohobatur aliquoties à ſpeciebus antipleuriticis, & hinc c. *ſpir. nitr* poſtmodum miſtus & invicem deſtillatus, egregium eſt remedium antipleuriticum, loco cujus paratur à quibusdam non inconcinnè *tinctura bezoard.* ℞. Loco *ſpir. vitr. ſpir. nitr*, & ita ulterius lege artis procedendo, nobile remedium ad ʒj. in ▽ *appropriata*, has inflammationes ſudore mediante levans. Sulphur ejusque *flores* optime pariter condu-

cunt.

cunt. Hinc *pulv pyrius* egregium remedium contra pleuritidem, ad ʒj. propinatus, tam nitri, quam ſulphuris ratione. Pertinent huc quælibet *ſulphura ſixa*, & hinc etiam *cinnab.* ☿ *ii*, ☿. *diaph. bezoard.* ♂*iale*, *bezoard. ſolare calcinatum* &c. Hiſce denique accenſetur *ſperma ceti*, tam in principiô, quam incremento ad materiæ coctionem multum conferens, unde *ſpermaceti c. caſtoreo* miſtum feliciter adhibuit *Timæus in Caſ.*

Hiſce remediis ſubinde reiteratis, ſi non ſuccedat per *inflammationis diſcuſſionem*, adeoq; *diaphoreſin* morbi ſolutio, adjuvanda venit materiæ intra pulmones partesq; vicinas congeſtæ alteratio ſive *coctio* & hinc expectoratio, cùm videamus ad hoc inclinare naturam & copioſam materiam ſucceſſivè ægros rejicere. *Hic conveniunt* aliàs nota, primò *temperantia* ſeu *incraſſantia* & deinde abſtergendo & blandè incidendo *expectorantia*, v. g. *decoctum hordei* cum *glyzyrrhiza* & *ſyr. violar.* eſt optimum conveniens, nam tum temperata requiruntur: Cùm vero copioſius ſputum apparere incipit, uſurpandum venit *decoctum hyſſopi* cum *melle roſac.* ad promovendam excretionem. Nempe ad coctionem hanc imprimis facit *ol. ſem. lini*, & hinc *oleum amygd.* ſed recenter expreſſa, tam à Veteribus, quam à Modernis Practicis experientia duce laudata, nempe *Tachen. Hippocr. Chym. l. 2. p.* 101. *ſpiritum vini campb. & crocatum c. ol. lini* datum raró fallere aſſerit. Vel ℞. Olei lini rec. expreſſi ℥iij. ſyr. viol. ℥iß. ▽. hyſſop. ℥iiij. v. l. vj. &c. ℥ij l. iij. pro doſi, aliquoties in die; vel ſaltem ol. lini rec. ſ. △e extractum, c. ſaccharo miſtum & ita exhibitum, egregiè confert. Aut ℞. Olei lini expr. ℥iij. propinentur in quocunque vehiculo. Vel ℞. Ol. lin. ℥iiij pulv. dent. apri ʒj. M. & ita propinetur præſertim in principiô. Hujus loco *ol. amygd.* ſed *recens* ab ℥iß ad iij. propinatum crebrius, egregium eſt, emollit, dolorem lenit, expectorat, ſubducit alvum &c. *Conſ. quotquot ſunt Practici.* Pertinet huc *experimentum Quercetani*, quod eſt pomum ex cavatum & ʒj. thuris repletum & ita ad ignem coquendum, hinc deglutiendum & edendum. *Vid. etiam River. Cent.* 1. *obſ.* 66. & *Cent.* 2. *obſ.* 63. Quidam intromittunt ʒß. thuris & ſuperaddunt ſimul ʒß. flor. ſulphuris & ita coctum aſſumunt: ʒß. *thuris* & præſtantiſſimum remedium dicit *Fonſeca l.* 2. *Conſil.* 35. Aliàs *ad ſputationem promovendam* proſunt *decocta pectoralia*, uti ſunt *decoctum hordei, rad. liquirit, ſcabioſ. c. hyſſop. viol. tuſſil. & papav. rhæad.* in ſpecie *ſyrup. de jujub.* quæ egregiè temperant acres ſuccos & expectorationem blande promovent. Quod ſi facta coctione fortius *expectorandum* ſit, *radix helen. mel roſ. ſyr. Nicotian.* aliaque ſimilia modo dictis addenda ſunt. In ſpecie *ſpiritus vitrioli dulcis* moderata doſi modo dictis remediis additus, multum ad expectorationem materiæ coctæ promovendam facit. In ſpecie ▽ *mulſa* in difficili anacatharſi per ſputum, princeps eſt remedium, cui ſimul *ſpecifica varia* ac *pectoralia* incoqui poſſunt.

Quod ſi nec per ſputi expectorationem deſinant pleuropneumoniæ, neceſſe

cesse est, ut successivè *suppurentur* inflammationes & abeant in perfectum *abscessum*; circa quem 1. *suppuratio* promovenda. 2. *Abscessûs* perfecta ruptio adjuvanda. 3. Abscessu aperto, partis ulcerosæ *mundificatio & consolidatio*, ac simul puris excretio instituenda.

Suppuratio hæc in Pleuritide frequentius contingit, in quâ nunc saltim apostema colligitur *intra pleuram*, idque frequentius, nonnunquam simul ex parte *intra pulmones* istius lateris, idque rarius. Nam hoc revera sputo solvitur, dum illud sæpius suppuratur. Semper tamen in suppurationis hoc negotio ad utrumq; respiciendum. *Pleuritis suppurata intra pleuram*, nunc rupto abscessu intra cavum thoracis fluit, nunc intra saccum ex dilatata pleura colligitur. Probe hoc observavit *Lindanus* qui dicit: Autores semper crediderunt, suppuratione facta pus semper infundi in cavitatem thoracis, atque *Empyema* fieri. Verùm sæpe tantum est collectio puris, in parte ante affecta, quod vidi in filia *D. Pisonis*, quæ in Pleuritidem incidit, quæ in suppurationem transiit. Locum Chirurgus candela cereâ exploratoria exploravit altè, sed inde nihil potuimus colligere. Nam puella mortua cum dissecta fuerit, invenimus membranam succingentem pleuram dilatatam in immensum saccum, in quo subsidebat omnis purulentia. Illud tamen magni Medici hâc de re consulti, omnes esse putabant. Verum hîc frustra fuit paracentesis facta & miserè obiit. *Ad maturationem ergò abscessus*, internè optimus est *Syr. de Nicotiana, de hedera terr. & Symphyto Fernelii*. It *Empl. ex lacte & cremore malvarum*, mire maturat & rumpit abscessum: Vel convenit etiam *empl. Zachariæ* externè applicatum; vel apponuntur *Cataplasmata* ordinaria, ad maturationem abscessuum usitata.

Ubi facta suppuratio, opera danda, ut *abscessus rumpatur* & pus evacuetur. *Apertionem* abscessus factam, *cognoscimus* ex sputione puris e. ichore plus minus cruento. Ut autem rumpatur, seu aperiatur abscessus in tempore, optimum remedium est, si *vomitus* aut *sternutatio* excitetur & patiens altâ voce clamando, de latere in latus se volvat. Optimum esset, ut quoties certi essemus de maturato abscessu, *saltem perforentur spatia intercostalia*, cum hoc securè fieri possit, modo locus, in quo abscessus continetur, certè & exactè cognosci possit. Neque enim in eo loco, quo in empyemate & pure jam in thoracis cavitate collecto, sectio fieri solet, apertio instituenda, sed ex pondere, dolore & calore locus, in quo abscessus hæret investigandus & intra duas costas leniter aperiendus &c. sed *cautè* omninò procedatur. Quæ apertio quoq; saltim in abscessu intra pleuram locum habet: *Sin in pulmonum quodam lobo* simul suppuratio fiat, necessariò *empyema* expectandum venit. *Ferdinandus in hist. medic.* 32. & 45. *Decoctum Tabaci* & illius *fumum*, mirum esse medicamentum ad rumpendam vomicam suppuratorum, seu empyematicorum esse dicit. Et testor

Deum

Deum, me annô elapſo à morte revocaſſe mulierem, quæ jam erat per tres menſes pleuritica ſuppurata, cum febre hectica, quæ ab iſtius *decocti* aſſumptione p. 3. dies & ab hujus fumo accepto, tribus vicibus plus ℔vj. puris albi, tribus diebus tuſſi evomuit & nunc ſana eſt. *Decoctum* eſt hoc: ℞. *fol. tabaci* ℥j. bulliant in ▽. dulcis ℔ij. ad conſumptionem medietatis, addendo in fine *fol. malv. branc. violarum* an. Mj. colentur & *c. ſapa* miſceantur & detur calidiuſculum pluries. *Fumus* vero eſt ℞. *fol. tabaci*, reponantur in cineribus adhuc ignitis & fumus per fiſtulam ſeu embolum aſſumatur, cum quibus & *terebinthinæ* uſum ſubinde adhibuit.

Facta eruptione puris in thoracem, præter remedia pus expectorantia, ſimul ad *abſceſſus mundificationem & conſolidationem* reſpiciendum; quibus ſcopis remedia ex *Nicotiana, hed. terreſtri, chærefol.* ſunt optima. Præter quæ & alia vulneraria ſunt ſimul aſſocianda, in ſpecie *hed. terreſtris* ejusque *ſuccus, ſyrupus, pulv.* decoctum, aliis merito præferenda remediis ad curandos ſuppuratos. Egregiè enim *apoſtema mundificat* & denuò conſolidat, ne æger in empyematicum deſperatum & hinc phthiſicum tranſeat. Id quod pariter in aliarum partium læſionibus, ab inflammationibus reſiduis, phthiſin plus minus minitantibus, locum habet. Nempe omnia huc referenda ſunt ea, quæ *ſupra, de phthiſi pulmonali* ex eorum exulceratione, monuimus & etiam *infra de Empyemate* monebantur.

Inter *ſymptomata* pleuriticos vexantia præ cæteris urgens eſt *dolor punctorius*, acutus, mirè excrucians ægros. Pro quo leniendo in principiô applicatur *ſperma ranarum*, bono c. ſucceſſu. It. *S. V. camphoratus* aut *crocatus* eſt egregius; vel illinatur *unguentum pleuriticum Mynſichti pag.* 485.

Vel ℞. Unguenti dialth. ℥j.
ol. amygd. d. ℥ß. M.

Simplex eſt Unguentum, ſed expertum à *Rulando & Zacut. Luſ.* cujus effectum pariter obſervavi, ſi ſingulis bihoriis ad ſummum loco dolenti illinatur; addere ſubinde ſoleo aliquid *camphoræ* ejusque *olei*, meliori cum effectu; *Empl. de meliloto* etiam applicari poteſt; *pinguedo muris montani* (cui poſſe ſubſtitui arbitror *pinguedinem hircin.*) eſt experimentum *Paracelſi*, qui

℞. Pingv. muris montan. ℥j.
olei chamom.
roſar. an. ʒij.
amygd. d. ʒj. M.

Quibusdam *Empl.* ſecretum eſt hoc:

℞. Picis naval. ℥iß.
ſulph. trit. ℥ß.
ceræ flav. ℥vj.

tereb. claræ ℥ß.
ol. chamom. q. s. M.

Primo fecetur vena, *fecundo* detur papav. *rh. Tertiò empl.* hocce applicetur.

Quoad *Pleuritidem notham, prima* ista, quæ est *ab inflammatione* partium externarum internis diaphreticis ad quaslibet inflammationes supra laudatis, & externis *sacculis* ac *fomentis discutientibus* levatur.

Altera ista *ab acido acri intra plevram* solitarie collecto, per diaphoretica 🜍ia *volat. cum opiatis* mixta tollitur; in specie spir. 🜍✱ci *anisat.* cum dimid. *essent. opii* mixtus & propinatus, expectando sudorem, bene confert.

Tertia ista *verminosa*, optimè curatur per 🜄*m* ☿*ialem seu hermeticam*, paratam ex 🜄. *C. B.* in qua bene agitatus fuerit aut aliquantum bullierit ☿ *vivus*. 🜄. ista cum ☿io præparata & propinata, exturbat *vermes* & curat ægrum.

Ut omnia hæc fiant illustriora, *exemplo* rem declarabo. *Vetula* 42. *annorum* plevriride desperata correpta, septima die opem postulat, tussis gravis, excretio viscida, nonnihil sanguinolenta, dolor in latere dextro, qui prius fuerat in sinistro, palpitatio cordis, sudor frigidus in peripheria corporis, pulsus quinta qualibet vice intermittens, omni momento suffocanda videbatur, sitis clamosa, vox rauca &c. Præscribo

℞. 🜄. papav. rh.
c. b. ana ℥jß.
Mandib luci piscis præp. ʒj.
🜍. volat. mand. lucii pisc. præp. gr. xij.
laud. opiat. ferment. gr. ij.
syr. scabios. ℥jß. M. capiatur cochleatim;
exinde mirabile levamen perceperat.

Jam igitur ut *expectorationem* melius promoverem

℞. 🜄. Scabios.
hysop. an. ℥iß.
spir. 🜍✱ci anis. ʒiß.
syr. scabios.
violar. a. ℥ß. m. capiatur cochleatim

Cùm egregiè quidem & copiose viscida rejiceret, tamen de *anxietatibus* repetentibus, ut & *doloribus* intensè recrudescentibus, denuò conqueri cepit, cum *respirationis difficultate*, ob id

℞. 🜄. papav. rhæad.
card. b. ana ℥iß.
lap. ♋ præp. ʒj.
🜍. vol. mandib. lucii pisc. gr. xv.

laud.

laud. opiat. ferment. gr. ij.
syr. papav. rhæad.
scabios. an. ℥vj. M.

Ratione *doloris punctorii*

℞. Ung. dialth. ℥j.
ol. amygd. d. ʒß.
destil. cumin. ℈j.
camphor gr. IX. M. profuit. His continuatis sanata fuit.

Reliquias *succus raphani cum sacharo* per copiosam sputi excretionem absolvit. Sed cum tussis & alia superessent, symptomata, adeoque *metus imminentis phthiseos*, ob id

℞. *Chærefol.* & *heder. terrestr.* an. q. v. incis. coquantur in cerevis. capiat manè & vesperi haustum, continuetur aliquandiu, bene profuerunt. Superarant *sudores nocturni* continui, emaciantes & debilitantes insigniter

℞. Antihect. Poter. ℈j.
laud. op. gr. iß. M. capiat sub introitu lecti.

Unde & hæc symptomata evanuerunt.

Vir ætatis consistentis gravi plevritide correptus, cujus pulsus cùm semper post 3. pulsationes intermitteret, præscripsi octava demum die vocatus

℞. ▽ papav. rhæad.
scab. an. ℥iß.
♁ diaphoret. ʒß.
syr. Nicotian.
scabios. an. ℥vj.
spir. nitr. dulc. q. s.

Potiunculam hanc bis usurpavit, prima vice sensile levamen exinde percepit; sed altera vice mire recruduit morbus (sicut aliâs superiores potiones cum salibus volatilibus magis proficuas observavi, quam has cum spiritu nitri dulci) ut moribundus videretur omnibus & semper quidem circa vesperam morbus recrudescebat, præcedente *gravi rigore*, insequente vehementissimo, sub quô & *delirus* & summe *imbecillis* evadebat, unde 10. die præter propter præscribo

℞. Sem. C. B. ℥iij.
c. aq. papav. rhæad. & scabios. an. q. s.
F. Emulsio, adde
mandib. lucii pisc. ℈ij.
sal volatil. mand. luc. pisc. gr. xij.
edulcorentur sacchāro M. capiatur cochleatim; mire profuit. Reliquias expurgandas jussi, succô *raphani cum sacharo*, pro expectoratione; sed hujus continuô & nimiô usu *diarrhæam* & quasi *lienteriam* incurrit: Hinc

℞. Spir. sal. dulc. ℥ij. dos. 25. gutt. bis in die; bene contulit.

Sed

Sed propter *calorem* vesperi recurrentem, *sudorem nocturnum* copiosum & *tussim continuam*

℞. Antihectic. Poter.
flor. sulphuris an. ʒß. M. pro 2. dos. continuetur aliquoties.

Hisce diebus occurrit *juvenis inflammatione sub axillis* insigni correptus; facta post aliqualem suppurationem apertione, supervenit altero abhinc die inflammatio, quæ medium pectus occupabat, cum dolore ad tactum sensili, respiratione difficili, ita ut ferè erectus in lecto subsistere cogeretur. Erat *plevritis notha primi modi* ex *Sennerto*, quæ facilè curata fuit, per potiunculam ex *lap.* ♋ cum *ac. dest.* supra de inflammationibus in genere usitatam. *Vid. supra*, quam bis usurpavit cum blando sudore.

Aliquando gravis *plevritis notha secundi modi* occurrebat in aliô, cum dolore gravissimo punctorio.

℞. ▽ Scabios.
card. ben. an. ℥iß.
spir. θ*ci ʒiß.
essent. opii ʒß
corall. rubr. præp. gr. xxiiij.
syr. scabios. ʒvj. M. capiatur cochleatim.

INFLAMMATIO HEPATIS.

Inflammatur etiam *Hepar*, quod totum exinde interdum degenerat in *abscessus*, ejus parenchyma devastantes; vel *abscessus* isti in *ulcera maligna* aut *gangrænam* lethalem abeunt. Vid. *Obs. Schenck.* item *Forest. l.* 19. *obser.* 10. Rariores equidem sunt tales inflammationes, & in specie quoad *causas externas* est contusio & casus ab altô in latus dextrum; item ab emplastris & unguentis nimis calidis, hepatis regioni affixis, hujus inflammationem obortam observat *Hildan. Cent.* 7. *obs.* 46. 47.

Cautè autem considerentur omnia *symptomata*, quæ sunt admodum diversa, dum inflamationem hepatis comitantur, prout nempe inflamatio est vel in parte gibba, vel convexa, vel prout eadem est in parte concava sive sima. Nam *si est in gibba* parte, urgent ferè *symptomata* plevritidem mentientia: *Si in parte concavâ*, urgent magis *symptomata* ventriculi & intestinorum. *Non facilè* hepar *inflammatur*, aut si inflammatur, febris tamen & æstus ac cognata symptomata non adeò intensa sunt, quam pro ratione partis esse deberent, quia nempe

nempe hepar parvam habet arteriolam; jam vero in omnibus inflammationibus à ſanguine arterioſo magis, quam venoſo, intendi ſolent ſymptomata. Vocatur aliàs *Hepatitis*. *In genere* comitantur inflammationem Hepatis *ſenſus gravativus*, circa ejus regionem in dextro hypochondrio, cum dolore ſimul obſcuro & tenſivo, qui *ſub ſuppuratione punctorius* plus minus evadere ſolet. Mox *febris* adeſt, minus tamen fere acuta, ſed ſæpius *lenta*, prout nempe eſt inflammatio. Nam perpetuò inflammationis magnitudinem vehementia febris analogicè comitatur. *Tuſſis ſicca* ſeu inanis per intervalla affligit; *Difficultas reſpirandi* adeſt, *decubitus* in latere affecto eſt *difficilis*, non ſecus ac in latere oppoſito, unde ferè ſupini jacent ægri, *pulſus* celer, frequens, inæqualis, *ſitis* intenſa, *anorexia*, *lingua arida*, *calor mordax* totius corporis &c. Quod ſi major adſit inflammatio, dolor ad jugulum adſcendens percipitur, quaſi ad inferiora traheretur, præſertim dum vehementius æger inſpirat, idque propter pondus epatis inflammati, mediante ligamento lato diaphragmati, juxta connexionem hujus cum corde, alligati.

Quod ſi pars ejus cava afficitur, *ſingultus* frequens oboritur, adeò ut ferè perpetuo ſingultiant, *vomitus* materiæ biloſæ interdum & *diarrhœa* adeſt. *Si verò pars gibba afficitur*, acris eſt *dolor* circa *cordis* foveam, decubitus in dextrum latus eſt difficilior, dolor ex preſſura exacerbatur, *tumor* manifeſtius apparet, partes ad jugulum dextrum, deorſum trahi videntur & ſymptomata cætera, partes thoracis apparenter affectas ſequi videntur. Contrarium vero *in parte cava affecta*, in qua ipſa interdum *dolores ventris* concurrunt, ut inflammatio hepatis pro *colica* à quibusdam habita fuerit. Exempla vide in *Hildano Cent.* 2. *obſ.* 48. Et quoniam pleuritidem ſubinde mentiri videtur, ita ut etiam cum hac à quibusdam confundatur, de quo vid. *Panarol. Pentec.* 1. *obſ.* 3 *it. Foreſtus l.* 29. *obſ.* 12. *Zacut. Luſit. l.* 2. *Med. Princ. Hiſt.* 101. propterea probè diſcernenda ſunt, & in ſpecie, ſi *pleuritis* circa coſtas nothas dextri hypochondrii afflixerit, facillimè cum *Hepatitide* confundi poteſt.

Diſtinguuntur tamen ex eo, quod dolor punctorius in *pleuritide* ſit longè acutior, in *hepatis inflammatione* parvus vel nullus, ita etiam ſpiratio in hepatis inflammatione eſt difficilis, exſpiratio vero facilis, cum utraque difficilis ſit *in pleuritide*; tuſſis longe vehementior ac ferè humida eſt in pleuritide, quæ in *hepatite* eſt mitior, arida &c. Pulſus *pleuriticorum* eſt durus, ac, ut vocant, ſerratus, qui in *hepatitide* magis ad undoſum accedit. Denique pondus gravans & quaſi deorſum tundens thoracem, percipitur in latere dextro, *in hepatitide*, ubi etiam non raro tumor reniſus quidam tactu percipitur; quæ minus in *pleuritide* apparent.

Porro *muſculorum abdominis inflammatio*, juxta hypochondrii dextri regionem etiam ſubinde cum *hepatitide* confunditur. Meretur ut evolvatur *Valeriola l. 4. obſ. 5. it. Bartholin. Cent. 2. Epiſt. 45. p. 549.* ubi proſtant notabilia exempla inflammatorum muſculorum, loco hepatitidis curatorum. Sed *differentia* patet, quod in muſculorum inflammatione adeſt *dolor pulſatorius*, qui nullus aut ſaltem exiguus eſt in inflammatione hepatis, propter parvam ejus arteriolam; pectoris quoque ſymptomata in *muſculorum abdominis inflammatione* abſunt. Denique tactus percipit *tumorem* circumſcriptum, nec adeò nimis profunde ſitum, extuberantia quoque magis ſenſilis obſervatur. Interim tamen, quod rectè monet *Sennertus*, cavendum ne fallamur, ſi tumor in medio ventre appareat, cum quibusdam etiam hepar ad medium ventris extendatur. Sed quoad hæc confer imprimis *Sennertum l. 3. pr. ubi de hepatis inflammatione*, ejusque Epitomatorem *Riverium*.

Pro majore dictorum illuſtratione placet *exemplum* notabile *apoſtematis in jecore, ex Coitero ejusque Obſervationibus Anatomicis* ſubjungere, qui „ita dicit *p. 120.* Civis quidam Norimbergenſis natus annos 42. totus choleri„cus, leni tuſſi correptus, de moleſto quodam hypochondrii dextri dolore, „edendi appetitus amiſſione, totius corporis languore, æſtu, affatim & plerum„que poſt cibum faciem, manuum palmas pedumque plantas invadente & oris ariditate, conqueri cepit. Vi morbi creſcente, decreſcentibus viribus, corpore ex„tenuato, totius anni ſpatio poſt, coactus fuit decumbere, tandem & me accer„ſiri juſſit. Inveni inter cætera febrim quandam erraticam, atque tumorem du„rum, tenſivumque in epatis regione, ad medium ventris & umbilicum usque „protenſum. Febris minimè erat intenſa & periodica, ſed hecticæ ſimilis, quæ „incerto tempore ſubinde per totum corpus diffundebat æſtum ſolitò majo„rem, qui interdum citius, interdum tardius remiſit, magis potius quàm cibi „deſiderio moleſtabatur, ut ferè ſemper hominibus, qui ſimilibus affectibus ur„gentur, uſu venire ſolet. Tumor erat durus, cum magna tenſione & vehe„menti punctione doloreque ulceroſo conjunctus, quamvis nulli lateri incum„bere potuerit, tamen facilius dextro quam ſiniſtro, ad quod aliquid pondero„ſi, in corporis commotione, prolabi ſenſit. Alvus erat difficilis, urina ſubflava, „tenuis, cum pauco ſedimento eoque divulſo. Punctio, quæ ægro omnium „moleſtiſſima erat, nullis unctionibus, emplaſtris &c. remitti potuit. Tandem „barbitonſor quidam doloris mitigationem pollicitus eſt & appoſuit catapla„ſma anodynum, emolliens & ſuppurans. Inde tumor crevit, efferebaturque „magis ad umbilicum & dilatabatur, ita ut quidam ſuſpicati ſint, hunc morbum „in hydropem terminaturum. Aliquot diebus poſt in ilio dextro in conſpectum

„ve-

„venit tuber, quod barbitonſor exiſtimavit ab apoſtemate intra muſculos ab-
„dominis generato prodiiſſe, quare apertionē ſuaſit. Ego cum nec indicationem
„nec alia ſuppurationis ſigna manifeſta iſtic deprehendere potuerim, conatui
„ejus reſtiti, æger vero permiſit ſibi lapidem cauſticum apponi. Hic lapis cau-
„ſticus triduo muſculos abdominis ad peritonæum & inteſtina usque diſperſus
„eſt, tumor deſidit & durities evanuit. Eodem die aliquot deliquiis animi cor-
„reptus æger moritur. Aperto corpore invenimus vomicam ſimæ hepatis par-
„ti, cujus non parum putruerat, connatam, eamque ſatis magnam & apertam;
„reliqua fuēre ſana.

Quoad *prognoſin*. *Epatis inflammatio* periculoſum malum & plerumque lethale eſt. *Quæ eſt in cava hepatis parte*, magis inappetentiam, nauſeam, vomitum bilioſum, ſitim ingentem affert; *quæ in gibba*, majorem reſpirandi difficultatem, frequentiorem tuſſim & dolorem usque ad dextræ partis jugulum infert & ea, *quæ in gibba parte*, gravior eſt quam illa quæ in *cava*. Singultus ſuperveniens *hepati inflammato* malus. *Hipp. ſect.* 5. *aph.* 58. & *ſect.* 7. *aph.* 17. *Hepatis inflammatio*, ſi dies 21. excedat & febris perduret, tumore non ſubſiſtente, in ſuppurationem fertur.

Quibus hepar aut lien ſuppuratus eſt, iis plerumq; *hæmorrhagia narium* ſupervenit primis 7. diebus, paucis 12mo. Certiſſima *ſigna inflammationis* ſunt, febris ardens, ſitis inexhauſta, lingua ſcabra, refrigeratio extremorū, dum interiora uruntur. Vomitus item niger & porraceus. *Morti proximis* venter intumeſcit, rupto abſceſſu, & frigidum ſudant circa collum & faciem, atque animo linquunt. Cum hepatis inflammationem febris ardens & continua comitatur, malum eſt, quia vehementer viſcus inflammatum ſignificatur.

In *cura*. Eadem eſt *hepatis inflammati* cum reliquis inflammationibus medicatio. Unde ea, quæ in *pleuritide* conveniunt, etiam hic erunt in uſu; ſaltim ad *partem affectam*, cujus tonus facile lædi poteſt, & amaris præſertim conſervatur, ſemper reſpectus habendus eſt.

Unde præmiſſa ferè *venæſectione*, imprimis *diaphoretica* v. g. *mixtura ſimplex, ſpir. nitri dulcis*, ℥ *diaph. dens apri. flores ſulphuris*, *bezoardicum* ♃ *ale*, utramque faciunt paginam. *Purgantia* quælibet, uti etiam *vomitoria* exulent, *nitr. contra* & *qualibet nitrata*, it. *Antihecticum Poterii* ſunt laudatiſſima. Hinc pro *potu ordinario* detur *Julapium, ex decocto radic. cichor. cum Nitro* & *ſaccharo*. Sed oportet dare *calidum* & minimè confertim. Detur pro hoc potu *decoctum hordei* & *graminis cum rad. cichorii* & tantillo *liquiritiæ* & *ſyrupo violarum, aut capill.* ♀ *is*.

Cum his internis externe conveniunt *Epithemata* diſcutientia & ardorem compeſcentia, calidè tamen applicanda: Quæ inter eſt S. V. blande *camphoratus*, cum linteo multiplicato applicatus, à *Keslero* laudatus,

Vel ℞. ▽. hyoſcyam.
nymph.
plantag. an. ℥j.
nitr. depur. ʒß.
camph. in S. V. ſolut. gr. xv. M. F. *Epithema* applicandum crebrius calidè. Vel imitemur *Foreſtum lib.* 19. *obſ.* 19. & 12. qui mire commendat in inflammatione hepatis, ad abſceſſum quoque tendente, diſcutientem hunc *fotum.*

℞. Flor. chamom. melilot. roſ. rubr. an. pug. 1.
ſem. aniſ. fœnic. lini an. ʒiß.
ſantal. rubr. ʒj. coque in ▽. ſimplici, colaturæ adde
† opt. ℥j.
▽ endiv. ʒß. M. F. Epithema pro Epate.

Quodſi his adminiſtratis nihilominus *ad ſuppurationem inflammatio* tendere videatur, id quod docet dolor, febris, aliaque ſymptomata ingraveſcentia, rigores nullo ordine accedentes, quos caloris exacerbatio ſequitur; *confecto verò pure,* omnia illa miteſcant, vires tamen debiliores relinquantur, pulſus frequens languidus & interdum animi deliquium; tunc interne temperantibus *ſuppuratio eſt promovenda.* Propterea F. *cataplaſmata ex emollientibus* & blande *diſcutientibus*, cum addito *croco* & *ſummitatibus abſinthii*, pro epatis tono melius conſervando, in moderata licet quantitate. Suppurato abſceſſu, ejus *apertio* promovenda. *Quod ſi vero ſit in parte gibba*, ac ſatis promineat tumor ſuppuratus, abdomen è jecoris regione *ſcapello* aperiendum, vomica perforanda, & ita pus evacuandum, de quo vide *Horſt. probl. p.* 29. it. *Amatum Luſit. Cent.* 7. *cur.* 76. 77. *Schenck. l.* 3. *obſ.* Ut plurimum vero ſine tali artificiali apertione ſponte abſceſſus aperitur, & diverſimodè, nunc per *alvum*, nunc per *urinam*, nunc per *vomitum* expurgatur. Rarum eſt, quod per *tuſſim* pus ex hepate fuerit excretum, de quo *Schneiderus l.* 4. *de catarrh. p.* 103. Verum inflammatio hepatis ſuppurata, vomitu purulento ſoluta, vid. in *M. A. N. C. Anno* 8. *p.* 121. Ita hepar inflammatum & ſuppuratum, uſu oxymellis diuretici per vomitum, alvum & urinam pus rejiciens, *vid. in Salmuth Cent.* 1. *obſ.* 27. & 28. *Quodſi itaque ad inteſtina rejicitur pus*, idque imprimis, dum cavum hepatis ſuppuratum fuerit, mediantibus vaſis cholidochis, *internè* attemperantibus acrimonia puris eſt mitiganda, ſimulque *hydromel* plus minus medicatum exhibendum. *Externè* vero blandis clyſte-

clysteribus intestina abstergenda & excretio promovenda. *Quod si vero per renes evacuetur* purulenta materia, mediante sanguinis circulo, inprimis dum hepatis gibba pars inflammata fit, supra dictum *oxymel diureticum*, it. *serum lactis* plus minus medicatum, *emulsionem sem. violarum*, it. *decoctum rad. apii, petroselin. agrimoniæ, baccarum junip. c. hydromellite* factum, præsertim si juncta febris mitior fuerit, propinare convenit. *Si* regurgitando ex intestinis, *vomitu rejicitur* materia purulenta, promoveatur hic ipse attemperantibus pinguibus, jure pinguidiusculo, cerevisia butyrata, ol. amygd. dulci. *Quod si* vero fiat, ut ab acrimonia puris in facto abscessu *erodatur hepatis membrana*, adeoque pus in cavum abdominis excidat, periculum est, ne contentæ corporis partes, præsertim membranosæ & ipsæ erodantur, atq; ad sphacelum plus minus disponantur. In tali casu veteres ad *incisionem abdominis* accesserunt, ne sc. aliquid intentatum relinquerent, de quo intelligendus *Aph. 45. sect. 7. Hipp.* Observatum tamen fuit, pus ita in cavum abdominis effusum per alvum evacuatum fuisse, erosa forsan in quôdam loco intestinorum substantia, & ita excreto pure. Adeò semper in puris, post ruptum abscessum, evacuatione naturæ ductum Medicus sequatur, & ducat, quò illa vergit. Sub tali puris evacuatione non tantum naturæ ductum Medicus sequatur, sed & simul ex abscessu relictum *ulcus mundificet & consolidet*; quo pertinent imprimis *dococta vulneraria*, it. *decoctum chinæ vel sarsæparillæ*. Inter *vulneraria* ista, *agrimonia* & omnia ex hac parata, sunt optima. *Serum lactis*, cui talia *vulneraria* incocta sint, pro abstersione & per urinas evacuatione est optimum: Quibus simul *terebinthinata, bals. sulphuris terebinth.* pro reliquiis absumendis & restituenda partis substantia, subjungenda. Verum ex abscessu & ulcere hepatis, nisi superficiale aut leve fuerit, rari sunt, qui evadere solent. Applicari alias possunt ea, quæ *in Mesenterii abscessibus & ulceribus* adhibet *Martini loc. supra citatis.*

LIENIS INFLAMMATIO.

Inflammatur etiam *Lien*, cujus tamen rarissima prostant exempla: *Fervor, dolor*, ac ferè *tumor, cum pondere* nonnihil gravante, in profundo hypochondrii sinistri percipitur. Cùm vero ren sinister ibidem proximè adjaceat spleni, adeò ut facilè horum viscerum inflammationes confundi possint, ob id inprimis *dolor pulsatorius* attendendus est, qui in *lienis inflammatione* propter arterias copiosas sat sensilis est, adeò ut dicatur, quod apposita manu regioni lienis, pulsatio ferè sensilis percipi possit, de quo tamen meritò dubitatur; cùm è contra in *rene inflammato* mitior talis pulsatio adesse soleat. *Febris* adest continua, *difficultas*, ex diaphragmate per consensum affecto, *in respiratione* simul adest,

In *Prognosi* observandum, lienis inflammationem facile in scirrhum abire. Hæmorrhagia naris sinistræ vel alvi fluxus, si criticè accedunt, cum prægressis coctionis signis, bonum est & solvitur lienis inflammatio, vel quia discutitur, vel quia aliò transfertur. Quo facit sententia *Hippocratis*, inflammationem hepatis in lienem converti melius est, quam si lienis ad hepar deferatur; vel hæmorrhagiâ narium, aut urinæ profluvio, vel alvi solutione sanatur, vel suppuratur, vel scirrhescit.

Cura est eadem quæ reliquarum inflamationum. *Salvatellæ sectio*, quam in *lienis affectibus* & præcipuè ejus *inflammatione* commendant, fundamento caret. Præter alia in specie medicamenta ♄*ina* primariò convenire dicuntur in liene inflammato, qualia sunt ♄*i saccharum*, &c. *Externè*, *Empl. de cicuta* malaxat. cum pauco *oleo camphoræ*, applicari solet. *Poppius* applicat *theriacam*, aut ejus loco *rob sambuci*, cui *saccharum* ♄*i* permiscuit, & sub forma spissi *linimenti* illinit, id quod pariter in renum quoque inflammatione locum habet.

INFLAMMATIO RENUM.

Inflammantur Renes quoque, in affectu propriè *Nephritis* dicto, quæ easdem agnoscit *causas internas*, quas aliæ inflammationes, subinde acidum vitiosum ex primis viis eò delapsum. Quoad *externas*, in specie occasionaliter subinde excitatur ex nimiò corporis succussu, dum corpus succussum dat renum inflammationem. Interdum etiam supervenit *calculo renum*, si nimis magnus: In *Nephritide* g. in renum regione circa lumbos *calor & dolor* & quidem *gravativus*, si media quasi carnosa renum substantia magis inflammata sit, aut *pulsatorius*, si in circumferentia, ubi arteriæ terminantur, magis eadem hæreat. Dolor talis secundum ductum ureterum ad vesicam, it. sursum, versus costas nothas extenditur, & ægri nec erigere se, nec commode incedere possunt. *Stupor cruris* è regione renis inflammati percipitur. *Febris* adest vehemens, nonunquam *vomitus biliosus* supervenit. *Mictio ardens*, urina exeundo fervens & fervendo adurens partes subinde *stranguria* aut mictio frequens, cum acerbo cruciatu facta observatur. *Urinæ* paucæ sunt & flammeæ, subinde aquosæ & claræ, sed quæ semper sine impedimento in vesica exeunt. Fit interdum ut rene uno inflammato, alter, licet non inflammatus, in officio cesset, & fit *Ischuria*, seu *urinæ suppressio*. Ut autem ritè *distinguatur Calculus à Nephritide* seu renum inflammatione *observetur* (1.) Quod *Nephritidi* perpetuo

perpetuo sit juncta febris synochus; *Calculo* vero minimè aut admodum raro adsit eadem. (2.) Quod *dolor in inflammatione* sit magis continuus & pulsanti similis, *in calculo* vero magis interpolatus seu periodicus & gravativus. (3.) Quod plerunque *renes inflammati* comitem habeant *urinæ stillicidium* seu mictionis difficultatem; Contra vero res se habet, ubi renes *calculo* sunt obsessi, in quo affectu non semper *ischuria* se offert, sed tunc demum, ubi calculus ipsis ureteribus firmiter fuerit impactus.

Quoad *prognosin.* Periculosum malum est *Nephritis*, interdum lethale, præsertim si febris acuta cum delirio adsit. Urina alba, tenuis ac purulenta, absque febris ac symptomatum remissione & crurum ac femorum extenuatione, mortem portendit. In renum inflammatione hæmorrhoidum fluxus salutaris.

Quoad *curam:* Remedia coincidunt fere cum reliquis inflammationibus: Pro *revulsione* fiat *V. S.* in brachio: Pro *aversione* in pede. Forsan optimo cum successu *hæmorrhoides*, per *hirudines*, possent aperiri. *Purgantia* propriè dicta nocent. *Clysmata* vero *lactea*, it. *terebinthinata*, it. ex *lacte* ejusve *sero* cum *nitr.* ☿*iatô* commode possunt injici. Nocent *diuretica*, quæ stimulando urinæ fluxum, inflammationem irritant, nec nisi in declinatione conveniunt pro reliquiarum abstersione. Conveniunt *nitrata*, præsertim *nitr.* ☿*iatum.* Item *saccharum* ♄*i*, it. *Emulsio semin. 4. frigid. maj. papaveris albi & semin.* ad pleuritidem laudatorum, cum *aq. nymph. semperviv. portulac.* it. *Syr. Nymph.* ac *portulac. succ. astac. f.* ♋. *fluv.* cum jusculo, aut *decoctô Nymphææ, prunorum* &c. exhibitus egregium est remedium, meritò ab *Hartmanno* laudatum, cujus alcali macrum inflammationes potenter resolvere & vi diuretica simul renibus speciatim convenire videtur. Inter *externa* cum his internis sedandæ & discutiendæ inflammationi conducunt *succus Nymphææ, sempervivi, plantag. portulac.* c. *succo* ♋. *fluviatil.* applicandi, quibus nunc parum *opii* addi potest. Item *camphora* in *ol. rosf.* solut. aut *ol. papav.* alibi extrinsecus inunctum egregium est. In *camphora* enim maximum est sedatorium inflammationum, dicit *Lindanus.* Item *ex succo sempervivi maj.* vel cum *oleis* vel cum *unguentis* formetur *litus*, externè egregius, vel *unguentum ex succo sempervivi &* ♋. *fluviat.* cum *oleo rosac.* ad humiditatis phlegmaticæ evaporationem ebullitis, hinc in plumbeo mortario, diuturna agitatione, in *linimenti* consistentiam redactis, egregium est. His irritis, *& si inflammatio discuti nequeat, suppuratio promovenda, internè* per temperata ex *decoctô hordei, glyzyrrh. malvæ, parietar.* Ex-

ternè

terne verò *Cataplasmata* ex *emollientibus*, in lacte coctis, applicanda. Suppuratione facta, fit interdum ut *musculi dorsi circa spinam* simul afficiantur, atq; ad suppurationem & abscessum vergant, in quo casu *externe apertio* institui potest, de quo vide *Horstium in obs. l. 4. p. 260.* Sin verò *internè* vergat *abscessus*, adeoq; rumpatur, ac per urinam prodeat, ea exhibenda, quæ pus abstergere & ulcus consolidare possunt. Nempe non rarum est

VLCUS RENUM

cujus frequentissima *causa* est abscessus & *inflammatio* renum, utut etiam *calculi* asperiores, renes atterentes, successivè eos ad ulcerationem disponant. Sicut etiam quodvis *acre*, vehiculô seri per renes transcolatum, eosdem erodere & hinc exulcerare potest. Quò pertinet etiam *sanies acris*, ex aliis locis ad renes fluens. Eosdem *lues ♀ea* quoque subinde exulcerat renes, teste *Horst. l. 4. obs. 43.* sicuti & *Gonorrhæam ♀* eam inconsultò suppressam, renum insignis ardor & hinc non rarò exulceratio insequi solet. *Exulceratio renum* præter dolorem in lumbis rodentem, plus minus simul gravantem, urinæ purulenta excretio ostendit. Hinc *sect. 4. Aph. 45. Hipp.* si quis sanguinem aut pus mejat, renum aut vesicæ exulceratio significatur, sic §. 76: Quibus cum urina crassa exiguæ carunculæ & veluti pili exeunt, ij à renibus excernuntur.

Causas antecedentes antecedentia ferè ostendunt. In specie *si ulcus est ex inflammatione*, multum puris apparet in lotio & cum mingitur, apparet album, sed cum steterit, doponitur pus, quod si bene est coctum & urina sanorum similis, suppurare solet. *Si* vero erosio est *à calculo*, mingitur urina alba instar lactis ebutyrati, statim subsidet & plane alius est consistentiæ, instar cinerum, quos etiam colore refert & minore gravitate excernitur. Præterea dolor morsicans & rodens in lumbis sentitur, à sero acri & nitroso, quod in transitu irritat & rodit, unà cum caloris sensu.

Quoad *prognosin*: Ulcera Renum sunt difficulter sanabilia & satis periculosa, sæpius lethalia. *Quæ est ab inflammatione* suppurata, minus est periculosa, facilior curatu: *Quæ vero est à calculo* in renibus, periculosior est & non rarò in totius renis consumptionem degenerat. *Sic quæ ab erosione sunt* ulcera, etiam sunt periculosiora iis, quæ ab inflammatione. Quò magis inveterata quoque fuerunt, eò difficilius curabilia existunt. Alioquin ulcus renum lumbos perforasse, ibiq; in *fistulam* degenerasse, curioso exemplo notavit *Willis de Vrinis pag. 364.*

Quoad *curam*, mundificantia & solidantia utramq; faciunt paginam, ubi

ubi prius universo corpori ejusq; contentis prospectum fuerit, partim *evacuando*, partim *temperando* hæc ipsa, ne occasione horum magis exasperetur ulcus; in quem finem *vomitus* à pluribus laudatur, *vid. Riverium in Praxi p.146. Augenius l.12. Epist.p.693. Valeriol.l.6. obs.1. pag.483.* Hinc ☿ *ius dulcis*, pro mundificando renum ulcere, admodum laudatur ab *Hartmanno. Pilulas* in ulceribus & vulneribus renum proficuas, *vid. in Barbette Chirurg. part 2. c.7. l.3. p.336.* Hinc *serum lactis* vel *hydromel* copiosè potum, item *decoctum herbæ & radic. fragar.* sed inprimis *hypericon* proficuum est ad ulcera renum. *Timæus in casib. p. 422. Decoctum rad. petrosel. chærefol.* Præmissis mundificantibus, pro consolidatione *decoctum lignorum cum agrimonia, hyperic. chærefol.* sunt optima. Quò etiam pertinet *Electuarium Hartmann. ex conserva rosar. cum semin. hyperic.* Vel

℞. Herb. agrimon.
flor. hyperic. an. Mj.
rad. symphit. ℥ß.
ligni mastich. ℥iß.
sem. hyperic. ℥iij. incisa & contusa. D. pro infuso. decoct. &c.

Pertinet huc *decoctum ad ulcera renum Quercet. Terebinthina cyprina* optimum est auxilium, detergit renes & per inferiora derivat. Dos. à ʒij ad ℥ß. In specie convenit, *si ex abscessu* exulceratio fuerit orta. Item *Pulv.* ♋ *fluv.* ℞. ♋ fluv. plenilunio ponantur in vase terreo non vitreato ad os furni, ut exiccentur paulatim, ne cremantur, contunde in mortario lapideo, renum & vesicæ ulcera egregiè curant. Nullum efficacius autem remedium ad renes exulceratos dari, quam *Troch. de Alkekengi* vid. *in Augen. l.12. epist. p.695. Syrupus magistralis* in ulcere renum expertus, vid. *in Hildan. C.6. obs.44.* Denique *acidularum* usus non penitus contemnendus in ulcere renum, de quibus vid. *Hildan. cit. loc.* Item *Heer obs.1.* nempe mundificando optimè conveniunt, tum consolidando *decocta vulneraria*, item *Electuaria ex absorbentibus* cum *bol. armen. terra sigill. C.C.ust.* & similibus, imprimis conducunt.

INFLAMMATIO VESICÆ.

Inflammatur ulterius *vesica* urinaria, raro quidem ex *causa interna*, utplurimum ex *externa*, v.g. ex *contusione*, aut violento *ictu* in regione pubis. Denique supervenit imprimis *sectionem calculi*, quando qua-

quacunque ex causa corpus vesicæ laceratur, aut alio modo læditur, ad summum sæpe die quarto interdum citius ejus inflammatio, dein gangræna, & intra biduum mors, aut si malum est minus, fistulam perpetuam saltim relinquit. *Cantharides* denique acrimoniâ suâ rodendo vesicam ad inflammationem disponunt, quod observatum ex *vesicatorio*, ex *cantharidibus*, extra apposito. *Vid. M. A. N. C. Ann. 2. p.* 186. Comitatur ordinario inflammatam vesicam *tensio*, *durities*, ardor & *dolor* in regione vesicæ & pubis, urinam reddendi impotentia, *tenesmus*, interdum alvi suppressio, *febris*, vigilia, *delirium*, quæ omnia majora vel minora, prout inflammatio vel major vel minor item vel partem membranosam, vel simul circa collum carnosam affecerit. Unde rarum est, quod observat *Hildan. Cent.* 3. *obs.* 68: Abscessum vesicæ ex casu ab alto, sine febri & sine dolore. *Periculosa* est admodum inflammatio vesicæ ac plerumque lethalis, idque quarta, ad summum septima die. Si circa collum inflammatur, interdum suppuratur & supervenit ulcus vesicæ, curatu difficillimum. Factâ suppuratione ulcus nunc rumpitur intra vesicam, sicque pus cum urina effluit, nunc rumpitur & externè, in cavum abdominis, atque tunc subinde abscessus in inguinibus supervenit.

Quoad *curam*, inprimis observetur, ut, quantum possibile urinæ aut alvi suppressio, quæ sæpius malum exasperant, removeantur. Hinc *clyster anodynus* ex *lacte*, aut simul cum nitro, imprimis convenit. *Internè* à *purgantibus* & *diureticis* omnino abstinendum, saltim *decoctum hordei c. nitro depurato* est optimum. Item *Emulsiones ex sem. 4. frig. maj. sem. portulac. papav. albi*, itidem conveniunt. *Externè* convenit *insessus* in ▽m decoctionis *rad. & fol. malvæ, alth. chamom.* & similibus; aut loco insessuum saltim fovenda cum linteis multiplicatis, sed blandè apposita. Hinc inungatur cum *oleo ros. aut nymph.* pecten, in quo *camphora* soluta. *Quod si metus sit gangrænæ*, cataplasma *ex farina fabarum & lupinorum in vino decoctis* applicatum convenit, addendo simul *aloen, myrrham*, aut *spiritum vini camphoratum*. Hisce modis, si possibile, detur opera, ut *discutiatur* inflammatio. Sin minus, *suppuratio* & hinc abscessus & ulcus expectanda. *Illam* promovemus emollientibus & temperantibus, sæpius hactenus recensitis. Quoad *ulcus*, eò præter inflammationem suppuratam, etiam calculi asperi vesicam lædentes, item *cantharides* interius propinati, interdum vel externè admoti, item acria acida sub vehiculo urinæ ad vesicam delata, ejus nunc scabiem, nunc excoriationem & exulcerationem disponunt *Vid. M. A. N. C. Ann.* 8. *p.* 148. Comitatur ulceratam vesicam saniei purulentæ excretio, ita quidem, ut si vesica incipit exulcerari, primò sanguis exit, si sit perfecta, pus, si magis adhuc squamæ, & ramenta. *Si gravis & consummata est exulceratio*, gravis fœtor in urina est. Dolor adest gra-

gravis in pectore & pede, quoties ægri mingunt, urinæ difficultas accedit, sæpe & tenesmus, & membri virilis erectio.

Ne autem confundatur exulceratio vesicæ, cum meatus urinarii exulceratione, observandum: Si pus & sanies præcedant urinam, aut statim in primo exitu appareant, aut etiam sine urina effluant, in pene vitium est. *Si verò talia cum urina permista fiunt*, in vesicâ malum est. Propterea si in pene vitium est, inter mejendum dolor percipitur, id quod in vesicæ ulceribus non accidit, nisi juxta ejus collum ulcus consistat. *Sunt autem omnia vesicæ ulcera difficilimè curabilia*, ut plurimùm incurabilia; periculosiora quæ ex erosione, gravissima, quæ à magno calculo, quæ sine extracto calculo curari nequeunt.

In *CURA* præmissis *internis universalibus* conveniunt 1. acrimoniam humorum *temperantia*, propter urinam inprimis, exulcerationem subinde exasperantem. 2. ulcus sine morsu *abstergentia* seu mundificantia, ob fermentum ulceris acidum & hinc pus. 3. *Consolidantia*, ob resolutionem partis exesæ. 4. *Anodyna*, propter dolorem inprimis urgentem. Talia tam *internè* quam *externè* adhiberi solent; & quidem acre temperant *lac, althæa, liquiritia, passulæ, violæ, violaria, sem. 4. frig. maj.* hinc *decoct. chamæpyth. in lacte* mirè laudatur à quibusdam crebrius usurpatum; sic experta est *potio Thoneri in obs. p. 176.* quæ ut ipse ait *Thonerus*, quasi miraculosum effectum præstitit & exulcerationem cum urina cruenta sustulit. ℞. *Herb. agrimon. plantag. equiseti an.* Mß. *liquirit. mundæ* ℥ij, decoq. *in aqua plantag. & betonic.* ana q. s. ad consumpt. tertiæ part: In colat ℔ß. dissolv. *mel. rosar.* ℥iß. M. Ipse æger singulis horis per syringam portionem in vesicam injecit. Mundificant *terebinthina*, *decocta vulneraria*, cum *melle*, *balf. sulphuris terebinth. & succin.* ☿ *ius dulc. troch. de alkekengi, de Carab. Trochisci Gordonij*, specifice laudantur. Consolidant *decoct. lignorum* cum vulnerariis, uti *agrimonia, hypericum, plantago*, quibus addantur *Corallia, terra sigill. bol. armen. succin. tinctura sulphuris vitriol. tinctura antiphthisica &c.* Dolorem leniunt *opiata, papaverina, lacticinia*, in specie, si à cantharidibus fuerit malum &c. Ex quibus variæ fieri possunt formulæ;

℞. Rad. liquirit. ℥j
alth. ℥ß.
saxifrag. ℥iij.
herb. agrimon.
plantag.
portulac.
heder. terr. an. Mj.
flor. malv. arbor.
nymph. ana Mß.
viol. pug. ij.

sem. alth.
papav. alb.
portulac. ana ʒiij.
fruct. Alkekengi No. vj.
Cicer. rubr. ℥ij.
hordei mund. non excorticati Mß.
Coq. in aq. simpl. Colatur. ℞. ℔ iij. adde
syr. ex multiplici infus. violar.
ex succo agrimon.
capill. ♀is
mel. rosat an. ℥j. M.

de quo bis vel ter quotidie, bonum haustum æger capiat. *Terebinthinata* imprimis conducunt, in specie *Platero* usitata

℞. Terebinth. ʒvj.
mellis ℥j.
vini malvat. ℥iiij.
vitell. ovi numero j.
diluta servanda ad usum Dos. ʒvj.

Vel: ℞. Terebinth. ℥ß.
vitell. ovi numero j.
mellis ℥ij.
agitentur in mortario, donec albescant, adde
vini albi
∇ parietar. flor. fabar. an. ℥iß.
syr. limon. ℥j. M.

Nec *acidulæ* ad ulcera vesicæ mundificanda rejiciendæ sunt, *Vid. Tulp. l. 2. obs.* 53. ubi refertur ulcus vesicæ desperatum, per *fontis Spadani* usum curatum.

Sic pro tertia indicatione

℞. Rasur. ligni sanct. ℥iij.
rad. sarsaparill.
liquirit.
cortic. rad. Eryng. an. ℥j.
flor. rosar.
viol. ana p. iij
herb. agrim.
veron.
hed. terr. ana ß.
passul. maj. ℥iß.
coq. ad ℔ ij. Capiatur crebrius.

Nobi-

Nobilis est observatio *Thoneri pag.* 176. ubi refert exulcerationem ingentem vesicæ cum urina retenta, & intensissimis doloribus, post calculi per sectionem extractionem, aliis omnibus frustra adhibitis, his curatam: Pro potu, ℞. Decoctum liquirit. ras. ℥j. &c. *vid. p. præced.* Deinde inter *externa* injicienda varia, vel per catheterem, vel per syringam &c. ℞. *Lac recens, serum lactis, mulsam. succ. equiset. vel plantag.* ▽. *ferrat.* in qua *rad. symphit.* modicè bullierint, ▽*calc. viv. cum Sief albo Rhasis* secundum *Barbette in Chirurg.* vel injectiones *Platero* absterfivæ usitatæ

℞. Radic. liquirit. ℥ij.
cicer. rubr. p. j.
cortic. fabar. ℥j.
fol. plantag. M. j.

F. decoctum in ▽, adde parum lixivii, & in decocti hujus ℔ j. dissolve Terebinth. in melle dissolut. ℥ij. M. In graviori malo potest addi *Ungu. Ægypt.* Tandem fieri potest.

Injectio consolidativa

℞. Herb. equiset.
plantag.
sem. hyperici ana Man. j.
Rad. bistort.
consol.
lil. alb. ana ℥j.
Cort. gran. ℥iij.
Coq. in ℔j. ▽. ferrat. & in ea dissolve
Troch. alb. Rhas.
s. opii ℥ß.
boli armeni ℥j. M.

Sic *ad ulcus in collo vesicæ* & inde sanguinis per penem egressum, præter *interna* convenit injectio

℞. Vitriol. Rom. ℥ij. ▽. comm. ℔ j.

F. Decoctio. *Forest. l. 26. obs. 1. schol. in fine.*

Nec *Thermarum* usus ad exulcerationes vesicæ & renum negligendus, *vid. Consf. Scholz. pag.* 383. Sed de vesicæ exulceratione curanda vid. in specie *Horst. observ.* 478. & hinc *Plater. in observat.*

INFLAMMATIO CEREBRI.

Inflammantur quoque *partes superioris ventris*, *membrana* nempe *cerebri* & forsan, utut rarius, ipsum *cerebrum*. Nam cerebrũ ipsum si inflammari contingat,

brevi ad corruptionem & hinc mortificationem tendit, adeoque multi dubitant, *an inflammatio cerebri* vel *contingat*, vel si contingat, an sub curam Medici cadat? De *membranis cerebri* extra dubium est, cum copiosis arteriis sint respersæ, simulque perquam sensiles sint, in quibus si contingat sanguinis motum impediri, sequitur *inflammatio*, quæ *membranarũ cerebri* vel *solitaria*, vel *cum parte quadam cerebri* sociata *inflammatio*, modernis vocatur PHRENITIS, sed perperam & perverso vocabulorum usu. *Phrenes enim Hippocrati & Græcis Autoribus* notant *diaphragma*, unde *phrenitis* proprio sensu erit *diaphragmatis inflammatio*, quam ordinariò sequitur delirium. *Phrenes* dicitur *diaphragma*, vel quia Antiquis mentis sedes fuit reputatum, vel quod in diaphragmate affecto & inflammato, mens perturbetur. Istam Veterum opinionem renovavit *Barthol. in Examine Paradoxorum Medic.* qui statuit in centro diaphragmatis nerveo sedem esse fundamentalem animæ. *Phrenitis* ergo genuino sensu erit *diaphragmatis inflammatio*, cujus in scriptis *Hippocratis* frequens fit mentio. Nam omnia vocabula Græcorum medica in *tis* terminantia semper significant inflammationem ejus partis, cujus acceperunt denominationem, ut apparet in verbis *Nephritis*, *Epatitis*, *Pleuritis*, & per consequens *Phrenitis*. Antiqui vero inflammationem membranarum cerebri, aut ipsius cerebri, vocarunt *sphacelismum* seu *sphacelum*, quod patet ex *Aph. 50. sect. 7. Hippoc.* Quibus cerebrum sideratum est, intra tres dies intereunt; si vero hos superaverint, sani fiunt. Ubi per *siderationem* seu *sphacelum* intelligit inflammationem ejus. Tanta confusio vocabulorum ab *Hippocr.* tempore orta fuit. Malè igitur hodiè mortificatio partis totalis, *sphacelus* dicitur, dum Antiqui talem mortificationem vocàrunt *necrosin*, quæ, dum est in fieri, vocabatur *gangræna*, quod vocabulum adhuc in tali sensu in usu habemus. *Sphacelus* enim proprio & genuino veterum sensu est *inflammatio cerebri*, ejusque membranarum, quod hodierno abusu *necrosin* Veterum denotat. *Phrenitis* verò propriè est *inflammatio diaphragmatis*. Sed cum verba valeant ut nummi, recepto usu *phrenitis*, Modernorum vocabulo, Veterum *sphacelum*, i.e. *inflammationem cerebri*, ejusque membranarum intelligamus.

Inflammationem hanc *calor, rubor, dolor & pulsus* immediate insequuntur. *Dolor* ex parte affectâ vehementissimus est, quoniam inflammatæ meninges immensè dolent, cum certum sit nullam capitis partem esse sensiliorem dura matre, hinc exquisitissimi dolores necesse est adsint, cum ob stagnantem sanguinem sequatur membranæ *distensio*, quam necessario sequitur *dolor* acerbissimus *lacerativus*. Hinc videmus veros *Phreniticos* (ut plurimum hodiè confunditur *phrenitis* cum *delirio in febre ardente*) *avellere capillos* præ nimio dolore & immenso quasi furore *caput* inaniter *concutere*. Propter acerbissimum hunc dolorem malum est adeo acutum, ut tertia die sit lethale, cum propter sensibilissimum dolorem spiritus dissipentur, facileque partis inflammatæ sequatur *gangræna* & inde

necro-

necrosis. Præterea ægri hi mox *delirant*, adeò, ut neque calorem, neque dolorem sufficienter exprimere possint, propter intensam incalescentiam spirituum animalium, eorumque inordinatum & impetuosum motum: Unde talibus insigniter delirantibus superveniunt tandem gravissima symptomata, in specie *convulsiones*, idque præcipuè, quando malum in *gangrænam* desinit. Præterea *pulsatio in capite* est vehementissima, de qua in primo principio conqueruntur ægri. Quanta sit talis pulsatio & inde *dolor capitis pulsatorius*, potest colligi, si attentè adspiciamus collum, apparebit, quod vehementissimè pulset *carotis*. Ex quo colligi potest, quantum impetum & qualem pulsationem sanguis in loco inflammationis sub cranio inferat. Moderno igitur abusu, *phrenitis erit delirium maximum, ex cerebri & speciatim ejus membranarum inflammatione ortum, c. febre ardente & peracuta junctum*: Et hoc est, ut dixi, Veterum *sphacelus*. Utut majori abusu ferè quodcunque *delirium grave febri ardenti* aut malignæ superveniens, similiter phrenitis appellari soleat. Apparet ex his Veterum *phrenitidem* rarum esse affectum & quem intra biduum aut triduum insequitur mors.

Causæ internæ sunt raræ, nisi forsan præcedens sanguinis excretio quædam suppressa, aut aliàs inflammationis metastasis, *veræ phrenitidi* occasionem suggerat. Qua ratione in puerpera, propter suppressa lochia, phrenitidem observavit *Horst. l. 2. obs. 25.* item ex retentione hæmorrhoidum *cit. loc. obs. 26.* Sic peripneumonias aut pleuritides, per μετάστασιν subinde in *phrenitidem veram*, ut plurimum lethalem mutari, supra insinuatum & exempla subministrat *Schenkius l. 1. obs.* Inflammationem cerebri per abscessum solutam, *veram phrenitidem* repræsentantem *vid. in Lossii Obs. p. 18.*

Quoad *prognosin*. *Vera phrenitis* seu inflammatio cerebri ejusque membranarum, est affectus utplurimũ lethalis, qui tertio die hominem jugulare potest, ad summum die 7. Nam & *Prosper Alpinus l. 1. de Med. Ægypt. c. 13.* refert, se vidisse in Ægypto phreniticos 3. vel 4. diebus mortuos. *In inflammationibus cerebri* dejectiones alvi albicantes & urinæ cruentæ, albæ & pallidæ pessimæ sunt, ut plurimũ enim ægri intereunt, quod cõfirmat Hippoc. sect. 4. Aph. 72. *Inflammationibus cerebri*, quibus ut loquitur *Hipp.* tremulæ aut obscuræ sunt desipientiæ, sunt periculosiores, quam quibus sunt desipientiæ tumultuosæ, i. e. interdum phrenetici apparent quasi dormiant, utut nil minus faciant, quin variis hinc inde insomniis conturbentur, adeò ut quæsiti inepte respondeant: Tales phrenetici, cum talibus variis in somniis & obscura dissipientia, periculosiores sunt iis, qui fiunt cum vociferationibus, artuum contorsionibus & similibus.

Quoad *curam*, hanc relegatam volo usque *ad caput de deliriis*, ubi pluribus tractabitur.

OCU-

OCULORUM INFLAMMATIO.

Inflammantur etiam *oculi*, in malo, quod vocatur *Ophthalmia*, vitium conjunctum cum *Lippitudine*, quæ est, cum in ophthalmia copiosissima lympha lachrymalis, tam ex glandulis angularibus, quam etiã glandulis palpeprarum erumpit, ratione cujus notabilis in ophthalmia symptomatis *Celsus Ophthalmiam Græcorum*, latinè *Lippitudinem* appellavit.

Ophthalmiæ sive *lippitudinis duæ* sunt *species*, *sanguinea* & *serosa* seu *lymphatica*. *Illa* est inflammatio tunicæ annatæ, cum rubore, ardore, dolore, tumore & lacrymis profluentibus: *Hæc* verò, quæ propriè *Epiphora* dicitur, est continua lachrymarum destillatio & copiosa ex oculo, comitata plus minus cum ejus dolore, morsu, ardore, rubore, &c.

Ophthalmia est vel *vera*, vel *notha*. *Vera* est propriè dicta *inflammatio* modo descripta, quæ in *tres gradus dividitur*: Si enim phlegmones saltim initium adsit, cum scilicet oculus humidior reddi cum rubore, calore & nonnihil dolore incipiat, idque ferè *à causa externa*, vocatur ταραξις; quod si inflammatio supradicta insignior, præcipuè ex *causis internis* oriatur, est *ophthalmia* κατ' ἐξοχὴν sic dicta. Si verò facta sit inflammatio, ut & palpebræ afficiantur & quasi invertantur, nec claudi possint, albumque supra nigrum oculi intumescat, ita ut nigro quasi subsidente, hiatus veluti in oculo appareat, χήμωσις dicitur.

Porrò *ratione modi afficiendi* ophthalmia interdum est *epidemica* & interdum *contagiosa*, item *periodica*. Epidemicè grassantem ophthalmiam refert *Amat. Lusitan Cent.* 7. *cur.* 80. Contagiosam refert *Forestus lib.* 11. *obs.* 4. Datur & *contagiosa*, ut si quis ophthalmicos contueretur, simul quoque eodem malo corriperetur. Conf. *Sennert. l.* 1. *prax. ubi de Ophthalm.* Periodicam denique & modò in hac, modo in alio loco recidivantem à variolis natam *vid. Lips. p.* 70.

Lachrymarum in ophthalmia destillantium quoque *notanda varietas*. Nam lachrymæ interdum effluunt acres, tenues, vel quasi *corrosivæ* in inflammatione periculosiore, utpote quæ tunc magis dolet, ardet & instar Erysipelatis cujusdam infestat; hinc tales lachrymæ ex lympha similiter acri oriuntur & quibusdam *ophthalmia biliosa* dicitur. Interdum lachrymæ *non corrosivæ*, sed potius subdulces, aut quibus palpebræ glutinantur & inviscantur, dum lympha lachrymalis est magis crassa & viscida, concurrente simul aliquali nutrimenti proximi partis læsæ corruptelâ, quæ tamen melior est quam tenuis & ʋina. Ex qua lachrymarum differentia 4. *ophthalmiæ tempora distinguenda*, nempe

pe *principium* eſt, quando humor tenuis ac plurimus defluit: *Augmentum* quando dolor augetur, humorque fit craſſior: *Status* cum magis coctus videtur humor, h. e. temperatus, adeoque craſſus, ut etiam palpebras conglutinet; *Declinatio* cum ſigna remittunt.

Denique ſanguis inflammationem excitans nunc per *vaſa* oculi *exteriora* movetur, nunc per *interiora*. *Si per exteriora*, tumor, dolor, pulſus in fronte ac temporibus percipiuntur. *Si verò* à vaſis & membranis *interioribus*, dolor profundior & vehementior erit, plurimusq; in palato ac naribus ſentitur ac ſternutatio frequens erit.

Pars affecta in *ophthalmia* eſt membrana externa annata, cui intertexta ſunt copioſiſſima vaſcula venoſa & arterioſa, unde ex impedito ſanguinis circulo, vaſcula hæc in ſanguine diſtenta, magis fiunt conſpicua, adeò ut totus oculi bulbus rubeat. *Membrana hæc annata* intimè connectitur cum ſclerotide tunica, à dura matre orta & hac mediante etiam cum vera ac pia matre conjuncta eſt, unde mutua dictarum partium conſpiratio & plura pathemata per *conſenſum* oriri ſolent. Nempe *ratione pericranii* fit, quod in gravi ophthalmia ſimul *capitis dolor*, ſi non *pulſatorius*, tamen *contractivus* percipiatur; item ratione conjunctionis cum internis membranis oculorum & hinc membranis cerebri patet, quare *contuſionibus cranii & læſionibus membranarum* cerebri ſuperveniant interdum *ophthalmiæ*. Sic *in Noſodochio Patavino* aliquoties obſervavi, quod poſt capitis contuſiones ſeptimo vel nono die ſupervenientes *ophthalmiæ* aut ſaltem *fluxus lachrymales* oculorum, cum eorundem rubedine, ſigna imminentis fuerint mortis, quod innuant jam factam *inflammationem cerebri* ejusque membranarum & hinc imminentem *gangrænam* & necroſin.

Cauſa ophthalmiæ *in genere* eſt ſpina oculo alicui in externa ejus ſuperficie infixa, cujus occaſione doloroſa fibrarum ſtrictura ſanguinis remora in motu, lymphæ è contra uberior per glandulas infuſio; Vel eſt quodcunque hoſtile aut inimicum, acidum aut acre, præſertim ſi oculum affecerit, plus minus irritaverit, ſicque ad inflammationem occaſionem dederit, eſtque vel *externum* vel *internum*. *Cauſæ* verò *externæ* ſunt *contuſio, læſio pulv. acres* in oculum illapſi, ut & fumi metallici ſe inſinuantes. *Internæ* ſunt acre quodvis ex corpore excernendum, ſi quacunque occaſione ad oculum defluxerit & delatum fuerit, ſic v. g. in ſpecie *variolæ* acidum oculis inimicum obtinent, unde ſæpe *ophthalmiæ* pertinaciſſimæ aut ſæpius recurrentes relinquuntur, ut ſupra ex *Lipſio Tr. de Variolis* monitum. Infantes pariter ex *tinea* non ritè curata, aut *aurium* purulentis *fluxionibus* ceſſantibus ſubinde in *ophthalmias* pertinaces

& contumaces incidunt. Sic *suppressos menses* subinde inflammationes oculorum insequuntur, *vid. Gabelchov. Cent. 4. Cur. 33.*

Quoad *Ophthalmiam notham* seu ut aliàs vocatur, *siccam*, hæc est ista, in quâ lachrymæ ferè nullæ exstillant, utut plus minus noctu palpebræ coagulari soleant; nihilominus tamen oculi rubent, plus minus tument, atque plus minus pruriunt, unde *tres* ejus sunt *gradus*. 1. Quæ est *cum pruritu* & exiguam fluxionem salsam & acrem conjunctam habet, & dicitur ψωροφθαλμία. 2. *Quæ cum pruritu & dolore* levi & aliquali gravitate sine fluxione est, adeoque saltim rubri & tumidi sunt oculi & dicitur ξηροφθαλμία. 3. Denique *sine pruritu*, fluxione & cum duritie ac asperitate palpebrarum est, & dicitur σκληροφθαλμία seu dura lippitudo. Oriuntur ex subtili, salsa vel acri lympha, oculos naturaliter humectante, alterante, & ita oculos malè afficiente.

Quoad *prognosin*, Ophthalmia secundum supra monitos gradus magis vel minus periculosa ac curabilis est. *Ophthalmia vera* pro subjectorum ratione, in iisque humorum, præsertim lymphæ ac sanguinis constitutione, facilius vel difficilius curatur. *Ophthalmia per consensum* à dura & piâ matre, & à partibus circa cranium contentis, sæviora habet symptomata & difficilius curatur. *Dolor* diu in ophthalmia perseverans pessimum signum est: Materiam enim aut corrodentem, aut distendentem, aut suppurantem arguit. *Ophthalmiam diuturnam*, aut sæpius *recurrentem*, facilè visus hebetudo insequi potest, partim ob membranas incrassatas, partim ob humores impuriores redditos. *Quando res eò devenit*, ut inflammatio non possit derivari, vel digeri, vel suppurari, ferè perit oculos: Si autem eò venerit malum, præstat dimittere oculum, quàm certo perire & mori, quod est incidere in gangrænam cerebri. Ophthalmia laborantem superveniens *alvi profluvium* liberat. *Hipp. sect. 6. aph. 17. Notha Ophthalmia* non adeo periculosa est, quàm vera, diuturna tamen est, & admodum chronica.

Quoad *curam* 1. *causæ* quælibet *remotæ* oculum hostiliter afficientes *removendæ*, adeoq; nunc *externæ* læsiones curandæ, nunc *internæ*, acre acidum, vel salsum corrigendum. 2. *Sanguis* in oculo *stagnans* partim *resolvendus*, partim in naturalem circulum restituendus. *Quod ut fiat, in inflammatione* parva & ubi non est tantum ægri periculum, ut in rubore, ac moderato dolore, *externa* saltim ex *Pharmaceuticô fonte* sufficiunt remedia. Ubi vero inflammatio est magna, aut grave imminet periculum, simul per *interna* curatur, quibus & alia ex *Chirurgico fonte* pro *revulsione*, *aversione* & *derivatione* socianda. *In graviore g. malô* conveniens est V. S. *revulsoria* quidem in pede,

aversoria

aversoria vero in brachio, *derivatoria*, si fieri poterit, in fronte. Sane ad derivationem nil melius est, quàm *venam frontis* incidere, sed hocce habet incommodi, ut subinde pro secanda vena frontis, laqueus collo injiciendus sit, quo melius tumeat, constrictis nempe jugularibus vasis, quo ipso tamen simul augebitur *inflammatio*, unde non aperienda est, nisi tundi possit sine hac adstrictione. Non tamen nisi præmissis præmittendis hæc vena frontis incidatur, siquidem post eam intempestivè sectam *ophthalmiam* gravissimam, visus & loquelæ perditionem observavit *Hildanus Cent.* 5. *obs.* 18.

Aliàs pro *aversione* usitatissima ac sanè sæpe proficua sunt *vesicatoria in nucha*, quæ, mirum est, quantum juvent in *inflammatione oculorum*, quia arteria ibid. se dividit in partem interiorem ad oculum progredientem, & exteriorem circa nucham hinc inde distributam. Unde *vesicatoria*, dum in nucha faciunt dolorem, eò auctiorem sanguinis promovent circulationem, ut minori impetu ac copia circa oculum congeratur. Post nucham etiam *pone aures* feliciter applicantur *vesicatoria*, sicut *cucurbitulis* pone aures applicatis inflammationem curatam notat *Rhodius Cent.* 1. *obs.* 79. *Ubi non suffecerint vesicatoria*, cum ulcus superficiale post aliquot dies denuo sanetur, *setaceum* applicetur in nuchâ, remedium in oculorum affectibus diuturnis summè proficuum, sed perquam molestum, de cujus egregia præstantia *vid. Gabelchov. Cent.* 4. *obs.* 38. *In schol. Hildan. Cent.* 1 *obs.* 42. & *Cent.* 4. *obs.* 14. Locus hujus setacei in nucha est remedium quasi vicarium, *auriculare* quasi *setaceum*, ex *rad. Timeleæ arborescentis* (est ista *Timelæa* in specie, quam *Tabernamont. l.* 3. nomine *Timelææ granugnidii* describit, loco cujus & *chamelæa vulgaris*, seu *Mezereon* potest substitui) de qua vid. *Riv. Cent.* 4. *obs.* 100. it. *M. A. N. C. Ann.* 4. *Append.* 39. olim in secretis habitam. Nempe radicula dissecatur in fibrillas, quæ lobo auris perforatæ immittuntur; Nempe exsiccata in orbiculos dividitur; postea maceratur in lixivio ex vitium cineribus facto, vel in ▽. in qua nitr. solutum fit, sine præparatione enim aures corrodit & inflammat, quæ acrimonia etiam acidis obtundi poterit. Perforatâ aure, filo butyro pingui trajecto, promota suppuratione, secunda vel tertia die, fibula radicis vel orbiculorum imponitur, quæ humores potenter ex capite elicit. Singulis diebus recens immittitur; prior tamen exsiccata & purgata secunda & tertia vice usum eundem præstat. *Confert* non saltim *in Ophthalmia*, sed & *in suffusione* incipiente, aliisq; malis visum hebetantibus. Hujus loco *rad. hellebori* recipit *Timæus l.* 1. *Ep.* 22. Loco *setacei* adeò molesti, in *ophthalmiis* vel contumacioribus vel ex causa interna crebrius recurrentibus, quales in specie *in infantibus* observantur, *fonticuli* optimô consilio in brachio illius lateris excitantur, quæ mirum est, quantum possint in infanti-

bus etiam 5. vel 6. annorum inusti, qui sub pubertatis annis, si ita visum fuerit, denuò consolidari poterunt. Interdum pro aversione *arteriotomia* temporalis proficua esse poterit, siquidem *Nicol. Fontanus in Resp. & curat. p.* 50. refert *ophthalmiam* per intervalla recurrentem, cum periculo visus, *incisione arteriæ temporalis* curatam & *fonticulo* in brachio omninò præservatam.

Præter hæc & *internè* ex *fonte Pharmaceutico* ophthalmiæ contumaciores, aut ex lymphæ discrasia sæpius recidivantes curandæ veniunt, adeoque præter *purgationem* cum *Jalappâ* factam, *Decoctum lignorum*, præsertim *Juniperi* & omnia *Juniperina* sunt optima. Sic *Horst. l. 2. obs. 32.* observat ophthalmiam contumacem, aliis irritis *decocto sassafras* & *lignorum* curatam. *Rulandus* quoque in *Thesauro Practico p. 61.* refert de muliere 40. annorum, oculi rubore, dolore, lachrymis & cæcitate diu affectâ, post alia plurima tentata 10. dierum spatio hisce convaluit: *Purgata* fuit prius *pilulis*, hinc *decocto ligni sancti* per 10. dies usa, post *sudorem* imposuit ▽. *ophthalmicam ex* ♁*io*, & sic convaluit.

Ac sanè *causarum ophthalmiam antecedentium* magna habenda est ratio. Nam *Ophthalmia* ex fumis metallicis, frustraneis externis, per interna mineralia curata fuit ab *Horstio l. 7. obs. 27.* Sic *Bartholinus* ophthalmiam in prægnante, quoties uterum gerit, pertinaciter recurrentem *sternutatoriis* & V. S. curavit *Cent. 6. hist. 31.* Ophthalmiam Gallicam ☿*ii* ope curatam vid. *in Zacut. Lusit. l. 1. pr. obs. 45.* Denique *cinamomum* jejuno stomacho comestum fluxiones in oculum promovet, teste *Panarolo Pentec. 2. obs. 28.*

Remedia *externa* seu *topica* sunt varia: Practici plures applicare solent *lac*, imprimis *muliebre*, nunc solitarium, nunc aliis mixtum: Sed pessimo consilio; Item propter dolorem quidam applicant *opium*, sed periculoso cum eventu, cum talia ad *cæcitatem* disponant. Utut enim demulceat dolorem *opium*, tamen ophthalmiam ad *gangrænam* simul disponit. *Lac* vero quodcunque *si recens* instilletur, unctuositate sua incrustat oculos & sordidos efficit, unde impedita transpiratione insensili, tunc maximè necessariâ, *inflammationem* potius auget. *Si* verò *lac non recens* applicetur, nocet subtili suo acore, quoniam acorem contrahit. Unde rectè *Lindanus* se sæpissimè vidisse *lac & opium* applicatum, nunquam tamen felicem usum observasse. Aliàs, quæ *externè* conveniunt, sunt imprimis *sperma ranarum*, vel per se asservatum, vel secundum *Tachen.* destillat. it. ▽. ♋. *fluv.* ex iisdem contus. & cum putrescere incipiunt, maturè destillatis elicita. It. ▽. ♋. *fluv.* cum *chelidon. maj.* à *Mynf.* descripta in *Armam. Chym. p. m. 296.* *liquor florum cichor. & flor. cyani*, qui tam ab *Hartmanno*, quam *Sennerto* præscribuntur, sunt nobilissimi, sed observandæ enchirises.

enchirises. Vitra sint crassa, & quo crassiore crusta farinaceâ obducuntur, eò melius est: Massa sinenda est aliquamdiu in aere siccari, ne disrumpatur. Rarò una vice sequitur liquor, relinquatur donec bis coquatur panis & diutius, nobile remedium. ∇*æ ophthalmicæ ex infusione vitri* ☿. aut *C. M. but.* ☿. optimæ sunt. *Alumen* quoque præstantissimum est; nempe *album ovi unius* agitatur c. *frusto aluminis* in patina stannea tamdiu, donec *unguenti* consistentiam adeptum sit, nunc solitariò, nunc pauca ∇. *fœniculi* addita. Hoc extenditur supra linteum, & tepidè oculis applicatur. Vid. *Borell. Cent.* 1. *obs.* 31. *Mucilag. sem. psyllii* aut *cydon.* cum *aqu. appropriata* extract. addito *sacch.* ♄*i* & tantillo *camphoræ* & applicatæ cum linteis multiplicatis, sunt optimæ. Nam ipsum *saccharum* ♄*i* cum ∇. *appropriata* dilutum & oculis impositum est egregium antiophthalmicum. *Saccharum* ♃*ale*, ut vocat *Lindanus*, est præstantissimum, hoc est: Teratur *saccharum candi* in cyatho vel scutella ♃*nea* nova, nec usurpata, cum novo cochleari *stanneo*, idque tamdiu, donec fiat instar plumbi lividum, & quo magis livet, eò est melius. Nam potestis nimis diu terere, & sic habetis optimum ophthalmicum, quod vel in forma pulveris seorsim potestis inflare, vel cum aliis miscere. v. g.

℞. ∇. Plantag.
rof.
fœnic. aa. ℥ß.
facch. cand. ♃lis ʒiiij l. ʒß.
Tut. præp. ℈ß.
croc. orient. gr. ij. l. iij. M. F. Collyrium, de quo ter vel quater in die gutta una vel altera in locum instilletur.

Vel ℞. ∇. Fœnic.
euphras.
rof. aa. ℥ß.
vitriol. alb. gr. iv. l. viij.

Solutionem filtra per chartam, adde ♃alis facch. ʒij. M. F. Collyrium. Sane *vitriolum*, præsertim *album*, Galitzelstein / nobilissimum est, in Ophthalmia, remedium. Hinc aliquoties feliciter imitatus fui *Collyr. Thoneri in obs. p.* 116.

℞. Aq. rof.
plantag. aa. ℥ij.
folan. ℥j.
vitrioli albi ℈j. M. Filtrationi adde
Tut. præp. ℈j. cum linteo imbutô & expressô applicatur.
Est egregium.

Ac sanè *in statu* mirabiliter conveniunt hæc *collyria vitriolacea*, quorum aliquot

egregia Exempla vide in *Barbette Prax. ubi de Catarrhis. In principio* vero morbi, dum dolor, rubor, fervor & lachrymarum acrium fluxus urget, *absorbentia appropriata* imprimis conveniunt, qualia sunt in specie *tutia præparata* & hinc *flores cyani*, quæ correctiva sunt acris plus minus acidi, oculos inflammantis, quibus adde *matrem perlarum, lap. ♋. lap. calaminar.* exactissimè *præpar.* v. g.

℞. ▽. Cyani.
euphr.
verben. aa. ℥ß.
Tut. præp. ℥j.
mat. perl. præp. ℥iß. M.

de qua mistura instilla aliquantulum oculis & simul madentes petias impone.

Facit huc *Collyrium Lipsii contra ophthalmiam ex Variolis* sæpissimè recurrentem. Casus notabilis & curiosus. *Descriptio* rudis hæc est:

℞. Tut. præp. ℥j.
vitriol. albi.
sarcocoll.
nihili albi.
aloes lotæ
camphor. aa. ℈j.
▽. fœnic.
rof.
chelidon.
pimpinell. aa. ℥iij.
album. ovi. No. 1.
ofs. sepiæ. ℥j. M. F. Collyrium.

Quod si ophthalmia sit incipiens ex rebus externis, v. g. pulveribus in oculos incidentibus, elegans, *vitulinæ vel bovinæ crudæ carnis frustum* magnitudine & crassitie imperialis, tempore decubitus admotum, remedium est. *Quod si malum sit occasione aëris inclementioris, mucilagines* supra citatæ sunt optimæ.

Sæpius urget in *Ophthalmia* intensissimus *dolor oculi*, pro quô compescendo nil melius est *cataplasmate ex pomis dulcibus* & bene odoratis sub cineribus coctis, donec probè mollescant: Pulpæ per setaceum trajectæ adde *facchar. ♃ialis ℥ij. croc. gr. v. camph. gr. ij. M.* Applicentur tepidè cum linteis multiplicatis. Experimentum est *Timæi in Casib. p.* 48. it. *Scultet. in Armam. Chirurg. obs.* 25. Quod si *ophthalmia* sit *ex ictu apis*, curatur optime *collyrio* ex *alum.* & *alb. ovi* supradict. Quoad *Ophthalmias Nothas* seu *siccas*, eadem fere conveniunt; præcipuè tamen ▽ *a* ♋. *mucilagines, alum.* cum *album. ovi* supra laudatum.

Item

Item ℞. *Litharg.* ☉*rei pulv.* q. v. coq. in ac. deſt. q. s. evadet decoctum dulce, filtretur per chartam, & applicetur cum linteo, egregium eſt.

Quoad *Epiphoram* ſeu à quibuſdam ſic dictam *inflammationem ſeroſam*, conſiſtit hæc in continuo *lachrymarum* ſtillicidio, quæ *nunc acres* ſunt, adeoque ruborem, ardorem, morſum &c. junctum habent, & vulgò dicitur *humor* ſeu *catarrhus calidus*. *Nunc mitiores* ſunt, & ſine ſymptomatum talium ſyndrome affligunt, diciturque *humor ſeu catarrhus frigidus*. Eſt affectus ſuo modo Catarrhalis, adeoque ad glandulas, ex quibus tale ſtillicidium oritur, imprimis reſpiciendum, ſive ſint in oculorum angulis, ſive palpebris, de quibus vid. *Steno in obſervat. de glandulis oculorum & narium*.

Epiphoræ *Cauſa* nunc eſt *externa*, eaque ſaltim irritans continuô oculum; quò ſuo modo pertinet obſervatio *Rhodij Cent.* 1. *obſ.* 8. frequentioris illachrymationis, ex perſicorum eſu; nunc *interna*, eaque triplex: Nempe I. *vel lymphæ vitium* quaſi habituale, acrioris ac acido ſalſioris, rodens & vellicans oculos, & tali occaſione magis magisque ſanguinis ac lymphæ affluxum promovens. II. *Vel vitium glandularum* oculorum, relaxatarum, & undecunque, præſertim ſub nutritione propria vitiatarum, aut aliâs irritatarum, copioſam lympham continuo plorantium. Quo III denique facit *carunculæ lachrymalis defectus* in affectu Græcis ῥύας dicto, qui nil aliud eſt, quam glandula illa in majori oculi cantho ſita, ſeu à cauſis externis *exeſa* fuerit, *ſive* ſub cura externa *abſciſſa* aut reſoluta fuerit, unde ſordium, puris &c. proventus, quæ oculus & vicinæ glandulæ irritatæ continuo plorant, de qua oculi glandula majore, vulgò caruncula lachrymali, dicta vid. *Warthoni Adenograph. c.* 26, *p.* 160.

Quoad *Prognoſin in infantibus*, ut frequens eſt hic affectus, ita diæta & ætatis curſu vel ſponte curatur. *Inveteratus* autem aut *natu majoribus* accidens, contumacior, facilè fiſtulam lachrymalem poteſt inferre. *Epiphora* uti eſt peſſima, quæ à caruncula deficiente oritur, ita facilior eſt curatu, quæ eſt ab illius eroſione quam exciſione.

In *Cura* 1. *Cauſa externa removenda.* 2. *Lympha* interdum vitium, ejus ſcil. *acrimonia* eſt corrigenda *internis* & *externis*. 3. *Glandularum tonus adſtringentibus eſt firmandus*. Convenit igitur ▽ *Timæi in Epiphora* experta.

℞. Tormentill. groſsô mod. pulveriſat. ℥j.
O. gr. v.
▽. roſac.
plantag. ana ℥j. Stent in loco calido per diem & noctem filtren

filtrentur & serventur usui. *It. liquor. flor. cichor. & cyani* sunt egregii. It. valdè prodest *decoctum cort. granat. Hartman. in Prax. Chym. c. 36.* It. ℞. *foliorum cydon.* primò vere collectorum integrorũ, illæsorum & à corruptione præservatorum Mj. coq. in ▽ purissima, & eâ oculi humectentur ac irrorentur. Humorem arcent, ruborem discutiunt &c. Vel *album. ovi conquassat.* cum *succo semperviv.* & *flor. fabar.* impositum confert. Alia ut *lap. hæmatit. calamin.* ▽. *sigill. Salom.* ▽. *rof.* infusio *sumach.* ex Practicis sponte innotescunt.

AURIUM INFLAMMATIO.

Inflammantur etiam *aures*, nempe auris interna, ejusque membrana meatum auditorium succingens eidem subjectæ esse solent. Præter *externa* occasionaliter hæc inferentia subinde etiam sponte sua ex *causa interna* eadem concitatur. *Adest* insignis *ardor* in aure, *dolor* continuus *pulsatilis* vehementissimus; observatur interdum *rubor* quidam auris externæ, quô magis nempe ad exteriora vergit *inflammatio*, quæ si gravior est, ad malas & tempora se extendit, sicuti, ubi magis interiora inflammantur, *pulsatorius dolor* gravior esse solet, in quo casu & *febris* & subinde delirium, imò & interdum *motus convulsivi* superveniunt. *Inflammatio* autem hæc aut *discutitur*, aut in *abscessum* abit, qui ulcus aurium post se relinquit. *Dum suppuratur*, res non caret periculo propter febrem & conjunctum dolorem, quo interdum cerebrum ejusq; membranæ periculosissimè afficiuntur, sicque delirium inducitur. Sic *Ferdinand. hist.* 14 *l.* 1. refert *inflammationem aurium* & dolorem intensum cum febre acuta, delirio &c. per excretionem copiosam puris die morbi nono, inflammationis septimô, criticè curatam. Curiosum est, quod *Bartholinus Cent.* 3. *ep.* 67. refert in abscessu aurium erumpens pus & vehens simul dentem, sine defectu dentis ullius in maxillis. Si *interiora* magis *occupaverit* pus ab aurium abscessibus natum, tympanum interdum putredine absumitur, citra tamen auditus læsionem. Vid. *Horst. l.* 9. *obs.* 8. qui itidem refert abscessum auris hemicraniam inferentem.

In *Cura, universalia* aliaq; probè præmittenda sunt, & *externa* quoque nonnisi cautè & consideratis probe omnibus circumstantiis applicanda. Nam talia plus interdum nocent, quam prosunt. Vid. *M. A. N. C. Ann.* 6. *pag.* 117. id quod in specie de actu frigidis aut repellentibus intelligendum venit. Convenit autem imprimis *ol. vitel. ovor.* anodynum & apertionem abscessus adjuvans. it. *ol. decoctionis lumbricor. terrestr. vel asellorum* tepide auribus instillatum, aut cum bombace iisdem intincta immissum. Quò etiam facit *ol. scorpion.*

pion.vel ♋ *fluviat.* incoquantur *oleo*, quod ſubinde efficaciſſimum fit ad dolores & ardores aurium curandos. *Decoctum abſinth. Cent. min. Abrotan.* & alia *aromatica* auribus immiſſa, vel ſpir. vini vel ſpir. θ✱ci cum mica panis calida auribus applicetur. Vid. *Sylv. de morb. infant. c. 9.* §. 87. it. *balſ. ſulph.* ad extra. cum *oleo chamæmelin.* miſtus conducit.

Quod ſi ſuppuratio promovenda ſit, cataplaſma ex medulla panis albi in lacte cocta, ut deſcribitur à *Riverio*, applicanda venit: ℞. *medul. panis albi* ℔j. coquatur in *lacte caprino* ad pultis conſiſtentiam, deinde adde *vitellos ovor no. ij. ol. roſac.* ℥ij. *croci.* ℈j. F. cataplaſma. Quibus pro *rumpendo abſceſſu cepa* aut *capita alliorum* ſub cineribus cocta ſimul adjungenda ſunt. Conf. *Riverium. it. Amat. Luſit. Cent. 7. cur. 92. it. Höferum in Hercul. Medic. p. 62.*

Poſt inflammationem aurium, ſequitur ſubinde *abſceſſus*, adeoque

VLCVS AVRIVM.

Vlcera aurium aliàs ſunt vel *vera* vel *apparentia*. *Vera* vel *ex abſceſſu* poſt inflammationem nato, *vel ex acriori lympha* eò delata, meatum interius exulcerante. *Apparentia* ulcera ſunt, quando ſanies, ſubinde multiformis ex auribus effluit, nunc cum, nunc ſine præcedente earundem dolore, qui effluxus ſubinde diu durat, & quo ceſſante varia capitis & cerebri ſuperveniunt ſymptomata, quæ levantur ſub fluxus continuatione, uti *in infantibus* ſubinde obſervatum eſt, qui per hujusmodi aurium fluxus plus minus ſordidos à pluribus malis tam *externis* quàm *internis* levari ſolent.

Vera aurium ulcera, ſi diuturna aut *inveterata* ſunt, facilè *in fiſtulam* degenerare ſolent, vel erodendo occaſionem membranis ſuggerunt, ut *hyperſarcoma* (wild Fleiſch) ſuccreſcat, quod auditum obturet. Pus quod effluit, ſi ſit album, æquale, ſubſtantiæ mediocris, melius eſt, quam ſi inæquale, fœtens, ſanioſum &c. fuerit.

In *cura* obſervandum eſt, ne *apparentia* hujusmodi *ulcera* aurium, ſeu effluxus eorundem plus minus ſanioſi citò nimis ſanentur, præſertim in ſubjectis, vel humidioribus, vel excretionibus capitis cutaneis, vel affectibus cerebri & capitis internis obnoxiis, idque in infantibus imprimis obſervandum, ne major noxa inde oriatur, ſufficit, ſi modo mundus ſervetur meatus auditorius, id quod optimè mediante *urina humana* aſſequimur. *Quoad ulcera vera* præmiſſis præmittendis *internis*, v. g. *purgantibus*, aut *ſudoriferis*, aut *eſſentia lignorũ &c.* Ulcus mundificandum, & hinc conſolidandum venit. *Mundificat* optimè *urina infuſa*, aut *urina* in qua *raſura ligni Guajaci* maduerit. It. ✶ ſpir. urinæ, vel

℞. Vini alb. ſubtilis dulcis

urinæ puerorum an ℥j. ebulliant leviter cum ℥ß. mellis, M. Quibus tepidè meatui auditorio instillatis, aut cum turundula iisdem ebria immissis, ac manè ac vesperi repetitis, ulcus mundificabitur. *it. succus, vel syrup. vel essentia absinth. aut marrub.* cum pauco *melle rosat.* it. *syrup. Nicotian.* egregiè conveniunt. Nonnemo refert ulcus periodicum auris curatum per instillationem *succi marrubii* misti cum *melle*. Si O. *ustum* cum vino mistum, in aurem infundatur, potentissimè ulcus exsiccat. Puer 10. annorum surdus ex variolis permanens, & cui per tot annos sanies ex aure fluebat, liberatus fuit *succo cepæ & rhodomelite* instillato, teste *Foresto. l. 12. obs. 7.* Denique *si antiquum & sordidum ulcus* fuerit, applicanda venit *urina pueri* cum pauco *unguento Ægyptiaco* imprægnata. Hisce si mundificatum & absterfum fuerit ulcus, id quod ex eo patet, si minor sordium ac puris quantitas effluxerit, *pro consolidatione* istis modo dictis, *tutia & pompholix* addenda sunt, pro ejusmodi perfecta consolidatione.

Præter sanguinis impeditum refluxum impeditur ejus *circulus*, quando is penitus extra sua vasa *effunditur*, idque vel *intra corpus* & insigniores ejus cavitates; Vel *extra corpus*, ut fit in *Hæmorrhagiis*.

Sanguis effusus intra corpus mox coagulatur, hinc effervescendo *suppuratur*, unde dum puris fit collectio in quadam corporis cavitate,

EMPYEMA

dicitur, à *vomicâ* distinctum, quæ est collectio puris in quodam viscere. Ita dum pus colligitur in pulmone aut renibus, est *vomica pulmonum* aut *renum*. *Si vero colligitur* in cavô thoracis, vel abdominis, dicitur *Empyema*, idque secundum hodiernum accipiendi modum, ita ut omne *Empyema* fiat ex collecto pure, vel ob sanguinis extravasati corruptionem, vel ob abscessus visceris cujusdam inflammati interiora versus apertionem. Veteribus alia horum vocabulorum fuit acceptio, dum propriè loquendo *vomica* Latinis est id, quod Græcis *Empyema*, sive collectio puris, in aliqua parte præsertim interiore & *Empyici* proprie sunt, quibus pus in aliquo viscere oboritur. Sic purulentum hepar *Hippocr. sect. 7. aph. 47.* idem quod *Empyema*. Tale malum Latinis dicebatur *vomica*. Ita enim Celsus. Moderni ex ignoratione substituunt *abscessum* & in specie *pulmones purulentos* κατ' ἐξοχὴν *vomicam* appellant. Quoniam autem frequentissimè puris collectio in cavitate *thoracis* contingit, propterea *Empyema* κατ' ἐξοχὴν de collectione in dictâ parte dicitur.

Causæ, quare sanguis in cavitates effunditur, grumescit & suppuratur, sunt imprimis *externæ*, nempe 1. *contusio* vel *vulnus* punctim factum. *Ex con-*

contuſione ſi ſanguis in partibus ſubcutaneis externis hæreat, oritur ſanguinis *ſuffuſio* ſeu *ecchymoma*, ad Chirurgiam pertinens; *ſin* verò *interiora* loca occupet, hujus eſt conſiderationis.

Ad contuſionem pertinet in ſpecie *caſus ab alto*, in quo vel *ruptione*, vel partium violenta *contorſione*, vel nimis validâ *contuſione*, vel alia ratione ex laceratis plus minus vaſis, in cavitates corporis ſanguis effunditur. *Sanguis in cavo collectus* & ex vitali conſortio proſcriptus corrumpitur, quam corruptionem immediatè inſequitur *acor* eum ſpiſſans, non ſecus, ac lac levi corruptione aceſcit & grumeſcit, multò magis ſanguis lacte genitus, ubi particulæ ſalinæ, copioſiores, oleoſæ enim nutritivæ & temperatiores in partium nutrimentum abeunt. *Sanguis* occulto tali acore *grumefactus* ſucceſſivè incipit *fermentare*, quod acidum coagulans convenit cum alcali volatili ſatis copioſo, donec mutuo fermentando in tertium *ens*, quod vocamus *Pus*, abeat. Aluminoſum eſt ex alcali & acido, album & lacteum verò à præcipitatione ſulphuris, ſoluti ab alcali, facta per acidum. Et tunc mutato nomine *Empyema* dicitur, cujus *duplicem fiendi modum* ſupra inſinuavimus. *Prioris exemplum* dat ulcus thoracis penetrans cum copioſo ſanguinis in ipſum influxu, hinc in pus corruptione. *Poſterioris exemplum* dat pleuritis ſuppurata, à rupto abſceſſu pus in thoracem fundens.

Sanguinem *læſionis externæ occaſione* eſſe effuſum in cavitates corporis, præter activitatem cauſæ, conſequentia *ſymptomata* in ſpecie declarant. Sic *ſanguinem collectum* & congrumatum *in abdomine*, præter vulnus penetrans inprimis inſinuat abdominis *tumor*, hinc inde ſperſus *livor* & quaſi plumbea nigredo, poſt grumeſcentiam *durities* & *reniſus* abdominis ad tactum, ubi locus eſt ſanguinis congrumati, non ſimpliciter ex repletione, ſed vel maxime ex tenſione, horrentibus partibus viventibus cadaver ſanguinis. Accedunt *virium proſtrationes* inſignes, *lipothymiæ*, *impeditæ reſpirationes*. *In pectore* verò *collectum ſanguinem* ibique congrumatum comitantur inſignes *reſpirationis læſiones*, *tuſſis* admodum moleſta, *dolores pectoris* varii, *gravitas* ac pondus circa coſtas nothas, extremorum *frigus*, *febris* plus minus acuta, quæ omnino comprobantur per modum læſionis. Si enim *quis cadit ab alto* & perfringit coſtam, propter rupta vaſa coſtis ſubtracta, ſequitur neceſſariò ſanguinis in pectus effuſio. Item *ſi quis fuerit punctim læſus*, mox infra coſtas, ubi ſunt venæ & arteriæ, tunc eſt ſignum effuſi ſanguinis in thoracem &c.

Denique *in capite* & ſub ejuſdem calvaria collectum eſſe ſanguinem grumoſum, monſtrat *dolor* ejuſdem *gravativus*, *ſenſus* inſignis *pulſati*-

nonnihil *lachrymantes, rubor faciei*; superveniunt symptomata stomachi, *nausea, vomitus biliosus, sanguis* nunc per os, nunc per nares, nunc per aures *exitum molitur*; interdum ægri obstupescunt, aut brevi post læsionem stupidi redduntur. Accedunt *causæ antecedentes*, aut validæ *contusiones* cranium effringentes, aut fortes *incisiones* cranium dividentes.

Sanguinem dicta in loca effusum *ad suppurationem tendere*, manifestat *febris* superveniens intensior, plus minus *acuta* pro circumstantiarum varietate; item *ardor* in ista parte, in qua fit suppuratio: Accedunt insignes *præcordiorum anxietates, vigiliæ* & *deliria &c.* In specie ex *rigore & febri suppuratio* se manifestat. Interdum *in loco quodam externo*, v. g. si sanguis sit coagulatus in abdomine, circa inguina *abscessus* oritur, in quo & per quem sanguis congrumatus & suppuratus feliciter postmodum evacuatur. *Quod si pus factum fuerit*, adeoque *empyema* adsit, remittit febris & reliqua symptomata, quin potius quædam *fluctuatio puris* percipitur. Speciatim *empyema thoracis* (*si sit post pleuritidem*, quæ præter ea, quæ pleuritidem suppuratam comitantur, si materia intra 14. dies sputo non rejiciatur, in pus mutatur; *rumpitur* autem vomica circa vigesimum, interdũ 30 aut 40 diem; *dum vero rumpitur* vomica, rigor fit & febris intensior supervenit) insequitur *tussis continua* & frequens, item obscura & quasi è profundo producta; *sonus* est *obscurus*, quia tota hæc actio diaphragmatis occasione fit, non vero pulmonum: Illud enim à materia gravatur. Inter tussiendum sentiunt in cavo pectoris *concussionem* aliquam, quia materia diaphragmati incumbens per tussim agitata & sublata recedit, adeò ut sæpe nil excernatur. *In progressu* verò post multos conatus purulenti quid excernitur, & tandem etiam aliquid saniosi. *Febris* adest, quæ in principio magis *acuta* esse videtur, *in progressu* verò mitior & *lenta* magis redditur, ad hecticarum fere naturam accedens, quæ vesperi præsertim exacerbatur & circa noctem vehementior est. *Respiratio* est gravis ac difficilis cum sensu gravativo, quando stant aut sedent. Si decumbunt, sentiunt aliqualem *fluctuationem* & decumbendo sine molestia ferè respirant. Sic quando calceos aut ligare, aut solvere volunt, videntur *suffocari*. Tunc enim à pondere incumbente introrsum versus, diaphragmatis motus fere impeditur; *anxietates* subinde vexant, *sudores colliquativi nocturni* superveniunt, item *palpitatio cordis*; sentiunt frequenter *evaporationem* ad os, instar aquæ ferventis, *mala* è regione partis affectæ subinde phlogosi quadam *rubet*. *Malo ulterius progrediente* percipiunt saporem cinereum & putridum. *In pulsu* hoc est singulare quod creberrimis vicibus *intermittat* unum vel alterum pulsum, idque speciatim, si tangatur in carpo lateris affecti, altero in carpo apposito pulsu subinde rite se habente. Si in dextro latere est *empyema*, tunc decumbentes in eodem bene habent, sin autem decumbunt in sinistro latere malè habent & contra.

Pro-

Prognosis pro quantitate sanguinis effusi & qualitate loci in quem effusus est, variat. Nam sanguinem collectum plus minus congrumatum subitò evacuari, aut hoc si non fiat, suppuratum facile per vias naturæ consuetas, vel per factum & apertum quovis in loco abscessum excerni optimum est. Febres interdum periculosæ superveniunt sanguinem suppuratum, interdum ulcera, non rarò gangræna partium internarum. *Empyema pectoris* ut plurimum phthisin & tabem causatur; sanguis in capite collectus utplurimum mortem infert.

Quoad *curam*, *in sanguine congrumato*, si sit à vulnere, seu casu ab alto, eò incumbendum ut 1. *congrumatus solvatur.* 2. *Per convenientes vias quantocyus evacuetur.* 3. Si hoc fieri nequeat, ejus *suppuratio adjuvetur.* 4. *Pus per debitas vias emittatur.* 5. *Læsio partis curetur.*

Viæ convenientes, per quas tam sanguis quam pus evacuandum venit, sunt eæ, ad quas sponte vergit *natura*, & ferè monstratur per locum in quo est sanguis collectus, seu evacuetur per *urinam*, seu *sudorem*, seu *alvum*; vel quas docet *ars*, dum materias in cavitatibus collectas optimè evacuat earum *perforatione*. *Adeoque si vulnus est in abdomine*, apertio major, si punctim factum est vulnus facienda & ejus debita *paracentesis* instituenda. *Thoracis apertio* & inter costas sectio convenientissimum est remedium pro evacuando sanguine & pure. *Denique in capite* optimum remedium est *trepanatio*. Hæc sanè inter optima & promptissima auxilia recensenda, quæ citò & tutò satis adjuvat, modo quoad legitimum usum temporis habeatur ratio, & non perverso nostro more, aut nunquam, aut tardè nimis instituatur, quia quò celerius instituitur, eò optatior est successus.

Post casum g. ab alto aut etiam quamvis occasionem *sanguine in cavo* quodam corporis *collecto*, & hinc plus minus congrumato, in primô principiô V. S. instituatur, in corpore præsertim plethorico, ne sanguis confertim nimis & copiosè in cavitatem irrumpat. Habenda semper ratio *regularum revulsionis* ratione loci, in quem influit sanguis, ut nempe in contrario seu opposito loco vena secetur seu aperiatur. Dum nempe sanguis influit *in abdomen*, vel per interiora thoracis vasa, *in thoracem*, secetur in pede; *Sin in capite* V. S. brachii ferè sufficit. Sectâ venâ subito sanguis omnis congrumatus *resolvendus*, & vel ductu naturæ per vias consuetas *evacuandus*, vel per meatus arte apertos, arte *hauriendus*.

Resolvunt sanguinem grumosum *vulneraria* plurima quæ inter in specie eminent: *Rubia Tinctor. tormentill. symphitum majus, absinthium, hypericon. bellis minor, chærefol. C. B. fœnicul, it. rhabarb. rad. vicetox. pimpinell.* In specie *lap. ♋. osteocoll.* cum ac. dest. vini propinata, hinc *sanguis hirci* legitimè collectu

perquam nobilis. *Bolus armena, succinum, sperma ceti* à ʒß. ad ʒj. in vehiculo calido propinandum; *mumia, carbones tiliæ,* ad ʒj. in aq. *chærefol.* propinatæ. *Pinguedo humana* ad ʒj. in potu cerevisiæ est optima in casu ab alto: Hinc *pulv. Augustan. contra casum. Species diamumiæ Mynf. essent. mumiæ, hyperici, extract. flor. bellid.* ♁. *diaphor* & quælibet ♁*ialia fixa*, acidum plus minus absorbentia &c.

In propinandis his remediis *in casu ab alto* ac sanguine coagulatô observatur necessariò *cautela*, ut nempe his semper addantur talia, quæ sanguinem resolutum per *vias urinarias* amandent, quod convenientissimum est, præsertim *si in pectore* locisve vicinis sanguis hæreat. *Sin magis in locis aut vasis majoribus remotis hæreat* sanguis, *sudor* præsertim provocandus; *si per alvum* educendi animus sit, *rhabarbarum* aut *senna* conveniunt v. g.

℞. Chærefol. Mj.
rhabarb. el. ʒij.
fol. senn. ʒiß.
θ. tart. ℈j. ad ʒß.
coq. in s. q. aq. f. ebulliant leniter. Colaturæ adde
lap. ♋. præp. ℈ij.
pulv. contra cas. Augušt. ʒß.
Syr scabios. q. s. pro grato sapore.
M. detur pro aliquot dosibus.

Lindanus refert exemplum, quod, dum ædificaret, faber quidam lignarius è summo deciderit tecto, fregerit duas costas, sanguinem multum spuens, quod videns dedit ei *potionem vulnerariam ex lap.* ♋. ex quo sanguinem protinus mejere cepit & quidem integras matulas, & brevi restitutus fuit; etiamsi quoque sanguis in ipsum cavum pectoris effusus esset, usus tamen fuit *decocto brassicæ rubræ, artemisiæ, consolidæ Sarracen. & bellid. min.* Huic *decocto* infudit aliquid *spermatis ceti*; hinc sumsit seorsim *lap.* ♋. & illis affudit ad eminentiam digiti transversi *acetum*, cumq; deferbuissent, dedit hujus aceti cochl. j. & miscuit ℥iiij l. v. decocti prioris, unde feliciſſimè fuit curatus. Ac sane potius præstat à *diureticis* incipere, in fine autem non incommodum aliquod *sudoriferum* subnectere. Adeoque convenit in dictis casibus *mixtura polychresta ex lap.* ♋. *cum ac. dest.* &c. vel præscribatur talis *pulvis contra casum ab alto*

℞. Lap. ♋. præp. ʒj.
rhabarb.
sperm. cet.
mum.
sang. hircin. leg. præp. aa. ʒß.
M. dos. ʒj. in *decocto chærefol.* l. *fœnicul.* &c.

Cura

Cura Empyematis, seu quando pus factum est, & in cavitate fluctuat, præsertim *thoracis*, tribus scopis absolvenda venit. 1. *Pus evacuandum.* 2. *Acrimonia ejus noxia corrigenda.* 3. *Læsio partis inducta restituenda.*

Quoad puris evacuationem, hæc per convenientes vias instituenda venit. *Viæ convenientes* sunt vel *naturales* vel *artificiales*: *Illæ* quibus *natura* molitur evacuationes, & quæ subinde per varia loca inimitabili arte purulentias evacuat, ut dum v. g. pleuriticorum, vel alias in thorace suppuratorum purulentias, nunc per *urinas*, nunc per *alvum*, nunc frequentissimè per *sputum* evacuat, imo per *purulentam*, in toto corpore *scabiem*, quo de *vid. M. A. N. C. Ann. 2. p.* 250. solvi observatum fuit. Sanè *pus Empyici* per *urinam* excretum c. dolore quasi nephritico & stranguria refert *Horst. l. 3. obs.* 10. Simile *vid. ap. Panarolum*, it. *Borellum Cent.* 1. *obs.* 17. Ipsemet *curavi mulierem* gravi pleuritide correptam, suppuratam, cui supervenit fœtidississima materiæ purulentæ urina, qua per 10. vel plures dies continuante cum sensibili alleviatione ipsa sanabatur. *Præcavebam simul phthisin ac tabem* per pulveres & antihectic. Poterii, myrrh. l. ♋. ♁. diaph. bals. sulphuris terebinthinat. &c. Elix. Prop. raro propinabam, quia hoc semper alvi fluxum sistebat, ut necesse esset, eam denuo provocare clysmate. Sicut jam *supra* hujusmodi variæ excretiones *circa hepatis & lienis abscessus* insinuatæ fuerunt. Facit huc quod refert *Hildan. Cent.* 3. *hist.* 39. Nempe ulcus diuturnum in brachio ex ictu sclopeti, quod, quia *per urinam* pus excernebatur, ulcus siccabatur: Quàmprimum vero ulcus recenter fluebat, tum patiens rursus urinas laudabiles nullo pure permistas reddebat. *Per quas vias materia Empyematis in pectore* v. g. *deferatur ad urinam*, aut alvum, *aut etiam ad os* pro expuitione, plures Autores litigant. *Conf. Senn. l. 2. prax. ubi de pleurit. quæst.* 3. *Willis Pharm. rat. P. 2. p.* 150. 201. *M. A. N. C. Ann. 3. p.* 393. *& Ann 6. p.* 75. His in casibus si moliatur aliquid natura, semper minister ejus est Medicus, dum, quo illam vergere videt, eò simul motum illius promoveat. *Si vero rupto abscessu & collecto jam empyemate* pectoris, eam nil moliri observat, pro copia puris dum vires adhuc constant, evacuanda, imprimis *vomitus* convenit, cujus insignes utilitates pluribus *Piso de colluvie serosa* declarat. Hinc *sputum* imprimis promovendum, ut hujus medio ceu per proximas vias, modumque magis ordinarium puris fiat evacuatio. *Pro quo scopo Nicotiana* est egregia, cujus usum supra ex *Ferdinando* declaravimus.

In sputo hoc promovendo habenda simul ratio qualitatum materiæ purulentæ evacuandæ, quæ *quò acrior* fuerit, ac tenuior, eò magis *temperantia* simul usurpanda sunt: *Quod si vero non acre sed crassius* sit pus evacuandum, *incidentia* & *abstergentia* magis in usum vocanda. In specie *mel* & ex eo paratum *hydromel* seu ▽. *mulsa*, *oxymel squillitum*, inter expectorantia primatum ducunt; in

qua

qua *mulsa hyssopus*, *scabiosa*, *parietaria*, *helenium*, *iris*, *marrubium liquiritia*, *jujub. passulæ* pro indicantium varietate simul incoqui & propinari possunt. Vel fiat *mistura* expectorans

℞. ▽. hysop. ℥iij.
asthmat. ʒiij.
oxymel squillitic. ʒvj.
syr. Nicotian. ℥ß.
emet. ʒiß. M. capiatur pro lubitu.

Artificiales viæ pro evacuando pure sunt *paracentesis*, quæ ubi *priores* illæ *naturales* vel non suffecerint, vel non suffecturas suspicio est, *in tempore* institui potest. *In tempore dico*, ut quando natura *empyema* non expurgat per *urinam*, statim instituenda *Paracentesis*, ne pus in saniem convertatur, ne vires frangantur, ac pulmo à sanie corrumpatur.

2. *Acrimoniam puris & ejus noxam corrigunt*, hoc est ut alias dicunt, ulcus *abstergunt* & *mundificant* optimè remedia *sulphurea*, quodcunque acre temperantia & *balsamica* quasi vi ulteriorem progressum *apostematis* & *puris* inhibentia, uti sunt *sulphur* & *♁nialia fixa* &c.

3. *Ea vero, quæ læsionem partis* post abscessum suppuratum *restituunt*, sunt *vulneraria*, præ cæteris *hedera terrestris*, *scabiosa*, *chærefolium*, item *lignorum* & *radicum decoctum* &c. Optimè hæc duo junguntur, sed semper habenda est ratio 1. *puris*, ut hoc vel prius, vel simul evacuetur. 2. *Febris adjunctæ*, ne hæc plus majus intensa augmentetur. *Purulentias ergo istas abstergunt & corrigunt*, *♁ialia fixa*, *♁ium* præsertim *diaphoreticum* ad ʒj. c. *decocto chærefolii* vel *decocto radic. chinæ* propinatum. Hoc *♁ium diaphoreticum* suppurationes quascunque curat, sanguinem congrumatum & empyema pectoris tollit, atque tunc cum *rad. chinæ* vel *lign. Guajaci* simul coquenda *hedera terrestris*, *tussilago* & *consolida major*, & si viscidi aliquid adest, etiam *hyssopus*; non opus est multa addere; simplex sufficiat *decoctum*, cum quo propinetur *♁nium diaphor*. *Sulph*. pariter ejusque *flores*, item *bals. sulph. terebinthin.* aut *succinatus*, sunt egregia, mundificant ulcera & ulteriorem corruptionis progressum præcavent; quod si hujus igneus pertimescatur calor, permiscetur optime *saccharum ♄ni*, vel *antihecticum Poterii*, quæ optimè conducunt, item *tinctura sulphuris*, item *balsam. Peruv.* cui ut & *balsamo sulphuris* substitui potest *decoctum ligni guajaci*, adjunctis præsertim *vulnerariis* paratum, est egregium in empyematis cura; præsertim *Pavius Tr. de Vulneribus Capitis* egregiam habet methodum, mediante hoc *decocto* curandi empyematicos: Nec incomodè *ligna santala* hîc recipiuntur v.g.

℞. Rasur. ligni Guajaci ℥j.
sassafr. ℥ß.

macerna

macera per 2. horas in ▽. comm. ℔vij. coque ad consumptionem ℔iß, adde
heder. terrestr.
comar. fl. hyperici.
herb. veronic. aa. mj. ad mij.
rad. glycyrrhiz ℥ß.
sem. fœnic. ʒvj.
passul. minor. conquassatar. ℥iij.
Coqu. ad remanentiam ℔jv. M. S. *Decoctum*, de quo æger ad minimum ter in die capiat, subjungendo & alia remedia.

Vulneraria inter præ cæteris excellit *hedera terrestris*, omnibus cæteris præferenda, cujus *decoctum*, aut ex succo paratus *syrupus*, item *pulvis* aliis addita, aut cum ♁*nio diaphoretico* assumta, sunt nobilissima; hinc sunt qui maxime æstimant

℞. Succ. hederæ terrestr. ℥iiij.
prassij (id est marrubij) ℥ij.
thuris, myrrhæ aa. ʒj.
sacchari parum; redigantur ad consistentiam *syrupi* & subinde usurpentur. Denique *decoctum brassicæ capitatæ rubræ* c. tantillo *saccharo* temperatum, perquam egregium est, promovendo simul materiæ purulentæ effluxum per *urinam*. *Lac* quoque *caprillum* cum *sacchharo rosato* usurpatum, pro ultimo hoc scopo est egregium vid. *M. A. N. C. Ann.* 1. *p.* 78. Conf. c. his *Willis Pharm. ration. p.* 2. ubi *de Phthisi & empyem.*

HÆMORRHAGIA.

Læditur etiam sanguinis motus, quando hic ex suis vasis & receptaculis penitus extra corpus effunditur, idque *in hæmorrhagiis*, quæ vox in genere quamcunque sanguinis effusionem innuit, in specie postmodum varias sortitur appellationes: Ex vasis ani enim *fluxus hæmorrhoidum*, ex vasis uteri, *menses*, ex vesica, *mictus cruentus*, ex pectore, *hæmoptysis* &c. dicitur.

Causa cujusvis *hæmorrhagiæ* est, vel ipsorum extimorum osculorum in venis & arteriis apertio quasi spontanea & dicitur *anastomosis*, vel est ipsorum vasorum læsio & soluta unitas, quæ fit, aut per instrumenta acuta, seu punctim, seu cæsim: Aut per humores corrodentes acres & extremitates osculorum, aut ipsas tunicas tenuiores perforantes: Quæ posterior species dicitur *diæresis*, seu *diabrosis*: Διαπήδησις autem sanguinis seu tenuitas, ut per vasorum tunicas transudare possit, citra osculorum apertionem, vel ipsarum læsionem, non adeo videtur possibilis: Sunt enim satis densæ satisq; validæ & tenaces venarum, multò

magis arteriarum tunicæ, ut haud videatur tantillum per easdem transudare posse de ipsa massa sanguinea integra.

Vasa per quæ sanguis effluit, sunt imprimis arteriolæ; nam ex venis vix effluit, nisi *incisis* & *erosis*, ut in vulneribus: Sanguinem exstillare ex arteriolis, patet ex eo, quod omnis *hæmorrhagia* v.g. *narium* fiat stillatim & subinde notabile spatium intercedat, inter unam alteramve guttulam cadentem, id quod *ratione arteriarum, non venarum* fit; *quando enim cor sanguinem in arteriam pellit*, idem ex arteria aperta propellitur. *Quando vero arteria subsidet*, non amplius adeo confertim effluit, & ita successivè stillatim sanguis erumpit, quod patet etiam in *arteriotomia*, in qua subsultando pro pulsus ratione, sanguis erumpit.

Est autem hæmorrhagia omnis vel *spontanea*, vel non *spontanea*; *spontanea* est opus naturæ exonerantis corpus, ut in *fluxu mensium* patet, aut *hæmorrhoidum, aut hæmorrhagiis narium periodicis* &c. *Non spontanea* est vel *critica*, vel *symptomatica*. *Critica* quam post materiæ coctionem natura in morbo facit, ut unà per illam curet; & hæ duæ species *spontanea* & *non spontanea critica* nunquam curandæ, nisi sint immodicæ. Nam *spontanea symptomatica* vel morbus est, vel ex habitu corporis morboso, unde primario præcaveri & curari potest.

Deinde hæmorrhagia est vel *habitualis*, vel *accidentalis*. *Habitualis* crebrius & vel brevi vel nulla præcedente occasione redit & affligit. *Accidentalis* vero rarò, nec nisi magna data occasione contingit & affligit. *Accidentalis* est vel *cum febre*, vel *sine febre*; *ibi* ad turgescentem & ebullientem sanguinem simul plus minus respiciendum: item an *critica* magis, an *symptomatica* fuerit.

Quoad *causas* hæmorrhagiarum *remotas, anastomosis* fit vel *vitio sanguinis*, vel *vitio vasorum*, vel *utriusque*. *Vitio sanguineo* fit, propter eundem vel abundantem, vel turgescentem, vel secernentem. *Vitio vasorum* vero propter hæc inæqualiter stricta aut laxa.

Adeoq; 3*pliciter anastomosis* fit 1. propter *abundantiam* vel *plethoram sanguinis*, aut *absolutam* eamq; rariorem; aut 2. propter *plethoram respectivam* seu *apparentem*, eamque frequentiorem, nempe propter *turgescentiam ejus nimiam*, dum majori motu intestino ab exercitio, aut corporis incalescentia, aut etiam effervescentia febrili, v.g. *in principio variolarum* turgescens & quodammodo ebulliens sanguis, sicque mole auctus ordinariis vasis & receptaculis contineri amplius nequit, quin per capillarium orificia distendens eadem sicque aperturam faciendo erumpat. Hinc *obesi*, item *vini potatores* frequentius *hæmorrhagiis* obnoxii sunt; quô multùm facit simul *suppressio ordinaria* cujusdam, quodam

dam in loco, *ſanguinis excretionis*: Simul tamen in his & ad *ſtatum vaſorum* à ſanguine pertranſeunte plus minus irritatorũ, hinc *ſanguinis motus variationẽ* reſpectus habendus. 3. *Anaſtomoſis à ſanguinis tenuitate obſeri abundantiã* ſeu nimiam aquoſitatem oritur; quo facit & *fibrarum* & partium *tonus laxior*, ut ipſe ſanguis ſua tenuitate facilè orificia venarum permeet, eademq; ita aperiat. Utplurimum tamen & hic *acrimonia ſanguinis* plus minus *ſalſa*, aut *acido ſalſa*, adeoque occulte *roſiva* accedere ſolet. Vulgo *vitio hepatis* male ſanguificantis *hæmorrhagia* hæc contingere dicitur; Vitium autem hæret *in primis viis*, læſa digeſtione, & inde nata vel *ſeroſitate* vel *acrimonia ſanguinis*. *Diſpoſitive* concurrit nunc urinæ defectus, aut ſudoris conſueti ſuppreſſio, nimius potus &c.

Vitio vaſorum denique fit *anaſtomoſis*, quando per hæc æquabilis *ſanguinis circulus* per arterias in venas *interrumpitur*, ita ut æqualis vel per arterias diſtributio, vel ex arteriis in venas tranſvaſatio impediatur, idque ferè *ob ſpaſmum fibrarum nervoſarum*, tam 1. *ipſorum vaſorum* ſanguifluorum, quam 2. *partium*, vaſa recipientium. Adeoque *ſi ex priori modo* contingat, ut ſurculus quidam arterioſus plus minus conſtringatur, adeoq; per eundem liberior ſanguinis motus impediatur, unde ſurculus vicinus majori ſanguinis mole diſtentus neceſſario in extremitate aperitur, & facta ita anaſtomoſi ſanguis effunditur. *Spleneticis* hoc videtur familiare, quibus interdum ſuperveniunt *ſanguinis vomitus*, ita tamen ut percipiant prius fortes *pulſationes* circa lienem, locaque vicina, quæ *pulſationes* innuunt motum ſanguinis per arteriolas in ſplene nonnihil impeditum. Unde ramuli arterioſi vi aperiuntur in ſtomachum, & ita ſanguinis inferunt vomitum. *Virum novi habituali hæmorrhagiæ narium obnoxium*, qui utplurimum moleſtiam quandam in ſiniſtra thoracis parte percipit, antequam *hæmorrhagia narium* ſuperveniat. *Quod ſi poſteriori modo* accidat, ut fibræ nerveæ partium recipientium quacunque ex cauſa irritatæ, ſe fortius ſtringant, & ita ſanguiflua vaſa plus minus coarctent, ex impetu ſanguinis per arterias ejus quidem influxus adhuc continget, ſed non refluxus, qui plus minus impeditus, per venarum magis flaccidarum ac molliorum ora conſtricta per vicina loca qua data porta ruit, arteriolarum anaſtomoſin facit, ſicque *hæmorrhagiam* infert. Sic nempe nimia narium irritatio ab *euphorbio* &c. hæmorrhagias ſubinde graviſſimas inducit, *vid. Kerkring. ſpecileg. p.*100.

Pertinent ad anaſtomoſes has ſcorbuticorum hæmorrhagiæ inſignes admodum & crebrius ingruentes, non tam ob ſanguinis craſſis plus minus vitiatam, & ad diatheſin acidam plus minus declinantem, ſed quod horum nervoſum ſyſtema pathematis convulſivis obnoxium admodum ſit, unde irritatum quodam in loco à ſpinis ſalinis ſcorbuticis alicubi infixis mox tendi fibræ, pulſationis, aut tenſionis ſenſus, hinc *hæmorrhagiæ* oriri ſolent. Comprobat hoc notabili obſervatione *Willis pharm. rat. p.*2.

In hisce anastomoseos causis tam *ad sanguinem*, quam *vasa* utplurimum respiciendum venit, ita quidem ut frequentissimè *acidum* consuetum sanguinis motum ad orgasmum præternaturalem concitans, aut itidem *acidum plus minus salsum* vasa eorumque ac partium vicinarum fibras vellicans, considerandum veniat.

Diæresis & *diabrosis* oritur, quando aut *incisione* aut *punctura* aperiuntur vasa, vel quando à *causis internis* fit erosio vasorum, quas inter interdum est imprimis *lympha acris* nimis & acido salsa, vasculorum orificia erodens, & *inspirata* quæcunque nimis *acria* huc pertinent, quæ tam irritare, quam erodere narium ac pulmonum vasa poterunt, unde dictarum partium *hæmorrhagiæ.*

Pro varietate causarum varius etiam est sanguinis effluentis *modus*, dum qui effluit, floridus, rubicundus, copiosus, fere *anastomosin*, propter aliqualem sanguinis abundantiam & turgescentiam insequi solet, cum quibus simul conferantur *causæ antecedentes*: v.g. *Si effluit tenuis, aquosus*, loturæ carnium similis, serositatem nimiam & aquositatem sanguinis sequitur. *Quod si sub hæmorrhagia* accidit fortis regionis plus minus vicinæ *pulsatio*, hæc ferè vitiatū, plus minus circulum innuere solet. *Quod si ab acri corrosa* sint vasa, *externæ causæ* se ipsas offerunt. *Sin in internis* fit vitium, manifesto plus minus acris salsus sanguis effluens gustari solet.

Quoad *prognosin*, *hæmorrhagia nimiæ* quæcunque, ut virium prostrationes, animi deliquia & ἀσφυξίας immediatè inferunt, ita mediatè cachexias & hydropes: *Moderata* & *consueta* & plus minus *periodica hæmorrhagia*, quocunq; in loco fiat, si subjecti conditio respondeat & hoc facile ferat, *salubris*, cum deficientem varia mala, ut & excedentem insequi soleant. Moderata igitur talis non sistenda est. *Periculosissima* & curatu difficillima *hæmorrhagia* est, quæ *ex diæresi* oritur, præsertim si arteriæ plures, aut plus minus insignes læsæ fuerint; *quæ ab anastomosi vitio sanguinis* vel absolutè vel respectivè *abundantis* nascitur, curatur facillimè. *Quæ vero vitio sanguinis serescentis*, tardè & quasi medio modo se habet. Ita quæ *vitio vasorum* contingit, pro ratione morbi primarii plus minus curabilis esse solet.

In *Cura* ante omnia considerandum est, *an curanda sit hæmorrhagia, an sinenda*? de quibus supra: *Deinde in habituali* distinguenda est cura in eam, quæ fit *tempore paroxysmi*, adeoque est curatoria, & eam quæ est *extra paroxysmum*, adeoque præservatoria. *Tertiò probè* considerandum, an ipsa *hæmorrhagia* sit morbus *solitarius* & primarius, an vero *secundarius*, & si hoc, an fit *cum febri* an *sine febri*. Hinc omnis *hæmorrhagia critica*, idque omnis *spontanea*

per

per quæcunque loca, quæ naturæ solennis est & adsueta, curari non debet, nisi sit nimia. *In quo casu priori* subinde evacuatio quasi succedanea instituenda venit, v.g. per *venæsectionem*, *cucurbitulas*, *hirudines & fonticulos.* &c. *His præmissis quoad causas proximas*, *anastomoses* vasorum, usurpatis internis sanguinis impetum coercentibus, & externis *vasorum ora* adstringentibus & sanguinem profluentem incrassantibus, sunt *occludendæ*.

Diæreses vero vasorum per *interna*, acre quodvis temperantia & *externa*, vasa plus minus arrosa *adstringentia*, *consolidantia*, *conglutinantia* sunt restituendæ.

Externa ista, eorumque administrandi rationem, *in sequentibus*, ubi de *hæmorrhagiis in specie*, pluribus explicabimus. Hac vice *interna* cuivis *hæmorrhagiæ* speciei plus minus applicabilia consideranda veniunt.

Quoad causas remotas, *in anastomosi quidem vitio sanguinis*, sanguis nimius vasorum ora aperiens, imminuendus nunc *venæsectione*, nunc *scarificatione*. Idem turgescens compescendus, vel *præcipitantibus*, vel *absorbentibus* fermenta ista acida volatilia, vel acidis fortioribus volatile acidum figentibus & coercentibus. Quo pertinet v. g. *Spir. vitrioli* hæmorrhagias narium scorbuticas subinde figens. *Confer M. A N. C. ann. 3. p. 176.* Idem serosus nimis corrigendus vel *exiccantibus*, aut imbibentibus, aut *incrassantibus*, & deinde vel *evacuantibus* serum per alvum, per vesicam, per habitum corporis. *In anastomosi vero vitio vasorum* acidum istud nervorum spasmos inducens corrigendum, per ♂tialia in morbis convulsivis & hæmorrhagiis habitualibus pro eradicanda radice optimis.

Quoad causas remotas diæreseos, si hæc fiat *vitio sanguinis acrioris*, acre salsum temperantia, & sanguinis cras in corrigentia sunt optima, ut *passulata*, *vulneraria*, *lacticinia* &c. *si vitio vasorum erosorum*, *vulneraria adstringentia* sunt convenientissima.

Pro his scopis obtinendis *observetur*

I. *Convenire interdum* *venæsectionem*, seu aliam sanguinis evacuationem. *Dico interdum*: Nam perversa *Chirurgorum* est consuetudo, ut in omni *hæmorrhagia* sanguinem mittere velint. Verum hoc stultum est, quoties sanguis non abundat, eundem jam effluentem velle ulterius evacuare. Scilicet in quavis *hæmorrhagia* sanguis pure passivè se habet, movetur nempe eò, quo spiritus impetu & organorum moventium pellitur, & effluit, ubicunque vasorum ora aperta sunt, utut occasionalis causa interdum in sanguine hæreat. *Non ergo sanguinem evacuando, sed causas occasionales*, seu in sanguine, seu in parte, per quam fit effluxus, hæreant, removendo corrigendæ sunt. Unica *sanguinis abundantia* seu *plethora*, tam *vera* quam quibusdam in casibus *apparens*, est quæ

in hæmorrhagiis venæsectionem indicat. Ideoque etiam in solenni evacuatione sanguinis suppressa, sanguinis detractio locum habet, observando *revulsionis* & *derivationis regulas* &c.

2. *Purgationes* sunt ridiculæ, nisi abundantia nimia laticis aquosi, nimis fluentem faciens sanguinem, sui evacuationem urgeat. *In tali enim casu utique* purgatio fieri per inferiora convenit. Unde & tum rectè commendat eam *Riverius in Praxi* & confirmat hoc experientiâ *Rondeletius*, qui curavit quendam singulis diebus 2. vel 3. libras sanguinis rejicientem, solis syrupis serosos humores evacuantibus. *Seri enim copia* quòd vehiculum sanguinis est, subinde fluxus hujus est causa, præsertim *si acrius* idem fuerit. *Quin & per sudorem* hoc commodè fieri potest: Utut enim *sudor*, dum actu erumpit, dissolvendo massam sanguineam eundem fluxiliorem reddat, postmodum tamen ubi desiit, sanguis sero depauperatus spissescit, & salibus superfluis aut heterogeneis liberatus mitius evadit & dulcescit, sicque *hæmorrhagia* cessabit. In specie ubi cum febre fuerit hæmorrhagia symptomatica, per sudorifera, non quidem volatilia, sed additis opiatis compescenda venit. *Confer hic Willis Pharm. rat.p.2.p.* 418.

3. *Opiata generalia sunt hæmorrhagiarum remedia*, dum & *irritationis* sensum in hac vel illa parte undecunque excitatum sopiunt, & *spirituum* moventium *impetum* plus minus refrænant adeoque quosvis sanguinis inde concitatos motus quietiores reddunt, quo ipsum *catholicum* ἴσχαιμα, id est, sistens, meritò habentur. Experimenta hujus rei novissimè retulit Medicus quidam Hassiacus, *Mich. Bernh. Valentini, in Epist. ad D D. Widtium, Archiatrum Spirensem, de Nova Matricis & Morbonæ Muliebris Anatome*, ubi fusè ostendit, quantum *opiata* in *narium* æquè ac *uteri hæmorrhagiâ* valeant.

Ex dictis patet *remedia ad hæmorrhagias* usitata esse (1.) *vulneraria* & adstringentia, sanguinem *partim* inspissantia, *partim* vi alcalina, acida vitiosa absorbentia, *partim* vasorum læsiones restituentia, ut *plantago, portulaca, bellis minor, rosæ &c.* vel (2.) *absorbentia* tam *martialia* hisque cognata, *corallia, hæmatites, terræ, boli* &c. quàm *animalia*, ut *C. C. s.* △. *ebur sine* △. *unicornu verum, dens hippopotami* &c. Sane ♂*tialia* in habitualibus hæmorrhagiis hypochondriacorum, scorbuticorumque subinde sunt stupenda, confer. *Lovverum contra Mearam p.*19. *M. A. N. C. anno* 2. *p* 324. *p.*176. Sunt præstantissima, partim quod acidum vitiosum hæmorrhagiæ occasionalem causam absorbeant, partim quod radicem in primis viis, unde affectus hæmorrhagiarum spasmodici superveniunt, exscindant. ♂*tialia* nempe per se *adstringunt*, unde perinde est, seu

aperi-

aperientia ſeu *adſtringentia* uſurpentur, modo acida vitioſa primarum viarum & inde dependens ſanguinis craſis vitiata corrigatur, & affectus convulſivi hinc producti in radice emendentur. *Obſervavi hoc aliquoties*, circa *mulierum menſtruationes*, quæ per *liquorem* ♂*tis ſolarem* & cientur deficientes & ſiſtuntur nimis fluentes; quod pariter circa *Tincturam vitrioli* ♂. *Zuvelfferi* obſervavi, quæ aperit eorum defectum, & tamen inordinato & ſæpius recurrente fluxu cùm fructu pro eodem ſiſtendo eam uſurpavi; adeoque in cachecticis, hypochondriacis, ſcorbuticis &c. ad ſanguinis fluxus præternaturales quoſcunque aut decedentes aut excedentes ♂*tialia* pro curatione utramque faciunt paginam. Citatæ *animalium partes* pariter nonniſi abſorbendo, aut acida vitioſa fermenta corrigendo operari ſolent, vel (3.) *ſerum imbibentia & incraſſancia*, ut *uſta terrea*, aut aliunde *evacuantia*, ut *purgantia, diuretica*, præſertim ex claſſe *vulnerariorum*, vel (4.) *ſanguinem attemperantia* & quaſi edulcorantia, ut *paſſulæ*, *lacticinia* &c. Ex his patent facilè *remediorum* **formulæ**, v. g. *in hæmorrhagiis turgeſcente nimis ſanguine cum impetu febrili & phlogoſi vaga*

℞. ▽. plantag.
ſemperviv. maj. ana ℥iß.
ſyrupi papav. alb. ℥j.
tinctur. fl. bellid. cum
ſpiritu vitrioli q. s. ad gratam aciditatem. M.
Capiatur cochleatim.

In hæmorrhagia habitualibus ex eodem ſanguine turgeſcente ex acido volatili, v. g. *in vini potatoribus* &c. adeoque in iis, qui vulgo ex ſanguine bilioſo & hepate nimis calido hæmorrhagias pati dicuntur

℞. Dentis hippopot. præp. ℨiß.
corall. rubr. præp. ℨj.
lapid. hæmatit. ℨß.
ſacchari ♄ni ℈ij.
laudani opiat. ℈ß. M. S.

Dämpffend Pulver. Capiatur ſubinde mane quantitas cultelli cuſpidis.

Item ℞. Extr. flor. ℨiij
ebor ſ. △.
dent. hippopot ana ℨß.
corall. rubr præp. ℨj.
lapid. hæmatit. præp. ℈ij.
c. ſ. q. ſyrup. roſ. rubr. & papav. rhæad. f. electuar. M.

Extractum paratur *ex flor. roſarum part. ij. fl. papav. rhæad. bellidis rubr. ana*

ana part. i. per multiplicem infusionem in ∇. simplici, expressionem & inspissationem. Sic parabitis *extractum* succosum ad imitationem *Ang. Salæ, ubi de extractis vegetabilium.*

In hæmorrhagiis habitualibus ex sanguinis tenuitate serosa

℞. Passul. minor. aut earundem pulpæ ℔ß.
rhabarb. el. ℥iij.
Tartari vitriolati Tachenii ℥j. c. s.q.
syrupi pomorum fiat electuarium.

Utile & est *per sudorem* occurrere tali hæmorrhagiæ.

℞. C. C usti ʒj.
terræ sigill. ʒß.
laudani opiat. gr. iij. pro duabus dosibus
cum sudore usurpandis.

In hæmorrhagiâ ab acriori sanguine à lymphâ aut erosione, aliisve modis concitata, sanè polychresta est *mistura Sylvii l. 1. prax. c. 9.* §. 20. ad cujus imitationem

℞. ∇. plantag. ℥iij.
cinamom. ʒij. ad ʒiij.
†vini ʒiij.
corall rubr. præp. ℈ij
terræ sigill. ℈j.
laud. opiat. gr. iij.
syrup. myrtin. ʒiij. capiat cochleatim

In usu igitur sunt ad hæmorrhagias ex regno vegetabili: *Portulaca, plantago, polygonum, millefolium, folia tener. quercus, rosæ rubræ, cortices granatorum, balaustiorum, bursa pastoris, sanicula, pyrola, bellis minor, ruta, hedera terrestris, radix urticæ, Symphitum majus, tormentilla, sanguisorba, bistorta*, &c. *fructus myrtilli*, item *papaver, hyoscyamus, opium*, & quælibet alia hujus generis anodyna: Sanè *succum urticæ majoris* ad ℥ias aliquot internè assumptum ad quamvis hæmorrhagiam mirè extollunt Practici, in specie *Riverius* & *Zacutus Lusitanus*, qui hoc ipso desperatam hæmoptysin curavit; Unde quidam *Syrupum ex succo urticæ* in promptu habere solent. Pertinet huc *radix aronis, urticæ*, & ex eadem paratum *nectar adstringens Langij*. Porro *muscus* & *usnea cranii humani* nobile est ἴσχαιμον, quatenus per mumiam microcosmi imprægnata est, & externo & interno usu periculosissimas sistit hæmorrhagias, *internè* ad gr. xij. ad ℈j. *externè* verò si fieri potest vasis admota. Refert *Lindanus*, se commodissimè, quas nullis remediis sedare potuit hæmorrhagias, restituisse solum per *usneam cranii humani*. Unde *Hillerus centur. 1. cur. 20.* periculosissimam hæmorrhagiam narium ex potu vini concitatam ʒß. *usneæ cranii humani cum* ∇. *bur-*

▽ *bursæ pastoris* curavit. Confer *Beckerum in Medico Microcosm.* *Passulæ* supra laudatæ fuerunt & conducunt in specie hæmorrhagiis ex vitio sanguinis acrioris, serosioris acido salsidioris &c. Nam tali ex causa hæmorrhagias habituales natas crebrior *passularum minorum* comestio sublevat.

Rhabarbarum denique non tam pro sero evacuando, quam sanguine alterando & crasi ejus restituenda in hæmorrhagiis & serosiore sanguine confert. *Camphora* non negligenda, quæ & spiritus afficit & fermenta peregrina acida sanguinis mirificè corrigit.

Ex regno animali sunt animalium partes duræ, in specie *ebur sine △ unicornu verum, dens hippopotami &c.* absorbent vitiosa acida. *Bufo* Sole in ♌ existente transfossus & in syndone rubro appensus, vel applicatus sub axillis in specie convenit in hæmorrhagiis, morbos seu febres malignas comitantibus, aut etiam *recens contusus* sub axillis applicetur. Juxta *bufones & rana* in specie *viridis* exiccata, ejusq; *pulvis in vino rubro* propinatus mirè hæmorrhagias sistit, quæ vivæ contusæ pariter applicari possunt. Imprimis excellit *sperma ranarum*, quod nunc solitario cum pauco *aceto rosaceo* applicatũ singularem vim obtinet hæmorrhagias compescendi. Unde etiam ex eô parata *sperniola Crollii* nobile est medicamentum contra hæmorrhagias dos. ℈ß. ad gr. xv. Nam licet *myrrham* contineat, quæ alias facilè hæmorrhagias resuscitat, nihilominus tamen *sperniola* innocenter usurpari potest, nunc *solitaria*, nunc aliis *mixta*, v. gr.

℞. Lapid. hæmatit. præp. ℈ß.
sperniol. Crollii gr. xv.
laud. opiat gr. ij. M. f. pulvis, divide in 2. partes æquales, detur cum vehiculo ▽ *portulacæ & sempervivi major.* imprægnata cum *syrupo de portulaca* vel *de plantagine.* His accedunt *stercus asininum, suillum & caninum*, quæ tria, utut apparenter sordida sunt revera præstantia, tam interno quam externo usu Sanè præter *pulverem* ex his paratum, ex *stercoribus* istis *expressus succus* ab ℥j. ad ℥iß. propinatus in convenienti vehiculo est efficacissimus.

Vel ℞. Succi stercoris asinini
syrupi myrtini an. ℥ß. adde
▽ plantaginis ℥j. M. pro haustu.

Alii ex dictis *succis* addito *sacchara* parant *syrupum*, qui videatur in *Prævotio*, it. in *Joelis Praxi.* Denique *sanguis* qui effluit, *tostus* & exsiccatus, *pulverisatus* & postmodum ad ʒj. in convenienti vehiculo propinatus, item externè, si fieri potest, loco hæmorrhagiæ applicatus, istam sistit. *Lac* denique ex acrimonia salsa natas hæmorrhagias, item dyscrasiam sanguinis scorbuticam & exinde sanguifluxus corrigit & emendat.

Ex regno minerali eminet ♂ omniaq; ♂*tialia* supra laudata & hinc

quæ ad ejus accedunt naturam, *corallia, lapis hæmatites, terra ♂tiales, bolus armen. terra vitrioli dulcis, vitriolum ♂tis & acidularum potus, spiritus vitrioli* supra laudatus &c, In specie *tinctura sulphuris vitrioli*, item *liquor stipticus, extr. ♂tis Hartmanni in praxi Chymiatr. c. 50. Tinctura antiphthisica &c.* Ipse *acidularum* potus, aut eorum loco *liquor ♂tis Solaris* egregiè conveniunt, præternaturales nimios fluxus sanguinis sistendo & ècontra naturales aut deficientes aut inordinatos restituendo. Pertinet huc *pulvis sympatheticus ex vitriolo ♀ris*, qui sanguini effluenti inspersus ad quasvis hæmorrhagias convenit, si linteum sanguine madidum eo saltem adspergatur, aut linteum cruore effuso ebrium solutioni dicti pulveris immergatur. Denique *nitrum depuratum*, ac quævis *nitrata* egregiè compescunt hæmorrhagias ex turgescentia, æstuatione aut ebullitione nimia sanguinis concitatas, etiamsi per iracundiam excitatæ fuerint. *In specie consideranda* venit

HÆMORRHAGIA NARIUM.

In quorum intimam *superficiem* nunc *superiorem* nunc *inferiorem* terminantes *arteriolæ hæmorrhagiam* excitant; Subinde copiosissimus sanguis est & qui per plures fibras ex naribus effluit, quem tunc ex sinu cerebri falciformi, aut ejus vasis apertis ad nares pervenire multi asserunt, quod tamen falsum, sicuti sufficienter hoc dogma rejecit *Schneiderus tract. de osse cribriform.* Quin potius *vasa ex quibus* effluit, sunt *propagines rami arterialis à carotide interna*, qui juxta processus mammillares plures intersurculos quosdam per foramina ossis cribrosi transmittit ad membranam narium superiorem glandulosam, per quæ vasa, seu per quas arteriolas & lymphæ simul affertur materia, per glandulosam istam texturam excernenda, ita ut ex orificiis istis apertis & propter continuam à lympha humectationem naturaliter laxioribus, *narium hæmorrhagiæ* accidant. Confer Willis. *pharm. rat. p. 2. p.* 40. Præter *causas internas* cum aliis hæmorrhagiis communes, *externas* inter, *pulveres sternutatorii* fortiores inspirati, aut alia quævis *inspirata acriora hæmorrhagiam* hanc excitant. *Imminentem* eam ostendit motus sanguinis sursum versus, cujus *indicia* sunt *dolor capitis & colli tensivus*, temporum vero dolor gravis plus minus *pulsans*, *oculorum caligo vel splendor, lachrymæ involuntariæ, rubor malarum, oculorum pruritus, titillatio narium &c.* imo & pulsus in carpo durus & quasi vibrans, *hæmorrhagiarum recurrentium* & quidem vitio vasorum signum esse solet.

Quoad *prognosin*. Quibus in *febribus acutis & ardentibus* lachrymæ involuntariæ profluunt, his sanguinis ex naribus ruptionem expectare convenit.

nit. *Tam largiores* ſanguinis *evacuationes*, quam ejusdem plus minus, aut etiam planè non conſuetæ ſaltim intempeſtivæ *ſuppreſſiones* morbum excitant: *Hæ* quidem pathemata cerebri & nervoſi generis epileptica, ſoporoſa &c. *Illæ* ſyncopes, achexias, ſingultum & convulſionem. *Stillicidium ſanguinis*, id eſt exigua ſanguinis & ſtillatim facta eruptio, in morbo acuto, præſertim die quarto malum ſignum eſt, niſi forſan cauſa externa, vel excitaverit, vel impediverit hæmorrhagiam. Notabile eſt quod *Hippocrates* jam olim monuit, in affectibus hepatis & lienis fluxus ſanguinis è naribus non è directo factus, id eſt qui in nare diverſa eſt, hoc eſt in dextra, ſi lien laborat & è ſiniſtra, ſi hepar, malum. Nam tales hæmorrhagiæ, ſi debent eſſe proficuæ, κατ' ἴξιν, id eſt rectitudinem fieri debent. *Quibus in febribus ardentibus aures obſurduerunt*, his non ſoluta febri, delirare neceſſe eſt. Solvit autem inter alia & *ſanguinis è naribus eruptio.*

In *cura* præter hactenus enarrata *interna*, eaque reſpectu cauſarum varia, *in paroxyſmo* ſanguinis impetus ad nares, quantum poſſibile avocandus, vel *ſpirituum impetum ſopiendo*, vel *ſanguinis* ὀργασμὸν aut *turgeſcentiam refrænando* & deinde *orificia vaſorum* aperta *occludendo.*

Quoad priorem ſcopum ligaturæ extremorum *dolorificæ*, ſanguinis in brachio vel in pede detractiones, frigidorum & *adſtringentium*, *nuchæ*, *fronti*, item *ſcroto*, *manibus*, *mammis* in mulieribus, interdum & *hepati* applicationes; item *terror* quovis modo inductus, *dolores* graviores circa remotiora loca excitati, aut *lipothymiæ* inductæ conveniunt. Quibus & *ſpecifica* quædam, quæ ſingulari & ſympathetica plus minus vi ſanguinem cohibent, ſimul ſocientur, ut *bufo*, *lignum fraxini*, *pulvis ſympatheticus*, *hæmatites*, *iaſpis &c.* Ægrum nunc in aere libero ac frigido, nunc clauſo ac calido detinendo &c; Nam omnia hæc vel ſpirituum plus minus irritatorum impetum, vel ſanguinis orgaſmum & fluxibilitatem coercendo operationes ſuas exerunt.

Quoad ſecundum ſcopum, ea quæ naribus, eorumque apertis vaſis applicantur, ſunt *alumen*, *vitriolum*, *ſtercora*, *fuligo*, ac quælibet *adſtringentia*, *&c.* de quibus omnibus in ſpecie jam agendum. Confer tamen *Williſ. pharm. rat. p.* 2. V. Ses ſubinde locum habent, utut raró, non ſecus ac *cucurbitulæ*. Obſervandæ tamen ubique *revulſionis* & *derivationis leges.* Horum loco frigida & *adſtringentia*, ſanguinem plus minus coagulantia, ejusque nimium motum inteſtinum, fermentativum tam naturalem, quam præter naturalem refrænantia, adeoque ab effectu *refrigerantia* dicta, *externe* applicantur. Hîc inter alia convenit imprimis *cataplaſma ex aceto & argilla calcinata*, v. g. *ex furno piſtoris cum aceto* invicem permiſtis ac fronti cum temporibus ac nuchæ applicatum medicamentum, ſine lintei impoſitione eſt egregium. Idem *cataplaſma* teſtibus in maribus applicatum ceu expertiſſimum habetur à *Riverio*, quod in mulieribus mammis appli-

cari poteſt. Alii *bolum cum aceto*, alii *gypſum cum aceto* dictis modis applicant. Item *Epithema ex aceto*, *ſucco ſempervivi maj.* ℥ β, addito plus minus *camphora* teſtibus applicatum, mirabiliter hæmorrhagiam narium ſiſtit.

Sunt qui talia etiam *regioni hepatis* applicant, ac deſperatis narium hæmorrhagiis conſulunt. Vide *Horſtium l.4.obſ.46.* ubi notabile occurrit *exemplum*, quod ex tali *epithemate epatico* ſuppreſſa quidem fuerit hæmorrhagia narium, ſed inſequente diarrhœa billioſa. Porrò ex *fuligine*, *albumine ovi* & *aceto* miſtis *frontale* parant, quod rarò fallere dicitur. Sic *ſperma ranarum* cum pauco *alumine* fronti ac temporibus applicatum, vel linteum in eo aliquoties intinctum, iterumque exiccatum, idque repetitis vicibus, tempore uſus fronti ac temporibus impoſitum egregiè hæmorrhagias deprimit. Ut ſupra *venæſectiones* & *cucurbitulas ſcarificatas* revulſionis gratia uſurpari aſſertum fuit, ita pro eodem ſcopo non pauci applicant *cucurbitulas non ſcarificatas* hypochondriis hepatis & lienis regionibus. Sic *Amatus Luſitanus cent.2.curat.* 100. mediante *cucurbitula* ſplenis regioni admota, & frigida teſtibus applicata ingentem hæmorrhagiam ſedavit. *Verum hic cautos nos eſſe debere* monent Practici, cum interdum *cucurbitulas* tales admotas ſequatur *inflammatio viſcerum* ſub cucurbitulis ſitorum, quale exemplum refert *Hildanus in ſuis obſervationibus*, adeoque cauti in applicatione ſimus. Potius *nuchæ ventoſæ magnæ* impoſitæ locum interdum inveniunt. *Conf. M. A. N. C. Anno. 6. p.* 130. Quo pertinent *cucurbitulæ ſupra pedes* admotæ, quæ miraculi inſtar hæmorrhagiam narium ſiſtunt, autore *Foreſto l.*13. *obſ.* 14. ad iſta epithemata pertinet *frontale Poterii centur.* 1. *cur.*67. ex *croco* ♂*tis bol. armen.* & *opio cum oleo roſarum* miſtis & temporibus applicatis, quo ipſo contumacem hæmorrhagiam curavit. *Terrores*, *lipothymiæ*, excitati *dolores*, ſpirituum & hinc ſanguinis motum partim ſiſtendo, partim aliunde derivando ſubinde proficuæ exiſtunt. Sic ſunt qui ceu remedium revulſorium proponunt *incurvationem minimi digiti*; Cum enim vehemens illa compreſſio intenſum dolorem pariat, hujus occaſione forſan hæmorrhagiæ medela erit. Nec alia ratio videtur, quare contumax hæmorrhagia per *cauteria actualia plantis pedum* admota curata fuerit *à Zacuto Luſitano l.*1 .*prax. admir. obſervat.*66.

Specifica inter primarium locum habet *bufo*, cujus jam aliquoties facta fuit mentio; hinc & *emplaſtrum magneticum Cnöphelii ex bufone* locum habebit *vid. M. A. N. C. Ann.*6. *append. p.*33. *Lignum ſympatheticum ex fraxino* certo tempore deciſum, revera nobile experimentum, cujus naribus admoti felicem ſucceſſum ſtupens obſervavi. *Hæmatites* in manu detentus ſubinde egregium eſt remedium. Differentia tamen hic eſt obſervanda, cum non omnis præſtare ſoleat. Egregiam tamen obſervationem quoad ejus electionem *vid. in Boyle*

Boyle

Boyle de Gemmis. Si quid aliud, certè *Jaspis genuinus*, cujus rube 'o venulis herbaceis est distincta, argento cinctus, hæmorrhagias sistit, si saltem in manu detineatur. Sanè ejus effectum à se expertum in casu 3. Medicorum desperato refert *Schmuck. in curatione magica magnet. p.* 16. videbitis hoc confirmatum ab *Hildano Cent.* 3. *observ.* 2 item *Boyle tr. de gemmis p.* 102. Denique æger nunc in aere frigido, nunc in calido est asservandus. Prout enim sanguis & corporis habitus magis vel minus transpirabiles existunt, tales, *si magis transpirent*, in lecto, *sin minus* extra lectum continendi sunt. vid. *Willis. cit. oco.*

Quoad auxilia & remedia tertii scopi eminet *alumen*. Hoc vel ita integre naribus intrusum, vel cum *lacca pictorum* in formam *pulveris* redactum & ita cum turunda in aqua humectata applicatum, vel *solutio ejus* dicto modo naribus intrusa, nobile est stypticum sanguinem sistens *vid. M. A. N. C. ann.* 1. *p.* 90. item *Borellum Centur.* 4. *observ.* 7. & 50. Par ratio est *vitrioli*. Hujus *solutio* vel ad albedinem calcinati *pulvis* dictis modis applicatus, coagulando sanguinem & adstringendo orificia vasorum egregium est. Et sane ex hoc ipso ceu basi decantatus iste *liquor stypticus Galli* revera oritur, utpote, qui quocunque loco *externè* usurpatus sanguinem undecunque erumpentem sistit. *Conf. Willis. cit. loco.* item *Act. Medic. Haffniens. vol.* 2. *p* 353. Par ratio, si à quibusdam *atramentum* laudatur, quod quocunque modo naribus applicatum & intrusum, præsertim *gossypium atramento* infectum, aliquantulum expressum & in turundæ formam formatum naribus confert, vi nempe *styptica vitriolacea*. Sic *tinctura sulphuris vitrioli* naribus immissa eundem effectum sortitur, sic *phlegma spiritus vitrioli acidulum*, cum potentissime sanguinem inspisset & coagulet, naribus immissum, fluxum reprimit. *Fuligo furni* supra laudata cum *albumine ovi* mista turundæ illita & naribus intrusa, hæmorrhagiam sistit, aut etiam *albumen ovi cum alumine subactum* dictô modô applicatum. Nempe est in *fuligine* acidum, *cum terreis particulis* admistum, à quibus vis adstrictoria. Præstantissima *fuligo est ista*, quæ è fundo vasorum & cacaborum æneorum, quæ in culina usurpantur, colligitur, quæ fuligo cultello separata ac naribus intrusa, vel pulverisata cum sanguine patientis mista & turundarum forma naribus immissa sanguinem sistit, remedium etiam à *Willis. cit. loco*, tanquam expertum commendatum. Denique *stercora animalium* naribus applicata, vel *pulvis stercoris asinini & suilli* naribus inspersus & insufflatus, vel eorum succis turundæ immissæ sanguinem sistunt, imò *stercus suillum recens* excretum solo odore sanguinem narium sistere dicitur. Sic denique dicta *adstringentia* naribus immissa hæmorrhagias subinde periculosas sistere valent, *conf. M. A. N. C. Ann.* 2. *p.* 323.

GINGIVARUM HÆMORRHAGIA.

Porro *ex Gingivis* subinde gravis *hæmorrhagia* oriri observatur, eaque adeo copiosa ut *Schenckius* lethalem ex Gingivis hæmorrhagiam observaverit. *Hæmorrhagia* talis gingivarum interdum *critica* est, interdum *periodica*. *Criticam* refert *Zacutus Lusitanus lib.* 1. *prax. admir. obs.* 86. *Periodicam* vero *Schenck. lib.* 1. *observ.*

Causa Hæmorrhagiæ gingivarum est in specie vel gingivarum *laxitas scorbutica*, conjuncta cum corrosione vasculorum à saliva nimis corrodente facta, vel quod frequentissimum est, *post* ineptam *dentis evulsionem* insequi solet. *Hæmorrhagia* hæc gingivarum *quæ est à natura*, ut *critica* aut *periodica*, non est sedanda, nisi succedanea substituatur evacuatio. *Ista* vero quæ est *præter naturam*, adeoq; *à scorbuto*, sistenda per *tincturam laccæ Mynsichti, vel elect. Deckeri*, quæ sunt in *Commentar. Pract. ubi de scorbuto*; Item *decoctum rad. torment. cum alumine*. *Quæ vero est propter dentem evulsum*, curatur cum *bombace tinctura sulphuris vitrioli*, ut vocatur, intincto & admoto, vel applicetur *solutio vitrioli*, quæ sanguinem sistit, vel imponatur *gummi arabicum*, quod glutinositate sua sanguinem ex arteriis emanantem restringit, vel fiat *decoctum ad gargarisandum*

℞. Rad. tormentill.
bistort. aa. ℥iij.
gallar. contusar. ℥ß.
semin. papaver. alb. ʒij.
coq. in s.q aqu. simpl. Colaturæ adde
boli Armeni vel vulg. ʒij.
opii parum M.

Confer *M. A. N. C. Ann.* 3. *p.* 534 aliis irritis *cauterium actuale* admoveri potest *Conf. M. A. N. C. Ann.* 2. *p.* 87.

SPUTUM SANGUINIS.

Ulterius sanguis per os ejicitur in affectu qui *sputum sanguis*, seu *hæmoptysis* appellatur, idque ad differentiam *sanguinis vomitus de quo supra.* Sanguis iste, qui spuendo ejicitur, *ex variis locis* promanare & hinc in os derivari solet, *ex summitate narium, palato, gingivis, faucibus, œsophagô* & quibusvis aliis vicinis locis. *In specie* tamen istud sanguinis sputum in considerationem venit Medicam & *hæmoptysis* dicitur, quando sanguis ex respirationis organis, speciatim *ex pulmo-*

pulmonibus, rejicitur. Manat sanguis tunc ex arteriis in pulmonibus, vel ex arteriis trachealibus, ex arteria nempe aortæ oriundis, ut rectè & accuratè has distinguit *Willis Pharmacop. ration. P. 2. p.* 151.

Pars affecta in Hæmoptysi nunc est superior larynx ejusque cavitas, *nunc* intermedii ductus tracheales, *nunc* eorum ultimæ extremitates orbiculares, adeoque ipse pulmo. Quæ *partis affectæ differentiæ* probè attendendæ sunt ad explicandos diversos hæmoptoseos modos. Nam ordinariò quidem *cum tussi* fit *hæmoptysis*, nempe quando pulmo affectus est, aut profundiores tracheæ rami; interdum vero *sine tussi* etiam gravis *hæmoptysis* contingere potest, quando nempe saltim superior tracheæ pars affecta est, in quo casu plus minus aliquali *screatu* prævio sanguis erumpit. *Conf. M. A. N. C. Ann. 2. p.* 83. & *Willis cit. loc. p.* 153. Sicutiècontra non omnis sanguis, qui tussi rejicitur, præcisè ex thorace est. Nam si sanguis confertim ex faucibus erumpat, & laryngem plus minus irritet, sputum sanguinis cum tussi inferre potest, utut malum non sit in aspera arteria, vel thorace. Propterea & alia *concurrentia pathemata* probè considerand sunt, utut frequentissimè sanguis, qui expuitione levi ex ore rejicitur, sit ex partibus palatinis, naribus aut vicinis superioribus; *qui vel levi screatu expuitur*, est ex faucibus, summitate arteriæ asperæ, & vicinis locis; *qui vero tussi* præsertim *reiterata* profunda & accidente conatu rejicitur, ferè ex thorace esse observatur.

Sanguis qui excernitur, *nunc*, idque frequentius, est floridus, spumosus, *nunc* idque rarius, obscurus, niger & semi grumosus; *Nam sanguis, qui ex pectore effluit*, cum ex arteriis promanat, & vehiculo reciprocantis aëris rejicitur, floridus, tenuis ac spumosus erumpere solet. *Qui vero diutius in pulmone, thorace*, aut loco vicino hæserit & ita demum ejicitur, niger, obscurus, plus minus grumosus esse observatur. *Ejicitur sanguis nunc paucus* & parcus, *nunc* vero *copiosus*, prout nempe conditio vel vasis aperti, vel impetus sanguinis undecunq; concitati tulerit.

Hæmoptysis nunc est recens, nunc *inveterata* & hæc vel *periodica* vel *non periodica*. Sanè *Hæmoptoseum inveteratarum periodicarum* innocuarum, quin potius cum euphoria ægrorum contingentium, plura hinc inde prostant exempla *Conf. Bartholin. Acta Medic. Hafn. vol.* 1. *p.* 146. sic *anniversariam Hæmoptysin* observavit *Rhodius cent. 2. obs.* 84 sic diurnam *periodicam* notat *Amatus Lusitanus centur. 6. cur.* 49. Casus revera est singularis, cùm æger singulis horis interdiu semel expuat sanguinem, noctu vero licet vigilet, nil excernat. *Indolens* subinde est *hæmoptysis*; nunc vero *cum dolore* plus minus conjuncta, vel constrictivo pulmonum, vel gravativo obtuso eorundem, vel rodente & plus minus irritante in aspera arteria &c, pro causarum nempe varietate,

Causæ

Causæ hæ quæ hæmoptysin inferunt, sunt *vel in sanguine, vel in vasis*, seu hæc *anastomosi*, seu *diæresi*, aperiantur. *Generales* istæ *causæ* ex superioribus notæ sunt. Nempe 1. *ruptio* ejusdem *vasis* in pulmone ex clamore fit, corporis motu, oneris gestatione, casu ab alto, tussi concitatiori, copiosiore effusioreq; risu, de quo vide *Zacut. Lusitan. l 2.* 2. *Est erosio* in pulmonibus facta, aut *ab externis* inspiratis, v. g. *spiritu aquarum fortium*, vel à *causa interna*, eaq; omnium frequentissima, *lympha* nempe nimis *acri* tam salsa, quam acida crodente *scorbutica*, aut alia simili labe inquinata, quam subinde solet antecedere tussis ferina nocturna. Et hæc *hæmoptysis* est ista, quæ relinquit *vomicam pulmonum* & *Phthisin* pedissequas. *Pertinet huc*, quod post sanatum ulcus pedum supervenit sanguinis sputum, dubio procul ex retrogresso fermento acri & corrosivo partes pulmonales erodente, quale exemplum refert *Rhodius Cent. 2. observ.* 54. *3tio* est evacuationis cujusdam *solennis suppressio*, præsertim in partibus corporis inferioribus. Sic nil frequentis est, quàm quod *suppressionem mensium* & *hæmorrhoidum* subsequatur *sputum sanguinis*, ex sanguine circa præcordia coacervato, stagnante & *anastomosin* vasorum inferente. Hæ sunt *ordinariæ* ferè *sanguinis sputi causæ*. Rarum est, quod cum potu hauriantur *hirudines* quæ in faucibus hærentes, & sanguinem emulgentes, sputum sanguinis inducant. *Exemplum vide in Schenck. l. 2. obs. & Borelli Cent. 1. obs. 24.* Sic non minus curiosum est, quod *thermarum usus* in quibusdam hoc malum excitaverit, autore *Willis Pharm. rat. P. 2. p. 155.*

Quoad *prognosin*, *hæmoptysis pulmonalis* sæpius *tabem* & *phthisin* post se trahit, præsertim si præcedentem insequatur erosionem. Sic *sputum sanguinis, si* est *primarius morbus*, magis periculosum est, *quam si* est *morbus secundarius*, ut in pleuritide, peripneumonia, &c. Sputum sanguinis periodicum si sine pulmonum singulari noxâ contigerit, minus periculosum est, quam si cum pulmonum vitio junctum fuerit.

Quoad *curam*. *Hæc* vel *in paroxysmo* vel *extra paroxysmum* instituitur.

In paroxysmo 1. *sanguinis impetus ad partem* affectam *sistendus*. 2. *Vasorum læsio tollenda*; *prius fit causæ vel remotione*, vel saltim *suspensione* & sanguinis motus certa determinatione, h. e. vel spirituum impetum, vel sanguinis turgescentiam vel copiam &c. *revellendo*, *derivando*, *papaverinis* &c. cohibendo. *Posterius* peragitur *vulnerariis* & *adstringentibus*.

Cura extra paroxysmum præservatoria consistit in eo, ut *recidiva* præcaveatur, 1. *causam* ex toto *removendo*. 2. *pulmones* plus minus læsos

læſos *ſanando.* In quem finem poſteriorem, ſi quid reſtiterit grumoſi ſanguinis poſt paroxyſmum, ſedulo hoc removendum.

Pro his ſcopis aſſequendis interdum neceſſe eſt in paroxyſmo, ut præmittatur I. V. S quò ſub liberiore ſanguinis circulo minus confertim per venam læſam effluat. *Non tamen hoc in omnibus* æque obtinet, cum in quibusdam *phlebotomia* interdum malum exaſperare ſoleat. *Conf. Willis Pharm. rat. P.* 2. *p.* 167. adeoque circumſtantiæ ſupra circa venæſectionem *in hæmorrhagiis* inſtituendam in genere inſinuatæ probè notandæ, obſervando ſimul *revulſionis leges* v. g. *ſi ſanguinis ſputum ex menſibus ſuppreſſis*, ſecetur vena in pede, *ubi ex hæmorrhagia narium ſolemni* ſuppreſſa, ſecetur in brachio &c. In iſta autem *hæmoptyſi*, quæ eſt *ex corroſione* ab acrimonia contentorum, inepta penitus & fruſtranea eſt venæſectio.

2. *Purgantia* vitentur. *Diuretica* potius ſunt optima. Nam *hæmoptici* minus ferunt catharſin, utpotè à qua facilè in tabem conjiciuntur Ac ſanè ipſi, uti & alii, cognatis pectoris affectibus *ad phthiſin* facilè terminabilibus affecti, copioſiſſimè, etiam à levi purgante, adeoque non ſine noxa purgantur.

3. Præ aliis Hæmorrhagiarum ſpeciebus præſertim in hæmoptoe *Opiata* ſunt perquam proficua, & inter hæc ipſa in ſpecie *ſem. hyoſcyami* ſpecificum in hoc caſu, præſertim ſi malum eſt ab acrimonia corrodente. Sane ab omnibus decantatum eſt hoc remedium, idque jam ab *Hippocratis* temporibus commendatur. Unde & *Helid. Paduanus Electuarium ad hæmoptyſin* expertiſſimum habet

℞. Sem. hyoſcyami alb.
papav. alb. aa. ʒx.
terr. ſigillat.
corall. rubr. aa. ʒv.
ſacch. roſ. antiqu. q. ſ. M. Capiatur crebrius.

Facit huc *electuarium Heurnii ex conſerva roſarum cum ſemine hyoſcyami, bolo, lapid. hæmatit. in comm. ſuper aphoriſmos Hipp.* §. 13. *ſect.* 5.

Quoad *remedia* cætera, præter ea, quæ *ſupra de hæmorrhagia* in genere fuerunt laudata, ſpecialius ea conveniunt, quæ acrimoniam vaſa erodentem, utpote cauſarum internarum frequentiſſimam reſpiciunt. Imprimis *portulaca* & *plantago*, ſunt inſignis commendationis. *Portulaca* enim quocunque modo uſurpata ſanguinis fluxum ſiſtit & ſimul acrimoniam corroſivam, ſi quæ ſubeſt, temperat, unde ejus *ſuccus* & *ſyrupus* ad aliquot uncias propinatus egregiè prodeſt, præſertim *opiatis* ſociatus.

Cujus loco paria *ex plantagine* remedia conveniunt, unde & *decoctum por-*

tulacæ cum radice symphyti & herba prunellæ in vino rubro paratum prodest. Hinc & *hedera terrestis* in sputo cruento plane mirabilis, idque imprimis post paroxysmum, partim, si qui adsunt grumi, resolvendo, partim læsionem inductam consolidando, partim alterationem contentorum recidivam præcavendo. Hinc ejus *syrupus decoctum* ac *conserva* sunt polychresta. v. g.

℞. Conserv. heder. terrestris ℥ij.
trochisc. de carabe ʒj.
terræ sigill. lap. hæmatit. præp. aa. ℈j.
laud. opiat. gr. iij. cum s. q. syrupi de symphyto Fernelij.
F. Electuarium. D. S. Anhaltende Lattwerg.

Hinc pariter *conserva rosarum antiqua*, item *pulvis summitatum* & *pilosarum excrescentiarum cynosbati*, Schlaffkuntzen/ egregia *specifica* sunt in hoc malo, non secus ac *oleum lini* cochleatim usurpatum mira præstat. *Conf. M. A. N. C. Ann. 6 p. 308. Spiritus vitrioli* à *Castello* commendatur tanquam expertus in sputo sanguinis, quia coagulando sanguinem, eumque inspissando eruptionem ejus impedit. v. g.

℞. ▽. plantagin. ℥vj.
Syrupi de rosis siccis ℥j.
Spir. vitrioli rectificati vel ejus ol. ℈j. M. capiatur cochleatim.

Confer simul *Hartmannus ubi de sanguinis sputo.* Sed cave, dicit *Lindanus*, ne propines, si vel minima suspicio ulceris in pulmone est; Prodest alias ad fervorem sanguinis restinguendum, quatenus acre serum præcipitat, & ducit ad vias urinarias. *Pro his aliàs*, si copiosè fluat sanguis, nobile est remedium hoc simplex ℞. *mala cydonior.* cruda, seu *matura* seu *immatura*, quocunque modo haberi queant, scinde minutim, in tenues lamellas, coqu. diu in aqua communi in diplomate, donec penitus mollescant; Ubi cocta sunt, separa aquam seorsim, laminas vero exprime fortiter. Hic *succus* detur à cochl. j. à iij ter quaterve in die. Hoc præmissa venæsectione sistit omnem *hæmorrhagiam* pulmonum, etiamsi â corrosione fuerit. Deinde aquam illam *decoctionis pomorum* per residentiam clarificatam ℞. addito tantillo *sacchari candi*; vel *decoctum hordei*, in quo *passulæ corinthiacæ coctæ*, absq; *sacchoro* da potui. Hoc ego nunquam sine certo auxilio usus fui. De *syrupo stercoris asinini* supra actum fuit. Ad hæmoptysin vero in specie *stercus muris* à ʒß. ad ʒj. cum *succo plantaginis* propinetur addito *sacchoro* pauco. M. F. potio mane stomacho jejuno & vesperi in introitu lecti danda per aliquot dies. Convenit in specie, si fuerit hæmoptysis ob ruptum pulmonis vas. Cætera, ut *lapis hæmatites, bolus armena, martialia*, in specie *tinctura sulphuris vitrioli, tinctura antiphthisica* ex supradictis jam nota sunt. *In malo graviore* autem, ex causis externis sæpe *recidivante decocta pectoralia ex lignis* sunt

egregia

egregia, de quibus conf. *Willis Pharm. rat. P. 2. p. 167. & 171.* Ex quibus facilè variæ possunt fieri formulæ v. g.

℞. Conserv. rosar.
heder. terr. an. ℥j.
lap. hæmatit. præp. ʒij.
corall. rubr. præp ʒj.
▽ sigill. ℈ij. c. s. q.
syr. papav. alb. F. Electuar. capiatur pro lubitu.

Curavi aliquando studiosum gravi hæmoptoe laborantem in magna copia, cui in paroxysmo propinavi *misturam* istam *polychrestam supra p.* 460. laudatam, cujus usu & sputum cessavit. Hinc pro reliquiis grumosis resolvendis

℞. ▽. chærefol. ℥iij.
† vin. ℥iij.
lap. ♋. præp. ʒj.
☿. diaph gr. xv.
syr. scabios. ℥ß M.

His præmissis *ad imitationem Sylvii* præscripsi *decoctum pectorale ex lignis*:

℞. Ras. santal. rubr. ℥j.
lign. sassafr. ℥ß. macerentur per 12. horas in ▽. comm. ℔viij. coq. ad consumpt. ℔jß. adde
Herb. heder. terrestris
comar. hyperic.
veronic. an. mij.
sem. fœnic. ʒvj.
rad. liquirit. ℥iij.
passul. min. conquass. ℥ij. coq. ad remanentiam ℔jv. Colat. D.

& capiatur bonus haustus manè, meridie & sub introitu lecti. Interea ad demulcendum calorem hecticum

℞. Lap. ♋. præp.
antihectic. Poter. an. ʒß.
corall. rub. præp. ℈j. M. pro 2. dos. vel 3.

It. ob sudores nocturnos debilitantes & emaciantes

℞. Lap. ♋. præp.
antihectic. Poter. an. ʒß.
arcan. duplic.
laud. op. ferment. gr. jv. M. pro 4. l. 5. dos. vespertinis, horâ 5. præterpropter à meridie assumendis.

CAPUT III
DE
URINÆ IN RENIBUS SECRETIONE LÆSA.

S*Anguis in totum corpus distribuitur ex corde*, ut istud nutriat, & beneficio spiritus vitalis in esse vitali conservet. Verùm præter hunc *usum* etiam in singulis partibus & visceribus internis idem sanguis aliquid patitur, non tantummodo, quatenus in quibusdam *determinatam* patitur *alterationem*, sed econtra quatenus fit *separatiô* quædam *singularis cujusdam liquoris* ab eodem, utpote cum videamus, *in hepatle* & *folliculo fellis bilem* separari, *in renibus urinam*, in *glandibus* partem materiæ *lymphæ* &c.

Primum viscus notabile, cui sanguis post suum descensum exinde occurrit, est LIEN, cujus *actio læditur*, *quando vitiatum viscus, vel* 1. *intemperie ratione spiritus insiti.* 2. *quando læditur in conformatione* ex infarctu, indeque nato tumore, & tandem scirrhescentia. Denique *quando* 3. *specificum ejus fermentum plus minus alteratur aut deficit*, vitio præsertim spirituum animalium copiosius aliâs ad lienem distribu:orum.

Vitia hæc *lienis* nunc sunt *hæreditaria*, nunc idque frequentius *aliis superveniunt morbis.* Equidem non levis abusus circa *affectus splenetícos* occurrit, dum nescio quæ mala subinde *spleni*, licet *insonti*, attribuuntur; interim non penitus rejiciendi sunt, sed ferè se produnt per *symptomata convulsiva* seu spasmos ratione consensus nervorum, & hinc per *perturbationem mentis.* Præterea se produnt ordinario *dolore gravi obtuso* quasi contundente (minimè omnium punctorio, quem apud nullum spleneticum observare potui) & subsequentibus *spasmis* &c. v. g. *Studiosus quidam* repentino dolore hypochondrii sinistri profundo corripiebatur, superveniente lipothymia gravi cum aphonia ferè & spasmis, motibus convulsivis ac doloribus lancinantibus in omnibus artubus, præsertim manibus; malum radicitus erat ex *splene.* *Mercator quidam* conqueritur de continuo dolore in hypochondrio sinistro quasi compressivo, levamen egregium sentit ex applicato *Empl. de Nicotian. cum ana Gumm. Tacamahac.* Sed corripitur hinc *hemicrania* gravi partis sinistræ, urgente præsertim regionem temporum istius lateris, turbante simul caput insigniter. Remoto vero *Emplastro* in isto latere evanescit hemicrania, redeunte hypochondrii molestiâ. Totus affectus erat ex *splene.*

Mulier

Mulier dolore hypochondriaco sinistro profundo & quasi lacerante afficitur sentit exinde dolores lancinantes & lacerantes, universum abdomen torqueri, & totum intestinorum situm recurrentibus creberrimis doloribus affligi. *Affectus* revera erat *spasmodicus, ob plexum lienarem* nerveum, ex male habente splene in spasmos actum.

Studiosus nobilis in pueritiâ diuturnâ quartanâ & hinc hydrope affectus, tandem ab hac mediante copioso urinæ fluxu curatus, redditus erat summè *spleneticus*, cum mentis perturbatione & melancholiâ. Nempe quoties insignior tempestatis, in specie verno aut autumnali tempore, immineret mutatio, toties sensum *palpitationis* in imo seu profundo hypochondrii sinistri, prope spinam dorsi ferè percipit, quam *dolor gravativus & obscurus lienis* in isto loco comitatur. Hinc caput turbari, anxius ipse reddi &c. incipiebat, adeo ut uno alterove die, antequam contingeret tempestatis mutationem imminere, dictis in locis & modis ipse perciperet, cùm aliàs in dictâ regione nullam pulsationem perciperet, animosus & hilaris, optimè animo & corpore valens esset. Adeoq; & hic *quartanæ confirmatæ* splenem simul afficientes, & hujus male affecti *pulsatio hypochondriaca*, quam *Helmont* urget, & hanc insequentia *melancholica pathemata* consideranda veniunt.

Lienis intemperiem vitiatam corrigere difficile est; ejusdem tamen infarctus, *tumores* & *scirrhos* leviores aut incipientes emendant omnia dicta *aperientia*, item *gummata*, uti superius *de morbis chronicis*. *Fermenti lienis* vero restaurationem vix nisi talibus, quæ spirituum animalium defectus restaurare valent, curare possumus.

Alterum viscus, cui occurrit sanguis, est HEPAR cum annexo *folliculo felleo*, quæ conspirant circa *bilis generationem*. *Læditur harum partium functio* 1. *læso spiritu insito*, seu ut vocant, *in morbo intemperiei*, dum intemperies vel excedit occasione acidi vitiosi ad instar spinæ infixæ spiritum lacessentis, vel dum deficit intemperies, occasione spiritus deficientis aut exhausti.

2. *Læsâ conformatione* harum partium organica, in *obstructionibus*, *tumoribus*, *scirrhis*, 3. Suo modo addi potest, quando *sanguinis vitio* læditur functio harum partium, *quando nempe ineptus est ut* ex eodem aut generetur, aut *separetur materia bilis*, unde postmodum vitia bilis superveniunt.

Curantur hæc vitia, *intemperiei* quidem corrigendo vitiosum istud, spiritum afficiens, & confortando tonum dictarum partium per *amara* & moderata *styptica*, ut sunt *rhababarbarum*, *absinthium* &c. *Conformationis* vitia emendantur

tur per *aperientia* supra dicta. *Sanguinis & bilis errata* corriguntur per *aromatica amara* nunc plus minus *acria*, prout vitium bilis requisiverit, de quibus jam alia dictum.

Tertium viscum, cui occurrit M.S. sunt RENES, in quibus secernitur *lixivium volatile*, seu latex ▽osus, 🜔e volatili salso oleoso impraegnatus, qui simul certo modo alteratur, ita ut *materialiter* quidem urina in sanguine praeexistat, sed non *formaliter*. Testantur hoc *attributa & proprietates urinae*, in colore, odore, sapore &c. distincta admodum à latice sanguinis seroso, & in nullo alio succo reperibiles. *Medium secretionis* mechanicum sufficienter docet *Bellinus*, quod nempe per fibras fistulosas trajiciatur serum, urinae materia exactior quidem sed simul obscurior. Idem docere satagit *Malphigius in scrutinio Viscerum*. *Medium verò alterationis* est *fermentum* quoddam peculiare, ab effectu ac proprietatibus stercorarium & loci putrefactivum dictum ab *Helmontio c.4. de Luthiasi*.

Læditur hæc secretio urinæ in renibus. 1. quando nulla fit, & est *abolita*. 2. Quando est *imminuta*, & non sufficiens pro necessitate naturali. 3. Quando ea est *nimia* adeoque *aucta*. 4. Quando eadem est *depravata*.

Urinam dixi *lixivium*, constans duabus partibus ▽osa nempe 🜔ibus salsis oleosis impraegnata, & quidem haec de *urina sanguinis* imprimis intelligenda, nam cum *urina potus* nil hic nobis negotii. *Jam vero in istis urinae secretionibus utraque* haec *pars* constituens *urinam* probè attendenda, & nunc *haec* nunc *illa* consideranda, cum juxta utramque partem laedi possit ejus *secretio*. *Interdum enim* v. g. *læditur secretio juxta laticem ▽osum*, qui nimis copiosus, paucis contentis salinis saturatus, & tunc urina utplurimum est pallida & tenuis, aliàs cruda dicta; *è contra interdum contenta 🜔ina sunt nimis copiosa*, vel propter defectum laticis exhausti, per inediam, sudores &c. vel propter copiam salium vitiosorum in M.S. cum urina excernendorum. Haec *in genere*.

In specie urinæ secretio imminuta est, quando minus ejus per *renes* transcolatur quàm decet, *ratione nempe proportionis ad serum in M. S.* qvando verò parum inest seri, ut quando hoc crebrioribus sudoribus exhauritur, aut non sufficiente potu restauratur, aut alibi colligitur ut in Ascite, tunc non potest dici imminuta seri excretio, quia proportionaliter sero in sanguine residuo respondet. *Tunc igitur est imminuta secretio urinæ*, quando *proportione* non respondet assumptis & inde collecto sero in M. S. Sicut *abolita* vocari debet,

debet, quando nil excernitur & tunc alias vocatur *Ischuria seu urinæ suppressio*, quæ *generali* hoc *nomine* oritur *vel vitio renum* non secernentium, *vel vitio vesicæ* non excernentis.

ISCHURIA RENALIS

Jam consideranda venit, quæ *vitio renum* non secernentium oritur, cujus leviores causæ *imminutam secretionem* efficiunt. *Urinam esse suppressam, patet* ex cessante ejusdem excretione, quod quando *vitio renum* evenit, nulla urinæ in vesica adsunt vestigia, adeo, ut licet immisso *cathetere*, aut factâ etiam *suctione* exploratio instituatur, urinæ nil excernatur. Accedit quòd nullus vesicæ tumor, nulla tensio ejus, nullus in pube dolor, nulla gravitas perinæi aliave similia *symptomata* adsint.

Causæ, propter quas renes urinas non secernunt, *sunt vel in ipso sanguine vel in ipsis renibus*. *In sanguine vitium* hæret, quando massa ejus tota unà cum sero, adeoque omnes ejus partes ita sunt dispositæ ac firmiter inter se connexæ, seu ut loquitur *Willis Pharm. rat. p. 1. p. 166.* quando sanguinis compages ita est serrata, ut commode ex eadem, per angustos renum porulos, secretio legitima fieri nequeat: *Vitium, quod ferè ab acido* sui generis intimius Mm. Sm. cogente oriri videtur, licet ex utroque nunc acido, nunc alcali acrioribus existentibus vitium hocce in sanguinem derivet *Sylvius de Hydrope l. 4. prax.* § 167. *& seqq.* Videmus hoc sæpius in morbis chronicis cum Scirrho hepatis & lienis conjunctis, in quibus *pauca est urinæ secretio* ejusque simul crudæ seu paucis contentis saturatæ utut alias sint Salivatores, aut plus minus cachectici &c. Propinatis vero remediis appropriatis vitiosam sanguinis crasin alterantibus, & tumores viscerum reserantibus copiosior & turbidæ urinæ sequitur effluxus. *Pertinent huc etiam sanguinis vitia*, quando propter *abundantiam* legitimè licet circulatus, aliquali circa vasa emulgentia circulatione, nil tamen ex renibus admittit. Simul vero atque *secta* fuerit *brachii vena*, ejusque quantum imminuitur, copiosus urinæ fluxus sequitur. Vid. *River. Cent. 1. obs. 1. & obs. 89.* Simile exemplum curiosum habet *Tulpius de Ischuria Lunatica l. 2. obs. c. 43.*

Quoad Ischuriam ex vitio renum, hujus triplex ferè subest causa. (1.) *ex meatuum renalium obstructione* seu infarctu. (2) *ex læso fibrarum* fistulosarum renalium *tono*, seu tonus sit resolutus, ut in *ἀτονίᾳ*, seu sit nimis quasi

quasi firmus, ut in *spasmodica contractura*. 3. *Ex defectu aut inertia fermenti renalis* transcolationem & alterationem urinæ non benè promoventis.

Quoad primum vitium inter ea, quæ *obstruunt*, sunt 1. *sanguis congrumatus* vel ex casu ab alto circa renes collectus, vel ex aliis partibus per sanguinis circulum ad renes derivatus, id quod causæ antecedentes confirmabunt. 2. *Est pus* vel ex ulcere renum, vel ex aliis partibus ad renes derivatum, quo ipso sæpe urina supprimitur, id quod pariter ex antecedentibus vel renum, vel aliarum partium vomicis aut suppurationibus suspicari licebit. 3. *Obstruunt renes humores crassi ac viscidi*, imprimis cum urina potus ad renes delati, vel etiam cum sanguine eò distributi, qui infarcientes porulos ineptos reddunt renes pro urinæ secretione; quò pertinet observatio *Amat. Lusit. Cent. 6. cur.* 12. de puero *ischuria* laborante ob *crassitiem lactis* nutricis. *Innotescit hoc vitium*, quando talium humorum præsentia in corpore observatur, qui nempe intestina & primas vias obsident, aut quando urina antea effluit solida, excernitur turbida ac crassa, cum sedimento copioso mucilaginoso, postmodum tale contentum in urina deficit, præsente simul gravitate in lumbis. 4. Frequentissima causa renes obstruens ac urinæ trajectionem impediens est *calculus*, cujus frequentes admodum hinc inde prostant *observationes, de quo infra.*

Quoad alterum renum vitium, nempe vitiatum eorum *tonum*, pertinet huc 1. eorundem ἀτονία, quam vulgò vocant *imbecillitatem renum* ex læsa facultate secretice aut alteratrice natam. Linquamus has facultates illis, & dicamus, subesse tunc ἀτονίαν *renum*, i. e. tale nervorum ac fibrarum fistulosarum renalium vitium, ut defectu imprimis spirituum influorum non sustineantur in debita tensione, quin potius & *nervi* & ipsi *cananiculi fibrosi* quasi flaccescant, indeque orificia conniveant, unde parum vel nihil eò transmeare ac ex sanguine secerni possit. *Exemplum* illustre vide in *Barthol. Cent. 4. Ep.* 18. 38. & 39. Pertinet huc observatio *Hochstett. Decad.* 5. *cap.* 10. ubi ischuria longior ex renum refrigeratione in marmore nive frigefacto, unde postmodum epilepsia & mors. Forsan *pertinent huc* morbi acuti, febres ardentes, *variolæ &c.* subinde *ischuriam* conjunctam habentes. Unde ischuriam talem absq; dolore supervenientem aliis morbis acutis ceu signum lethale, ob extinctam facultatem habet *Horstius lib. 4. obs.* 49 *p.* 242. & 259. Pertinent huc *suppressiones* istæ *urinæ*, quæ ob *vertebrarum luxationem aut ictum*, aut lapsum, aut vulnus spinalis medullæ accidunt, ac in genere quævis alia *ischuria* vitio nervorum plus minus resolutorum eveniens quæ ipsa, utut magis vesicam lædere videantur, tamen quin & renes afficiantur, absque dubio videtur. *Atoniæ huic contrarium vitium est strictura* pororum & nimia fibrarum fistulosarum angustia, spasmo quasi quodam contractarum, uti fit frequenter in *calculosis*, dum uno rene læso ac à calcu-

lo

lo irritato, alter subinde cessat agere. Conf. *Forest. l. 24. obs. 26. Schol. it. Act. Med. Haffn. vol. 4. p. 102.* Denique

Tertium renum vitium erat *fermenti* renalis *alteratio*, ejusdem nempe defectus, aut inertia, non sufficiens alterationi & promotioni urinæ, uti subinde in Chronicis quibusdam affectibus plus minus hydropicis, aut ad hydropem inclinantibus fere evidens est.

Quoad *prognosin*, grave ac periculosum est malum *urinæ suppressio*, ac ista, quæ fit *vitio renum*, periculosior est, quam ista, quæ fit *vitio vesicæ*. Vid. *M. A. N. C. Ann. 4. p. 201.* it. *urinæ suppressio quæ fit vitio renum*, si sine dolore, magis, quam quæ est cum dolore. Superveniunt autem *suppressionem urinæ symptomata* varia, prout nempe seri urinarii in renibus plus minus alterati metastasis ac translatio in partes solidas varia, vel sanguinis aliorumve contentorum alteratio & immutatio plus minus gravis facta fuerit: Sic *angustiæ* & *anxietates præcordiorum, torpor sensuum* & facultatum animalium, non raro *epileptica pathemata*, interdum *ascites* & *pedum tumores* œdematosi, *vomitus*, *sudores*, *halitus* plus minus *fœtidi* ac urinosi. *Quod si in his urinosi saporis aut odoris indicia observentur*, indicio est alterationis cujusdam, jam à fermento renali factæ, vel ita, ut urinæ per pelvim transitus sit interclusus. Quod si tales proprietates adsint, ne introeuntis quidem seri in renum parenchyma indicium erit; adeoque sæpè lethalis affectus est *Ischuria*. Et quidem *si denuò æger ante 7. diem mejere incipiat*, servari possunt; *sin minus* utplurimum intereunt. Etsi enim postea urina denuò profluere incipiat copiosa etiam & varia, tamen partim ob infectam M. S. partim ob vitium partibus solidis affrictum postmodum intereunt; adeoque rarum est, quod *ischuria* 11. dierum curata fuerit, *M. A. N. C. Ann. 6. p. 149.* Interim tamen quidam diutius, quidam minus diu urinæ suppressæ supervivere possunt. Sic *Riverius Cent. 4. obs. 45.* observat ischuriam 11. dierum, it. *Horst l. 4 obs. 45.* 14. dierum ischuriam. Ferè tamen intra 14. dies jugulantur ægri, rarò ad 20 vivunt, & quidem *si sub urina suppressa vel sudor* copiosus vel *vomitus* crebrior aliave in alio loco excretio fieri contingat, diutius supervivere possunt ægri. Sic *Fonseca l. 2. Cons. 96.* refert, Monialem Patavinam, quæ supervixit, licet per 6. menses urina fuerit suppressa, quia sudabat quotidie circa ventrem & umbilicum. *Exemplum* notatu dignum refert *Piso, edit. Langvvedel. p. 95.* Ipsemet observavi *Ischuriam* vitio renum ad 17. dies, quæ superveniente Epilepsia denuò urinam reddebat, etiam curata ex recidiva tamen lethalem. *Si urinæ suppressio est à calculis* renum majoribus, est ut plurimum lethalis. *Si à resolutione renum* contingat, ferè semper lethalis observata fuit. Adeoque ab

Horſtio retentio totalis urinæ in morbô, ſine doloris ſenſu, inſtantis mortis ſignum eſſe aſſeritur.

Quoad *curam*, ut ſuppreſſa urina revocetur, removenda imprimis ſuppreſſionis cauſa, adeoque vel *corrigendum ſanguinis vitium*, *vel renum præternaturalis diſpoſitio*. Nempe impedimenta in his removendo, *tonus* debitus conſervandus, *fermentum* renale acuendum. *Quoad ſanguinis vitia corrigenda*, ſanè nunc levis venæſectio, nunc pro affectus primarii varietate *alterantibus* aliisque *appropriatis* M. S. vitiata craſis corrigenda.

Quoad renum verò diſpoſitionem præternaturalem removendam, ſubinde neceſſe eſt, ac ſæpe fructuoſum, præmittere levem alvi ſolutionem tam per os, per aſſumpta *laxativa*, cum *tartaro vitriolato* propinata, quam per *clyſmata terebinthinata* injecta, utpote cum his ipſis ſæpè ſtimuletur uberior urinæ ſecretio. *In ſpecie ſi fiat renum obſtructio à ſanguinis grumo* curanda venit per ſanguinem grumoſum reſolventia *diuretica*, quæ inter in ſpecie eminet *rubia tinctorum*, ejusque *radix*, *heder. terreſt. ac chærefol. it. Hyperic. lap. ♋. cum aceto* aſſumti, *ſperma ceti*, *ſuccinum aut ſuccinata* quælibet & alia ſelecta *vulneraria*, plus minus ſimul diuretica. *Sin à pure obſtruente* fit malum, per hoc *abſtergentia*, iſtudque attenuantia, ſimul diuretica cura inſtituenda. Talia ſunt *terebinthinata ac vulneraria* plura, in ſpecie *tereb. ſuccus aut ſyrupus de hed. terreſtr. eſſentia & extractum agrimon. hyperici &c.* *Sin autem muco tenaci* ſeu pituita glutinoſa ſit malum, præmiſſis *laxantibus* ac cruditates pituitoſas per alvum evacuantibus (quod probè obſervandū eſt, ne intempeſtivo incidentium diureticorum uſu copioſior cruditatum pituitoſarum ad renes fiat delatio, ſicque malum potius augeatur, quam imminuatur) conducunt hanc *diſſolventia*, ſimulque urinam blandè ſtimulantia. Talia ſunt in ſpecie *θlina, ut tartarus vitriolatus*, *tinctura tartari*, *ſpir. urinoſi θiaque volatilia*; hinc *raphanacea* quælibet, ut *ſuccus raphani*, *rad. armor.* in vino infuſ. *Oxymel ſcyllitic. ſpir. θis in decocto diuretico*, v. g. *rad. petroſelin.* in jure *cicer. rubr.* præſertim *ſpir. vitrioli Philoſophicus.* item *ſuccus limonum* egregiè incidens & diſſolvens mucum, ſi ad ℥ij. vel iij. usque ad iiij. aſſumatur, multum laudatur ab *Amat. Luſit. Cent.* 5. *obſ.* 71. in quo caſu etiam *ſuccus parietariæ cum oxymellite* ſumptus experimentum *Helidæi Panduani* eſt. Quod *ſi à calculo* fuerit malum, curandum venit vel per *diffringentia*, vel ſaltim per hunc maturè removentia *diuretica*.

Quoad renum tonum conſervandum, ſi iſchuria ſit ex eorum atonia, reſtituendus venit per *nervina*, præſertim per *terebinthinata*, *juniperina*, *ſuccinata*, *internè & externè* uſurpata, quibus *externè* quoque *oleum ſcorpion. petroleum, ol. deſtillatum ſuccini* imprimis adjumento eſt. *Sin ex contractura ſpaſmodica* fibrarum

rum

rum renalium orta fuerit ischuria; conveniunt *opiata*, it, *cinnabaria* imprimis *cinnab.* ℥ ij cum *ðle volatili succini*; quo forsan quoque facit, quod *Deckerus in Praxi* referat, *Mithridatium* cum *decoctione aliqua diuretica* datum mirificè urinam provocare.

Denique ea, quæ fermentum renale respiciunt, hocque acuunt & acrimonia sua plus minus renes stimulant, adeoque in specie *appropriata* sunt, talia sunt varia, imprimis *sem. violarum*, ex quo cum ▽ *appropriata* facta *emulsio*, egregium est remedium simul alvum laxans ac urinam promovens, v. gr.

℞. Sem viol purp. ℥iij.
lithosperm. ℥j c.q.s.
▽ petroselin. F. emulsio. adde
Test. ovorum pulverisat. in specie struthion. ℥j.
edulcoretur parum. M.F. Emulsio.

Hinc *Parietaria* præsertim ex ruderibus antiquiorum parietum collecta, adeoque egregiè nitrosa, egregium est *diureticum*, recipiendo ejusdem *succum*, aut exinde parando *syrupum*: *flores cyani*, *calcatrippæ*, præsertim juncti *in vino cocti* & propinati blandè urinam cient; *radix raphani* & quælibet ex *raphano* parata remedia, *succus raphani*, *rad. armorac.* vino infusa, multum valent in stimulandâ urina, quibus adde *capita allii*, particulis acribus volatilibus insigniter *diureticis* turgida, quæ ipsa concisa cum vino assumta, vel cum *spir. juniperi* propinata egregiè proritant urinam. *Sem. Erysimi* acre ad ℥j. in formâ *pulv.* propinatum in vino albo egregium est remedium ad promovendam urinam. De *liquore betulæ*, *de terebinthinatis* & similibus jam aliàs diximus. In specie *potiones Plateri terebinthinatæ*, quæ hinc inde prostant in ejus *Observationibus* & repetuntur in *Timæi Epist. p.* 242. egregii sunt, utut non omnibus æquè conveniant, cum mulieribus quibusdam propter *mellis* societatem hysterica pathemata excitare soleat, v. g.

℞. Terebinth. Venet. ℥ß. c.s.q.
vitell. ov. & ▽ gramin. F. Emulsio
sed est ingrata.

Vel: ℞. Terebinth. Venet.
mellis ℥ß. vitell. ov. no. j.
succi limon. ℥j.
▽ gramin. q. s. M.F. Emulsio. D.S.
Harntreibende Milch auff etlich mahl.

Ulterius *fol. ribes nigræ* urinæ odorem spirantia egregiè urinam pellunt. Denique *succus pastinacæ luteæ*, seu *siseris* alterius *Matthioli*, perquam egregiè urinam promovet, etiam aliis remediis non obsequentem. *In specie puerorum urinas suppressas*, miro effectu hic *succus* stimulat. Tandem *θia volatilia*, & hinc etiam *fixa* multum prosunt. In specie *θ. volatile succini* nobile est diureticum & hinc *spir. & θ. volatile urinæ ac θ✱ci, spir. tartari, tinctura nephrit. Ammellungi* aut hujus loco *spir. carminativ.* Pertinent huc *lumbrici, scarabæi lucanici, aselli, cantharides* & *coccinill.* Hæc insecta θe volatili perquam diuretico insigniter pollent, adeoque perquam in *Ischuria* conveniunt. *Lumbrici terrestres* vino infusi & expressi; Item *spir. lumbricorum per putrefact.* paratus egregiè prosunt; *pulv. asellorum* aut hi ipsi *vino infusi* multum conveniunt ad proliciendam urinam. *Cantharides* multis suspecti ritè tamen *infusi* potenter urinam promovent. Vid. *Bartholin. Cent. 4. Ep. p. 93.* Sicut de *millepedum* efficaciâ *Hildanus Cent. 6. obs. 50.* Quoad *θia fixa*, aut his similia seu cognata concreta *fixiora terrea*, *testæ ovorum calcinatæ* ad ʒj. si propinentur, egregiè urinam pellunt. Pontentiores sunt *testæ ovorum struthiocameli*, quæ in *spiritu θis* dissolutæ & sub nomine *liquoris nephritici* propinatæ ut & *testæ ovorum calcinat. vino infusæ* & ita haustæ urinas pellunt. Pertinent huc *salia fixa cineritia* ex plantis diureticis debitè calcinatis prolicita, ita nempe ut non perfectè alcalisata permaneant, sed potius salsa, de quibus *vid. Tachen. in Hippocr. Chym.* adeoque *θ. stipit. fabarum*, *θ. prunellæ*, *genistæ* prosunt, *salque fimi columbini* potens diureticum est; cui non cedit *fimus columbinus vino infusus* expressus & propinatus. Non secus atque *fimus equinus vino infusus*, colatura ejus expressâ bibita, egregiè urinam stimulat. *Causas* inter quæ *urinæ secretionem* impediunt, crebrior est

CALCULUS RENUM.

Calculus ipse est productum tantummodo morbosum, effectus scil. illius affectus renalis, qui aliàs propriè **Lithiasis** dicitur & dicit *dispositionem renum calculosam.* Productum vero hoc morbosum à *Paracelso* dicitur *Duelech*, nomine lapidi humano proprio. *Generari calculos in omnibus corporis partibus* notum est, frequentissimus tamen eorum nidus sunt *Renes*, & hinc *vesicula fellea*: Et si in aliis partibus inventi fuerunt, rarius tamen hoc factum fuit. Isti vero *calculi*, qui in vesica deprehenduntur, sæpè *ex renibus*, vel calculi minuti forma vel arenularum majuscularum facie successivè in vesicam descenderunt, ibique retenti pedetentim in istam molem accreverunt, adeò ut credam, rarissimum esse vesicæ calculum, qui in eadem prima fundamenta ponat, utut majores calculi, qui amplitudinem ureterum tam naturalem, quam *morbosè auctam* superant, omne morbosum incrementum etiam in vesica acquisiverint. *Dico morbosè*

auctam.

auctam: In iis enim qui sæpius calculo laborant, ex crebriori calculorum majorum transitu ureteres interdum ad digiti amplitudinem distenti reperiuntur. Quando igitur in vesicâ hærent calculi majores his ureteribus, infallibile est, acquisivisse illos augmentum in Vesica.

Quod attinet generationem calculorum renalium, *materialiter* & *formaliter* ex urina oriuntur. Nam quod plures de *succo petroso*, *spiritu lapidifico*, aut *Gorgonio* proferunt, saltim nuda sunt nomina, nil explicantia, quin potius per modum *coagulationis* duorum ♁ium, †*di* & *alcali* calculos generari puto, dum nempe *acidum* manifesti saporis, adeoque vitiosum, in urina occurrit sibi obvio *alcali volatili*, quocum coagulatur mutuò in concrementum arenosum, siquidem simul *levem terrestrem substantiam* urinæ permistam arripit & ita in durum, siliceum concretum invicem abeunt. Hinc adeò duræ evadunt exinde arenulæ calculosæ, ut mirandam earum firmitudinem in poliendo vitro exploratam videre queamus in *Panaroll. Pentec.* 4. *obs.* 25. qui pariter *Pentec.* 1. *obs.* 35. arenularum tam albarum quam rubrarum diversitatem c. microscopio examinavit in *Pentec.* 1. *obs.* 35.

Nempe *triplex calculorum* est *diversitas*, *alborum*, *rubrorum*, *rufoum* seu *flavorum*. *Albi* fiunt, quando mucilago viscida ex attritis membranulis renis transudans simul à principiis coagulationis calculi coagulatur. *Rubri* ex minutissimis sanguinis guttulis ex vasculo quodam eroso aut lacerato destillantibus unà concretis tinguntur. *Rufi* seu *flavi* simpliciter urinæ solius videtur progenies: Primordia hæcce calculorum ♁ina eleganter per △em examinata *vid. in Tachen. Hippocr. Chymic. cap.* 14.

Vulgò aliam producunt mechanico-Chymicam generandi rationem, si nempe *ad imitationem Helmontii*, coagulum fieri volunt à *spiritu quodam vinoso* concurrente *c. spir. urinæ*, non secus ac *S. V. rectificatiss.* coagulatur in *offam* c. permisto *spiritu urin. volatili*. Nam dubium adhuc est, quomodo fiat hujusmodi concretio & an *vera* an *apparens* sit coagulatio, & quare idem *spir. urinosus* c. à *calc. viv.* abstractus est, non amplius cum *S. V.* ita concrescere soleat. Hoc ergo ceu paradoxo in medio relicto, *elementa* ista ulterius consideremus; nempe quoad *acidum*, observandum est, quod ordinariò ferè *arthritici etiam sint calculosi* & contra: & ad utrumque malum quasi epidemicum videmus expositos eos, qui *vina* bibunt copiosiora & acidiora, uti fit v. g. *Franconiâ*, *Moravia*, *Austria* & similibus locis: Nempe idem videtur esse *efficiens acidum*, quod artuum nervosas partes pungens & rodens *synoviam* in iisdem coagulat *in nodos*, quod *in renibus* similibusque locis alcali urinario occurrens, istud in *calculum* cogit. Adeoque in talibus *acidum* copiosius sub ♁so urinæ sapore occultatum oritur ex primis viis, ex vino copiosius ingurgitato, indeque citra vomitum re-

tento, hinc vitiosè digesto, quod dum ex stomacho dilabitur, uti suo isto acore toti est hostile, ita copiosiorem ⊖inis urinæ contentis materiam suggerens, & in eadem alcali quoddam volatile ab acido debito non ritè saturatum reperiens, subito illud aggreditur & in *calculum* cogit. *Propter hoc acidum vini* vitiosum incolæ tales imprimis affecti sunt *paresi*, præcipuè *ex colicâ seu artuum contractura ex colica*, affectu apud nos raro ac revera *colicarum convulsarum* gravissima species. Facit huc imprimis *exenteratio calculosi* cujusdam, cujus omnia contenta liquida acidum intensè spirabant. *Conf. M, A. N. C. Ann. 7. p.* 344.

Efficientis igitur locum *acidum* obtinet, nunc ipsius urinæ, nunc vero *ex primis viis* elapsum copiosius, inde urinam magis impraegnans & ⊖siorem reddens & ita copiosiorum, aut firmiorum calculorum genesin promovens. Hinc enim *vomitoria* subinde à calculo præservant, contenta primarum viarum eliminando, non secus, ac plurima *terrea lapidea*, *aut calcinata* contra calculum laudantur, haud alio effectu quam quod acidum in primis viis absorbent. *Patiens autem in calculi genesi erit alcali volatile*, quod quia copiosius, minusque temperatum per renes in specie transcolatur, sub ⊖so urinæ sapore, propterea in hisce locis copiosiores calculi. Sed *observandum* est quod ex *urin. ⊖sa, qua tali*, non possint generari calculi; nam cum ⊖sus sapor ex *acido & alcali volatilibus*, debita proportione unitis originem ducat, tam cum *acido*, quam cum *alcali* permiscibilis est, sine ulteriore immutatione. *Dum* igitur *alcali urinæ saturatum* est sufficienter à debito suo acido, tunc utcunq; acidum urinæ permisceatur, nullo modo *calculus* exinde generabitur. Apparet id in *stranguria*, in qua urina præternaturali insensibili acido ex primis viis impraegnata excernitur, sine tamen *calculi* progenie, quia ⊖. urinæ tunc temporis naturaliter constitutum est, h. e. alcali volatile proprio acido saturatum, unde non potest coagulari ab eodem vel alio quovis vitioso acido, ac pallida quidem ac turbida nonnihil, non vero in arenulas spissata excernitur urina. *Ut igitur ⊖. urinæ volatile urinosum coaguletur* præternaturaliter ab acido quovis in lapidem, necesse est, ut istud *alcali separatum* nonnihil, *nec debitè saturatum* existat, ut ita liberius ab acido plus minus naturali aut vitioso arripi & ita constringi in *calculum* possit; fit hoc, quando urina in renibus aliqualem *putredinis* præternaturalis notam incurrit, qua levi *putredine* solvitur nonnihil ejusdem mistura, & ita sapor ejus ⊖sus dividitur ista alteratione, ut utraque salia activa manifestiora fiant, unde novo & planè heterogeneo coagulationis modo sociata, demum in *calculum* coeat. v. g. *Videmus, quod urina clara* & perspicua excreta, si ad tempus, in matula præsertim stannea steterit, speciatim tempore æstivo, ac corrumpi & leviter putrescere inchoet, cujus indicium fœtor existit, quod tunc arenulæ & successivè *crusta calculosa* ejus parietibus se affigat; nempe nunquam urina nisi cum *alcali fixo præcipitata*, aut putre-

putrefacta suum ⊖. *volatile* promit, ubi simul etiam *terrestrem* & quasi *sabulosam* saburram putrescendo de se reddit. Hinc in corpore, si concipitur talis urinæ *putredo*, præstò est *Lithiasis*, h. e. sub putrescente tantillum urinâ, divisoq; ejus sapore, acidum cum alcali novo modo coit & particulas has terrestres (sub putrescentia potius genitas, quam formaliter præexistentes) simul coagulat, hinc *arenulæ* & *calculi*.

Quo pertinet imprimis *historia Helmontii, Tr. de Lithiasi* de Jurisperito, *qui ex nimio esu asparagi lithiasin* contraxit. *Asparagus* nempe eo ipso, quò fœtidam reddit urinam, eam ad aliqualem *putredinem* & ita ⊖ium divisionem disponit. Econtra *macis, juniperus* & *terebinth.* quia urinam suaveolentem reddunt & balsamica vi à putredine conservant, *calculi* suo modo sunt *præservativa*.

Alteratio vero hæc *putredinalis* fit in *renibus* ab horum *fermento* alterato, plusque minus enervato seu inerti reddito. In hoc enim consistit *dispositio renum & calculorum*, h. e. ipsa *Lithiasis*. Unde quia difficulter corrigibile est hoc vitium, difficilis etiam est Lithiaseos eradicatio. *Fermentum hoc vitiosum*, acquisitum est primitus *vitio diætæ*, labefactantis fermentum renum & ut probabile videtur, occasione vitiosi acidi fermentativi ex primis viis, quocunque modo ad renes transmissi, enervantis *fermentum renum* insitum. Hinc postmodum *à parentibus ad liberos transplantatum*, aut etiam *cum lacte nutricis* simul haustum, quale exemplum *lithiaseos ex nutrice* lacte contractæ refert *Helmont Tr. infantis nutritio ad vit. long.* Sicut in vulgus notum est, *hæreditarium* malum esse *lithiasin*.

Ex dictis patet, *fundamentum Lithiaseos* consistere in *alteratione fermenti renalis*, ipsum vero ejus productum seu *calculus* fit ex ⊖e urinæ volatili, coagulato ab acido urinæ, mediante alteratione urinæ putredinali. *Acidum* istud speciatim errore digestionis primæ, adeoque vitiô fermenti ventriculi natales haurit, partim & ab hoc ipso fermentum renale labefactatur & enervatur, partim quoties acidum urinæ occultum hinc intensius redditur, unde promptior & firmior coagulatio: Unde sub quacunq; *diætâ* in *dispositis* oriuntur *calculi*, in *non dispositis* vero nulli, licet eodem nutriantur victu. In dispositis tamen plus min⁹ duri vel copiosi generantur iidem, prout ex assumtis vel plus minus acidis, vel plus minus coagulabilibus naturalem occasionem nanciscuntur. *Hinc post lacticinia* & *caseosa*, similiaque assumta sæpius renasci dicuntur *calculi*, quoniam hæc partim acido vitioso in primis viis facile corrumpuntur, partim alcali terreo promtè in calculum coagulabili sunt imprægnata. Sic *Salmuth. Cent. 2. obs. 97.* exemplum habet *ex nimio esu casei* lapidis vesicæ lethalis ad magnitudinem gallinacei concreti.

Producuntur ex iftis *caufis occafionalibus*, utplurimum *parvulæ* tantum *arenulæ in renibus* (rarius maffulas majufculas compingi arbitror, quæ occafione novarum mutuaque adhæfione & coagulatione tandem in *majores lapillos* coeunt, adeò ut totum renum parenchyma his ipfis in lapidem mutatum obfervatum fuerit. Item tota pelvis, omnesque hinc producti tubuli lapideo tali concremento infarcti reperti fuerint. Conf. *Salmuth. Cent.* 3. *obf.* 30.

Symptomata quæ *calculofos* affligunt, funt pauca, dum calculus eft quietus; Siquidem calculi etiam infigniores fubinde in renibus latent, absque ullo præternaturali fymptomate. *Conf. M.A.N.C. Ann.* 4. *p.* 31. & 33. adeoque tolerabile eft tempus *extra paroxyfmum*. Gravia vero & varia, dum calculus eft in motu, ac ad ureteres & hinc ad veficam truditur, tuncque eft *tempus paroxyfmi*. *Symptomata* omnia oriuntur *ex attritu* dolorofo *calculi* ad membranas pelvis & ureteris, unde hæ *fpafmo* correptæ & alias partes per confenfum fimili fpafmo corripi faciunt. Adeoque plurima ifta, & fæpe mira *fymptomata* quæ calculi, aliosque nephriticos dolores infequuntur, *partim* ex fpafmis variarum partium, *partim* ex retenta plus minus & per μετάστασιν aliorfum translatâ urina oriuntur. Omnia autem hæc *fymptomata*, quæ faltem ex dolorofa impreffione dictarum partium originem ducunt, *non funt propria calculo*, fed etiam aliis doloribus *nephriticis* ab alia caufa, & non præcisè à calculo natis, v.g. *doloribus nephriticis fcorbuticorum*, per acriora falia iftas partes arrodentia natis communia ut & eandem originem habere folent. Quin imò poft multiplicia per confenfum pathemata tam facilè *fymptomata nephritica*, *colica*, *hyfterica* confundi folent.

Vexat autem ægros *calculofos* in paroxyfmo *dolor renum* plus minus acutus in regione lumbari, isq; modò finiftrorfum modò dextrorfum vergens, prout dexter vel finifter ren fuerit affectus. Hinc ferè *fenfus gravans* & quafi fortiter premens in dictis locis percipitur, adeò tamen moleftus & cum tantis *anxietatibus* junctus, ut nec interdiu, nec noctu quiefcere queant. *Quod fi ex renibus in ureteres pergant calculi*, dolores urgentur, & lancinantes magis evadunt, qui interdum ceffant, dum calculus ex uretere denuo in ampliorem pelvis cavitatem relabitur, nunc denuò recrudefcunt, dum ad ureteres iterum pergunt.

Urina multiplici excernitur differentia, cum *fub paroxyfmo* ingruente *urinæ paucæ*, acres tamen feu admodum ftimulantes & ▽*ofæ* minguntur: Subinde perfecta ejus *fuppreffio* fequitur. Interdum imò crebrius urina eft ferè *cruenta* ex vulnere partibus ab acutis calculi cufpidibus inflicto feu laceratis vafculis à calculi afperitate. Obfervandum tamen *urinam* fubinde *fubrubram* effe, & quafi *fanguineam* reddi, absque tamen fanguinis confortio, quin talis urina fubrubra craffa &c. fæpe fit ex tartaro refolutô, ex cujus coagulatione colliguntur

guntur arenulæ. Non igitur terreatur Medicus, tanquam sit sanguinea, monente *Horstio in observat. Arenulæ* quoque in calculosis solent emitti, quibus tamen similes in non calculosis etiam emitti solent, adeoque *si arenulæ* emissæ *sint friabiles*, & quæ non solum fundum occupent, sed etiam undique lateribus vitri se affigant, sciendum quod tunc sint *salia scorbutica* coagulata; econtra, *si duriores* sint, & subinde grandiores, quæ fundum saltim occupent matulæ, tales *lithiaseos* suspicionem inferunt. Porro copiosior *mucus* mediam urinæ partem subinde replens, *albus* & levis à calculosis excerni solet, qui nil aliud est, quam nutrimentum partium membranosarum, pelvis, ureteris &c. à calculo læsarum plus minus & sic cum urina extravasatum, de quo vid. inprimis *Willis de urinis p.* 364. & 365. Ulterius *stupor crurum* ferè è regione renis affecti est perceptibilis, cujus tamen ratio non æque in propatulo est.

Dolor tensivus è regione lumborum, juxta os ileon, deorsum in pubem ferè secundum ureteris nempe ductum, protenditur, & in viris *testiculus* istius lateris, cujus ren est affectus, spasmo quodam correptus *retrahitur* sursum ad os pubis. Interdum *tenesmus* simul corripit ægros, idque observavi in fœmina ac annotat quoque *Timæus in Ep. pag.* 242. *Anxietates præcordiorum, vomitus* subinde enormes insequuntur motum calculi renalis, item *respirationis difficultas*, quasi cinculo restringerentur costæ inferiores, idque in consensum renum & diaphragmatis non immeritò videtur rejicere *Sanctorius in Comment. in art. parv. Galeni, part* 2. *digress.* 85. *p.* 994. Interdum adest simul *hemicrania* illius lateris, cujus ren est affectus, teste *Bartholin. Cent.* 14. *Ep.* 16. *p.* 27. Imò *convulsiones digitorum*, brachiorum, pavores dormientium &c. subinde calculo renum supervenire observantur, *dolorem* quoque *titillantem* sentiunt *in extremitate glandis penis. vid. Act. Med. Hafn. Vol.* 4. *pag.* 103. Frequentissima omnium symptomatum sunt *tormina colica* satis acuta cum *nausea* & *vomitu*, ac cognatis symptomatibus, juncta, idq; propter spasmodicas convulsiones nervorum ex plexu mesaraico in renes, intestina & stomachum distributorum. *Nervulis* enim *renalibus* ex dolore spasmo correptis continuatur idem spasmus ad plexus mesenterii usque, qui simili spasmo affecti. Adeoque calculus renum in viris *colicam convulsivam*, in fœminis *passionem hystericam* excitat; non rarò in his quoque *partus dolores* mentitur.

Ut igitur ritè *distinguatur dolor colicus per essentiam* ab eô, qui fit *per consensum renum*, observandum est, quod in *Colica* nullus adsit *stupor cruris*; item quod in tali *colica* ægri se possint erigere, cùm ii, qui calculo renum laborant, utplurimum incurvati sint, quasi palus per vertebras esset transfixus, & non sine dolorosâ molestia sese possint erigere: *Colicus dolor* modo remittit, modò accedit, cùm *nephriticus* utplurimum sit continuus, in specie junctus fixus *dolor in dorso* ferè *calculum* innuit, licet alia simul concurrant *symptomata*, nec

nec in *nephriticis* talia murmura aut agitationes in intestinis concipiuntur atque in *colicis*; alia quoque urinarum est conditio. Alia huc facientia *vid.* in *Senn. l.3. prax. ubi de calculo renum.*

Quoad *prognosin* *Calculus renum* periculosus est affectus, non tamen propter molestiam dolorosam & hinc nata pathemata convulsiva, aut propter vitiatam urinæ secretionem, sed in specie, quoniam *inflammationes renum, Ischuriæ lethales* & gravissimi morbi nervosi generis supervenire solent, & *fœminæ calculo renum* obnoxiæ si gravidæ reddantur, facilè moriuntur, aut abortum patiuntur, teste *Panarolo Pentec. 3. obs. 8.* *Calculus quo major* aut *asperior*, eò periculosior & contra. *Dolori nephritico* superveniens extremorum frigus, aut sudores frigidi, præsertim cum Ischuria, mortem in propinquo innuunt. *Si urinæ tenues* antea excretæ, emittuntur crassæ cum arenulis & quasi frustulis lapideis, bonum signum est comminuti quasi calculi. Interdum *certas periodos* observat calculus cùm teste *Helidæo in obs.* si est motus in quarto, in septimo utplurimum soleat prodire, cæteris nempe paribus. Sic *typum tertianarium* aliquando observavi in viro *ex calculo nephritico*, dum tertio quoque die à meridie dolores abdominis & lumborum spasmodici reverterentur, & per noctem durarent, donec sponte successivè remitterent.

Cura instituitur vel *in Paroxysmo* vel *extra eundem.*

In Paroxysmo respicitur ad motum calculi præsentis & inde nata pathemata spasmodica. Ergo ante omnia dolores & partium inde nati *spasmi*, & hinc ureterum *contracturæ sistendæ*; deinde quantum possibile, *calculus* vel appropriatis *infringendus*, vel *diureticis* blandis *provocandus.*

Extra Paroxysmum vel *si absint calculi* præcavendum ne denuò regenerentur; *Si vero denuò regeneratus* sit, maturè cum urina eliciendus, ne nimium incrementum capiat.

Pro his scopis observandum I. Ut *diuretica* in paroxysmo sint moderata, quia aliàs viæ attritu calculi irritatæ, dolorifica crispatione vel contractione se angustant; hæc omnia exasperantur, si fortioribus diureticis violentius protrudere velis calculum, adeoque quò gravior dolor in paroxysmo est, eò minus aut mitiora adhibenda diuretica. *Quod si calculus major sit viis ordinariis*, ut ejicere eundem sit impossibile, vel confringendus, vel à re ceu impossibili desistendum, cùm *apertio per ferrum Chirurgica* sit, si non impossibilis, saltim periculi plenissima. Verum cùm non semper conjecturando possit assequi, an

an *parvus* an *magnus* delitescat *calculus*, cum non rarò variis formis aut asperitatibus ludat, hinc tutissimum est, ut præsens calculus, quantum possibile est, promoveatur, dolores simul tam *internis* quam *externis* leniendo, cum, quamdiu hi continuent, tamdiu membranarum ac ureterum major contractura ac spasmus vigeat, à quo penitus calculo via intercluditur.

II. Quia *præsente calculo* ac *dolore nephritico* urgente, *urina* ferè *acrior* observatur, à qua dolores exasperantur. Ob id simul administranda talia, quæ istam *urinæ acrimoniam* tollere, & ita dolorem nonnihil imminuere possunt, id quod faciunt omnia ea, quæ vulgò *emollire*, *viasq.* calculo *laxare* dicunt, quod per se est ridiculum. Si enim talia deberent laxare renes ac meatus urinarios, necesse esset, prius laxarent ventriculum & intestina, utpote quæ immediatè afficiunt. Talia igitur ex *althea*, *oleo amygd. mucilaginibus* & similibus concinnata remedia conveniunt, non quatenus laxant vias, sed quatenus acrimoniam urinæ tollunt, & inde natos dolores leniunt, quo lenito, crispationes & dolorificæ contracturæ ductuum tolluntur, & ita vel sponte ad debitam amplitudinem viæ antea arctatæ redeunt.

III. *Cum symptomata colica, flatulentiæ & borborygmi*, alvi obstructio plus minus similiaque pathemata in paroxysmo ægros crucient, ob id opera danda, ut primæ viæ à sordibus quibuscunque sint liberæ, ne hæ ipsæ coacervatæ malum exasperent.

Extra paroxysmum ea, quæ præcavent, sunt

(1.) ea *quæ acidum* urinarum & primarum viarum corrigunt, aut *absorbent*, aut *evacuant*. Hæc inter imprimis sunt *vomitoria* ad præservandum à calculo ab *Hildano Cent.5.obs.61.* specialiter commendata.

(2.) *Quæ renes abstergunt*, & ita arenulas & calculosa rudimenta maturè tollunt.

(3.) *Quæ renibus eorumque fermento appropriata* sunt, ejus vitia corrigunt, putredinis præternaturales notas urinæ inductas impediunt, adeoque *balsamica vi* putredinalem dispositionem tollunt. *Præsente igitur paroxysmo* & urgente dolore hinc nephritico nil æquè convenit, quam blandus *clyster*, aut *emolliens* aut *anodynus* injectus, qui sanè multum valet ad hunc affectum. Convenienter his additur *terebinthina*, & *0. succini volat.* quin nudus *clyster ex urina* saltem *pueri* conducit. Vel

℞. Herb. viol. parietar. malv. an. Mj.
rad. althææ ℥iß.
flor. chamomill. p. iij.
coq. in s. q. urin. pueror. ℞. Colatur. adde
Terebinth. cum vitell. ovi solut. ℥iij. vel ℥ß.

 oleum

oleum lilior. albor. ℥vj.
scorpion. ℥j. M. pro clysmate.

Aut si contumacior sit alvi obstructio,

℞. Ol. lini, rapar. an. ℥v.
diacolocynthidos ℥vj. M.

Quin & *clysmata ex lacte* pro scopo anodyno usurpari possunt. Juxta hæc clysmata inprimis *fotus & inunctiones externæ* sunt proficuæ, v. g. ℞. Herb. malvæ, melilot.
flor. chamomill. sambuci an. Mj.
sem. lini-fœnugr. an. ℥j.
4. frigid. maj. an. ℥iß. M. F. Sacculi

No. ij, qui vel sicci calidi vel in aqua cocti applicandi lumbis pro doloris sedatione.

Litus fiant ex *oleo chamomeli, lilior. alb. amygd. dulc. ungu. dialth. medull. cervin. pingu. anseris, ungu. dia'th. Mynf. petrol. alb. ol. destilat. spic. junip. succin. &c.* v. g. ℞. Ungu. dialth. ℥ß.
ol. amygd. d. ℥ij.
scorpion. ℥iß.
petrol. alb. ℥j. M.

Vel: ℞. Ol. amygd. amar.
chamom.
lilior. albor.
scorpion. an. ℥ij.
petrol. alb. ℥iij.
ol. destilat. spicæ
juniperi an. ℥iß. M.

Vel: ℞. Ungt. rosat. camphorat. q. v. addendo laud. opiat. q. s. M. F. Linim.

Empl. de meliloto malax. cum ol. chamom. & petrol. bene confert. Sanè *petroleum* eximiè commendat *Panarolus in observat.* It. *Cataplasma ex medulla panis albi ac lacte,* it. *ex succis* ♋. *fluv.* præsertim *cum parietaria*, à quibusdam multum extollitur. Nec omittenda est *camphora*, ejusve *oleum*, quibusvis modò dictis ferè semper addendum. Hujusmodi *litus* crebro renoventur calidi, superimponendo postmodum *sacculos*, aut etiam post *balnea* eadem illiniri solent, v. g.

℞. Herb. malvæ
alth.
pariet. ana Mij.

Flor.

Flor. cham.
sambuc. an. Miij
sem. lini.
fœnug. an. ℥iij. M.

Ex his in aqua coctis fiat *balneum*, cui insideat æger, *ipsum magma decoctionis* vel applicando *renibus*, vel *sacculum ex decocto* residuum sub insessu renibus admovendo. Sub egressu balnei, isti litus crebro & studiose applicantur.

Hisce ubi dolor fuerit placatus, primæ viæ repurgatæ & acrimonia humorũ temperata, blanda diuretica in specie cum aliis *internis* usurpetur. *Quoad hæc* in principio subinde blanda alvi *laxatio* convenit, respiciendo tamen simul renes & modicè calculi excretionem stimulando. v. g.

℞. Tartari vitriolati gr. xij
🜔 genistæ gr. v. l. vj.
scammon. rol. gr. iij. M. F. pulv.

Sed in specie *laxativa terebinthinata* hic conducunt. In quem finem *terebinthina* inspissata ad *pilulas* redigi potest, ita ut singulo ℈j. vel ʒß. gr. iij. vel iv. *scammonii* simul permisceantur, & ita pro dosi assumantur; Vel adhibeantur *pilulæ de terebinth. Mynf.* vel fiant *pilulæ ex terebinth. & Rhabarb. à Paracelso* laudatæ, vid. *Höfer. in Hercul. Med. p.* 175.

Vel: ℞. Terebinth. puræ ʒj.
rhabarb. pulverisat ʒj.
cinamomi ℈ß. F. Pil. pro aliquot dos.

Convenit quoque *sem. violarum* exque hoc facta *emulsio cum* 🜄 *veronic. aut heder. terrestri* quæ simul laxat & urinam pellit; cui propter doloris rationem & *papaverina* simul addi possunt

℞. Sem. viol. purp. ℥iij.
papav. alb. ʒj.
c. s. q. 🜄 alkekeng. F. Emulsio. adde
lap. perlar. præpar. ʒj. M. capiatur pro lubitu.

Evacuatis ita primis viis & sublatis impedimentis, dum adhuc urget *dolor* & hæret *calculus*, propinanda talia, quæ, quantum possibile est, dolorem tollere possunt, unde & subinde ad *opiata* appropriatis talibus mista accedendum venit, vid. *Ludov. Pharm. p.* 449.

℞. Lap ♋. ℈j. cinnab. nativ. s. ☿ ii ℈ß.
laud. opiat. gr. i. vel ij. M. F. pulv.

Item: *Essentia urinaria anodyna D. Michael.* it. *Malvatic. juniperin. cum essen-* tia

tia opii mistum. Vel præscribitur tale *decoctum* ad imitationem *Barbette in sua Praxi.*

℞. Rad. alth. ℥j.
liquirit. ℥ij.
flor. malv. Mi.
sem. viol. ℥ß. coq. in s. q.
▽ hordei. ℞. Colatur. ℔ ij. adde
syr. papav. albi ℥iß.
lap. ♋. præp. ℥j M. & ita propinetur.

Item fiant *Emulsiones ex sem. 4. frigid. maj. Amygd. d. Nucl. persic.* & similibus, quæ subinde hauriuntur ad dolorem leniendum & blandè urinam ciendam. Pertinet huc *decoctum Foresti* egregium *l. 24. observ. 26.* & quod scribit *Sennertus l. 3. prax. ubi de calculo renum p. 812. Decoctum flor. chamomillæ* singulariter excellit in paroxysmo nephritico, *Conf. Sim. Paulli Quadripart. Bot. p. 445.* Item *semen Nymphææ*, ceu egregium remedium in paroxysmo nephritico extollitur à *Taken. Hippocr. Chym. edit. 2. p. 97.* Laudato modò *decocto*, *Sennertus* curavit virum desperatâ *suppressione urinæ ex calculo* renis sinistri, ureteri impacto, laborantem, cum intensissimis doloribus, summâ virium prostratione & qui jam 6. dies ne guttulam quidem urinæ emiserat. Sed usurpato hoc decocto urina confertim emanavit, lapilli cum impetu protrusi & æger curatus fuit. *Vid. etiam obs. 28. & 29. cit. lib.*

Hujus decocti singulis haustibus *Timæus* monet esse addendas aliquot guttas *spir. θlis dulcis* &c. Sanè *spir. θlis* extremo △ ne prolectus, adeoque *acido-salsus*, singularis est ad promovendum & refringendum calculum. Vid. *Tachen. Hipp. Chym. edit. 2. p. 97.* loco ejus & *spir. θ dulc.* commodè à quibusdam usurpatur. Species has *decocti Foresti* correctas vid. in *Zwelf. Pharm. Reg. 89.* nec forsan esset incongruum, si his *de sem. hyperici*, aut *sem. Dauci*, aut *bacc. juniperi* aliquid adderetur.

Hisce ita peractis, *si sedatur dolor & calculus promovetur*, res bene est. *Ubi verò dolor sedatus & calculus adhuc hæret*, accessus fiat ad ea, quæ diuresi blandâ urinam promovere possunt, aut propinanda ea, quæ calculum diffringere valent. Diuretica inter sunt *tinctura nephritica, spir. carminativus, liquor nephriticus, terra foliata tartari &c.* In horum tamen usu *observetur*, ut, ubi frustra fuerint adhibita, subsistatur & quasi feriæ relinquantur naturæ, quod monitum per experientiam confirmat *Epiphan. Ferdinand. hist. 54. de paroxysmo nephritico*, in quo per 9. dies plura remedia propinata & applicata absque usu & effectu fuerunt, sed cum postmodum per 10. & 11. dies quietem concessisset naturæ, hæc sponte sua liberavit ægrum, in fine duodecimi plures calculos ejicien-

do.

do. *Diuretica* hujusmodi usurpantur in specie *in paroxysmo calculoso* sub introitu balnei ut dum hujus usu relaxantur viæ & demulcentur dolores, illorum ratione melius promoveatur calculus. Sicut etiam *blandus motus corporis* calculi descensum ex renibus promovet, qui aliàs à *gaudio* in exitu promovetur, à *metu verò vel terrore* retardatur. Conf. *Act. Med. Hafn. vol.* 3. *p.* 33.

His autem omnibus præferenda erunt *lithontriptica calculum confringentia remedia.* De his, *an sint*, multi dubitant, adeò ut cum *Panarolo* & *Sylvatico* aliisque Magni Nominis Medicis, sed ordinariò Chymiæ ignaris adhuc hæreant, an lapidem concretum denuò dissolvere, vel in minores particulas diffringere valeant remedia. Et quidem quoad hanc *controversiam* certum est, negotium esse *difficile, non* tamen adeo *impossibile. Difficultatis* ratio est. 1. *Quia est concretum terreo* ☿*sum* ex volatilibus quidem principiis, firmissimo tamen nexu junctis, oriundum, adeoq; nec *acida*, nec *alcalia* eum dissolvere possunt, quia ex utrisque compositum. Necesse ergo est, ut remedium calculum frangens ita sit constitutum, ut ferè de utroque, *acido* nempe & *alcali* participet, ut ita concretum tale denuò resolvere possit. 2. *Quia remedia requiruntur talia*, quæ longo isto transitu, donec ad calculũ perveniant, *in vi sua lithontriptica* non infringantur. Unde *errant*, qui calculos humanos excretos certis liquoribus injiciunt, expectaturi, quis liquor citius & felicius calculum frangat, ut eodem liquore & intus propinato eundem effectum obtineant. Nam pauca observantur menstrua, quæ calculum diffringere valent, *oleum vitrioli* eum non solvit, *spir. nitr.* interdum nonnihil operari videtur, sed parum est; & utut talia extra corpus in calculũ operentur, quia tamen assumta in ventriculo & primis viis insigniter alterantur, necessario aliam novam acquirunt naturam seu texturam, indeque vim diffringendi calculum exuunt. Ut taceam, non ejusdem duritiei & compaginis in omnibus *nephriticis* videri *calculos*, quin subinde multum variant duritie, firmitate ac similibus plus minus proprietatibus. 3. *Quia remedium lithontripticum non debet esse corrosivum*, sed quod citra stomachi noxam possit propinari. Nam partes attritu calculi antea plus minus læsæ ab acrioribus remediis admodum læduntur, indeque dolores aliaque pathemata exasperantur, sicque malè ad corrosivitatem in calculum frangentibus respicitur, cum non necesse sit, ut acria corrosiva saltim hæc præstent, cum revera dentur *menstrua* plus minus validissima concreta etiam diffringant. Nil dicam de *rore majali* rite parato, menstruo minus acri, quod tamen magnam vim habet resolvendi & infringendi. Et *Dn. Boyle de origine formarum* refert, se habere tale menstruum, minus acre, tam cum *acidis*, quam cum *alcalinis* sine effervescentia miscibile, quod ipsum tamen etiam *aquas fortes* subinde virtute superet (sc. ex *basi viridis æris*

æris & ⊖✳co conficitur) ut taceam *☿um mitem*, metalla tamen amalgamando solvere, adeò ut corrosivitas menstrui naturam non definiat.

Quid igitur est, quod consideratur in menstruo? ℞. Consideretur *proportio formalis*, quæ est inter particulas menstrui solventis & particulas ac poros corporis solvendi, ut hinc utriusque corporis particulæ mutuo nexu se invicem jungere valeant. *Proportio* ista materialiter originem ducit ex convenientia seu identitate in radice & essentia. Hinc concreta *sulphurea per menstrua sulphurea, ⊖lina per menstrua ⊖ina* & ▽ea optimè solvuntur, i. e. requiritur in menstruis particularibus certa quædam habitudo ad ipsam rem solvendam. Vid. *Becherum in Physs. subterranea l.* 1 *p.* 399. *Williss. de ferment. p.* 63. Hinc v.g. *aqua* solvit *saccharum*, O, &c. non *sevum, terebinthinam*. *Aqua fortis* solvit *metalla*, non *lignum*, aut *ceram &c.* Ut taceam *gustum male corrosivitatis indicium exhibere*. Multa enim nobis insipida & dulcia videntur, quæ in se admodum acria, & plus minus corrosiva, ut *arsenicum, ☿ vitæ, sulph.* ♁. *☿ vivus &c. Lingua ergo ineptus judex est menstruorum.* Ut taceam *acria* & respectu certorum corporum *acerrima* nobis & ventriculo nostro esse innocua, nec nisi in objectum appropriatum agere, v.g sicut videmus in *aceto*, quod solvit *corticem testaceam lapideam ovorum*, substratam vero membranam tenuem aut mollem non attingit. Idem in nobis fieri posse, dubium nullum. Sicut *cantharides* acrimoniam suam circa renes & vesicam explicant, stomachum tamen quem immediatè ingrediuntur, non offendunt, unde simile circa *calculum frangentia* fieri nil repugnat, ita ut non necesse sit, ut in specie respectu nostri gustus sint *corrosiva* quæ calculum infringere dicuntur. Sic videmus quod *persicaria*, item *sem. Dauci* sint quibusdam experimenta *contra calculum* destinata, ac *Dn. Boyle in Phil. exper.* aliquot refert *exempla* per solum *semen Dauci* fracti renum calculi. *Persicaria* secretum est quorundam *Anglorum contra renum calculum* & *pulv. millepedum* in vesicæ calculo aliquoties exportus fuit, qualia nullo modo sunt corrosiva, sed tantum *acria volatilia*.

Dico igitur *non esse impossibile frangere calculum* in corpore humano per remedia oretenus assumta nec opus esse *corrosivis*, modò *appropriata* sint, ad coaguli calculosi texturam subtiliter penetrandam ac dissolvendam, cujus & jam aliquot observata fuerunt *experimenta*, adeò ut *observatum* fuerit, etiam *⊖ fimi columbini* bene præparatum aliquando dissolvisse calculum & frustulatim eundem ejecisse. Sed talia revera *lithontriptica sunt* perquam rara ac paucissima cognita. Horum igitur in defectu usurpanda interea veniunt meliora *diuretica* vulgò, sed malè *lithontriptica* dicta quibusdam, quæ partim *in paroxysmo*, sedato dolore possunt propinari, partim *extra paroxysmum ad præservationem* possunt inservire, sive in *præservationis* negotio operentur *acidum absorbendo*, ut *testacea, lap. minerales & animales &c.* Sive vi *diuretica* renes & loca urinaria abstergendo,

do, ut *raphanacea*, *liquor betulæ* &c. seu *balsamicâ* vi fermentum renum conservando, *ut juniperina*, *terebinthinata* &c. DIURETICA talia à quibusdam, malè licet, *lithontriptica* dicta, sunt *saxifragia*, *rubia tinctorum*, *ononis*, *bardana*. In genere omnes *raphanorum* species, quæ diuresi forti tam pellunt calculum, quam renes abstergendo præservant. Inter hæc *raphanacea* juxta *raphanum orbicularem* primatum ferè obtinet *radix armoraciæ*, quæ *vino infusa* & aliquoties hausta renes abstergit & calculos præsentes fortiter pellit. Alii *armoraciam* tam *radicem*, quam *folia* concisa infundunt vino, & vase clauso per 14. dies in cella relinquunt. Hinc per alemb. destillant, quem *liquorem destillatum* ad calculum promovendum mirè commendant. Porro *hedera terrestris*, *parietaria*, *veronica*, *fragaria*, *capita allii* præsertim huc pertinent. Sanè *allii radices* ⊖le acri penetranti tam acidum calculi coagulatorem corrigere, quam fermentum renum suo modo alterare videntur. Hinc quibusdam in usu est, singulis noviluniis aliquot *alliorum dentes* 6. 7. 8. 9. &c. minutim conscindere & in *spir. bacc. juniperi* haurire ad præservationem à calculo. Medicus quidam ceu optimum *experimentum contra calculum* venditavit seq.

℞. Hederæ terrestr. Mj.

Capitum allii No. j. l. ij. decerptis in frustula affunde S. V. ℥xij. stent per dies aliquot bene clausa, hinc de agitato liquore & probè conservato detur cochl. 1. singulis noviluniis, egregiè præservare dicitur. *In fraxino* non contemnenda vis est contra calculum, præsertim in *ol.* ac ⊖*e volatili sem. fraxini* & hinc etiam in ejusdem *cortice*. Hinc quidam multum laudant hoc *oleum* revera *balsamicum contra Lithiasin*:

℞. Cort. rad. fraxin. ℔ij.
baccar. juniperi ℔iij.
terebinth. ℔jß. ad ijß.

Terenda terantur & cum *terebinthina* misceantur, ac in ℔ij. ∇. in vase obturato ad putredinem seu potius digestionem seponantur per 3. menses, postmodum destillentur: Obtinebis *ol.* præstantissimum à gutt. 8. ad 12. in vino albo capiendum. Præter dicta *flores genistæ*, *virga aurea*, *sem. milii* ⊙. in specie *semina hyperici* & *dauci Cretici* & *cimini* sunt egregia contra *lithiasin* simplicia. *Semen hyperici* intra digitos contritum *terebinthinam* spirat & sapit, adeoque *vi antinephritica* cum *terebinthina* conspirare se innuit. Unde ex eodem quidam *electuarium* parant ad calculi præservationem decantatissimum:

℞. Pulv. sem. hyperici in autumno l. Julio collect. & exsiccat. ℥iij. sacch. rosat. vel violac. ℔ij. M. probè Dos. est ʒß. qualibet septimanâ duabus vicibus plus minus pro circumstantiarum ratione usurpatum. *Quoad semen dauci* imprimis videndus est *Helmont Tr. de Lithiasi*. *Angli* pro

hujus cura *ſemine* hoc frequentiſſime ſeu in ſubſtantia, ſeu cereviſiæ fermentandæ infundendo uſurpant, & ita multa præſtant in præſervando calculo. *De junipero* tam toto, quam ejus *baccis*, *de ligno nephritico* &c. res nota eſt. In *perſicaria* multa latitant contra calculum, cujus ∇. *deſtillata* & aliquoties cohobando à recenti planta abſtracta, quibusdam experimentum contra renum calculum eſt, cujus potu ſe curant, atque etiam bene præſervant; quod pluribus explicat *Boyle in Phil. experim.* *Succus citri* ſeu *limonum* ad exturbandum calculum non injuria à quibusdam laudatur; non ſecus ac *ſuccus betulæ* eſt elegantiſſimus, de quo vid. *Helmont de Lithias.* it. *Charlet. Tr. de ſpiritu Gorgonio.* Item de cereviſia medicata cum *Betula* vid. *Act. Med. Haffn. Vol.* 1. *p.* 49. *Kergerus de fermentat. p.* 178. *M. A. N. C. Ann.* 4. *p.* 276. *Ann.* 3. *p.* 278. *Ex vegetabilibus* his aliisque plurimis cum *S. V. Tartariſato eſſentiæ*, *extracta* &c. parari poſſunt. Porro θ*ia quorundam* ex dictis vegetabilibus, in ſpecie θ *geniſtæ*, *ſtipitum ſabarum ſtercor. columbin.* θ. *prunell.* & in ſpecie θ. *volatile ſuccini* egregia ſunt diuretica antinephritica. In ſpecie θ. *fimi columbini* egregium eſt; nempe *nitrum* & omnia *nitroſo ſpir.* impraegnata eximias in ſolutione calculi vires obtinent. Unde *ſtercus columbinum nitro* pleniſſimum, it. *lotium capræ*, ut & aliorum animalium *ſtercora & lotia*, propter θ. *nitroſum* in ipſis contentum ad calculoſos affectus ſunt perquam uſitata. De vi ſeu efficacia *ſtercoris columbini* in ſpecie *vid. Foreſt. l.* 24. *obſ.* 25. *in ſchol.* Quidam recipiunt *ſtercus columbinum*, macerant in *acetô* per diem & noctem, poſtea filtrant. *Aceti* hujus partibus duabus addunt *mellis* depurati part. 1. M. & propinant ceu probatiſſimum remedium. Aliàs ſaltim θ. *ex fimo calcinato* mediocriter in uſu eſſe ſolet. Ad nitrata hæc pertinent ſuo modo θ. *ad calculum Polemanni*: ℞. *nitr. puriſſimi* ℔j. fluat in igne, injiciendo deſuper fruſtum *ſulphuris* magnitudine fabæ, quo deflagrato aliud ſuperinjice, donec hujus *ſulphuris* ℥ß. abſumpta ſit, ubi omnia refrixerint, ac denuò pulveriſata fuerint, denuo eodem modo procedatur, atque hoc tertia vice repetatur, ſemper ſucceſſive *ſulphuris* ad ℥ß. adjiciendo, jam

℞. Nitr. ita præp.
θ. abſinth. aa. ℥j.
ſuccin. volatil. ℥ß.
ſacch. alb. ℥vj.
ol. deſtillat. ſuccin. q. ſ. M. de hoc doſ. quantum 3. cultelli cuſpides capiunt una vice, bis, ter, quater in die pro circumſtantiarum varietate; omnem ſaburram ex partibus urinariis everrit, & calculum recentem comminuit.

Porrò commendantur quoque *lapides* ad pellendos & præſervandos calculos, ut *Lapis Judaicus*, *Lyncis*, *Spongiæ*, *Nephriticus*, ♋ &c. ubi eò nomine ſaltim videntur convenire, quod acidum peccans abſorbeant, acrimoniam ſeri

urinarij in paroxyſmo temperent, ac ob acidum abſorptum & hinc mutatione in ſalſum tertium vim diureticam acquirunt. Hinc quibusdam in uſu eſt *liquor nephriticus* dictus: ℞. *Lap.* ♋. *judaic. lyncis, ſpongiæ, aquilæ, glaciei, ana*, q. ſ. l. v. ſolvantur in *ſpiritu ♁is decrepitati rite deſtillato* (i. e. ultimo △is gradu elicito) ſolutio filtrata coaguletur leni calore in vitro ad ſiccitatem. Materia hæc iterum pulveriſanda, hinc in cella per deliquium diſſolvenda, filtranda & ita pro uſu ſervanda: *Liquor ſalſus elegans diureticus* ad 20. l. 30. gutt. propinatur. ♋. *fluviatiles* egregiè ſunt antinephritici, unde *decoctum* ♋. *fluviat.* oculis prægnantium ad præſervandum & curandum calculum laudatur. Vel: ℞. ♋. *fluviat.* coquantur in vino in ollâ tecta ad ſiccitatem uſq; donec pulveriſari queant: Hujus ʒj. mirè ad curam calculi ceu nobile experimentum quibusdam laudatur. Dictis modo concretis vicinæ ſunt *teſtæ ovorum*, ex quibus excluſi ſunt pulli. Optimæ ſunt *teſtæ ovorum ſtruthionum*, ex quibus cum *ſpiritu ♁is* modò inſinuata ratione *liquor nephriticus ♁ſi* peregrini ſaporis, ſed præſtans parari poteſt. Inprimis *teſtæ ovorum calcinatæ* à multis commendari ſolent, præſertim à *Bartholino in Hiſt. Anatom. & Cent. 4. Epiſt. p. 451. & 526.* ubi refert *aquam nephriticam* decoctionis talis calcis teſtarum ovorum mirè prodeſſe, & in ſpecie ▽*m calcis oſtreorum* ad calculum in mucilaginem diſſolvendum, multum prodeſſe refert. Hinc etiam ex Calc. Viv. comuni c. additis *tincturæ* & *liquores nephritici* parantur; quo pertinet *Antinephriticum Helvetii.* ℞. Calc. Viv. q. v. affunde ac. deſt. optim. ad eminentiam 3. l. 4. digit. coque, frigefac, decanta, in ſpiſſa & ad ſiccitatem evapora, candefac in crucibulô, hoc extrahe, vel S. V. vel vino Hiſpanico. Doſ. gutt. 10, 15. ad 20 in calculo. *Externe contra Podagram* ℥j. infunditur in vinum & urinam propriam & eo lavet partem affectam. Denique *Lumbrici, Aſelli*, ſpeciatim *Scarabæi majales* præ cæteris conveniunt; imprimis *alæ* horum *ſuperiores* ac duræ pulveriſatæ & propinatæ in vino egregium dant antinephriticum; quod pariter valet de *ſcorpionibus*, ſi nempe pulv. factus ex 4. l. 5. *ſcorpionibus lavatis*, ſicque vivis per 24. horas in *vino malvatico* relictis, poſtmodum in olla ſupra *folia ſalviæ* poſitis in furno blandè crematis & pulveriſatis. Doſ gr. iij. a. jv. *in ovo ſorbili vel vino* propinetur.

Hactenus de *calculo renum* occaſione *ſuppreſſionis urinæ*. *Contrarium huic vitium eſt* *immodica & nimia urinæ excretio*, dum nempe plus effluit ex corpore, quam aut aſſumta potulenta materia, aut ſerum in M. S proportionaliter ſuggerere poſſunt. Sic *Schenck. lib. 3. obſerv. ubi de Diabete* refert *exemplum* cujusdam, qui quotidie ſupra 4. cantharos minxit, utut vix quadrantem ejus biberit. *Idem* notat *exemplum puellæ* plus paucis diebus mingentis, quam ut tota ponderaret. It. *Acta Societ. Reg. Vol. 1. p. 868.* referunt virum, qui per aliquot ſeptimanas quotidie ad ℔xij. urinæ emiſit. Ac ſanè, ſi quod

aliud exemplum notatu dignum, talis urinæ profluvii suggerit *Digby Tract. de pulv. sympath.* Malum hoc dicitur aliàs

DIABETES,

quo nomine tamen *duo vitia* vulgò insigniuntur, idque promiscuè, nec absque confusione. Nempe *primò* modo dicta *copiosa nimis urinæ excretio*, quam intensissima *sitis*, *debilitas virium*, *macies* totius corporis, *febris continua* lenta, *ardor* in regione lumbari & *macies* totius corporis ac alia paria *symptomata* instar *hecticæ* confirmatæ, aut instar *tabis dorsalis*, sæpius etiam mors subsequitur. Equidem non rarum est, copiosiores urinæ excretiones naturæ opus esse, quæ *motu critico* aut huic simili seipsam à morbis liberat, unde cum ægri euphoria contingit, nec adeo diu durare solet. *Si vero excretio talis urinæ sit Diabetes*, paulatim & insensibiliter crescere solet, ita ut æger in principio haud adeò curet, sed successivè uberior quantitas prodit, & quia tenuis, ▽osa, unô nomine sic dicta cruda, quam & oris siccitas & sitis, virium defectus & viscerum internorum ardoris quidam sensus &c. comitantur. Quod si urinam aliquando contineant ægri, lumbi, coxæ & testes cum gravitate intumescunt. *Alio autem sensu & Diabetes* dicitur *nimis cita potulentorum*, aliorumq; liquidorum assumtorum *aut planè non*, *aut parum mutatorum* per vias urinarias *excretio*, ita ut non rarò color, odor & sapor assumtorum liquidorum in excretis per urinam adhuc sint sensiles. Sic *Bartholinus Cent.1. hist.68.* talem *diabeten* calculosi recenset, vinum assumtum eodem colore reddentis. Uti etiam *Hoferus in Herc. Medic. p.171.* vinum rubrum immutatum per vesicam excretum refert, adeò ut Medici quidam pro urina sanguinolenta habuerint. *Horstius* quoque *in obs. p.379.* observat vinum & emulsionem sem. violarum eodem modo, ut assumta fuerunt, denuò excreta. Imò *observata* etiam fuerunt *grana anisi*, *semina coriandri* integra, *semen ficuum* comestarum, it. *radiculæ apii* incisæ unà cum urina reddita. *Hi duo affectus* distinctissimi uno nomine *Diabetes* dicuntur, quæ tamen vox *propriè* posteriori affectui, nempe immutatæ potulentorum excretioni convenit. Dicitur enim *Diabetes* à διαβαίνω, quod est *citò transeo*, ita ut *Diabetes propriè sit affectus, in quo potulenta citò per corpus transeunt* & propterea melioris doctrinæ ergò *distinguenda Diabetes in veram & notham* seu spuriam. *Vera* est immutata per urinam excretio: *Notha* seu spuria copiosa & colliquativa urinæ excretio.

Quod igitur attinet Diabeten veram, *oritur* hæc ex *nimia laxitate* & aperturâ *viarum*, per quas *urina potus* ex primis viis ad renes vel loca urinaria amandatur, concurrente simul *pyloro laxo*, elabi sinente potulenta ceu fluidiora,

ra, antequàm perfectè sint alterata. *Viæ* equidem tales adhucdum sunt incognitæ; fieri enim nequit, ut *semina coriandri* & *anisi* excreta c. sanguine rapi & hinc inde per vasa capillaria circulari queant. Item quia *vinum rubrum*, aut *emulsio amygdalarum dulc.* sanguini permisceri, sine insigniori alteratione nequeunt, adeoque, qua datur, proxima via ex primis ad loca urinaria transeunt. *Confirmatur* hoc ex eo, quod inter *causas remotas* ad hanc *Diabeten* disponant inprimis *acidulæ*. Jam vero ut rectè asserit *Helmont*, *acidulæ* vix adscendunt supra Diaphragma, cum eædem vix haustæ, imprimis continuato usu subitò per urinam transeant limpidæ & claræ. A tali igitur crebriore *acidularum* sæpius haustarum transitu laxatæ istæ viæ etiam potulentis liberiorem faciunt transitum. Sic *Hildanus Cent. 5. obs. 53.* ex usu *acidularum* observat *Diabeten*, in qua *lac amygdalarum* immutatum transivit. Et *Pigreus in sua Chirurgia* refert, se vidisse *grana coriandri* durante *acidularum* usu post pastum, roborando stomacho assumta immutata cum urina reddita. Unde etiam *Petrus Pau in observ. p. 5.* in *Diabete* mortuo renes admodum flaccidos à frequenti liquidorum transitu invenit. Verùm, ut existimo, non *flacciditate resolutionis* seu Paralyticæ; aliâs enim potius supprimeretur urina, sed *flacciditate* nimiæ *apertionis*, qua renes instar spongiæ porosi & flaccidi fibræque admodum permeabiles redditæ fuerint. Rarum est, quod *Salmuth Cent. 2. obs. 53.* observarit talem *Diabeten* potus immutati in febre maligna.

Quod attinet *Diabeten notham* seu *spuriam* & copiosissimum istud urinæ profluvium, causa hujus investigatu perquam difficilis est. Et quidem *duo consideranda* veniunt. 1. *Unde tanta materiæ urinariæ quantitas?* 2. *Quare in specie eadem per vias urinarias amandetur?*

Quoad prius aliquid lucis afferunt exempla eorum, qui insigniter, licet corpulenti ac obesi, per usum tamen remediorum *diureticorum* admodum emaciati fuerunt, mediante copioso hinc concitato urinæ profluvio *Conf. Helm. Tr. Jus duumvir. §. 59.* it. *Asthma & Tussis §. 44.* it. *Schenck. observ. l. 3. ubi de Diabete*, qui etiam refert, obesos crebrâ mictione subitò extenuatos; sicut alias nimia corpulentia per *salivationem ☿ialem* curata fuit *Vid. Act. Med. Hafn. Vol. 1. p. 144.* Sicut à *Borello Cent. 2. obs. 12.* refertur, continuâ masticatione *foliorum Tabaci* crassitiem & pinguedinem corporis insigniter fuisse immutatam. In omnibus his *per colliquationis* modum tam contentorum corporis, quàm ipsius pinguedinis hæc ipsa in texturam *serosam* resoluta, istis modis fuerunt excreta. Sicut *purgantia acriora* simili *colliquativa* vi humores alterare, & flaccidam seri texturam mutare solent. His positis arbitror M. S. & primariò partem ejus chylosam, it. ipsum rorem & succum corporis nutritivum, & denique ipsam

ipsam adeo pinguedinem resolvi & colliquefieri, atque ita in formam atq; consistentiam laticis serosi fatiscere, subque tali formâ per loca urinaria excerni. Hinc enim *urinæ diabeticorum* horum excretæ mira *dulcedo* ex pinguedinis aut roris chylosi liquefacti c. ꝰbus urinariis misti mutua temperatura & in dulcedinem vergente texturâ. *Conf. Willis Pharm. rat. P. 1. p. 164. & 172.*

Hujus colliquescentiæ causa, & inde genitæ copiosæ urinæ est *acrimonia* insignis *volatilis*, *acido salsa*, similis acri isti volatili sali, qui in *cantharidibus*, *asellis*, *scarabæis minoribus* ac his cognatis insectulis deprehenditur, eaque ex primis viis derivata, mediante chylo sanguini & hinc universo corpori communicata, quod *acre volatile fermentum* attenuat, resolvit & colliquat sanguinem & nutrimentum corporis chylosum, & ex hoc productam pinguedinem. Id quod patet ex eo, quod in *Diabete incipiente* urina acris & ob ejus rosionem cum ardoris sensu excernatur. Item, quòd hæc *notha Diabetes* curetur inter alia ferè per similia, atque *febris hectica*, talia sc. quæ acrimoniam contentorum contractam temperare valent, qualia sunt *lacticinia*; & denique quòd hæc *Diabetis species notha* inter alias causas remotas ex abusu *diureticorum* contenta corporis attenuantium ac renes stimulantium excitari soleat. Id quod constat ex observatione *Tulpii lib. 3. obs. c. 46.* it. *ex Amato Lusitano Cent. 2. obs. 94.* Ubi nata fuit *Diabetes* ex usu *vini meracioris* & *muria fœniculi marini*. *Schenckius* pariter ex diureticorum abusu *diabeten* natam memorat. Sic à nimio *succi betulæ* usu diabetes lethalis in *M. A. N. C. Ann. 2. p. 300.* It. à potu spermatis ranarum insignis diabetes. *Lossius in obs. p. 314.* Nempe omnia *diuretica* hæc in acre ꝰsum volatile in primis viis abeundo, hinc acriorem reddunt M. S. cæteraq; contenta, hincque liquefactum humorem nutritium, stimulando simul renes sub forma seri urinarii excerni faciunt. *Hinc est*, quòd *acida volatilia* potulenta ob vim diureticam, quam in primis viis acquirunt, etiam *diabeten* excitant. Sic ex *Cydoniorum* usu *diabeten* notat *Schenck. in observ.* Item ex *pomaceis*, it. ex *abusu vini Rhenani*, unde incurabilem *diabeten* notat *Willis Pharm. rat. 1. P. 5. p. 171.* Acre autem hoc colliquans fermentum ex primis viis fermento nempe venticuli digestivo, quavis ratione vitiatô aut alterato, oriri suspicor, adeoque prout ventriculi prima digestio basis est reliquorum omnium, ita & hujus ratione vel macri vel pingues reddimur, ita & consequenter ex alterato eodem pingues emaciari denuo possunt, prout scil. *fermentum* ejus spirituosum *plus minus acre* vel temperatum fuerit, indeque similis notæ chylum corpori undique distribuat. Et sicut crebrius ex primæ digestionis errato indeque acri *colliquativo fermento* enato fluxus alvi colliquativus oritur, cum insigni ex corporis macie virium debilitate: Ita pariter simili ex origine aliud acre volatile fermentum contentorum corporis colliquefactivum & in serosam consistentiam resolutivum renasci potest.

Quoad

Quoad posterius, *quare* colliquati ita succi ac pinguedo *in specie per renes* urinæ sub forma expurgetur, non est solum textura resoluti & fere-scentis fluidi facilè per poros renum appropriata renum textura transeuntis, *quando ipsi renes simul affecti*, & ab acri isto *volatili acido salso fermento* sensibiliter vellicari & irritari videntur, cujus occasione non solùm *dolor*, *ardor*, &c. circa renes in lumborum regione percipitur, sed etiam spirituum impetus, eò magis hinc concitatur, adeoque & M. S. eò uberius quasi movetur, non secus ac ex stimulo purgantium ad intestina, ex stimulo ☿ialium ad glandulas gingivarum uberius moventur & excernuntur contenta corporis.

Quoad *prognosin* *Diabetes vera* parum habet periculi, siquidem interdum spontè cessat. *Diabetes* vero *nostra* est periculosa sæpiusque lethalis inprimis nisi mox in principio cognita curetur. Deducit enim homines ad Tabem lethalem. Eadem quoque post immodicum laborem, post nimium ♀is exercitium, post chronicas denique febres plerumque incurabilis est.

Quoad *curam*, *Diabetes vera* per *adstringentia* convenienter curanda. Ubi tamen *cydonia* fugienda, utut sint adstringentia, quia sunt diuretica, ut quod non tantum observat *Bartholinus c. l.* sed etiam *Schenckius loc. supra cit.* Ergo ♂*ialia*, item quæ ex *plantagine & tormentilla* parantur; item *decoctum prunor. sylvestrium*, &c. conveniunt. Item *Tinctura sulphur. vitrioli*, *bolus armen. terra sigill. cum conserva rosar. vitriolata* usurpanda. Item *decoctum plantaginis in* ▽. *chalybeata*.

In *Diabete notha* vero 1. *alterandum* est & corrigendum *fermentum* istud *colliquefactivum* & diureticum acre, tam per remedia ex fonte pharmacevtico, quàm diætetico. 2. *Narcoticorum* interpolato usu & *renum irritatio* & nimia secretio forsan & nimia *colliquefactio impedienda*. Ea quæ *priori scopo* conveniunt, *pharmacevtica* quidem sunt ferè *absorbentia acido-austera*, quasi figentia, & plus minus *adstringentia*; quæ vero ex fonte *diætetico* sunt alimenta succulenta, imprimis *lacticinia*.

Observandum I. quoad *Pharmaciam* in principio curationis *vomitum* laudari. Nempe apertè *Brendelius Cent.* 83. *ex Platero* dicit, principium curationis sit *vomitus*, jubendo, ut dum maxima torquetur siti, copiosam deglutiat frigidam, hancque repente revomat, quod fiat singulis quatuor diebus. Certum hoc est auxilium pro revulsione. Item *Zacutus* dicit, prodest *vomitus*, iis præsertim, quibus salsa pituita in ventriculo abundat. Conf. enim *Ferdinand. Consf.* 37. item *Horat. Augenius l.* 12. *Epist.* 3.

II. Quoad remedia *diætetica* in pluribus convenit hujus affectus cura-

curatio cum *hectica* febre, quia in sex rebus non naturalibus is ordo servandus, ut corpus refrigeretur & humectetur, firmentur renes & eorum exuberans caliditas attemperetur, ut loquitur *Zacut. Lusit. l.8. Medic Prin. Hist. c. 17.*

Remedia igitur *Pharmaceutica* contra *Diabeten notham* usitata sunt, quæ præparantur ex *plantagine, portulaca, nymphæa, papav.* &c. seu eorundem *succi*, seu *syrupi*, aut *decocta* usurpentur. Hinc *Corallia* & varia ex his præparata, *Magist. Corallorum* cum *succo citri*, vel mixtura ex *Corallis cum* †*to* polychresta *Sylvio* usitata, de qua vid. *l.1. prax. p.573. & M. A. N. C. Anno 3. pag. 345.* v. g.

℞. ▽. Plantag. ℥iij.
ac. dest. vini opt. ʒvj
corall. rubr. præp. ʒj.
laud. op. gr. ij.
syrupi portulac. ℥j. M. capiatur cochleatim.

His *lapis hæmatites* tam *naturalis* & ejus præparata varia, quam *artificialis* ex vitriolo ♂is & ♄i *sacchar*ô parandus, primitus à *Glaubero* edoctus, tandem sub nomine *lapidis Chymici* contra *Diabeten* descriptus in *M. A. N. C. Ann. 2. pag.227.* hinc *Tinctura antiphthisica, tinctura* sic dicta *sulphuris vitrioli* &c. item *succinum & succinata, Trochisci de Carabe. Troch. de terra sigill.* in specie ▽. *calc. vivæ* tam *simplex*, quam *composita*, subinde hausta nobile & singulare experimentum est contra hunc affectum. Conf. *Willis pharm. Rat. p.1. p. 174. & 177.* Alia ut *CC. ustum, crocus ♂is adstring.* &c. vel sponte ex dictis manifesta evadunt.

Quoad auxilia Diætetica, eminent, ut supra monitum, *lac* præsertim *chalybeatum*. Beneficio enim *lactis chalybeati asinini* cum *Philonio Persicô Diabeten* desperatam curavit *Zacut. Lusit. l.2. prax. admir. obs.71.* Hinc etiam *Emulsiones* factæ ex *amygd. dulc. sem. 4. frig. cum semin. papav. alb.* &c. eæque crebrius & copiosius haustæ subinde usurpandæ sunt. Hinc etiam cibi cum *lacte* vel *aqua chalybeata* præparandi, item ▽. *chalybeat. cui CC. rasura* incocta fuerit, usurpanda. *Externè sacculi & fomenta ex plantagine, foliis quercus in* ▽. *chalybeata* cocti, subinde regioni renum applicentur, item ♋. *fluv. aut recentes contusi*, eorumque *succus recens expressus* dicto loco admoveantur.

Quoad depravatam urinæ in renibus secretionem, hujus ejusdem *depravationis sunt varii modi*, dum scilicet diversimodè adfecta urina *in colore, consistentia & contentis* excernitur; in specie

MI-

MICTUS CRUENTUS

considerandus venit, *quando nempe urina cruenta excernitur, ex sanguine nunc copiosius, nunc parciùs ipsi commisto*, unde interdum loturæ carnium similis apparet urina, interdum intensius rubet, vel potius ex opaco plus minus nigrescit, ita ut etiam linteum immersum suo rubore inficiat. Probè autem *Distinguenda rubedo* urinæ *sanguinea*, à *rubedine* 🜍*ina*, quando nempe contenta copiosiora salina oleosa cum liquore continente exactè unita, idque fere vi acidi, rubrum præsentant colorem. *Hæc rubedo, quæ est ex* 🜍*ibus*, perspicua est & clara, aut quæ præcipitata sedimentum vel intensè croceum, vel instar cinnabaris, vel incarnati nonnihil coloris suggerit. *Quæ vero est à sanguine rubedo*, est opaca, plus minus crassiuscula pro copia commisti sanguinis. *Unde etiam* 🜍*ibus orta* splendet quasi, *sed quæ est à sanguine* absque splendore observatur. *Illa* scorbuticis subinde accidere solet; *hæc* etiam in aliis ægris deprehenditur. Et *urina cruenta* si ex sanguine constat, si aliquandiu steterit, uno alterove die crassamentum seponere solet, ex intensè rubro quasi nigrescens & sanguinem grumosum exactè referens. *Sanguis iste, qui tingit urinam*, utplurimum ex renibus emanat, & interdum *in renibus* ipsi permiscetur, interdum *in ureteribus*, interdum *in vesica*, interdum ex læsis arteriolis *in pene*. Exemplum *vid. in Graeff. de organ. generat. viror. p.* 151. Rarius *ex aliis partibus* ad hæc loca urinaria defertur, ut cum urina excernatur. v.g. post *casum ab alto*, dum sanguis extravasatus subinde cum urinâ excernitur.

Mictus hujusmodi *cruentus* non secus atque aliæ *hæmorrhagiæ oritur* interdum *ex anastomosi* arteriolarum ad vias urinarias distributarum; interdum idque frequentius & crebrius ab earum *diæresi* seu *diabrosi*. *Anastomosis* fit nunc *vitio contentorum* in specie sanguinis, nunc *vitio ipsorum vasculorum* renalium. *Diæresis* saltem vitio contentorum acrium, aut erodentium, aut alio modò lædentium vascula dictorum locorum, quò v.g *calculus* pertinet, attritu suo asperiori vasa lædens & mictum cruentum inducens; hæc quoad causas internas. Quoad *causas externas*, quilibet violentus motus ruptioni circa loca urinaria occasionem suggerens, *mictum cruentum* infert. Talia sunt *equitatio nimia*, *saltus nimius*, *casus ab alto in dorsum aut lumbos contusio* vehemens circa loca inferiora facta.

In specie quoad anastomosin mictus cruentus nunc est *spontaneus*, nunc *non spontaneus* seu *symptomaticus*. Ille nunc *criticus* nunc *periodicus*, nunc

vagus &c. Præcedere autem folet *dolor gravativus* & *tensivus*, uti & comitari folet hujufmodi cruentam mictionem perceptibilis in isto loco, in quo fanguis fummo impetu anastomosin infert. Sic *Zacut. Lusit. lib. 2. prax. adm. obs. 69. mictum cruentum criticum* in febre ardente obfervavit: Sicuti etiam pleuritides per *sanguinis mictionem* folutæ obfervatæ fuerunt à *Schenckio l. 2. obs it. ab Hild, Cent. 2. obs. 31.* Præterea *solennes sanguinis evacuationes suppressas* infequitur mictus cruentus. Hinc etiam *Forest. l. 24. obs. 7.* inquit, urinam cruentam ex alto delapfis ftatim emitti vidimus, idque fæpius etiam *ex nimia* ♀*e* in adolefcente nobili, in mulieribus etiam *mensibus suppressis*, & in viris *hæmorrhoidibus* fluere confuetis & retentis. Truncatâ etiam manu vel pede aut pleno corpore, ex abfceffibus ulcereque cruentam urinam emictam fuiffe fcimus, id quod ulteriori obfervatione confirmat de mictu fanguinis ex fuppreffis hæmorrhoidibus per intervalla oriundo idem *Hildanus Cent. 1. obs. 11.* Quin & *periodica* quibufdam urinæ cruentæ mictio obfervatur. Videatur præter *Schenckium in obs. Salmuth. Cent. 3. hist. 47.* Pertinet huc *viri abusus* ad mictum cruentum difponens, de quô vid. *Zacut. Lus. Med. Princ. hist. 139.* Item *Diuretica* fortiora aut acriora, v. g. poft *spiritus terebinth.* nimiam dofin mictionem cruentam refert. *Hil. Cent. 5. obs. 52.* Pertinet huc etiam, quam vocant, *imbecillitas renum*, quorum poruli nimis aperti fanguinem unà tranfmittunt cum lotio, adeoque à tubulis renum nimis apertis mictionem cruentam interdum accidere, rectè afferit *Willis Pharm. rat. p. 1. p. 166.* estque hujufmodi mictus ferè indolens, minusque intensè tinctura urinæ, minufque craffa. *Tandem abusus* ♀. Anaftomofin vaforum, & fic etiam urinam cruentam inferunt emitti, dum in abufu ♀eo vafa fanguifera circa partes genitales nimis turgida hifcunt, & ita fanguinem effundunt. *Exemplum* fuggerit *Forestus l. 24. obs. 10.* Mictum fanguinis ex nimia ♀e, *spongia aceto calido* infufa & lumbis circumpofita, curatum.

Quoad *diæresin*, hæc frequentior caufa mictus cruenti effe folet, dum nempe à ferô acri vafcula eroduntur. Quo etiam pertinent *exulcerationes renum* & *vesicæ* erofiones, quas non tantum cruentæ urinæ, fed & fenfus doloris plus minus rodentis, aut etiam alius in parte affecta moleftus, comitantur; tali ex caufa *mictus* nati *cruenti* fcorbuticis, catarrhofis, & fero acido falfiori aut aliàs plus minus corrofivo præditis, accidere folent. *Vasculorum* in locis urinariis *lacerationes* ab afperitate calculi, crebram urinam cruentam reddi faciunt. Faciunt hunc quoque *cantharides*, de quibus notum eft, quod præpofterè affumti, aut etiam extrinfecus inveficatoriis applicati mictum cruentum, admodum dolorofum inferre foleant, in quô fimul penis erectio, & fimul infignis

insignis ad ♀em excitatio adesse solet. Vid. *Forest. l. 24. obs. 7.* Pertinet huc *curiosa ista observatio* & historia quam habet *Horstius l. 4. obs. 42.* mictionis purulentæ & sanguineæ ex ulcere colli vesicæ propter carunculam, ibidem loci exacidularum usu suppuratam. Præter *cantharides* etiam ex *abusu alii* mictus cruentus observatus fuit à *Schenck. in obs.* Sicut ex aloes nimio usu urina cruenta enata refertur in *Act. Med. Hafn. Vol. 2. p. 167.* Pertinet huc mictus cruentus, qui in *Variolis* subinde accidit, & ex erosione originem habet, funestus admodum & ferè ad mortem deducens ægros. Forsan & isti mictus cruenti, qui in aliis *febribus malignis* observantur, huc pertinent, ut quando hæmorrhagia penis nimia in febri maligna dat hæmorrhagiam narium lethalem. Vid. *Hochstetteri Decad. 1. casum 3.* Quando & in *pestilentia* observata fuit urina sanguivolenta, quæ inter pessima tunc refertur signa.

Quoad *prognosin*, in genere quidem mictus cruentus copiosior aut sæpius recurrens, periculosum malum est, variaque symptomata inferens, quæ hæmorrhagias insequuntur. Nam v. g. ex mictu sanguinis diuturno *hydropem* observavit *Schenck. l. 3. obs.* Si *ex pudendis* sanguis effluat, minori cum periculo junctum; periculosior est quando *ex vesicâ* emanat, cum metuendum sit, ne in vesica subsistens periculosam urinæ suppressionem aut sui corruptela varia symptomata inferat. *Omnium maximè periculosus est*, si *ex renibus* præsertim *erosis*, aut eorum ut vocant, *imbecillitate*, malum ortum fuerit.

In *cura* primariò multiplex causarum remotarum varietas attendenda, & hinc cura nonnihil varianda. *In genere* quæcunque *ad hæmorrhagias supra laudata remedia* & hic quoque conveniunt. *In specie* cum frequentissima causa interna soleat esse acrimonia seri erodentis & plus minus exulcerantis, hanc *acrimoniam temperantia*, adeoque maximam partem ad *hæmoptysin* commendata remedia locum habent, & hinc *vulneraria* consolidantia conferunt. Imò cùm serum urinarium plus minus acre omnem mictum cruentum undecunque ortum exasperare soleat, semper una *attemperandi* scopus probè attendendus venit, unde *papaverina* ac *opiata*, item quæ *supra* circa exulcerationem renum & vesicæ fuerunt monita, locum invenient.

II. *Venæ-sectio* interdum locum habet, nempe pro *scopo* vel *revulsorio*, vel *derivatorio*, quando nempe occasione solennis cujusdam sanguinis excretionis suppressæ mictus cruentus ortus fuerit, qua ratione per *phlebotomiam* mictum cruentum ex meri nimia potione in plethoricis curavit *Zacut. Lusit. cit. loc.*

III. *Purgantia*, quâ talia, non conveniunt, cum facilè acri-

monia sua exasperare malum queant. Saltim *rhabarbarum est*, quod convenit, & magis pro scopo *alterativo*, quam *laxativo*, adeoque in serosiore corporis habitu, aut in acriori sanguinis crasi; item in *renum imbecillitate rhabarbarum* est optimum. Hinc *pilulæ ex rhabarb. cum succo plantaginis*; item *pulvis rhabarbari* parum *torrefacti* & in specie *pilulæ ex terebinth. cum rhabarb.* aliquamdiu continuatæ nobile sunt experimentum *Hœferi in Hercul. Medic. p.* 172.

His ita præmissis *remedia* vel sponte patent, v.g. *mixtura ista polychresta Sylvii* etiam hic locum habet

℞. ▽ plantag. ℥ij.
cinam. ʒvj.
acet. still. ℥ß.
corall. rub præp. ʒß.
sang. Drac. ℈ß.
Laud. opiat. gr. ij.
syr. myrtin. ℥ß. M. Hæc mistura cochleatim sæpius assumta curabit plerasque vasorum rupturas, & supra multorum expectationem sanguinis effluxum brevi tollet, secundum experientiam *Græffii Tr. de org. genit. viror. p.* 154. Cùm verò semper ad *acrimoniam* seri urinarii plus minus respectus habendus sit, præ cæteris convenit hic *portulaca*, quovis modo usurpata; it. *Plantago* & speciatim ejus *succus* ℥ij. vel iv. haustus; hinc *equisetum* ejusque *decoctum*, item *millefolium flore albo*, ejusque *decoctum* egregiè consolidat. Hisce in specie addatur *agrimonia seu eupatorium vulgare*, quod mirè convenit in quovis mictu cruento, in specie, si ex erosione ortus fuerit. Unde *Lindanus agrimoniam, quinquefolium & potentillam* miscet, seu selecta simplicia contra mictum cruentum. Hisce imprimis sociandum *hypericum* tam *planta*, quam ejus *semen* & cum hoc paratum *Electuarium Timæi contra exulcerationem renum in Casib. p.* 124. Unde est, quod laudant has species,

℞. Herb. agrimon.
millefolii.
summit. hyperici.
Musci prunorum sylv. an. Mj.
rad. symph maj. ℥ij.
sem. hyperic. ℥ß. incisa & contusa D.
S. Anhaltende species.

ex quibus potest fieri *decoctum* vel *in vino* (cui tempore usus addatur parum de *lap.* ♋.) vel *in lacte*, vel in *sero lactis chalyb.* & ita usurpatum à quibusdam laudatur, uti & *bellis minor*, ac tota ejusdem planta. *Decoctum ad mictum cruentum Mynsichti*, in specie *lac ovill.* ℥iv. *c. boli armeni* ʒj. propinatum omni mane, experimen-

rimentum est, aliquoties probatum à *Foresto. l.24. obs.* 10. & *Timæo l.3. cas.* 4. sive sit ab acrimonia nimia seri erodentis, sive sit à simili causa: Ad hæc *succinum* & omnia *succinata*: In specie *troch. de carab.* sunt egregium experimentum; Conf. *Timæus in Epist. p.* 248. ubi *trochisci de carabe* cum *bolo Armen. in ∇ plantag.* ceu sæpius probatum remedium laudantur.

Curavi aliquando virum mictu cruento laborantem ex acrimonia seri scorbutica natum, propinando *troch de carab. c. lap.* ♋. & pauco *sacch.* ℈j. Sed utut hæc juvarent, constantiam tamen sanitatis conciliavit *liquor ♂is ⊙aris.* Dos. gut. 10. ad 15. omni mane ad aliquot dies continuatus. Hinc & *tinctura antiphthisica* hîc adhiberi potest, it. *lapis hæmatites*, aut ejus loco *terra sigill.* præsertim si malum sit à *cantharidibus*, *lapis hæmatites* cum copioso *lacte*, quod acrimoniam insigniter temperat, propinatus est egregius.

Opiata per se nota sunt, in specie *electuar. Helidæi Paduani*, pro sanguinis sputo supra laudatum & hic locum habet. Quod si mictus cruentus ex affectâ vesicâ, præter dicta *injectiones* similes conveniunt, quales supra in renum exulceratione laudavimus: In specie si *∇ plantag.* ℥ij. *cum troch. de carab.* ʒj. injiciantur. *Fortior* est *injectio* ex *emulsione papaveris albi cum lap. hæmatitis præp. vel succus plantaginis cum pulv. lap. hæmatitis &c. Si à calculo & arenulis* fit sanguinis mictus, quomodo curandus vid. *Riverius in Praxi.* Quod *si* sedato mictu cruento *sanguis congrumatus in vesica hæreat*, sive suppressionem urinæ inferat, necesse est, ut dissolvatur per remedia appropriata, quæ tamen non nimis citò danda, ne aperiantur denuò vasa. Præstat hoc inprimis *succinum*, quod sanguinem coagulatum dissolvit & cruentum cohibet. Cætera *vid. supra, ubi de Hæmorrhagia.*

CAPUT IV
DE
URINÆ EXCRETIONE LÆSA.

URina *ex renibus per ureteres in vesicam destillans*, tamdiu ibi continetur, donec vel *nimiâ copiâ* distendens, vel *acrimoniâ* sua eadem irritans sui excretionem urgeat, unde aperto sphinctere in collo vesicæ, hæc sui constrictione urinam pellit, idque secundum liberum voluntatis arbitrium.

Vitiatur hæc urinæ excretio 1. Quando eadem aut *aboletur*, ita ut omnino *supprimatur*, id quod in *ischuriæ* ista specie fit, quæ vitio vesicæ evenit: Vel quando eadem *imminuitur*, id quod fit, cum parum vel tantum guttatim, idque non absq; ægri nisu & conatu excernitur urina, ut fit in *urinæ stillicidio*, 2. Quando

do eadem *augetur* in ejusdem *incontinentia*, quando aut dormientibus aut vigilantibus urina involuntariè effluit. *3. Depravatur* urinæ excretio, quando hæc ipsa cum dolore & labore ut in *stranguria* & *dysuria* excernitur.

Quoad *suppressam urinæ excretionem*, sive

ISCHURIAM VESICALEM,

hanc supra nunc *ex vitio renum*, nunc *ex vitio vesicæ* oriri assertum fuit. *Quod si vitio renum aut ureterum ischuria accidat*, adeoque nulla urina in vesica sit, nulla gravitas, nulla tensio, nullus dolor circa pubem percipitur, adsuntque potius renum & ureterum afflictorum pathemata. Contra *si vitium in vesica hæreat*, atque eâ urinâ repleta sit, quam excernere non possit, tumor & protuberantia circa vesicam contingit, æger quoque, quamdiu vesicæ sensus salvus est, de tensione & dolore molestissimo & insigni urinam emittendi nixu, frustraneo tamen conqueritur, ac Medicus, si regionem vesicæ contrectet, tumidam eam, sed non absque ægri insigni dolore percipit.

Ischuria hæc *vesicalis* fit vel *vitio vesicæ*, urinam non emittentis, vel *vitio canalis urinarii*, urinam non transmittentis. *Vesica* urinam non emittit, vel quia ipsa se non stringit, pro illius excretione, vel quia sphincter ejus pertinacius se claudit. *Non stringit se vesica* vel vitio paralytico, dum non sentit irritationem, vel vitio relaxati fibrarum toni propter nimiam distensionem. *In specie sensus vesicæ torpet* affectis nervis à *paralysi*, aut *stupore &c.* iis nervis scil. à quibus vesica suum sensum habet. Ac etiamsi vesica plena ac urinæ copia distenta sit, nullus tamen sensus doloris aut stimuli percipitur. Sic *Amatus Lusitanus Cent.* 4 *obs.* 10. observat urinæ suppressionem propter vesicæ paralyticam resolutionem, ex diuturnâ morâ in aqua frigida. Sic pariter *Zacut. Lusit. l.* 2. *Med. Princip. Hist. p.* 146. ex torpido vesicæ sensu urinæ suppressionem notat. *Quo etiam pertinent vertebrarum luxationes*, aut *ictus*, aut *lapsus*, aut spinalis medullæ *vulnera* isto in loco circa os sacrum, unde nervi ad vesicam distributi maximam partem prodeunt. *Facit huc* quod aliquando *observavi in viro*, qui non, aut saltim difficulter urinam poterat emittere, priusquam manu regionem ossis sacri probè fricaret, tunc urinæ sequebatur fluxus. Forsan *usus flagrorum in re Venerea* negotium hocce illustrat.

Quoad relaxatum fibrarum vesicæ tonum, non contrahitur vesica ex dicta causa ex nimia sui distensione, propter urinam copiosiorem diutius retentam, unde fit, ut nimis distentæ fibræ se amplius constringere nequeant, & quamvis tota repleatur vesica, nil tamen excernere valet. Exempla refert *Schenck in obs.*

14. *Forest.l.26.obs.14.* Quod malum utut apparenter leve videatur, nihilominus tamen ordinariò ferè *inflammatio vesicæ* & hinc *gangræna* lethalis supervenit. Videatur *Panarolus Pentec.1.obs.27.* *Facit etiam huc læsio nervorum vesicæ* constrictioni inservientium, qui ex inepta testis extractione læsi dolorosam mictionem & ferè urinæ suppressionem induxerunt. *Vid. Hildanus Cent.5 obs.61.*

Quoad sphincteris vitium, hujus *relaxatio* atque colli vesicæ apertura deficit, quando hic *spasmo* affectus, pertinaciùs se stringit, id quod interdum observare datur, in doloribus abdominis spasmodicis, quorum occasione subinde sphincter stringi & urina supprimi potest, id quod *in colicis convulsivis* subinde observavi, atque imprimis *in dolore abdominis scorbutico*, item *in dolore nephritico scorbutico*, ceu non rarum pathema pluribus deducitur à *Dravvizio Tract.de scorbut.p.170.* Forsan huc *cantharides* pertinent, utpote de quibus refert *D.D Fehr de Scorzoner.p 88.& 133.* quod ex vesicatoriis, suris admotis, urinæ suppressio nata fuerit: Nempe stimulo continuo & irritatione sphincteris vesicæ, adeoq; superveniente convulsiva ejusdem strictura, vel ex nato irritationis vicinarum partium tumore & hinc colli vesicæ compressione ischuria talis originem traxisse videtur.

Quoad vitia canalis urinarii urinam non transmittentis imprimis se offert ejusdem *angustia* variis ex *causis* enata. Hos intersunt imprimis *tumores*, undecunque in ejusdem radice oborti, seu intra vesicam existant, seu extra, v. g. Pertinent huc *tumores prostatarum glandulosarum* circa collum vesicæ collocatarum seu sitarum. Fit sc. nonnunquam, ut post nimium exercitium ♀ eum supprimatur urina, id quod observat *Platerus in observat.* Nam tumefactæ prostatæ glandulosæ, si diutius subsistat tumor, necessariò comprimunt ureterem, & ita impediunt urinæ transitum.

Cum essem Romæ, moriebatur Princeps Tuscianus ex nimia *urinæ suppressione*, quam neque *catheter*, neque *candela cerea*, neque res ulla alia prolicere poterat. Post mortem dissectô corpore nil mali in meatu urinario aut vesica inventum fuit, sed solæ *prostratæ glandulosæ* ad radicem penis sitæ tumefactæ inventæ fuerunt, à quo tumore lethalis urinæ suppressio. *Inflammatio colli vesicæ*, vel etiam *perinæi* angustat quoque meatum urinarium & urinæ suppressionem infert, quale exemplum habetur in *Zacut Lusitano l. 2. Med. Princ. Hist. p.149.* *Angustatur & porrò meatus urinarius* quando *obstruitur*, *vel propè sui originem* in vesica, *vel in suo progressu.* *In vesica* frequentissimè obstruitur *à calculo* vesicæ ut notissimum est. Post hanc obstruitur etiam *à pituita viscida* ac glutinosa. Sic *Zacut. Lusit.l.2.pr.adm.obs.64.* Urinæ suppressionem lethalem à filamentis crassis instar calami scriptorii inductam refert. Inter quos humores etiam *sanguinis grumi* it. *crassius pus* ex ulcere vel renum vel vesicæ, vel alius cujusvis partis

ad

ad veſicam delatum, ſuppreſſionem urinæ periculoſam inferunt. *Indicium* hujusmodi ſuppreſſionum præter tumorem & dolorem veſicæ ex repleta veſica optimè ſuggerit *catheter*, qui intruſus per ſphincterem veſicæ penetrat, & ita aperiendo meatum urinariũ & removendo impedimenta urinæ fluxum promovet, dum interea antecedentes occaſiones, aut præcedentes plus minus mutatæ urinæ excretiones, aut juncta ſymptomata vel affectus alius cauſæ proximæ indicium ſuggerunt. *Denique in ſuo progreſſu anguſtatur* meatus urinarius, ita ut non poſſit transmittere urinam. *Hoc in progreſſu fit vel ex calculo* in eodem pertinaciter impacto, in ſpecie circa glandem, *vel fit ex caruncula* poſt exeſam aliquo loco urethram, ex quo eroſionis loco caro parva, verrucæ inſtar, plus minus dura & ſenſilis, enaſcitur urethram penitus occludens; quæ caruncula frequentiſſimè gonorrhæam diuturnam malignam inſequitur & per *catheteris vel candelæ* impreſſionem ubi ſita ſit, optimè cognoſcitur.

Hiſce ſuperadduntur & *extraordinariæ* quædam *cauſæ*, quæ tamen potius renum, quam veſicæ vitio contingere videntur, dum quæcunque *validiora diuretica* intempeſtivè aſſumta, nempe vel mox poſt alimenta, vel antequam primas vias abſtergentia præmiſſa ſint, ſubinde iſchuriam inferunt, dum occaſione celerioris & copioſioris ſeri urinarii ſecretionis tanquam vehiculi nutrimenti & excrementi una chyloſa cruda, aut etiam alia contenta viſcoſa ſeu pituitoſa ad loca urinaria rapiuntur, ibique mediante obſtructione iſchuriam inferunt. *Sic ex uſu terebinthinæ poſt cibos* crudos & viſcidos aſſumtæ urinam ſuppreſſam obſervavit *Hildanus Cent.5.obſ.59.* uti etiam *ex potu vini recentis*, nec ritè defæcati urinæ ſuppreſſionem obſervavit idem *Cent.4.obſ.52.*

Quoad *prognoſin*, *ſuppreſſio urinæ* periculoſum eſt malum, diverſimodè tamen pro cauſarum varietate: Iſta, *quæ ex paralyſi veſicæ fit* iſchuria, it. quæ *ex nimia corporis eius diſtenſione* oritur ſæpius cæteris periculoſior eſſe ſolet.

In *cura* 1. *cauſa* impediens excretionem urinæ eſt *removenda*. 2. *Internè diuretica* præſertim ϑina vel acrimonia ſua urinam promoventia, propinanda. 3. *Externis* ſubinde veſica ſtimulanda. *Si igitur malum eſt à vitio veſicæ*, vel minus ſenſilis, vel aliàs quaſi paralyticæ internæ, præſertim *malvaticum juniperinum*, *ol.deſtil.juniper. aut terebinth.* conveniunt, idq; ad imitationem *Thoneri in obſ. p.* 175. qui iſchuriam & ſtranguriam graviſſimam, præmiſſis internis ab intemperie veſicæ frigida & humida cum humoribus phlegmaticis curavit per *ol. deſtillat. ſuccini gut.* vj *cum aq. petroſelini.* Hinc propinentur *purgantia* blanda, quæ dum alvum proritant, per conſenſum ſimul veſicam ſtimulando, etiam excretionem adjuvant. Vel pro eodem ſcopo injiciantur *clyſteres*,

primò

primò quidem blandè *emollientes*, postmodum etiam *acres* ex *centaur. min. colocynthide* & similibus. Item comprimatur abdomen, detineatur anhelitus, ut ita vi quasi urina proliciatur, quod nisi fiat, *catheter* usurpetur, ut ejus medio urinæ patefiat exitus. Sed quoniam gravia & subinde periculosa symptomata vel ineptè vel crebrius applicatus catheter inferre potest, de quo vid. *Lyserus in obs. p.* 250. it. *Panarolus Pentec.* 2. *observ.* 20. tutius est *candela cerea*, *melle* aut *ol. amygd. dulc.* illita, si immittatur, ad imitationem *Sylvij Tr. de Cachex.* §. 275. vel usurpetur *fistula membranacea seu coriacea* ad imitat. *Helmont Tr. de Lithiasi c.* 7. §. 34. mediante qua simul per *syphonem* applicati liquores commodè possunt injici, ut ita istis mediis retenta proliciatur urina.

Prolectâ sic urinâ fiant *injectiones* in vesicam ex *decocto pulegii, calaminth. rutæ, castorei* & similibus nervinis. Item applicanda sunt *fomenta ex decocto* istarum plantarum, cum *anetho, chamomill. parietar.* &c: In specie egregius est *fotus cum spongia* applicandus ex *decocto sem. anisi & petroselini an.* ʒj. *herb filipend. Mj. Zedoar.* ʒij. *baccar. lauri* ʒj. coq. in vino & ▽. & dicto modo applicentur, proficuum in quavis ferè ischuriâ vesicali. Vel ℞. *fol. tiliæ* & in vino cocta super pectinem imponantur. Fortiora sunt, quæ ex *alliis* & *cepis* parantur, ac præ cæteris ferè conducunt, si nempe *allia* & *cepæ* cum *ovis* cocta aut frixa imponantur pubi, autore *Bartholino Cent.* 4. *Epist. p.* 230. Vel ℞. *cepam* sub cineribus coctam adde ℥ß. *pinguedin. anserin.* illine hanc umbilico & pubi, pellit urinam. Quod si imponatur perinæo, urinam à nimio coitu suppressam prolicit, prout expertus est *Hillerus Cent.* 1. *cur.* 17. expertum est tale *cataplasma* in multis casibus aliis nil juvantibus:

℞. Cepar. albar. crud. No. vj.
capit. allij No. ij.

Contusis in mortario adde *pingu. anserin. q. s. ol. scorpion.* parum, adspergantur aliquot *gutt. ol. destillat. juniper.* M. pro cataplasmate, applicando regioni renum, it. pubis. Posthæc egregium est *cataplasma ex parietaria* contusa, cocta & cum *ol. scorpion.* instar emplastri pectini imposita. Quoad experimentum est *Helidæi*. Me rarò fefellit, dicit *Forestus l.* 25. *obs.* 8. etiam ubi obstructio esset ab humoribus crassioribus. Sicut &, dicit porrò, in Ischuria puerperæ ex frigore desperata egregiè profuit. ℞. *Parietar.* Mij. *charefol.* Mjß incisa coq. ad mollitiem, adde *butyri recent.* ℥ij. & *ol. scorpion.* ℥jß. applicentur calidè. Aliàs fiunt etiam *inunctiones* tam pubis & perinæi ex *ol. scorpion. castorin. rutaceo, hyperic. castor. destillat.* juniper. & similibus, quam etiam circa os sacrum. Item *unguentum Dialth. c. ol. scorpion.* mistum pubi illinatur. Denique *ol. mastich.*

destillat. umbilico inunctum remorantem urinam pellit. Tandem *insessus & semicupia* fiunt ex *emollientibus* & ipsis etiam *nervinis* appropriatis, ita tamen ut paulò ante insessum exhibeantur blanda *diuretica*. *In ardentibus aut malignis febribus* si suppressio sit urinæ, vel ægri aliquamdiu circumducendi sunt deambulando, conf. *Sydenham in obs. de morb. acut. p.* 212. Vel

℞. Unguent. dialth. ℥ß.
ol. scorpion. simpl. ʒij.
destillat. junip. ʒß. M. quo illinatur regio pubis, vel imponantur fomenta & cataplasmata laxantia dicto loco &c.

Si fiat suppressio urinæ ex vesicæ extensione nimia, præter compressionem cum manu in specie convenit *fotus ex parietaria, aneth. flor. chamom. millefol. origan. puleg.* & similibus *melilot, sem. lini, fœnugræci &c.* Vel quod expertum est *Cataplasma ex chærefol. parietar. & petrosel.* in butyro frixis à *Simon. Paulli in Quadripart. Botan. p.*157. Superiora omnia applicanda *ex cepis vel parietaria* &c. extra applicari possunt, si prius modis supra dictis per *catheterem* &c. urina fuerit evacuata.

Quod si vitio Sphincteris supprimatur urina, litus in perinæo & pubis regione ex *unguento dialth. c. ol. papav.* confert. *Internè* vero *volatilia* c. *opiatis* mista, sed modo primarius curatus fuerit morbus, secundarium hoc symptoma sponte evanescit; sic v.g. *Si à cantharidibus* ortum fuerit, *lac* & *emulsiones* lacteæ sunt optimæ. *Quod si vitium sit ex urethræ angustia*, tumore inflammatoriô aut simili, discuti possunt & *fotibus* & *cataplasmatibus ex chærefol. & parietar.* &c. supra allegatis removeri debent. *Si vero sit à grumo sanguinis*, pro hujus dissolutione internè conveniunt *solut. lap.* ♋. *c.* †*to, decoctum rad. rub. tinct. decoctum artemis. c. chærefol. troch. de carabe, sperma cet. essent. hyperic. essent. travmat.* &c. *Externè* aliis frustraneis aptum auxilium est *stercus boum*, quàm recentissimè adhuc excretum, quo si pecten, pudendum & perinæum pauco tempore inungas, manabit urina. Si desit *recens*, utere *sicco*, *oleis appropriatis* ad △m permisto, autore *Zacut. Lusit. l. 2. prax. admir. obs.* 65. Aliàs fotus aut insessus ex *emollientibus* aut *resolventibus* sanguinis grumos. Vid. *Timæus l. 3. Cas.*41.

Si malum sit à purulentiâ nimia, *succinum c. vino* propinatum est egregium. It. *ol. destillat. terebinth. aut bals. sulph. terebinthinatus* & similia ferè, quæ modò circa grumos sanguinis fuerunt insinuata.

Si obstructio sit à materia viscida & mucilaginosa, conveniunt internè *raphanacea ex Armorac. raphano communi* & similibus, quæ mucilaginem crassam potenter incidunt; It. *succus limonum* ad ℥iij. l. jv. appropriatissimum est remedium

dium *Amat. Lusitan. Cent. 5. cur. 71.* Vel ad imitationem *Riverii in observ. communicatis*

℞. Vini albi dulcis ℥iij.
succi limon. ℥j.
Spiritus terebinth. ʒj. M. capiantur successivè. Item *succus parietariæ c. oxymellite* experimentum est *Hehdæi Paduani*; hinc *tartarus vitriolatus*, ♁. *tartari, vel spir. ♁is dulcis* locum inveniunt.

Quod si supprimatur urina à caruncula inter meatum urinarium genita, hæc quantocyus removenda est. Convenit in specie ℞. ☿ij *præcipit.* ʒij. *unguent. de Cerus.* ʒjß. (quibus pro magnitudine affectus aliquid *olei vitrioli* addi potest) & supra *ceream candelam* ponitur & hoc ipso caruncula aliquoties, sed molestè in die attingitur, vel *præcipitatus dulcificatus*, *s. Turbith miner. cum Empl. Triapharm. candelæ cereæ* apponitur, & dicto modo usurpatur. In malo leviori *candela ex cera alba*, cui admiscetur ♁. *crudum pulverisatum*, vel qui melior, *crocus metallorum* leviter aufert carunculam. Quod si gravius aut pertinacius fuerit, magma *ex ☿io sublimato & virid. æris* c. cereo applicetur. *Conf. M. A. N. C. Ann. 8. p. 152.* Observandum autem ne virgæ aut candelæ sint ex purâ cera, quia facilè nimis franguntur, sed admiscenda est *terebinthina*. ℞. *Ceræ albæ* ℔j. *Terebinth. venet.* ℥j. liquefiat *cera*, post addatur *Terebinth.* quibus liquatis tingantur *ellychnia* fiantque *candelæ*. *Unguentum fuscum Felicis Würzii c. melle rosato* etiam carunculam absumit. Conf. *Barb. in Chirurg. p. 269.* *Quod si exesa fuerit caruncula*, pro consolidatione relicti ulcusculi *unguentum album camphoratum* immissum consolidat. Applicentur tamen *candelæ corrosivis imbutæ* cautè, ne ex nimia corrosione gangræna oboriatur, cujus exemplum vid. in *Lys. observ. p. 250.* Cætera pro hoc scopo usitata remedia vid. in *Sennerto l. 3. prax.* it. *Borell. Cent. 1. obs. 79.* Quod si

CALCULUS VESICÆ

meatum urinarium obturaverit, hic removendus venit. Et quidem *calculi vesicæ* tantum non omnes ex calculo renum primariam sui originem ducunt, *conf. M. A. N. C. Ann. 6 p. 147.* qui in vesicam delapsi velociter augmentum capiunt. *Læsa enim ureterum tunica nervosa*, ipsa etiam vesicâ calculi motu nonnihil attrita, plorant hæ partes læsæ alimentum proprium, sub formâ mucilaginis crassæ & spissæ, quæ mucilago unà cum urina calculosorum excreta habetur vulgò pro pituita, ex quâ per calorem arefacta generetur calculus, cum tamen revera sit alimentum proprium ureterum ac vesicæ, in vesicæ cavum destillans & ita concertum. *Hæc ipsa tamen mucilago*, ubi aliquantulum ejus subinde adhæret calculo renali eò dilapso, in hujus augmentum cedit. Accrescentibus enim plurimis arenulis, aut advenientibus ♁ibus coagulabilibus ex urina, simul in calculi

culi consortium rapiuntur & exinde *calculi vesicæ* augmentum oritur. *Hinc vesicæ calculi majores lamellatim concreti* reperiuntur, instar nempe ceparum cortice uno supra alterum concreto, facilè tamen à se invicem separabili. Si quis unquam vidit *lap. bezoar* vel *lapidem ex folliculo felleo bovis*, is tales lamellas pariter in calculo vesicæ inveniet, ita ut in centrò parvus lapillus vel compactæ arenulæ reperiantur, quod eleganter declarat *Boyle in Phil. experiment. Conf. & Borell. Cent. 2. obs. 62. & Velschius Hecat. 2. p. 32.*

Vesicæ calculum igitur insequuntur imprimis impedimentum urinæ in vesica, ita ut sentiant ægri aliquod obstaculum, quod se opponit meatui urinario sub urinæ excretione. Item *anus in consensum trahitur*, & unà affligitur tenesmo; imò ex crebriori egerendi conatu sæpius procidentiam patitur. *In penis glande* est *dolor* & pruritus, adeo ut ægri interdum putent, calculum hærere in balano seu glande. Vid. *Hildanus Cent. 6. observ. 49. Penis* subinde *erigitur*, idque ex irritatione membranæ vesicæ internæ cum membrana meatus urinarii. Sanè *Helidæus* in *Calculo Vesicæ* certissimam notam asserit, si præter urinæ difficultatem inter mejendum etiam adsit desiderium excernendi fæces intestinorum, & si dum aliquam paleam aut simile quid humi tollere conantes se inclinent, in parte vesicæ sentiant punctionem. *Præterea saltu vehementiori motum calculi in vesica* percipiunt ægri, modò non sit adnatus. Nam interdum post attritam nimis vesicam membranæ ejus internæ increscit, ut tanquam *in capsula* calculum recondat. *Immisso in vesicam cathetere* aut digito in podicem, facilè ab experto ejus præsentia observatur. Item si inter mingendum urina supprimitur, æger vero pedibus in altum sublatis libere postmodum mingere potest. Et denique in malò diuturno *mucilago* ista, cujus antea mentio facta fuit, copiosè cum urina excerni solet.

In *prognosi*, calculus vesicæ malum est curatu difficile. *Facilius* tamen *in fœminis* propter brevitatem ac simul amplitudinem colli vesicæ; *difficilius in viris*, quorum urethra longior & angustior. *Calculus vesicæ* nonnisi sectione tollitur, nec sic periculo caret, quin secti aut extracti licet, sæpius tamen aut *inflammationem vesicæ* lethalem post se relinquunt, aut superveniente *fistula*, tædiosam agunt vitam. *Calculus*, qui vesicæ firmius adhæret, incurabilis est.

Quoad *curam* *Calculus vesicæ maturè removendus* & excludendus; *si nequeat ob magnitudinem*, comminuendus, medicamentis aut assumptis aut injectis. *Si nec hoc procedat*, exscindendus. Inter *interna*, quæ ad exclusionem ejus conferunt, sunt etiam omnia ea, quæ in calculo renum usurpari solent, diutius tamen continuanda, quia longiore morâ vis eorum nonnihil infringitur. Hinc ▽. *persicariæ* ab *Anglis* in calculo vesicæ laudatur, item ▽. *ex cepis destillata*,

ta, it. *urina hirci* hausta. *Herniaria* ac *Betonica* in jusculo carnium cocta, quotidiè bibita laudantur à *Poterio Cent. 3. cur. 72. Decoctum malvæ cum butyro & melle* usurpatum fuit ab *Horstio in obs. p. 462.* In specie *millepedes præparati* continuato usu singul re sunt specificum ad calculum vesicæ comminuendum & ita successivè ejiciendum. *Laurembergius*, qui hujus medio se curavit, singularem de hoc edidit *Tractatum* & ante eum primus hujus experimenti mentionem fecit *Horat. Augenius. Conf. Sennert. lib 3. prax. ubi de calculo vesicæ.* Ac sane paria refert *Boyle in Phil. experim.* quod etiam in Anglia curatus fuerit vesicæ calculus, per talem usum *millepedum*, qualem ipse describit *Augenius.* Interdum ubi calculus est in motu & tamen non bene procedit, *vomitus* convenit nempe in mulieribus, cujus rei exemplum vide in *Poter. Cent. 2. cap. 74*

Externa in *vesicæ calculo* primaria sunt, quæ *injiciuntur* in vesicam, ut alteretur ab iis & consumatur calculus, rara tamen sunt admodum hæc, imò hactenus nulla cognita. Conf. *M. A. N. C. Ann. 2. p. 249.* Sunt tamen qui *solutionem stercoris columbini calcinati* cum *decocto parietariæ*, vel ejus ▽. pro hoc scopo commendat. Item *cataplasma ex emollientibus anodynis* & blandè pellentibus in usu sunt, præ cæteris decantatum *cataplasma* factum ex *cepa alba* cocta in Vino *decoctionis parietariæ* & *oleo scorpionum*, admovendum pubi, quàm calidè fieri potest. Hujus usu convaluisse refertur à *calculo vesicæ*, qui jam eundem *exscindendum* decreverat. *Litus* ex *oleo scorpionum* & *pingu. hircinâ* & in specie ex *Petroleo*, it. ubi magis pellendum ex *oleo destillat. succin.* ceu nota transmitto. Contrarium *Ischuriæ* vitium est *involuntarium urinæ profluvium*, seu

URINÆ INCONTINENTIA,

quæ *duplici modo* affligit ægros. *Aut enim dormientes* solummodo affligit, ut urinam continere nequeant, quin stragula permingant: Aut *vigilantibus & dormientibus* simul præter voluntatem urina effluit.

Causa hujus proxima est deficiens constrictio musculi sphincteris vesicæ, qui aliàs fibris suis circularibus collum vesicæ tam arctè claudit, ut nonnisi voluntatis imperio relaxatus, urinæ transitum permittat.

Causa remota, quæ constrictionem hanc impedit, est I. *Paralysis vitio nervorum eveniens*, unde spirituum influorum deficiente radioso influxu & impetu, fibræ relaxatæ minus se stringunt. Contingit hæc interdum *à casu ab alto* in regionem lumborum & ossis sacri, ubi nempe nervi ad sphincterem derivati ferè oriuntur. Sic pariter *luxatio vertebrarum* circa istum locum subinde urinæ incontinentiam infert. *Conf. Zacut. Lusit. l. 2. Med. Prin. hist 143.* item *Schenckius lib. 3.* it. *Amat. Lusit. Cent. 3. cur. 11.* Etiam *diuturnior mora in* ▽.

frigidâ pariter reſolvere veſicæ ſphincterem valet. Pertinet huc, dum *morbis acutis* ægrisque ſummè debilitatis ſupervenit urinæ incontinentia ex defectu ſpirituum animalium, adeoque viribus penitus exhauſtis, id quod & *apoplecticis* ordinario ferè accidere ſolet. II. *Eſt fibrarum ſphincteris relaxatio* ex nimia diſtenſione. Accidit hoc ſubinde mulieribus propter *nimiam fœtus magnitudinem*, unde vagina uteri diſtenta ac ſimul collum veſicæ neceſſario dilatatum ſubinde urinæ incontinentiam relinquunt, quale exemplum ſuggerit *Platerus in obſerv.* III. *Fibrarum ſphincteris laceratio*, quod fit non tantum in *vulneribus* iſtarum partium fortuitis, ſed imprimis etiam in *lithotomia*, in quibusdam minus cautè inſtituta fibrisque ſphincteris diſciſſis, ut ob id poſtmodum urina retineri nequeat. Exemplum refert *Scultetus in Armamentario Chirurg. obſ.* 63. Pertinet huc *obſtetricum inertia*, quæ in partu ſubinde *dilacerantes veſicæ collum* urinæ incontinentiam inferunt. Ut taceam *in difficiliori partu* rumpi quaſi veſicæ ſphincterem. Vid. *Heer obſ.* 14. it. *Salmuth Cent.* 1. *hiſt.* 39. Quæ ipſa etiam in mulieribus propter *prolapſum ſinus pudoris* oriri poteſt. Sicut *Barthol. Cent.* 4. *hiſt.* 2. urinæ incontinentiam refert *ex ulcere veſicæ* cum *prolapſu uteri*.

Hæc eſt *vera & propriè dicta urinæ incontinentia vigilantibus* pariter ac *dormientibus* conveniens. *Verùm quoad impropriè dictam incontinentiam urinæ*, ſive quando *dormientes* tantum ſtragula perminguunt, iſtud vitium ex debilitate facultatis retentricis, ut vulgò loquuntur, h. e. ex torpore aut defectu ſpirituum animalium, dum non ſatis firmant tonum fibrarum ſphincteris veſicæ conſtrictoriarũ. *Unde videmus tenellis in infantibus* propter ſpirituum torporem aut ſegnitiem vitium hoc frequens eſſe, quin & *ſenibus* ultimo ſenio interdum obvenit. *Interdum etiam conſuetudo* hîc ſupervenit, cujus occaſione perminguntur ſtragula. *Ad has urinæ incontinentias in ſpecie pertinet* etiam vitium iſtud, *quando hæc ſatis diu retineri nequit*, id quod fere propter continuum ac ſenſiliorem in veſicâ ſtimulum contingit. *Vitium hoc veſicæ interdum à calculo* venit, qui incumbens collo clauſo, mole aut aſperitate, aliave ratione irritando mictionem urget. *Id vitium etiam interdum obvenit gravidis* ultimis geſtationis menſibus, dum moles uteri aut premit veſicam, aut in partu diſtendendo jam vicinas partes, etiam vaginam diſtendit, ſicque orificium veſicæ ſimul dilatat, unde vel pauca præſente urina hanc excernere coguntur. *Exulceratio* quoque aut *excoriatio* veſicæ circa collum pariter crebrius ſtimulat ad excretionem, ut propterea frequentius mingatur. *Denique tuſſis* diuturnior & gravior hoc vitium infert, præſertim in mulieribus corpore magis obeſo aut habitiori præditis, ut ægri tuſſientes ſimul urinam emittant, quod etiam obſervavit *Salmuth Cent.* 2. *obſ.* 30. it. *Platerus l.* 2. *obſ.* nempe concutiuntur in tuſſi cum diaphra-

phragmate quælibet abdominis partes internæ, quibus concussis etiam vesica concutitur, idque eò magis, quô minus in obesiori corporis habitu partes externæ cedunt, ut ita quasi impetu protrudatur tanquam ex siphone urina. *Deniq; id oritur malum ex angustia vesicæ*, quæ urinam multam aut diu retinere nequit, tam nativa sub prima generatione, quam adscititia ex tumore vel proprio, vel vicinarum partium, ut v.g. in inflammatione abdominis, locisque vicinis.

Quoad *prognosin*, *urinæ incontinentia ex vitio paralytico*, in specie vitio cerebri aut spinalis medullæ difficillime curabilis est affectus. *Urinæ incontinentia in senibus* utplurimum est immedicabilis; *in pueris* vero subinde sponte sua ætatis progressu curatur, ut observavit *Timæus in Cas. p.* 258. Sed necesse est, ut fiat intra 25. annum. Nam ubi tunc non cessat, periculum est, ne sit immedicabile malum.

In *cura* imprimis *causa est removenda*, adeoque *nervina* & *adstringentia* hic primatum obtinent, quibus socianda simul *specifica* quædam, modo non satis explorato, urinæ incontinentiam tollentia. *Observandum* tamen *si malum sit à vitio nervorum*, remedia ista nervina, non tam vesicæ quàm lumbis, ossique sacro, ubi ferè nervorum est exortus, convenire. Hinc *calamintha* & *mentha* cum vino ante pastum pota, item *alchymilla* & in specie *agrimonia* specificè commendantur. *Plantago, hypericon, hujusq; semen, glandes & medullæ glandium, castoreum, galanga, mastiche* &c. Certe ʒj. *mastichis* in haustu vini data admodum à quibusdam laudatur. Item *thus* ejusque pulv. item *gummi Arabicum* ad ʒj, in vino assumtum laudantur, præsertim quando occasione stimuli præternaturalis non bene retinetur urina. Hinc *Joel* sequentem pulverem ad incontinentiam urinæ paralyticam commendat

℞. Calaminth. Myrrh. Castorei an. ʒiij.
Glandium ʒv. pulverisata subtilissime propinentur ad ʒj.

Specifica inter talia convenit *guttur galli tostum* & *tritum*, cum vino potum. Est unum ex decantatissimis specificis ab omnibus commendatum, tam ad diurnam quam nocturnam urinæ incontinentiam, ita ut etiam ad eam, quæ est à partu difficili commendetur ab *Höfero in Herc. Medic. p.* 340. *Conf.* in specie, quæ è *Solenandro* refert *Sennert. l* 3. *prax. Pulvis cineris erinacei* etiam est bonum specificum, quo *D. Michael* felici successu usus fuit. Ipsemet in puero 12. annorum post morbum acutum urinæ incontinentia laborante hunc *pulverem erinacei* cum *medullâ saxorum* mistum cum successu adhibui. Hinc *Bartholetus in Encyclop. c.* 104. contra urinæ incontinentiam adhibet *pulverem interioris tunicæ ventriculi gallinarum* cum *cinere erinacei*. *Montagnana* vero his, qui lectum permingunt, sequentem commendat *pulverem*

℞.

℞. Tunic. stomach. Gallin. pulverisat. ʒß.
herb. agrimon. ℥j.
erinacei usti ℥vj. M F. ex omnibus pulv. D. ʒj.
cum vino vel jure.

Medulla saxorum egregium est experimentum à ℈j. ad ʒß. in vino propinatum. Vel:

℞. Pulv. medull. lap. ʒiij.
granor. mastich. ʒij.
lign. aloes resinos. exactè pulverisat. ʒiß.
M. F. pulv. pro aliquot. Dos. D. pro dos. ʒj.

Pudendum suis sive *vulva suilla* quocunque modo *præparata* præstans est experimentum contra urinæ incontinentiam. Optimè fit ex hoc ipso *farcimen*, quod propinetur ægro vel exsiccatum pulveris. Egregiè convenit. Item *cinis pudendi suilli* convenit, quo ipso puer 18. annorum ab ineunte ætate hoc malo affectus curatus dicitur. *Conf. M. A. N. C. Ann.* 2 *p.* 36. *Mures exiccati* & pulverisati, vel *mures* in butyro elixi & ita propinati sæpius expertum sunt specificum contra urinæ incontinentiam tam vigilantium quam dormientium. *Conf. M A. N. C. Ann.* 6. *pag.* 124. *Forest. lib.* 25. *observ.* 22. Item *stercus capræ*, vid Brunschweig p. 67.

Inter *externa* inprimis *balnea* & *fomenta* laudantur, facta ex *absinthio, mentha, fl. rosar. balaust. tormentill.* Hæc balnea fieri possunt ex *aqua ferrariorum*; *Thermæ* inprimis utiles sunt in malo contumaciori. Novi sanè, qui à pastu mox, atque unicum potum hauriret, continuo eoque perquam doloroso vesicæ cruciatu & ad continuum mictum stimulo afficiebatur; Aliis multis irritis profuerunt *internè juscula* decoctionis carnium & gallinarum calida loco potus assumta, *externè* verò thermæ. Hinc *inunctiones* cum *oleo absinth. menth. nardin. Castor. Bals. Peruv.* &c. *Empl. oxycroceum* vertebris lumborum applicatum laudatur à *Joele*, item à *Timæo in casibus p* 338. *Pulvis bufonis vivi* in nova olla usti collo appensi, in sacculo, singulare experimentum est, ad quamvis urinæ incontinentiam à quacunque causa, nisi fuerit ex læsione à partu. Vid. *H. ab Heer. obs.* 14. & confirmatur etiam per experientiam à *Boyle in Phil. experim.* Aliàs hujusmodi involuntaria post partum emissio, tanquam paralysis vesicæ curata fuit ab *Horstio in obs. p.* 287. Quidam hoc *unguentum* ceu singulare commendant *contra profluvium aut stillicidium urinæ mulierum, post partum difficilem*

℞. Lap. calamin. in ac. destil. & ▽ros. bis vel 3. loti & subtilissime pulverisati ℥iv.
lythargyr. argent. ℥ij.

cerus-

cerufs. præp. ℥j.
ol. rofar.
chamom. an. ℥v. agitentur fimul per 2. horas & cum axung. hirci ℥iij. F. unguentum agitando ad horæ quadrantem, donec confiftentiam debitam acquirat. Hoc ipfo pars affecta leniter illinenda, ac linteo cooperienda. Hæc ipfa promifcuè tam *diurnæ* quam *nocturnæ* incontinentiæ conveniunt. *In fpecie vero quoad nocturnam pulvis cupularum glandium* in ∇. vel *vino chalybeatis* convenit. Item *pulvis caftorei* junioribus ad ℈j. adultis ad ℥j. propinatur. item *pulv. Auguft. pro lectimingio. Conf. Hochftett. Decad. 6. caf. 2. in Schol. Quod fi dictis modis non ceffat malum*, *vafcula* quædam arte applicanda veniunt in maribus, quibus urina continuo depluens colligatur, ut cum minore faftidio vivant, quæ vid. in *Hildano Cent. 6. obf. 54 & 55.*

Depravata urinæ excretio eft, quæ fit *cum dolore*, *ardore* & infigni *difficultate*. Hæc inter vitia communiffima ferè eft

STRANGURIA,

dicta ἀπὸ τȣ̃ στράγγος *à gutta*, *Latinè* *urinæ ftillicidium*, quia urina guttatim excernitur cum acerbo dolore, tam in quàm poft mictionem, remanente unà continua ad mingendum irritatione. Eft autem affectus ferè fimilis *Tenefmo*. Nam ut hic fe habet in podice, ejufque fphinctere, ita fe habet ftranguria in vefica, ejufque mufculo conftrictore. Communiter hoc malum oriri volunt *ex refrigeratione* abdominis & in fpecie veficæ. Unde *Germanis* vocatur **Die kalte Seiche.**

Caufa proxima eft urina, idque ferè dum à caufa externa oritur, aut in vefica fortiùs irritata, & plus minus interius abrafa, aut nonnihil excoriata. *Illud* in vitio magis *accidentali*, hoc in eodem magis *habituali* feu *confirmato*. Eftque *caufa proxima* continua irritatio veficæ, unde continuus mingentium conatus cum ingenti dolore inter mingendum oritur. *Quoad fi hoc vitium eft à caufa externa* feu urinæ vitio, iftud hoc loco confiderabimus. *Quando vero eft à vitio ipfius veficæ* plus minus læfæ, iftud fub *Dyfuria* fimul confiderabimus.

Dolor ifte percipitur tam *in collo* veficæ, quam in fpecie *in Urethra*, & in hac intenfior, quam in illo. Licet enim Urethra & interior veficæ membrana fit continuata, & una eademque fubftantia, tamen vefica interius eft obfita muco craffo, nonnihil vifcido, qui eam oblinens defendit ab acrimoniâ urinæ plus minus rofivæ. Verùm cùm Urethra hoc unguento naturali careat, eò acerbiùs

biùs cruciatur à transeunte *urina acida*, qui *acor* urinæ est ex parte urinæ unica *causa* stranguriam inferens. *Hunc urinæ acorem confirmat*, quòd in *Nosocomio Lugdunensi* ita affecta urina gustata, manifestum *acorem* linguæ impresserit. Confirmat hoc *experiment. Helmontii. Tr. Pleur. furens*, qui sumere jubet urinam naturalem & huic addere tantillum vini acidi & injicere in vesicam; sic enim subitò percipit dolorem stranguriæ simillimum. Id quod etiam affirmat *cura*, quæ per talia, quæ *acidum præcipitant*, aut obtundendo demulcent, curatur. *Acor hic in urina stranguriæ* autor natales suos habet ex primis viis ex cruditate nempe acida digestionis primæ eaque utplurimum vitiô assumtorum. *Causa dispositiva* est *inertia fermenti bilis* non debitè perficiens in duodeno chylum: Sic enim assumpta, præsertim potulenta, non rite digesta, sed *acore* aut stomachico aut proprio adhuc tincta & inquinata è stomacho dilapsa rapiuntur per intestina, sine mutatione in ♉sum, ad vias urinarias in vesicam, hanc acore suo stimulant, & stranguriam inferunt. *Loquitur hoc quotidiana experientia*, dum unusquisque observare potest, quod vel *vinum meracum*, vel *mustum*, vel *cerevisia* non ritè defæcata, aut copiosius aut intempestivè assumta inducat stranguriam. Hæc enim sunt talia, quæ facilè & potenter *acescunt*, & *acorem* suum pertinaciter retinendo haud adeò facile tam in stomacho, quam in duodeno temperari possunt, quin hostilitate suâ stranguriam in vesicâ inferant. Aliàs undecunque natæ *excoriationes, exulcerationes, attritiones* à calculo, ita vesicam disponunt, ejusque interiorem superficiem adeò irritabilem reddunt, ut nullius rei accedentis contactum, etiam urinæ naturaliter constitutæ, nisi cum summo dolore ac molestia adeoque continuâ irritatione perferre queat, quin continua adsit stranguria. Unde & *ulcus vesicæ* subinde dat stranguriam molestissimam. Hæ *ordinariæ* ferè sunt *causæ* stranguriæ. *Extraordinarium* est quod oriatur stranguria admodum pertinax ac torminosa *ex incantatione*, qualem refert *Helmont. Tract. de Lithias.* quam per *succum betulæ* curatam refert.

Quoad *prognosin*, stranguria si est ex vitio urinæ, periculosum non est, utut molestum. In senibus tamen subinde incurabile propter defectum digestionis primæ. Stranguria interdum, si diuturnior aut pertinacior fuerit, ulcus vesicæ infert. Quæ ex vitio vesicæ est, curatu difficillima ac subinde periculosa existit.

In *cura* (1.) acre acidum urinæ corrigendum. (2.) Vesicæ qualiscunque læsio restituenda. *Quoad prius*, ventriculus rectificandus, inter quæ in malo

malo contumaciori primatum obtinent *vomitoria*, quarum utilitatem commendat *Riverius in prax.* & confirmat *Hildanus Cent. 6. cur. 52.* In quem finem etiam pro scopo aversorio *purgantia* in specie ex *Jalappa cum terebinthin. extractum panchymagogum cum ☿io dulci* propinentur. *Quoad posterius*, ea, quæ in vesicæ exulceratione supra fuerunt posita locum obtinent.

Inter *remedia priori* præsertim *scopo* satisfacientia conveniunt inprimis *glandes pulverisatæ*, *fructus alkekengi*, exque eorum succis paratum *extractum*. *Lapides*, ♋ inprimis acidum stranguriæ absorbent. Ac sanè in *cancris* absoluta est stranguriæ cura vi alcalina diuretica pluribus scopis satisfaciens. Hinc sunt, qui ℞. *duos* ♋*os fluv.* quibus ♋ in mortario contusis affunditur ▽ vel *cerevisiæ*, q.s. *succum* exprimunt, & contra stranguriam propinant. Præ cæteris quoque *cortices Aurantiorum* egregium sunt stranguriæ experimentum, seu exiccatæ usurpentur, seu eorum *essentia*, aut quod optimum, *ol. destillatum* ad aliquot guttas propinetur. Convenit præsertim, *si a causa externâ assumtorum* malum ortum fuerit, propter substantiam nempe *bis volatilis oleosi*. Conducit quoque *nux moschata*, quæ ab usu cerevisiæ crudæ contractam stranguriam curat. *Folior. ribes nigræ* odor & decoctum; item *gemmarum ribes nigræ* ad ℥ß. cum *sem. dauci* in vino rubro decoctum commendatur à *Foresto l. 28. obs. 2.* *Decoctum raparum* specificum est *Gabelchoveri Cent. 3. pag. 9.* Ubi merito hoc *decoctum raparum* in affectibus urinariis, stranguria, dysuria &c. commendat. *Decoctum quoque herbæ & baccarum Alkekengi* cum *passulis* miras virtutes obtinere dicit *Amat. Lus. Cent. 6. Cur. 92.* *Balsamum Peruvianum* sunt, qui exhibent, pro quo præstat *bals. Copaybæ* in *decocto petroselini* ad aliquot guttas assumtum. Non secus ac *ol. ceræ* si in *decocto cicerum rubrorum* propinatur locum invenit. *Lixivium ex testis ovorum calcinatis* cum vino paratum, aut *vinum in quo silices candefacti* aliquoties extincti sunt. Item *Nitrum* in vino datum, *spir. nitri dulc.* &c. Fortiora absorbentia sunt *θ. tartari, C. C. ust. θ. stipit. fabarum*, & ubi alia frustra sunt adhibita, *borracis* ℈j. egregiè prodest. Denique *cepæ* non ultimum stranguriæ sunt remedium. Nempe *cepa* minutim incisa infundatur in aquam simplicem per 24. horas, ▽. infusionis bibatur, liberabit à stranguria. *Quod si pertinacius fuerit malum*, & vitio digestionis solo à cruditatibus ibidem detentis foveatur, id quod v. g. *in senibus* frequentius evenit, *potus vini Hispanici* aut *Malvatici*, aut *Malvaticum juniperinum* usurpentur, it. *S. V.* bibitus dum cubitum itur, præservat à stranguria. Hinc variæ possunt fieri formulæ, v. g.

℞. Tereb. cypriæ ℈ij.
Resin. jalap. gr. vj. F. Pilulæ.

 Hinc

Hinc ℞. Ol. destilat. cort. Aurant. ℈j.
zedoar. ℈ß. M. D.
S. Sonderlich Oel gegen das Schneiden.

Item ℞. Mithridat. ʒj.
ol. destil. rutæ,
cort. aurant. an. gutt. ij.
cum pauco saccharo F. Bolus. S. Stillender Zucker.

Opiata tamen minus conveniunt in his malis.

Item ℞. Specier. diacurcum. ℈v.
pulv. N. M. ℈ij.
lap. ♋. ʒj.
sacchar. in s. q. ▽. simpl. solut. F. Rotulæ adsperg. ol. destillat. Cort. Aurant. D. ad scatul. Dos. v. vj. viij. &c.

Denique ℞. Malvatic juniperin. ℥iv.
syr. cort. aurant. ℥j.
spir. carminat. ʒj. M.
S. Safft wieder das Schneiden / auff etlichmal.

Externè sevum commune, seu *candelas* umbilico calidè largiter illiniunt. Ratio est continuitas vesicæ & umbilici, nempe ratione Urachi. Loco *sevi communis* in specie convenit *Axung. Hirci* cum aliquot gutt. *ol. destilat. ceræ* subacta umbilico illita, v.g.

℞. Axung. hirc. ʒij.
ol. destilat. ceræ
cort. aur. ana gr. ij. vel iij.
M. pro litu.

Ad externa hæc pertinet *suffitus Rulandi* in seipso *expertus*, nempe *raphani* incidantur & incoquantur in vino, vase bene obturato, quibus ebullientibus imponatur vas sellæ, cui æger insideat, & vesicæ regionem suffumiget. Aliàs in malo pertinaciori usitati sunt *clysteres emollientes* & *anodyni*, in specie *ex lacte*, imò ipsa *injectio lactis* vel *simplicis*, vel *chalybeati* in vesicam locum invenit in stranguriâ.

DYSURIA

sive *urinæ difficultas est*, *quando cum magno conatu & labore ægri accedente non levi dolore urina effluit. Dolor* iste concurrens inter mingendum quasi

quasi *ardoris sensum* inducit, propterea malum hoc *ardor urinæ* dicitur. Conqueruntur enim ægri in tali affectu: Es brennet/ als wenn heiß Wasser lieffe.

Cognatus est affectus cum stranguria, differunt tamen 1. quod *in dysuria* urina non guttatim, sed sine interruptione ac sæpius debitâ quantitate effluat. 2. *Quod dolor inter mingendum* percipiatur, *non verò ante & post mictionem*, uti in *stranguria*. 3. *Quòd in dysuria* orificium vesicæ, aut meatus saltem urinarius erosus plus minus *excorietur* aut *exulceretur*. *In stranguria* verò interna vesicæ superficies plus minus arrosa &c.

Causa talis *urinæ difficultatis ac ardoris seu dysuriæ est aut in urina*, quæ excernitur, *aut in partibus*, per quas excernitur. *Hæ ipsæ* enim præternaturaliter affectæ ab urina etiam naturaliter constituta doloris sensum concipiunt. *Primò igitur urina* dysuriam, licet rarius graviorem, aut habitualem infert, quando eadem *acris* nimisque ⊖sa, *acido* ⊖sa aliave ratione mutata existit, id quod fit à copiosis salibus imbibitis, ut in *hypochondriacis* & *scorbuticis*. Sic enim dysuriam lethalem ex acrimonia seri scorbutici cum mirâ penis retractione observarunt *M. A. N. C. Ann. 4. p. 159.* Item *pus acre* cum exulcerationem renum seu aliarum partium cum urina permistum, tum dysuriã infert: Item quando urina à *cantharidum* applicatarum externe corrosivo veneno impraegnata dysuriam parit. *Frequentiùs partes urinariæ malè affectæ* dysuriam inferunt, seu *per essentiam*, seu *per consensum* fiat, imprimis quando collum vesicæ aut etiam meatus urinarii excoriati & exulcerati sunt à præterfluente urina naturali licet constituta, ingentem & acerbum dolorem concipiunt, & si quæ alia, certè hæc est frequentissima causa. *Hinc non rarò calculus vesicæ* eandem attritu suo quasi abradens, aut alio modo circa collum lædens, nunc strangurias, nunc dysurias pertinaces excitare solet.

Pertinent huc prostatæ glandulæ juxta collum vesicæ malè affectæ, imprimis à contagio ♀ eo, unde & gonorrhææ sunt subjectum & subinde etiam exulcerantur. *Exulceratæ* vero dum præterfluens urina easdẽ alluit, immensè dolent. *Quin & ita affectæ* loco lymphæ blandioris elaborant succum acrem & virulentia corrosiva ♀ea infectum, qui dum urethram, per quam fluit, excoriat & lædit, hoc ipso dysuriam crudelem inferre solet. *Difficillimè cura tunc* est talis *dysuriæ*, aut interdum in *ulcus penis* terminatur, quando & hæc ipsa virulenta cum quibusdam consenescit & moritur, ut observat *Schenck. l. 3. obs.*

Verùm præter affectus *per essentiam*, etiam *per consensum* vicinarum interdum dysuria oritur. *Sic enim affecto utero*, aut affecto *intestino recto* nil frequentius est, quàm ut superveniat dysuria. Hinc *propter inflammationem intestini re-*

cti & tenesmum & dysuriam observavit *Amatus Lusit.Cent.6.cur.*84. Item ex consensu *cum hæmorrhoidibus* dolentibus stillicidium & urinæ ardorem annotat *Schenckius l.3.obs. ubi de hæmorrhoid. Observandum hic ulterius* in modo dictis affectibus stranguriæ & dysuriæ simul subinde excerni *materiam crassam*, mucilaginosam & pituitosam, quæ nil aliud, quam nutrimentum vesicæ, aut partium illarum urinariarũ proximum, quod exiſtis partibus læsis continuo exstillans unà cum urina sub forma mucilaginis crassæ aut lacteæ excernitur, quæ ipsa mucilago hos ipsos affectus insigniter augere solet, & in specie conatum & exercendi laborem mirum intendere. Unde refert *Vesling. in obs. Anat. à Barthol. editis p.*146. quòd in demortuis ex dysuria deprehendatur vesica mucosa & lenta albicante materia plena.

Quoad *prognosin*, *dysuria* quidem per se *malum lethale non est*, molestum tamen & sæpe admodum contumax ac *diuturnum*, in qua diuturnitate nunc *ad urinæ incontinentiam* disponit, nunc *vesicam exulcerat*, aut factam jam ejus exulcerationem exasperat. *In senibus difficulter* curatur, nisi forsan potus *vini Malvatici* eandem mitiget, sicuti idem *vinum Malvaticum*, uti etiam *pulv. stomachalis Quercetani* optimè convenit, si conjuncta cum ista mucilagine materia crassa & alba &c.

In *cura* attendatur ad causas, adeoque vel *acrimonia temperanda*, vel *partes urinariæ* quocunque modo *læsæ restituendæ*. Pro hoc scopo *malva* & omnia ex eâ parata *specificè* commendantur, quatenus egregiè acrem urinam temperant, sensum vesicæ irritatæ demulcent & loca læsa quasi mucilagine temperante oblinunt. Hinc *conserv. flor. malvæ* mirè laudat *Amat. Lusit. Cent.6. cur.* 58. *Conf. & Hochstetter. Decad.6.cas.2. Schol. & syrup. de malva*; exemplum vid. *in Horst. junior. Epist. & obs. p.* 50. Item *mucilagines seminum cum decocto althææ* paratæ & cum hoc ipso propinatæ sunt *evporiston. Hartm. in Prax. Chym.* Potius ex his fiat *decoctum*, quod vel ita addendo *lap.* ♋. usurpetur, vel addatur *nitrum* & potus erit gratus. *Decoctum* pariter *Foresti* supra *ubi de calculo renum*, laudatum, confert. *Decoctum herb. & baccarum Alkekeng.* si æstas est & haberi possunt. Vel *decoctum florum Nymph. petrosel. sonchi lævis cum saccharo & nitro* adhibeantur. *Decoctum flor. malv. cum jujubis & sebesten* itidem convenit. Nam si quid aliud, certè *decoctum sebesten* ad ℥v. omni manè assumtum insigniter ardorem & dolorem urinæ lenire dicitur, idque imprimis, si tantillum de *croco* fuerit additum. *Terebinthina* & omnia *terebinthinata* etiam hic conveniunt. Cautè tamen *spir. seu ol. terebinthinæ* adhibeatur quia nimis acris est. Potius *pulveres* convenientes excipiantur *terebinthina*, sicque redigantur in *pilulas*, v. g. *Pilul. Quercetani contra dysuriam*, renum exulcerationem &c.

℞. Thuris, Myrrh. Mastich. an ʒij.

suc-

succini, croci. an. ʒß.
camph. ℈j
♁ diaph. ad pondus omnium cum terebinth. F. Pilul. Dos. ℈j. utatur 10. diebus.

Vel, quas Alii adhibent.

℞. Succi liquirit. succin. thuris, an. q. v. incorporentur cum terebinth. cypr. F. Pilulæ dentur manè jejuno ventriculo; *Joel* adhibet *pulverem ex testis ovorum, sem. urtic. & succin.* Nam *succinata* omnia laudantur. Hinc & *troch. de carabe, de Alkekeng.* contra dysuriam valent & in specie si exulceratio in partibus urinariis, adhibentur. *Vesica capræ præparata*, it. *Apri sylv. masc.* siccata & pulverisata ad stranguriã & dysuriam præsentissima dicuntur remedia, ut loquitur *Hochstetterus decad. 6. cas. 2.* Quorundam non inelegans est εὐπόριστον hoc: ℞. *Dactyl. q. s. ossa limata* rediguntur in pulverem, caro v. in particulas scindatur & siccetur in clibano, pulverisetur & misceatur cum *pulvere ossium* addendo sacch. q. s. Hujus *pulveris* manè & vesperi sumatur quantum cultelli cuspis bis vel ter capere potest, assumatur in sequenti mistura:

℞. Syr. dialth *Fern* ℥iij.
de cich. c. rhab. ℥j
▽ Nymph.
lactuc.
chamom. an. ℥iv.
cinam. ℥ß. M.

It. ℞. Lap. Percar.
Off sep.
♋. calcin.
pulv. N. Mosch. an ʒß.
Extr. opii ℈j. M. F. pulv.

Hisce denique accedant *lacticinia* & his cognata *oleosa*, v. g. *oleum amygd. dulc.* perquàm egregium sæpius usurpatum. Item *oleum amygd. dulc.* cum *syrupo dialthææ & pulv. ocul. ♋.* in forma potionis mista & crebriùs usurpata; commune εὐπόριστον est *pulvis radicũ althææ cum sacchar̃o* mistus & usurpatus; *emulsiones ex amygd. d. sem. melon. nucl. persic.* addito *lapide percarum*, sunt egregiæ. *Lac* ejusque *serum*, quod interdum solum sufficit, & omnia *lacticinia* in omni dysuria sunt optima, in specie si orta fuerit à *cantharidibus*, in quibus copiosum assumatur. Hauritur nunc *crudum*, nunc *serum lactis*, in quo *decocti flores cyani & calcatripp.* Sic enim fit magis abstersivum. Hauriantur autem *lacticinia* copiosè & calidè, id quod pariter de omnibus potulentis intelligendum, ut, quantum possibile, calidè hauriantur. Cùm certè *frigidus potus* assumtus, aut aer frigidus extra susceptus insigniter *stranguriam & ischuriam soleat exasperare.* Cum his internis

crebro

crebro *clysteres* in usum sunt vocandi, nunc blandè *stimulantes*, nunc *lenientes*, nam quò contumacior est alvus, eò intensior est dysuria. *Externe serpillum* calefactum partibus urinariis applicatum dolorem sedat, & urinam promovet. *Cataplasma ex alth. malva, melilot. parietar. cum lacte, aut oleo scorpion.* pubi imponatur aut saltim *ruta & parietaria in oleo scorpionum* cocta & apposita præsentissimè juvant, dicit *Amat. Lusit. Cent. 6. cur. 92.* Item *unguentum expertum* ad urinæ difficultatem

℞. Unguent. Martiat. Agrippæ
ol. laurin. an. ℥j. M. optimè blandeque eo ungatur regio pubis & subito fluet urina.

CAPUT V
DE
LYMPHÆ IN GLANDULIS GENERATIONE ET MOTU VITIATIS.

NOtissimus est *sanguinis motus ad glandulas*, ut in iisdem aliquid separetur, quod ad constituendam *lympham* requiritur, idque tam *in glandulis conglobatis, quam conglomeratis; ex hisce* cavitati cuidam infunditur, ut est lympha pancreatica, salivalis &c. *Ex conglobatis* vero tam regionis inferioris quam superioris, circa venam axillarem sinistram sanguini commiscetur. *Naturam, usum, fiendi modum, ex theoria* præsuppono. *Vitiatur* hæc lymphæ secretio & in partes infusio *tribus modis*. *1. Dum ipsa vitiosè generatur*, tam in quanto, quam in quali. *2. Dum* eadem vel naturaliter, vel præternaturaliter constituta *vitiosè distribuitur* & ex glandulis conglomeratis in partes & cavitates infunditur. *3. Dum* eadem qualitercunque constituta ex glandulis conglobatis per vasa lymphatica *in suo motu impeditur*.

Prius vitium varia & distincta hinc producit *pathemata* pro glandularum & partium vicinarum varietate. *Alterum vitium* dat *affectus catarrhales* propriè dictos. *Tertium vitium* dat *tumores* serosos seu *hydropes particulares*.

Vitiatur lymphæ generatio tam in quanto quam in quali, vel *objecti* vel *subjecti* vitio. *Objecti* seu materiæ ex qua (maximam partem est serum sanguinis) *vitio*, vitiata generatur lympha, *quando hoc serũ parcius* vel *copio-*

sius,

sius, tenuius, vel à contento chyloso rore *crassius*, *dulcius* & vitiosè *acrius* fuerit, nam & hinc necessario lympha varia vitia contrahit. *Subjecti denique vel glandularum vitio* vitiatur lymphæ generatio, quando earundem tonus & textura secretoria, & alia requisita ad lymphæ genesin necessaria non ritè se habent.

Frequentissimum vitium est, *quando obstruuntur*, hincque plus minus intumescunt, utplurimum à materia lymphæ generandæ viscidiore, vel gelatina chylosa magis turgida, quæ undecunque coagulata aut inspissata, tam à frigore aliave causa externâ quàm interna, sicq; in pituitam abiens, *tumores glandularum* majores aut minores, molliores aut duriores, benigniores aut cum sensu punctorio maligniores constituit. *Circa quorum affectuum theoriam & praxin* consulendus venit *Sylvius lib. 1. prax. c.* 49. 50. 51. 52. 53. 54. Ubi saltim hoc simul addidero, pro his affectibus *curandis*, illis præsertim, qui *ex obstructis glandulis* originem ducunt, præter ☿. *dulcem* pro expurgatione, optima remedia esse *sudorifera ex lignis*, præsertim *junipero*, parata, v. g.

℞. Rasur. lign. juniper. ℥ij.
sassafras ℥jß.
cort. ligni Quajac. ℥j.
herb. rorismar. Miij.
bacc. junip ℥jß. Infunde in s. q. ▽æ & vini aa. ℔ij, macerentur per 24. horas, coq. in M. B. in cucurb. cum suo alembico juncto ad medias, colatum & destillatum M. adde spir. θ✱ci ℥iij. syr. flor. Calend. ℥jß. ad iij. M.

Hoc ipso *præmissa purgatione* ☿ *iali* nupere fœminam cum mensium suppressione, tumores parotidum & glandularum in collo habentem, cum capitis gravedine, narium obstructione, oris siccitate & difficili anhelitu & pectoris ac pulmonum quasi rep'etione, interdum suffocationem quandam minante restitui, capiendo omni manè bonum haustum calidè & expectando hinc in lecto sudorem.

CATARRHUS.

Catarrhi vocem quod attinet, in sensu *Hippocratico* quicunque decubitus alicujus humoris dicitur ab eodem *Catarrhus*, adeò, ut Diarrhææ, Diabetes & alii similes morbi *Hippocrati catarrhi* audiant. *Verum propriò sensu catarrhi* voce innuitur decubitus seu depositio seri, aut ichoris tenuis, seu serum hoc sit mite, seu acre, ad aliquam certam determinatam partem: & hoc est *propriè catarrhus, nempe præternaturalis à sero plus minus vitiatô, in quacunque parte facta alteratio seu functionum læsio.*

Veterum hypothesis est satis nota. Asseruerunt nempe *in catarrho interno* serum cumulatum in capite ex eodem destillare per foramina ossis cribriformis in

in partes inferiores, easq; interiores, nares, fauces, oculos, aures, pulmones &c. *In catarrho vero externo* destillare idem serum, inter membranas cranii extimas, in totam corporis peripheriam, etiam ultimos artus usque, â quibus *destillationibus*, & ut vocant *defluxionibus*, tantum non omnes morbos, in specie arthriticos affectus deducunt. *Serum istud in capite* colligi voluerunt, *partim* ex intemperie ejusdem frigida, *partim* humida, idque primariò ex vitio partium inferiorum, in specie stomachi ac jecoris. *Nam stomachus ex intemperie frigidâ* copiosum phlegma generat; *jecur vero ex intemperie calida* incumbens stomacho istud phlegma in vapores & fumos resolvit, qui copiosè ex ventriculo exhalantes & evaporantes, *in cerebro* tanquam in *alembico*, collecti & à loci frigiditate denuò condensati in liquores seu ▽as serosas condensentur, unde successivè quasi depluendo inferunt catarrhos. Et hæc est *Veterum hypothesis* adeò decantata & à multis adhuc recepta.

Sed sufficienter discusserunt illam tam *Helmont Tr. catarrh. delir.* quam *Schneiderus in prolixis operibus de catarrhis*, cujus omnis doctrina quæ *6. libris* satis prolixis continetur, in hoc consistit, quod afferat & defendat, *non à capite* depluere serum in catarrhis, *sed* istud *ex arteriarum vasculis* à facultate sanguinis expultrice apertis, seponi & per membranas transudando, & pro varietate seri sanguinis per arterias exclusi & hinc inde sepositi, varios oriri catarrhos. In qua doctrina glaciem prius fregerunt *Schneidero*, tam *Helmont*, quàm etiam *Piso in erudito scripto de colluvie serosa.*

Sed ut propius ad rem accedamus, eo nomine non sunt culpandi Veteres, quòd *serum* statuerint *materiam catarrhorum*, utut *lymphæ vitiosæ* moderni hoc adscribant. Nam *serum Veterum* collectum est *latex Helmontii*, & hodierno loquendi modo *lympha* est. *Serum autem catarrhorum est materia*, quoties *nunc immediatè* ex arteriis cum sanguine excretum & motu suo plus minus impeditum & in spaciola partium mollium effusum, etiam varios affectus, quos vulgò pariter *catarrhos* appellant, infert. *Nunc* vero idque primariò, *mediatè*, mediante nempe sui in lympham mutatione, & hinc ex glandulis conglomeratis in certa loca effusione *catarrhos propriè* dictos, seu *defluxiones*, aut rectius loquendo cum modernis, *influxionem* constituit. *Adeoq; propriè dictorum catarrhorum materia est lympha glandularum conglobatarum*, tam *naturaliter* quam *præternaturaliter* constituta, copiosè & imprimis uberius in partes effusa. *Fontes catarrhorum sunt glandulæ conglomeratæ*, unde saltim loca talia glandulosa propriè dicti catarrhi affligunt. *Scaturigo prima* catarrhorum denique est M. S.

Cùm igitur frequentissima *glandularum conglobatarum & conglomeratarum* textura

textura *in cerebro* cohæreat (nam totus ejus cortex minutissimarum glandularum est congeries) item cùm in locis cerebro vicinis, *oculis, faucibus, larynge, aspera arteria, collo, auribus* &c. copiosæ sint *glandula*, & modo dictæ partes præ reliquis, injuriis & læsionibus aëris externis sint expositæ, non mirum est, *si propriè dicti catarrhales affectus* frequentius *capiti* ipsiusque partibus vicinis, hinc *faucibus* ac *aspera arteria*, ac consequenter *pulmonibus* sint molesti, i. e. *ratione efficientis remotæ & materialis proximæ* ad catarrhos hæ partes sint dispositæ.

Dixi modo, membranas ex *Schneideri* sententia esse *fontes catarrhorum*, per quas materia transudando in catarrho defluat. Unde *Schneiderus membranas* suas *pituitarias* dictas *anteriorem* & *posteriorem* accuratè delineat, aliàsque accuratè describit, per quas catarrhos transudare vult, utut *in ultimo tomo de catarrhis* addat his ipsis etiam *glandulas*, tanquam opercula vasorum. Rectius igitur alii his *glandulis* originem catarrhorum adscribunt, inprimis cum *membranis* istis *pituitariis Schneideri* à tergo copiosarum glandularum textura adhæreat, ex quibus, ceu fontibus, catarrhi per vasa minuta excretoria membranas perforantia excernuntur, sicuti naturaliter per hæc vasa lympha fauces & nares, aliasque partes oblinens excernitur.

Per has igitur glandulas conglomeratas lympha aut nimis *abundanter* exclusa, aut *vitiosè* simul præparata & excreta catarrhos constituit, i. e. *defluit lympha* aut *copiosa*, aut *vitiata* ex glandulis inprimis conglomeratis circa *caput, fauces, collum, laryngem, asperam arteriam*, aliasque vicinas partes. Unde non tantùmmodo functionum læsiones, sed pro vario lymphæ vitio varia symptomata superveniunt. Et sanè hoc sensu nil obstat, quin *gonorrhœa virorum, fluor albus mulierum, salivationes* quælibet, quin & interdum *diarrhœa* ad *catarrhos* referri queant.

Vidimus *catarrhorum materiam*, vidimus *fontes*, quare pergo ad *causas*, à quibus ita movetur *lympha*. Equidem ipsa ceu humor sui generis spontaneo impetu nonnisi fluidi gravis ratione, deorsum movebitur, adeoque purè passivè sese habebit ad hoc, ut *copiosior*, aut plus minus *vitiata* per glandulas conglomeratas moveatur, & ita spirituum influxum moventem & organorum seu instrumentorum dispositionem *catarrhalis influxio* imitabitur. Ut igitur per glandulas quasvis conglomeratas catarrhalis lymphæ fiat excretio, *causa præcedens* semper est *læsio* quædam, in parte quadam plus minus sensili, in cujus vicinia sunt glandulæ, cujus læsionis occasione lympha, ob fibrarum stricturam uberius ex glandulis vicinis exprimitur, & ita semper restaurata continuus quasi rivus eò derivatur; quæ ipsa lympha, quò plus vel min⁹ à statu naturali recesserit, eo magis vel minus gravem *affectum catarrhalem* constituit, v. g. sicut spina digito infixa causa est sanguinis effusionis & inflamationis in loco, ubi plura sunt vasa sangui-

 fera,

fera, ita similis spina v. g. *acidum* inspiratum laryngi si infixum fuerit, ibid. lymphæ uberiorem effusionem, indeque *raucedinem*, *tussim*, materiæ mucosæ copiosam ejectionem faciet. *Læsio ista* prout *nunc magis superficialis*, adeoque irritatio saltim quædam partis fuerit, vel prout *nunc gravior*, quæque non sensum saltem partis afficiat, sed etiam texturam ejus & spiritum insitum simul alterare valeat, etiam *catharrum nunc leviorem*, *nunc graviorem* infert. *In quo posteriori*, loco laudabilis alimenti, vitio spiritus insiti, ex propriæ digestionis & coctionis læsione, vitiosum continuo excrescit excrementum, quod similiter novum alimentum corrumpendo, partem magis magisque lædet, unde *catarrhus habitualis* seu perennis catarrhi scaturigo, ut in *phthisi* manifestum est, *de quo infra*.

Causa adeoque *materialis proxima irritans* & *nunc* saltim sensum, *nunc* spiritum insitum magis afficiens, speciatim est *acre acidum* quod dictæ catarrhali defluxioni ceu *causa proxima* substernitur sive inservit. Non est excludenda hîc *causa efficiens proxima formalis*, quæ est spiritus impetum faciens & occasione istius irritationis catarrhalem lymphæ excretionem efficiens.

Causa remota est vel *externa* vel *interna*. *Externæ* causæ sunt aëris injuriæ: *Internæ* sunt *vel* digestionum particularium errata, *vel* sunt ipsa seri, ceu materiæ lymphæ, præternaturaliter constituti vitia; speciatim sapor ejus vitiosus, acris &c. ut in *scorbuticis* manifestum est. e.g. Festuca oculo intrusa, hujus dolorem, tumorem, copiosæ lymphæ continuæ effusionem infert; quæ mala *à causa interna* nata dicuntur *catarrhus*, si scil. talis, quasi festuca quædam à *variolis* oculis infixa manserit, cujus occasione crebrior recidiva catarrhi excitabitur. *Quod si in scorbuticis acrior lympha* oculum utpote teneriorem forsan læserit, & similia symptomata inferat, etiam *catarrhus* dicitur. *Item* si sub laboribus Chymicis gas acidum sulphuris seu ☿ ij inspiratum irritaverit laryngem, *tussim* & ex præternaturali lympha effusione, *raucedinem*, tandem *screatum* copiosum infert. Malum hoc simile est, ac si continuata inspiratione tali larynx & pulmo magis læsus, ex deficientia spiritus insiti, sub nutritione alimentum proximum continuò depravet, unde continuus excitabitur *catarrhus*, qui *phthisin* tandem inducet. Sicut deniq; *si citra occasionem* talem datam *lympha* in se *acrior*, *acidior*, *θsior*, naturaliter aliàs laryngem humectans pedetentim hunc læserit, successivè hinc *tussim*, *raucedinem*, *sputum copiosum*, idem sic dictam *phthisin catarrhalem* infert. Tandem in specie *externas* inter *causas* primatum obtinent *inspirata aëris*, ratione quorum interdum sunt *epidemici catarrhi*, idq; interdum non absq; *malignitate*; it. *febres catarrhales malignæ*, *epidemicæ* observatæ fuerunt.

Epide-

Epidemici tales *catarrhi* originem ducunt, quoties *externa* inspirata *partim lympham inquinant* ac serum, ejusque præternaturali alterationi occasionem præbent; *partim* quoque *irritant* loca, per quæ transeunt, unde ibidem lymphæ catarrhalis vitiatæ fit excretio. *Sæpius tamen sine hoc vitio*, etiam alia ratione aër vitiosus catarrhis occasionem præbet. *Quò ii pertinent*, qui cum aëre *fumos acres metallicos & ☿iales* inspirant in laboratoriis Chymicorum & Aurifabrorum &c. quorum acidum gas, membranas narium, faucium, laryngis & sub his reconditas glandulas copiosas continuâ *irritatione* ad fibrarum contracturam & copiosam lymphæ excretionem stimulat; *quin & ipsam lympham non rarò vitiant*, quam acriorem, spissiorem, aut alio modo vitiatam reddunt. Sic *frigus* pariter *externum*, aëre mediante haustum diutius, similiter has partes lædendo, eas quoque ad catarrhales defluxiones disponit, non secus atq; *in sternutatione*, acrimonia inspiratorum irritantur narium membranæ & vasa lymphatica excretoria, ut exinde lympha copiosa, subinde muco crasso impraegnata profluat. Ita si nares aliave vicina loca à præternaturali quadam causa irritentur, idem evenire solet. *Imo interdum irritatio hæc & læsio eò usque procedit*, ut etiam alimentum partis læsæ exinde vitiosè alteratum appositioni fiat ineptum, adeò ut sub forma muci crassi, spissi, varii coloris, & consistentiæ unà non rarò excernatur.

Causæ internæ irritantes, & ita occasionem catarrho subministrantes dictæ fuerunt, quòd sint *vel in ipsa parte, vel in sero*, seu lympha effusa. *Ibi* est aliquid præternaturale, utplurimum acre, ex digestione privata enatum, quasi fermentum, hostilis irritationis occasione, lymphæ ex loco vicino effusionem inducens. *Hujus exemplum* sit *character phthiseos hæreditarius*, successivè *phthisin catarrhalem* inferens; vel acidum istud fermentum circa dentium vitiatorum radices hærens, dolori, tumori ac similibus pathematibus catharralibus occasionem præbens. Hinc etiam ipsa *lympha* præternaturali *acrimonia acido-salsa* affecta, dum per partes distribuitur, eas irritat, ac dolorem commovet, & ita ad uberiorem sui excretionem stimulat.

Inter causas ad talia lymphæ vitia disponentes imprimis consideranda *stomachi digestio*, dum nempe ventriculus impotens non sufficit digerendis & concoquendis ingestis, *sive* quòd ejus fermentum sit nimis iners, *sive* quòd ipsa assumta imprimis potulenta copiosiora vim ejus infringant. Unde locum invenit vulgatum istud: Süsse/ geben Flüsse/ idque tum impr mis, quando accedit aut *pauca urinæ excretio*, aut *imminuta sensilis sudatio*, vel insensilis transpiratio. Hinc nimirum præter *frigus aëris* ambientis ex imminutâ insensili transpiratione *frequentiores in hyeme* sunt *catarrhi*, quam aliis anni temporibus. Qualescunq; fuerint

fuerint causæ, quando dictis ex causis in ventriculo non ritè concoquuntur assumta, sed chylus emergit ▽osus, nimis θsus &c. ipse etiam sanguis & serosior & acrior generatur, inde necessariò etiam lympha quibusvis in glandulis vitiosè elaboratur. Unde & *tabes* ex acrimoniâ sanguinis, *raucedines*, *tusses*, *coryzæ* similesque ex acriori lympha orti affectus catarrhales aut præcedunt, aut comitantur: Quas *tabes à destillationibus ex capite* oriri, erroneè autumarunt Veteres. In specie *scorbutici* obnoxii sunt acribus & corrosivis catarrhis vitio sanguinis & seri natis, cùm & lympha salivalis adeò acris fit in iis, ut gingivarum fibras rodendo eas flaccidas reddat & hinc omnino exedat. Unde & aliarum glandularum lympha similiter affecta non raro dabit catarrhos.

Jam quoad *differentias catarrhorum*. *Catarrhus omnis est* vel *accidetalis*, vel *habitualis*. *Ille*, qui ex improviso & quasi fortuito casu parti supervenit, & ejus spiritum insitum afficit, adeoque facilè delebilis existit, & talis est, qui ferè *à causis externis* & inspiratorum vitiis oritur. *Hic vero est*, qui sæpius in eodem loco gravius repetit & successivè spiritum insitum graviter labefactat, ac vel levi occasione datâ repetit, & *nunc* ex vitio hæreditario, *nunc* contentorum notabili dyscrasia supervenit. *Causa habitualis catarrhi* est *partim loci affecti tonus semel læsus*, ex spiritus insiti deficientia, unde glandulæ aliæque partes vicinæ ex læso tono laxantur, adeoque ex læso tono facilius & sæpius ex interna causâ nati catarrhi eandem partem afficere & replere solent: *Partim remanens à læsione catarrhali fermentum* præternaturale in glandulis locisve vicinis, quod subinde plus minus commotum, irritando istas partes catarrhales influxiones provocat, non secus ac simile quid in ulceribus relictum *recidivas* horum inferre solet. Unde vulgus per experientiam edoctus dicit: Wo einem die Flüsse einmahl hinziehen/ da kommen sie gern wieder, quod *Helmontius* uno nomine per *robur partis inæquale* scitè explicat.

Deinde *ratione qualitatis lymphæ* catarrhalis effusæ hæc est aut *mitior* seu insipida, aut *acrior*, seu nonnihil acido salsa corrosiva, à qua acrimoniâ partes membranosæ mox dolent, insigniter rubent ac tument, adeoque dispositionem phlegmonoden seu inflammatoriam contrahunt, ut v. g. *in Epiphora oculorumq; catarrhis* subinde est manifestum; imò interdum partes affectæ exulcerantur &c. Ab his ceu supervenientibus symptomatibus vulgus *catarrhum* in *calidum* ac *frigidum* dividit. *Ille* est, qui ex acriori lymphâ oritur, & modò dicta symptomata secum trahit: *Hic* qui ex insipida seu dulci uberius effusâ scaturit.

Porrò *tempora paroxysmi catarrhalis* probè *distinguenda* sunt, pro quorum ratione catharrhus nunc *tenuis*, nunc *crassus* dicitur, nempe *in principio*, dum lympha sincera fluxerit, *catarrhum tenuem seu crudum*

consti-

constituit. Dum vero copiosiori lymphæ irritatione laxatur pars, succeſſivè exaſperatur, & ſuperficietenus excoriatur, & nutrimentum partis proprium ſe aſſociat, *lympham* antea tenuem, *ſpiſſiorem*, antea acrem, *temperatam* reddit, id quod fit *in incremento & ſtatu paroxyſmi*, & hoc *materiam* tenuem incraſſatâ & *coctam* vocant cujus excretione & partis læſæ ſpontanea reſtitutione *declinatio paroxyſmi* abſolvitur. Hæc ipſa tantum non omnia mutatis paucis mutandis applicari etiam poſſunt ad *catarrhum minus propriè dictum*, ex ſeri cum ſanguine infuſione per arterias, nunc *immediatè*, nunc *mediatè* in *lympham* mutati, ſed ob fibrarum aliqualem, ob irritationem undecunque factam, ſtricturam, aliquali remora & in parte plus minus coacervatione natum, hincque partis variam tam ex læſione plus minus ſenſili, quam ſeri plus minus inſipidi aut acris, parcioris vel copioſioris effuſi alterationem & functionem læſam. Sic enim *frigus externum poſt corporis æſtum* & motum nudo capite exceptum, aut pleno ore hauſtum promptiſſimè ad catarrhos diſponit, non ſecus ac *ex refrigeratione* partis cujuſdam *nocturnæ*, poſt aliqualem ſudationem, manè dolor in iſtô locô plus minus ſenſilis Catarrho adſcriptus percipitur. *Nempe ſubitò clauſis poris*, id quod inſenſibiliter aliàs exhalare deberet, in lympham acrem ſpiſſatur; unde pathemata ex ejus irritatione varia ſuperveniunt. *Sic ex ſeri ſcorbutici* in loco quodam, ſpeciatim in pedibus, facta irritatione, & hinc doloroſa alteratione *dolores lancinantes & lacerantes*, præſertim *nocturni*, qui catarrhis tribuuntur, oriuntur. *Sic pariter ex dentium irritatione* & dolore & hinc fibrarum ſtricturâ natus tumor maxillæ ſeroſus, itidem catarrho tribuitur. Ex ſero paulò acriori *plevram* fortuitò irritante natus *dolor in plevreſi notha*, catarrhis quoque tribuitur.

Cauſas hi *affectus catarrhales* agnoſcunt eaſdem, quas illi ſupra dicti catarrhi. Nam, quoad *materialem*, ſerum *vel immediatè* ex arteriis cum ſanguine elapſum, *vel mediatè* in lympham prius commutatum, hanc conſtituit; quoad *cauſam efficientem occaſionalem* inſequuntur *læſionem* irritatam *vel ex occaſione externâ*, præſertim refrigeratione partis, v. g. poſt ſudorem; *vel ex ipſius ſeri* pro materia lympha diſtributi *acrioris*, in ſpecie acido eſſi partes nervoſas aut membranoſas vellicantis, *vel habituali in malo*, *ex vitioſo fermento*, ob læſam digeſtionem privatam ſpiritus inſiti vitio collabefactatam, natôquod datâ occaſione quavis excitatum, ex irritatione tanquam ſpina infixa *catarrhales affectus* infert.

Deni-

Denique omnibus his catarrhis interdum sociata est *febricula*, plus minus intensa, ob id *catarrhalis* dicta, prout majus vel minus vitium lymphæ, præsertim glandularum conglobatarum, sanguini in axillarem sinistram infuso junctum fuerit. Hinc enim *effervescentia febrilis* major aut minor excitatur, & vespertino aut nocturno tempore præsertim hæ febriculæ exasperantur, & præcedentibus levissimis dorsi refrigerationibus subinde sunt molestæ.

Sed, si omnia hæc rectè consideremus, manifestum evadit, omnem catarrhi hactenus traditam doctrinam non tam *morbum* ipsum, quam *productum morbosum* respicere, adeoque à posteriori saltem rem declarare: Siquidem tam lymphæ ista ex glandulis conglomeratis effusio, quam seri plus minus vitiosi à sanguine refluo separati, aliqualis in parte retentio, non nisi effectus sunt, ex consequentia læsionis ejusdem morbosæ in parte ista catarrho obsessa præviæ, ita ut & *in Theoria*, seu fiendi modo primariò ad læsionem istam & irritationem ejusque causam, quam sequitur catarrhalis influxio, & *in Praxi* ad irritationis illius mitigationem & læsionis correctionem, harumque causarum remotionem respiciendum sit potius, quàm ad catarrhi istius exiccationem & discussionem. Istis enim deficientibus nunquam ruent catarrhi; Sicut iisdem sublatis sponte hi ipsi languescent & evanescent.

Symptomata, quæ insequuntur catarrhos, pro partium affectarum varietate variant. *In genere* tamen præcedunt eosdem utplurimum *gravitas capitis, sensuum torpor, artuum lassitudo, refrigeratio* & *horripilatio dorsi* levis (es ist ihnen/ als wenn kalt Wasser über den Rücken lieffe) accedit *febricula* subinde, eaque inprimis vespertino & nocturno tempore exasperatur, postea corpus insigniter incalescit, *tussis, raucedo, sputum copiosum*, & similia cum febriculâ augmentum capiunt; hinc supervenientia *excreta varia per nares, os* &c. Vel pathemata ejusd. partis *dolorosa*, quæ præsertim vespertino aut nocturno tempore exasperantur, ipsum catarrhum jam factum comitantur. *Quamdiu serum* catarrhi est *tenue* & acre, vespertino aut nocturno tempore magis affligit; *dum vero crassior aut viscidior* lympha peccaverit, æqualiter ferè omni tempore affligit.

Intensiora porrò omnia sunt *symptomata in calido catarrho*, *contra remissiora* in eodem *frigido* dicto. Præ cæteris *affectus catarrhales scorbuticorum* contumaces sunt ac crudeles, & qui correcti licet in uno loco, superstite tamen in M.S. & ventriculo fomite subinde alio in loco denuò scaturiunt. *Quodsi externam præcedentem læsionem insequuntur*, facilè hoc manifestum evadit: *Quod si ex interno* particularis partis cujusdam *vitio* originem ducant, crebrior *recidiva*

diva, **& *mutationis tempestatum***, aliis imperceptibilis, promta sensatio, partem ipsam vitio spiritus insiti debilitatam, & ita & particulari vitio catarrhali obnoxiam innuit. *Quod si ex dyscrasia sanguinis & seri*, vitio digestionis in ventriculo oriantur catarrhi, crebriores catarrhosi affectus hoc ferè persuadent, aut quando iidem ex uno loco remoti in vicino se denuò manifestant; aut si tales ægri sunt *Sputatores*, quando multum *sudant*, & de ventriculi digestionis læsione subinde conqueruntur. *Vid. Helmont. Tr. Catarrh. deliram. & Tr. Tussis & Asthma.*

Quoad *prognosin*, *catarrhus à causa* & læsione ***externa*** proveniens minus periculosus, quàm qui ***internum*** habet fomitem. *Pejores* sunt *scorbutici*; pessimi omnium, qui ex vitio partis privato, seu ***hæreditarium***, seu *non hæreditarium* fuerit, oriuntur. Catarrhus *quò sæpius* in eodem loco *recurrit*, eò periculosior censendus est, cum crebriori *recidivâ* spiritus insitus debilitatus, facilè malum habituale contrahere queat, & v.g. in pectore & pulmonibus *phthisin* inferre possit. *Catarrhi, qui senes affligunt*, graviores sunt ac difficilius curatu, undecunque orti fuerint, partim propter digestionum quarumcunque debilitatem, partim propter partium solidarum deficiens robur, ex languore spiritus insiti, partim propter serum & lympham, in talibus acriorem & ferè acidiorem.

In specie periculosi sunt senibus, si caput petant. Hinc enim varia & gravia capitis pathemata inferunt. Nam glandulas minutas cerebri, in specie plexum choroideum circa lympham esse occupatas, non secus ac pinealem, & pituitariam, aliasque consimiles earundem structuræ &c. confirmant. *Ab his igitur lympha vitiosius secreta*, tam *in quanto*, quam *in quali* & cerebrum inundans, gravia capitis symptomata infert. *Quò facilius excretione* quacunque facta levatur catarrhus, eò melius, quia minus periculum est, ne ex graviore læsione partis, gravius malum ipsi immineat.

In *cura* catarrhorum semper tria capita primariò attendenda. (1.) *Causa efficiens*, & inde parti inducta *læsio*, unde stimulatur lymphæ catarrhalis excretio, tollenda *& removenda*. Unde *si malum sit à causa externa*, *opiatis* aut similibus sensus irritationis tollatur, & consequenter lymphæ affluxus præcaveatur. Hinc *suffitus*, *inunctiones cum oleis destillatis aromaticis*, *& sudorifera ex salibus volatilibus oleosis* sunt optima. *Si vero subsit vitium partis* ex digestione privata læsa, aut quasi reliquiæ fermentativæ, hæ ipsæ ex parte removeantur, & hinc pars ipsa firmetur. Faciunt istud nunc *sudorifera*, partium sordes eluentia & abstergentia, nunc loci vel affecti, vel in vicinia apertio per *vesicatoria*, *cauteria & fonticulos* applicata, & si fieri potest, leni *suppuratione* factâ, per abscessum

sum contumax vitium est removendum, v. g. *tumor catarrhosus malæ* crebrius recurrens, vitio dentis ex privata digestione læsa cariosi, hujus evulsione radicitus curatur. *Tonsillarum tumores* catarrhales sæpius recurrentes, radicitus extirpantur, suppuratione perfectâ, ut hujus medio, quicquid heterogeneum fermentativum partem obsederit, hocce medio removeatur. *Sin vero lymphæ ipsius vitium fuerit causa* catarrhi, hæc ipsa vitiosa, acris, salsa & acida, *aromaticis* aut *volatilibus*, item *oleosis temperatis* corrigenda & nunc *per urinam*, nunc optimè *per sudorem* eliminanda. Fomes vero ejus, imprimis digestionis primæ vitia emendanda.

(II.) *Causa materialis*, lympha nempe aut effusa, aut effundenda, *removenda* & *corrigenda*. Removetur vel *imminuendo* vel *avertendo* eandem. Corrigitur, *si* proprietates ejus vitiosæ, præsertim *acrimonia acido ʃsa* partes nerveas vellicans & rodens *temperetur*; quo etiam *incrassantia* sic dicta pertinent.

(III.) *Loci seu partis affectæ læsio curanda* ac restituenda & si quid subsit glandularum aut obstructarum, aut alio modo læsarum vitium, corrigendum, ut hujus ratione partim catarrhos debitè *curemus*, partim eosdem *præcaveamus*, id quod imprimis *adstringentia* & *aromatica* præstant; *illa* tonum partium nervosum, *hæc* robur partium vitale conservant.

Pro his scopis ritè obtinendis *observandum*

1. *Remedia*, quæ hic conveniunt *evacuantia* primum locum obtinent; *per alvum* verò talia minus sunt commoda, sed, quæ potius feliciori & promtiori successu lymphæ augmentum *per urinam* & hinc etiam *per sudorem* evacuando impediunt. Et talia ex *ʃibus volatilibus*, v. g. *succini, CC.* item *ex lignis sudoriferis* erunt optima. Ubi tamen catarrhalis affectus fuerit contumacior, aut ex stomachi vitio dependeat, vel etiam corpus impurum offendat, subinde necesse est, ad *purgantia* progredi, imò ubi contumacius fuerit malum, ad *vomitoria* accedendū suadet *River. Cent.2. obs.90.* It. in catarrhis sæpius recurrentibus, v. g. in senibus & similibus, præsertim quando ex seri vitio accidat, ac partes nerveas magis afflixerit, semper *ante novilunium* aut evacuantia appropriata, aut alia *à catarrhis præservantia* usurpanda. Inter quæ eminent *succinata, myrrhata* & similia *oleosa*, quasi *balsamica*, partes læsas roborantia & lympham seu serum corrigentia.

Inter *purgantia* præsertim pro senibus catarrhosis ferè usitatiores sunt *pilulæ de succino Cratonis*, nempe

℞. MP. de succin Craton. ℈ß. ad ℈j.
Extr. absinth. gr. v.

Resin.

Reſin.jalap.gr.iij. vel iiij.
ſcamm.ſulphurat.gr.j.& c. ſ.q.
ol. ſuccin. F. Pil. D.
S. Flußpillen auff jmahl.

Aliàs *Jalappa* ordinariò præſcribitur ſeu ſolitariè, ſeu cum ☿ *dulc.* mixta propinetur. At ſi tenacior mucus ſe junxerit, *colocynthis* locum invenit. *Poterius in ſuis curationibus* propinare ſolet *decoctum melanagogum c. lign. ſaſſafras.* Quò facit, quod *Thonerus* dicit, quòd perfecta cura catarrhorum conſiſtat in *Helleb. nigr. Menſ. Octobr. collecto*; *Pilulæ aloephanginæ* aliæque ſimiles uſuales, ſi radix mali fuerit in ſtomacho & primis viis, uſurpari poſſunt &c.

II. *In catarrhis quibusvis*, præſertim ſi concurrat ſimul lymphæ acrimonia vitioſa, *opiata* proſunt. Hinc à Veteribus in *principio* mali & catarrho tenui, ut vocant, *pilulæ de cynogloſſa* fuerunt in uſu, quarum ingredientia, cum nimis ſint cruda, earum loco ferè *laudanum opiatum* in uſum venit. *Opiatis* hujusmodi catarrhus præſertim nocturnus evertitur, læſionis irritantis ſenſus opprimitur, catarrhalis defluxio inhibetur. Sola tamen vix uſurpanda, ſed *ſuccinatis* & *aromaticis appropriatis* miſta, præſertim diaphoreſin auctiorem ab eorum uſu expectando. Decantat horum *opiatorum* uſum *Helmont* in affectibus catarrhalibus *Tr. jus Duumvirat.* §. 62. 64 65. Salutarem horum uſum confirmat experientia, cum iisdem ex Modernorum conſuetudine frequenter uſus fuerit *Riverius. Vid. Cent.* 3. *obſ.* 15. 69. 74. *&c.* Aſſumuntur talia *opiata* cumprimis tempore veſpertino, aliquot horis ante introitum lecti, aut etiam paulò ante, quando moveri ſolet catarrhus. *Obſervandum tamen* ne abutamur his ipſis, ſuſpendendo nempe & inhibendo catarrhalem motum, *iſtis* nempe *in caſibus*, quando catarrhali influxione alius morbus ſolvitur, *vel quando Epidemius* fuerit affectus catarrhalis, *vel quando* jam ad incrementum pervenerit malum; In talibus caſibus enim non ſtatim ſuſpendenda materia catarrhi. Plus enim nocumenti aliàs contingit, niſi *divertentibus, ſudoriferis, diureticis* & ſimilibus miſta fuerint *opiata.*

III. In ſubjectis, ubi catarrhi ferè ſunt incorrigibiles aut contumaces, aut ſæpius recidivantes &c. in talibus palliativum *fonticulorum* remedium, interdum eſt adhibendum; item *veſicatoria*, ſed hæc ſaltim *à poſteriori* juvant, ne nempe nimium ſeri aut lymphæ catarrhalis inundatio partem debilitet, aut tonum ejus nimium deſtruat. *Voluntaria enim hæc ulcera*, præſertim *fonticuli* his affectibus tantum medentur, quatenus productum morboſum eliminant, cauſas vero ipſas non eliminant, & cum vitioſo latice utilem alimentitiũ ſuccum in pus corruptum emungunt, ut ita imminuta nonnihil materia catar-

rhali horum insultus mitior reddatur. Nam totius *fonticuli* effectus specialiter in cruoris & laticis seu seri imminuta & continua exhaustione consistit & sic *à posteriori* iis conferunt affectibus *per accidens*, qui à sudoribus lenibus quibusdam vitio digestionis, aut læsæ in sanguine fermentationis, aut vitio corrupti seri in M. S. enascuntur, ita ut labes illæ *à priori* propter subjecti ineptitudinem, v. g. propter mensium naturalium defectum, propter characterem hæreditarium incorrigibiles sint. *In talibus casibus* ergo unà cum sanguine laudabili & sero evacuatur simul quod est nocivum &c. Sicut interdum natura ipsa per *spontanea ulcera* ab aliis malis se liberare solet.

IV. Quoad *venæsectionem* negotium hoc per se locum non invenit. *Sin vero subjectum sit plethoricum* & consueta sanguinis evacuatio suppressa &c. quibus & aliis similibus occasionibus intenduntur symptomata catarrhum vel constituentia, vel consequentia, consulta est V. S. observando *revulsionum* & *aversionum regulas*. Quin etiam cum confestim nimis fit decubitus catarrhalis in quadam parte, ad impetum istum refrænandum V. S. in loco opposito secundum *revulsionem* & *aversionem* instituta subinde solet *in Praxi* admodum esse proficua.

V. *Post opiata*, remedia vel *sudorifera*, quæ partes eluunt, earundem sordes mediante sero commodo abstergunt ac ipsum serum simul minuunt; vel *aromatica*, vel *balsamica*, quæ tam ipsum corrigunt & emendant, quàm partes solidas roborant, sunt utilissima in paroxysmis catarrhalibus. Hæc ipsa enim indicationibus supra factis maximam partem satisfaciunt.

Simplicia igitur *in catarrhis* usitatiora magisque *appropriata* sunt *serpillum, satureja, thymus, majorana, mentha, betonica, salvia*, præsertim, *rosmarinus* & *lign. sassafras*. Item *Juniperinum*, *quajacum*, *baccæ juniperi*, & omnia ex *junipero*, earumque *baccis* parata: *Rob*, *decoctum ligni*, *malvaticum juniperinũ* &c. *Myrrha* quoque, *acorus adulterinus*, *rad. caryophyllata* &c. *Succinũ* & quælibet *succinata*, *cinnabaris* tam *nativa* quam *☿alis*, *θlia volatilia* tam *simplicia* quàm *oleosa* &c. Quoad *lignum sassafras*, nobilissimum est ad catarrhos remedium, adeò ut à *Brunnero in consiliis* proprium dicatur alexipharmacon. Odorem & saporem habet fœniculatum, acromaticum, adeoque corrigendi vitia seri & lymphæ, simulque per sudorem & urinam evacuandi, ut taceam ejus stomachalicã virtutem. Unde *decoctum lign. sassafr.* item *tinctura ejus*, v. g. *Mynf.* item *essentiam catarrhal. D. Michael.* ex *ligno sassafr.* cum *spiritu serpilli* parat. Est enim *serpillum* commendatum ad catarrhos simplex, unde etiam ▽ suam *benedictam serpilli* tantopere commendat *Mynf. in Armam.* Pertinet huc ▽ *ista*

contra catarrhos descripta ab *Hoffmanno in clav. in annexo thesauro p. 6.* quæ ∇ seu *essentia sassafrata* ad cochl. 1. alterumve manè & vesperi propinari potest, estque egregium præservativum & curativum in catarrhis, apoplexia & similibus &c.

In catarrho scorbutico miscenda sunt remedia *sassafrata* cum *summitatibus pini*, imprimis si immineat paralysis notha scorbutica. In tali casu *essentia lign. sassafr.* ritè parata *essentiæ pini* mista, aut *decoctum utriusque* simplicis fructuosè usurpantur. Loco *ligni sassafras* etiam aliorum *lignorum decocta* adhibentur, ut videre est in *observat. Lotichii*: item *Gabelchovero qui decoctum rad. chinæ* cum fructu præscribunt. Alii non sine ratione commendant *decoctum ligni lentiscini* ex quo destillat *mastiche*: Cùm igitur *mastiche* sit nobile contra catarrhos, nullum dubium est, *quin ligni lentiscini decoctum* sit egregium. Cui ligno tamen ceu raro potius *decoctum ligni juniperi* potest substitui. Pertinet huc *decoctum catarrhale Mynsichti*; item *vina medicata contra catarrhos*, quæ inter decantatum est illud *Paracelsi ex rad. caryophyll. & acori adulterini. Vid. Hartm. Prax. Chym. c. 21.* Vid etiam *Poter. Cent. 3. c. 68.* Sic *Lindanus*

℞. Lignum sassafr. ℥ij.
rad. caryophyll. ℥j.
herb. rorism. recent. ʒß. affundit
vini generosioris ℥viij. coquit leni in △, vase clauso, hor. 6. vel 7. removet ab △ ut refrigescat & bibatur subinde inter cibandum; vinum vilis compositionis sed egregiarum virtutum; *Caryophyllata radix* dicit, admirabilis est in emendando sanguine & confortando ventriculo &c.

℞. Lign. Guajac. ℥iij
Rhodin.
sassafr. gum. an. ℥iij.
Cor. Tamarisci ℥iij.
Herb. absinth. Mj.
scolopend.
lupul.
menth.
hyssop. an. Mß.
Rad. helen.
cent. maj.
Zedoar.
cinamom. an. ʒj. affunde vini mens. IV. stent in infuso, de quo semper sumatur haustus bonus in principiis pastus. Pertinet huc *vinum Hadriani Papæ* dictum, *contra catarrhos*, aliàs admodum decantatum *vid. lib. 1. Prax. Sennert. ubi de catarrh. p. 712.* Præter hæc *succinum* certè est appropriatissi-

tissimum affectibus catarrhosis remedium, tam *internè* quam *externè* usurpatum, sed solito modo *præparatum*, seu quod melius cum *essentia serpilli*. Fit enim *essentia* sic *catarrhalis D. Mich.* it. *Elæosacch. ex oleo destill. succin.* θ *volatil. succini*, & cum eo ritè paratus *liquor CC. succinatus*, sunt expertissima contra catarrhos, quorum loco & alia θ*a volatilia, spir.* θ ✱*ci anisat. balf. nervin. D. D. Schæfferi Archiatri Francof. Celeberrimi*, ex θ vol. CC. θ ✱. ol. mac. & spir. vini &c. possunt usurpari, tam *curativè* sudorē movendo, quam *præservativè*, contenta corporis alterando. *Myrrhata* ad aliquot grana propinata, aut cum *tinctura tartari in essentiam* soluta proficua sunt. Item ipsum sulphur, & ex eo ritè parati *flores* optimè conveniunt in catarrhis, seu in formâ sicca usurpentur, seu in forma liquida, *balf. sulph. succinat. juniperin.* De *Opiatis* supra dictum est, ad quæ pertinet *theriaca* tam *recens*, quam *vetus*, à Veteribus imprimis ad præcavendum, item ad sistendam excretionem catarrhalem nimis ruentem usitata.

Quoad *externa* applicanda locis glandulosis & locis catarrhos fundentibus vicinis, hæc ipsa nunc sub formâ *suffitus* usurpantur, ut melius penetrent, præsertim in capitis ejusque partium catarrhis, nunc *litus* forma conveniunt, qui parantur ex *oleis destillatis succ. menthæ*, *majoran. &c.* Observando tamen ut si ejusmodi *olea* penetrantiora & membranas sensiles magis afficientia partibus extus admovenda sint, talia subjecta vim eorum penetrantem ferre queant, cum qui capitis sunt debilioris, ab hujusmodi fumosis lædantur, & vel solo odore sternutatio & incipiens coryza iisdem excitetur. Ulterius *emplastrum de betonic. gumm. tacamahac.* sunt optima anticatarrhalia, si *malaxata cum oleis appropriatis* emplastri forma applicentur. Pertinet huc *fumi tabaci haustus* in catarrhis caput infestantibus non contemnendus, nam ejus θ volatile penetrat, abstergit & resolvit hostile illud irritans, lympham vitiosam corrigit, unde crassam ac viscidam attenuat, abundantem evacuat & ratione virtutis narcoticæ insigniter conducit ad motus catarrhales feroces sistendos. Quod si *tabaco* addatur *sem. anisi, coriandri, succin. &c.* erit eò magis appropriatum.

Quoad catarrhos, qui membra externa obsident, in specie qui *ex refrigeratione* post aliqualem sudorem superveniunt, & dolorem plus minus lancinantem inferunt, in his cavendum ab *oleosis*. Hæc enim inuncta crustam quasi inducunt cuti, porosque replent. In tali casu optimum est *Gummi Tacamahaca* solutum in vino, atque extensum super alutam imponere parti, si non bene hæreat, addi debet tantillum *terebinth.* Hoc resolvit illas humiditatees, unde sub *emplastro* illo plerumque sudant membra: Cum hoc ipso licet interdum conjungere *gumm. carannæ*, hujus part. j. ad illius p. ij. Quod si fiat, ut cutis non bene ferre queat *gummatum* applicationem, sed tollatur in pustulas, potius *tincturæ* cum *S. V.* extractæ usurpandæ veniunt; nempe infunduntur ea *aromatica*

tica

tica, quæ vim habent attenuandi, penetrandi, resolvendi & ita simul calefaciendi v. g. *sem. 4. cal. majora, eruc. sinapi, majoran. salviæ, serpilli* &c. ex quibus ipsis parata *essentia* seu *tinctura* diluta applicantur externè & tam præmissa frictione partis, quàm cum frictione imponantur & desuper lintea probè calefacta.

Speciales inter *catarrhos* frequentissimus *catarrhus narium*, qui vulgo

CORYZA

Græcis, Latinis *gravedo* dicitur. Est quando copiosa lympha, tenuis & acris per nares defluit, quam successivè liquor crassus, spissus varieque subinde coloratus insequitur. *Naturaliter* equidem à lympha insipida moderatè crassa intus oblinuntur nares, cujus vasa & fontes vid. in *Stenone de glandulis oculorum, narium, oris* &c. quæ ipsa lympha blande humectat non tantum internam narium membranam & defendit ab externis inspiratis, sed etiam suo modo facilitat odoratum. Ipsa tamen continuo aëris inspiratu attenuata, crassiores partes relinquit, spissioris sub muci formâ emungendas. *Quodsi præternaturalis lymphæ fiat excretio* ita, ut copiosa, tenuis, sicque minus temperata, sed acrior effluat, vocatur *coryza*, dum lympha ista acrior rodendo membranam narium primitus *sternutationes* frequentes, deinde ex rosione *dolorem*, hinc *ruborem narium*, interdum etiam earundem *excoriationem* & *exulcerationem* infert.

Causa hujus coryzæ *præter causas generales* omnibus catarrhis communes, *in specie* præter *vitium lymphæ & M. S. internum*, quæ interdum motu naturæ spontaneo per hæc loca, tanquam emunctoria quædam auspicato expurgantur, sæpissimè oriri solet *ex errore externo*, in specie aëris vitio, seu ejusdem inclementia hybernâ aut autumnali. Hybernus enim talis aër partes sibi expositas insigniter frigore alterat, quam faciei, *labiorum & manuum fissuræ* insequuntur, optimè per lotionem cum *urin. human.* curandæ. A simili igitur aëre inclementiore læsa interiora narium & simul faucium ac laryngis ex irritatione membranarum copiosam fundunt lympham, puram, tenuem, adeoque acrem, à qua *in naribus* coryza, *in faucibus* asperitas & dolor, *in larynge* tussis & raucedo, oriuntur, unde profluunt in principiô saltim serosa & ▽sa, acria tamen, donec ab aëris & simul lymphæ vitio læsæ & nonnihil excoriatæ partes, plorent nutrimentum propriũ, sub formâ mucilaginis crassæ, quod narium suprema obstruendo, inspirationem tollit, in faucibus hærens, screatum copiosum infert & laryngem incrustans, frequenti tussi rejicitur: Quin non raró in saxeam duritiem concrescit, observante *Henr. ab Heer obs.* 28. Præter aërem etiam *sternutatoria*

tatoria acriora, nimisque frequenter usurpata, continuo stimulo membranam narium irritando, copiosam lympham effluere faciunt, imò *coryzam* producunt, si continuentur. Hinc etiam *fumi minerales* inspirati coryzam inferunt.

Quando est à *causa externa* coryza, eidem *frequentem sputationem* ac *tussim* supervenire videmus, partibus scil. istis, per quas aër rigidus transit, copiosis glandulis obsitis, omnibus tamen læsis & irritatis, hinc catarrhum plorantibus; imò ex partibus istis ita affectis exhalantia miasmata *fermenti* quasi naturam obtinent, unde & *contagiosa* percipitur *coryza*, ita ut ista effluvia aliorum naribus attracta, seu per lintea, seu per pocula communia irritativa sua acrimonia & hinc partis ac lymphæ alteratione, similem coryzam etiam alteri sano inferant. Hinc falsum est, quod coryza sit semper salubris, ut vulgò dicunt; **Der Schnuppen sey gesund/ und nehme viel böses weg.** Nam utut hoc verum sit, si à causa internâ oriatur, non tamen semper procedit negotium, cùm talia potius fiant in naribus & faucibus, quam quod aliò deferantur. Conf. *Helmont Tr. Tussis & Asthma.*

Quoad *prognosin*, coryza periculo caret, modò non acrior lympha exulceret interiora narium, & ita *ozænas* vel *narium ulcera* producat.

Cura communis cum aliis catarrhis; *in specie si à causa interna* oriatur, maximè tum conveniunt *externa vel naribus* applicanda, *vel vertici* inungenda, *vel in ore* masticanda, vel inspiranda. Omnia hæc eò conspiciant, *ut vel læsionem* inductam, vel irritationem sistant, *vel mucum* productum abstergant & evacuent. *Prius* in principio, *posterius* in statu morbi locum obtinet. Quibus ipsis pro conditione subjecti patientis & ipsius *catarrhi*, vel *epidemici*, vel *non epidemici*, copiosioris vel parcioris, nunc blandè *laxantia*, nunc in specie *sudorifera* socianda veniunt.

Ista ergò quæ *pro priori scopo* naribus applicanda, sunt *balsamus apoplecticus*, vel alia *olea destillata aromatica*, quæ naribus sedulò illita à coryza eosdem præservant. In specie *ol. destillat. anisi* mox in principio illitum ante excoriationem narium est egregium, uti etiam in progressu ad crassitiem materiæ superiores narium partes obstruentis attenuandam egregium est *ol. anisi*, si eo illinantur intrinsecus nares. Quod si jam nares cum rubedine doleant & excoriatæ sint, cū *polenta* subigatur dictum *ol. anisi* & ita applicetur. *Camphora in ol. amygd. dulc. soluta* & narib⁹ extrinsecus inuncta egregium experimentum habetur pro sistenda coryza; quæ etiam subitò sisti dicitur solo odore percepto ex *cornubus raspatis*, v. g. in præparatione pectinum, vel si alia *cornua* applicentur naribus. Pertinent huc *suffitus*, qui inspirati alterationem ab aëre tollunt, quos inter excellit

suffitus

suffitus ex gumm. animæ optimus omnium, naribus, ore & toto corpore exceptus, qui & vitium lymphæ corrigit, & læsionem jam inductam mitigat & proinde hos affectus curat; præterea ex *succino*, *mastiche* & similibus parari quoque solent. v. g.

℞. Succin.
Gummi animæ an. ʒij.
Thuris.
Mastich. an. ʒj.
Benzoes ℈ij. M. F. pulv. D.
S. Rauchpulver zu den Flüssen.

Pertinet huc & *suffitus tabaci* aliquot gutt. *ol. destillat. anisi* prius impraegnati; ubi nimis crassa nimisque viscida fuerit materia, quæ nares obstruit, optimus est *suffitus aceti super ferrum candens effusi*. Ut autem in statu jam coacervatus mucus evacuetur, convenit *nodulus*, v. g.

℞. Fol. majoran. p. iij.
sem. nigell. contus. ʒij.
ol. destillat. majoran. gt. iij.
succin. anis. an. g. vj.
M. F. Nodulus D. cum stylo S. Riechpüschlein.

Ulterius *pulveres sternutatorii* appropriati nonnihil conveniunt, quoties lymphæ proritando fluxum, ejus beneficio membranas narium abstergunt, quin & materiam crassam & viscidam eliciunt. v. g.

℞. Pulv. tabac. Indic. ℥ß.
majoran.
fl. lilior. convall. aa. ʒij.
ol. destillat. anth. gt. vj.
caryoph. gt. iij.
Ambræ gr. vj.
moschi g. ij. M.

Pulv. sternutat. Helmontii etiam hoc puncto expertus; fit ex *ana sacch. & rad. helleb. nigr. pulverisat.* & naribus attractis. Optima denique *sternutatoria* fiunt ex *vitriolo ad albedinem calcinato in* ▽. *majoran.* diluto & hinc filtrato, ita ut gr. v. l. vj. pro ℥j. sufficiant. Liquor is naribus attractus quasvis narium latebras emungit. Optimè quoq; obstructionem narium resolvit in statu coryzæ

℞. Ol. Nicotian.
irini an. ʒj.
stillatit. maj gt. vj. M. naribus intrinsecus illinendum.

Quod si caput perturbatum sit grave & obnubilatum, convenit vel *balsam. Peruvian.* vel ubi fortius agendum *ol. destillat. succini*, aut ejusdem *balsamus* vertici

vertici illitus, unde dolor capitis tensivus ejusque perturbatio successivè remittunt. Quod si pro derivatione lymphæ catarrhalis prius prô præservatione partium oris aliquid agendum sit, conveniunt *trochisci ex Mithridatio & olibano* facti & in ore retenti. Catarrhum enim & læsionem partium sistunt, & in principio inprimis conveniunt. Ex his quæ modo dicta sunt, *faucium phlogosis & dolor, gustus abolitio, raucedo & tussis, coryzæ* graviori ordinariò supervenientes facilè deduci possunt, cum omnia partim ex læsione per causam externam facta, partim per lympham ex glandula pituitaria superiore in *coryza* depluente & hinc ad fauces descendente, & ita loca vicina magis magisque irritante originem ducunt. De qua membrana pituitaria & per hanc transudante coryza *vid. Schneid. partim Tr. de osse cribriform. partin Tr. de Catarrhis.*

Quoad *curam* horum observetur, quod præter *suffitus* supra insinuatos specialius *opiata tempore vespertino* adhibita conducant. Deinde ubi ex lympha acriori partium affectarum dolores, rubores, phlogoses, superveniunt, *acrimoniam temperantia* usurpanda, quæ aliàs *incrassantia* dicuntur, & quæ inter *papaverina* eminent. Si jam viscidior mucus hinc genitus istas partes obsideat, *incidentia*, seu *expectorantia* vulgò dicta usurpentur, *de quibus pluribus jam supra, ubi de Tussi.* Mulierculis nostratibus præservativum tussis & raucedinis ab aëre frigido præbent *passulæ majores, maceratæ in spiritu anisi*, quarum aliquot manè jejuno stomacho masticatæ & deglutitæ præservant fauces & asperam arteriam à læsionibus aëris hyberni. Inductos vero jam catarrhos faucium & laryngis ferè curant *per ficus* quibus in frustula dissectis S. V. infundunt & hunc deflagrare sinunt, continuò agitando; hinc frustula illa semiassata vespertino tempore comedunt & sic tussim & asperitatem faucium egregiè demulcent.

Inter speciales catarrhos est etiam *epiphora*, *de qua supra.* It. *tussis, raucedo*, de quibus *supra.*

Quod si lympha vitiosè moveatur ex glandulis vel circa glandulas conglobatas, *per vasa lymphatica*, ita ut in suo motu *stagnet*, & hinc loca vicina occupet, adeoque *tumorem* inferat *aquosum*

HYDROPES PARTICULARES

sequuntur: & utut in *hydrope universali* semper ad glandulas & vasa lymphatica plus minus respectus habendus sit, quoties aquosas collectiones plus minus intendere, aut pertinaciores reddere valent; tamen cum vix in universo corpore lymphæ motus per vasa lymphatica impeditus suspicari queat, propterea magis *hydropes particulares* hujusmodi lymphæ in motu impedimentum re-

spicere

respicere videtur. Sanè ubique per corpus & quælibet viscera dispersa sunt lymphatica, ita ut in his lympha contenta, si in motu suo impediri contingat, cum interim continuus ejus sit proventus, non potest non in ista parte, ubi fit motus impeditus, *tumor aquosus seu hydrops particularis* excitari, *tam in partibus internis,* v. g. ex lymphaticis pulmonum, aut lymphaticis glandularum pectoris, hydrops pectoris, ex lymphaticis hepatis, aut lienis, aut testium hydrops ascites & hydrocele, ex lymphaticis capitis hydrocephalus, *quam in partibus externis* ex lymphaticis artuum, tumores serosi particulares.

Causa, propter *quam non moveatur lympha* in ordinariis vasis, est aut *ruptio,* aut *erosio* vasorum lymphaticorum. Si enim in loco quodam glandulæ, aut ex his derivata lymphatica obstruantur, & tamen lymphæ collectio in glandula, aut ejus cursus in vase ita impediatur, necessario lympha in parte colligitur. *Vase ita obstructô* à materia viscida, hoc à lymphâ per istud pulsâ insigniter distenditur, tandem rumpitur & ita lympha successivè effunditur; *vel si ipsa lympha acrior,* aut aliàs quicunq; humor corrosivus ipsi permistus est, lymphatica tenella exinde eroduntur, unde etiam naturalis lymphæ motus in istâ parte impetur, adeoque aut *ruptio,* aut *erosio* vasorum lymphaticorum occasionem his tumoribus aquosis particularibus maximam partem suggerit. Hinc est, quod *hydatites viscerum,* Wasserbläßgen/ in visceribus, in specie *hepatis* & *lienis* observatæ, sint aut prodromi, aut comites *hydropis abdominis particularis,* ut rectè observat *Schenck. l. 3. obs.* it. *Plater. obs. p. 596.* Similes hydatites in pulmone subinde observantur teste *Pisone in Tr. de Colluvie serosâ,* in hepate ap. *Panarol. Pentec. 5. obs. 16.*

Præ aliis autem partibus *in hepate* & *pulmone* observatæ fuerunt *hydatites,* quoniam viscerum horum vasa lymphatica exteriora magis ambiunt, & hinc humorum horum collectiones fiunt magis conspicuæ. Sunt enim hæ *hydatites* vesiculæ aquâ turgidæ, natæ ex vasis lymphaticis, in quibus lympha stagnat, eaque sensim distendit, à qua intra valvulas intercepta spatiola ista intermedia tumescunt & ita vesicularum ▽osarum faciem repræsentant. *Quod si rumpatur una alterave harum minutarum vesicularum,* lympha à membrana tenui viscus ipsique superstructa vasa lymphatica investiente decidit, ut ita vesicæ sensim majores & grandiores oriantur, donec & his ruptis ▽æ collectæ in cavum fiat effusio, & ita *hydrops* inferatur.

Illustrant hæc magis *ascites seu hydropes abdominis vesicales,* h. e. in quibus ▽. tumorem faciens non in cavo ejus fluctuaverit, sed potius copiosis & innumeris vesiculis inclusa observata fuit. *Vid. Sennert. ubi de hydrop. Tulp. l. 2. obs. 34. Höfer in Hercul. Med. p. 143. Horst. l. 10. obs. p. 513. 529. Barthol.*

Cent. 4 *ep. p.* 370. It. *Act. Med. Haffn. vol.* 1. *p.* 17. Hæ ipſæ *veſiculæ aut lymphatica ſunt vaſa*, à lymphâ ſtagnante modò ſupra dicto in veſiculas elato, *aut* ſaltim veſicæ hæ *ſunt ex ruptis lymphaticis*, ita tamen ut lympha effluens à membranis ambientibus ſupra dicto modo coerceatur.

Cæterum frequentior præ cæteris hydropis particularis ſpeciebus eſt *hydrops abdominis*, ſive

ASCITES

idque *duplici ex ratione*. 1. *Quia plura continet viſcera*, eaque omnia plus minus copioſis propriis lymphaticis inſtructa, quibus accedunt lymphatica ab inferioribus partibus ad receptaculum comune adſcendentia. 2. *Quia meſenterium inſtructum eſt vaſis lacteis*, chylum vehentibus, quibus exeſis *aſcites* ſequitur. *Lacteæ* igitur hæ cum ſint ejusdem naturæ cum *lymphaticis*, iisdem pathematis quoque erunt obnoxiæ. Et hanc chyli in abdomen per nonnulla lactea, ex occaſione quarundam glandularum obſtructarum deſtillationem, unam ex communiſſimis cauſis aſcitis arbitratur *Sylvius lib.* 1. *Prax. c.* 17. Hæc quæ dico de vitiis vaſorum lacteorum & glandularum meſenterii confirmant *exempla aſciticorum*, in quibus reliquis viſceribus ſalvis, meſenterij tantummodo glandulæ obſtructæ aut ſcirrhoſæ inventæ fuerunt, it. quando *ex ulcere meſenterii*, in quo neceſſario exeſa fuerunt lactea, obſervatus fuit *hydrops*, quod confirmat *Rondeletius in ſua praxi c.* 35. *Conf. etiam Tulp. l.* 2. *obſ. c.* 32. & 33. it. *Höfer in Herc. Med. p.* 143. it. *Höchſtetter Decad.* 6. *Conſ.* 6. Et ubique proſtant obſervationes *hydropis* nati *ex affectis meſenterii glandulis*. Hinc enim deſtillat ſerum plus minus chyloſum in abdomen, ruptis lymphaticis aut lacteis, ex hac cauſa, quod *frigidum hauſtum*, aut ſub æſtu febrili, aut nimio calore, aut exercitio corporis interdum *ſubitaneus ſequatur aſcites*, *Conf. Piſo de colluv. ſeroſ. Sennertus l.* 3. *de Hydrope p.* 411. *Riv. Cent.* 2. *obſ.* 65. Rationem hujus rei reddit *Sylvius loc. ſupra cit. c.* 17. hanc, quod pituita inteſtinorum naturalis à calore attenuata & hinc fluidior reddita ex inteſtinis in vaſa lactea penetret, quæ poſtmodum à ſuperveniente frigore denuo ſpiſſata vaſa lactea & glandulas obſtruat, unde vaſis diſtentis & ruptis magis vel minus *hydrops ſubitaneus* ſequatur, prout plures vel pauciores lacteæ hoc modo fuerint affectæ. *Vide in ſpecie Sylvij Tr. de Hydrop.*

Definitur igitur *aſcites*, ſeu *hydrops abdominis particularis*, *quòd ſit collectio ▽arũ ſeu colluviei ſeroſæ & ▽oſæ in abdominis quadam inſigniori cavitate*, v. g. *vel* in ipſo abdomine intra peritonæum, *vel* intra duplicaturam peritonæi, *vel* intra cavum omenti, *vel* intra partium membranas veſiculari forma, quorum modorum hinc inde ap. Practicos leguntur obſervationes. Non poſſum,

quin,

quin, quæ de Ascite particulari habet *Lindanus*, proferam: Quæritur, dicit, “ quid sit *Hydrops siccus* *Hippocr. sect.* 4. §. 11. Omnes autores dicunt, “ hic intelligendum esse Hydropem *Tympanitidem.* Sic sequuntur præcessorem “ *Galenum.* Ego ex *Hippocrate & aliis* monstravi, esse intelligendum *Asciten.* “ Sed quomodo? Sunt *duo Ascitis species*, *una* est, in qua ab aquis collectis non “ tantum venter tumet, sed etiam scrotum, & pedes ubi interdum pustulæ aperi- “ untur & effluit humor. Hæc *ordinaria* est *species* Sed videbitis *aliam*, ubi “ nullus in scroto tumor, neque in pede, sed in abdomine humor colligitur, pe- “ des autem contabescunt & marcescunt, ut squamas concipiant. Cætera vix ossi- “ bus hærent, facies est squalida. Et hic est *Hydrops siccus Hippocratis.* Dicitur “ igitur *siccus* ab illa ariditate, squalore & macie totius, & hydropica aquea sunt “ lutea, quæ expurgantur. *In hydrope sicco* urinæ sunt splendidæ, instar △is, “ planè croceæ, instar ictericorum, sed non habent illam crassitiem, paucissimæ, “ vix duo vel tria cochlearia, in △em effusæ ardent. *Hæc Lindanus. Idem Hydropem* hunc *ab intemperie calidâ*, ut vocat, oriri asserit, quando sanguis colliquatur & uritur in ichorem acrem. Talis esse solet, quæ immediatè post febres ardentes sequitur. *Hæc Lindanus.* Exempla hujusmodi *Ascitis particularis* vid. in spec. in *Hochstett. Decad.* 10. *cas.* 7. *p.* 419. *item Act. Medic. Hafn. vol.* 1. *obs.* 78.

Quoad *causas*, equidem *Lindanus* eam semper *à colliquatione* oriri asserit, quod tamen vix universale videtur, quando plausibilis etiam fit *lymphæ chylosæ alteriusque impeditus motus* per vasa lactea, unde pariter omnia illa supra enarrata symptomata derivari possunt, quam causam hic allegat *Sylvius lib.* 1. *prax. c.* 17. Sed præter hos *fiendi modos* scrupulum movet, quod vel *sanguinis* subitò facta *suppressio*, vel etiam extrinsecus facta in quodam loco *contusio*, & ita in interna quadam parte sanguinis effusi facta *congrumescentia* interdum disponat ad hydropem huncce, ut v. g. *ex suppressione lochiorum* talem ascitem particularem, in qua copiosissima aqua in omenti cavitate collecta fuerat, observari, & pariter in quodam mechanico, qui *ex contusione* extrinseca in latus sinistrum facta, brevi post abdomine & scroto tumidus factus & sic tandem interiit. Forsan huc facit experimentum *Lovveri de Corde p.* 124. & 125.

Quoad *prognosin* periculosus est omnis *Ascites particularis*, minus tamen isto, qui est *universalis*, omnis tamen curatu difficilis.

In cura incumbendum, ut *aquositates collectæ evacuentur*, & hinc *causæ internæ removeantur.* *Prius* fit per *purgantia*, *sudorifera*, speciatim *diuretica*, & inprimis per *paracentesin*, hîc optimam. *Quo-*

ad posterius, de cura *hydropis* hujus *sicci* ita pergit *Lindanus*: In hoc Ascite, dicit, nulla curatio melior est, quam non purgare, sed uno & simplici remedio uti, nempe vino Rhenano & nitro dare quotidie nitr. ℥ß. idque per 24. horas, nō, simul & semel, sed multis vicibus, & quoties bibunt aliquid depuratissimi nitri, v.g. ℈j. addere, & nil præterea agere. Nam quantò magis expurgabis, tantò magis mox intumescunt, & lotia eò magis indies splendescunt, & inflammantur. Temperandus itaque sanguis. Nitrum enim sedat sitim, attemperat æstum & ciet urinas. Et quando hæ non amplius splendent, jam superatum est malum, & tunc oportet addere bonum aliquod conditum corroborans & confortans.

Quod si vitium hæreat in vasis lymphaticis aut lacteis, *obstructiones* factæ solvantur, *erosiones* consolidentur, id quod *bina* diuretica aut *sudorifera* mucum obstruentem dissolventia præstant. *Conf. Acta Med. Hafn. Vol* 1. *obs.* 195. Consolidatio ferè sponte procedit. Sed in specie quoad hanc medendi methodum, *vid. Sylv. l.*1. *prax. c.*19. Quod si vitium sanguinis congrumati aut aliâ ex causa collecti morbum intulerit, per appropriata naturæ succurendum, de quibus jam supra

Hydropes inter particulares etiam *observatur* secundò.

HYDROPS PECTORIS,

affectus equidem rarus, hujus tamen *bina* notabilia exempla vid. *in Pison. Tr. de Colluv. seros. Conf. etiam Willis Pharm. rat. vol.* 2. *sect.* 1. *c.* 13.

Causæ sunt eædem cum aliis hydropis speciebus, nempe *nunc vitium est in M. S.* quando v.g simul cum hydrope universali, vel cum hydrope omnium partium inferiorum simul etiam conjungitur superveniens hydrops pectoris; *vel vitium est in vasis lymphaticis & lacteis*, per quæ impedito lymphæ motu hujus ex vasis ruptis effusio & hinc in pectore collectio supervenerit, unde frequenter *ex hydatitibus in pulmone* observatis *hydrops pectoris* natus fuit. *Vid. Barth. Cent* 2. *Hist.* 66. Nam & hic *lactea* pariter & *lymphatica* subinde primariò consideranda esse, non saltim confirmatur à *Barthol Cent.* 3. *ep. pag.* 327. sed etiam inprimis à *Willis Pharm. rat. vol.* 2. *p.* 261. Curiosa est observatio *Meara in histor. Med. p.*153. *Hydropis* nempe *pectoris ex discussa hydrocele* oborti. Sanè jam olim *Laurentius in sua Anatome* observat singularem consensum pectoris cum testibus, adeo ut ipse notaverit, à tussi vehementi ortam *hydrocelem*. Aqua hæc in *hydrope pectoris nunc* in utraque thoracis parte, *nunc* rarius in altera ejus medietate hærere observatur.

Observatur autem in *thoracis hydrope dolor gravans* in pectore ob materiæ aquo-

aquosæ collectionem, & plerunque ▽æ fluctuantis *sonitus* in pectore, dum æger corpus movet. *Tussis* accedit *sicca*, cum nil excerni queat, *respiratio* est *difficilis*, eaque continua, subinde urget *Orthopnœa* & inprimis vesperi ac noctu intendi admodum difficultas respirationis observatur. Vid. *Act. Med. Haffn. vol.2.p.2 98. Appetitus prosternitur*, subinde *palpitatio cordis* supervenit, subinde quoque *febricula* accedit &c. de quibus symptomatibus hydropis pectoris videndus inprimis *Piso loc. cit.*

Quoad *prognosin.* Rarò felicis & fausti ominis esse solet hic hydrops, cum sæpe ad mortem deducat. *Et licet* idem medicamentis quibusdam curatus fuerit, aut æger post apertionem thoracis levamen senserit, non tamen adeò diuturnum esse solet hoc allevamentum, quin recidivante malo intereant ægri. *Vid. Tulp. lib. 2. obs. 16. River. Cent. 1. obs. 83. Salmuth. Cent. 2. obs. 4. & 16.*

In cura removendæ sunt aquæ, & *firmandæ* seu roborandæ *partes interiores pectoris.* Pro evacuatione conveniunt eadem, quæ in Ascite, tam *Pharmaceutica* quam *Chirurgica.* Quoad *Pharmaceutica*, eadem locum habent *evacuantia*, quæ in Ascite universali, inprimis *succus bryoniæ*, & hinc *succus ireos nostratis* laudatur ab *Hartmanno in prax. Chym. Riverius cum suc. bryon.* curavit aliquot hydropes pectoris, vid. *Cent. 4. observ. 3. Conf. & Willis cit. loc. p.269.* Hinc ea, quæ sudorem movent, sunt optima. Sic beneficio *decocti sudoriferi* in sene hydropem pectoris curavit *Riverius Cent. 4. obs. 71.* Quoad media *Chirurgica*, omnium optima *paracentesis thoracis quæ* maximè salutaris. De qua *vid. Willis Pharm. rat. vol.2. p. 163. ubi de sanguinis sputo.*

Porrò ad *hydropes particulares* pertinet etiam tertiò

HYDROCEPHALUS,

qui uno nomine est *hydrops capitis.* Hic ratione subjecti ordinario solet esse *triplex. Prima species est*, quando aquæ colliguntur *intra partes cutaneas & cranium. Secunda est*, quando ▽ colligitur *intra cranium* & ipsum *cerebrum*, seu infra meninges. *Tertia*, quando ▽ colligitur *in ventriculo cerebri*, suâ copiâ cerebrum & ipsam calvariam distendens, & ita *hydrocephalum* inferens. *Priorum exempla* sunt frequentiora: *Posterioris* mentionem facit *Vesalius de structur. corporis humani l. 1. c. 8.* Præter hunc simile exemplum refer-

refertur à *Tulpio l.*1. *obſ. c.*24. de puero quinquenni, *hydrocephalo* mortuo, in quo libræ 5. aquæ in capite inventæ ſunt. Cerebrum autem amiſsâ figurâ globoſâ induit figuram convexi fornicis, & ab exuberante aquâ adeò fuit diſtenta medulla ipſius cerebri, ut inſtar membranæ craſſiuſculæ adhæreſceret cranio, manentibus tamen ſemper ſalvis operibus naturæ; ſeu in utroque ventriculo ſeu latere colligantur ▽æ, ſeu in alterutra ſaltim medietate cerebri ▽arum hydrocephali collectio fiat, cujus exemplum vid. *in Tulpio Cent.*2. *obſerv.*25.

Quoad *cauſas*, *frequens* inprimis malum eſt *Hydrocephalus infantibus*, propter oſſium capitis facilem dehiſcentiam & eorum obſequentiam, *rarius adultis*. Materia collecta ferè eſt *lympha*, adeoque & hic ad lymphæ ductus reſpiciendum eſt, ut non tantummodo vult *Pauli in Anatome Anatomiæ Bilſianæ p.* 85. ſed vel maximè confirmat *Hertod. in Crocolog. p.* 282. de puero, Hydrocephalo mortuo, in quo mortuo vaſa lymphatica cerebri partim turgida, partim rupta viſa. Quoad *remotas cauſas* infantes inprimis ad hydrocephalum diſponentes, inter alia eſt *ſitus infantis in utero*, dum forſan nimis inclinato capite aliquandiu ſit ſituatus, hydrocephalum ex impedito lymphæ reditu contrahit; qui infantes hydrocephalo laborantes in utero matris neceſſario partum difficilem inferunt. Aliàs & *imaginatio materna* ſignando fœtum poteſt inducere hydrocephalum. vid. *Hildan. C.* 5. *obſ.* 3. item *Marcell. Donatus Hiſt. Medic. mirab. l.*2. *c.*1. *Rarius obſervatur hydrocephalus in adultis*, in quibus propter oſſium cranii firmiorem compagem ſuturæ diſcedere nequeunt, adeò ut potius alios morbos aquæ in cerebro collectæ inferant. Non tamen ſunt nulli; nam puellam hydrocephalam notat *Panarolus Pentecoſt.* 5. *obſ.* 47. ſeptimo anno pereuntem, in qua aqua partim per quaſdam ſuturas dilatatas, partim per cranium perforatum egreſſa erat, utut externè extra cranium partes in adultis intumeſcere poſſe in hydrocephalo extra dubium ſit. *Sic Piſo in eleganti ſcripto de Colluv. ſeroſ.* notat hydrocephalum in puellâ 22. annorum qui ſemel hinc recurrebat, ſcil. lentè ſubſidens vix dum menſe à decubitu peracto brevi poſt periodicè repetens. *Zacut. Luſ. l.*3. *prax. admir. obſ.* 12. ſtupendum refert hydrocephalum curatum in viro, cujus caput caput bovis æquavit. Interdum præter ſolas aquas *obſervantur ſimul flatus* collecti, hydrocephali tumorem augentes.

Conditiones & circumſtantiæ tumoris facilè rem innuunt, *viſui* quidem ac *tactui* hydrocephalus patet, ſed *ſi adſint flatulentiæ*, caput leviter pulſatum inſtar tympani reſonat. Si vero digito prematur tumor, hic aut non recedit, aut ſi nonnihil recedat, ad priſtinum illicò redit ſtatum. *Sin verò humor ſit colle-*

ctus, & quidē extra cranium, caput quasi splendescens observatur, nullum, si percutiatur, edit sonum, digito prementi facilè cedit, & non statim ad pristinum revertitur. *Quod si inter cranium & cerebrum contineatur, tumor* attactu non adeò mollis est, nisi valida fiat compressio, frons quasi exporrectus est, intentis oculis vident, qui tumidi & lachrymantes conservantur, ac concurrit ferè insignis sensuum hebetudo. Quibus absentibus circumstantiis, tumente nihilominus insigniter capite, suspicio est, in cerebri ventriculis radices egisse hydrocephalum.

Quoad *prognosin*, *hydrocephalus externus* seu supra cranium facile curatur, *internus* seu intra cerebrum difficillimè, quia supervenientibus variis iisque gravissimis affectibus moriuntur ægri. Inter cranium & cerebrum collectæ aquæ subinde, utut difficulter, curari solent.

In cura 1. *aqua evacuanda*, 2. *Cerebrum appropriatis roborandum*. *Quæ evacuant*, vel *sensibiliter*, per quasvis vias & modos exhauriunt: Vel *insensibiliter* discutiunt. *Evacuantia* pro robore subjecti patientis sunt determinanda, præsertim in infantibus, in quibus ☿*ius dulc. cum syr. rof. solut.* propinatus convenit. Sicuti adultis eadem quæ in Ascite in usu sunt, conveniunt, v.g. *Elaterium, succus rad. ireos recent.* &c. *Clysmata* quoq; tam infantibus quam adultis egregiè prosunt. Sic *D. Michael* famulum cujusdam Mercatoris hujus loci hydrocephalo laborantem *clysmatibus* restituit. Laboraverat autem antea hydrope in partibus inferioribus, quo soluto tumor quasi ad caput raptus fuit, ita ut non tantum cutim valde distenderit, sed & oculos ex cavernulis foras protruderet, quin & organa aliorum sensuum læderet, & idem bruti ad instar in lecto jaceret. Sed jussu *D. Michaelis clysma ex herb. soldanell. gratiol. fol. ebuli, asari, flor. sambuci, genist. persicor. cort. interior. sambuci, frangulæ. rad. ireos nostrat. esulæ & pulpa colocynth.* in urina coctis parabatur, quo applicato factis simul aliis faciendis sanitati restitutus fuit.

Alias *tinctura tartari* infantibus commodè propinatur pro stimulanda urina, sicut *Poter. Cent.* 1. *obs. c.* 2. pro hydrocephali cura *destillatum Paracelsi antihydropicum* commendat. Verùm istis & similibus internis præferenda ferè *externa discutientia*, & vel *insensibiliter* resolventia, vel *sensibiliter* evacuantia. Inter illa sunt *cataplasmata* & *fomenta* facta ex *chamomill. melilot. artemisia, stoechad. Arab. calamintha, roremarin. absinth. origano, pulegio*, quibus *farinæ fabar. lupinor. sterc. columbin. caprill. sem. anisi* & *cumini* ac similia addi possunt. Item usurpetur *unguentum Foresti l.* 3. *Chirurg. obs.* 6. ℞. Ol. chamom.

mom. ℥iv. sulphuris ℥j. probe invicem mixtis & ita illitis, cui si addatur parum *olei destill. succini*, vel aliis *unguentis* addatur *balf. sulph. terebinth. aut juniperin.* erit discussivum eò potentius. *Avicenna* jam olim commendavit *cochleas in decocto cephalico*, *stoechad. Arab. calaminth.* &c. contusas & capiti applicatas, quæ alias in scroti tumore mirabiles sunt. Conf. etiam *M. A. N. C. Ann.* 4. *App. p.* 46. Insigniter quoque conducit *fotus ex lixivio calc. vivæ*, quo feliciter in puerorum hydrocephalo *Aquapendens* usus fuit. Alii *decoct. calc. viv. sulphuris & vitrioli* recipiunt, quo percolato caput fovent, ut dispareat tumor. Denique *essentia rorisмar. salviæ, hyperici*, pro externo litu crebrius repetendo ad discutiendas ▽as, â quibusdam adhibentur. *Forestus* pueris recens natis hydrocephalo correptis sola *olei hypericonis* continuâ inunctione, additô *pulvere myrtillorum*, auxilium attulit. Sed non conferentibus his, subinde necesse est, ut *sensibiliter evacuentur* ▽æ, mediante *sectione Chirurgica*, quæ aliquô modô tolerari potest *in hydrocephalo externo*: *In interno*, verò qui cerebri ventriculos occupat, & hinc extrorsum plus minus fertur, periculosissima est, teste *Hildano Cent.* 3. *obs.* 17. Qui verò est intra cranium & cerebrum, non nisi cautè & perquam circumspectâ sectione tractandus venit, observando cautelam, ne unica vice nimium exhauriatur. Conf. *hic Marc. Aurel. Severinus in lib. de efficaci Medicinâ.*

CAPUT VI
DE
SPIRITUUM ANIMALIUM GENERATIONE VITIATA, INDEQUE MOTUS & SENSUS LÆSIONIBUS: IN SPECIE
De
VIGILIIS & SOMNO VITIATIS.

SAnguis *defertur ad cerebrum ac cerebellum*, ubi ab eodem separatus *spiritus vitalis* abit in *spiritum* sic dictum *animalem*, à quo & *sentiendi* habemus potestatem, & *movendi* activitatem, cum *ratiocinationis* sublimiori actione, in qua ut spiritus animalis verè & soli *animæ* nempe *rationali*, tanquam principaliori agenti, instrumentaliter inservit, ita pro ejus spiritus varia constitutione, non tantum in latitudine sanitatis diversitas *operationum animalium* in singulis individuis observatur multiplex, sed etiam in constitutione morbosa, variæ in *sensu & motu*, quin & *intellectus operationibus* læsiones oriuntur.

Natu-

Naturalis ***spirituum animalium diversitas*** ex variâ crasi & misturâ M.S. & hinc diversa constitutione cerebri dependet. *Prout enim diversa est M. S.* diversi etiam emergunt spiritus tam vitales quam animales. *Quoad cerebrum* variat hujus constitutio, tam *secundum compositionem* seu texturam naturalem, quam *conformationem mechanicam. Quoad compositionem naturalem*, præter constitutionem seminalem sub generationis primordiis natam, multum varietas ejus dependet à sanguine & spiritu influo, variata enim hîc ejus nutritione & naturali textura, plures aliæ proprietates, *qualitates* dictæ & inde emergens *temperatura* in caliditate & humiditate, siccitate & mollitie &c. variant. *Sicuti in ipsa conformatione mechanica* ratione pororum, meatuum & ductuum diversitas deprehenditur, quæ omnia & spiritum animalem, ejusdem constitutionem, generationem, distributionem & motum variant. *Hinc ista in actionibus animalibus insignis differentia* cholericorum, melancholicorum &c. ex quibus *ingeniorum diversitas* deducenda. Ergo spiritus insiti animales plus minus vitiosè geniti & præternaturaliter alterati unà cum organorum corporeorũ, tam cerebri, quam aliorum varia constitutione quasvis *læsiones in sensu & motu* inducunt.

Generantur spiritus animales vitiosè 1. quando ***deficiunt***, unde hebetudo sensuum, imbecillitas corporis, defectus in motu apparent, ut videre est in senibus, aut qui gravi ex morbo convalescunt.

Deficiunt spiritus *vel propter sui consumtionem*, labore, ♀re, studiis, quibus omnibus nimis agitati in cerebro adeò subtilisantur, ut promtissimè dissipabiles existant; *vel propter deficientem sanguinis spirituascentiam*, in constitutione præsertim ejus cacochymico-cachectica; *vel propter læsionem cerebri*, concussionem, meatuum obstructionem &c. In quibus casibus *pori* ac *meatus cerebri* aut *subsidentes*, aut *compressi*, aut omninò *aboliti* & sanguinis debitum circulum, ac spirituum animalium ex eo separationem impediunt. *Defectus hic spirituum* ***curatur*** per medicamenta *spirituosa* assumta, *vinum generosum*, ▽ *apoplect. Q. E. Matthiol. essentiam ambræ*, & quæ aliàs in lipothymiis adhiberi solent. 2. ***vitium*** est quando ***abundant*** & hinc impetũ quendam extraordinarium actionibus animalibus conciliant, v. g. in iis, qui alimenta laudabiliora usurpant, potui vini generosi moderatè indulgent, qui agiliores & hilariores fiunt. Vitium *minus curandum*, quando sponte vel per medium, vel motum corporis aut animæ cessat. Deniq; 3. ***vitiosè generantur spiritus animales***, quando ***depravantur*** iidem in sua crasi, unde *motus* eorun-

rundem variæ *exorbitantiæ* & anomaliæ, unde craſeos vitiatæ ratione vel *ſtupidi* vel *torpidi* vel *copiosè & inordinatè mobiles*, minus *ſubtiles*, plus minus *acres* & intemperati generantur. Vitia *pro ſpecialium* hinc dependentium *affectuum* ratione diverſimodè curabilia.

Antequam autē in ſpecie *affectus facultatis animalis* cōſideremus, notandum 1. *Syſtema nervoſum cerebri, cerebelli, ſpinalis medullæ & partium annexarum* ſimilium, non niſi ex *fibris* nunc *delicatiſſimis*, nunc minus delicatis, ſed paulò *firmioribus* conſtare, quæ ratione ſuæ texturæ in naturali ſtatu *tenſæ* quidem ſunt, ſed ſimul continuum quaſi nixum aut impetum aut *vim* quaſi *elaſticam* obtinent *ad motum*, quæ vis, modo impetu interno ſpirituum animalium roboretur, *motum animalem* quemvis, tam *ſpontaneum* quam *naturalem* infert: *Si vero impulſu externo commoveatur, ſenſum externum* facit ita, ut ſpirituum diversè conſtitutorum diverſi motus & fibrarum nervearum diverſa textura & conſtitutio totam *facultatem animalem* & totam ſic dictam *animam ſenſitivam* abſolvant.

2. *Cerebrum & nervos ſingularem conſenſum habere ad extra cum motu ☽næ*, ut in affectibus cerebri & partium nervoſarum notiſſimum. Unde tales ſecundum ☽*æ ſtationes* mutabiles, nonniſi partibus nerveis contingunt & propriè *ephemerides* ægrorum dicuntur.

3. *Mirabilem conſenſum habere cerebrum & partes connexas cum viſceribus abdominis*, in ſpecie *ventriculo*, ita ut ob id origines morborum ſubinde confundantur, v.g. ex læſo cerebro vomitus, ex imminente vomitu, vertigo &c. Hæc ipſa *Helmontium* admodum turbarunt, hinc obſervata ejus practica & res facti in *Tr. Duumviratus, jus duumviratus, ſedes animæ, demens idea, ignota actio regiminis*, ſunt optima, ſed theoriæ & reflexiones ſpeculativæ nil valent. *Conſenſus* notiſſimus eſt, ut monitum; Sic ex læſo capite vomitus, ex imaginatione ſubverſio ſtomachi, ex ſtomacho vigiliæ, vertigo &c. Imaginationis læſio in picantibus, in melancholicis, hypochondriacis; item motus convulſivi partium externarum, ex affecto abdomine, v. g. in hyſtericis, unde etiam remedia adhuc quædam in ſtomacho facultatem animalem afficiunt, v. g *hyoſcyami ſemen, opium*, vid. *Helmont Tr. Jus duumviratus* §. 22.

4. *Spiritus animales ceu materiam admodum ſubtilem conditiones etiam ſubire materiales* & ſeu ſulphureæ, ſeu ⊖ſæ, ſeu lucidæ, ſeu alius ſint naturæ & conditionis, tamen pro varietate conſtitutionis, variare etiam eorum attributa, & conſequenter nunc plus, nunc minus proprietates amicas vel hoſtiles nervis, totique eorum ſyſtemati exiſtere.

In ſpecie quod *affectus facultatis animalis* attinet, de iis optimè agit *Willis*.

Williſ. Tr. de anima brutorum, part. 2. Spiritus animales in naturali ſubtilitate *moti ordinariè*, ut omnium ſubjectorum ſenſilium, mediantibus fibris nerveis in organis ſenſuum promtè recipiunt impreſſiones, & hic *ſenſuum paſſiones* ſuſtinent, ita promtè varios *motus* obeunt, quo in ſtatu animal *vigilare* dicitur, cujus privatio eſt *ſomnus*, quæ duo neceſſaria viciſſitudine ſe mutuo inſequuntur naturaliter. *Viciſſitudo hæc ſi tollatur*, ita ut *ſomnus* vel penitus *deficiat*, vel ſaltim paucior ſit, gavior aut levior oritur *agrypnia* Græcis, Latinis *pervigilium*, ſive

VIGILIÆ NIMIÆ.

Agrypniæ omnis *cauſa proxima* eſt *motus ſpirituum animalium*, aut *nimius*, aut ſaltim *continuus in organa* machinæ corporeæ vel *interna* vel *externa*, cujus influxus, ut vocant, ſeu motus ratione, promtè ſenſilium objectorum impreſſiones recipiunt, & poſtmodum pro ratione motionis in organo impreſſæ, ſimiliter ipſi in cerebro commoti varias animæ rationali diſcurſuum occaſiones ſubminiſtrant. Ubi verò in ſenſibus externis nil percipitur, animal dormit, adeoque ſaltim ratione externorum ſenſuum & hinc conſequenter ſenſus communis vigiliæ vel ſomni oriuntur.

Cauſa perpetui aut nimii ſpirituum influxus eſt

I. Objectum ſenſile fortius organon quoddam tam *intra* quam *extra* corpus afficiens, adeoque tunc per modum ſymptomatis ſaltem ſe habent *vigiliæ*. II. Eſt *ipſum vitium morboſum* aut *ſpirituum animalium* aut *cerebri*. *Spirituum animalium vitium eſt*, quando quavis ex cauſa mobiliores & quaſi magis elaſtici redduntur iidem. *Cerebri vitium* cujus occaſione iſti in continuo motu conſervantur, eſt, *aut pororum* ejus *nimia apertio* atq; hiatus ex aliquali ejus ariditate ſeu ſiccitate, commodique nutrimenti defectu; *aut irritatio* quædam ipſarum fibrarum cerebri aut membranarum ejus propter nutrimentum acrius aut ſſius, aut propter ſerum acrius undecunque cerebro communicatum.

Primam cauſam quod attinet, *quando objectum quodam fortius organum ſenſuum afficit*, neceſſariò ſpiritus moventur, quæ motiones ſecundum nervi ductum ad cerebrum usque continuatæ cæteros ſpiritus ſimiliter movent. Hinc videmus, quod *clamor fortior*, *dolor* quicunque tam *externus*, v. g. capitis, quàm *internus*, v. g. *nephriticus*, aut iliacus, item *tuſſes* vigilias inducant. Quin & *dyſpnœa* vigilias infert, ob ſenſibilem illam moleſtiam, quam in pulmo-

 nibu-

nibus & circa cor excitat. *Objectum tale afficiens sæpius in primis viis* investigandum. Sanè in omnibus *agrypniis* pertinacioribus vel *vitium est in spiritibus animalibus* & cerebro, vel *per consensum est*, ex vitio primarum viarum, digestionisque plus minus vitiatæ ratione & undecunque præternaturalis, quæ oritur *vel* ex assumtis vitiosis, *vel* malè digestis, *vel* vitiosè alteratis, *vel* perversè distributis, quæ irritando partes sensiles in illis locis, etiam nobis non sentientibus *agrypnias* inferunt; v. g. *qui largius cœnant*, insomnes noctes ducunt, *quibus alvus clausa* est nimis, somnum interruptum habent. *Agrypniæ infantum*, item *pavores* in somno ex primis viis præsertim circa stomachum radicem habent. Ad hunc *primarum causarum fontem* pertinet etiam ipsa *Anima Rationalis* in curis vel meditationibus occupata. Cùm enim hæc utatur ceu instrumento motu spirituum animalium, necessario *graves curæ aut meditationes* vigilias nimias inferunt. Quò faciunt ex parte *pertinacissimæ melancholicorum agrypniæ*, quas interdum ad aliquot septimanas patiuntur, cùm in his *Anima Rationalis* tantum non in continua objecti melancholici consideratione versetur.

Quoad *secundam causam* *vitium spirituum animalium* varium, à quo iidem ad concitatiores & pertinaciores disponuntur motus: Pertinet huc totius *cerebri fervor* & incalescentia *in febribus ardentibus* &c. cujus occasione velocius iidē moti necessariò inducunt vigilias; unde in *æstate, ætate virili & cholericis* promtiores sunt agrypniæ, somnique minus profundi. In specie *miasma malignum*, aut spiritus animales irritando, aut cerebrum ejusve membranas præternaturali sensu afficiendo pertinaces vigilias inducit in febribus malignis, quas propter consensum deliria insequuntur. Pertinent huc *animi affectus*, ut amor, ira, motus &c. in quibus ob inordinatos motus nimis coacti spiritus haud facilè cessant, quin agypnias inducant.

Quod verò attinet cerebri vitia, hic ejusdem *nutritio* imprimis consideranda venit. Hinc *inedia* pervigilium inducit. Nempe alimentis imprimis temperatis roridis humectatur cerebrum & blandè irroratur, ipsique adeo spiritus quasi ▽osiores facti placidiore motu somnum inferunt; sed sub *inedia*, cerebro minus humectato, sed magis poroso facto, ipsique spiritus subtiliores redditi vigilias inducunt. Faciunt huc *alimenta acriora* assumta, tam *aromata, ut piperata, cinamomum* &c. quam alia, ut *alliata, cepæ, eruca* &c. à talibus enim irritatum quodam modo cerebrum ac genus nervosum alteratum vigilias inducit. Hinc ♀ *nimia, tabaci abusus* Conf. *M. A. N. C. Ann.* 3. *p.* 346. pervigilium inducunt.

In specie *senibus frequens* symptoma est *agrypnia*, idque partim *cerebri*, partim *digestionis primæ vitio*. Nempe *cerebri* pori, nutritione in senibus nonnihil naturaliter deficiente, nimis aperti ac patuli, liberrimum spiritibus commeatum undique continuò permittunt, quorum placida quidem sed continuata motione somnus

somnus deficit. *Quoad digestionis primæ vitium* vero, non saltim circa primas vias insensiles molestiæ spiritus turbant, dum minus commodè ea procedit, sed etiam deficientis chyli nutritivi causa, cerebrum partesque nerveæ aridiores ac ficciores ferè redduntur. Denique *melancholici* præ aliis molestissima patiuntur pervigilia multiplici ex fonte. Nam præter *phantasmatis* melancholici continuatam *speculationem*, supra insinuatam, eorum M. S. acrior, *& vitio digestionis primæ* acidior esse videtur, unde spiritus & ipsi minus volatiles acriores & fixiores, & qui motum impressum semel in cerebro diu retinent, generantur, sed etiam fibræ medullares cerebri nutrimento minus temperato sustentatæ, frigidiores, minusque fluxiles reddunt. Unde ex pertinaci spirituum per eosdem poros motu præter alia pathemata continuæ oriuntur vigiliæ.

Quoad *prognosin*. *Vigiliæ nimiæ* non sunt contemnendæ, cum necessariò virium debilitatem inferant, præsertim in febribus acutis deliria ac motus convulsivos post se trahunt. Hinc *Hippocr. sect.* 7. *aph.* 18. à vigiliis convulsio aut delirium malum. Deinde *vigiliæ in ætate consistente, aut muliebri*, plus nocent, quam in ætate juvenili aut sexu virili; *In morbis chronicis*, speciatim affectibus melancholicis, interdum satis diu citra noxam continuantur vigiliæ. Sic observatæ sunt eædem 45. dierum. *Schenk. l.* 1. *observ.* refert vigilias 14. mensium. Sed utut minus malæ sint in chronicis talibus vigiliæ, quam in acutis, tamen quò diuturniores, eò magis tandem symptomata mala post se trahunt, ac nonnunquam in fatuitatem terminantur. Sic *Panarolus Pentec.* 5. *obs.* 4. refert, puerum biennem 6. menses insomnem, postea fatuum redditum.

In *cura* causarum remotarum seu antecedentium imprimis habenda est ratio, adeoque vel 1. *objectum* partes sensibiles plus minus irritans *removendum*; aut 2. *spirituum animalium impetus* blandis anodynis, aut bene correctis narcoticis *corrigendus*, aut 3. *temperatis nutritivis cerebrum* ipsisque spiritibus *prospiciendum*.

Ex quibus patet, quod *universalia* vulgò dicta, nempe *venæsectiones* aut *purgationes &c.* per se nil conferant, utut per accidens auferendo causam occasionalem prodesse possint. Sic enim refert *Deodatus valetud. p.* 25. Vigilias pertinaces aliis irritis per *catharticum melanagogum* curatas. *Remedia* igitur ad pervigilia sunt ferè vulgò sic dicta *refrigerantia* & *humectantia*, hinc *temperata*, blandè nutrientia, tandem *papaverina*. *Lactuca* ejusque esus, *nymphæa, papaver rhœas, portulaca*, & plura inde parata remedia; In specie *sem. 4. frigida maj.* & ex iisdem nunc solitariis nunc c. *sem. papaveris* factæ *emulsiones*, temperant namque acrimoniam humorum, blandè nutriunt & successivè somnum inferunt. v. g.

℞.

℞. Amyg. dulc. ℥ij.
sem. 4. frigid. maj. an. ℥j
papav. alb. ℥ij. c. s. q.
▽ nymphææ F. Emulsio.

Cui postmodum pro affectuum ratione & alia *appropriata* ulterius addi possunt. *Decoctum hordei cum papav. & liquirit.* commendatur à *Lindano*: Sicuti *hordeaceorum* temperatum usum proficuum expertus est *Borell. Cent.* 4. *obs.* 89. Sed *papaverina* inprimis sunt, exque his paratum *opium*, quod vigilias compescit. Ad quæ etiam quoad narcoticam vim referenda *hyoscyamus*, *mandragora*, *stramonium*, & hujus species *datura Indorum* dicta. Hisce *crocus* & suo modo *absinthium* addenda sunt.

Sed de *opiatorum* usu in agrypnia bene observandum quod iis nec semper, nec in omnibus utendum sit. *Est enim* quando vigiliæ sunt instantis criseos signum, ubi ferè omittenda *opiata*, nec naturæ labor impediendus. *Est etiam* ubi senes diuturnis vigiliis torquentur, ubi potius *confortantia* conducunt, ut *spec. diamosch. diambr. ambra* &c. *Est etiam* ubi vigiliæ sunt in angustia pectoris, in dyspnœa, in hydrope, ubi *opiata* vix tutò usurpantur. Metus enim est, ne somno fortiori suffocentur ægri. *Est etiam* ubi vires exhaustæ sunt, spiritusque deficiunt, ubi quoque minus *opiata* conveniunt. Et si quando usurpanda sunt, usurpentur eadem in quantitate parva, partitis vicibus, adeoque repetitò crebrius in parva dosi eorum usu.

Quoad *externa*, ad agrypniam in genere usitata, sunt *lotiones* manuum, pedum, ex *fol. lactucæ, nymph. solani, vitis, flor. chamomill. cap. papav.* &c. v. g.

℞. Folior. vitis.
salicis.
nymphææ.
flor. chamomill. an. Mj.
cap. papav. c. sem. contus. No. jv.
coq in s. q. ▽. simpl.

Decocto isto laventur manus & pedes, ac linteis involutæ spontè exsiccentur. Quin etiam *decocto* isto tempora foveri possunt. Hinc fiunt *inunctiones* ex *medulla crurum vituli* recenti, temporibus aliquoties tempore somni illita, euporisto remedio. Item *ol. Nymph, anethin. papav. alb. nucist. express. ungu. popul. balsam. hypnotic. Myns.* v. g.

℞. Ol. papav. express. ℥j.
N. M. expr. ʒß. M. S.
Schlaffsälblein.

Vel

Vel ℞. Ungu. popul ℥ij.
opii cum S. V. extr. gr. jv. ad viiij. M.
Illinatur temporibus.

Emulsio pariter ex *nucleis persicorum & sem. papav. albi cum ▽. nymph. vel lacte muliebri* parata, fronti ac temporibus cum linteis multiplicatis applicata convenit. *Liquor vermiculorum in globulis cynosbati* repertorum, itidem temporibus illiniri potest. *Cerumen ex auribus asini* potens dicitur narcoticum, sed periculosum. De hoc *cerumine* quantitate pisi temporibus in Agrypnia illitum probatum dicitur remedium, sed observandum, ne augeatur dosis, aliàs profundissimum somnum inducet. *Turundam* ex grano uno atque altero *laudani opiati* naribus efficacissimè inditam vid. in *Timæi Casibus p.* 94. *Rulandus* sequenti utitur *Epithemate*:

℞. ▽. rosar. ℥viij.
opii ʒj.
croci ℈ij. M.

Hoc lintea imbuta & tepidè temporibus applicata pro inducendo somno, sunt optima. *De senum vigiliis* jam monitum fuit, nõ tam *anodyna*, quam *confortantia*, plus min⁹ *aromatica* digestionem primam promoventia convenire, adeoq; remedia sic dicta *calida*, potus *vini dulcis*, *aqua vitæ* & *aromata*, *essentia absinthii*; in specie *vinum dulce* senibus convenit. Conf. hîc elegans *H. ab Heer obs.* 5. It. remedia *ambrata* & *moschata*. Vid. *Wedelii Opio'og. p.* 38. Sic pariter agrypniæ in affectib⁹ sic dictis frigidis, v. g. in catarrhis per usum *piperis albi*, it. per *electuaria ex aromat. & calidis* optimè sopiuntur. Alii in vigiliis nimiis à cruditate ventriculi S. V. usum post cœnam commendare solent. Sic pariter in agrypniis cum virium exhaustione spirituumque absumptione *analeptica* talia ex *vino dulci* sunt optima, aut si propinanda *papaverina*, eadem *aromaticis* socianda sunt, quem morem Veteres in *Philoniorum* compositione observarunt. JCtus quidam ex diuturno literarum studio, 4. menses sine somno fuit, ita ut jam putaretur fatuus, nullis præsidiis proficientibus *Philonii Persici* ʒj. cum *Malvatico* exhibitâ bis vel ter, ad somnum rediit, autore *Zacuto Lusit. lib.* 1. *Med. Princ. hist.* 13 Sic mulieri Patavinæ insomniæ per 15. dies tandem *pane* cum *vino malvatico* cum uteretur, somnus conciliatus fuit, autore *Schenckio observat. lib.* 1.

Contrarium vitium est

SOMNUS NIMIUS,

dum ægri *aut* nimium sunt in somnum propensi, *aut* actu nimis dormiunt. *Distinguendus* autẽ ante omnia est *somnus præternaturalis ni-*

mius ab *impotentia vigilandi*, dum ægri *ex nimia virium proſtratione* ab operationum animalium imbecillitate oculos apertos tenere & membra movere nequeunt, ſed inſtar dormientium jacent, utut revera vigilent, nec perfectum ſomnum capiant. Quod patet ex eo, quod acceſſu perſonæ cujusdam inconſuetæ, aut ad ejus loquelam oculos aperiant, ſed mox collabi iterum ſinant, & quod interrogati præ imbecillitate reſpondere vix poſſint. Talibus *reſtauratio* & *confortatio* conveniunt.

Diſtinguendus porro eſt *nimius ſomnus præternaturalis* à ſomno nimio *non naturali*, poſt laſſitudines aut labores oborto, qualem ſomnum trium dierum & noctium ob prægreſſam laſſitudinem vide in *Plater. lib.* 1. *obſ. p.* 5. *Conf. m. Salmuth Cent.* 3. *obſ.* 66. Quo etiam facit, quando poſt ſanguinis excretiones, alvi profluvia, dolores magnos, animi pathemata graviora aliquandiu continuata, adeoque in genere in omni ſpirituum, præſertim ſubitò exhauſtorum defectu ſomnus nonnaturalis imminet. *Obſervandum* quoque quod *imminentes lipothymiæ ſub ſpecie ſomnolentiæ* ſive propenſionis in ſomnum interdum imponant, ex ſpirituum animalium defectu oriundæ, v. g. *Hyſtericæ* in graviori paroxyſmo ſubinde admodum *ſomnolentæ* ſunt, quibus tamen lipothymiæ imminent. *Mulieres* quædam *poſt partum* debiliores *ſomnolentæ* fiunt, ſed revera lipothymiæ imminent. *Poſt largiores V. S.* aliasque ſanguinis effuſiones ſomnolentia obſervatur, ſed quæ revera lipothymiam minatur.

Sed quoad ſomnum p. n. nimium, adeoque *affectus ſoporoſos*, affectus multi huc pertinent, variis nominibus iisque confusè admodum inſigniti, utut parum referat. Genuinam affectuum ſoporoſorum explicationem nominalem vide in *Lindani Meletematibus Phyſicis & Medicis p.* 282. Placet hîc *Sylvii* terere veſtigia, adeoque p. n. ſomnolentia & inde dependens ſomnus *vel ſolitarium* malum eſt, *vel* eadem *delirium ferè comitem habet*; & hoc loco quidem *ſi ſomnolentia jungatur cum delirio tali*, in quo excitati ægri ferè delira loquuntur, ac denuò in ſomnum relabuntur, vocatur

COMA SOMNOLENTUM & CATAPHORA.

Sicuti quando talis ſomnus eſt cum delirio, ut propter gravia inſomnia revera vigilent ægri & habitu corporis externo ſummè in ſomnum propendeant, ac etiam plus minus ſummè dormire videantur, quoad internas tamen operationes animales revera vigilent, cum tales dormientes delirent, faucibus apertis clamitent, membra inordinatè moveant, varia loquantur, eſt

COMA

COMA VIGIL.

Comata hæc obſervantur ſæpe *ſine febri*; obſervatum enim fuit coma ex crudis julis ſambuci comeſtis absque febri in *Act. Med. Haffn. vol.* 1. *p.* 64. Sanè ut rectè dicit *Wedelius de opio p.* 46. rariſſimos eſſe affectus ſoporoſos, in quibus non ſimul calor p. n. percipiatur; ita *coma* utplurimum eſt *ſymptoma febris*, ſiquidem *in intermittentibus* præſertim chronicis, non quidem in principio ſed ſtatu & declinatione paroxyſmi, ægri profundè dormiunt, quin & in *continuis* ſubinde comata obſervata fuerunt, ſpeciatim *in febb. malignis* coma vigil obſervari ſolet, in quo delirium vehementius ſubinde convulſiones imminentes præſagit.

Pertinet ad hos effectus

LETHARGUS

ſeu *Veternus*, *Arabibus* Subeth dictus, qui eſt *ſopor profundus cum delirio & inſigni oblivione, conjunctus cum febre lenta*. In hoc affectu ægri obliviſcuntur ferè omnium, ita ut *lethargici* matulam petentes, dum eam adhuc in manu habent, mictionis tamen aut potionis perficiendæ obliviſcantur, ac in ſomnum relabantur, excitati licet vix reſpondent, ac delira loquuntur, ferè ſicut ii, qui ex profundo ſomno excitati naturaliter non adeò appoſitè reſpondent. *Febricula lenta adeſt*, eaque *continua*, quæ tamen ferè veſpertino ac matutino tempore exacerbatur. *Calor* nec acris nec mordax, *pulſus frequentes* & *magni*, *urina* ut jumentorum redditur *turbida*.

His affectibus accedit &

CARUS,

ſomnus adeò profundus, ut æger vix, aut nulla ratione excitari queat, quin ſtertendo profundè admodum dormiat, ſalva tamen manente reſpiratione. Uno nomine eſt *proximus ad Apoplexiam gradus*. *Nam ſi ab* internâ cauſa oriatur, revera erit Apoplexia levior; *ſi vero ab* externâ, carus dicitur. Proprieque *carus* eſt *ſopor à vino*, & hinc dicuntur *carotici*, qui poſt vinum profundè dormiunt, adeoque carus non tam morbus quam ſymptoma eſt, natum *ex errore externo*, v. g. *nimiâ ebrietate, S. V. abuſu*. Vid. *Salmuth Cent.* 2. *obſerv.* 97. Pertinent huc *fumi carbonum* hauſti, *gas potuum fermenteſcentium*, qui cum ſuffocationis periculo carum inferunt. Item nimius *odor croci*, abuſus *fumi Nicotianæ*, it. qui diutius verſantur aut dormiunt *ſub iuglande*, ſolent in carum incidere. Hinc etiam nuces Græcis dictæ ſunt *κάρυαι*. ☿ *ij vapor* pariter carum infert, au-

tore *Palmario* dum vapore hydrargyri naribus excepto faber quidam aurarius ſtatim gravi ſomno correptus concidit. Adeoq; hi ſunt *propriè carotici*, qui *ex errore quodam externo* in tantum profundum ſomnum incidunt. Quo etiam ii referendi, qui poſt *contuſiones* aut *concuſſiones* capitis caro ſepulti jacent. Ad hos affectus pertinet etiam quando cum ſomno *inſomnia* juncta ſunt, ut in *Incubo* & *Noctambulis.* In

NOCTAMBULIS

revera eſt *ſomnus vigilans* & *vigilia ſomnians*, dum clauſis organis ſenſuum externis dormiunt, validâ vero Animâ Rationali, cum ſub imaginationis actione per ſpiritus paulò fixiores agitatos vigilent. *Ab hoc enim poſſeſſore moventur quidem neſcientes tamen quorſum.* Uno nomine eſt *validum ſomnium.* Nam ſicut nos ipſi in ſomno loquimur, quæ ſomniamus, modò linguam, laryngem, maxillam inferiorem, interdum quoque pedes aut brachia movemus; ita *noctambulones* moventur ad iſtas actiones, ad quas ſomnium dirigit. *Clauſis quidem oculis* in locis, quæ aliàs ſæpius peragrare ſolent, *conniventibus* vero in locis minus conſuetis, in quibus etiam ſubinde non ſine nocumento verſantur. *Symptoma eſt hypochondriacis familiare*, adeoque quaſi gradus quidam levior *delirii* aut *melancholiæ hypochondriacæ*, ac ſimili etiam ratione curandum venit. *Auſcultat* vero ☽ *æ phaſibus*, unde nunc plus, nunc minus affligit, unde etiam tales à quibusdam Mondſüchtige dicuntur.

Quoad causas *ſomni p. n.* ejusque variorum modorum, ut *ſomnus naturalis* dependet ex imminuto ſpirituum in organa externa influxu, ex aliquali eorundem torpore, dum minus volatiles minusq; ſubtiles, ſed potius phlegmatici facti minus promti ſunt ad obeundas functiones animatas per ſolitas expanſiones & excurſiones; *ita pariter in quovis præternaturali ſomnô nimiô* torpor ſpirituum animalium, ceu *proxima cauſa*, conſiderandus venit; *remotam* hujus torporis ſuggerunt ea, quæ naturaliter ſomnolentiam & nimium ſomnum inferre valent: Nempe aut *nimia ▽oſitas*, aut pituitoſitas *M. S.* & in ſpecie hinc *cerebri*, indeq; *phlegmatica ſpirituum animaliũ conſtitutio*, vel ea *quæ ſpecialiter ſpirituum animalium impetũ ſiſtere*, adeoq; *narcoſi* ſeu ſtupore afficere valent. *De priori* res certa eſt; *de poſteriori* cauſa controvertitur, *an etiam in corpore neceſſario humores ita p. n. alterari queant, ut vim anodynam & plus minus narcoticam acquirere queant*: Et affirmatur. Sicuti enim *ex muſto* per fermentationem, ſicut *ex ligno* & carbonib⁹ per combuſtionem tale generatur *gas narcoticum*, quod antea in ſe non habebant, ita ſimili ratione nil obſtare videtur, quin humores diverſimodè alterati ſimilem vim acquirant. Hinc *Helmont venenum inebriativum* ſoporoſos affectus

ctus producere ait. Et talem *vim anodynam* etiam subinde in affectibus soporosis præsertim lethargo pro causa similiter agnoscit *Willis de anima bruti part 2. cap. 3.*

Quoad *aquositatem* & *inundationem cerebri*, indeque natum torporem spirituum animalium facilè fieri potest, ut ratione glandularum copiosarum, tam cerebrum corticis formâ ambientium, quam hinc inde in cerebro reperiendarum, *serosus latex aut lympha* motu in suo impedita cerebrũ nunc hôc, nunc illo loco inundet, vel etiam ex M.S. mediante *colluvie serosa* variis recrementis onusta in cerebrum destillet, qua ratione *loco criseos lethargum subnatum*, per decubitum materiæ morbosæ in cerebro observat *Willis cit. loc.* qui ipse tam *in Anatomia cerebri, quàm part. 2. de Anim. brut. cap. 3.* in lethargicis quoq; *alia loca sero inundata observavit*; à tali causa non tantummodo spiritus animales torpidiores, ac quasi phlegmatici redduntur, sed etiam porulis cerebri hinc inde refertis debita spirituum expansio, & hinc in nervos radiatio admodum impeditur, unde pathemata soporosa lethargica. Hinc est, quod *ex hydrocephalo* subinde observatus fuerit *lethargus*, teste *Hild. Cent. 7. obs. 20.* it. *Severinus de Abscessibus*, in infantibus ex hydrocephalo lethargum observavit. Nempe ob id naturaliter *infantes in somnum* magis *inclinant* propter cerebrum humidius, non secus ac ii, qui constitutionis sunt phlegmaticæ naturâ magis somnolenti sunt. Sicut *in catarrhis capitis & cerebri* lympha copiosius congesta, ante sui excretionem nimis humectando cerebrum, extraordinariam quandam in somnum propensionem provocat. Facit huc, quod coma somnolentum *à crebriore capitis lotione* procuratum referatur in *M. A. N. C. Ann. 3. p. 541.* Hinc est, quod *suppressio urinæ* à calculo renum, subinde insignem soporem soleat inferre. Sic coma vigil *à sero* enatum in sene refert *Piso Tr. de Colluvie serosâ & Sanchez in obs. p. 380.* refert quendam, qui cum laborasset comate vigili cum febre continuâ, in capite ejus inventi sint cerebri ventriculi multâ aquâ pleni. Facit huc observatio *Deckeri in Barbett. p. 36.* de lethargo gravi *sternutatorio* curato, copiosissimum pus per nares alliciente; sic *lethargum periodicè repetentem* cum arthritide *ex vitio* seri observat *Piso cit. loc.* Sicuti similem lethargum periodicum singulis annis eodem die recurrente notat *Borell. Cent. 4. obs. 67.*

Quoad *vim narcoticam ex causis internis enatam*, spiritus figentem, hanc inexpugnabilis ista *dormiendi necessitas* & junctum *delirium*, effectus *opiatorum* simillimi, confirmant. *Acre oleosum* certo modo afficiens non immeritò ceu subjectum hujus virtutis suspicatur *Sylvius l. 2. prax. ubi de soporosis affectibus*. Sed non necesse est, ut præcisè ad caput ferar. Sufficit interdum si etiam *in primis viis* hæreat ad instar herbarum, gas veri inspirati, aut opii assumti vim narcoticam exercentium. Nam & *virus in hypochondriis contentum* & adhuc deli-

delitescens caput tentare solet. Facere huc videtur, quod *in peste* quidam perquam *somnolenti* evadant. Facit huc *Borell. in obs. 96. Cent.1.* de quodam, qui sæpe *lethargum* patiebatur *ab aurâ* venenatâ, *ex pollice* emissâ, per causticum actuale pollici admotum curatum. Facere huc videtur curiosa observatio *Riverii Cent. 1. obs. 26.* soporis gravis excitati *ob vapores uterinos*, in passione hystericâ. Forsan pertinet huc *Lethargus à lumbricis* oriundus observatus, de quo *Holler. Cent.1. cur.35.* notat, lethargum cum præcedente dolore circa tempora & auditus gravitate solis mensibus circa oppositionem recurrente *à lumbricis* nato. Idem *Holler. Cent. 1. obs. 84.* cataphoram notat *ex lumbricis*. Quoad *febrim lentam*, quæ *lethargo* est juncta, videtur hæc esse ex genere earum, quas *lymphaticas supra, ubi de febribus, notavimus. In Comate vigili* præter dicta in specie *malignitatis narcoticæ* ratio est habenda, à qua & somnus & delirium oritur, sicuti id narcotica virulentiora præstare solent.

Quoad *prognosin*, in genere docet rectè *Hippocr.* Somnus & vigiliæ, si modum excesserint, malum, *sect.2. aph.16. Coma in febrib. ardentibus* exitiosum esse solet, præsertim *vigil*, cùm utplurimum lethale, cum lethargici septem diebus moriantur, quos si effugiant, sani evadunt. *Sanatur autem aut evacuatâ vel sponte*, & criticè, *vel artificialiter* materia peccante per alvum, aut erumpentibus parotidibus die criticô, aut si fiat copiosa ejus per os vel nares emunctio: *Quibus si adjungatur febris* & reliquorum symptomatum remissio, spes est, ægrum convaliturum: E contra in lethargo accrescentibus lethargicis symptomatibus, *si erumpat sudor frigidus*, inprimis in capite, lethale est. *Tremor Lethargo superveniens est* periculosus; è contra *superveniens phrenitis*, salutare; superveniens vero phrenitidi lethargus lethalis.

Quoad *curam*: Affectus soporosi vel à causa externa vel interna originem ducunt. *Si à causa externa*, assumtis vel inspiratis, post *vomitum* convenit †. *& castoreum. Si à causa interna*, habenda est ratio, an per se & primariò morbum constituant, v. g. Lethargum, an vero aliis morbis in statu demum aut declinatione superveniant. *Si per se morbum constituant*, attendendum an vis narcotica, an vero colluvies recrementosa, in specie serosa, eos inducat. *Quod si verò aliis morbis superveniant*, & metastaseos materiæ morbificæ suspicio subsit, vel *si per se ex colluvie recrementosâ originem duxerint*, *vomitoria* & *purgatio*, it. *venæsectio aversoria* & *derivatoria*, item *sternutatoria* & *vesicatoria*, sunt optima, quibus tandem *acria & volatilia*, spirituum torporem excutientia subjungantur. *Sin vero ex vi narcoticâ plus minus malignâ* originē ducant affect⁹ soporosi, post *vomitum* vel præmissū vel omissum,

acria volatilia, sensuum organa fortius vellicantia & spirituum torporem ac immobilitatem corrigentia, vel in specie *acria*, *acida*, *volatilia*, virulentiæ narcoticæ speciatim contraria. Hinc olim & Comati vigili malignarum: Item Comati soporoso *vesicatoria* & *cataplasmata* pedibus applicata sunt optima. *Inter evacuantia* autem principatum obtinet *vomitus*, si commodè potest institui. Sic enim *Riverius Cent.* 4. *obs.* 28. puerum 5. annorum veterno correptum acri clystere & vomitu curavit, cujus defectû *purgatio* instituatur cito, neglectâ temporum electione. Neque enim cogitabundus debet esse Medicus in purgandis lethargicis, & quidem forti fiat medicamento, aliàs frustra laboratur. Inter *purgantia* excellit *scammon.* cum *castoreo*, quod jam à *Tralliani* ætate fuit celebratum. v. g.

℞. Castor. ℈ij.
scammon. præpar. ℈j. M.

D. in vehiculo oxymell. vid. *Borell. Cent.* 1. *obs.* 82. Aliàs *extractum melanagogum Quercetani* à ℈j. ad ʒß. Item *Extr. Esul. aut Troch. Alhand.* pro stimulo conveniunt. v. g.

℞. Herb. absinth.
cent. min.
fol. rutæ an. Mj.
rad. pyrethri ʒvj.
pulpæ colocynth. in petia ligat. ʒj.
coq. in s. q. ▽. comm. colatur. ℞. ℥ix.
adde
Elect. hier. cum agaric. ℥j.
fellis tauri inspiss. ʒj.
vitell. ovi N. 1. M. pro clystere.

Juxta hujusmodi *evacuantia* & subinde *V. S.* vel saltim pro scopo *aversorio* aut *derivatorio* locum habet, in casu nempe quo à colluvie recrementorum mediante sanguine & sero cerebrum inundante malum ortum fuerit. Tali in casu *venarum jugularium apertionem* suadet *Willis loc. cit.* Quibus non sufficientibus altero die *cucurbitulæ scarificatæ* intra scapulas aut *hirudines* propè aures applicari possunt. Quod si nec sic resuscitari videatur æger, præmissis talibus ad *vesicatoria*, item ad *sternutatoria* accedendum venit; ad illa quidem *pro scopo aversorio*; ad hæc *pro scopo excitatorio* ac simul *evacuatorio*, sed nonnisi istis prius præmissis. v. g.

℞. Pulv. cantharidum ℈j.
euphorb. gr. xij.
castor. gr. xv.

fermen-

fermenti acerrim. ℥ß. M. pro veſicatorio.

Nam acria ac dolentia in talibus ægris omninò requiruntur. Applicari nunc poſſunt vertici, *nunc ſyncipiti*, pro ſcopo derivatorio, *nunc cruribus*, pro ſcopo revulſorio. *Sternutatoria* per pennam inſufflanda ſunt naribus

℞. Pulv. nicotian.
lil. convall. an. ʒj.
rad. hellebor. albi ℈j.
ol. deſtillat. majoran. gr. iv.
caſtor. gr. xij. ad xv. M.

vel *ſternutatorium Timæi* in affectibus ſoporoſis expertum, quod habet *in Caſibus pag.* 20.

℞. Ellebor. albi
caſtor.
piperis albi an. ℈j.
ol. deſtillat. rutæ, majoran.
ſalviæ, an. gr. ij. M.

Hiſce etiam *⊖ia volatilia* v. g. *⊖. volatil. ⊖✱, aut ſpir. ⊖✱j. cum calc. viv.* paratus commodè permiſcentur, cum fortiter penetrent, cœteris addita, vellicando; *ſternutatorium ex turbit cum pulvere glyzyrrh.* vid. *in Barbett. praxi cum comment. Decker. p.* 76.

Cum hiſce modò narratis propinanda internè *appropriata*, quæ aut ſpiritus excitant acrimoniâ ſuâ ſubtili penetrando & ſenſuum organa vellicando, aut eoſdem plus minus reſtituunt, & augent, aut virulentiæ narcoticæ reſiſtunt. Primatum hic ducit *Caſtoreum*, & quævis inde parata interna & externa, præſertim ejus *eſſentia cum ſpiritu ⊖✱ urinoſo* parata in largiore doſi propinata eſt egregia. Hinc *acria volatilia*, nempe *ſpir. ⊖✱ci, ſpir. formicar. volat. ſpir. ſem. ſinapi*, cum vehicul. ▽. *lil. convall. ſpirituoſa* propinati, ſunt optimi, quibus *Wedelius* plus præſtitit in affectibus ſoporoſis, quam ſpiritibus aromaticis ſulphureis. Vid *opiolog. p.* 46. 47. 52. Hinc ulterius etiam *acida volatilia* à quibuſdam uſurpantur, præſertim in caſu, quando ſuſpicio eſt latentis virulentiæ narcoticæ. Veteres *oxymelle ſquilitico* fuerunt contenti; hodie *ſpiritu* inprimis *vitrioli volatili* utimur. Excellit *hic ſpiritus antepilepticus vitrioli Quercet. cum urina* pueri paratus; loco cujus *ſpir. virid.* per ſe præparatus uſurpatur. Hinc *ſpir. vitrioli cephalicus D. Michael.* ex *cap. mort. vitriol.* regeneratô cum *ſpiritibus vegetabilibus* paratus &c. propinatur in ▽. *lil. convall rutæ, ceraſ. nigr. ſerpill.* & ſimilibus. De *eſſentiis* & *oleis vegetabilium* & hic uſurpandis, v. g. *Eſſ.* & *ol. Anth. majoran. lil. convall. croci* & ſimilibus hiſce, tam *ſimplicibus* quam *compoſitis*, cùm per ſe nota ſint, nil addere placet. Forſan uſus *herbæ*

Theæ,

Thee, cùm naturaliter somnum arceat, citra virium dispendium, commodè cum aliis appropriatis usurpari posset. Quibus ac similibus ritè administratis in fine curæ *sudorifera* ex *lignis* inprimis parata curam claudant.

Cum his internis & *externo* usu simul usurpanda, quæ spiritus excitare, eorumque torporem discutere valent, *acria*, penetrantia, & sensuum organa plus minus vellicantia. Tempora igitur nares ac frons *oleis cestulat. succini, majoran. anth. aut balsamis cephalicis* illinantur, quæ ipsa etiam linguæ infra affricentur; item *spiritus* ♉*ci volatil.* in vitro angusti sed longi colli naribus subinde admoveatur, ad excitandos soporosos, sicut †. *castoreo* infusum, & linteo vel spongiâ naribus admotum, est egregium; vel imprægnetur spongia succo *apii & acet. rosaceo*, adspergantur *pulv. castorei*, & ita crebro naribus admoveantur. Quò etiam facit †. *radicatum Riverii* simili modo usurpatum à Plantis pedum & quædã affricanda veniunt, inprimis *sinapi cum* †*o* subactum & forti frictione plantis pedum applicatum lethargicos excitat. Item fiat *Cataplasma ex rad. raphani recent. cum rutâ*, *fermento* s.q. †*o &* ⊖*e com.* subacta plantis pedum admoveantur, quale inprimis convenit in comate febrili tam somnolento, quam in specie vigili; vel ex *rutâ, piperitide & ranunculo* cum *sapone nigro &* ⊖*e marino* similibusque acribus invicem mistis paratum *cataplasma* dicto modo pedibus applicetur. Quod si ex abusu narcoticorum inductus sit somnus nimius, optimum remedium est †. præsertim cum *castoreo* imprægnatum, v. g. ex opio seu croco aut similibus natus sopor caroticus *aceto* curatur.

Famulus cujusdam materialistæ cum aliquando ℈j. crudi opii pro reconciliando somno recepisset, binas noctes & dies continuò dormivit. Tertia die vocatus Medicus recipere jubet † *squilliticum* in quo *extract. castorei* dissolutum fuit. Qua misturâ frontem ac tempora, pulsus manuum ac plantas pedum, ac inprimis genitalia irroranda & sedulò fricanda jussit, sicque successivè ex mortis faucibus ereptus fuit. *Quodsi ex vaporibus venenatis*, inspiratione Gas liquorum fermescentium & inconcinno narcotiorum usu oriatur Carus, *vomitus* maturè instituendus, & hinc *acida* ac *castorina* usurpanda erant.

℞. ▽. menth.
rutæ
†. rutac. an. ℥j.
essent. castor. ʒvj.
syr. menth, ℥ij. M. capiatur crebrò.

Si ex ebrietate oriatur affectus soporosus, præmisso *vomitorio* internè convenit *spiritus* ♉*ci*; fronti vero ac temporibus † applicandum, *Epithema ex*

succo semperv. maj. †. *& nitr.* testibus admovendum, ac subinde removendum. Perinet ad hos affectus etiam *Catoche*, sive

CATALEPSIS

dum ægri instar statuæ in sua positura ita persistunt, impulsi tamen moventur, sed denuò in ista per motum acquisita figura fixi perstant, oculis pertinaciter hiantibus, torvum vident, in eodem quo eos posueris seu collocaveris membrorum positu permanent. *Non dormiunt tales ægri*, sed videntur dormire, & tamen moventur, ac in eo situ perstant. Non autem est *ab intrinseco*, sed tantum *ab extrinseco*, nempe ab impulsu instar cujusdam machinæ. In his *quomodo verè constituti sint spiritus animales*, vel quodnam speciale eorum vitium, adhuc *inexplicabile* est. *Fixatos* esse eos, minusque mobiles, quam naturaliter esse debent, certum est. Simul tamen etiam eosdem continua sua præsentia membra actuare & in tono debito conservare & animare ex eo confirmatur, quòd partes mobiles sint & figuram quamvis retineant. Unde ad *convulsiones* refert *catalepsin Valentinus Disp. Inaug. de Convulsionibus*, ejusque *causam* dicit esse nimium spirituum motum, quatenus uno impetu cerebrum relinquentes, utrumque musculum antagonistam irruunt, nec inde statim retrocedere possunt, unde rigor ille notabilis: Hoc fusè confirmat ex *antecedentibus*, *concomitantibus*, *juvantibus* & *nocentibus*. Hinc *D. D. Dolæus* catalepsin *apoplexiam inversam* haud inconcinnè vocat in *Encyclopædia Med. Pract. Tit. de catalepsi.*

Causam spirituum animalium *coagulationem* quandam, à spiritu quasi urinoso asserit *Sylvius Prax. l. 2. c. 24.* Sed rem dubiam relinquit. Rarus est affectus, & qui varias habet *antecedentes causas.* Sic *Forestus obs. 44. Schol.* refert, puellam, cum nubere cogeretur, hoc affectu fuisse correptam Idem *loc. cit. l. 10. obs. 41.* *à frigore* quosdam rigidos instar catalepticorum fuisse redditos. *Fonseca lib. 2. consult. 92.* refert catalepsin singulis septimanis recurrentem, 6. horas durantem, in muliere *post mensium suppressionem* obortam. *A vermibus* quoque aliquoties catoche observata est, *Vid. Marcell. Donat. l. 2. c. 2.* & *Schenck in observat. In paroxysmis febris intermittentis* catochen observavit *Dodonæus obs. 44.* *A vapore carbonum* accensorum simillimum catalepsi affectum refert *Platerus l. 1 obs. p. 28.* Jucundum est, quod refert *Tulpius l. 1. c. 22:* Juvenis Britannus impensius amori indulgens, *ex inopinato repudio* matrimonii catalepticus factus est: Cùm verò illi acclamaretur, cupitam habiturum amicam, quasi excitatus ex profundiore somno actutum ad se rediit & prosiliit. *Remedia* hactenus proficua sunt *vomitoria* ☿ *ialia*, *spir. vini rectificatus*, seu internè seu

seu externè usurpatus. Item *cataplasma acria.* Sic *Henr. ab Heer* refert Capucinum Catochicum factum, per *acre suppositorium* excitatum.

CAPUT VII
DE
SPIRITUUM IN CEREBRO ET HINC SENSUUM ORGANIS INORDINATA AGITATIONE, INDEQUE ORTA VERTIGINE.

VERTIGO.

VErtigo *à vertendo* dicta est iste affectus, cùm omnia circumagi, & omnia nos ambientia corpora in circum rotari videntur. *Naturaliter* hoc imitamur, clausis oculis celeriter corpus circumagitando. Sic enim facta quiete apertis oculis omnia circumagi videntur. *Nonnaturaliter* hoc fit in ebriosis, quibus pariter omnia videntur in gyrum agi.

Ratione graduum triplex est *vertigo.* I. *Quando corpus tantũ & exteriora circumgyrari videntur,* denuo evanescẽte φαινομένῳ, estq; *vertigo simplex,* utut promiscuè sic dicta. In cæteris enim gradibus, cum nulla rotatio observatur, quin potius visus obtenebratur & plus minus abolitur, impropriè vertigo dicitur. II. *Gradus est, quando oculi velut affusa caligine obscurantur,* ita ut visus tandem crebro pereat, aut etiam varii colores, flavi, cœrulei, virides ante oculos versari videntur, insequente tali caligine & vocatur *scotomia seu vertigo tenebricosa.* III. Hæc oculorum caligo cum tantum invalescit, ut *æger protinus concidat,* nisi proximis prehensis adminiculis se fulciat, *vertigo caduca* appellatur. Hæc vertigo quia ceu proximus gradus est ad epilepsiam, cum interdum leves convulsiones & deinde epileptica affectio subinde huic ultimo gradui superveniat, propterea *parva epilepsia* quibusdam Practicis dicitur. Nam vix est insultus epilepticus, à quacunque oriatur causa, quem non antecedat aut comitetur proximè vertigo gravior. Unde ingruente insultu epileptico ferè dicunt: Es werde ihnen gantz wunderlich vor den Augen / schwartz / grün und gelb. Sicuti aliàs graves spirituum animalium *ecclipses & deliquia* insigniora & antecedere & comitari solet *vertigo*, v. g. lipothymiam, dolores ingentes, graviores paroxysmos hystericos.

Quoad rotationis istam apparentiam vulgò existimant, rotationem spirituum

animalium in cerebro esse causam istius apparentiæ, quod tamen falsum est. *In oculis enim fit ista rotatio*, sive motus iste inordinatus, qui vertiginem infert. Nam visui res gyrari apparent. In organo igitur visionis erit vitium, cum in cerebro non videamus. Nemo sane concipere poterit, quomodo spiritus in cerebro agitatus apparere res faciat rotari extra oculum. *Vertigo sc. fit in organo videndi*, non in vidente ipso, uti neque in objecto viso. Organon tale est oculus. *Porro quando oculis videntur obversari nebula, flocci, musca* &c. res hæ videntur esse in aëre, cum tamen revera sint in oculo, in specie in humore ejus ▽eo, unde cum *res externæ gyrari videntur*, hoc fit in oculo, non in cerebro, vel objecto externo. Nemo est, cui non *flammulæ* noctu, in tussi graviori vel percussione oculorum, in aëre versari videantur, quæ omnia tamen revera sunt in oculo. *Quod si dicere velis*, visionem formaliter fieri in sensu communi non in oculo, unde gyrati spiritus in medulla cerebri circa principia nervorum, ubi fit sensus communis, vertiginem inferant. ℞. *Distinguendo inter circumgyrationem* ipsam & ipsius motus *apparentiam*, ejusq; à nobis *perceptionem*; hanc concedo fieri in sensu communi, non vero *actualem circumgyrationem*, quæ causa est talis vertiginis. Totum hoc negotium apposito simili desumto à speculo illustrat *Joh. Faber in Patholog.* quem vide.

Sed præter oculos *simul & alii sensus afficiuntur*, imprimis in secundo & tertio vertiginis gradu. Nam similiter & *tinnitus*, aut *raucus* interdum *sonus* in auribus percipitur & licet apprehendant ægri adminicula nonnulla, quibus se fulciant, sæpius tamen minus firmiter eadem comprehendere valent, ita ut tandem concidant.

Causa igitur *vertiginis* ex dictis patet. Est scilicet *motus inordinatus spirituum animalium in oculo* concamerato agitatorum; hinc necessario motu rotundo in gyrum moventur, verùm non in solo oculo, sed in reliquis etiam sensuum organis præsertim *auribus* similis fit inordinata agitatio, unde in iisdem *tinnitus*; *in partibus vero externis* minus firma objectorum apprehensio Jam vero *sicuti visus* naturalis fit per contactum radiorum visualium ad tunicam retinam: *Sicut contactus aeris* interni, moti ad tunicam cochleæ nerveam, auditum excitat; *ita & spirituum circumgyrata* & inordinata motio & in tunicam retinam illisio, ibidemque facta impulsio objectorum externorũ circumgyrationem apparere facit, quatenus nempe similis in tunica retina motus, qualis fit, quando objecta externa, quæ revera in gyrum moventur, motum talem in tunica retina excitant. Sicuti appulsus spirituum ad tunicam cochleæ *sonitus* istam speciem apparere facit. *Et hinc est*, quod etiam in *vertiginosis*, item *epilepticis*, *hystericis*, *ebriis &c.* tam *varii colores* subinde, imo & *splendores* interdum ante oculos versari videantur, quia scilicet in dictis affectibus ab inordinato motu spirituum in fibris

bris

bris tunicæ retinæ, talis motus fit in retina tunica, qualis aliàs fit à radiis visualibus ab objectis luteis vel cœruleis, aut splendentibus in oculum illabescentibus & tunicam retinam determinato motu ferientibus. *Imò si nimis* inordinatus & tantum non interruptus spirituum istorum fit motus, præsertim ad oculum, in tantum visus exinde perturbatur, ut etiam *obscuratio* oculi & *caliginis apparentia* superveniat.

Caliginis talis sensus fit ex defectu objecti lucidi aut colorati in oculo, vel ex ejus nulla perceptione, nam utroq; in casu *tenebras* & *caliginē* nobis imaginamur. Quodsi igitur in perturbato nimis spirituum animalium motu abrumpatur eorundē ordinata & radiosa series & in specie in oculis iidem deficere incipiant, in iisdem deficiens visus caliginem quasi repræsentat. *Ulterius* si ex spirituum istorum inordinato motu ad musculos fit continuatio, nunc ex eorum hinc inde quasi abruptorum defectu *cessans objectorum apprehensio* & *casus*, nunc ex inordinato influxu leves *convulsiones* superveniunt. Adeòq; non solum spiritus visorius in oculis immediatè perturbari videtur in vertiginis affectu, quin totum spirituum animalium systema impetuosius in cerebro concitari in graviori vertigine videtur, ita ut & reliquorum sensuum organa simul afficiantur. Qui affectus verò, quia imprimis in oculo est notabilis beneficio gyri, ob id *à principaliori fit denominatio*, & *vertigo* appellatur, cum *posteriores* duo *gradus*, ad *lipothymias* vitio spirituum animalium propius accedant.

Causa ergo vertiginis *proxima* & *generalis* ad quasvis earum *differentias* se extendens, est *inordinatus*, confusus & plus minus subinde hinc inde interruptus spirituum animalium, in cerebri medullâ, præsertim circa nervorum origines, *motus* & in partes externas influxus, unde omnia cætera dependent symptomata, quæ pluribus vide adducta in *Willis. de anim. brutorum p.2. c.7.*

Quæstio jam est de *causa remota*, unde iste spirituum inordinatus motus in cerebro & hinc in organis sensuum oriatur. *Quoad hanc, observandum*, vertiginem *nunc esse symptoma* saltim membrorum aliorum, v. g. quando supervenit *passioni hysterica*, vel *ventriculo affecto*; *nunc per se morbum constituere*, quando v. g. *ex vitio cerebri* qualicunque immediatè oritur. *Prioris ratione per consensum*, *posterioris per essentiam* esse dicitur. Sed, verum ut fatear, rarissima est *vertigo per essentiam*, quandoquidē quotidiana praxis & Practicorum observationes monstrant, *vertiginem* ferè omnem esse *ex vitio partium inferiorum*, utut diutius affligens & sæpè recurrens, cerebri texturam quoq; per motus spirituum p.n. alterare valeat, ut deinde ex vitio cerebri proximo affligere videatur. Adeoque *si est per essentiam* vertigo, erit saltem *à causa externa*, afficiente caput & cerebrum, rarò à *causa interna*. *Si non est à causa externa, vel* alium

alium morbum capitis insequitur, *vel* vertigini per consensum, ille per essentiam deinde supervenit,

Partes quorum consensu fit vertigo, est imprimis *ventriculus*, cujus varia peccata, imprimis vitiosus sui generis acor volatilis, orificium superius affligens vertiginem infert. Et hujus manifestum indicium est, quod tales jejunium ferre nequeant, quin sæpius fiant vertiginosi tamdiu, quamdiu vacuus est stomachus, subitò vero atq; unam atq; alteram panis bucellam comederint, malum cessat; unde etiam matutinis horis tantillum comedendo vertiginem sæpius præcavent. Ordinariò vero hoc evenit *hypochondriacis* & juvenibus diligenter literis incumbentibus, item *senibus*. Pertinent huc *hystericæ mulieres*, quæ admodum vertiginosæ sunt, imò utplurimùm præcedentibus scotomiis *suffocatio* dicta *uterina* inchoat, aut in eadem durante paroxysmo hysterico vertigine gravi subinde corripiuntur. Nempe mali hypochondriaci quædam species est hæc suffocatio. *Senes* etiam sæpissimè vertigine corripiuntur *vitio stomachi*, concurrentibus tamen simul spiritibus animalibus debilioribus & vitiata simul cerebri textura, ita ut levi occasione paroxysmo vertiginis corripiantur. *Ebrietas* quoque ad vertiginem disponit, unde ebriosi omnes vertiginosi sunt, Sie sehen alle doppelt / *in paroxysmo* quidem *per essentiam* vitio spirituum animalium ab alimento nondum ritè assimulato, ut & spiritu vinoso inordinatè vel confusè agitatorum. *Extra paroxysmum* vero ebrietatis vertiginem saltem *per consensum ventriculi* patiuntur. Porro flatulenti cibi *cepæ, allia, rapa, raphani* & similia *oleracea* etiamnum in ventriculo vertiginosos nonnullos reddunt, nempe ad vertiginem jam dispositos. *Vermes intestinorum* graves inferunt vertigines; sicuti etiam epilepticas convulsiones. Adeoque *vertigo per consensum utplurimum ex vitio stomachi*. Præterea tamen ex *liene, renibus* aliisque partibus nerveis insignioribus ditatis *per consensum* itidem oriri potest vertigo. Sic etiam *calculus renum*, ex pelvi in ureteres commotus, in quibusdam inferre solet scotomias.

Sed quomodo fit vertigo per consensum? Vulgò ad *vapores* & exhalationes, effumationes ac halitus ex inferioribus partibus elevatis in cerebrum confugiunt. Sed *impossibilis est horum vaporum transitus* viis omnibus sufficienter munitis, unde imprimis *Helmont* & præter hunc *Schneiderus l.3. de catarrhis* hujusmodi exhalationes sufficienter discusserunt. Consideremus *calculum*, qui motu suo in vel extra pelvim ad vertiginem disponit. It. *vomiturientes*, qui cum labii tremore vertiginosi quid patiuntur. Nec est, quod *objiciatur* sensibilis *auræ frigidæ*, quam tales percipiunt, *adscensus*. *Nam* in his casibus saltem est spirituum versus cerebrum radiativorũ recursus inordinatus & quasi *resilitionis impetus*, qui reliquas earum copias in cerebro impetuosius commovens eosdem in motus inordi-

ordinatos & confusos cogit, sicque *vertiginem* infert. Dum vero spirituum iste recursus & resilitio plus minus vehemens, ab objecto inadæquato partem sensilem nerveam vehementius afficiente nata contingit, & ad cerebrum usque defertur, *formicatio* talis, seu velut *auræ frigidæ adscensus* persentiri videtur, utut hoc non in omnibus æquè contingat, e. g. *ex graviore* in quodam loco *dolore*, quidam *vertiginosi* redduntur, objecti dolorifici occasione, spiritibus ad partem dolentem commotis, & aliquid spasmodici plus minus efficientibus, fortioris vero ab objecto doloroso impressionis ratione repulsi, iidem & quasi resilientes vertiginis pathema inferunt. *Fonseca l. 2. consult.* 30. refert mulierem, quæ cepit per intervalla pati hebetudinem quandam repentinam circa oculos, cum quadam ventris perturbatione; quo tempore corpus regere non poterat, quin caderet; *tempore accessionis*, dicit, se sentire *fumum* quendam ex partibus ventris sursum adscendentem, parum tamen durare hoc symptoma; prona est ad *vomitum*, ita ut quotidiè ferè evomat pituitosa & biliosa. Affectus est, quem *vertiginem per consensum uteri* vocant, cùm tamen circa hypochondria minera, materia & occasio sensibilis delitescat, quod *vomitus* persuadet, quâ commotâ, & partibus nerveis istorum locorum alteratis, supra explicato modo fumi adscensum repræsentat, donec *vertigo* superveniat. Sic *Bartholinus Cent. 6. hist.* 75. narrat *vertiginem* ortam *ex pede*, adscendente hinc quasi vapore, qui ex supra dicta ratione pariter fieri videtur, nempe aliquid quasi spasmodici antecedit occasione objecti irritantis, sed impetuosius inde resilientibus spiritibus, vaporis imaginarius ascensus, tandem vertigo accedit, quæ pluribus deducta *vid. in Willis c.* 1.

Quod attinet vertiginem per essentiam, hæc subinde supervenit isti *per consensum*. Si enim repetit sæpius talis per consensum vertigo, fit tandem ut alterata cerebri texturâ à crebrioribus istis & inordinatis spirituum animalium excursionibus, levi datâ occasione spiritus in inordinatos tales motus erumpant.

Quod si per essentiam à seipso incipiat vertigo, originem ducit 1. *quando aliquid heterogenei spiritibus animalibus permistum* eorum motum turbat, uti patet v. g. in paroxysmo *ebrietatis*, item *sub* potu *fumi tabaci* in non adsuetis. 2. *Quando in cerebri medullam p. n. quid immissum* fuerit cum sanguine aut sero influentibus; hinc enim *suppressioni sanguinis* consuetæ subinde vertigines superveniunt. Hinc *ex nimia* ♀ *e* vertiginem, cum aphoniâ & intolerabili capitis dolore notat *Ballon. in suis histor.* Absumptis nempe spirituum animalium copiis, & exhausto plus minus cerebro facile quid vertiginosi cum sanguine instillare potuit. *Pertinere huc videtur* historia *Fracastor. l. 2. consf.* 3. de vertigine tenebricosâ sine ullâ intermissione in Chirurgo, qui crebrò *lue gallicâ* infestos curaverat, unde à virulentia ♀ ea generi nervoso ac cerebro infesta ipsi communicata malum ortum

tum traxisse apparet. Pertinet huc, quod refert *Piso de Colluv. Serosâ* de vertigine 5. annorum cum motus imbecillitate, spontaneo frequenti vomitu eoq; contumaci ▽æ limpidæ spumosæ à naturâ curata, quod tamen malum potius *per consensum* ortum videtur.

Pertinet huc ipsius M. S. constitutio præternaturalis cerebrum afficiens, & hinc spirituum motum turbans. Hinc plures in vertigine *M. S. halituosam* aut nonnihil *vaporosam* accusant, cujus ad cerebrum delati occasione spiritus inordinatè agitati vertiginem inducant, adeò ut *Lindanus* omnem vertiginis rationem ex tali sanguine halituoso deducat. Hinc in tali *vertigine* quæ *vitio sanguinis* fit, V. S. interdum optimè conducit. Conf. *Horst. probl. p. 22.*

Denique vertigines per essentiam fiunt ex vitio cerebri quocunque tam *conformationis*, quam *digestionis propriæ*, & hujus occasione geniti in eo excrementi plus minus vitiosi. *Nam quod prius attinet*, concussio cerebri, contusiones capitis, casus ab alto fortior, ob quoscunq; poros cerebri & canales ejusdem immutatos, fibrarum ordinationem plus minus immutare, spirituum ordinarium motum turbare, & ita vertiginem inferre valent, idque eo magis, si talibus occasionibus externis interna digestionis errata accesserint. Adeoque *quoad posterius* à recrementis nempe retentis vertigines & alia mala oriuntur. Sic *Zacut. Lusit. l. 7. Med. Pr. hist. obs.* 12. observat paroxysmum vertiginis per abscessum materiæ purulentæ ex aure aliquoties curatum. Sic *Wepferus de parte affecta in Apoplex. p. 67. & 70.* observavit vertiginem in juvene, in cujus capite in cerebri sinistra parte vesica aqua limpida plena inventa fuit. Sic *Schenck. in obs. ubi de vertig.* vertiginem miram refert ingenti purulentæ materiæ per dentium alveolos & os excretione curatam.

Quoad *prognosin vertigo gravior* & diuturnior inprimis citra manifestam causam externam inchoans, *in junioribus* epilepsiam, *in senibus* apoplexiam certissimè prænunciat. Sanè in senibus rarò fallit. Unde etiam *in senibus* periculosior longè ac curatu difficilior, quam *in junioribus*. Pro varietate graduum quoq; plus minus periculosa est eadem. Unde *vertigo caduca* omnium pessima.

In *cura* duo tempora consideranda. *1. Extra paroxysmum*, ut *præservatio* instituatur. *2. In paroxysmo*, ut ritè *curatio* perficiatur.

Præservatio respicit fomitem morbosum; & cum malum frequentissimum sit per *consensum stomachi* vel primarum viarum, ob id *vomitoria*, & hinc *remedia stomachica* primatum obtinent, quibus subjungantur *specifica.*

In *curatione* vel *vomitus*, vel *opiata*, vel *antepileptica* tam *interna*, quàm *externa* sunt optima.

Pro

Pro his scopis ritè obtinendis *observandum*, quod in genere supra monitum fuit, *vertiginem* dici quibusdam *epilepsiam parvam*, & hanc subinde illam insequi. Hinc vertiginem sistunt in specie ea, quæ *Epilepsiæ* succurrunt & contra. In specie observetur

I. In vertigine per consensum *vomitoria* esse optima, ipsâ præeunte naturâ in exemplis supra citatis, præsertim in malo contumaciori per consensum, vix sine *vomitu* curabili.

II. *Venæsectio* per se vix convenit. Interdum tamen ubi sanguis est copiosus cum vitâ sedentariâ, aut qui facilè ebullit ac turgescit, qui idem videtur cum flatuoso quibusdam dicto, aut quando à sanguine plus minus fovetur malum, convenit V. S. de quo vid. *Horst. in probl. decad. 2. quæst. 3.*

III. Quoad *purgantia*, *M P. de succin. Craton.* cum stimulo *extract. colocynth.* It. *pilul. mastichinæ* præ cæteris conveniunt in vertigine per consensum stomachi. Item *extract. hellebor. nigr. cum ☿ io dulc.* uti egregium est purgans Epilepticorum, ita etiam vertiginosis prodest. Præ cæteris in malo inveterato per consensum conducunt *pilulæ usuales*, omnibus novi- & pleni-luniis instantibus vesperi capiendæ, paratæ ex *aloe, gumm. ammon. myrrha* &c. ut mundæ serventur primæ viæ ac fomes ex abdomine emanet.

IV. A *sternutatoriis* abstinendum est, utpote quæ genus nervosum nimis commovent, indeque facilè spirituum inordinatos motus provocant, adeò ut periculum sit, ne ad epilepsiam magis disponantur ægri; ut taceam sternutationes oculis minus esse convenientes, sed potius nocivas.

V. *Fonticuli* in senibus & subjectis cacochymico serosis, uti *præservativè* ab apoplexia, ita *curativè* in vertigine sunt proficui, brachio inusti.

VI. *Curato paroxysmo* & institutâ totius corporis purgatione de *provisione* opera danda, ne redeat paroxysmus, adeoque inprimis prospiciendum ventriculo. Hinc v. g.

℞. Galang. ℥ß.
cubeb. ʒij.
sacchar. ℥iß. M. F. Tragæa, de qua ℞. ʒij.

inspergatur pani bis cocto vino generoso intincto & ita comedatur una alterave horâ ante cœnam aut prandium: Vel ad imitationem *Lindani* usurpetur pulv.

℞. Granor. Pœon.
coriandr.
Nuc Mosch.

visci quercin.
cubeb.
galang. an. ℥ij.
piperis longi
zingiberis.
tormentill.
rosmarin. an. ℥j.

M. F pulv. de quo sumatur manè & vesperi ʒß. sive cum, sive sine sacch. pro lubitu. *Elixir. menth. cum spir. mastich.* ab omnibus usurpata sunt proficua.

Vel ℞. Conserv. flor. anth. ℥j.
salv. major. an. ℥ß.
zingiberis Indic. condit. ℥ß.
sem. sinapi, eruc. an. ʒiij.
cardamom. cubeb. galang. an. ℈j.
🜔. volatil. succin. ʒß.
spir. ceras. nigr. ʒj.
c. s. q. syr. flor. tunic. F. Electuar. D. S.
Haupt und Magen Latwerge.

De quo omni manè & sub introitu lecti capiat pro lubitu. Hisce equidem *vertigo accidentalis*, seu minus *inveterata*, præsertim per consensum curari solet: *In habituali* seu inveterato malô verò undecunq; nato, requiruntur præterea, istis tamen non neglectis, *specifica appropriata*, qualia sunt *pæonia*, *cubeba*, *semen sinapi*, *cinnabaris* vel *nativa*, *vel* ☿ *ii*, *succinata* quælibet, præsertim *ol.* ejus *destillatum*, & hujus loco *ol. petræ album*. Deniq; unum ex primariis *stercus pavonis*, quibus præterea etiam addi solent *Doronicum*, *chærefol. salv. rosmarinus*, *buxus*, & in genere quælibet cætera cephalica & epileptica. *Doronic.* quidem singulariter in quibusdam laudatum, sed vereor ne ex præconcepta magis opinione, quam rei veritate fiat. Putant enim *rupicapras Alpinas* ejus usu reddi aptas, ut citra vertiginem montes adscendant, quod ipsum tamen naturæ proprium & consuetudinis videtur beneficium. *Funambuli* quoq; ejus usu contra vertiginem se munire dicuntur, quod tamen pariter dubium. *Hepate rupicaprarum* vertiginem curatam refert *Velschius Hecat 2. p. 36.* Dubium tamen annon additum *Elæosaccharum citri* paris cum *hepate* fuerit virtutis. *Salviæ decoctum* in ▽. vel vino, tam interno usu quam externo, si eô abluatur caput, ac applicetur fronti & temporibus laudatur à *Deckero in praxi*. Sanè aliquando *essentiam compositam* ex solo *chærefol.* & *rosmarin.* proficuam in vertigine per consensum expertus sum. *Rosmarinus* ejusque *essentia* commendatur à *Ferdinando* in contumacissimâ vertigine, in specie, si exasperetur malum in frigore hyberno, id quod seni-

senibus ferè familiare. *Buxus*, in specie ejus *oleum*, uti in epilepsia, ita in vertigine intus & extus singulare habetur remedium, extra quidem inungendo *oleo* quotidiè temporum arterias post aures, pulsus in manibus ac pedibus; internè verò:

℞. Conserv. flor. anthos ℥iij.
ol. buxi.
N. M.
menthæ an. ʒjß.
c. s. q. syr. de cort. citr. F. Electuar. dos. ʒß.

imò si gutt. 8 l. 10. in *aqua pœoniæ* aliquot ℥iis exhibeantur, præstantissimum habetur remedium. *Cubebæ* masticatæ stomacho jejuno, aut etiam vino infusæ, sicque bibitæ multum conveniunt, non secus ac *semen sinapi crudum* jejuno stomacho comestum. Expertum est etiam ad vertiginem cum *caricis pinguibus* & *sem. sinapi* paratum *Electuar.* quod pro usu præservativo vertiginis est egregium. In *pavone* singulare latet specificum, cujus non tantum *carnem* comestam contra vertiginem admodum laudant, sed in specie *stercus pavonis* nobile est specificum contra vertiginem; usurpari potest vel formâ *pulveris* ad imit. *Willis l. c.* sicuti aliquando viro cuidam insigniter vertiginoso præmissis præmittendis præscripsi

℞. Sterc. Pavonis ℥ij.
rad. pœon. mar. ℥j.
pulv. caryophyll. ℥iij. capiatur de his quotidiè bis larga dosis manè jejuno stomacho & bihorio ante cœnam, usurpavit bonô cum successu. Omni vesperâ sub lecti introitum accepit simul *spir. θ✱ci anisat.* gutt. 30. vel 40. pro dosi. Item in forma *electuarii* ℞. *Sterc. pavon.* in sartagine leniter exsiccatum, ut pulverisari possit M. cum *conserv. rorismarin.* & *majoran.* q. s. de quo quotidiè bis capiatur, quo feliciter usus est *Lindanus in praxi.* Vel *in formâ liquidâ*: Quâ ratione *Petr. à Castro Medicus Veronens.* remedium admirandæ virtutis, ad præservandam vertiginem esse dicit ʒj. *stercor. pavon.* maceretur per noctem in vino albo, omnia postmodum per linteum trajecta exhibeantur vertiginoso, continuando à novilunio ad plenilunium usque. An præcisè requiratur distinctio sexus, ita ut *stercus masculi* pro maribus, *fæmellæ* pro fœminis sit capiendum, in medio relinquo. Deniq; *cinnabaris* tam *nativa*, quam *factitia* seu artificialis egregia est contra vertiginem, seu per se seu cum aliis adhibeatur. v. g.

℞. Stercor. pavon. pulverisat. ℥iij.
cinnab. nativ. ʒij.
cubeb. galang. an. ʒß. M. F. pulv. pro cujus vehiculo
℞. ▽. chærefol. ℥iij.
liquor. CC. succin. ʒj. M. pro vehiculo dicti pulveris, capiendo

aliquot cochlearia; Cum eadem in specie 🜍. *volatil.* & *ol.* nobilia sunt contra vertiginem internè & externè. Hinc internè *Elæosacch. 🜍is volatilis succin.* Extra *ol. destil. succini* vertici illitum est egregium. *Ol. succini* loco *petroleum album* usurpari potest. Memini enim me aliquando juveni studioso hypochondriaco crebrâ vertigine, seu jejunus seu pastus esset, affecto, præmissis præmittendis, & etiam aliis adhibitis convenientibus, frustra tamen omnibus, consuluisse, ut in fine singuli pastus 6. 7. ad 8. gutt. in ultimo haustu capiat, eoque leviter præcordia inungat, id quod optimè profuit. Sic alii juveni præmisso vomitu dedi:

℞. Conserv. menth. ℥j.
flor. anth. ʒvj.
petrol. alb. ʒjß.
🜍. volatil. succin. gr. xv.

c. s. q. syr. menth. F. Elect. de quo manè dosin castaneæ capiat; bono cum successu accepit. Aliis nil juvantibus sacra anchora erit *laudan. opiat.* imprimis appropriatis, præsertim *succinatis*, mistum, quod quoscunque spirituum animalium inordinatos motus compescit, eosque figendo sedat.

Quoad curationem in paroxysmo: *In paroxysmo* vertiginis crebriore, dum ægri corruunt & ad tempus jacent, præ cæteris conveniunt *Vomitoria*, quæ optimè eos exsuscitant, aut horum loco acres *clysteres*, usitati aliàs in Apoplexiâ & Epilepsiâ; Hinc infundunt *appropriata spirituosa*, nempe ▽ *m majoran. salv. cerasf. nigr. spir. cerasf. nigr. lil. convall. spir. vitrioli volatil. aut cephalicum*, vel adduntur istis *spir.* & *🜍ia volatilia succin. CC.* & c. it. *castor.* tam in substantia quam ejus *essentia*, præsertim in sexu sequiore commode adhibetur. Externè *balf. peruv.* vel *apoplect.* vertici, temporibus ac naribus applicantur. v. g.

℞. ▽. Salv. ℥ij.
menthæ ℥j.
spir. lil. conval. ʒiij.
🜍✻. *vel hujus loco*
liq. CC. succin. ʒjß.
laud. op. gr. ij. *vel* iij.
syr. fœnic. ʒiij. ad vj. M. In mulieribus loco *sp. lil. convall. essent. castor.* addenda venit. Exhibeatur cochleatim.

CAP.

CAPUT VII
DE
SPIRITUUM ANIMALIUM NIMIO ET INORDINATO SUBINDE AC VITIOSO MOTU IN PARTES EXTERNAS MOTUI DICATAS INDEQUE ORTA

CONVULSIONE & EPILEPSIA.

D*Ictum fuit superius*, quòd ex inordinato motu systematis spirituum animalium in cerebro sequatur sensuum varia perturbatio, quam vocamus *vertiginem*, quæ ipsa interdum eò procedit, ut etiam concidant ægri, quæ *Vertigo* fit *proximus gradus* ad *Epilepsiam*, ita ut continuato post casum ipso spirituum animalium inordinato motu extra cerebrum ad partes motui destinatas, exinde *convulsiones* & tandem *Epilepsiæ* superveniant.

Motum omnem corporis fieri per fibras, easque per spiritum animalem moveri, concurrente tamen adjumento sanguinis, præsuppono, *seu* fibræ istæ in unum musculi systema coëant, *seu* intertextæ eædem membranosum corpus constituant, *seu* partes istæ fibrosæ ex cerebro nervos accipiant, in *motu voluntario*, *seu* ex cerebello in *motu involuntario* propterea *naturali* vocato. *Quod si igitur præter voluntatis imperium moveantur musculi*, & non absque insigni violentia & adjunctâ plus minus molestia contrahantur & agitentur partes, seu internæ seu externæ, *spasmus* Græcis, Latinis *convulsio* appellatur. *Græcis* σπάσμος dicitur à σπᾶν quod est trahere, propterea, quod quasi summâ vi & insigni violentiâ trahantur partes potius & quasi lacerentur, quàm quod legitimè moveantur.

Convulsio hæc seu spasmus *duplex* est, vel *conductio*, vel *concussio*, id quod communiter explicant per convulsionem & motum convulsivum. *Conductio* est *convulsio tonica*: *Concussio* est *convulsio clonica*, quod significat *inæqualem* membri *motum*, unde vocatur *motus convulsivus* ultro citroque, seu quod idem est, invitam membri contractionem & extensionem, unde σφυγμὸς κλονώδης seu pulsus vibrans, quando scil. arteria quasi in motu retracta vibrando pulsum edit. Τόνος vero est, quod *Celso* vocatur *immobilitas & rigor membri*, quòd membrum conjunctum sit immobile, ita ut *Conductio* seu *Convulsio Tonica* membri contractionem rigidam & in unâ situs figura perma-

mentem innuat: *Concussio* vero sive *Convulsio* innuat variam agitationem, vibrationem, modo extensionem, modo contractionem.

Contractura cognata est *Convulsioni tonicæ* affectio, quâ membrum semel convulsum semper postmodum rigidum manet. *Conductionis species* sunt famosæ illæ tres: *Tetanus*, *Emprosthotonos* & *opisthotonos*; quò & aliæ species pertinent. Nam pertinet huc *Priapismus* & *Satyriasis*: it. *Spasmus Cynicus* cum adjuncto symptomate, quod dicitur *Risus Sardonius*. *Huc pertinet* vitium, quando contrahitur *cachinnus* obrigescens, *ex inepta V.S.* læso nervo. *Pertinet huc* ille *affectus innominatus*, quando *genua rigida* propter contractum nervum ac tendinem, quæ per cavum genu transeunt.

In specie famosi sunt isti 3. affectus: ἐμπροσθότονος est conductio musculorum mastoidæorum. Hinc est, quod mentum pectori affigatur. Contrarium vitium est ὀπισθότονος, conductio musculorum occipitis. His occiput trahitur versus dorsum & posteriora. Τέτανος denique est conductio & anteriorum & posteriorum occipitis musculorum. Hinc enim non possunt caput ad ultimum latus vertere, sed caput rigidum & etiam immobile manet. Sunt tamen qui non solum capitis versus truncum, sed totius trunci tales conductiones sub his nominibus intelligunt. Conf. *Sylvium l.2. c.23. §.19.*

Ad *Emprosthotonon* referendus est casus, quem describit *Hippocrates sect. 4. §.34.* quem *aphorismum* vulgò, sed malè de Angina interpretantur. Comprehendit enim morbum, quem vocamus den Hals umbtrehen / quando tunc musculus mastoidæus convellitur & rigidus manet. Sic enim caput circumducitur, aspera arteria comprimitur, & tales ægri tandem suffocantur.

Quoad *Convulsionem donicam* debet huc referri, quando unum seu plura membra moventur inæqualiter, qualis convulsio est *Epilepsia*. Pertinet huc *cramba*, seu *spasmus flatulentus*, cui inprimis *ebriosi*, item *qui ad arthritidem* inclinant, sunt obnoxii. Dixi quod *ad concussiones* etiam pertineat *Epilepsia*. Est enim revera talis motus convulsivus, in quo membra corporis variè trahuntur, vibrantur & agitantur, sensuum exercitio quocunque utplurimum abolito, cujus sub sua latitudine species tres sunt.

Gradus primus isque abusivè *Epilepsiæ* tributus est, quando ægri subitò concidunt, aut saltim, seu sedeant, seu stent, omnibus sensuum functionibus subitò privantur, & quasi somno altissimo sepulti, citra ullam animalem functionem ita persistunt, utut nullus spasmus sensatus, seu externarum partium

partium convulsio accedat. Licet *si per consensum fiat* partium abdominis, v.g. in *hystericis* aut *spleneticis*, subinde spasmi partium nervosarum concurrant. Hic Epilepsiæ motus potius est proximus ad Epilepsiam gradus, nempe pertinet ad *vertiginem caducam*, quam Epilepsiæ dicimus proximam, cum facilè sibi Epilepsiam veram comitem adsciscat.

Secundus gradus Epilepsiæ est, quando variis motibus & agitationibus corpus percutitur, sensibus quibusvis tam internis quam externis aut integre perstantibus, aut in delirium abreptis, dum interim quoad externas partes convulsi, sub convulsionibus istis saltare, cantare, ridere, lachrymas fundere, hinc inde percurrere, pectus percutere, ridicula narrare solent, & post paroxysmum nunc omnium secum actorum in paroxysmo recordantur, nunc eadem ignorant. Exempla talia stupenda vid. in *Willis de morb. convulsiv. ubi de Epileps. conf.* item *Cranzium, ubi de Purpura p.33. Timæum in Epist. 9. Bartholin. Cent. 2. hist. 90. Salmuth. Cent. 2. hist. 41.* Pertinet huc *Epilepsia cursiva Boetii in aff. omiss. c. 6.* de puero 12. annorum, qui paroxysmo Epileptico vexatus, semper recta percurrebat per ignem & aquam, tamdiu donec obstaculum offendebat, ut longius currere non posset. Vocat ob id *Epilepsiam cursivam*: Similem casum habet *Valentinus Tr. de Convuls.* qui & *Epilepsiam rotatoriam* observavit. Sic *Epilepsia*, in cujus paroxysmo diu & multum ægra *ridet* vid. in *M. A. N. C. Ann. 3. pag. 526.* item Epilepsiæ mirandæ, in quibus sensus omnes & intellectus sunt illæsi vid. in *Fehr. de Scorzoner. p. 96.*

Tertius Gradus est, qui ex utriusque modo dictis est conflatus, ita ut omnis tam sensus quam rationis usus pereat, simulque variis motibus corpus agitetur; dentibus strident, brachia jactitant, pollices arctè in manu claudunt, pedibus tremunt, corpus insigniter attollunt, incurvant, spuma per os rejicitur, lingua morsu læditur. &c. Quibus omnibus successivè remittentibus æger tanquam sopore oppressus jacet, & ad se rediens, nil omnino scit. Saltim de perturbatione capitis & omnium artuum gravi lassitudine conqueritur. *Hic tertius modus est vulgatissimus. Primus* nonnihil *rarus, secundus varissimus*, sed vulgò ignoratur. Idem *gradus secundus* est *terribilissimus*; nam tales subinde *pro obsessis à Dæmone* habentur, nisi Medici scientia innocentiam ægri defendat.

Quoad *differentias convulsionum* & *motuum* convulsivorum *epilepticorum* vulgò dictorum, *conveniunt* quidem in motu involuntario & perquam robusto; *differunt* vero quòd *in Epilepsia* sit interruptus & inordinatus, uti & *in cæteris convulsionibus*; *in convulsione* verò seu concussione

sic

sit continuus. *Illud igitur quod* *subjectum est motus naturalis*, necessario etiam subjectum erit p. n. Cum igitur *fibræ nerveæ* sint *subjectum* omnis motus naturalis in corpore humano, tam voluntarii in musculis, quam non voluntarii in partibus corporis internis membranosis & ubicunque sunt membranæ, ob id necessariò *fibræ* erunt *subjectum commune* convulsionum & Epilepsiarum, *musculi* vero & membranæ *subjectum* erunt *adæquatum* seu *proprium*.

Fibræ nerveæ dico. Nam ipsi *nervi* nil aliud sunt, quam congeries talium fibrarum juxta se situatarum, quæ tunicâ duplici à meningibus cerebri continuata investitæ, corpus nervi constituunt. *Fibræ* igitur & partes per fibras motæ erunt *subjectum convulsionis* & *Epilepsiæ*.

Ex quibus fluit *differentia*, quando *Spasmi* & *Epilepsiæ* dividuntur *in externas & internas*. *Externæ* sunt, quando membra externa afficiuntur, v. g. convulsiones brachiorum, oculorum, pedum, thoracis in asthmate convulsivo, oris &c. *Internæ* vero convulsiones sunt, quando viscera interna membranosa mirè torquentur, uti fit in colicis convulsivis, passionibus hystericis & similibus, dum intestina, mesenterium & annexæ partes convulsionibus affliguntur.

Talis etiam affectus est, quando *in nephritide* convulsus stomachus *vomitus*, & convulsa intestina *tormina colica* in nephritide patiuntur. Quales *convulsiones in hypochondriacis*, ac quod idem est, *hystericis* plures observantur, cum in his subjectis, quàmplura vaga hinc inde observanda symptomata ex talibus spasmis internis oriantur. In specie, quando *plexus nervei*, quales plures sunt in abdomine, speciatim *magnus* iste *in mesenterio* afficiuntur. Cum enim ex his deriventur nervi in varias abdominis partes, facilè totum abdomen affectis his plexibus, aut saltem plures illius partes convelluntur, & cum hi plexus ex *pari vago* oriundi, conjuncti sint *nervis intercostalibus*, ob id sæpius affectis istis plexibus & *pectoris & capitis* partiū *convulsiones* tandem insequuntur, adeò ut istarum partium internæ convulsiones ad cerebrum usque continuatæ, terminentur deinde ex turbato universo spirituum animalium ordine, in convulsiones partium externarum. Quâ ratione *passionibus hystericis* non rarò supervenit epilepsia toties repetens, quoties ad conatum parturiendi se accingiunt. Nam isti *dolores parturientium* nil aliud sunt, quam partium abdominis, in specie uteri, mesenterii, & subinde intestinorum convulsiones. Pertinent huc *tensiones hypochondriacorum* & ubicunque sunt membranosæ partes, si illæ

spasmo

spasmo aut convulsione afficiantur, tendi, indurare, obrigescere & instar membranæ tympani fortius tendi solent ex fibris ex spirituum impetu ita afflictis.

Quoad *diagnosin*: *Convulsiones hujusmodi & epileptici insultus partium externarum* ex motu membrorum facilè patent: *Interna verò cognoscuntur* ex murmurationibus & borborygmis abdominis & subitanea hujus aut contractione aut intumescentia & tensione & duritie ejus, subinde & umbilici interiora versus retractione, ex sensu contorsionis partium internarum, in specie intestinorum, ex dolore lacerante circa lumbos, ubi annexum est mesenterium, supervenit subinde respiratio difficilis, interdum sensus suffocationis, aut quasi laqueus gulæ injiceretur &c. *Subinde externarum partium epilepsia supervenit*, adeò pathemata *hysterica* dicta, *cum epilepsia in radice conspirant*, ut tantum circumstantiis quibusdam varient & omnia antepileptica hystericis prosint; quælibet è contra hysterica epilepticis sunt proficua.

Quoad *causas* præsupposito spiritu animali ex cerebro pro motibus voluntariis, ex cerebello pro motibus involuntariis per nervos distributo, qui fibras ad sui contractionem disponat, seu solitariò hoc faciat, seu adjutus simul copiâ elastica ex sanguine suppeditata, necessariò idem spiritus movebit in contractione fibrarum morbosa, v. g. uti spiritus in nervum brachii influens movet digitum & brachium ex meo arbitrio, ita si fiat punctura nervi & inde convulsio brachii, cum hic motus convulsionis sit idem cum priore contractione voluntaria, differens tantum in eo, quod convulsio invito convulso contingat & non absque violentia insigni, concurrente simul interdum dolore. *Conf. Sylv. l. 2. Prax. c. 23. §. 30.* Hinc sequitur necessariò spiritum animalem, qui secundum arbitrium movet brachium, etiam in brachio convulso ex impetuosiore ejus per irritationem influxu, istius convulsionis brachii causam esse.

Sic idem omninò est, seu *sponte* & per jocum rideo, seu epilepticus insultus cum *risu Sardonio* contingat, eadem est musculorum in utroque risu actio, *idem* motus, ergo etiam *idem* movens, nempe spiritus animalis. *Hæc tantum interest differentia*, quod ut *ordinatè* & placidè moti spiritus, idque dictante prius anima naturali, dant motum naturalem partium & risum naturalem, ita iidem spiritus *inordinatè*, confusè & rapidè in stimulo morboso agitati & quasi cum impetu per nervum in partem explosi, convulsiones & motus convulsivos & v. g. risum convulsivum, inferant. *In epilepsiis tamen habitualibus*, h. e. inveteratis & sæpius levi ex causa recurrentibus, item *hæreditariis* ferè suspicor deviare tum ipsos spiritus animales è naturali sua crasi & constitutione & magis elasticos, faciliùs inordinatè, idque cum impetu mobiles reddi, utut in quo alterata hæc constitutio præcisè consistat, determinari certò nondum queat.

Causa igitur proxima formalis convulsionis & epilepsiæ erit impetuosus, rapidus & maximè violentus spirituum animalium motus; interruptus diversimodè, inordinatus & confusus, in concussionibus & epilepsiis; ordinatus vero & continuus in conductionibus, seu in specie sic dictis cõvulsionibus. *Causa remota seu materialis aut occasionalis* motus istius spiritus animalis, in generali consideratione est duplex: *Prima* est *irritatio quædam in parte sensili ac nervea*, qua occasione spiritus impetuosiùs moti, convulsionem *nunc* leviorem, *nunc* graviorem, *nunc* continuam in convulsione tonica, *nunc* interruptã in clonica seu epilepticis motibus inferunt. *Sic puncto nervo* ob *irritationem* in loco puncturæ, quæ consistit in subtili & celeriore fibrillarum ejus vibratione & agitatione, commoventur simul spiritus per nervũ illum blandè radiantes, quorum motu p.n ad cerebrum usque continuato simul commoventur reliqui spiritus, ita ut hi ipsi aperto quasi tramite cum impetu per ipsum nervum ferantur & ita *convulsionem* fibrarum istarum & musculorum, ad quos terminatur nervus, inducant.

Sic ex irritatione stomachi à medicamento ♁iali fit *vomitus*, ex *irritatione cordis* fit hujus *palpitatio*. Sternutatio, quam tantillum hellebori narium membranæ infixi concitat, quid aliud est, quàm epileptica thoracis *convulsio*, unde & à suppressa gravem epilepsiam ortam refert *Salmuth in observat.* Similiter & in aliis convulsionibus epilepticis tantilium irritans, sæpe remoto in loco, occasionem epilepsiæ suggerit. Conf. hic notab. loc. *in M.A. N.C. Ann. 6. obs. 77. p. 112.*

Secunda causa est aliquid p.n. excrementitium, aut in cerebro hærens quod certis intervallis commotum spirituum motum turbat, *aut ipsis spiritibus ibidem permistum*, eosdem vitiosè agitans. *Uterque modus*, si spiritus in motus perturbatos inordinatos & vagos cogat, non tantum sensuum omnium tam internorum quam externorum, ad quos placidus & moderatus, isque ordinatus spirituum requiritur motus hebetudines, sed etiam ex inordinato motu eorum in partes extra cerebrum tam internas, quam externas, varii motus convulsivi superveniunt. Sic videmus *animi affectus graviores*, v. g. terrores nimios propter inordinatum ac insigniter turbatum spirituum animalium motum *epilepsias subitaneas* non rarò inducere, id quod præsertim in infantibus notum. Conf. *Hochstetter. decad. 4. c. 8. in Schol. Schenk. in observ. Gabelchover. Cent. 4. cur. 59.*

Utriusque causæ remotæ ratione epilepsia est vel *per essentiam*, vel per con-

consensum. ***Priori modo*** epilepsia, quæ oritur, est frequentissimè per consensum, rarò per essentiam, nisi in membranis cerebri aut in ejusdem ventriculis fomes irritationis hæreat, tunc enim ferè per essentiam esse videtur. Ut v. g. quando in contusione cranii occasione festucæ cerebri membrana gravius læsa epilepticis motibus occasionem præbet. *Quæ ex posteriori causa* contingit epilepsia, frequentior est per essentiam, nisi mediante M.S. ex alia parte fomes morbosus instilletur cerebro, ibique spiritus plus minus afficiendo epilepsiam inferat.

Quod si per essentiam sit epilepsia, ferè nulla paroxysmi futuri seu invasuri præcognitio præcedit, sed dictum factum ex improviso motibus convulsivis corripiuntur. *Ubi vero est per consensum*, ibi utplurimum alteratio quædam, dolor aut motus quidam singularis in parte quadam præcedit, cujus occasione postmodum epilepsia supervenire percipitur. *In specie* hoc fit, *quando focus epilepsiæ est in partibus remotioribus.* Ibi enim imminens paroxysmus ferè cognoscitur, vix mota quasi aura, qua sursum adscendente epilepsiam in promtu esse facilè patet.

In epilepsia per essentiam capitis affecti *signa* adsunt, torpor quidam in functionibus animalibus internis, aut saltim quædam depravatio adest: Interdum graviori in malo fatuitas sequitur, & præcesserunt ferè *causæ externæ*, quæ cerebrum aut partes capitis lædere potuerunt. Imprimis ☽. motibus auscultat epilepsia quævis, magis tamen ea, quæ est per essentiam, uti etiam ista, quæ est per consensum, sed diutius duravit.

Quoad epilepsiam & motus convulsivos, qui fiunt ex irritatione, seu per essentiam seu per consensum, plur es hujus observantur *modi.* Sic enim *post cerebrum vulneratum* & non ritè sanatum, propter fermentum acre relictum, item *post casum ab alto*, ubi sanguis sub cranio putredine corrumpi incipit, & plus minus acescere, epilepsia oritur. Superiori anno cum quidam gravi vulnere læderetur in latere capitis dextro, quod os bregmatis penetraverat cum meningibus & cerebro, observavi paucis post diebus supervenisse convulsionem, sed levem lateris læsi seu vulnerati: Econtra perfectam paralysin ac resolutionem totius lateris sani. Sed cum paroxysmi epileptici subinde supervenerint, utrumque latus, ejusque partes promiscuè convellebantur. Sed extra talem paroxysmum paralysi pars sana, spasmo pars ægra laborabat. *Lympha vitiosa & acrior* in cerebri ventriculis collecta *irritando* horum membranas, piæ matris propagines, epilepsiam infert, *vid. Schneid ubi de catarrhis l.2 p.103. Conf. Borell. Cent. 2. obs. 78. Ex vitio stomachi* frequens est epilepsia. Item *lumbrici* in infantibus creberrimè epilepsias inferunt. *Retenta corrupta*, in specie suppressa excretio &

& inde nata acrimonia irritando partes circa genitalia sensilem per consensum epilepsiam infert, v. g. *Forestus l.* 20. *obs.* 115. observavit convulsionem *ex utero* totius corporis, *ob seminis corruptionem*; nil proficientibus remediis aliis, facta titillatione per mulierem in genitalibus cum ol. liliaceo, cui zibethum immixtum erat, illicò sanata est. Sic *Hildanus Cent.* 6. *obs.* 25. refert mulierem *epilepticam ex utero* cum convulsionibus ad eum modum, quo cum viro coire consueverat, à viro longè antea absente per coitum mox curata, neque amplius, cum Medico conjugali vivens, convulsionibus correpta. *Ex ulcere in crure* sanato epilepsia, quo rursus aperto ea cessavit vid. in *Amat. Cent.* 2. *hist.* 6. It. *ab occluso ulcere in crure*, ex quo ascendens aura epilepsiam infert *vid. in Barthol. Cent.* 3. *hist.* 20. *Horst. l.* 2. *obs.* 10. *Hildan. Cent.* 2. *obs.* 10. *Variolæ & morbilli* ante sui eruptionem, vel etiam post non sufficientem excretionem familiarissimè epilepsiam inferunt. Sic *melancholia* subinde in epilepsiam abit vid. *Salmuth Cent.* 2. *obs.* 42. Sicuti è contra *epilepsia* subinde *in melancholiam* transit. *Colica* non rara est, nempe *convulsiva* ista, quæ epilepsiam infert, non secus ac *purgantia acriora, helleborina* ac similia notoriè convulsiones inducunt. *Nixu pariendi* in dispositis epilepsiam excitari supra insinuatum est. *Arthritis* desinens in epilepsiam terminabatur, quæ cessavit revertente arthritide autore *Riverio Cent.* 3. *observ.* 85. Præ cæteris *scorbutici* & *hypochondriaci* creberrimè affectibus spasmodicis motibusque convulsivis & epilepticis variis observantur obnoxii.

Locus ubi hæret fomes morbi, seu ubi fit ista irritatio, est varius, nunc *internus*, nunc *externus*.

Internus, ut mesenterium, genitalia, lien, quorum plura hinc inde observantur exempla. In specie ex liene epilepsia vid. in *Schenck. obs. Tulp. l.* 1. *cap.* 9. *Horst. in observ. &c.* Subinde etiam ex partibus *externis*, longè à capite remotis per irritationem concitata epilepsia. Sic *Henr. ab Heer obs.* 24. refert Epilepsiam ex subitâ animi consternatione & terrore ob sollicitudinem stupri, in cujus paroxysmo ægra continuò fricabat *pollices pedis*; facto cauterio in iis cum butyro ℥ ij sanata. Pariter *Borellus* refert *epilepsiam ex pollice* ortam per cauterium ibid. applicatum curatam *Cent.* 2 *obs.* 95. *Salmuth Cent.* 1. *obs* 90. habet epilepsiam concitatam per auram ab extremis adscendentem, per ligaturas partibus istis injectas præservatam. *Lindanus* refert de juvene, qui habuit cariem ossis *in pollice pedis*, ex quo sensit surgere auram quandam epilepsiæ prodromum. Poterat præsagire paroxysmum, & quamprimum in pede sentiebat morsiunculas istas, statim fasciis cruralibus, quas ex fune confecerat, arctissimè constringebat, & si hoc faceret, impediebat paroxysmum; si non faceret, statim corripiebatur. Semper, dicit *Lindanus*, quæsivi ex eo, an sentiat aliquid in capite,

pite,

pite, qui respondebat, se nil in capite, nisi vertiginem quandam sentire. *Bartholinus Cent.* 1.*obs.* 82. refert epilepsiam singulis noviluniis cum tumore digiti pedum minimi recurrentem, cauterio isti inflictô curatum. Tandem notabilis est observatio 25. *Cent.* 6. *Hildani* de muliere epileptica ex aura quadam è sinistræ manus *medio digito* adscendente reddita. Paroxysmus quotidie redibat, de summo digiti dolore quæritabat: Tum manus contrahitur, brachium convellitur, & tandem motu convulsivo totum corpus percutitur. Cùm nullis uti vellet medicamentis, factâ circa carpum & brachii partem musculosam ligaturâ ex corio humano, evanuere omnes insultus. Aura hæc assurgens, non nisi sensus fallacia est. Nec enim movens adest, quod auram istam propellere, nec spatium, per quod moveri aura ista queat, sed potius, dum in loco irritationis ex aucto & simul inordinato spirituum ad locum irritationis motu, in isto loco sensim inchoat convulsio: *Primò est tantum fibrarum levior contractura,* quæ ob continuatum spirituum impetum sensim continuata *successivè secundum nervi distributionem sursum continuando pergit,* donec ad principium nervorum usque continuato istô convulsionis motu, spiritus animales ibid. violentius agitati, facto quasi agmine & impetu per plures nervos vicinos erumpere incipiant. Unde ex inordinato isto motu intra cerebrum non tantum omnium sensuum perturbatio, sed etiam ex simili depravato motu in partes externas, etiam convulsiones superveniunt. *Dum vero inchoatus spasmus* seu convulsio secundum nervi ductum, ex spiritibus propter irritationem impetuosius irruentibus, sed ex parte simul nonnihil resilientibus sursum pergit, imaginantur ægri, præsertim cum *formicationis* quidam sensus interdum superveniat, quod materia quædam subtilis tanquam *aura* quædam ex uno vel altero membro ita sursum repat, & in cerebro consequenter epilepsiam inferat. Juvat autem *ligatura* supra partem primario dolentem injecta, quoniam ligatura tali mediante pars inferior quasi stupida, indeque minus sensilis & irritabilis redditur, unde & irritationis sensus & spirituum impetus & fibrarum contractura impediuntur.

Istud, quod ita irritat & occasionaliter epilepsiam infert, præter *objectum auctum* nervos afficiens, ut sunt *festuca cranii*, ex *causis internis* est inprimis *acidum* nervis inimicissimum, & quod vellicando eos aut partes cognatas, hujusmodi mala infert. *Locus irritationis* & ubi spicula sua exserit acidum, est inprimis *triplex* & nunc 1. *Circa principium.* 2. Nunc *circa medium*, præsertim circa plexus. 3. Nunc *circa insertionem* ejusdem *nervi* contingit. *Ad principium nervi* etiam cerebrum & cerebellum itemque medulla spinalis, unde oriuntur nervi, pertinent.

Quoad epilepsiam modosque convulsionis natam ex vitio cerebri & spirituum animalium ipsorum, *aliquid heterogeneum vitiosum cerebro cum sanguine instillatum*, spir: vitiosè movens hîc considerandum; *vel aliquid p. n. ipsis spiritibus permistum*, quod quibusvis occasionibus, seu immediatè, vel mediante spirituum agmine paulò vehementius commoto, v. g. in animi affectibus excitatum motus spirituum inordinatè turbando & agitando paroxysmos infert. *Quicquid horum sit*, sedulò habenda est ratio *hujus epilepsiæ*, etiam non adeò raræ. Nempe pertinet huc *epilepsia hæreditaria*. Nam utut hæc ipsa radicem possit habere etiam in quodam abdominis viscere, nihilominus tamen certo spitituum vitiosè constitutorum & in crasi suâ deficientium, simul videtur subesse erratum. Pertinent huc *huc fumi ♃ales*, ex quib⁹ per nares attractis convulsiones obortas notat *Salmuth Cent. 3. hist. 39.* Ut nil dicamus de *miasmatibus* minimis *☿ialibus*, quocunque modo cerebro communicatis, ad epilepsiam disponentibus, ut quando ex *unguento ☿iali* contra tineam applicato epilepsia oritur, autore *Timæo in Resp. p. 106.* Nam potius ex irritatione ab acrimoniâ ☿ialium particularum hæc nata videtur. Potius huc pertinent *febres malignæ*, aut etiam *benignæ continuæ* malè judicatæ, quæ occupando cerebrum ibique spiritus animales turbando, præter deliria, *convulsiones epilepticas* ordinariò inferunt, quas tractio & *subsultus*, aut quædam *vibratio tendinum* circa carpum imminentes innuunt. Pertinet huc *epilepsia* lethalis *post aurium dolorem*, discussa, sed non suppurata materia, quam refert *Horstius in obs. l. 2. obs. 21.* Item quando *ex suppressa hæmorrhagiâ narium* paralysis lateris dextri, & ab hac sanata epilepsia nata fuit, autore *Bartholin. Cent. 4. hist. 69.* *Ex suppressa* quoque *urina*, renum vitio, supervenire epilepsiam, urinario sero cerebrum inundante, non rarum est. *Suppressi consueti sanguinis effluxus* v. g. hæmorrhoidum, mensium, subinde epilepsiam inferunt, cerebri ac spirituum alteratorum vitio. Quò etiam facit incipiens *gravidatio*, cujus occasione quædam epilepsiæ fiunt. Denique *apoplexia* interdum in Epilepsiam transit & contra. vide *M. N. N. C. Ann. 6. p. 311.*

Inter pathemata, quæ epilepticos vexant, non ultimum est *stridor dentium*, maxillarum vehementissima constrictio, idque ex convulsivo impetu. Sed *dentium constrictio*, quod probè notandum extra epilepsiam interdum observabilis, ex paralysi aliquando musculorum maxillam inferiorem deorsum trahentium, non semper ex convulsione est. Conf. *Thyrmayer Consf. l. 2. p. 174.* it. *spuma*, quæ ante os epilepticorum interdum conspicitur. Hæc saliva est rarefacta ab aëre dum constrictis & coangustatis spasmo plus minus faucibus, saliva plus minus copiosè expressâ, ab aëre per illas angustias vi exploso agitata, in

talem spumosam texturam abit. Hinc etiam *ex naribus* interdum *materia* talis excerni solet. Conf. *Pechlin. in Tr. de aëris & alimenti defectu.*

Quoad differentias Epilepsiæ, hæc est vel *universalis*, vel *particularis*, quando unum alterumve membrum, aut aliquot saltem partes corporis epilepticis convulsionibus vexantur. Vid. *Sennert. Instit. l. 2. p. 3. sect. 1. cap. 9. de Epilepsia*, ubi curiosa *Epilepsiæ particularis* recensentur exempla.

Quoad prognosin: Vertigo citra manifestam causam juniores frequentius aut fortius affligens *Epilepsiæ est prodromus.* Item *Ephialtis* crebrior sub somnum invasio signum est imminentis Epilepsiæ testibus ferè omnibus Practicis. Ipsi Epilepsiæ obnoxiis, *quando splendores aut coruscationes oculis observari videntur*, item varii *colores*, paroxysmi imminentis sunt prænuntii. Conf. *Bartholin. Cent. 3. Histor. 45.* Item *M. A. N. C. Ann. 2. p. 170. Convulsio*, quæ fit *ex consensu* minus periculosa est, faciliusque curatur quam ea, quæ est ex cerebro *per essentiam. In febb. malignis* supervenientes convulsiones sæpius mortem portendunt. *Si toto corpore à convulsionibus immuni* aut labrum convellatur, aut palpebra aut lingua, pravum symptoma putandum. Nam aut mors portenditur, aut epileptica convulsio. *Epilepsia hæreditaria* vel nunquam vel rarissimè curatur. *Epilepsia ante pubertatem* eveniens curabilis est: Post annum vero 25. ferè usque ad mortem durat *Hipp. sect. 5. §. 70.* quod tamen utplurimum verum est, cùm *Rhodius in suis observat.* aliquot exempla contraria adducat. *Epilepsiâ laborantes juniores* cùm ætatis mutatio, tum loci & victus liberat *Hipp. Sect. 2. §. 45.* nempe *in pueris* pubertatis mutatio ac Venus, *in puellis* vero menstruorum initium morbum hujusmodi tollere solet. Conf. *Forest. l. 10. obs. 35. in schol.* In paroxysmo epileptico si ad usum *sternutatoriorum* non sternutet æger malum indicium est, argumento naturam succumbere ac nimis prostratam esse. *Si mulierem utero gerentem* fortis Epilepsia invadat, magnum periculum minatur, saltim periculum abortus imminet, id quod tamen non semper absolutè verum deprehenditur, siquidem *Rhodius Cent 1. obs. 60.* refert matronam prægnantem, quæ dum utero gereret, post 6. 7ve menses epilepticis insultibus affligebatur, partum vero enixa, optimè convaluit. Sic etiam *Schenckius in obs.* non omnes prægnantes epilepticas abortum pati annotavit. *A copiosis sanguinis fluxu* singultus aut convulsio mala *Hippocrat. Sect. 8. §. 3.* Ab hypercatharsi convulsio aut singultus malum *Sect. 5. §. 40.* Convulsio ab helleboro lethalis *Sect 5. §. 1.* Convulsio à medicamenti purgantis assumptione mortifera *Sect. 7. aph. 25.* Ab ileo vomitus, singultus, convulsio aut delirium, malum *Sect. 7. § 10.* In acutis febb. convulsio & circa viscera dolores vehementes, malum *Sect. 4. §. 46.* Convulsiones, quæ graves phrenitides sequuntur,

tur, lethales sunt. A vigiliis convulsio aut desipientia malum *Sect.* 7. §. 18. Febrim convulsioni supervenire melius est, quàm febri convulsionem *Sect.* 2. §. 37. Et spasmo aut tetano si febris accesserit, morbum solvit *Sect.* 4. §. 57. *Conf. Tulpius l.* 3. *obs.* 42. Quartanâ correpti non admodum convulsionem patiuntur: Si vero prius tentati sint, superveniente quartanâ liberantur *Sect.* 5. §. 70. Exemplum quartanæ solventis epilepsiam vid. *in Salmuth Cent.* 2. *hist.* 84.

Quoad CURAM, hæc instituenda venit tam *extra paroxysmum* PRÆSERVATORIA, quàm *in paroxysmo* CURATORIA.

Quoad PRÆSERVATORIAM, ante omnia attendendum ut *causa remota materialis removeatur* aut corrigatur, seu per essentiam, seu per consensum fuerint convulsiones. Hinc spirituum crasis *aromaticis* ac *volatilibus* commodè, perversus verò mot⁹ *anodynis* corrigendus In specie *considerandum an convulsiones* & epilepsiæ sint *affectus primarius* & per se morbum constituant, adeoq; plus minus *habituales* sint, *an vero saltim affectus sint secundarius*, & symptomatis rationem habeant, adeoque *accidentales*. Hinc considerandum *an per consensum* saltim, *an vero per essentiam* ortum traxerint. *An causa remota externa* vel *interna* fuerit, an *sedes fomitis* sit *intra corpus*, an vero *extra corpus*, in membro quodam particulari. Pro quibus omnibus circumstantiis omnino varianda venit cura, dum *alia* ratio Epilepsiæ in febb. malignis, *alia* ècontra, quæ ex scorbuto, *alia* quæ ex utero, *alia* quæ ex membro particulari.

Observandum igitur I. Cùm *Epilepsia & convulsiones, quæ in specie ut morbi curantur*, adeoque *chronici* sunt, & in genere ferè ex hypochondriaco aut scorbutico malo fluunt, utut ab hoc minùs affligi videantur ægri, originem ducant ab acido vitioso, eoque plus minus volatili, & hujus incunabula ferè semper in aut circa primas vias lateant, ob id in genere acidi destruendi, & primarum viarum evacuandarum habenda est ratio. *Pertinent huc* nempe varia tentamina curandorum epilepticorum, v. g. per *acidulas*. Conf. *River. prax. c.* 7. aliaque *c*[?]*ialia*. Sic *Henr. ab Heer obs.* 1. Epilepsiam cum Opisthotono gravissimo, cujus paroxysmos præcedebant oscitationes & pandiculationes cum cordis angustia quarta vel quinta die recurrentes, per *fontes spadanos* curatam refert. Pertinet huc *cura Epilepsiæ* per annum durantis per *decoctum saponis Hispanici in lacte vaccino* assumtum. Vid. *Barbette prax. ubi de Epilepsia.* Item *M. A. N. C. Ann.* 1. *obs.* 95. & quando *marina, testacea, ossea*, ut *unicornu verum, crystallus* & similia pro cura Epilepsiæ laudantur, quæ non nisi absorbendo acidum operari possunt. Sic *Barbette Cent.* 3. *obs.* 34. refert epilepsiam, in cujus paroxysmo corpus instar dolii intumescebat, per θ. *absinth. corall. & perlarum* curatam.

II. *Quodsi in membro quodam particulari* eoque in specie *externo radix mali*

mali fuerit, uti *ligatura* fortis desuper injecta paroxysmum imminentem cohibet, inustus vero *fonticulus* aut applicatum *cauterium* fermentum irritans evacuando morbum tollit, secundum exempla supra allegata: Ita ad hujus imitationem similia *auxilia Chirurgica*, *setacea*, *fonticuli*, *vesicatoria & cranii apertiones*, juvare observantur, ad naturæ nempe imitationem, quæ referente *Tulpio l.* 1. *c.* 8. duo infantes per ulcera capitis spontanea ab Epilepsia curavit, qui citatô loco refert, Epilepsiam spontè à natura per lenem in fauces influxionem curatam, in *Hild. Cent.* 1. *obs.* 41. Sicuti ex scabie retropulsa aut similibus occasionibus nata Epilepsia per *vesicatoria* curanda venit, teste *Hildano Cent.* 3. *obs.* 10. Imò *cranii apertio* interdum proficua observatur, nempe ut refert *Schenck. in obs.* quidam vulneribus capiti inflictis ab antiqua epilepsia fuerunt curati. Item *Rhodius Cent.* 1. *obs.* 66. refert, epilepticum juvenem ob lapsum à scalis apertione cranii curatum, Sic quando ex calvaria, ex lue ♀ea cariosa facta oriatur epilepsia, præsertim mediante *ustione* eradicanda venit. *Vide Schenck. l.* 6. *obs.* Hæc ipsa pariter ad *fonticulos* quoque, item ad *vesicatoria* certis locis admovenda accommodari possunt. Nam *Panarolus Pentec.* 4. *obs.* 30. narrat puerum epilepticum, aphonum, stolidum, *vesicatorio* in sutura coronali sanatum.

III. Observandum: *Quod si ex fomite in humoribus à nativa crasi degenerantibus*, non adeò exactè à priori cognito oriantur convulsiones, pro istis emendandis *diætæ sudoriferæ ex decoctis lignorum* observantur proficuæ. *Vid. Senn. lib.* [illegible] *prax. ubi de epileps.* item *Höfer. Hercul. Med. p.* 10. Commodè his *decoctis lignorum*, *viscus corylinus*, *quercinus*, *tiliaceus*, ac similes tanquam appropriati addi possunt. Sic de *ligni guajaci* usu in epilepsia, conf. *Scholz. cons.* 40. & 41. *Thonerus* Epilepsiam à colica per *decoctum lignorum* curavit *l.* 2. *obs. p.* 92. Non secus ac *Schenck. in obs.* vertiginem difficilem per *decoctum lignorum* cum appropriatis curatam refert, Sed bene prius præmissa debent esse *universalia* ac *primas vias evacuantia*. Certè continuato usu & evocato pro virium ratione *sudore* multum valent in quibusvis affectibus chronicis *decocta* ista *lignorum* diaphoretica. Alterant simul humorum dyscrasiam & successivè vitiosum quod est, evacuant, id quod vel lues ♀ea persuadet, continuato talium *decoctorum* usu curabilis.

IV. Observandum, *quod si cum Epilepsia juncta sit sanguinis consueti suppressio*, vel hujus occasione excitatur plus minus epilepsia, *Venæsectio* aut alia quævis sanguinis missio erit proficua locis in variis, pro circumstantiarum varietate. Sic enim Epilepsiam *apertis hæmorrhoidibus* curatam refert *Rhodius*

Cent. 1. *obs.* 61. Idem *obs.* 64. epilepsiam in puero octenni ob sanguinis abundantiam venæsectione curatam refert. Item *Zacut. Lusit. lib.* 1. *prax. adm. obs.* 26. refert epilepsiam sævam post partum *hirudinibus* internæ uteri parti applicatis curatam. *Idem obs.* 27. gravidam septimo mense epilepticam V. S. in talo tutò curatam memorat. Item gravida nonimestris ex suppressione hæmorrhoidum epileptica, *sectis in talo venis & hirudinibus* ano applicatis curata fuit *obs.* 28. Inprimis notabile videtur, quod idem *Zacutus Lusit. lib.* 1. *Med. Princ. Hist.* 26. notat, gravidas epilepsiâ ab utero correptas, *sectâ* in brachio *venâ*, periisse, in talo vero non.

V. *Observandum* quod appropriata epileptica, in specie, ubi *Epilepsia* est *per essentiam*, aut si per *consensum* sit, sed ejus fomes in partibus internis hæreat, non prius conveniant, nisi præmissa fuerint *universalia*, & quidem si *vomitus* necessarius videatur, id quod fit, si fomes mali hæreat in primis viis, ubi ☿*alia* inprimis conducunt; sicut inter *purgantia* additus ☿*ius dulcis* primatum obtinet. Hinc *pulv. panchymagog. mineralis Hartm. ex* ☿ *dulc. &* ☿ *o vitæ* est proficuus, vel ad imitationem Riverii

℞. ☿. dulc ℈j.
scamm. sulphurat. gr. iv. l. v. M. pro dosi, ex quibus cum *conserv. fl. anthos* etiam *bolus* parari potest. Hujusmodi *purgantia* vel propriè talia vel etiam saltim *laxativa* usualia, convenienter ante novi- vel plenilunia usurpari possunt. Sicuti etiam aliàs *appropriata Epilepsiæ remedia* sub ☽æ mutationibus, præsertim ante novi- aut plenilunia usurpanda jubent Practici.

VI. Observandum: *Opiata* magna solent esse remedia epilepsiæ, dicit *Fonsec. l.* 2. *cons.* 80. Nam ferociores motus spirituum compescunt, eorumque motus inordinatos indeque sensuum perturbationes tollunt. Hinc ad præcavendum paroxysmum epilepticum tam, idque primario, *epilepsiæ internæ*, quam *externæ* mirè conveniunt appropriatis mista opiata. Qua ratione *pilulæ ex laud. opiato* cum *ol. camphoræ* paratæ ad imit. *Hartm. in prax. Chym. ubi de epilepsia*, sunt egregiæ. *Opium* enim ac *camphora* ad Epilepsiam quasi specifica sunt. *Externè* vero *oleô buxi* propter vim anodynam (cui alia *anodyna* vel *narcotica* substitui possunt) inungenda sunt tempora, nares & pulsus, ut *Fonseca* monet. Sed abstineamus ab his narcoticis, ante præmissa *universalia*. Deinde non tam *ad curationem* crebriùs, sed saltim ad *præservationem* aut atrocioris paroxysmi mitigationem, adeoque rariùs usurpentur, quia epilepsias diuturnas subinde fatuitas supervenire solet & periculum est, ne *opiatorum* abusu hæc ipsa magis promoveatur.

Appro-

Appropriata talia **epileptica** sunt equidem tantum non innumerabilia, *selectiora* tamen sunt ex regno animali, *partes animalium ossea* & *cornea*, in specie *cranium humanum*, *unicornu verum* & *dens Hippopotami*, *stercus pavonis*, cujus loco epilepticis quidam magis commendant *stercus leonis*, *castoreum*, ex his parata *θia volatilia*, *liquor CC. succin. spiritus sanguinis humani*, *secundinæ humanæ*. Ex regno vegetabili eminent *visci*, *quercinus*, *tiliaceus*, & speciatim *corylinus*, *lilia convall. pœonia*, *opium*, *camphora*. Ex regno minerali *cinnabaris nativa*, vel ☿*ii* & alia *sulphurea* ☿ *alia fixa*. Item *sulphur. vitrioli* tam *fixum*, quam in *spiritu volatili*, v. g. in *spiritu vitrioli epilept.* vel etiam in *spiritu volat. vitrioli antepileptic. Hartm. Succinum* ejusque θ, *volatil.* & *oleum*, *crystallus*.

In specie quoad **regnum animale** imprimis *remedia ab homine desumta* sunt egregia, quæ inter eminet *sanguis humanus*, & ex hoc parata *spir. θ. volatil.* & *oleum* specifica sunt hæc remedia, inprimis *spirit. sanguin. humani* cum θ. *volatil.* acuatus, qui etiam ad epilepsiam hæreditariam laudatur ab *Helmont*. Sed observandum secundum *Lindanum*, *sanguinem humanum* debere colligi ex homine recens decollatô, qui in vase vitreo cum spir. vin. digeratur & hinc lege artis θ. *volat. spirit.* & *oleum* exinde præparanda. *B. D. Michael* sanguinem exinde collectum & congrumatum decantato sero deponebat, donec situm contraheret: Sic enim copiosiorem *spiritum* ac θ. *volatile* elicit. Post *sanguinem* est imprimis *secundina humana*, ex qua putrefacta *spir. tus* pro affectibus mulierum polychrestus, præsertim contra epilepsiam paratur Dos. ʒß. sicut & *pulv.* ex eadem exsiccata paratur Dos. ʒß. ☽a inprimis decrescente propinanda. *Cranium humanum* ex homine violenta morte intercempto, desumtum, tam *rasura* ejus *pulverisata* & *præparata*, quam *sine △. calcinatum* à ʒj. ad ʒij. propinatum. *Os triquetrum* ex concursu suturæ sagittalis & lambdoideæ, quod juxta *Paracelsum*, in Epilepticis reperitur illudque in Epileptico Parricidâ Giessæ decollato & Anatomiæ subjecto vidit *Valentinus locô supra citato*. It. *olea* egregia sunt, *oleum destillat. ejus rectificatum* vertici inunctum præsens dicitur remedium ad arcendum paroxysmum epilepticum.

Succinum permistum cum *cranio humano* & sublimata invicem, suggerunt *spiritum* & *oleum* antepileptica excellentia. Si fœtor est inimicus, olea circulanda veniunt cum spiritu vini, hinc aliquoties à calcinatis rectificanda. Juxta *cranium*, *cerebrum* est egregium antepilepticum, cujus *spiritus* & *oleum* ad imitat. *Hartmann.* præparata sunt egregia antepileptica. Hæc ipsa pariter & multò magis de *usnea cranii humani* intelligenda sunt, in qua confermentata est mumia capitis microcosmici, egregia contra epilepsium. Quin & *ossa huma-*

na reliqua ex homine violenter occiso desumpta ad affectus convulsivos sunt egregia. Juxta hæc *dens Hippopotami* est singulare specificum in convulsione quacunque *Philosophicè præparatus.* Fiunt ex hoc *dente annuli*, qui membro convulso inserti, aut pedum digitis in spasmo flatulento applicati sunt optimi. *Castoreum* excellens antepilepticum, in specie, si ad imitat. *Barbette* infundatur cum θ. *volatil. in spir. vin.* vid *prax. c.* 1. vel *castoreum cum spir.* θ✱*ci vinosi in essentiam* extrahatur, imprimis convenientem in convulsivis motibus partium internarum, hystericis, colicis & similibus. Sicut etiam in quacunque partium convulsione tonicâ ab omnibus autoribus commendatur externe usurpatum. Quæ supra dicta sunt de *stercore pavonis* circa vertiginem, eadem quoque de Epilepsia intelligenda sunt. Vid. *Borell. Cent.* 3. *obs.* 15. De *Alce* ejusque *ungula*, de *hirundinibus* nil dico, cum hæc per se notissima sint. De his & similibus ex *animali regno* antepilepticis remediis judicium vide in *Ludovici Pharmaciâ pag.* 939.

Quoad *regnum vegetabile*, inprimis hic se offert *Pæonia mas* debito tempore collecta, jam â *Galeni* tempore commendata, tam *radicis pulvis*, quàm *grana* seu *sem. nigra pæoniæ* interno usu laudata. Sicuti etiam tanquam amuletum *radix* hæc appensa, mirè ad præcavendam epilepsiam laudatur, de quô vid. *Forestum lib.* 10 *obs.* 59. *Bartholinum Cent.* 4. *hist.* 69. Item *observat. communicat. River.* Quoad tempus collectionis incerti sunt Autores. Optimum videtur, ut colligatur ☉e in ♌nem ingrediente, tempore meridiei. Amicus retulit se aliquoties *radice maris pæoniæ* effossâ die Julii 12/22. intra horam 11. & 12. amuleti instar appensa aliquoties curasse epilepsiam, tunc nempe temporis ordinario ☉ ♌m ingreditur. Conf. M. A. N. C. *Ann.* 6. *Append. p* 63. *Lilium convall.* ejusque spiritus perquam egregius est ad epilepsiam. Jubet autem *Lindanus* recipere hujus *flores* bene maturos, ante ☉is ortum, quando rore majali adhuc madent, cum in hoc rore singularis vis lateat. Hinc protinus atque collecti fuerint, abscindendi â suis pediculis & immittendi in lagenam, quæ bene claudatur, deinde ita destillentur, & qui ex una parte *florum* destillat spir. iterum novis *floribus* infundatur & destilletur. Hoc sæpius repeti debet, & egregium habebitis spiritum antepilepticum. *Viscus quercinus*, hinc tiliaceus & qui omniũ optimus est *corylinus*, nobilissima sunt remedia contra epilepsiam contumacem, seu habitualem inveteratam, præmissis præmittendis præsertim vomitoriis multum conferunt, Dos. ʒß. Sed observandum hujusmodi *viscos* repetito usu figere & concentrare fermentum epilepticum in sua quasi minera, unde facile fieri potest, ut alii morbi, præsertim febres acutæ exinde superveniant, quippe post eorum usum subjungenda sunt subinde purgantia, ne quid remaneat, quòd alios morbos inferre queat. *Viscus*

tilia-

tiliaceus in memoriam revocat curam epilepsiæ *per acidulas vegetabiles ex tilia*, de quâ vid. *M. A. N. C. Ann. 6. Append. p 52. Viscus corylinus* iste Martio tempore collectus decrescente ☽. amuleti instar contra epilepsiam laudatur. Multa in *corylo* latent, unde etiam *oleum* famosum *heraclinum Rulandi* ex hoc ipso distillandum. Nihilominus vix cedit corylo *lignum buxi*, adeò ut *oleum buxi* habeatur succedaneum *olei heraclini*, quod etiam in defectu ejus commodè substitui potest, si ad gut. 10 in aq. flor. tiliæ ad aliquot dies propinetur. De *sulphure vegetabili* ex *lycopodio* seu *musco terrestri clavellato* nobile est antepilepticum, præsertim pro infantibus; nobilius tamen est *sulphur* simile *ex julis coryli. Carbo artemisiæ rubræ* ipso Johannis die sub *artemisiâ* effossus mirè in epilepsia valet, uti per experientiam probat *Petræus Diss. Harmonic. l. 1. p. 83.* Novi mulierem, quæ hujusmodi *carbonibus* curavit aliquot pueros epilepticos, sed fraudem detexit *Deckerus in comment. Barbette Prax. ubi de epilepsia.* De *floribus tiliæ* res nota est, quod sint optimum ad epilepsiam remedium, unde ▽æ *spirituosæ* prosunt, in vulgatissimo usu. Hæc sunt primaria *ex regno vegetabili*, quibus subinde addam & alia remedia *cephalica* plus minus *aromatica*, unde multiformes *compositiones*, ut ▽ *epilept. Langii, Dorncrellii &c.* Exempli loco sit sequens compositio:

℞ Fol. & flor. salviæ ℥vj.
fl. liliorum convall. ℥iij.
lavend. odorat. ℥ij.
rad. pœon. ver. ℥iij.
fol. & flor. majoran. ℥j.
cinamom. elect. ℥vj.
caryoph. ℥iij.
macis ℥ij.

infund. cum vin. Rhen. opt. ℔ xiv. macerentur per 14. dies, hinc destillentur. Potest parari cum & sine *castoreo*, item post rectificationem potest addi q. s. de *spir. b✱ci*, vel simili volatili, ut fiat remedium eò generosius.

Quoad *regnum minerale*, primatum obtinent *sulphura* ♁*ii fixa* præ aliis decantata, quippe quæ de natura ☉*ri* participant. Eminet *hic cinnabaris* ♁*ii*, econtra hujus defectu *cinnabaris nativa* selectior, quæ vocari solet magnes epilepsiæ propter insignes virtutes antepilepticas. Pertinet huc *sulphur subtilius* & fixius ex *scoriis reguli* ♁*ii* ultimò artificiosè præcipitatum, quod egregias habet virtutes anodyno epilepticas. Juxta *fixa* ♁*ialia*, *vitriolum* optimum est remedium ad curam epilepsiæ, imprimis autore *Paracelso*, qui *spiritum vitrioli volatilem* ceu appropriatum contra epilepsiam remedium commendat. Ex hoc *spiritu vitrioli volatili*, *spir. tartari volatili* & *spiritu theriacali camphorato* paratur aliâs à *Paracelso specificum in peracutis*, communiter *mistura simplex*, sed non vul-

vulgaris ista, *spiritibus* nullius pretii adulterata. Pro *spiritu vitrioli veri & simplicis* substitui possunt *volatilisationes vitrioli* beneficio *urinæ humanæ*, aut beneficio *spirituum volatilium vegetabilium*. Quoad *urinam humanam*, notus est *spiritus vitrioli volatilis, antepilepticam Hartmanni* seu potius *Quercetani*. Nempe *caput mortuũ vitrioli* per regenerationem denuò impraegnatũ & imbibitũ ita ad consistentiam pultis destilletur per retortam in △e aperto, quod prodit, digeratur aliquamdiu in loco calido, seu *rectificetur* per *alembicum* in *arena* & prodit *spiritus volatilis striatus* nonnihil nebulosus, quẽ insequuntur guttæ, quibus apparentibus mutetur recipiens, ut 🜄 seorsum separetur, dum nebulæ postmodum denuò surgunt & sapor acidulus se manifestat prius receptaculum cum *spiritu volatili* denuò apponatur & ita volatilisatio continuetur, donec nil amplius prodit, spiritus vero in receptaculo sub nomine *spiritus epileptici* vel *cephalici* asservetur. Supersunt *succinum* egregium antepilepticum & convulsionis remedium, cujus ϑ *volatile* admodum potens in curandis convulsionibus, febribus malignis in specie supervenientibus. Hinc *liquor CC. succinatus*, aut ϑ *volatile succini* eadem methodo cum *spiritu sanguinis humani* mistum, sunt compositiones egregiæ antepilepticæ, quibus interdum *camphora* additur, quæ figit quodammodo spiritus animales & ad motum naturalem reducit eosdem. Unde & *camphora* vim somniferam obtinet. *Crystallus* denique *montanus præparatus* in epilepsia per consensum abdominis, ubi opus est forti penetrantioris acidi absorptione multum præstat.

Ex modò *recensitis simplicibus* plures & tantum non innumeræ fieri possunt compositiones & *formulæ, v. g.*

℞. ▽ flor. tiliæ
salv.
melissæ an. ℥ij.
liq. CC. succin. ʒiij.
spir. Theriac. camph. ʒiß.
essent. opii ℈j.
syr. d. Pœon. ℥j. M. D. S. Träncklein gegen die schwere Noth Aliquoties de die 3. vel 4. cochl. pro dos.

Item ℞. ▽ pœon. ℥iij
cerebr. hum. spirituos. ʒvj.
spir. sanguinis human. essent. ʒiß.
unicorn. ver. præp. ʒj.
cinnabar. ♁. ʒß.
laud. opiat. gr. iß.
syr. de stœchad. Arab. ℥iß. M.

Quoad

Quoad *externa ad epilepsiam* commendantur imprimis *amuleta*, quæ inter excellit *sambucus crescens super salicem*, de quo præter *Hartm. in Prax. ubi de epilepsia* egregium experimentum, vid. *in Bartholin. Cent. 4. obs. 69.* Præterea *inunctiones cum oleo destillato succini, anthos, rutæ, majoranæ*, it. cum *bals. Peruv.* conducunt, nec ubi perspecta est idiosyncrasia ægri, quæ nempe potest ferre talia. Sunt enim quidam, qui ab ejusmodi odoratis magis læduntur, nimis affectis & commotis ab iisdem spiritibus.

Hæc quoad *præservationem extra paroxysmum.*

Quod *curam in paroxysmo:* Si sit gravior *ad excitandum epilepticum* mirè conducunt omnia ea, tam *interna* quam *externa*, quæ quosvis sensus seu eorum organa fortiter vellicare & ita spirituum inordinatas commotiones ceu fortiora objecta in ordinem revocare possunt. Hæc inter graviori in malo mirè conducit *vomitus.* Quoniam autem propter arctè clausa labra ex convulsione musculi temporalis nil potest ingeri, ob id, ad manuductionem *Borelli* aperiendum est os, admovendo pollicem cum minimo digito ad oris latera, fortiterque comprimendo, quo facto instilletur forte *vomitorium*, vel *penna oleo acrior.* intincta faucibus immittenda & ita vomitus stimulandus. *Loco vomitoriorum clysteres acres* perquam egregii, quibus *castoreum* sociandum & pro stimulo ▽*a benedicta, syrupus emeticus* aliaque *infusa* similia ☿ialia addenda. Sicuti in epilepsia interna *θia volatilia* à ℈j. ad ʒß. clysteribus addita proficua observari solent. Sunt, qui *sternutatoria* naribus admovenda jubent, quod tamen cautè fiat, cum sternutatio quasi particularis sit epilepsia, ne graviori paroxysmo occasio suggeratur; potius *θia volatilia macra* eorumve spiritus naribus admovenda, aut urgente necessitate naribus ac linguæ instillanda, ut excitentur epileptici. Egregiè confert item *ol. destill. succini* gut. iij. vel iv. in aqua appropriata intus propinatum in paroxysmo egregiè conducit. *Lingua, in paroxysmo vehementius sauciata* à dentibus curatur inspersione *pulveris lap.* ♋. & illinitione *extr.* cujusdam *vulnerarii saccharati.* Vid. *M. A. N. C. Ann. 4. p. 295.*

Quæ hactenus *in genere* de convulsionibus dicta fuerunt & *in specie* ferè motibus saltem convulsivis epilepticis seu clonicæ convulsioni applicata, eadem quoque ulterius *convulsionibus*, in specie sic dictis, seu *tonicis* accomodari debent. *Causa* hujus convulsionis in specie sic dictæ est *irritatio partis nerveæ*, admodum sensilis continua, in eodem loco, & eodem ferè modo. Cujus occasione continuata nec interrupta, raró copiosè influunt spiritus animales & ita in continuata contractura fibras & consequenter partem ipsam retinent. *Irritatio hæc* nunc est *manifesta*, seu ab agente qui sensibus patet, inducta, nunc est

occul-

occulta, seu ab agente minus sensili nata. *Ex manifesta* irritatione fit *convulsio in V. S.* si nervus lædatur punctim. Item *in purgationibus* nimiis, qua ratione ex assumptione *gillæ vomitivæ* convulsionem 30. horarum lethalem refert *Heer obs.* 26. Pariter ☿*ialia* & ♀*ialia* non ritè præparata & intempestivè adhibita eandem dant calamitatem. De *Euphorbio* simile exemplum habet *Tulpius l.* 1. *obs.* 15. Item *læsiones* partium *externæ*, ut cum ex fractura tibiæ, ex ictu sclopeti spasmum opisthotonum, tandem tetanum & sic mortem notavit *Hochstetterus Decad.* 5. *cas.* 6. Sic ex clavo pedis digito infixo opisthotonum refert *Schenck. in obs. ubi de convulsion.* Per venæsectionem læso nervo convulsio lethalis oborta, referente *Schenck. l. c.* Ex læsionibus nervorum in cruribus spasmum cynicum idem notat. Et in genere quævis *læsiones nervorum*, membranarum, tendinum præcipuè in articulis, convulsiones inferre solent. *Vulnera* quoque capitis huc pertinent. Siquidem ex cutis vulnere in latere sinistro capitis, spasmum ingentem cynicum & universi corporis tetanum observavit *Hildanus Cent.* 5. *obs.* 9. *Mercurialia unguenta* huc pertinent, ex quorum usu convulsionem capitis ad latus sinistrum, ut nasus & humerus rectâ lineâ copularentur &c. refert *Bartholinus Cent.* 4 *hist.* 48. Deniq; ex epota ▽ fort. membrorum insignem contractionem vid. in Act. Med. Hafn. vol. 1. p. 210.

Quoad irritationem occultam, non rarum est, *febres* quasvis præsertim *acutas* & *malignas* malè judicatas terminari in convulsiones. Sic *convulsionem à tertiana* per metastasin, febrim solvisse, testatur *Bartholinus Cent.* 2. *hist.* 93. *Ex erysipelate* & febri spasmum opisthotonum refert *Schenck. in observ.* Hinc *podagra* laborantibus supervenit interdum convulsio, contra *Galeni* assertum, de qua vid. *Höfer. Hercul. Med. p.* 14. Nec rarum est in *arthriticis*, it. *hypochondriacos* & similibus, si acidum illud volatile peccans se insinuet profundius in partes musculorum fibrosas & tendinosas, easdem rigidas duras & intractabiles reddat, ibidem nutrimentum earum spermaticum chylosum coagulari & in materiam tartaream quasi gypseam transire. Unde omni penitus motu sublatô pars ista postmodum contracta & immobilis manet. Pertinent huc *varia recrementa inter cerebrum deposita*, spasmos inferentia. Sic *Rhodius Cent.* 2. *obs.* 49. refert de muliere convulsa, in qua omnes cerebri ventriculi *serô limpido biliosô* referti fuerunt, ex quibus ètiam in spinalem medullam profluxit. Et *Schenckius* in opisthotono mortuo capite duo cochlearia ▽*æ acris* intra membranam duram & cerebellum invenit. Facit huc observatio *Tulpii Cent.* 1. *cap.* 32. Ubi convulsiones corporis cum dolore capitis expulso *pure* ex naribus curatæ. Deniq; in India Orientali *epidemicum malum* est varii generis *convulsio*, de quô eleganter scribit *Bontius de Medicin. Indor. c.* 2. Pertinet huc *spasmus flatulentus*, vulgò dictus der Krampff/non crura saltem, sed etiam alia musculosa loca subinde affligens, ex subtili acri humore serôso, musculos subinde affligente, oriundus.

Ex dictis patet, quodnam sit *subjectum convulsionis*, ita quidem ut nunc in ipso *subjecto inhæsionis* seu parte contracta simul sit fomes seu radix mali, seu *subjectum radicationis*, nunc vero differant, unde *convulsio* partis nunc *per essentiam*, nunc *per consensum* esse dicitur.

Quoad *curam*: In hac imprimis *causa removenda*, partes nerveæ leniendæ ac *irritatio* earum *sopienda*; hinc eadem roborandæ, adeoque semper *universalia* præmittenda sunt, quæ inter *clysmatum* injectio perquam proficua observatur, sicuti urgente interdum graviore dolore simul ad *opiata*, sed *appropriatis* mista, accedendum.

Remedia interna sunt quælibet *carminativa*, *cephalica* & *antepileptica*, in specie *castoreum* & omnia ex hoc ipso præparata; *Salvia*, *lavendula*, *succinum*, *rosmarinum*, ejusq; *decoctum*, *spir. vin. theriacalis. spir. vin. camph.* item pertinaciori in malo *decoctum lignorum* præsertim *Guajaci* & *juniperi* sunt optima; hinc *cinnabaris* & quælibet alia epileptica præsertim *volatilia* conducunt.

Quoad *externa*, conveniunt ea, quæ sub forma *unctionis oleosæ* & *spirituosæ* applicantur, quæ minus sunt glutinosa & viscida, minusque poros infarciunt, è contra quò *penetrantiora* magis & spirituosiora, eò sunt meliora. Præ cæteris *lumbricalia* hic conveniunt. Nempe, *liquor oleosus per deliquium in clibano* ex lumbricis terrestribus, item *oleum decoctionis lumbricorum*, *spir. lumbricor. terrestr.* quæ ipsa quoque de *formicis* intelligenda sunt. Sic in convulsione à cholera *sequens linimentum* expertus est *Forest. lib.* 10. *obs.* 110. cum intensissimo dolore juncta.

℞. Olei irini,
vermium terrestrium an. ℥ij.
castor. pulver. ℈iv. M. continuò agitando.

Ubi ab inunctione abstinebatur, statim redibant convulsiones, continuata vero unctione cessarunt. Præterea *spir. vin. crocatus. spir.* aut *aqua theriacal. camph. essent. ex infusione nervinorum &c. Oleosa* & *pinguia* quæ usurpantur, sunt *oleum vulpinum*, *castorei*, *oleum ex catellis*, *oleum ex anseribus nervinis infarctis & sic assatis.*

Pinguedo per assationem ita prolecta *unguentum* dicitur, quo unicò saltim convulsio curata fuit in *observ. Riverio commun. & in Praxi ubi de paralysi*, ubi videatur præparandi modus.

Porro *oleum laurin. oleum lini*, cujus inunctione duos tetano affectos curavit *Rulandus in curat. empiric. Pinguedo humana*, *medulla animalium. Olea acriora* ac penetrantiora contra convulsiones sunt *petroleum*, quod cum *oleo succini* mistum, maximè prodesse dixit *Empiricus*, in contracturis à causa frigida & ad

ad paralyses *oleum Philosophorum*, *olea item distillata juniperi*, *succini*, *spicæ galbani* & hinc *galbanetum Paracelsi*, quibus etiam subinde *oleum de euphorbio* additur, quod optimum, sed quia nimis fortè, cautè adhibendum. Hinc

℞. Oleum tereb.
lumbric. terrest. an. ℥iß.
pingu. human. ℥j.
canis ℥ß. M. F. litus.

Penotus sequens *linimentum* mirè prædicat ad convulsionem brevi tempore dissolvendam

℞. Ol. terebinth. ʒß.
caryophyllor. gut. vj.
mucilag. bryon. q. s. pro consistent. M. & inunge locum affectum.

Denique *unguentum nervinum*, *dialth. spasmodic. Mynsich.* commodè applicari possunt imponendo desuper *emplastrum nervinum* usitatum. Hæc in genere.

Quod si in specie fiat convulsio ex punctura nervi in ineptâ V. S. optimum est instillare vulneri *ol. destillat. terebinth.* seu *ol. laterin.* vel *ol. ceræ*, & imponatur emplastrum

℞. Euphorb. ℈j.
terebinth. ℥ß.
ceræ parum. M. pro emplastro quod desuper imponatur; vel vulnus dilatetur, imponatur *ol. terebinth.* sed conferatur in specie hic *Sylvius l. 2. c. 23. §. 84.* it. *Scultetus in armament. Chirurg. obs. 64.* Aliàs contra partem dolentem nimisque tumidam ex V. S.

℞. Pingv. vulp.
taxi an. ℥iij.
ol. destill. spic. ʒß.
mastich. ʒij.
vini ℥iij. M. ad △ m illinatur calidè; sicut in dolore, tumore, ac livore partis *Cataplasma* sequens egregium

℞. Herb. agrimon.
chærefol.
Flor. chamomill. an. Mj.
Rad. symphyt. maj. ℥iij.
sigill. Salomon. ℥jß.
Sem. lini, fœnugræc. an. ℥ß.
coq. in s. q. ▽. ad consistentiam cataplasm. & subinde applicentur.

Quod si fiat convulsio ex articuli luxati restitutione, curandi rationem docet *Scultetus in armament. Chirurg. obs. 28.*

Quod

Quod si ex vulnere partis fiat convulsio, illinatur pars *ol.* seu potius *liquore oleoso lumbric. terrestrium*, *ol. destill. terebinth.* vel vulneri instilletur *bals. sulph. terebinth.*

Quod si fiat convulsio ex ictu venenati animalis, vel in leviore malo *ol. scorpion.* illitum convenit; vel in graviore *cucurbitulæ scarificatæ*, vel *cauterium actuale* supra partem læsam imponatur. Aut etiam *emplastrum magneticum arsenicale*, malaxatum cum *ol. bufonum* aut *scorpionum* imponatur. Internè *Theriaca* cùm *gentiana* mista propinetur, imperando subindè sudorem. *Si ex hypercatharsi*, vel violentiore purgante oriatur convulsio, internè *opiata* & *theriacalia* sufficiunt.

In spasmo flatulento sufficiat levis fricatio partis aut panno aspero aut manu calidâ, aut illinatur *spir. baccarum juniperi*, aut *spiritus theriacalis.* Ad hujusmodi spasmum flatulentum expertum dicitur *unguentum Cratonis*

℞. Axung. Anser. rec. ℥jv.
ol. destillat. caryoph. ℈ß.
cinam. gt. v. M.

In spasmo gravidarum præsertim flatulento euporiston est *matricaria.* Herba illa contundatur, ut fiat succulenta, imponatur cervici, nunc sola, nunc cum *verbena* mista.

In *Contractura*, à causa internâ *volatilia* acidum corrigentia & hinc *temperata*, illud obtundentia, & succum nutritium laudabilem suggerentia sunt optima. Sic *contracturam* totalem *ex arthritide* relictam, continuato *lactis usu* curavit *Tackius in Phas. Soph. 2. p. 128.*

Affectibus hisce convulsivis cognatus est *Tremor.* Nam in hoc cum motu naturali & voluntario simul aliquid convulsivi concurrit, dum in motu membri v. g. sursum erecti, membrum subinde remittit, & in contrariam partem nonnihil abducitur, prævalente tamen motu intento primariò. Unde

TREMOR

prout *ratione graduum major* vel *minor* est. Sic etiam vel *simplex* est vel *convulsivus.* *Ille* est *minor* & vulgaris *tremor*, qualis post crapulam, aut affectus animi vehementiores, in specie iracundiam observatur. *Hic* vero est *major*, qui in remissione paroxysmorum epilepticorum accedit, donec omnino cesset cum paroxysmo isto tremor. Et dicitur hic *tremor convulsivus*,

vus, spasmus τρομώδης, adeoque tremor ad motus corporis depravatos omninò revocandus venit. *Nam qui tremore laborant*, membra liberè movere, sed protensa ac suspensa sufficienter continere nequeunt, quin vibretur potius & modo subsultando, modo declinando pars vitiose moveatur. In hoc *differunt tremores à motibus convulsivis* propriè sic dictis, quod *tremor* fere semper conjungatur cum motu voluntario, v. g. manus vix unquam tremit, aut pes, nisi ad cursum adigatur, ita ut semper motui voluntario conjungatur Tremoris symptoma. *In motu vero convulsivo* ipso, ægro nescio, ac præter voluntatem ejus, motus convulsivi accidunt.

Tremor ipse *nunc* est *universalis*, *nunc particularis*, nunc *magnus*, nunc *parvus*. Vulgo *causa Tremoris* rejicitur in *facultatem motricem debiliorem* & *gravitatem membri*, ita ut illa sufficienter movere membrum nequeat, quia hujus gravitas, ob illius imbecillitatem præponderat. Sed quacunque ratione explicetur hæc sententia, & quicquid etiam intelligatur per *facultatem motricem*, tamen insufficiens est ratio, quia in tremore omnino sufficienter movetur membrum, extenditur pes, arripitur aliquid manu & retinetur, sed depravatè. Vitium nempe cujusdam inquietudinis & inordinati membri motus adjunctum est, adeoque non *imminute*, sed *depravatè* membrum movetur. Deinde si oriretur à *facultatis motricis* imbecillitate, fieret tardior & imbecillior membri motus, non vero depravatus. *Causa* igitur *genuina* tremoris est *actio duorum pluriumve musculorum simultanea*, seu eodem tempore instituta, seu sint antagonistæ musculi, seu non, sed tantum tales, qui aliquo modo ad membri motum concurrere solent. *Inter actiones* talium musculorum alia est *principalis*, alia minus *principalis*, & p. n. adjuncta, ita ut dum *unus* musculorum brachium extendit, *alter* simul agens, illud torquet aut flectit, vel alio modo vitiosè movet. Unde *prior* actio dat motum voluntarium intentum, *posterior* vero præternaturalem & quasi convulsivum supervenientem unde iste affectus tremor. *Causa duplicatæ* hujus p. n. *musculorum actionis* sunt *spir. animales*, qui sicuti naturali motu influentes movent membra naturaliter, ita etiam p. n. motu *depravatè* eadem agitant: & quidem *spirituum in tremore vitium* est talis motus inordinatus, ut cum in unum musculum agilius & copiosius influere debent, motu fere uniformi in geminos seu binos, pluresve distinctos distribuuntur & ita difformem motum inducunt. Itaque vel ex *proprio vitio*, vel ipsius *partis recipientis vitio* contingit.

Proprium vitium est, cùm iidem spiritus confusè admodum moventur in animi affectibus gravioribus, ita ut pro voluntatis arbitrio, minus ordinatum

motum

motum instituere queant, v. g. in irâ terrore &c. & cum iidem facultate narcotica nonnihil fixiores, depravatè per nervos ferantur. Qua ratione post *potum vini generosi* nimium membra subinde tremunt, non secus ac post inconcinnum *narcoticorum* usum. Sic *Forestus lib.* 1. *Cons.* 38. ex largo *vini potu* refert. Conferatur *Bartholin. Cent.* 5. *hist.* 38. ubi varia tremoris exempla habet. Sed hujusmodi tremores à spirituum vitio magis *transitorii & accidentales* videntur & qui facile denuo cessant.

Quoad *Tremores graviores* plus minus *inveteratos* aut *habituales* aliosque, ad *partem* ipsam spirituum motum *recipientem* respiciendum est. Circa quam ipsam suspicari licet, vel sæpius in tremore aliquid *irritativi* circa nervi principium, progressum, aut insertionem occurrere, cujus occasione sub motu voluntario spiritus influi non præcisè ad determinatum musculum, sed simul ad alios vicinos ferantur, sicque tremulum motum inferant. Hinc *Castro Tr. Quæ ex Quibus p.* 102. Tremores qui febribus superveniunt, revera motus convulsivos esse asserit & *Hochstetterus Decad.* 4. *cas.* 7. *p.* 415. tremores ad convulsivos motus non absurdè refert. Vel suspicandum quod in *habituali & inveterato*, modo *nervus*, per quem influere, vel *musculus* in quem radiare debent spiritus animales, ita sint vitiati, ut ob poros aut meatus vitiatè conformatos, aut fibras non ritè situatas, aut etiam nonnullos meatulos omnino interceptos, legitimus motus spirituum animalium nonnihil pervertatur, ita ut & in musculum motui intento primariò destinatum & simul deviatione quadam in vicinum ferantur.

His ipsis *causis* ac *fiendi modis* facilè *causæ remotiores occasionales* tremoris accommodari possunt, quas inter eminent inprimis *venena* ☿*ialia*, cum notum sit, quod ii, qui talia tractant v. g. *Aurifabri* subinde trementes fiant. Item, quod iis, qui incautè *cingulo sapientiæ* ad propellendam scabiem utuntur, interdum tremor superveniat. *Refrigeratio nimia* partis itidem ad tremorem disponit, teste *Borello in observ.* 84. V. S. curatum. Hinc etiam *potus* nimium *frigidorum*, v. g. copiosæ aquæ frigidæ, in febb. aut *potus nive* vel *glacie* immoderatè refrigeratus, autore *Sennerto*, *ubi de Tremore*, tremores partium inferunt. *Mensium & lochiorum suppressiones*, it. *secundinarum* aut *fœtus mortui retentio* tremorem inferunt. Conf. *Lang. l.* 3. *Ep.* 2. Facit huc observatio, curiosa *Foresti l.* 10. *observ.* 101. ubi mulieri ob obstructos menses vitio uteri singulis diebus vapor quidam seu spiritus adscendebat, potissimum sub noctem ex imo ventre, qui tandem repens per venas & arterias, etiam colli, ita ut ipsam & ibidem interius sentiret, qui ad musculos maxillarum adscendens, ad

tempus hærebat, palpitationem quandam & jectigationem manifestam inducens, mox ingenis ruborem inferens & dolorem, sine tamen Epilepticâ procidentia, per *uterina aperientia* autem curata fuit. Idem *Forest. obs.* 10. mulieri non fluentibus mensibus, mense Majo venam secavit, unde & menses statim restituti fuerunt: Post singulis mensibus fluebant, & semper eodem tempore simul experiebatur palpitationem in brachio, eodem ipso in loco, in quo V. S. fuerat instituta non sine molestia ac dolore. Hæc singulis mensibus patiebatur, eadem adciendos menses sectâ venâ saphena curata fuit. Febribus subinde supervenit tremor. Sic etiam *Epiphanius Ferd. hist.* 41. observat tremorem criticum tertianam continuam solventem.

Quoad *prognosin*: *Tremor si superveniat* aut succedat *paralysi*, non est malus. Indicium enim est paralyseos remittentis, & motus naturalis nonnihil redeuntis. *Tremor* ipse *à causis internis* pendens, utut minimè sit periculosus per se, quoniam tamen de facili degenerat in alios graviores affectus, v. g. *Paralysin*, *Apoplexiam*, *Lethargum*, *Spasmum* &c. ob id ratione horum consequentium non est negligendus. *Tremor qui arripit senes* vix curari potest, quia eos ad mortem utplurimum comitatur. *Tremor hæreditarius*, it. qui ex vitiosa diæta successivè, sed tamen confirmate fuit genitus, rarò etiam perfectè curatur. *Si tremor* permutetur in convulsionem, malum; *si in febri ardente* tremoribus succedat delirium, ex metastasi materiæ morbificæ, res est periculosa, cùm delirium periculosius sit symptoma quam tremor. *Hippocrates* dicit, *qui tremores ad manum resiliunt*, mali sunt. Aliquando enim si ægri manus attentè contrectetur, contremescentem illam, quasi revelli subitò animadvertimus; est spasmus tromodes, seu motus ex convulsivo & tremore compositus, & periculum non leve portendit, imminentem scil. convulsionem, aliaque symptomata, idque præsertim in morbis ardentibus. *Tremor, qui supervenit mulieribus* post partum, ex retentis quibuscunque in utero, periculosus affectus, subinde enim lethales epilepsias inducit. Denique *Tremor* & *Epilepsia* à Lethargo oriens, malum signum est prostrationis scil. omnimodæ facultatis animalis ejusq; functionum. *Si tremor in labro inferiori*, ferè portendit imminentem vomitum, qui tremor tamen potius motus convulsivus est.

In *cura* inprimis *removendæ* sunt *causæ* quæcunq; & *appropriatis nervinis* & *cephalicis*, tam *internis*, quam *externis* tremori succurrendum. *In genere* ea, quæ in *paralysi*, item *convulsionibus* laudantur, etiam tremori conveniunt. Saltim *pro causarum varietate* etiam cura nonnihil varianda, v. g. *in malignis* danda *alexipharmaca*; in retentis *uterinis* vitiosis dentur *pellentia ex secundina*: *Si ex fumis metallicis* & ☿*ialibus* imprimis *mineralia* conducunt.

Ad

Ad *evacuandum* corpus ☿*ialia cum extractis laxativis* sunt optima. Alias inter *remedia nervina* magis *appropriata* principatum fere ducit *salvia*, & quælibet ex ea parata. Sic *Forest. l.* 10. *obs.* 99. laudat *cerevisiam salviatam*: It. *essentia salviæ* cum *essentia castorei* mista, tam in usu *interno*, quam pro *externa* membrorum frictione conducunt. Succedit *melissa* & spirituosa ex eadem parata remedia sunt convenientissima. *Pæonia* & *baccæ juniperi*, egregia nervina. Unde *essent. juniperi* continuato aliquandiu usu, item *Rob Juniperi*, imperando simul sudorem sunt convenientissima. It. *decoctum ligni juniperini* per modum *diætæ sudoriferæ* propinatum. Sanè in quibusvis facultatis animalis & nervosi generis diuturnis ac inveteratis morbis nil utilius adhiberi poterit, quam *decoctum lignorum* ritè paratum, & hæc inter in specie *ligni juniperini* per aliquot septimanas continuatum, præmissa corporis debita evacuatione. Substantia nempe aromatica dicti *decocti* mediante sudore penetrat undique per universi corporis poros ac meatus, dissolvit mucositates, abstergit sordes, purificat sanguinem & corporis habitum, & ita in paralyticis, convulsivis tremoribus, apoplecticis & similibus affectibus æquè polychrestus eorum est usus, ac in catharrhalibus affectibus. *In senum tremoribus* præ cæteris laudatur *fimus pavonin.* c. s. q. ▽ vitæ subactus, & in potu usurpatus tribus vicibus matutinis. Dosis fimi est ʒj. una vice. Vid. *Borell. obs.* Quæ suprà de *oleo buxi, corylino* contra convulsiones fuerunt insinuata, item quæ de *cinnabarinis*, pariter etiam tremori applicanda sunt.

Sin à ☿*io vitium fuerit* singulariter laudat *decoctum enulæ Hochstetterus Decad.* 3. *cas.* 4. *p.* 233. & ex eô *D. Michael in Collegio Practico*, quod hoc est: ℞. Radicis enulæ campan ℥iij. fœniculi ℥jß. coq. in vini quartariis quinque, i. e. libris ijß. medicinalibus. Infusa per diem naturalem, coque ad casum tertiæ partis, divide colaturam in partes 4. bibat partem unam manè & vesperi, ac sudet coopertus, & exilit sudor citrinus, qua potione utendum, donec talis color non videatur amplius. Aliàs in tali casu remedia ☉*aria*, ac ipsum adeo ☉*foliatum* assumptum, non omittenda sunt. ☿ium enim alliciunt, & ita è corpore secum rapiunt.

Inter *externa* ad tremorem quemcumque ceu experimentum optimum laudatur *frictio membrorum c. urin. hum.* Loco cujus *sp. lumbricorum, formicarum,* θ✳*ci* pro membris fricandis in loco calido præsertim nucha & spina dorsi possent substitui. v. g.

℞. ▽. artic. A. E. ℥iiij.
sp. lumbr. ℥jß.
formic. ℥j.

Essent.

Essent. castor. ℥iij.
M. D. S. Eusserlich Gliederwasser.

Item *lixivium*, in quo decocta sunt *folia fraxini* pro lotione partium tremulantium itidem quibusdam laudatur.

CAPUT VIII
DE
SPIRITUUM ANIMALIUM INFLUXU ABOLITO, INDEQUE ORTA APOPLEXIA.

D*Um omnes functiones in sensu & motu subitò cessant*, ita ut taliter affectus non secus ac fulmine percussus & attonitus jaceat, simulque *vox auferatur*, *respiratione* plus minus imminuta, cum aut sine *stertore*, dicitur *Apoplexia*, der Schlag. *In hac* utplurimum saltem functiones & *motus spontanei* læduntur, minus vero *motus naturales* dicti, utut in graviori interdum & hi plus minus afficiantur; hinc *respiratio* etiam plus minus afficitur. *Quoad pulsum*, hic subinde adhuc vegetus, certè perquàm durus percipitur, interdum est pusillus interdum vero vix observabilis. *Color faciei & oculorum* utplurimum rubet, facies tumida est, & corpus simul calet, utut interdum & in paroxysmo diuturniore facies pallere observetur. *Membra* omnia sunt *laxa* & si brachium vel pes levetur, pondere suo statim dilabitur. Æger tactus, irritatus vel acclamatus, nec sentit nec loquitur, ore hiante & interdum *stertente* profundum dormit. Resolvitur subindè simul ani sphincter, unde *fæces alvi* aut injecta enemata inscio sponte suâ effluunt. Quando igitur motus & sensus dicto modo totius corporis perit, est *Apoplexia*.

Hemiplexia est *affectus talis dimidii corporis*, qui vel dextras vel sinistras tantum partes afficit, à sagittali sutura usque ad perinæum. Et hoc est mirum, quod una saltem medietas privetur sensu & motu, altera verò sentiat & moveatur.

Denique addit his *Lindanus speciem Apoplexiæ, quæ proprio nomine caret*: Quando in toto corpore *perit sensus & motus, excepto tantum capite*, ubi quicquid infra collum est, manus, pedes, omnia resoluta sunt, excepto capite, dum lingua loquitur, aures audiunt &c. quæ species tamen rarò observata dicitur.

Ultim

Ultima Apoplexiæ species est *Paraplexia* seu *Paraplegia* quæ tantum *in uno alterove membro* majore vel minore contingit, ut sensus & motus in totum pereat & privetur. *Tres hos ultimos modos*, seu species Autores passim referre solent *ad paralysin.* Sed ut rectè monstrat *Lindanus, Hipp. Aretæus* & alii omnes Antiqui *distinguunt apoplexiam à paralysi*, & quos affectus ex interna causa natos hodie ad paralysin referimus, illi ad Apoplexiam retulerunt, quod nisi fiat, haud commode explicari poterit, quid sit *Apoplexia levis* & *vehemens*, dum *Hippocr. sect. 2. aphor. 42* dicit: Apoplexia levis facile solvitur, Apoplexia vehemens nunquam sine febre. Variè hic se torquent *Commentatores.* Sed ex dictis explicatio facilis, dum *vehemens Apoplexia* est illa totius corporis *universalis*, de qua nemo curatur, nisi febris superveniat.

Apoplexia vero *levis* est vel *Hemiplexia*, vel *Innominata* vel *Paraplegia levis* dicta, respectu istius *universalis.*

Quando igitur sensus & motus corporis ita perit vel *in totô*, vel *in parte*, quæritur de *causa*? Per motum æquabilem spirituum animalium in cerebro & cerebello, & ex his per nervos in partes organicas fit omnis animalis functio. Cessante igitur hoc motu spirituum animalium æquabili & naturali, etiam cessat subitò omnis animalis actio.

Quoad *causas* igitur Apoplexiæ, considerandæ & *causæ generationis* & *causæ permutationis.* *Causa proxima generationis formalis* est deficiens spirituum animalium motus *in cerebro* & *cerebello*, & hinc eorundem cessans influxus in membra reliqua.

Et quidem si cerebelli culpâ fiat, non tam Apoplexia erit (in qua, nisi fortissima fuerit, saltem *motus spontanei* plus minus abolentur, non vero *naturales* in pulsu & respiratione) quàm *syncope cardiaca*, in qua cordis motu penitus sublato circulationis sanguinis cessatio, ejusdem in cerebrum distributio & spirituum animalium & vitalium necessaria annexio omnino tollitur, & mox pulsu & respiratione plus minus interdum ad sensum penitus sublatis, sine sensu & motu, mortuorum instar jacent, *seu sanguinis vitio*, quod rarius, seu *nervorum* cardiacorum culpâ, v. g. *convulsorum*, ut in affectibus hystericis & similibus; seu *spirituum* in suo ex cerebello *influxu* inhibitorum causa eveniat. Conf. *Willis de anima brutorum p. 2. cap. 8.*

Causa remota materialis seu occasionalis est vel *interna* vel

vel *externa*. Utriusque præcipuè *internæ* ratione fit *Apoplexia* vel *accidentalis* vel *habitualis*. *Hæc* quæ post certas prægressas in corpore occasiones & dispositiones interdum supervenit; *illa* vero quæ subitò, interdum fortuito sine præcedente certa in corpore alteratione ægros prehendit.

Utraque est vel *privativa* vel *positiva*, ut cum *Helmont, Tr. de Lithias, c.9.* hanc *differentiam* arripiamus.

Privativa est, quæ citra directam spiritibus inductam alterationem, saltem ex impedimentis quibusdam, propter quæ legitimè iidem aut generari aut distribui nequeunt, oritur, adeoque *à posteriori* & *indirectè* saltem supervenit, v.g. quando *ex suspendio*, aut *casu ab alto*, aut *à sanguinis* intra cranium *effusione*, aut *meatuum cerebri obstructione* qualicunque apoplexia oritur.

Positiva Apoplexia est, quæ à tali fit causa, quæ spirituum animalium crasin & constitutionem vitiare, eosdem ad motum & inde dependentes functiones planè ineptos reddere, & ita narcosi & stupore quodam afficere, vel instar Gas liquorum fermentescentium eosdem quasi extinguere valet. Qualis vis in *opiatis, carbonum fumo & fulmine* notissima est.

Privativa Apoplexia fit vel ob *sanguinis deficientem naturalem circulum* ad & per cerebrum, & inde cessantem spirituum generationem, idque vel *viarum* vel *sanguinis* ipsius culpâ, vel *ob spirituum denegatum motum* in cerebro, & effluxum, ob pororum & *meatuum cerebri vitium*, vel *obstructorum* vel *compressorum*, sive in ejus *centro* medullari, adeoque ipso corpore calloso fiat, seu in ejusdem *progressu* circa corpora striata & caudicis medullaris initium, idque nunc in *universo cerebro*, nunc in *altera* saltem ejus *medietate*. *Sanguinis motum circularem deficientem* & inde natam Apoplexiam illustrat *ligatura* fortis collo injecta. Hanc si fortius stringas, eo ipso momento, quo arteriæ carotides & venæ jugulares in collo constrictæ sanguinis circulum ad cerebrum tollunt, eo ipso quoque momento omnis motus sensusque perit in talibus, utut adhuc ad tempus supervivant. Patet etiam in canibus, in quibus si facta cutis colli apertione ligentur fortiter arteriæ carotides, ita tamen ut parvæ arteriæ cervicales adhuc relinquantur liberæ, canis & inde somnolentus & torpidus jacet, & tamen ferè ad biduum supervivit, actionibus animalibus maximè imminutis, de quibus quicquid superest, beneficio arteriarum cervicalium adhuc liberarum obtinet, idem tamen moritur.

Causa igitur *Apoplexiæ*, ut loquitur *Hippocr.* est *obstructio venæ*. Per *venam* intellige hoc loco & *venam* & *arteriam*. Hic enim mos fuit *Vete-*

rum non distinguere hæc duo vasa. Unde etiam *Celsus* inquit: *Venæ* credimus rei incertissimæ, ubi *arteria pulsans* innuitur. Verum hic loci non existimandum est, deficientem influxum sanguinis, per unum alterumve arteriarum carotidum ramum inferre Apoplexiam, sed potius ex impedito sanguinis per venas refluxu, & hinc ejusdem in cerebri cerebelliq; confiniis aut stagnatione aut extravasatione potius apoplexiam oriri. *Contra* istud enim, *sanguinis* nempe *denegatum afluxum* ad cerebrum, disputat eleganter *Willisius de anim. brutorum sect. 2. cap. 8 p. 263.* & majus periculum ex sanguinis abundantiâ, quam defectu apoplecticis imminere asserit. Hinc *Sylvius l. 1. c. 21. §. 36.* vasa arteriosa obstrui aut comprimi posse, indeque apoplexiam oriri non putat. *Unde nonnisi raro & & saltem externæ causæ* violentiâ talem apoplexiam *ex denegato sanguinis per arterias influxu* dependentem oriri æstimem, quin potius propter impeditum circulum, *ex denegato refluxu*, & hinc *cerebri* aut *repletione*, aut *compressione*, aut *à sero* extravasato repletione, sicque spirituum impedito motu apoplexias hujusmodi privativas vitio sanguinis circuli contingentes oriri arbitror.

Impeditur autem *sanguinis refluxus* vel *viarum*, vel *vasorum*, vel *sanguinis* ipsius culpâ. *Viarum vel vasorum* culpâ, quando ex contusione, laceratione, ruptione, aut similibus occasionibus sanguinis naturalis circulus impeditur. *In sanguine* hæret vitium quando hic crassus, grumosus aut plus minus coagulatus in vasis cerebri stagnat & hæret, seu in vasculis meningum, seu in cerebri sinubus, seu in venis jugularibus. Nam sicuti idem sanguis subsistens *in pulmonibus syncopen cardiacam* vitio sanguinis natam, speciem quasi *catarrhi suffocativi* infert; ita *in cerebro*, aut ejus vasis, si idem contingat, est *Apoplexia*, adeoque ex his causis nati hi affectus nonnisi locô affecto differunt. Nec ullum est dubium tales ægros apoplecticos & à sanguine stagnante suffocatos, eodem malo interire. Unde etiam à *Fracassato in Epist. ad Malpigh. de Cerebr.* in pulmonibus apoplecticorum vasa sanguifera interdum disrupta aut turgida inventa fuerunt. Sed de his & Apoplexia ex hac causa natâ conferatur inprimis *Wepferus de Apoplexia ejusque locis affectis.*

Veteres & horum asseclæ in Apoplexia, *cerebri ventriculos repleri* & exinde spirituum animalium motum tolli asseruerunt. *Sed experientia testatur*, sæpius aliis morbis mortuos, exhibuisse ventriculos cerebri repletos & obstructos, sine insecuta Apoplexia. Refert *Lindanus* Amstelodami dissectum fuisse caput viri, qui per triennium dolore capitis maximô laboraverat, cujus ventriculi ita repleti fuerunt humore seroso & limpido, simili lymphæ vasorum lymphaticorum, ut integra pinta Hollandica inde eximeretur; ~~raro~~ non tamen factus fuit apoplecticus. *Fernelius* exemplum refert apertum esse caput apoplectici, & in cerebro nihil, sed in venâ jugulari repertos esse sanguinis grumos.

Nymmannus scripsit de *Apoplexia*, ejusque sedem ponit in torculari Heroschyli, ubi observavit sanguinem factum grumosum stagnare & hinc apoplexiam inferre. Ignoravit Autor circulationem sanguinis, unde spirituum influxum cum sanguine denegatum causam asserit, cum potius ex impedito refluxu, hinc sanguinis stagnatione & cessante in cerebro circulo apoplexia inde oriatur.

Spirituum motus deficit ex pororum conniventia & subsidentia, cujus plures possunt esse occasiones v. g. *à contusione* & concussione capitis. Qua ratione *ex alapâ inflicta* apoplexiam natam *Hercules Saxon. Benivenius in obs.* & ex eô *Schenckius* referunt; it. *materia tenui* subtili quasi lymphaticâ, successivè interiora versus irruente & ita poros & meatus obstruente: Quam causam in habituali poplexia inprimis accusat *Willis cit. l.* It. *à sanguine grumoso* v. g. post capitis contusiones extravasato; it. *ab abscessu* in meningibus rupto, aut alia materia vitiosa vel *extrinsecus* cerebro affusa, aut *intrinsecus* cerebro instillata, aut circa ejus basin collecta, ibique medullæ & nervorum principium obsidente.

An pituita extrinsecus circa spinalem medullam colligi, eandem comprimere, & ita apoplexiam & cognatos affectus inferre valeat, prout asserit *Sylvius l. 2. cap. 21. §. 48. & seqq.* ferè dubito, ob lentum pituitæ motum, nisi vehiculo seri aut lymphæ, à motu naturali quacunque causa aberrantis, ad ista loca delata & collecta fuerit. Sanè præter sanguinis collectiones intra cerebrum, plures *seri* & *lymphæ*, in & circa cerebrum *collectiones* in apoplexia mortuis observatæ fuerunt. Sic *Marcel. Donatus l. 2. Hist. med. mir. c. 6.* refert quod in forti apoplexia perempto, secto cranio tota cerebri substantia *aquoso humore* perfusa fuerit & oppleta, quæ & in cerebri ventriculis redundabat. Dissectis carotidibus ingens sanguinis crassi melancholici emanavit copia. *Columbus Anatom c. 15.* Apoplecticorum capita dissecta exhibuisse cerebrum magna *aqua glutinosa* copiâ distentum. Refert *Horst. obs. Anat. 3.* in Principe apoplexia mortuo observatum cerebrum grande, *serô & pituitâ* plusquam refertum, maximè in ventriculis, arteria autem venosa ac aorta nigro tumore perfusa sive repleta, qualem Princeps anteà in lingua & faucibus per aliquod tempus habuerat. Adeò ut privativa Apoplexia nunc *sanguinea*, nunc *serosa* dicenda sit, pro meliore nempe ejus curatione. *Vid. obs. Anat. in Bonetti Sepulchreto.*

Sed ultra hanc *privativam*, *Apoplexiam* etiam alteram dari *Positivam* confirmant tam *opiata* in majori dosi usurpata, quàm *carbonum*, aut *liquorum fermentescentiũ Gas*, ut & *S. V.* vel *vini generosioris* abusus, quæ positivâ efficaciâ apoplexiam narcotica & stupefactiva qualitate inferunt. Sed cùm hæc fiant saltem à *causa externa* tamen etiam *à causa interna* oriri, primus docet & accuratè defendit *Helmont*, & probabile fit ex eo, quod alii *affectus soporosi*, speciatim

ciatim comata, lethargi & catalepses *ex causa interna* oriantur; quidni ergo & Apoplexia, quæ vix essentialiter ab istis differre videtur. *Helmont nempe Tr. de Lithiasi cap. 9. §. 41. & seq.* in eo est totus, ut propriè sic dictam apoplexiam à causa interna enasci asserat, eamque *positivam*, nempe à certo quodam *veneno narcotico* & *glaciali* in ventre hærente, & digestionis propriæ errore enato, occasione cujus Archæus horrescat, fugiat, & ideas cadaverosas illius recrementi pariat, quo ipso cerebrum cum pedissequis potentiis in sui obsequium trahat, per actionem regiminis stomachi aut duumviratus. Unde & subitaneo tali casu terror in spiritibus istorum locorum incolis excitatur, propter quem terrorem subinde debilius medullæ latus contrahitur, unde paralysin apoplexiæ supervenire dicit.

In hac hypothesi *duo* consideranda. I. Res ipsa, *an sit?* II. Modus rei, *an ita se habeat?*

Quoad prius *excitari apoplexiam à causis internis*, spiritus animales vitiantibus & stupidos & torpidos reddentibus (ut nostro loquendi modo rem declarem) & ita *positive* operantibus, iisque circa stomachum seu ventriculi superius orificium consitis seu hærentibus, i. e. *apoplexiam positivam* ex præcordiis excitari, *confirmatur* (α) *à juvantibus*: Vomitus & hujus loco clysmata acria bene prosunt. Item subtilia aromatica, odorifera & omnia stomachica brevi recreantia. (β) *à nocentibus*: Halitus carbonum oretenus inspiratus graves vertigines, item carum infert, ex affecto imprimis stomacho, nam ob id *vomitus* juvat: *Carus vero & apoplexia* nonnisi majoris & minoris ratione differunt. Hinc cupediarum artifex à *Gas carbonum* inebriatus mortui instar in carbones candentes incidit, sine sensu totũ femur comburendo. *Grembsius in arbore integr. & ruinos. hominis lib. 3. c. 1. §. 37.* hanc *Helmontii* sententiam de veneno narcotico in præcordiis apoplexiam excitante confirmat notabili exemplo per *tobaci abusum*; Sic ex usu fungorum excitata apoplexia, vomitu, quo fungi ex stomacho rejecti fuerunt, imprimis curata vid. *in Act. Hafn. vol. 2. p. 295.* (γ) *Ab adjunctis*: Curavi mulierem apoplecticam ex causa interna sponte sua enatam. Hæc excitata conquerebatur in paroxysmo unicè de *angustia & anxietate præcordiorum*, über grosse Hertzens-Angst unâ cum insigni in somnum propensione. Aliud verò est defectus virium ex spirituum animalium defectu præcisè, aliud *somnolentia* ex eorum torpore. Summè debiles ad ultimum vitæ articulum sunt insomnes; isti verò aliàs validi ex improviso somnolenti fiunt, & quidem recrudescente subinde paroxysmo, præcedebat præcordiorum angustia, quam sequebatur somnolentia: Illâ cessante & hæc cessebat. Unde & alio tempore aliquot septimanis à primo insultu propinatum propter alium scopum vomitorium & ia-

le, cum anxietate præcordiorum virium imbecillitatem & insignem ad somnum propensionem inferebat. (δ) *ab antecedentibus*: Sic *vertigo* per consensum stomachi est prodromus apoplexiæ in senibus. Plura hujus novi exempla. *Parenti meo* certo imminet apoplexia. Plures sunt anni, quod vertigine per consensum stomachi laborat & hæreditario vitio ad apoplexiam inclinat; unde certus sum, quod hæc vertigo ex stomacho certo prædicet apoplexiam. Omnes ejus ex materna linea Parentes apoplexia tactæ fuerunt. *Avia materna* hoc affectu interiit; *mater* quoque eo correpta fuit. Jam ab omnibus Practicis asseritur, *hæreditarium malum* esse apoplexiam. *Conf. Forest. l.* 10. *obs.* 75. Sed talis *character hæreditarius apoplecticus*, qui à parentibus in liberos transfertur, antequam ipsi apoplexiâ correpti fuerunt, revera *positivi* quid in apoplexia subesse innuit, à quo *vertigo* etiam ex stomachi consensu & tandem *apoplexia* superveniat. (ε) *Remedia quædam appropriata*, v. g. *cinnab.* ☿ *ii*, ☉ *diaphor. Poterii* & similia, nonnisi intra primas vias *positivè* operantia ad apoplexias & paralyses sunt egregia.

Quoad posterius, modus fiendi *subitaneus* & frequenter *momentaneus* negotium per *humorum defluxum*, aut *viarum oppilationem*, quæ per successionem saltem fit, vix sufficienter explicat, adeoque aliud quid subsit, necesse est, quod subitò malum inferat, id quod *Gas rerum fermentescentium* sua narcosi & momentanea operatione optimè illustrare videtur. Ob id etiam *Willis* non acquiescit in solo humorum serosorum aliorumve in cerebri meditullium p. n. translatione, sed simul *vim virulentam* spiritus animales fugantem & extinguentem unà accusat. Equidem sæpissimè *signa* quædam *circa caput* & animalem facultatem præcedunt, quæ imminentis apoplexiæ metum incutiunt, Vid. *Sylvium l.* 2. *c.* 21. §. 22. *& seqq.* Sed hæc ipsa medio se habent modo, ita ut & cerebri affectum per essentiam, ut & per consensum insequi possint, non secus ac vertigo etiam ex stomacho in senibus talis prodromus in habituali apoplexiâ esse solet. *Unde sedulò semper investigandum*, an aliæ concurrentes circumstantiæ plus minus affectum capitis per πρωτοπάθειαν, an verò per δευτεροπάθειαν designent. Sicuti non rarum *Epilepsias universales per abdominis consensum* excitari & *remedia*, quæ abdominis aut hypochondriorum spatia non excedunt & deliriis & spasmis & cephalalgiis optimè subvenire, v. g. ☿ *ialia, cinnabarina, vomitoria, clysmata &c.*

Hæc quidem *quoad rem ipsam* satis clara esse videntur, sed *quoad modum rei* res intricatissima est. Ad Veterum *vapores* & halitus, aut Chymistarum *effluvia volatilia stupefactiva* confugere minus sufficit; *Ignotam regiminis actionem Helmontii* profiteri est palliare propriam ignorantiam; *consensus*, qui *per nervos* explicabilis est & hic vix locum habere videtur, nisi dicere velimus,

mus, per consensum irritatorum nervorum circa præcordia stringi cerebri fibras nervorumq; principium, cujus contracturæ occasione spirituum in partibus externis deficiat motus, qui in cerebri meditulliò perturbatus sensum & rationem tollat. *Per sanguinis circularem motum* negotium quodammodo illustrari posset, sed & hic quamplurima obstant: *Narcosi percuti & stupefieri spiritus* animales, seu figi ac quasi plus minus coagulari, plausibile est, *sed quomodo hoc ex præcordiis* fiat, res hæret. Nempe sicut *opiata, sem. hyoscyami, fungi, gas carbonum* etiamnum in stomacho inferunt affectus soporosos & caroticos; ita similis *virulentia narcotica* circa præcordia existens in regione stomachi, *apoplexiam, paralysin* inferre poterit. *Modus tamen rei latet.* Sufficiat pro meliori ad praxin manuductione *differentiam* apoplexiæ *in positivam & privativam* insinuasse, observando simul, excitari *ab externis causis* frequentius accidentales, sicut *ex internis habituales* & has inter, quæ ex causis internis oriuntur, forsan æquè frequentes esse apoplexias *positivas* quam *privativas.*

Consideremus jam *causas remotas*, sed si has ipsas, prout à Scriptoribus consignatæ deprehenduntur consideremus, eædem ferè ad *privativas*, minus ad *positivas apoplexias* pertinent, utut notabilis & curiosa sit observatio *Willis. de anim. brutor. part. 2. c. 8.* Deinde magis accidentales ferè, quam habituales sunt apoplexiæ istæ, quas referunt. Ad hæc *remotæ* istæ *causæ*, exceptis iis, quæ manifesta læsione caput afficiunt, potius προηγούμεναι sunt, seu *antecedentes* quæ *causam continentem* movent, aut saltem sunt subinde *causæ procatarcticæ*, quæ *dispositionem morbosam* internam commovent, ut eæ *proximas* constituant. Ut taceam in *Observationum Anatomicarum consideratione* ex inspectis cadaveribus facillimam, modò non frequentem esse *fallaciam à non causa ut causa*, ita ut vel p.n. quid forsan repertum, pro causa morbi mortisque habeatur, vel etiam productum quoddam morbosum pro genuina illius habeatur origine.

Remotas inter eminent quævis *contusiones & concussiones cerebri*, tam cum, quam sine manifesta ejus *læsione* factæ; sive collabantur & angustentur saltē pori, seu sanguinis simul vitietur circuitus intra cranium, v.g. *ex nimio sonitu* apoplexiā observavit *Fontanus curat. & Respons. l. 1. p. 49.* Ex concussione *à casu* apoplexiam lethalem observavit *Horstius in obs. l. 2. obs. 13.* Item *ex casu ab* equo vertiginem, quæ tandem in apoplexiam lethalem desiit *Deodatus in valetudin. p. 121.* Ex *ictu oculi* nimio apoplexiam in utero observavit *Fernelius lib. 2. de abdit. rer. caus. c. 15.* sanguine forsan ex internis oculi venis disruptis ad basin cerebri procum-

cumbente. Sic ex *percussione oculi* cum raphano apoplexiam natam refert *Scultet. Armament. Chirurg. obs.* 21. Frigus repentinum aut nimium quocunque modo alterando sanguinem aut spiritus ad apoplexiam disponit. Quò facit *aphor. Hippocr.* 23 *sect.* 3. & confirmatur à *Foresto l.* 10. *obs.* 70. E contra æstus nimius item inferre potest apoplexiam. Vid. *Schenck. l.* 1. *obs.* 1. Potus vini generosi nimius, item ebrietas inordinata plures, optimi aliàs habitus ad apoplexiam disponit, exemplis hinc inde obviis, v. g. in *Fonsec. l.* 2. *consil.* 59. *Forest. l.* 10. *obs.* 39. In specie *Henr. ab Heer obs.* 8. rectè asserit, quod nos Septentrionales imprimis ex ingluvie & comessationibus corripiamur apoplexiâ. Lotio capitis cum ▽ tepida & hinc ejusdem expositio aëri frigidiori apoplexiam infert, autore *Amat. Lusit. Cent.* 1 *cur.* 36. Sic cum quidam in tertianâ intermittente die intermissionis se diutius exposuisset ☉ ardori, diebus canicularibus, apoplecticorum more repente concidit & altero die extinctus est *Piso de colluv. seros.* Ex tumore cranii externo sanato apoplexiam natam refert *Barthol. Cent.* 4. *obs.* 86. Morbi melancholici in apoplexiam quoque abeunt, quod præter *Mœbium in Instit.* etiam observavit *Forest. l.* 10. *obs.* 78. Post nimia purgantia sanguis Draconis pro adstrictione alvi adhibitus apoplexiam infert, teste *Bartholin. Cent.* 2. *Ep. p.* 680. In specie suppressio quædam consueta sanguinis evacuationis per hæmorrhoides aut uterum, aut nares apoplexiam intulisse observatum. *Zacut. Lusit. l.* 7. *Med. Princ. Hist. c.* 7. refert juvenem florentis ætatis, qui per scalas altè decidit, hinc sanguinis ingens fluxus secutus quo tempore æger se rectè habebat, sed ea suppressa in apoplexiam incidit, quæ non nisi copiosa V. S. sublata fuit. Sic *Hildan. Cent.* 3 *obs.* 1. refert apoplexiam lethalem ex consuetâ sanguinis per nares evacuatione suppressa, post horas à morte 12. sanguis copiosè ex ore & naribus manavit. Sic ex non ritè fluentibus lochiis puerperam apoplexiâ correptam V. S. curatam *Fontanus* narrat in *Curat. & Respons. l.* 1. *p.* 25. Unde non rarum est subinde in apoplexia mortuis sanguinem congrumatum in cerebro ejusque ventriculis fuisse repertum. Vid. *Barthol. Cent.* 2 *histor. Anatom.* 60. Item *Borellus Cent.* 2. *hist.* 34. Venus è contra nimia potissimum in senibus ad apoplexiam multum disponit. Vid. *Henric. ab Heer obs* 18. & *Plater. in obser v.* A scabie retropulsa apoplexiam in Viro consistentis ætatis vidit *Mœbius Instit. p.* 65. Vapores ☿ ales pariter apoplexiam inducunt Vid. *Lang Ep. l.* 1. *epist.* 43. Hinc qui Venetiis specula ☿ io illinunt, ad apoplexiam declinant. Vid. *Act. societ. Reg. vol.* 1. *p.* 18. Apoplexiæ ex fulmine notæ sunt ex *Marcello Donato* & *Schenck.* Sed præterea vapores thermarum sulphurearum apoplexiam inferre notat *Schenck. l.* 1. *obs.* 2. Sicut ex nimio fœtore ex vaporibus puteorum cœnosorum apoplexiam refert *Marcellus l.* 2. *c.* 6. Imprimis affectus animi graviores quicunque tanquam causa procatarctica apoplecticos insultus excitant, speciatim ira. *Exemplum Forest. habet l.* 10. *obs.* 60. Item terror, vid. *Hildan. Cent.* 6. *obs.* 12. Quin imò imaginatio

ginatio in dispositis multùm confert. Curiosum est, quod refert *Forest. lib.* 10. *obs.* 76. Senex quidam sexagenarius crassus & obesus, cujus frater apoplexia interierat, cum illi inter ambulandum annunciatum esset, quendam senem octuagenarium ipsi familiarem subitò mortuum esse, statim ei pes sinister tremere cœpit & domum relatus apoplexiâ correptus est, à qua convaluit. Cæterum sequenti anno apoplexia correptus interiit, ut ante pater & frater. Quod *supra de scabie* monitum, *de variolis* observandum quoque. Nam puella post expulsas variolas, cum se citius aëri pluvioso exposuisset, ad fossam aquæ residens, intra 2. dies apoplectica interiit.

Ut autem ritè *distinguatur apoplexia,* qualis sit, *an positiva, an privativa, ab antecedentibus & adjunctis* cognosci debet. *Illa* sunt causæ externæ, vitæ genus, habitus ægri, diæta &c. Facilè enim *positiva privativæ* supervenire & complicari mutuo possunt; *Illius occasione* sanguinis motu sufflaminato & ita circa cerebrum eodem stagnante, *syncope cardiaca*, similis affectus apoplexiæ oritur, ut *supra* monitum.

Distinguuntur tamen quod in *syncope cardiaca* seu *catarrho suffocativo* difficilius spirent, & signa adsint gravissimæ in pectore angustiæ. *Qui apoplexia verò corripitur*, utut aliàs vix manifesta vitæ habeat signa, tamen spirandi difficultate vix vexari solet, cum aut parum, aut tardè aut interdum ferè *naturaliter* spiritum ducat. Pulsus quoque, qui in *syncope cardiaca* ferè deficit, in affectibus apoplecticis ferè durus observatur, ita ut aliqui pulsum servent, alii pusillum habeant, rarò, nisi in fortissima apoplexia, nullum, prout nempe plus vel minus præcordiorum sanguis stagnat, aut nervus cordis afficitur. Præterea *in syncope cardiaca* externa frigent, facies pallescit, sudor frigidus erumpit, pulsu evanescente & respiratione penitus ablatâ. *In apoplexia* abolitis actionibus animalibus nihilominus respirant, arteriæ pulsant, extrema calida ut plurimum deprehenduntur, & facies rubicunda observatur. Vid. *Wepferus de loc. affect. in Apoplex.* Præterea *in apoplexia* quavis fortis stertor est, quamdiu id, quod à cerebro accedit musculis thoracis, ad complementum respirationis solùm est ablatum, durante adhuc ebullitione naturali in corde. *In syncope cardiaca* nullus est stertor, quia cor ipsum subitò occupatur. *In gravi passione hysterica* etiam ægræ instar apoplecticarum jacent. *Distinguuntur* tamen quod in *suffocatione uterina* dicta præcesserint symptomata affecti abdominis; Item quod in *suffocatione hysterica* pulsus observetur simul parvus, aut ferè nullus fiat, qui sæpe *in apoplexia* admodum sensilis est. Deinde *apoplectici* faciei

faciei colorem ferè retinent, imò rubicundi ac tumidi ſubinde in facie apparent, qui *in ſuffocatione uterina* omninò perit, cùm facies palleat.

Quoad *prognoſin*, *Apoplexia* eſt acutiſſimus & periculoſiſſimus affectus, ut teſtantur *aphoriſmi Hippocrat. ſect.* 5 §. 5. *ſect.* 6. §. 51. *ſect.* 2. §. 42. Vehementia & periculum apoplexiæ ex noxa, quam *reſpiratio* adfert, imprimis cognoſcitur. *Nam qui apoplexia moriuntur, ſuffocati intereunt.* Unde quò liberior eſt reſpiratio, eò minor eſt apoplexia & contra. In ſpecie, ſi in tantum lædatur reſpiratio, ut *ſpuma circa os* appareat, lethale habetur ſecundum *Hippocr. ſect.* 2. §. 43: *Strangulati* & ſuffocati non tamen mortui, ad ſe non redeunt, quorum circa os collecta *ſpuma* apparet. Multum hic litigant Autores. Optima eſt interpretatio *Lindani*: *Strangulatio* hic non à collo, ſed per eos intelligit" hos, quibus ſubitò à cauſa interna reſpiratio intercipitur. Hæc à multis poteſt" intercipi, v. g. in ſuffocatione uterina. Itaque *Hippocrates* hoc vult: Poteſt re-" ſpiratio intercipi & non redire, ſed an reditura ſit, cognoſces, ſi ſpuma oriatur" circa os, tunc certus eſto, eam ſuffocationem eſſe circa cor, à ſtagnatione ſan-" guinis circa illud. Quando n. natura extremo conatu voluit ſanguinem propel-" lere, inde ſuborta in pulmone ſpuma eſt & ad os detruſa & ſi aperto ore ſpu-" ma prodierit, deſperata res eſt. Hæc *Lindanus*. Nempe *ſpuma* non præcisè" mortis, ſed ſupremus viventium conatus eſt in talibus ægris. Omnis oritur ex aëris & humoris plus minus viſcidi miſtura, adeò ut etiam ſanguis in *ſpumam albam ſubrubicundam* abeat, ad inſtar cereviſiæ obſcuræ, per agitationem tamen cum aëre in candidam ſpumam abeuntis. Non ergo *levis* iſta *ſpuma* adeo periculoſum ſignum eſt, quæ *ex ſaliva* intra fauces agitata oritur & qualis in paroxyſmis epilepticorum ordinariò obſervatur, ſed illa ferè fatalis eſt, quæ *ex imo pectore* ſeu ipſis pulmonibus ex ſanguine plus minus ſtagnante per aëris reciprocum motum attenuato & ita in ſpumam rarefacto oritur & ita in fauces foràs ebullit; adeò ut obſervati ſint in apoplecticis in *Schenck. obſervat.* quibus poſt mortem per os, nares & prominentes oculos *fervida ſpuma* prodierit. *Apoplecticis*, ſi à difficili reſpiratione *ſudor* proveniat, lethale eſt, ſyncopticus nempe exiſtit. *Apoplectici* melius habentes poſt *univerſalia* aut aliquo modo excitati, ſi denuò ſomnolenti, aut plus minus torpidi ſint, iisdem *recidivæ* periculum imminet, ſiquidem perfectè licet curati, facilè tamen recidivant. Cætera *vid. in Schenck.*

Cura Apoplexiæ inſtituenda eſt tam *in paroxyſmo*, ut reſuſcitetur æger, quam *extra paroxyſmum*, ut obſervatis debitis evacuationibus ſimulque uſurpatis caput & ventriculum roborantibus reditus paroxyſmi præcaveatur. Neque enim æger, apertè licet convaleſcens, deſerendus nec curandi ſcopi ſunt dimittendi; aut enim *ſtupidi* manent aut *varia accidentia* eos vexant, adeò ut ſi ſimus negligentes in curatione, facilè contingat, paroxyſmum reverti, ac ægros mori.

In

In ipso *paroxysmo* *duo* imprimis *remedia generosiora* sunt, quæ aut liberant ægros, rectè administrata, aut eos trucidant malè usurpata. Et hæc sunt *vomitus* & *venæsectio*. Quorum alterum utplurimum necessariò adhibendum, subinde, si conditio ægri respondeat, utrumque. Nam de *clysteribus* eorumque usu; item *suppositoriis* quæ acriora & fortiora semper sunt applicanda, omnes concordant Medici Practici, quod in omni paroxysmo apoplectico, atque etiam post eundem necessariò & semper usurpanda sint. Sed *quoad vomitum*, hic *optimè suscitat* ægros & quod aliàs irritando clysmate intendunt Practici hoc efficacissimè obtinemus *vomitu*, præsertim cum experientia ejusdẽ usum sæpius comprobaverit vid. *Lang. Miscell. p.* 11. 12. & *Petrus à Castro in Method. Med.* se *vomitoriis* ultra spem plurimos desperatos excitasse affirmat & ☿ *alia* valdopere laudat. Conf. ulterius *Julius Cæsar Claudinus in Empyricis p.* 349. & *Poterius*, qui *croc. metall. vulg.* gr. iij. vehementissimum apoplecticum excitavit, inuncto simul ori *ol. cinamom*. Item *Riverius* & alii plures. *His saltim metus est in vomitu*, ne suffocationis imminentis acceleretur periculũ. Posito etiam quod ex impedito sanguinis circulo fiat *apoplexia privativa*, haud videtur conveniens *vomitus*, imò periculum est, ne sub vomendi conatu sanguis ac serum circa collum & caput retineatur & hinc istæ partes magis obruantur, cum naturaliter sub vomendi conatu facies rubescere, oculi tumescere & collum inflari soleat.

Quoad *venæsectionem*, *promoveri* equidem hujus medio *sanguinis circularis motus* in quavis apoplexia plus minus impeditus, potest, interim *Celsi de venæsectione* est pronunciatum, quod sanguinis detractio aut occidat, aut liberet apoplecticum. Unde etiam eandem rejicit *Barbette in praxi*, quia eam sæpe lethalem reddat; & meretur observari effatum *Henr. ab Heer obs.* 8: „Nostrates qui ingluvie, comessationibusq; ferè apoplexiam incurrunt, *phle*„*botomiâ* vix unquam curantur, adeò ut centesimus ægrè educto sanguine evadat. Et in tali casu revera vomitus præ V. S. longè magis necessarius videtur. Cùm tamen semper & in omni apoplexia tam positiva, quam privativa vitium in sanguinis circulo, aut per cerebrum, aut per pulmones plus minus impedito adesse soleat, pro hoc promovendo instituenda venit V. S. quam pluribus commendat *Sylvius lib.* 2. *cap.* 21. §. 96. *&c.* Hinc enim depletis nonnihil vasis & ita facilitata sanguini via, *vomitoria*, quando necessaria videntur, usurpanda, quæ tunc minori periculo omninò in usum vocari poterunt, adeoque utplurimum V. S. & vomitus locum habent in paroxysmo apoplectico, modo vires respondeant, quæ exinde mensurandæ, qualis æger ante paroxysmum fuerit. Nam v. g. in senibus admodum, loco vomitus *clysmata acria*, loco V. S.

 cucur-

cucurbitulæ, in scapulis scarificatæ usurpandæ: Tamen *in apoplexia privativa* magis V.S. & cucurbitulæ, *in positiva* vomitus & clysmata conveniunt, hinc illis præmissis, in privativa *volatilia*, in positiva *aromatica sulphurea*, *mineralia fixa* ac metallica & sublimiora arcana conducunt. Quæ omnia *ex circumstantiis secundum res naturales, non naturales & p.n.* in cujusvis ægri cura semper observandis, diversimode adhuc limitantur.

Pro venæsectionis negotio illustrando confert *cura cujusdam ancillæ*, mox à mediâ nocte insultu apoplectico tactæ; Accedens manè horâ 8. illam habitus carnosi, succi pleni, robustam, facie & membris insigniter rubram, quasi sanguis undique stagnaret, offendi, membra difficillimè & saltim brachia aliqualiter movere poterat, de summa præcordiorum anxietate, tremula & vix intelligibili voce conquerebatur, innuendo scrobiculum cordis; hinc præscribo *vomitorium* in dosi intensiori aliquoties, sed non vehementer purgabatur supra & infra. A meridie V. S. in brachio ordino & præscribo misturam ex *spiritu* ♁✳*ci* ceu basi cum aliis *spirituosis aromaticis* nervinis. Cordi vero jubeo applicare linteum multiplicatum *spir. vin.* calidè probe imprægnatum, idque sæpius repetere. Accedens alterô manè eam paulò meliorem offendo, facie adhuc admodum rubicunda cum pulsu duro. Hinc cùm hæmorrhagiam observassem, non obstante jam factâ V. S. jubeo etiam in crure, brachio, in quo V. S. facta fuerat, opposito, circa talum venam incidere. Nocte sequente adhuc supervenit fluxus menstruus, unde continuatô usu *spir.* ♁✳*ci* interno & *spir. vin.* externo, cum interposito semel *pulvere laxativo*, intra octiduum convaluit. Et ita in hac ancilla corpulenta & staturæ brevis, ast robusta natura ultra duplicem V.S adhuc hæmorrhagiam narium & uteri provocavit. Videbatur mihi in subjecto hoc sanguinis circulus admodum lentus, non præcisè ex copia, sed ex fibrarum nervearum ac membranosarum strictura quasi spasmodicâ, qua occasione sanguinis refluxus nonnihil moratus, ruborem istum faciei & artuum exhibebat, sanguine ipso ob tardiorem transvasationem ex arteriis in venas, præter V.S nunc oscula vasorum narium, nunc uteri per anastomosin aperiente.

In paroxysmo igitur ante omnia opera danda ut *excitetur æger* & ut *servetur respirationis actio* & usus, quantum possibile, integra. Hinc *prioris ratione* in loco non nimis clauso, aut vapido, sed aëre libero perflato situandus æger; quin & ventus artificialis subinde circa eum faciendus. *Posterioris ratione* sensuum organa quæcunque & partes quævis sensiles fortius affricandæ. Mox igitur V.S. instituenda, qua peracta vel *vomitorium* ordinandum, vel *clysma acre* injiciendum. *Non differenda vomitoria*, ut monet *Lindanus*, cum in forti apoplexia occasio præceps & si quid revellere potest, ac consopitum

pitum

pitum ægrum suscitare, certè *vomitoria* possunt. *Necesse est autem ut augeas dosin* eorum, uti & aliorum remediorum, quæ excitare debent ægrum. Spiritus enim stupet & sensus imminuitur, augenda igitur dosis, aliàs nil ages. *Propinentur vomitoria in forma liquida*, ut sponte quasi per gulam diffluere queant, sociando semper simul *∇m spirituosam*, v. g. *cinamomi* aut aliam similem, ut ejus medio simul spirituum vigor nonnihil promoveatur. Hinc *syrupus emeticus* ad ʒvj. ℥j. præscribendus. *Clysteres*, qui infunduntur sint *acriores* & fortiter stimulantes, facti ex *herb. salviæ*, *origan. calaminth. rad. pyrethri, cyclam.* quibus incoquatur *pulpa colocynthid.* aut addatur decocto *infusum*, *aut decoctum croci metallorum* turbidum ad ℥iij. l. ℥iv. Commodè etiam *θ. gemmæ* additur, quin imò in casu præcipiti *clysma ex jusculo quodam communi c. Mj. l. ij. θis communis* acuato, & ita infuso, cui simul *infusio ♁ialis*, aut *syr. ♁ialis emeticus* tripla vel quadrupla dosi ex tempore addi potest.

Occurrebat curanda mulier vegeta, sed jam ætatis nonnihil decrescentis correpta affectu ex apoplexia & epilepsia quasi mixto. Vocatus manè præmissa V. S. (utut non tam ea, quàm adstantium ratione facerem) præscribo potionem cum *syr. emet. Sal.* ʒvj. capit sine alteratione, denuò ordino ℥ij. ejusdem, capit sine alteratione. Tandem adhuc ℥iij. ejusdem in pauca potione præscribo, ut successivè propinent, & sic tandem aliquoties supra & infra purgata melius habuit. *Posito*, de primâ misturâ aliquid deperditum fuisse, cum ex ore aliquid deflueret, tamen ad minimum ℥j. ad ʒjx. hujus *syrupi* intra bihorium accepit, nec tamen adeò insigniter purgata fuit. *Interea dum hæc faciunt*, æger subinde *agitandus*, *plantæ pedum fricandæ*, *dolorificæ frictiones & puncturæ* extremorum instituendæ. Quantum enim frictio plantarum pedum cum *muria acri*, aut hujus loco cum *aceto* & *θe* cum *setaceo* profit ad excitandos tales, vide in *M. A. N. C. Ann. 8. p* 159. Puncturarum vero efficacia vid. in *Henr. ab Heer obs.* 21. Præ cæteris *odores* acres, præsertim ex *θibus volatilibus* penetrantioribus objiciendi, aut *sternutatoria* infundendo, ac *linguam & palatum fricando*, præsertim in juncta aphonia; quò facit inprimis *Electuarium Timæi contra Apoplexiam & Epilepsiam* & omnes soporosos affectus, item contra suffocationes uteri;

℞. θ. volatil succin. ʒß.
theriac Androm. ʒjß.
pulv castor. ℈ij.
ol. destillat. rutæ.
succin.
rorismar. añ. gt. iij.
M. F. Electuarium.

dissolv. quantum cuspis cultelli capit, in *∇a* quadam *apoplecticâ* vel *epilepticâ* & ægro

ægro infundatur, ut deglutiat, ſimulque linguam ac palatum fortiter frica hoc *electuario*. Si poſt horæ quadrantem ad ſe non redeat, repete & naribus de ſequente pulvere infla

℞. Helleb. alb.
majoran.
flor. lil. convall.
pyrethri.
caſtorei an. ℈j M. F. pulv. ſternutatorius.

Item *ſuffitus ſuccinatus* naribus admoveatur, aut *fricetur lingua & palatum* cum *ſpir. theriacal.* probè *camphorato*, *ſpiritu ceraſ. rectif.* cum paucis guttis *ol. deſtill. cinamomi* aut *caryoph.* acuato. *Camphora* & *ol.* ejus his ipſis inflandis & affricandis commodè adduntur vid. *Hartm. in ſua praxi. Extractum Salviæ*, cui aliquantulum *olei deſtillat. ſuccin. & camphoræ* additum fuerit, pro fricandâ lingua eſt egregium. Facit huc *oleum apoplecticum Rhumelij* in *Antidot. P. 1. p. 167.* dum *oleum ſuccini non rectificatum* miſcet cum dimidio *ol. roris mar.* infundit ∇*æ font.* & per veſicam deſtillando *ol. rectif.* doſ. gt. vj. ad xij. pro uſu interno.

Externè vertex, tempora ac nucha iisdem illiniri poſſunt. Sed *obſervandum* ut hujusmodi odorata *oleoſa* non nimis largiter aut copioſè dictis locis illinantur. Nam redeuntes ad ſe ægri *de inſigni capitis perturbatione* & gravitate *ex oleorum* hujusmodi fumoſorum illinitione conqueruntur; quin & illinenda talia convenientiſſime quoque *circa regionem ſtomachi* applicari debent, ſuperimponendo *laterem calefactum*. Uſitata ſunt *balſ. apoplect. ol. majoran. lavendul. ſpir. ſalv.* &c. Cum his ipſis adminiſtrationum modis & *aquæ vitæ ſpirituoſæ, apoplecticæ* &c. inſtillantur ori & faucibus, acuendæ præſertim *θbus* & *ſpiritibus urinoſis*. v. g.

℞. ∇. apoplect. opt. ℥j.
liliorum convall. ℥ß.
Q. E. matthiol. ʒß.
Syr. flor. tunic. ℥ß. M.

Vel ℞. ∇. liliorum convall.
menth. an. ℥jß.
ſpir. ceraſor. nigr. ʒvj.
liquor. CC. ſuccinat. ritè parat. vel
ſpir. θ✱ci ʒjß.
ol. deſtillat. ſuccin. gt. vj.
ſyr. flor. tunic. ℥ß. M.

Cum his *ſpirituoſis* ∇*is internis* etiam *externa* à quibusdam expetuntur;

℞. ∇. meliſſ.

lil. convall. c. vin. an. ℥ij.
apoplect. ℥j.
acet. rutac. ℥ij. M. S. Anstreichwasser/ pro temporibus & naso.

Istis præmissis, *si non redeat ad se æger*, unum alterumve repetendum venit, v. g. *vomitoria* subinde reiteranda, injectis desuper *clysteribus*, & quæ externos sensus afficiant, continuando. Quin & *vesicatoria* ampla cervici & cruribus applicanda. *Si redierit æger ad se nonnihil, sed non sufficienter*, interna *spirituosa* continuanda, *vesicatoria* applicanda, quin & *cucurbitulæ* nunc cum, nunc sine scarificatione scapulis & brachiis admovendæ, aliaque administranda, prout æger ad se rediens de uno alterove symptomate magis vel minus querulus fiat.

Extra paroxysmum instituenda *cura præservatoria*, tam *in iis*, qui jam semel apoplexiâ tacti fuerunt, ut præcaveatur crebra recidiva, quàm *in iis*, qui futuram aliquando apoplexiam metuunt: Cujus *prodromi* sunt (in habituali tunc dicta) vertigo, memoriæ debilitas, spontaneæ oculorum illachrymationes, scotomiæ, incubus, stupor frequens brachii aut pedis aut etiam, refrigeratio extremarum partium. In his *pro præservatione* tam *alterativa, volatilia aromatica*, quam *evacuantia* repetitis vicibus instituta sunt optima. *Alterativa* inter *succinata, castoreata, cinnabarina, partes animalium ossea, Θia & spir. urinosi*, & horum ratione *sem. sinapi* ac *eruc.* sunt optima. Ut taceam *cephalica* & *nervina aromatica* ex compositione *spirituum* & *▽arum apoplecticarum* & *epilepticarum* nota.

In specie tamen *salvia* & quælibet ejus remedia à pluribus laudantur. In sem. *sinapi* & *eruca* revera singularia latitant, ad præcavendam apoplexiam senum. Hinc quidam manè jejuno stomacho gr. x. vel xj. *sem. sinapi* leviter masticata deglutiunt ad præcautionem

Vel ℞. Cardamom. ʒß.
coriandr. ʒij.
sinap. alb. ʒß. pulverisentur & sumantur circa introitum lecti.

Alii idque commodius in forma *electuarii* usurpant:

℞. Caricar. pingu. No. vj. incisis adde
Sem. sinap. alb. s. eruc. ʒvj.
cardamom. ʒj. M. exactè

adde simul cochl. 1. spir. lavendul. F. *Electuar.* De quo omni manè dosin juglandis magnit. cap. Adeò sanè ab omnibus laudatum præservativum in *sinapi* consistit. Hinc *spir. sinapi* cum *▽is apoplecticis* misceri & ita subinde usurpari potest. Notandum quoque & de *cerasis nigris dulcibus*, quod horum *spir.* mirificè

laudetur tam ad præservandam Epilepsiam, quam curandam & in specie linguam restituendam. Vid. *Kesleri processus. Spir. secundinæ hum. spir. sangu. hum.* ab *Hartm.* laudatissimus, *spir. fuliginis, spir.* ♁✱*ci* cum *camph.* junctus optima remedia sunt; it. *cinnab.* ℥ *ij,* ⊙ *diaphor. Poter.* Hinc de specificis cephalicis pro præservatione capiendis res nota est, cùm in genere quævis antepileptica etiam ferè ad apoplexiam laudentur.

Evacuantia inter eminet ☿. *dulc.* cum vegetabilium *extractis* propinatus; hinc *sudorifera ex lignis* declinante paroxysmo aliquandiu continuata sunt maximè proficua. *Fonticuli* it. *setacea* egregiè conducunt senibus, & etiam familiari sunt in usu. Sed observa quod hæc *in apoplexia positiva* præcavenda, parum auxilii afferre soleant, benè autem *in privativa.* Unde dum observationes prostant *nunc* proficuorum, *nunc* inanium horum remediorum, causa videtur esse non observata differentia apoplexiæ. Denique *salivatio* in declinante apoplexia pro eradicando morbo non ineptè à *Barbette in praxi* proponitur, & à *Deckero in Comm.* commendatur, *p.* 21.

Apoplexia terminatur vel ad salutem ægri, remotâ & correcta causa proxima, *vel ad mortem,* cessante tandem cordis motu pulsatorio, unde suffocati intereunt ægri; *vel denique ex universali in particularem* transit apoplexia, *nunc* pauciora, *nunc* plura occupantem membra, adeoque nunc *Hemiplegiæ,* nunc *Paraplegiæ* fiunt.

PARAPLEGIÆ

hæ nunc *Apoplexiam* sequuntur, sicque *morbus secundarius* sunt, nunc vero *per se* inchoant, sine præcedente apoplexia, utut plus minus alios morbos sequantur, suntque *apoplexiæ particulares.* Notabilis est permutatio ista *Foresti l.* 10. *obs.* 80. de apoplexia mutatâ in paralysin (rectius in paraplegiam) deinde in epilepsiam, & ex ea denuò in apoplexiam lethalem. Sanè *apoplexiæ* & hinc natæ *paraplegiæ* ac epilepsiæ singularem habent & mutuam convenientiam & quasi in radice identitatem. *In modo fiendi* saltem aut affligendi *differunt;* hinc & permutatio mutua eorum & quoq; in cura remediorum identitas. Hinc certè *Gorræus in defin. Med.* inquit, paraplegiam signare *Hippocrati* paralysin, quæ apoplexiæ vel epilepsiæ succedit. Non enim rarum est, epilepsias in paraplegias mutari & contra. Sic epilepsiam, quæ in paralysin totius ferè corporis

corporis excepto brachio dextro abiit, in qua sensus, ablatô motu, perierunt, notat *Hildesheim in Specileg. de affect. cap. c. 7.* It. *Schenckius in obs.* refert, epilepsiam ex terrore contractam post biennium in paraplegiam alterius lateris transiisse, nihilominus singulis mensibus circa novilunium affligens. It. *Fontan. Resp. & Curat. l. 1. p. 32.* Paraplegiam oculi sinistri post epilepsiam in gravida observat, quæ post partum gemellorum mortuorum apoplectica interiit. *Horstius l. 2. obs. 41.* notat ex epilepsia paraplegiam lateris dextri, & hinc denuò insultus epilepticos. Pertinet huc notabilis observatio *Ann. 6. M. A. N. C.* ubi mutuo paralysis & epilepsia se exceperunt. Item confirmat hæc *Bartholin. Cent. 4. obs. 3.* dum paraplegiam lateris sinistri & convulsionem lateris dextri in febre petechiali annotat. Sanè non secus in *apoplexia & paraplegia*, quam epilepsia simul *aliquid convulsivi* subesse videtur. Notabilis hîc est *Hildani observatio 4. Cent. 1.* ubi ex solâ nervuli in aure irritatione, ob immissum globulum, stupores quasi paralytici, dolores & atrophia brachii istius lateris ac tandem epilepticæ convulsiones. *Ex irritatione ista*, quid aliud quam *spasmus* fieri potuit? Similem observationem de dolore & stupore cum eiusdem atrophia ex corallina sphærula in aurem illapsa refert *Schenck. in obs. ubi de aurium morbis.* Hujusmodi *paraplegiæ*, quæ apoplexiam, epilepsiam, aliosque morbos immediatè sequuntur, vulgo *paralyses* vocantur & hoc nomine tractant Theoriam earum ac Praxin Practici: Omnium loco sufficiat *Willis de anim. brutor. part. 2. c. 9.* cum tamen propriè loquendo paralysis longè alius affectus sit ab his apoplexiis particularibus seu paraplegiis, ut infra monebitur. *Probè hoc observetur in Autorum lectione*, qui ordinariè paralyses & paraplegiam confundunt, unaque methodo Theoriam & Praxin tractant. *In paraplegia*, seu apoplexiam, seu alium similem sequatur affectum, *3. gradus* sunt *distinguendi*. 1. *Motus solum deficit*, superstite sensu. 2. *Sensus & motus deficiunt*, restitante tamen adhuc partis calore. 3. *Istis deficientibus* pars simul continuò frigida percipitur, quam insequi solet ejusdem *flacciditas* notabilis, & hinc *marasmus*.

Quoad *causas paraplegiæ*, communiter *obstructionem nervorum* accusant, quæ tamen nec cum modo fiendi, nec cum cura bene convenit. Saltim non *universalis causa* hæc esse videtur, siquidem *& per consensum* aliarum partium remotarum paraplegiam fieri observatum fuit. Nempe sicut notum est, quod graviores *passiones hystericas* subinde epilepticæ convulsiones superveniant, ita iisdem *paralyses & hemiplexias* supervenisse observatum fuit, in specie à *Quercetano in Tetrade gravissimorum affectuum*. Item *Lumbrici* uti convulsiones & epilepsias excitant, ita etiam ad paralyses terminantur, teste *Salmuth Cent. 2. obs. 45.* Hinc etiam apoplexiam paraplegia lateris sinistri & convulsio dextræ insecutæ fuerunt. *Vid. Schenck. in obs.* Ut taceam paraplecticos desperatos quosdam

dam subinde *ex graviori animi pathemate*, irâ vel terrore ex improviso curatos fuisse, autore *Horstio l.* 11. *obs.* 15. adeoque

Paraplegiæ istæ *pro fiendi ratione* nunc **privativæ**, nunc **positivæ** esse videntur, & in his positivis *aliquid convulsivi* omnino intercedere, dicta modo ratio, & cum affectibus convulsivis facilè permutationes omnino persuadent. Sed cum in specie apoplexias non lethales ferè ordinariò insequantur paraplegiæ, hujus **permutationis ratio** est inquirenda: Equidem *apoplexiam sanguineam universalem*, quæ ex sanguinis extravasatione evenit, utplurimum lethalem esse existimo. Alia *sanguinea privativa*, quæ tantum ex motu sanguinis intercepto in vasis cerebri oritur, si universalis sit, quomodo in paraplegiam transeat, sanè obscurissimum, nisi forsan V. S. largior sanguinis motum promovendo, saltim alterius cerebri lateris affectum *particularem* reddat, qui ante *universalis* erat, ita ut saltem in altera cerebri medietate, aut saltim circa nervorum exortum & sanguinis consistentis & turgescentium inde vasorum vitio paraplegiæ oriantur; Imò *si apoplexiæ privativæ sanguineæ paraplegia supervenerit*, probabile est ex sanguine congrumato aut subsistente plus minus laticem aquosum fecisse secessum, & vel interius profundius penetrasse per cerebrum in caudicem medullarem, vel exterius defluisse, secundum situationem spinalis medullæ & ita unius alteriusve nervi læsione vel oppressione paraplegiam intulisse in *privativa* & *lymphatica*, aut huic cognata, si unquam observetur, *pituitosa apoplexia*; unde lymphæ materiæve peccantis in caudicem medullarem interiora versus progressus, adeoq; obstructiones, vel ejus secundum radicem spinalis medullæ defluxus & certis in locis compressio paraplegiam inferre potest, ut satis plausibile videtur. *Imo forsan aliqualis irritatio* contractioni fibrarum & membranarum circa principium nervorum originem subministrare & hinc sufficientem spirituum influxum impedire poterit.

Positivam apoplexiam etiam excipere paraplegiam, res nota est, sed **modus** est admodum obscurus. Esse tunc paraplegiam *contracturam partium nervosarum* circa radicem spinalis medullæ, qua impediuntur spirituum pro motu transitus, ut *Helmont* asserit, non improbabile est; *sed quomodo fiat*, revera intricatum; interim tamen *sicut* calculus in rene subinde crus istius lateris stupidum & semiparalyticum reddit, aut quando colicam intestinorum convulsivam ex improviso, vel crurum paralysis, aut hemiplegia insequuntur, si causa materialis coommunicetur ex simplici partium nervosarum concursu; *ita* similiter probabile est, *per consensum nervorum*, eorumque fibras circa sui radicem in caudice medullari, aut in hujus progressu contractas, spirituum sufficientem pro motu impediri influxum, sicque partes, ad quas isti nervi distribuuntur, sensu & motu plus

plus minus privari. Ex hoc enim *permutationis ratio effectuum paralyticorum & convulsivorum* & earum *identitas* optimè explicari possunt.

Quoad *prognosin*: *Paraplegia* quævis malum difficile est curatu. *Levior* tamen & curatu facilior est *primus gradus*, *gravissimus* & contumacissimus est *ultimus*. *Si parti paralyticæ vel tremor superveniat*, aut formicationis sensus, aut doloris molestia, bonum signum est pro restitutione. *Quò magis calor* membri paralytici *deficit*, eò minor spes superest.

Quoad *curam*: Eadem ferè, quæ in apoplexia universali curanda monita fuerunt, etiam in paraplegia observanda. *Remedia* verò ipsa *appropriata* sunt eadem quæ *epilepsiæ* aut *apoplexiæ* medentur. *Vomitus* in quavis paraplegia est optimus, & quidem forte necesse est *vomitorium*; quem in finem ☿ *ium vitæ* cum *scammon.* adhibet *Hartm.* sicuti inter *purgantia* pro stimulo *colocynthis* usurpanda. Subinde etiam *V. S.* sed in latere opposito instituenda venit, non tamen semper æquè necessaria est. *Lindani* verba sunt: V. S. " instituere, nisi plethora adsit, magis jugulat, & puto ideò multas curationes " malè succedere, quod in principio sanguinem mittimus, statim vomitorium " propinandum idque ab initio. Adeoque *vomitoria* inprimis in paraplegia, " quæ sequitur apoplexiam positivam conveniunt. Sicuti *V. S.* magis locum habet in eâ, quæ sequitur privativam, ubi etiam *fonticuli*, it. *vesicatoria*, nuchæ admota, & *cucurbitulæ* intra scapulas conveniunt. Utrobique vero *V. S. adhibenda in plethoricis*, aut in quibus solennis quædam sanguinis excretio suppressa fuerit.

His & similibus præmissis inter *remedia interna* præ cæteris laudantur *sudorifera*, tam generalia illa *ex lignis*, quam in specie ☉ *diaphoret. Poter. cinnab.* ♁ *ii*, *coralliata*, *cranium hum. it.* θ*ia volatilia*, *spir. sangu. hum. liquor CC. succin.* hæc omnia sunt præstantia. ☉ *diaphor.* certè in frequentissimo usu habuit *Poterius* & elegantes curas in paralyticis præstitit: Paravit ex ☉ *fulminante* cum *dupl. flor. sulph. fixat.* & cum *spir. anisato* digesto. Sicuti aliàs idem cum ☿ *io* ♁ *ii* præparavit nobiliori modo & effectu *vid. Pharm. Spagyr.* in fine & in specie *Cent. 2. obs. cap. 66. 87.* & *Cent. 3. c. 14. Cent. 1. c. 73.* Aliquando viro adulto affectu quasi paralytico correpto dedi *conserv. flor. tunicar.* ℥j. ☉ *diaph.* ℈j. M. pro 2. dos. Prima dosis cum blando sodore tormina abdominis & mirabilia excreta excitavit, altera vice verò copiosum sudorem emanare fecit cum

euphoria. Aliàs *decocta sudorifera ex lignis*, interpositis hujusmodi *appropriatis* sunt optima. Speciatim *decoctum lign saſſafras* eſt egregium, ex quo & *baccis lauri* paratum *decoctum* efficaciter paralyticum reſtituit. *Vid. Poter. Cent. 2. obſ. 26.* it. *decoctum ſaſſafr. cum roſmarin.* inprimis convenit, quod ſingulare quid obtinet in hujusmodi nervorum affectibus. Item *helenium*, ejusque *rad.* dictis *decoctis* additum, bene convenit. v. g.

℞. Raſur. ligni ſaſſafr. ℥ij.
herb. roſmar. recent. Mj.
baccar. lauri ℥ij.

coq. in ▽. & vino an. ℔jß. in cucurbita ſuo alembico munita, decoctum & deſtillatum M. adde

ſpir. juniper. ℥jv.
θ✳ci ʒiij.
ſyr. flor tunic. ℥iij. M.

Cum his internis optimè *externa* vertici, aut regioni ſpinæ dorſi, aut in paraplegia in ſpecie ſic dicta, ſaltim loco, unde exoritur nervus partis affectæ illinenda conveniunt: *Ol. deſtill. ſuccini*, *lavend ſpicæ. Galbanet. Paracelſ.* optimum eſt. It. *S. V. camphoratus* ter quotidie in loco calido bene affricando parti paraplecticæ. Conveniunt it. *eſſentiæ* ex infuſis nervinorum, vel ▽. *articularis ad extra* cum *eſſent. caſtorei*, extracta cum ▽. *ſpirituoſa lil. convall. cum vino*, pro frictione ſpinæ dorſi eſt egregia. His ipſis ſpirituoſis aquis & θ. *volatilia*, in ſpecie *ſpir. & θ volatil. lumbric. terreſtr.* ac *formicarum* addi poſſent. Quod ſi ſpina dorſi probè his ipſis perfricata fuerit, applicandum deſuper *linteum cum gumm. animæ* probè ſuffumigatum atq; calidum; vel præmiſſis cum ▽. *ſpirituoſis* frictionib⁹ iſtis, *olea* ſupra laudata deſuper illinenda ſunt, ut apertis his mediis poris penetrantioris efficaciæ ſint hæc ipſa, quibus etiam *ol. tartari* vel *ex pinguedinibus* aut partibus animalium deſtillata & rectificando ſuper *oſſa calcinata* à fœtore liberata addi poſſunt. Illinuntur hæc *olea* nunc ita ſimpliciter, nunc ubi nimis acria fuerint, parvasque puſtulas excitent, ſubigenda ſunt vel cum *pinguedine humana* vel miſcenda cum *ol. lumbric. terr.* per *decoctionem* & ita illinenda. *Ipſa membra paralytica ita illinire ſuperfluum videtur*, cum malum in illis non hæreat, ſed ipſa ſaltim paſſivè ſe habeant. Nihilominus tamen cum hujusmodi frictionibus & litibus aſperis, calidis ac penetrantibus irritentur partes ſenſiles, & hujus medio provocetur plus minus ſpirituum impetus, propterea & ipſas partes ita reſolutas his modis tractare conſuetum eſt, & propter hunc finem ſolent *O plumenum* tam *crudum*, quam, quod præſtat, ſecundum *Wurzium præparatum* dictis litibus addere. *Balnea* denique *ex formicis* ſeu *ſtuffæ ſiccæ*, revera ſingulare quid obtinent in paraplegiis curandis, Conf. *M. A. N. C. Ann. 4 p. 137.* e. g.

℞.

℞. Spir. vin. Camph. ℥iij.
spir. lumbric. terrestr. ℥jß.
Essent. castor. ʒvj. M.

℞. Liquor. lumbr. terrestr. in cliban. parat. ℥iij.
ol. destil. spicæ.
junip. an. ʒiß.
lavend.
majoran. an. ʒß.
succin. ℈ij. addi etiam potest
☉ plumei ℈j. M.

Partibus affricetur, hinc *bals.* seu *ol.* inungatur, quibus & desuper subinde circa locum affectum *emplastrum ex nervinis & aromaticis* imponi potest. Pro ▽*is articularibus ad extra*, quidam

℞. Sem. sinap. p. 1.
bacc. junip. ℥ij. contusa infundantur in spir. vin. eundemq; imprægnatum partibus affricant, pro quo scopo & ipsum magma simpliciter adhiberi potest. Alia plura remedia contra paraplegiam vid. in *M. A. N. C. Ann. 6. Append.* 44.

Cognatum *Paraplegiæ* malum est

PARALYSIS,

utut vulgò erroneè confundantur. Nam *Paraplegiæ* sunt *apoplexiæ particulares*; *Paralyses* vero sunt resolutiones membrorum tales, in quibus primariò motus deficit, superstite plus minus sensu. *Stupor* ècontra est affectus, in quo deficiente in partibus sensu superest motus. Græcis ἀναισθησία dictus, quæ *tria* mirum invicem confunduntur. Genuino sensu *Paralysis* apud Priscos propriè significabat resolutionem nervorum à παραλύω, resolvo, idque inprimis interprete *Celso*, hoc in puncto accurato. *Nervus* enim, Græcis νεῦρον, ab ipso dicitur vel tendo musculorum vel ipsum ligamentum, quo nectuntur artus. Id vero quod hodie vocamus *nervum*, Prisci generali nomine *venarum* complexi fuerunt.

Paralysis igitur ex genuino sensu erit *resolutio & relaxatio* istius constructionis, quam debet habere nervus, seu tendo & ligamentum, quibus mediantibus connectuntur & proximè moventur artus; quæ ipsa instrumenta quando sunt laxiora, non possunt movere istas partes. *Talis affectus est*, quem describit *Bontius in sua Medicina Indorum* sub nomine *Boriberi*. Conf. etiam *Tulp. obs. l. 4. c. 5. item Act. Med. Hafn. vol. 4. p.* 145. Est nempe hic affectus *genuina* Vete-

rum *Paralyſis*, ſeu univerſum corpus, ſeu certas ſaltem partes occupet. Nempe *ceſſat primariò motus* in membro paralytico, ſenſu plus minus ſuperſtite, malumque eſt in ipſa parte affecta, minus vero in nervo. *Quod ſi paralyſis*, quæ fit motu læſo, *eſt levior*, ita ut remaneat ſenſus tactus, vocatur *pareſis*, qualis eſt iſta, quæ imprimis *ſcorbuticos* affligit, aut *poſt colicam* accidit. Quando vero ſenſus & motus unà pereunt, dicitur *paralyſis*, gravior ſcil. ſpecies. Quomodo autem ſenſus ſupereſſe poſſit, motu deficiente, licet uterque ab eodem prodeat principio, optimè declarare videtur *Willis de anim. brut. p. 2. p. 280.*

Ex dictis patet, quod propriè *paralyſis* ſit ἀτονία fibrarum nervearum & muſculorum præcipuè in tendinibus & ligamentis, quæ propter ἀτονίαν reſolutæ ineptæ ſunt, ut convenienti robore membrum firmare poſſint, qui levior affectus dicitur *pareſis*. Hæc vulgo dicitur *paralyſis notha*, ſed ex falſa hypotheſi, quia putant paralyſin oriri ex obſtructione nervorum, & inſequi apoplexiam, qualis obſtructio, cùm non ſit obvia in pareſi, propterea eam *paralyſin notham* indigitant.

Facilis aliàs eſt *diſtinctio* inter *paralyſin* & *paraplegiam*. *Nam differunt I. origine:* Nam *Paraplegia* ſequitur imprimis cerebri & ſpinæ morbos & frequentiſſimè comitatur Apoplexiam, Epilepſiam, Convulſiones &c. cum dicti affectus ſubinde ſint mutuò permutabiles. *Paralyſis* vero ſequitur imprimis ſcorbutum, aut colicam convulſivam: Frequentior eſt regionibus, in quibus copioſum vinum bibitur. Item cauſis externis ſubinde ſupervenit. II. *Subjecto:* Nam *in paraplegia* primariò nervi, *in paralyſi* inprimis afficiuntur tendines & muſculi. Hinc medicamentorum topicorum diverſa in utroque affectu applicandi ratio, quæ in paraplegia magis origini nervorum partis affectæ, in paralyſi ipſi parti affectæ applicanda. III. *Symptomatibus:* Nam *in legitima paraplegia* ſenſus tactus utplurimum cum motu tollitur, *in paralyſi* vero plerumque ſenſus tactus ſupereſt, quandoque etiam cum ſenſu doloroſo tantummodo motus tollitur. IV. *Paraplegia* à principio ferè ad finem eodem habitu eſt conſtans & quodammodo perpetua & utplurimum medicorum manus fallit. *Paralyſin* vero & *Pareſin* conſtat ſæpius per intervalla ægros vexare, ceſſare, redire, quandoque cum *arthriticis* quaſi *doloribus* complicari, quin & interdum in *convulſiones* abire, niſi in malo confirmato pertinacem *contracturam* poſt ſe trahant. Adeoque in *paralyſi* motus perit, ſepoſito utplurimum ſenſu. Rariſſimus è contra eſt affectus, ut pereunte ſenſu remaneat motus & tunc malè quoque ad *paralyſes* refertur, cum tamen ἀναισθησία ſit, ſeu *inſenſili-*

tas

tas, aliis *stupor* dicta. Sunt, qui hoc negant. Practicorum tamen experientia aliud docet. *Boyle de usu Phil. experim. p. 2. p. 73.* refert historiam de virgine in cujus toto corpore sensus tactus fuit abolitus, ipsa, quoad externas functiones omnes sana, suasu Medici per repetitum exercitium ♀ eum curata. Curiosissimum est exemplum perfectæ ἀναισθησίας in toto corpore cum ἀφωνίᾳ quæ per sectam venam sub lingua curata in *M. A. N. C. Ann. 3. p. 454.* Quomodo negotiū hoc fiat, adhuc incertum est, in cura tamen præter *decoctum lign. sassafr.* & quælibet ejus præparata ceu appropriata laudantur à *Brunnero Cons. 28. p. 162. Elixir Galbaneti cum oleo juniper.* sicut *fl. hyperic. essentia* cum fructu usus est *Hillerus Cur. 83.* & stuporem cruris usu externo *spir. vin. rectificatissimi* curavit *Tachen. Hippocr. Chym. edit. 2. p. 147.*

Redeo ad *Paralysin* & *Paresin*, cujus *causæ* etiam sunt vel *privativæ*, vel *positivæ*. *Illæ in nervorum dissolutione* & *compressione* consistunt; quò etiam pertinet, quando *nervorum* particularium per μετάστασιν causæ morbificæ fit *obstructio*, aut *compressio*, aut alia nondum satis cognita alteratio. Ut quando variolas aut erysipelas faciei repulsum sequuntur *paralyses*, quæ tamen omnes à causa privativa excitatæ paralyses, revera potius *paraplegiæ* sunt, hodie consuetâ confusione invicem confusæ. Hinc etiam *ad paralysin* referunt, quando per vulnera *dissecantur nervi*, aut quando sunt *compressi* aut distorti *in luxationibus*, aut *casu ab alto*. His enim modis denegatur spiritibus animalibus debitus influxus, unde paraplegiæ potius, quam paralyses. Sic *Höferus Herc. Med. p. 9.* ex luxata vertebra coxæ proxima, paralysin partium inferiorum notant. Sic *percussiones capitis* excitant paralysin vel potius paraplegiam in opposito latere. Hinc quidā ex arbore decidens ob contusionem in osse sacro, paralysin dictam pedum incurrit, autore *Bartholin. Cent. 5. obs. 8.* Similiter paralysin sinistri lateris, convulsionem & mortem ex contusione musculi temporalis à lapsu notavit *Glandorp. specul. Chirurg. obs. 10.* Quò pertinet gibbus paralysin sensim inducens, cujus cura vid. in *M. A. N. C. Ann 2. p. 333.* Sed hæc ipsa modo allegata potius paraplegiam quam paralysin inducunt, non secus ac quando *à variis faciei repulsis* primo arthritis, post paralysis & brevi mors secuta fuit, notante *Salmuth Cent. 2. obs. 35.*

Positiva igitur paralysis est, quæ propriè *paralysin* constituit, sive ejus *causa* sit *externa*, sive *interna*. *Externas* inter humectatio & refrigeratio nimia, indeque nata resolutio tendinum & fibrarum. Hinc ex diuturniore morâ in ▽ frigida pluviosa, item ex frequenti natatione in frigida paralyses observatæ fuerunt. *Vid. Zacut. Lusitan. l. 1. prax. admir. obs. 34. & 37.* Hinc etiam iis, qui diutius in pluvia versantur & vestimenta madida super corpus exiccari permittunt, in uno alterove membro paralytici evadere solent, qualia exempla

vid.

vid. in *Horstii observ.* De torpedine pisce res nota est, quod sub attactu stuporem & paralysin inferat, de quo ipso accuratam Anatomen edidit *Stephan. Florenzin.* ubi observat in certo quodam corporis ejus loco saltim residere vim istam, unde emissa effluvia torporem inducant. Præter quam torpedinem etiam certa conchylium species noviter reperta fuit, quæ & ipsa sui contactu stuporem paralyticum induxit, teste *Kirchero in regno naturæ magnet. sect.* 4. c 4. p. 182. Denique ☿ius, ut infensissimus est partibus nerveis, ita ☉rifabri, item qui specula inargentant, subinde paralysin contrahunt. *Vid. Forest. l. 8. obs.* 5. Hinc etiam ii, qui in fodinis ☿ii Friulensibus laborant. Vid. *Acta Societ. Reg. volum.* 1. p. 18. Suppressio consuetorum excernendorum itidem ad paralysin disponit, in specie sanguis suppressus; sic mulier ob suppressa lochia post partum paralysi crurum & febre ardente correpta, sectâ venâ in talo curata. *Zacut. Lusit. l. 1. prax. admir. obs.* 35. Sic ex suppressa hæmorrhagia narium paralysin lateris dextri notat *Bartholin. Cent.* 4. *obs.* 69. Nempe non rarum est. V.S. adsuetos, si eam intermittant, torporem quendam & lassitudinem quasi paralyticam in uno alterove membro percipere, nonnisi sanguinis missione solvendam. Affectus denique animi graviores & ipsi paralysin inferunt. Sic ex subita consternatione natam paralysin vid. in *M. A. N. C. Ann.* 4. p. 14. non secus ac ex nimio mœrore & inedia paralysin natam refert *Zacut. Lusit l. 1. Med. Princ. Hist.* 46. Quæ ipsæ paralyses non tam ad positivas quàm privativas pertinere videntur. In specie paralysin positivã infert, idque ex causa interna *acidum volatile* seu *spirituosum*, haud tamen adeò *acre*, sed ferè *austerum*, nunc seri, nunc forsan ipsius spiritus influi vehiculo ad partem quandam nerveam delatum, cujus occasione fibræ unius alteriusve tendinis aut musculi affici ac quasi nonnihil intorqueri aut corrugari videntur, unde motus defectus cum sensu plus minus deficiente, aut saltim aliquali stupore juncto.

Talis est contumacissima illa *paralysis*, quæ *ex vino*, quæ *ex scorbuto* & hinc quæ *ex colica* oritur. Notum est in quibusdam regionibus *vini potatores* subinde reddi paralyticos cum partis nunc stupore, nunc partis quodã sensu verminante & obscurè lancinante; & hujusmodi paralysibus inveteratis, tandem membri contractura supervenit, affectus, qui ex *acido volatili austero* derivari potest, cum notum sit, acida corrugare plus minus partes nerveas, adeoque in his casibus vel tonus naturalis fibrarum solvitur vel corrugatio plus minus naturalis inducitur. *Observantur tales frequenter in Austria, Moravia*, ex potu vini istius loci. Sicuti aliàs quælibet *vina* præmaturè *sulphurata*, quæ minus sub fermentationis debita absolutione sulphur & fæculentias potuerunt præcipitare & sulphur narcoticum exhalare, ad hujusmodi para-

paralysin disponunt. Nempe *acidum* est *volatile* nonnihil *austerum*, quod in stomacho non ritè correctum pergit ad membra & partes extimas & extra nervosas partes, fibras, tendines & ligamenta defigitur, adeò ut pereunte motu sensus vel defectuosus vel vitiosus remaneat, donec & hic deinde pereat. *Quod si magis volatilisatum*, adeoq; & spirituosius vinum fuerit, ac *synoviam* articulorum infecerit, *podagram* infert, aut inficiendo spiritum insitum, aut fermentum renum *lithiasin*. Unde præmissis præmittendis *paralyses* tales & hinc natæ contracturæ *lacticiniorum* usu inter alia optimè curantur. Vide de vino ad paralysin hanc disponente *M. A. N. C. Ann.* 2. *p.* 70.

Scorbutus frequenter hujusmodi *paralysin* inferre solet, eamque planè singularem: *Sensim inchoat* & procedit & primò saltem vagus stupor aut insensilitas cum formicationis sensu partem prehendit, unde successivè labefactari tonus membri & magis magisque paralyticus reddi incipit. *Est autem vaga* vel minus constans nisi nimis inveterata fuerit, ita ut æger uno die melius in altero pejus habeat, uno die ferè incedere, altero die decumbere cogatur. Hinc nunc digiti, aut manus, aut pedum intumescere, nunc detumescere observantur; nunc unus alterve digitus stupet, qui brevi melius se habet. *Sensus manet utplurimum*, aut saltim aliqualis stupor inducitur; subinde cum dolore gravi utplurimum vago, raro, fixo, juncta est; jacentes ferè commodè membra movere possunt, sed stantes vix denuò pergere, nec absque dolore aut stuporis sensu incedere possunt; sicuti hunc ipsum affectum omnium optimè delineat *Dravviz de scorbut. sect.* 3. Sanè *acidum volatile austerum* est, quod hic peccat, quod nerveas fibras diversimode afficiendo *nunc* aliquid convulsivi, *nunc* aliquid paralytici infert, ita ut hujusmodi paralysis quasi medium quid sit inter morbos paralyticos & convulsivos in specie sic dictos. Unde non rarum est, ut in talibus ægris scorbuticis membrum nunc spasmo contractum *rigidum* reddatur, nunc paralysi affectum idem *flaccescat* & plus minus stupeat, prout nervi vel fibræ tendinum vel acido irritantur, vel austero intorquentur.

Par est ratio istius *paralyseos*, quæ insequitur *colicam* & quidem istam quæ est magis *habitualis* & quæ vulgò à tenui acri humore oriri dicitur & aliâs à Practicis *colica biliosa* vocatur. Alvus est pertinaciter clausa, tormina atrociora & contumacissima vexant, purgantibus quibusvis per os assumtis maximè exasperatur malum, umbilicus interiora versus retrahitur, *Quod si vel malè tractetur*, quod imprimis fit, si irritetur acrioribus aut purgātibus aut plus minus desævire videatur, successivè unius alteriusve aut plurium membrorum stupor, hinc subita motus impotentia, tandem perfecta paralysis supervenit. *Si negotium hoc rectè consideretur*, revera est *colica* ratione modi *cõvulsiva*, ratione causæ occasionalis materialis *scorbutica*; nidus verò & fomes in plexibus mesenterii nerveis est:

Acidum austerum imprimis *scorbuticum* est, quod has turbas dat in abdomine. *Dubium saltem est, quomodo colicam talem paralysis artuum insequatur*, cum interdum subitò atque cessat dolor, membra observentur paralytica. Nempe *in principio* mali paralytici saltem *convulsivi quid* subest, unde spirituum interrupto influxu stupor & aliqualis insultus paralyticus supervenit. Hinc *colica* talis in *paralysin*, subinde in *convulsionem*, subinde in *arthriticos dolores* in principio mutationis suæ terminatur, *donec* ipsum acidum volatile circa mesenterii plexus resolutum, materialiter partes istas ita malè affectas attingens, perfectam paralysin & tandem ex fibrarum tendinosarum congregatione contracturam efficiat. Nempe *sicut renum calculum stupor* crurum non rarò comitatur, ita & hoc malum nonnihil remittens, ex simplici consensu unius alteriusve membri ex nervi spasmo & spirituum interrupto motu paralytica dispositio insequitur, donec malo inveterato ipsum quasi per πρωτοπαθείαν fiat, quod quoad originem, saltem per δευτεροπαθείαν erat. De cætero par ferè hujus cum *paralysi scorbutica* videtur esse ratio.

Quoad *prognosin*, *qualibet paralysis* curatu est difficilis, eò magis, *quo magis inveterata* est, unde partes contractæ. *Quò magis vagum* est malum, eo major curationis spes, quo plus de sensu superest, eo melius.

In *cura observanda diversitas affectuum*, eorumque origines, quæ *paralyses* uno nomine dicuntur. Adeoque in genere 1. *causa corrigenda* & removendæ. 2. *Appropriatis* & in specie *nervinis* aromaticis ac volatilibus *partium nervosarum tonus restituendus* & roborandus.

In privativa igitur paralysi, plus minus paraplegiis cognata, *si ex causis internis*, præsertim ex metastasi materiæ morbificæ oriatur, eodẽ modo ægri curandi sunt, ac de *paraplegiis* monitum. In quem finem *sudorifera* moderato usu sunt optima; quin & in malo contumaciori nil obstat, quo minus *salivatio* instituatur, de quâ vid. imprimis *Willis de anim. brut. P. 2. p. 9. Sin verò à vitio externo*, contusione, luxatione &c. malum ortum fuerit, conveniunt in genere *litus ex aromaticis & nervinis*, in specie *bals. peruv. balsamus paralyticus, Mynf. emplastrum nervinum* cum *tacamahaca* mistum. In specie *internè & externè ol. destil. lavendulæ. Litus cum petroleo, vel solo, vel ol. juniperino* nonnihil acuato hic est egregius. *Quod si oriatur paralysis membri ex humectatione* & relaxatione tendinum ac ligamentorum, seu *à causa interna* seu *externa* oriatur, convenit in specie tunc *ol. terræ* cum *axung. human.* & *anserina* mistum & parti affectæ illitum. Item *empl. ex tacamahaca & galbano*, cum *ol. destill. succin. & Philosoph.* malaxat. & circa articulos applicatum; item si eò usque procedat malum, ut ligamenta

menta ita quoque resoluta paralysin aut relaxationem ferè membri inferant, confert *Empl. stické cum Crollii cum ol. Philosoph. & terræ* malaxatum. Internè cum *theriaca* sudor crebrius provocetur. Sed de his affectibus vid. imprimis *Barbette in Anat. Pract. c. 5. & 10. Sin à ☿iali veneno* malum ortum fuerit, convenit inprimis *decoctum fœnic. et helenii*, supra ubi de tremore laudatum. Sicuti ubi per sudores *venena ☿ialia* sufficienter exclusa fuerint, *lac* & *serum lactis* commodè propinari possunt. Sic enim *Höfer. Hercul. Med. p. 9.* paralysin ex fumis metallicis in ☉fabro per *serum lactis* curatam refert. *Sin excretionis cujusdam suppressio* paralysin infert *V. S.* & hinc *sudor* conveniunt. *Quodsi acidum volatile fuerit*, quod in specie paralysin inferat, observandum erit, quod in tali casu propter fomitem altius in sanguine vel primis viis radicatum, præter specialem paralyseos curam simul præmissis debitis *alterantibus* aliisque *appropriatis* fomes iste eradicandus veniat, semper ad acidum austerum plus minus volatile respiciendo. Propterea quælibet fortiora *purgantia* sedulò hic fugienda, quia si talia in principio adhibeantur, uno latere paralysi tentatus, tandē in altero simul afficitur; saltem *helleborinis* mitioribus iisque partitis vicibus *purgatio* blanda instituenda venit, id quod pariter in scorbuticis probè observandum venit. Imò si scorbuticis membrorum affectibus correptis, imprimis paralyticis fortiora propines *purgantia*, facillimè morbos convulsivos iisdem conciliare poteris. Hujusmodi igitur in paralyticis affectibus conveniunt omnia *epileptica* & *apoplectica fixa*, uti sunt *unicornu verum, cinnab. ♁ii, ☉ diaph. ♁ diaph. ♂al.* Hinc quælibet *volatilia urinosa*, in specie *spir. tart. volatilis* & hinc *tinctura bezoard. spir. θ ✱ spir. lumbric. terr. spir.* & *θ. volatile viper.* & hinc *aromatica appropriata. Rosmarinus, castoreum*, remedia ex *lignis, theriaca & extracta theriacalia* ac similia. Istis præmissis simul *diæta temperata* & probè nutritiva *lactea* instituatur, cum *lac* præmissis præmittendis sit optimum in his, ne nervea loca succo suo blando defraudentur.

Si scorbutus in recessu sit, hæc ipsa quoque locum habent. Observandum autem in specie, quod juxta *volatilia* ista *urinosa* primatum obtineant *turiones pini* & *abietis*, præsertim cum *rad. chinæ* præparati, v. g.

℞. Turion. abiet. ℥iß.
rad. chinæ ℥j.

incisa & contusa coq in ▽ & cerevis. ad medietat absumtionem. Decoctum coletur, bibatur bis quotidie, expectando præsertim manè blandum sudorem. *Decoctum betonic. c. bacc. junip.* quoque laudatur. *Vid. Dravviz de scorbuto p. 167.*

Istis debitè præmissis *serum lactis cum antiscorbuticis* mistum, & ipsum quoq; *lac* egregium est, curamque absolvit: Sed ut monui, necesse est, *præmissa* sint *universalia* non tam laxantia, quam primò *fixa absorbentia*, hinc *volatilia*, quibus præmissis tandem ad ista appropriata acceditur.

Quod si denique colicam insequatur paralysis, cautus vel maximè sit Medicus in *purgantibus fortioribus*, cum ejusmodi colicæ exinde exasperentur & provocentur magis paralyses & convulsiones. Nervus totius *cura ad abdomen* dirigendum, adeoque *clysmata lenientia & abstergentia*, it. ex *lacte & terebinth.* optima sunt. Quo frequentius injiciuntur, eò magis prosunt & eò magis à paralysi præservant. Hinc internè *sem. 4. calid. maj.* eorumque in fine *decoctum*, aut alia ex iisdem parata remedia teste *Helm.* sunt *appropriata* intestinorum solamina, quibus & adjungatur *Helenii decoctum*, præmissis præmittendis, ejusve *essentia* pro blando sudore propinatum. *Decoctum milii*, seu ut aliàs vocant *Syrup. Divi Ambrosii* mirabiliter laudatur in hujusmodi *paralysi ex colica* per sudorē hanc ipsam removens. Quibus si *lignum sassafras* addatur, foret eò melius. *Serum lactis* cum *antiscorbuticis* & similibus medicamentum nobile est in hac colica & inde nata paralysi. Hinc ceu summum appropriatum accensetur *galbanetum Paracelsi*, tam simpliciter secundum modum *Hartm.* paratum *Prax. Chym. c. 12. §. 8.* quam præstantius illud *Dravviz. p. 193*: Hoc ipsum non solummodo umbilico inungitur frequenter, sed etiam ipso membro paralytico, si prius *spir. tartari*, aut *spir. ♄ ✻ ci vinoso* fuerit probè perfrictum, quod *galbaneto* hoc quotidie ter ungatur ad imitat. *Hartm. Prax. Chym. c. 13. §. 4.*

Observandum tamen quoad externa, hîc, *si scorbutus subsit*, non semper hujusmodi calida acria convenire, quoniam interdum magis videntur exasperare malum. Potius igitur temperata prius tentanda, antequam ad acriora illa fiat accessus. *Observandum quoque quoad externa*, non semper convenire *unguenta* aut pinguia poros cutis plus minus obstruentia, adeoque præstat interdum, uti *suffitibus, fomentis, lotionibus*. Adhæc *quoad externa observandum* est monitum *Quercet.* ut in administratione topicorum Medicus debeat expendere, *an paralysis sit ab humore ▽oso*, aut *pituitoso*, sero quocunque modo vitiato, & æger sit similis constitutionis, parsque paralytica prius intumuerit, quod tunc medicamenta subtilia, calida & penetrantia commodè adhiberi possint. *Quod si verò sit constitutionis biliosa* & pars affecta jam emarcescat & plus minus in atrophiam labatur; ab iis abstineat Medicus.

Inter *externa* igitur hæc, præter *galbanetum* modo laudatum & quod cum eo ferè coincidit, *oleum Divinissimum Fallopii vid. Velsch. Hecat. 2. p. 56.* it. *balsamum Paralyticum Mynf.* Conveniunt etiam *▽æ articulares ad extra dictæ*. Quarum loco omnium sit hæc formula:

℞. Fol. Nicotian.
origani,
sambuc. an. Mi.

rad.

rad. angelic.
pyrethr.
aron. an. ℥j.
euphorbii.
castorei an. ʒvj.
piperis utriusque ʒiij.
flor. stœch. Arab.
lavend.
lilior. convall. an. ℥ß.
sem. erucæ ℥jß.

Concis. & contus. affund. S. V. digerantur, filtrentur, & hac ipsa essentia fricentur partes externæ paralyticæ. Vel abstrahatur ab iisdem S. V. aliquoties cohobando, & ita dicto modo applicentur.

Notandum autem quod hujusmodi *externa* applicanda post provocatos sudores eorumque absterfionem, post aliqualem ægri requiem, dum pori adhuc sunt aperti, melius applicentur, quia promtius operantur. Porro *tinct. seu essentia succin. cum S. V. rectific.* parata, membris paralyticis contractis aut quomodocunque refrigeratis rite cum successu inungitur. Hisce commodè & *♁ia volatilia* addi possent, v. g.

℞. ▽. Articular. ad ex. ℥iij.
spir. ♁✱. c. calc. viv. ℥j.
lumbric. terrestr. per putr. ℥ß.
M. S. Eusserliches Gliederwasser.

Item *spir. tart. rectificatus* mistus cum duplo S. V. perquam egregius est in paralysi ex colica. Pertinet huc *urin. hum.* quæ ratione *♁is volatilis* itidem pro membris laudatur paralyticis & hinc frictio membrorum cum *urin. pueri* calidâ. Vel secundum *Stöckerum in praxi*

℞. Urtic. maj. Miij.
chamom. Mj.
cumini ℥j.
♁is ℥iij.

pistentur omnia in mortario, decoq. in *urin. hum.* ad quartæ partis consumpt. & in tali balneetur membrum manè & serò; postea pannis ex decoctione madefactis involvatur de nocte & die; postea membrum cum *ol. vulpino* inungatur donec sanetur. Nempe *urtica* & *urticationes*, vetus jam sunt remedium, conveniens tamen inprimis in paraplegiis. Hinc *Ferdinand. hist.* 46. dicit, quod *præmissis urticationibus* optimum sit pungere corpus urticis & testor Deum, me hoc genere remedii pluries esse usum, & semper maximâ cum utilitate & felici-

 tate

tate, & nunquam votis sum deceptus. Qui ferre possunt *olea destillata*, his eadem maxime sunt proficua, v. g. *juniperi, spicæ, lavendulæ*, it. *ol. destillata rectificata ex tartaro, lignis, Galbano* &c. quibus etiam adde *petroleum*, quod pariter est egregium. Hæc *olea*, *ol. nucistæ* excepta illinuntur & affricantur partibus affectis. Quibus vero acria ejusmodi non æquè conferunt, ut fit quibusdam scorbuticis, temperata magis conducunt, atque tunc inprimis convenit *pinguedo humana, viperina, castorina, anserina*. Hæc ipsa nunc solitariò, nunc cum *petroleo*, aut *ol. terræ* & pauco *oleo* quodam *destillato* nonnihil acuata & bene calida, præmissâ debita frictione applicari possunt, idque inprimis, quando atrophia membri metuitur, tunc temperata talia magis conducunt, præsertim *pinguedo anserum aromatica* & ex iisdem assando prolicita est egregia v. g.

℞. Anserem masculum deplumatum, eviſceratum & vino lotum, hinc
thuris alb. mastich.
myrrh. an. ℥ij.
unguent. martiat. ℥vj.

Anser consuatur, & in veru debito modo assetur, 🜄, quod prodit abjicitur; subsequens vero *pinguedo* asservatur pro usu. Hinc *liquoris* istius cuilibet ℥j. addatur pulveris *vermium terrestrium* ʒj. & ita illinantur; Vel potius ex istis fiat pasta, destilletur lento △e per retort. & habebitur oleum egregium pro unguentis paralyticis. Parili ratione venter *ciconiæ* impleri & hujusmodi linimentum elici potest. Non negligenda sunt in paralyticis affectibus *balnea ex formicis* it. *vinaceis*. Ista *ex formicis* revera egregia sunt in paraplegiis, it. in paralysi ex resolutione & relaxatione tendinum ac ligamentorum. Hæc vero ex *vinaceis* nobilissima sunt in paralysi scorbutica, paralysi ex colica, aliisque ex acido vitioso natis: Siquidem horum usu & partis paralyticæ debito fotu & insessu sensus motusq; restituitur vid. *Borellum Cent.* 4. *obs.* 42. *Vinacea* asservantur, donec spontanea fermentatione incalescere incipiant, & ita iisdem membra aut partes paralyticæ immergantur, quæ mediante sudore egregium levamen percipiunt. Si per se incalescere nolint, inspersione cum *calce viv.* animari & ita repetitis vicibus usurpari possunt.

Quoad formicas, integrum eorum *cubile* sacculo inclusum injicias aquæ ferventi, cujus vapori excipiendo insideat æger in vanno probè tecto. Sequenti die in dicta ▽. ebulliat iste sacculus, & ita denuò in vanno vaporem excipiat æger, idque bis vel ter, quamdiu penetrantem odorem spirant. Postmodum ac sequentibus diebus etiam insideat isti decocto semper cum sacculo denuò calefacto, idque aliquot vicibus, donec melioratio percipiatur. Denique aliis ferè nil juvan-

juvantibus ultimum asylum sunt *thermæ*, magis tamen in paraplegiis, quam paralysibus convenire videntur, utut utrinque proficuæ sint, cum discretione tamen instituantur, dum melius conducunt iis, qui constitutionis sunt sanguineæ & ⚹ticæ, minus qui constitutionis biliosæ seu cholericæ. De quo confer. *Willis cit. loc. prope finem.*

CAPUT IX
DE
LÆSIONIBUS SENSUUM EXTERNORUM,
in specie de læso TACTU, indeque orto DOLORE.

Consideravimus affectus, qui spiritibus genitis & hinc eorum motui intra cerebrum ac cerebellum, ac denique eorundem influxui ad partes externas accidunt. Consideremus jam *sensus externos*, prout hi afficiuntur. *Sensuum omnium communissimus* est *tactus*, per totum corpus diffusus; nam omnes reliqui sensus nonnisi quidam *tactus speciales* sunt, & per modum contactus fiunt: Præter *abolitionem* & *imminutionem* tactus *apoplecticam* & *paralyticam privativam*, item præter ejus *abolitionem positivam* in *stupore*, hic ipse interdum *augetur*, simulque *depravatur*, in affectu dicto *dolore*, eoque omnibus sensibus communi. Nam ut omnes sensus fiunt per tactum, seu per impressionem quandam objecti sensilis in organon fibrosum, qui motus impressus dicitur *sensus externus*; ita, *si in organon tam vehemens fiat impressio*, ut illud nimis moveatur, semper juncta est simul quædam molestia, ex nimia objecti in organon impressione resultans, quæ communi nomine *dolor* appellatur, e g. ex vehementi & p. n. motione membranæ retinæ ex adspectu lucis fulgidæ post tenebras sequitur *visio dolorifica*: Ex nimis forti motione membranæ in cochlea, ex sonitu vehementiori, contingit *auditus dolorosus* &c. In specie si fibrillis nerveis objectum quoddam tactile in specie sic dictum occurrat, quod eas nimis fortiter & non absque quadam vehementia moveat, sequitur tactui juncta molestia, seu in specie dictus *dolor*.

Fibras præsuppono *tactus organon*; naturali quidem in statu illæ tantum *quæ extra cutim in papillas protuberant*; p.n. vero in statu, etiam quodvis fibrarum systema tangendo affici & hinc dolor in iisdem sentiri potest. *Fibræ hæ* earum-

earumque ſubtiliſſimæ fibrillæ ubi ex fortiori & vehementiori objecti actione & motione celerrimè vibrantur, vix fieri poteſt, quin à ſe invicem violenter ſeparentur, divellantur, aut quaſi lacerentur; adeò ut ex ſitu æquali & ordine naturali vitiatis, quædam ab aliis divulſæ quaſi contractivâ vi abbrevientur, quæ & alias illæſas in naturali ſitu violenter quaſi trahunt ac lacerant, ad eum modum, quo dolorem ex puncto nervo explicat *Sylv.l.2.c.27.§.168.* hinc moleſtia illa accidit, quam *dolorem* nominamus, unde remoto licet objecto nihilominus adhuc *doloris continuatio.* Affectis fibris vibrationis iſtius occaſione ſpiritus animales & ipſi ad certum motum determinantur, ad cerebrum nempe, ubi *in ſenſu communi fit formalis doloris perceptio*, ſeu ſenſus doloris internus. Conf. *Willis Pharm. Rat. p.1. ſect. 7.*

Hinc fit, ut non rarò dolores ſequantur convulſiones ac motus convulſivi, ſi ſcil. ſint aut diuturniores, aut graviores, ex inordinata & veloci ſpirituum animalium ad partem dolentem occaſione fibrillarum nervearum motionis quaſi ruptione, ut quando v. g. *ex punctura nervi* dolorifica convulſio ſuccedit, aut quando *à nephritide* eſt vomitus: Imò *in quovis dolore ſemper convulſio* quædam, occulta licet, jungi ſolet, hinc enim tendi plus minus pars dolens & ſæpe pulſatoria moleſtia ſimul ſupervenire ſolet, adeoque hic circulus obſervandus, ut & à dolore convulſio, & â convulſivo impetu doloris incrementum.

Hic eſt primus doloris actus. Quod ſi jam fibrillis læſis & nonnihil laceratis objecti, naturali licet impreſſione agentis, fiat contactus, tunc fibrillæ vel tantillo contactu vibratæ nimis & agitatæ novam doloris impreſſionem facere ſolent; nimirum vel leviſſimus ſpecilli contactus in partibus vulneratis aut ulceratis tantum dolorem concitat, magis tamen in partibus nervoſis ob fibrillas copioſiores, quam in partibus ſanguineis ob fibrillas pauciores.

Ex his *cauſa doloris proxima materialis, motus fibrarum organi ab objecto* p. n. & *formalis, ſpirituum* hinc *rapidior*, ſingulariter tamen determinatus & ad cerebrum usque continuatus *motus* per ſe patent. *ille* pro ſenſu doloris externo, *hic* pro ſenſu doloris interno. *Remota eſt omne id, quod dolorem inferre valet*, quod ipſum prout eſt varium, & ipſæ quoq; partes, prout variant, tam varii doloris modi exſurgunt, indeque varias appellationes acquirunt, adeò ut tantum non innumerabiles dolorum ſint *differentiæ.* Sufficiant nobis X *ſpeciales differentias* dolorum, inprimis *ex cauſa interna* ortorum, conſiderare.

I. Eſt Gravativus, Es drückt und ligt so schwer; *dum ægri ſenſum ponderis quaſi prementis & gravantis percipiunt*, v. g. in hepate tumido aut ſcirrhoſo,

rhoso, in calculo renum ingenti, sed quieto. *Occupat partem ex se minus sensilem*, sentiente tamen nonnihil membranâ cinctam, *à materia aut viscida* & crassa minus acri, aut fluida, sed ferè insipida, aut dulci infarctam, adeoque à pituita, à sanguine ac sero, aut lympha.

II. Punctorius, Es sticht so / item acutus, dum quasi *ex improviso* repetitis vicibus acicula quasi *in loco quodam membranoso pungitur*, ipso punctionis sensu ad magnum spatium se diffundente, obvius v. g. in pleuritide. Oritur *ex acido membranam pungente*, quæ hinc convulsivo spasmo crispatur, unde doloris intensio.

III. Terebrans, Es ligt und sticht an einem Ort: Fixus est, quasi *terebra aut palo pars perforaretur*, e. g. in dolore colico, cephalæa &c. *oritur à viscido* plus minus *acido*, parti cuidam impacto.

IV. Rodens, seu *mordax*, Es beisset und frisset; quò & *pruriginosus* pertinet, quasi *vermiculi* continuo fodicarent & raderent. Oritur *ab acri salso* membranosa loca rodente & vellicante.

V. Pulsatorius, Es klopffet und pochet / als wenn ein Huhn pickete / *in quovis arteriarum pulsu perceptibilis*, v. g. in digiti à spinâ infixa inflammatione. Oritur *ex compressione arteriæ*, ex nimia partis dolentis repletione ejusque fibrarum convulsiva strictura, unde constrictæ arteriæ quavis sui pulsatione dolorem partis intendunt, & ita pulsatorium dolorem constituunt, ipsa arteriæ tunicâ plus minus tensâ, & quasi convulsa; vix alibi quàm in inflammationibus aut fortioribus membranarum tensionibus, v. g. in Cephalalgiâ percipitur.

VI. Ostocopos, aliàs *frangitivus*, it. *contundens*, Als wenn einem die Bein mit Hammern zuschmissen würden / *quasi* in sui profundo *ossa frangerentur* & summâ vi contundantur, qualis v. g. in lue ♀ea & scorbuto fit. Affligit hic dolor præsertim nocturno tempore & immediatè periostium afficit. Oritur *ab acido in succo viscido*, quasi minus corrosivo, periostium nunc saltem vellicante, nunc rodente.

VII. Tensivus, it. *distendens*, Es dehnet und spannet / v. g. dum in odontalgia dimidium caput tendi videtur, aut in colica flatulenta abdomen distenditur. Tensivus oritur *à membranis* partem solidam investientibus, *spasmo contractis*. Distendens oritur ab iisdem, sed cavitatem quandam efformantibus repletis, sed ex irritatione simul spasmo contractis. Unde utraq; ex causa repletione & tensione dolor distendens magis exacerbatur,

VIII. Lacerans & lancinans, Es reisset/ es wütet und tobet/ quasi *quis unguibus laceretur*, qualis sæpe in cruribus percipitur. Membranis est proprius *ab acido acri*, puro, sed *austero* oriundo; scorbuticis non rarus, qui utut uno saltim in puncto subinde affligat, per consensum tamen membranarum aut nervorum subinde integrum quoddam membrum afficit.

IX. Ardens, *quasi ignis scintillulæ hinc inde urerent*, *ab acido subtili acri*, ferè *volatili*, partes fibrosas & membranosas afficiente, v.g. in Erysipelate, in qua pars membranosa solida afficitur, tanquam si *spir. nitr. rectif.* aliquot guttulæ fuerint inspersæ; subinde vero in partibus dolor ardens talis percipitur ab humoribus contentis effervescentibus & à dominante acido volatili producitur.

X. Algens, Es ist kalt/ *ab acido minus acri*, sed singulariter fibras alterante, & quasi stupore afficiente.

Ex dictis patet, ex *causis remotis internis* dolorem efficienter inferentibus inprimis esse *acidum vitiosum*, quod utplurimum dolores infert. In omni enim acido particulæ sunt acutæ, simulque rigidæ, quæ se insinuant in fibras, eas pungunt, lacerant & quasi cingunt, & ita acerbos dolores inferunt. *Origo hujus acidi* utplurimũ est *ex stomacho*, primisq; viis, v.g. in arthriticis, scorbuticis; rarius est *ex privato partis, in digestione* propria læsæ, vitio v.g. in odontalgia. *Acidum hoc*, prout nunc est *volatilius* seu spumosius, nunc minus volatile seu *fixius*: Deinde prout hæret in *subjecto humoroso*, seu vehiculo subtiliore seu *tenuiore* & crassiore seu *viscidiore*: Item prout *parti* dolenti *magis vel minus infixum* fuerit, etiam & pertinaciores & contumaciores aut frequentius recidivantes, aut facile curabiles, cum aut sine partis erosione juncti esse solent dolores, adeoque variis modis mutabiles & alterabiles. Sic contumacissimi sunt *dolores* ♀ *ei*, & utplurimum cum erosione partis juncti, propter acidum acre in muco glutinosissimo pertinacissimè parti affixo. *Dolores scorbuticorum arthritici vagi* facilè discuti solent propter acidum volatile spumosum, magis spiritu influo, quàm seri vehiculo partibus communicatum. Pertinacissimi sunt, & frequentissimè recidivant isti *dolores, qui proprio & privato partis vitio*, vitiata nempe ejus digestione oriuntur, & ferè tempestatum mutationibus auscultantes ægrorumque *ephemerides* constituunt, v.g. *post articulos graviter vulneratos* dolores remanent pertinaces, quavis tempestatis mutatione recrudescentes ex fermento vitioso in parte, ex spiritu insiti debilitate genito, ab externis commoto & partes sensiles notabiliter vellicante.

Ferè ex istis causis etiam dolor nunc *continuus*, nunc *interruptus* esse

esse & hic vel *non periodicus*, vel *periodicus* esse solet, & posterior frequenter *nocturnus*, v. g. scorbuticorum & ♀ eorum esse solet. *Continuus* præsupponit acre intensius parti inhærens; *non continuus*, acre remissius, saltem occasionibus quibusdam externis mobile & excitabile, vel minus firmiter agglutinatum.

Porro dolor nunc est *solitarius*, nunc *compositus cum tumore*, tam sanguineo, quam seroso, scirrhoso &c. *Tumor* interdum est *causa* doloris, interdum *effectus* seu productum doloris, v. g. inflammatorius tumor & suppurans causa est doloris ardentis, rodentis, pulsatorii. Econtra dolor est causa tumoris in arthritide, odontalgia &c. ex fibrarum strictura convulsiva, æquabilem contentorum motum & circulum remorante.

Prognosis dolorum variat pro circumstantiarum supra allegatarum conditione; *in genere tamen nullus* dolor in quacunque corporis parte negligatur, semper enim aliquid mali prænunciat. Conf. *Hild. Cent.* 5. *obs.* 7.

In *cura* dolor tollitur aut *causam removendo*, aut eam *temperando*, sicque dolorem demulcendo, aut *sensum partis stupefaciendo*. Quæ secundum faciunt, *anodyna*, quæ tertium *narcotica* dicuntur. Ea quæ causam removent, sunt fere *alcalia* tam *fixa*, quam *volatilia*, tam *macra*, quam *pinguia*, seu *oleosa*, seu *aromatica*, pro circumstantiarum ratione seligenda: Quæ penetrant, acidum corrigunt, viscidum incidunt & attenuant, humorosum resolvunt & discutiunt.

Temperant & demulcent pinguia, oleosa, mucilaginosa, quæ acre quodcunq; obtundunt, mitigant, fibrarum spasmum & tensionem blandè emolliunt. *Stupefaciunt opiata*, *hyoscia mus* & similia. Usurpantur hæc ipsa vel *internè* vel *externè*, observando simul ut semper habeatur ratio internorum, ut causa materialis peccans removeatur, idque primario per *sudorem* & *urinam*. Præsertim *sudores* ad corrigendos dolores etiam contumacissimos, subinde sunt summè proficui, dum eorum medio & viscidum, in contumacioribus doloribus simul peccans plus minus emendetur.

Inter *purgantia* excellit inprimis ☿*ius dulcis*. Conf. *Velsch. Hecat.* *l.* 2. *p.* 40. Quibus evacuantibus pro fomite morboso corrigendo ♂*ialia*, ⊙*aria* &c. adduntur. Sicuti *externè* pro causæ peccantis remotione nunc *V. S.* *hirudines*, *vesicatoria*, *caustica* &c. magis inserviunt. v. g. *Poter.* *Cent.* 3. *cur.* 84. *dolorem* refert *tibiæ* contumacissimum *sudoriferis* nullis curandum, aperta tibia *caustico*, curatum. Inventa ibi materia dura, subalbida & sebacea, qua sublata dolor evanuit. *Schenck. l.* 5. *observ.* dolorem omnium mem-

membrorum refert, excitatis per phænigmos copiosis pustulis & evacuato sero, curatum.

Sanè dolores artuum graviores ex sero acri scorbutico nati, & in quibus nulla ferè partis alteratio sensilis observatur, per applicatum *vesicatorium* optimè curantur. Sic *Zacut. Lusit. l. 2. prax. admir. obs.* 57. refert, lumborum sævum dolorem impositis supra lumbos *hirudinibus* curatum. Idem *cit. loc. obs.* 72. refert immanem inguinum dolorem *salvatellæ sectione* curatum. *Horst. l.* 8. *obs.* 9. habet diuturnum & contumacem brachii dolorem, *diæta sudorifera* curatum.

Auxilia inter modo allegata potentissima sanè sunt *narcotica*, sed quæ *palliativè* saltem *curant*, doloris symptoma sistendo, sed causam materialem, nec corrigendo, nec removendo. Unde in eorum usu cauti simus. *Cautelas* non ineleganter expressit *Chicotius in Epist. & dissert. Med. dialogo de* „ *dolore*: *Si rodens humor excruciat*, *narcotica* exhibeantur, quæ minus hos affe„ctus, quam alios lædunt, quippe & tenues & calidi hujusmodi humores sunt. „ *Hæc autem narcotica* non solum salutaria sunt, quod sensui torporem inducant, „ sed etiam ut humorum tenuitatem corrigentia. *Ubi vero crassi & glutinosi hu„mores excruciant*, alienissima sunt, quæ torporem inducunt, nempe intensum „ dolorem mitigant, sed deteriorem reddunt partium adfectarum dispositio„nem, dum membra ad patiendum reddunt idonea, & sublato humorum motu „ eosdem parti magis impingere solent. Hæc *Chicotius*. Adeoq; *narcotica* non nisi urgente *necessitate* & semper *præmissis præmittendis*, nec sine *appropriatorum* consortio usurpentur.

Præter has *circa narcotica cautelas* in quovis dolore curando *ad* 3. *semper respiciendum*. 1. *Ad partem affectam* plus minus sensilem, adeoque ferè plus minus carnosam aut nerveam. 2. *Ad causam efficientem occasionalem* plus minus acrem. 3. *Ad subjectum* seu quasi vehiculum causæ vel viscidum, vel glutinosum, successivè attenuandum, vel tenue & subtile, facilè discutiendum, v. g. in nodis & gummatibus ♀eis nocentissimus est *spir. θ*✲*ci* applicatus, cùm implacabiles dolores inferat, in acidum acre impetuosius agendo. Unde effervescentiæ quasi concitato motu, & resoluto nonnihil subjecto viscido crudelissimè exacerbantur dolores. Nempe quo sensilior est pars, eò magis *temperata* conveniunt. Item quò acrior fuerit causa occasionalis, item quo viscidior est fomes, eò minus *volatilia* discutientia, sed successivè emollientia magis conveniunt.

Remedia igitur ad primam classem pertinentia *alcalia* plus minus *aromatica*, sunt *absinth. aneth. chamomilla, menth. fol. lauri, bacc. juniperi, sem. 4. calid. maj.* Sanè *absinthium* cum *parietaria* contusum, coctum & instar *cataplasmatis* applicatum in plurimis doloribus resolvendis & discutiendis perquàm

quàm convenit, *seu à causa externa*, contusionibus nempe nati fuerint, *seu etiam internè*, ex acri humore seroso ortum duxerint, tam in capitis dolore, quam aliarum partium. Sic v. g. *Amatus Lusitan. Cent.* 1. *cur.* 57. dolorem spinæ ad os sacrum per *absinth.* & *parietar.* in *ol.* frixa curavit &c. Hinc *aquæ articulares ad extra* inprimis acuatæ cum *spiritibus urinosis* ad dolores præsertim lacerantes & lancinantes, inprimis scorbuticos nocturno tempore affligentes, conferunt, v. g.

℞. ▽. Articular. ad extra ℥ij.
spir. θ✳ci c. calc. viv. ʒvj.
lumbric. terrestrium per putref. ℥ij. M.

illinantur externè, membra prius probè fricando. Et nota sunt *lumbricalia* & *formicalia* quævis per θ. *suum volatile* singulare egregia in quibusvis partium nervosarum doloribus. Quo etiam *urin. hum.* pertinet, & quælibet ex ea parata. Non secus ad hujusmodi dolores ab acido volatili ortos, inprimis *volatilia ex animalibus* petita remedia conducunt. Unde & *scarabæis cornutis* & *liquori* ex his parato singularem vim tribuit *Glauberus*. Pertinet huc etiam *camphora* potenter anodyna. Hinc *S. V. camphoratus* ad sopiendos dolores inflammatorios, in specie Erysipelaceos est optimus. *Ranæ* quoque huc pertinent, inprimis eorum *sperma, alcali temperato* singulariter anodynô turgidum, unde & arthreticos hisque cognatos dolores sopire valet. Sicuti *ol. ranarum* ritè paratum egregium quoque est lenitivum plurium dolorum. Pertinet huc *sapo Venetus in S. V. solutus*, & ita in liquida formâ illitus, ratione alcali oleosi dolores ex acido ortos, etiam arthreticos subinde compescens. Quod si ardoris sensus conjunctus sit, in *spermate ranarum* solvatur; Sin minus solvatur, fiat in *spir. lumbr. terr.* aut S. V. additâ *camphora* & *croco*, & ita cum pluma subinde applicetur. Nec negligendus hic est *Bals. Peruvianus*, egregiè anodynus ad nervos contusos & punctos egregius. Item in articulorum doloribus partium musculosarum à defluxionibus frigidis commendatur seq. mixtura:

℞. Bals. Peruv. ℥j. dissolv. cum
vitell. ov. adde
spir. bacc. junip. ℥iij. M. & utere externè illinendo.

Gummata denique, tam *ammoniacum*, quam *Galbanum* in doloribus à viscido acido natis, & in specie *Gummi Tacamahac.* emplastri formâ applicata, in doloribus à sero vel lympha acida, adeoque catarrhis aliàs tributis sunt egregia. Unde & *emplastra diaphoretica* dicta in doloribus ex sero acri contumacioribus proficua observantur. Potentiora sunt & penetrantiora, sed acriora & non ubivis obvia ex dictis *gummatibus*. Item *ex animalium ossibus, pinguedinibus, cera* &c. *olea destillata*. Sic enim *Galbanetum Paracelsi* egregium est in doloribus partium nervosarum chronicis & sæpe recidivantibus. *Ol. ceræ* & *S. V.* an. in partium nervosarum doloribus ex contusione est egregium. Vid. *Riv. Cent.* 4.

obs. 51. Sic *oleo destillato pinguedinis human.* dolorem brachii diuturnum curavit *Borrich. de Hermet. Sap. p.* 371. His adde *stercora animalium* egregiè anodyna, ex quibus optimum *est humanum*, seu *stercus vaccinum*, vel recens applicatũ, vel *cum oleo ros.* mixtum sub forma cataplasmatis in dolore brachii & pedum egregiè conducit. Aliàs *emplastrum de melilot.* item *ex terebinth. cum spir.* 🜍*ci* itidem dolores potenter resolvunt, non secus ac *emplastrum de ranis cum* ☿*io* reliquis præfertur in doloribus contumacioribus, præsertim ♀eis.

Quoad alteram remediorum classem temperant & demulcent imprimis *lac* & quælibet *lacticinia*. Hinc *althæa malva, melilotus, verbasci* & *sambuci flores, axungia animalium, mucilagines* istarum plantarum, *ol. amygd. d. 7. flor. Mynf. lumbric. &c.* Sic *lac caprin.* q. s. & *mellis* parum bullitum & applicatum loco dolenti ad sedandos dolores *à Rulando* adhibetur; *oleô* nempe & alcali dives est *lac*, unde præ aliis anodynum. Sic *Rulandus*

℞. Lactis ℥v.
ol. rosar. ℥ij.
nymph. ℥iij.

Quæ invicem calefacta linteis multiplicatis crebro parti dolenti applicat, quo dolor brachii totius ingens tanquam fomento curatus fuit. Pertinet huc *cataplasma* illud *Chirurgorum polychrestum ex micâ panis albi in lacte* cocta, addito *croco* & cataplasmatis instar applicatum Vel ad imitationem *Rulandi* in dolore lumborum ex defluxionibus aliquoties ab eo probatum

℞. Medull. panis albi, maceretur lacte vaccino per cribrum æneum trajiciatur, adde vitell. ovi & cum butyr. rec. & seqq. oleis q. s. M. & hinc calido linteo applica. Olea sunt:

℞. Ol. chamomill. aneth. lilior. alb.
lumbric. terrestr. an. ℥iß. M.

Pertinet huc & *oleum ex flor. verbasci* in clibano paratum, potenter anodynum. Item *pinguedines animalium cum oleis* subinde miscendæ. *Sic ad dolorem ex scarificatione in scapula*

℞. Ol. lumbric. terrestr. ℥ß.
pingued. taxi.
vulpis an. ʒij. M.

Illinatur brachium; vel cum 🜄*a hirundinum c. castor.* idem illinatur. Huc spectat *unguentum dialth. alabastr. bals. hypnotic. Mynf. Unguent. anodyn.* usitat. &c.

Tertiam quoad remediorum classem, obtundunt dolorem quælibet *narcotica*, in specie *papaverina* & hinc *ex hyosciamo* parata quævis remedia, in specie *ol. hyoscyami* expressum, externè potentissimum narcoticum.

Quoad

Quoad *dolores in ſpecie*, *curatur* *gravativus* materiæ remotione. Hinc V. S. *ſudorifera* & *purgantia*, item *fonticuli* in uſu ſunt. *Externè olea deſtillata penetrantia* inungenda. Item *emplaſtra ex gummatibus* & narcoticis, ut *de cicuta, nicotiana* & alia contra ſcirrhos ac ſcrophulas uſitata.

Punctorius curatur per dia volatilia ſudorifera opio miſta, v. g. *ſpir. θ✱ci aniſat. cum eſſentia opii.* Externè *fomenta emollientia* & temperantia, & litus ex temperatis blande volatilibus miſtis, v. g. *ungu. dialth. ol. amygd. dulc.* addito pauco *ol. deſtillat. chamomill.* & *camphora.* it. *volatilia* penetrantia, ut *ſpir. vin. camph. ſpir. θ✱ci*, *ſperma ranarum*, *ſaponata &c.* qualia in pleuritide & hinc arthritide uſitata ſunt.

Terebrans requirit internè *incidentia* & *evacuantia*, præſertim ex gummatibus, item ☿ *dulc.* Externè *gummata.* Item *empl. carminativ. Sylv. empl. de galbano crocatum Mynſ. Empl. de ranis cum ☿ conducunt.*

Pulſatorius per *ſudorifera* curatur, acidum deſtruentia. Externè *fomenta ex aromatibus* vino incoctis. Item *emplaſtrum de meliloto*, malaxatum cum *theriac.* confert.

Tenſivus internè *volatilia temperata cum opiatis* poſtulat. Externè *fomenta demulcentia, anodyna, opiata, lacticinia* & ex ſimilibus parata *cataplaſmata.* Cognatus dolor

Diſtendens internè *carminantia*, externè *discutientia* requirit.

Oſtocopus curatur præmiſſis univerſalibus per *ſudorifera*, ſed aliquamdiu continuanda, adeoq; per *diætam ſudoriferam.* Externè *empl. ex gummat. item de ranis cum ☿rio* malaxat. cum *oleis deſtillat. fœtidis tartari*, *Guajaci. CC. &c.*

Ardens curatur, ſi in internis partibus obſervetur, per *abſorbentia* alias efferveſcentes humores, *præcipitantia* dicta. Externis in partibus removetur per ♄*ina*, item *ranina*, ut *ſperma ranarum &c.* non per acria, malum magis exacerbantia, non per pinguia ardorem, obtinendo poros, magis intendentia.

Algens per aromatica vel oleoſa, olea deſtillata, v. g. *galbanetum, ſpir. vin crocatum*, ▽. *articularem &c.*

Lancinans & *lacerans in ſpecie conſiderandus* eſt, qualis membra ſcorbuticorum ſubinde crudeliter affligit & ex ſubtili acido membranis & tendinibus ſe inſinuante oritur, cum intenſo dolore, utut utplurimum ne minima

ma partis dolentis percipiatur alteratio. *Dolores tales lacerantes scorbuticorum* fixi, diurno tempore fere acquiescunt & *nocturno* tantum *tempore* per 2. vel 3 horas ante mediam noctem exacerbantur & post hanc horam 2. vel 3. remittunt, in quo ipsi simillimi ferè sunt doloribus ♀ eis & ipsis nocturnis. *Dolores hi lacerantes fixi* in quadam parte, utut sæpius pro fomite agnoscant scorbutum, interdum tamen etiam citra manifesta hujus indicia contumacissimi sunt tales dolores, in quibus *interna remedia* subinde parum ferè operantur, *externa* verò applicata malum interdum potius exasperant quàm corrigunt: Narcotica vero applicata, licet illud aliquantisper mitigent, tamen contumacius & rebellius reddunt. Præ cæteris de hujusmodi doloribus v. *Horst l.8.obs.* 13.15. *&c.*

Utut autem totum quoddam membrum cruciare soleant, in specie tamen saltim *membranam* quandam in loco quodam specialiter affici arbitror ; attamen universum fibrarum membranarumque systema illius partis consentiendo & compatiendo mediante *occulta fibrarum crispatura* totum membrum dolere facit.

Memini virginem *scorbuticam* crebriori hæmorrhagiæ narium obnoxiam, hac suppressa incidisse in hujusmodi *dolores lancinantes* nocturnos implacabiles, ab hora 10. verspertina ad secundam post mediam noctem constanter affligentes, hinc remittentes & somnum concedentes. Interdiu bene habebat, quavis nocte stato tempore dolores recrudescebant, idque per aliquot septimanas.

Pro curandis his & similibus doloribus V. S. subinde utilis est, ut contentis liberior concilietur motus, occasione doloris & fibrarum strictione plus minus deficiens; *vesicatoria* quoque in membro dolente convenienti loco applicata sæpius sunt proficua. Interdum ad *fonticulum* accedendum, qui tamen sedato dolore iterum consolidari potest. *Interne* præter *fixa absorbentia anodynis* mista, *ut* ☿ *diaph.* ♂ *tial. cinnab.* ☿ *ii, partes animantium duræ & osseæ*, hisque præmissis *volatilia*, in specie ex *lumbricis, tartaro & urina* parata, *antiscorbuticis* mista, it. *decocta lign. sudorifera*, præsertim ubi contumacior observatur dolor, in usum vocanda sunt, sicuti videri potest in *Horstio* cit loc. Quò etiam pertinere videtur insignis ille dolor costarum aliis frustra tentatis per decoctum seq. curatum à *Petr. Poterio Cent.* 1. *cur.* 83.

℞. Rad. vincetoxic. ℥iß.
fol. myrti Mi.
sem. hyperici.
rhabarb elect. an. ℥iß.
F. decoctio in f. q. aq. comm. in colatur. ℥vj. dissolv. Syrup. capill. ♀. ℥iß. M.

Decocti aliàs formula, quam in ejusmodi casibus observavi proficuam, est hæc:

℞.

℞. Rasur. ligni juniper. ℥iij.
cimar. pini junior. & recent. Mij.
H. rorismar. Mj.

Incisa minutim macerentur in ▽. simpl. ℔vj. stent in M. B. per noct. manè coquantur ad tertiam: Colat. ℞. pro haustu matutino sudorifero, præmissis universalibus. *In specie hujusmodi formulam* utilem notavi, ubi glandularum circa caput aut fauces obstructiones & tumores simul occurrerunt.

Externa non semper leniunt, quin potius interdū malum exasperant, præsertim *pinguia* & *unctuosa*, quæ poros oblinunt, vitanda sunt. Conveniunt tamen subinde *spir. vin.* *aut theriacal. camphor.* ▽. *hirund. cum castor. sapo Venetus* in ▽ *vitæ* dissol. cum *spir. cerasorum nigr.* & *lil. convallium* mistus & externè illitus; imprimis *spir. tart. volat.* reliquis præfertur cum *spir. vin.* tēperandus ubi acrior fuerit. Interdum quoq; *galbanetum Paracelsi* proficuum observatū est, sed *spir. vin.* seu simili temperatum, ne nimis crassum fit. *Rad. consolid. maj. recent. contus.* & cataplasmatis modo manè & vesperi loco dolenti imposita singulare quid obtinet. Conferri hic potest *Hartmannus*, *ubi de Paralysi*. Proficuum etiam observavi usum *suffitus* seu *fotus vaporosi*, facti ex mistura *lixivii coriariorum* der gebrauchten Gerber Laugen/ana cum *urina hum.* Hæc mistura probè calida injectis lapidibus vel ferris ignitis in vaporem resolvitur, qui *vapor* membro desuper tecto excipiendus, ut sudor hinc concitetur, utilis est in his doloribus. Denique *thermæ*, harumque insessus, aut *luta thermarum* & *lapides thermales* in ▽ probè bulliti, instar *thermarum naturalium* usurpati etiam hujusmodi dolores lancinantes placant. Quarum *thermarum* succedaneum & ut arbitror, æquè proficuum, potest fieri ex *cal. vivâ & sulphure in* ▽. *decoct.* ad imitat. *Zvvelf. Mantiss. Spag.* p. 401.

In specie acerbissimus & satis frequens solet esse

DENTIUM DOLOR

seu Odontalgia, quibusdam *dentium podagra*, eaque nunc *per essentiam*, nunc *per consensum* ex affectis gingivis enata. *Si per essentiam* fuerit, *causa* ejus est *acor vitiosus*, nunc ex vitiosâ dentium nutritione proveniens, nunc seri vehiculo dum nutrimentum dentium chylosum hujus medio ad eos derivatur, ad dentem quendam depositum, ut in scorbutô & lue ♀ ea subinde obvium. *Forsan interdum & collecti humores* acres in cavernula ossium maxillæ superioris infra oculum multum contribuunt. Vid. *Mœb. fundam. Physiol. cap. 9. p.* 414.

Ipsi equidem dentes sunt indolentes, sed *membrana* eorum intima investiens,

ex expansione nervi orta & cujus *fibræ* hinc inde per porulos & meatus in dentium substantiam penetrando se insinuant, passionis illius doloris acerbæ *subjectum* existunt. Hunc dolorem vicinarum partium & fibrarum nervearum crispationes, levesque contractiones propter *consensum continuitatis* insequuntur. Unde quousq; hæc *fibrarum crispatio* dolorifica continuatur, iste dolor se extendere & subinde *hemicrania* accedere videtur; & dum ab ista contractura fibrillarum angustantur poruli & stringuntur meatus, per quos sanguis & alii humores meando circulantur, nunc sanguis, nunc serum aut lympha in motu impedita stagnant, unde dolori dentium supervenit tandem utplurimum *dolor maxillæ* sanguineus cum dolore tensivo & pulsatorio totum capitis hemisphærium occupans, saltim ex acido radicem dentis rodente. *Acidum illud* rodens dentes dolorificè & corrumpens ejusdem alimentum compagem osseam eorum subinde adeò rodit, ut *dentes cariosi* fiant & *excavati*, ac frustulatim tandem excidant. Imò ex alimento proximo non assimilato, sed corrupto in cavitatibus dentium cariosorum subinde *vermiculi* generantur, à quibus iste dentium dolor non leviter exasperatur.

Causas remotas quod attinet, istæ, *quæ nutritionem dentium privatim lædunt*, sunt imprimis assumta, *saccharata*, *dulcia*, *fervida*, nimis *frigida*, imprimis *acida*, spiritum insitum dentium labefactantia & hinc hujus materialem texturam vitiantia. *Remotæ causæ, quæ nutrimentum vitiosum*, *acore* peregrino infestum *seri vehiculo* denti communicant, sunt imprimis *cacochymiæ sanguinis* & humorum ♀ea & scorbutica. Sanè sæpius *in scorbuto* acerbissimi sunt *dolores dentium*, sicuti in *lue ♀ea* hi ipsi sunt crudelissimi. *Vitiosum* enim *acidum* in talibus, dum dentes antea non bene se habent, facilè iis se insinuat, indeq; rodendo dolorem excitat: Vel si alius dens per se dolere incipit, facilè ejus occasione acidum p.n. superveniens dolorem istum & vicinorum locorum pathemata inducere potest.

Quoad *prognosin*: *Per se equidem odontalgia* non est periculosa, *contumacior* verò aut diuturnior etiam convulsiones, vigilias pertinaces ac alia similia symptomata gravia sibi associare potest. Quod ut ne fiat

In *CURA* 1. *dolor sistendus*, *acidum* corrigendum, *dens cariosus* evellendus, ac tandem *vermiculi* enecandi; quibus tamen semper addantur *appropriata* morbo, à quo odontalgia tanquam symptoma dependet. *Sic in dolore dentium scorbutico* quo etiam ille pertinet qui *ex malo hypochondriaco* subinde excitatur, vulgaribus *odontalgicis miscenda* subinde appropriata *antiscorbutica*, quæ inter sufficit *herb. cochlear.* vel *nasturt. Indic.* vel *nostrat.* Decocta scil. inde parata cum *salvia, rosmarin. rosis, plantagine*, pro oris collutione sæpè usurpanda. Sic *dolor* iste,

iſte, qui *in lue ♀ ea* obvenit, *appropriatis* etiam ſopiendus, quæ inter eminet *deco-*
ctum Guajaci cum ▽. comm. aut ejus *eſſentia*, de quibus vid. *Strobelberger. Tr.*
de podagra dentium.

Remedia igitur quæ imprimis *dolorem ſiſtunt*, ſunt ante omnia *laud.*
opiat. ſeu *pilulæ* ejus denti dolenti inditæ, vel *eſſentia opii* cum bombace denti im-
miſſa aut extrinſecus dentibus ac gingivis affricata. Interim notabile eſt, quod
refert *Salmuth Cent.3. obſ.34.* ex *laudano opiato* dentibus dolentibus intempeſti-
vè adhibito, omnium ſenſuum ſtuporem, vertiginem & gravedinem capitis ob-
orta fuiſſe. Et *Zacut. Luſit. lib.1. Med. Princ. hiſtor.* 61. ex *opio* in dentis cavum
ſæpius pro ejus ſiſtendo dolore immiſſo mortem obſervavit, adeò ut hic ſubinde
univerſalia præmittenda. *Opii* virtute etiam operatur *theriaca* externè malæ
è regione doloris applicata, ſi nempe *theriaca* illinatur linteo inſtar emplaſtri &
ita applicetur. *Quod ſi dolor & ardor eryſipelaceus* adfuerit, tali *empl. ex theriac.*
θ abſinth. ℈j. addendus. Internè *lac* tepidum ſimul crebrius in ore tenendum,
præſertim quando ſuſpicio eſt de latente ſcorbuto. Simili virtute operatur *Nico-*
tiana, cujus *fumus*, præmiſſa, ubi opus eſt *purgatione*, egregius eſt, ſicuti
ipſius *Nicotianæ* maſticatio dolorem quoque dentium ſopit, teſte *Riverio in ob-*
ſerv. cavendo tamen ne aliquid ſalivæ deglutiatur. Par ratio eſt *hyoſcyami* do-
lorem dentium ſiſtentis, ſi cum vino decoctum exinde paretur, vel etiam ſi *deco-*
ctum ejus in *aceto* vel ▽. uſurpetur. Non ſecus atque *Heurnii* experimentum fuit
decoctum Nicotianæ cum *floribus chamomillæ* in ore detentum ac gargariſatum.
Camphora egregiè etiam confert, ſi tantillum intrudatur denti dolenti, vel ſi ſol-
vatur in *ſpir. vin. rectificatiſſimo* & ſic denti dolenti applicetur. Item *ſpir. θ✱ci*
cum *calc. viva & ſpir. vin.* paratus diſſolvit quoque *camphoram*, cujus ſolutio-
nis cum bombace in dentem immiſſio convenit. *Olea deſtillata* pariter ſunt egre-
gia; in ſpecie *ol. deſtillatum caryophyllorum* & quod præſtantius eſt, *ol. deſtil. ori-*
gani Cretici denti dolenti inſtillatum *Rulandi* experimentum fuit *oleum Hera-*
clinum, loco cujus *ol. deſtil. buxi* convenienter poteſt recipi, cui præfertur *oleum*
ſabinæ deſtillatum, perquàm egregium, ſicuti ipſum *ſabinæ decoctum* in cereviſia
ordinaria vel vino paratum in ore juxta locum dolentem detentum, excretum &
ſubinde ita repetitum excellens eſt, expellens ſimul dentium vermes. *Claudini* re-
medium fuit *ol. terebinth.* cum tantillo *camphoræ*, aut *balſam. ſulphuris* cum bom-
bace inditus etiam confert. Vid. etiam *balſam. odontalgicum* in *M. A. N. C. hiſtor.*
6. append. p. 76. *Eſſentiæ* quædam vegetabilium aromaticæ etiam conferunt, ut
eſſentia thymi, ſaturejæ, calaminthæ &c. Si his ipſis gingivæ fricentur, aut cum
bombace denti dolenti immittantur, quibus præfertur adhuc *eſſent. lignor. Gua-*
jac. aut *ſaſſafr.* Omnium optima *eſſentia benzoina.* Hoc habent commodi, ut
convenienter cum *eſſentia opii* miſceri, & ita eo præſtantius remedium conſtitu e-
re

re queant. Loco horum etiam *Elixir. propr. sine acid.* dentium dolorem sistit. In specie vid. *tinct. odontalgica* in M. A. N. C. *cit. loc.* *Sulphuris aurati* ☿ tantillum cum bombace in dentem immissum, aut denti dolenti applicatum, absorptione acidi corrosivi sopit dolorem. Præter dicta subinde *decocta* quædam solent recipi & gargarisando usurpari ex *orig. Cretico, fol. tabac. persicar. rad. pyrethri, sabina, chamomilla, serpillo, hyoscyamo.* Hæc ipsa coq. in ▽. vel aceto, & ita applica. Sed *decocta* in *aceto* cautè applicentur, seu penitus intermittantur, nam plus nocent dentium compagem solvendo & friabilem reddendo, quàm prosunt stuporem inducendo. Sic *gummi iuniperin.* ℥j. in aceto vini decoctum, quo ipso colluatur os, multum conferre dicitur in dolore dentium à lue ♀ea. Conf. *Amat. Lusit. Cent.* 5. *cur.* 21. Aliàs etiam laudatur: ℞. *flor. spicanardi*, coq. in vino, decoctum sæpius, & aliquandiu in ore detineatur.

Præter hactenus recensita etiam *curæ magneticæ* ac *transplantatoriæ* in usu sunt. *Magneticas* inter eminet *Paracelsi cura quoad persicariam*, dum eam recentem in ▽. maceratam imponit loco dolenti donec probè incalescat; hinc sepeliatur in fimo, ut citò putrescat, sic enim dolor cessat. Pertinet huc *ossiculum brachii bufonis* laudatum ab *Helm.* & in secretis habitum ab *Heurnio*, qui recipit os dextri femoris bufonis ab omni carne nudum: Hoc gingivas dentis fortiter fricat pro cura doloris. Alii *ossiculum brachii dextri bufonis* recipere jubent.

Quoad transplantationem, inprimis cum *corylo*, hinc cum *sambuco* & *salice* ea instituitur, si nempe ab his, separato nonnihil cortice exscindatur sub hôc festuca, qua ipsæ gingivæ & loca dentis affecti punguntur, usque dum sanguinem fundant, tum lignum cruentum denuo immittatur loco, unde exscissum, cortex denuò applicetur & luto probè circumdetur. Conveniunt ejusmodi curæ in sæpius recidivantibus & quasi habitualibus odontalgiis. *Chirurgis* in usu est applicare temporibus emplastra ex *Gumm. Tacamahac.* aut *Caranna* malaxat. cum *Bals. Peruvian.* aut *ol. papaverino*, quæ sane in odontalgiis gravidarum non sunt contemnenda; & quidem si in maxilla superiore doleant, temporibus, si in inferiore prope aures sunt applicanda. Quidam ex *gummi elemi* & *mastiche* eadem parant, alii *gumm. ammoniac.* aceto solutum instar emplastri applicant.

Subinde cum *odontalgia* etiam *tumor maxillæ* insignis junctus observatur, ut supra monitum. In tali à Chirurgis nonnunquam applicatur *Empl. de meliloto*, sicque abscessum faciunt pessimo sanè consilio. Subinde prope radices

dices dentium affectorum parvus tumor durus emergit intensè dolens, qui successivè suppuratur, & hinc per foraminulum sponte apertum materia excernitur. *Pro talis tumoris suppuratione* promovenda *lac tepidum* in ore tenendum, aut quod melius *frustula ficuum* vel crudarum, vel nomihil assatarum applicanda, quæ insigniter suppurationem promovent. *Abscessus apertus* ▽. cum *melle* probe mundificandus. Tantillum enim fermenti remanens crebriorem ejusmodi tumoris *recidivam* facit. Subinde contumaces adeò, ut *propter seri copiosioris retentionem* circa partem dolentem periculosæ sint odontalgiæ, imò crebrius adeo periodicæ, ut subinde quibusvis, etiam generosissimis artis præsidiis curari vix queant. Exempla singularia vid. in *M. A. N. C. Ann.* 8 *p.* 104. *Borell. Cent.* 3. *obs.* 7. *Hild. Cent.* 4. *observ.* 21. In talibus, ubi *purgatione* opus est, aut saltem metus gravioris mali, eadem instituenda videtur; *Jalappa* est convenientissima, juxta quam & ad *sanguinis missionem* interdum accedendum venit. Hinc *Thonerus l.* 1. *obs.* 1. *p.* 114. dolorem dentis per V. S. ad animi usque deliquium curatum refert. Idem citato loco dolorem dentium à sanguine copioso fervido per *cucurbitulas* scapulis, cervici, cubito applicatas, aliis irritis curatum memorat. Sic dolor dentium contumacissimus nullis cedens remediis per impositionem *cucurbitulæ* maxillæ sanatus observatur à *Foresto lib.* 14. *obs.* 6.

Præ aliis multiplex & non raro sævus est *dolor*, qui *caput affligit*, in genere

CEPHALALGIA

dictus, *non quidem quod integrum caput doleat*, sed ista tantùm capitis medietas suprema, quæ ossibus cranii circumscribitur; nam reliquæ partes in capite dolentes peculiaribus ferè appellantur nominibus. In ista regione capitis, quæ ossibus cranii circumscribitur, solùm sunt *membranæ, ex fibris nerveis* sensibilibus contextæ & ab istis natæ nervorum tunicæ, uti & istæ *membranæ*, quæ varias cerebri cavitates & anfractus investiunt, quæ cruciantur in dolore, & hæ tam *internæ* quam *externæ*. *Internæ* v. g. *dura* & *tenuis meninx*, utut de hac propter ejus tenuitatem dubitet *Lindanus*. *Dura vero mater* duplici constat tunica, quam vasa sanguifera multis anfractibus oberrant. Si igitur dilatentur à sanguine, necessario dilatatur tunica & divellitur ejus duplicatura, unde necessario insequitur dolor capitis. Hinc *internus capitis dolor* in membranis ferè semper tensivus, & hinc *pulsatorius* esse solet.

Præter capitis dolorem internum obſervatur etiam capitis *dolor externus*, quando nempe membranæ cranii, in ſpecie pericranium, hinc panniculus carnoſus, muſculi, ipſaque adeo cutis in contuſionibus, aut ſimilibus læſionibus externis, item ex materia ſuper cranium collecta in lue ♀ ea acerbè dolent. ***Dolor autem iſte nunc caput univerſum*** occupat, totum nempe ab oſſibus cranii circumſcriptum tractum, atque tunc in genere *cephalalgia* audit, qualis eſt iſte dolor, qui poſt crapu'am ſub aëris mutationibus in febribus continuis affligit, nec adeo diu durat, quin ſubinde facilius tranſeat. *Si vero talis cephalalgia ſit diuturna* & contumax, mutato nomine *cephalea* vocatur, ob cauſam utplurimum fixam in ipſo capite, in certo ejus loco radicatam. ***Quod ſi dimidium*** tantummodo *caput* ratione futuræ ſagittalis doleat, ita ut altera medietas ſit indolens, eſt *hemicrania*, utplurimum diuturna & valdè contumax. ***Quod ſi unica tantummodò pars capitis*** inter ſagittalem ac temporalem afficiatur, dicitur *ovum*, à magnitudine nempe loci dolentis. ***Quod ſi dolor ſit in uno parvo loco contumax***, & fixus, quaſi clavus ibidem eſſet infixus, dicitur *clavus*, ***differens ab ovo*** ſaltem ratione magnitudinis partis dolentis. Sicut ***clavus*** etiam ferè ***continuus*** eodem modo affligens eſſe ſolet, cùm ***ovum*** ſubinde ***intendi*** & ***remitti*** obſervetur.

Fit interdum ut *ſolum occiput* ***doleat***, idque frequentius ***in mulieribus***, in quibus iſte dolor ferè conjunctus eſt ***cum ſenſu frigoris*** iſtius loci, quaſi glacies intra calvariam eſſet recondita. Talis dolor inprimis fit *per conſenſum uteri*, & ſanè utplurimum ex utero oriri obſervatur, utut connexionis ratio haud æquè nota ſit. Ab adjuncto *cephalalgia* vel *calida*, vel *frigida* dicitur, prout nempe ſanguis vel ipſe magis fervet, vel ex membranarum ſpaſmo circa capitis partes, præſertim anteriores, magis detinetur. Tunc enim *caloris* manifeſtus ſenſus, præſertim circa frontem percipitur. *Frigida*ècontra dicitur, ubi nil tale occurrit, ſed potius frigus ſentitur, aut ſaltem gravedo capitis adeſt.

Nunc præſuppoſitis iis, quoad doloris *cauſam proximam* & quæ de dolore partium in genere dicta fuerunt, de *cauſa* ***cephalalgiæ*** *remota* dicendum. ***Cum vero variæ ſint cauſæ***, inprimis *diſtinguunt* ***cephalalgiam in eam***, quæ eſt *per eſſentiam*, ubi vitium eſt in ipſo capite; & in eam, quæ eſt

per

per consensum dum nempe vitio partium aliarum, inprimis inferiorum, caput dolet.

Sanè notissima est *cephalalgia per consensum ventriculi*, non secus ac ex *epate, liene, utero* per consensum cephalalgiæ plus minus graves observatæ fuerunt. Rarum est, quod & *hemicraniæ per consensum ventriculi* observatæ fue int à *Borello Cent. 2. obs. 1.*. Sicuti è contra *hemicraniæ per consensum* causa subinde est dens cariosus. Conf. *Thyrmayer Consil. l. 2. p. 128.* & *Hildan. Cent. 2. obs. 10.* *Cephalalgiæ* hujusmodi *per consensum* partium aliarum absque ulla vaporis, halitus aut humoris transmissione oriuntur *ex sola communicatione membranarum* cum aliis partibus membranosis, intercedente simul certo nervorum conjugio. Nam sicuti ex contusione vel vulneratione membranarum cerebri concitatur vomitus, solo consensu, & sicuti ex jejunio in hypochondriacis concitatur vertigo in cerebro, interdum etiam *cephalalgia* solo consensu, ita etiam solo consensu ventriculi ac aliarum partium capitis dolor intensus excitari potest. Quò facit observatio *Foresti l. 8. obs. 46.* de juvene bilioso, qui cum jejunus ambularet, dolore capitis tentabatur, assumto vero cibo idem remittebat. Ac sanè fit non alio modo, quam per *spasmos* alibi inceptos, & nervorum ac membranarum ductu in caput usq; continuatos: Sic enim *per consensum dolores* oriuntur, vid. *Willis de anim. brut. P. 2. c. 1.* Unde etiam *dolor* talis *per consensum* saltem *tensivus* & hinc *pulsatorius* observatur. Sunt nempe membranæ quæcunque totius corporis continuatæ & connexæ membranis cerebrum involventibus. Conf. *hic de motu musculorum Tr. Willisii operibus adjunctus*; adeoque facilè una pars alteram per consensum ex spasmo afficere potest; siquidem & *ex renibus cephalalgiæ* per consensum observatæ sunt. Vid. *Bartholin. Cent. 4 Epist. 6. Forest. lib. 9. obs. 51. schol.* sicuti *intestinorum vermes* subinde contumaces cephalalgias inducunt.

Quod vero in specie *cephalalgiam per essentiam* attinet, est ve *accidentalis*, vel *habitualis* e. g. caput vulnere graviore læsum per essentiam quidem, sed tamen sine causæ internæ fomite, *accidentali* modo dolet. *Quod si vero* post vulnus curatum remaneat vel atonia partis læsæ, vel ex nutritione deficiente subinde recrementa quædam generentur, quibus occasionibus sæpius redeat cephalalgia. talis *habitualis* erit.

Utraque est vel à sanguine ejusque motu vitiato. *vel à lympha* in glandulis cephalicis vitiosè secreta, aut malè distributa; quò *vel horum duorum* fluidorum mediô ad caput nunc transmissa, nunc in eo plus minus retenta excrementa varia *vel à propriô digestionis privatæ* errore & vitio genita vitiosa, & in specie viscidior mucus, abscessus, vermes, lapilli &c. pertinent. Ac sanè in habitualibus hujus-

hujusmodi cephalalgiis ſemper ferè obſervatur ſimul *partis* affectæ *debilis conſtitutio*, & hinc facilior materiæ morbificæ occaſionalis vel receptio vel regeneratio.

In ſpecie ſanguis, dum *à nimia copia* abundans, aut à *ſuppreſſa* ſolenni evacuatione coacervatus, aut *turgeſcentia* aliqua agitatus vaſcula meningum diſtendens cephalalgiam eamque frequentem inducit. *Sic ex turgeſcente & ebulliente ſanguine* in febb. tam frequentes cephalalgiæ; hinc in *nimio æſtu canicularium*, aut diuturniore in ☉e morâ, ex ſanguine magis diſſoluto facilius turgeſcente, & impetuoſius vaſa meningum diſtendente cephalalgia oritur. Item quod *ex exercitio* quovis *fortiori* ſubinde cephalalgia oriatur. Hinc eſt, quod poſt crapulam *ex nimio vini & cereviſiæ potu* præter cruditates relictas, ſanguis turgidus poſtero die cephalalgiam inferat cum artuum ferè laſſitudine, niſi ſudore præveniatur. Pariter *refrigeratio capitis* ex impedita tranſpiratione cephalalgiam infert, dum retenta effluvia tranſpirabilia ſanguinis turgeſcentiæ in capitis vaſis occaſionem ſuggerunt: Ut taceam ipſa tranſpiranda ſalina partibusque membranoſis infixa dolores inferre. Pariter *ſanguinis* occaſione quælibet *ſuppreſſæ conſuetæ evacuationes* ejus ad cephalalgiam diſponunt. Hæmorrhagiæ narium ſuppreſſæ contumaciſſimas habituales cephalalgias inferunt; ex menſibus it. obſtructis idem evenit. Quibusdam uno alterove die antequam menſes prodeant, turgeſcente jam nonnihil ſanguine cephalalgiæ ſuperveniunt. Facere huc videntur *odores fortiores* cephalalgiam non rarò inferentes. Sic curioſum eſt exemplum, quod ex odore *moſchi* & *ambræ* in viro dolor capitis ortus fuerit. Pariter non rarum eſt *roſarum odore* iis, qui tenuioris ſunt in ſyſtemate nervoſo texturæ, cephalalgiam inferri, quaſi particulæ hujusmodi odoriferæ acrimonia ſuâ vellicent membranam narium ſuperiorem, & ad hanc derivata à dura matre filamenta nervea, quibus unà vellicatis, & dura mater ſimul tendi, hinc ſanguinis circulus quaſi remorari & dolor hic pulſatorius & tenſivus capitis ſupervenire ſolet. Quò etiam *Gas carbonum* incenſorum, it. *rerum fermenteſcentium* pertinet, ſuo inſpiratu pertinaces cephalalgias interdum inducens.

Porrò ſerum, it. lympha aut *vitiata* ipſa, aut *ſtagnando* in quodam loco & præſertim peregrino ſapore inquinata & graves dolores hemicranias inferunt, eosque ferè ſi acrimoniâ fuerint prædita, *lacerantes* & *lancinantes*; ſi vero minus acria, *gravativa* & cum *ſenſuum torpore*. Curioſa eſt obſervatio hemicraniæ ex his cauſatæ, per ſtillicidum ▽æ frigidiſſimæ per nares curatæ; vid. *M. N. C. Ann.* 3. p. 455. Pertinent huc inprimis contumaces & ſubinde vix tolerabiles *ſcorbuticorum cephaleæ*, ex acri ſcorbutico ſale ſub ſeri aut lymphæ vitioſè vehiculo, membranas capitis affligente. Confirmat hanc *cephalalgiam* & iſte capitis dolor, qui in *coryza* incipiente ferè obvius eſt, ex ſero quidem & lymphæ ſucceſ-

successiva collectione gravativus; sed simul interdum quoque tensivus. Sic cephalalgiam lethalem à copia humoris serosi notat *Riverius Cent.* 1. *obs.* 37.

Denique ex congesto aut retento aut genito **vitioso** plus minus acri **excremento** circa membranosa capitis loca subinde variæ cephalalgiæ oriuntur, qualia ferè in *clavo* & *ovo* observari solent. Unde *dolor* nunc quasi *ostocopos*, utplurimum simul rodens & pungens observari solet, dum materia quædam viscida plus minus acris, vulgò dicta tartarea, aut sanguis congrumatus sub cranio quovis in loco congestus istos dolores infert. Ex tali causa etiam *hemicrania* oriri potest, non tamen omnis, cùm in hac subinde sanguinis plus minus impeditus motus in uno alterove vasorum ramulo medietatis capitis ferè peccare soleat. Ac sanè quælibet contumacior *habitualis cephalea* ac *hemicrania* vix nisi *in viscido acri* recremento, vel deposito, vel genito in capite, oriri solet, unde fit interdum ut humor talis lentus & viscidus sese insinuet intra *suturas* cranii, quas sensim à se invicem *discedere* facit cum intensissimo dolore, de qua suturarum cranii discessione vid. *Bootius Tr. de affectibus omissis, c.* 4. sicut etiam *Hildanus Cent*, 2. *obs.* 8. paria exempla refert.

Aliquando *B. D. Michaël* in Principissa quadam observavit talem acerbum *capitis dolorem*, in quo manifestè *cranii suturæ discesserant*, idque manifesto *sonitu*: **Es hat geknackt.**

Porrò lues ♀*ea* capitis *dolores* horrendos & implacabiles, in specie *nocturnos* infert. *Acor* nempe *malignus* nutrimentum chylosum cranii ita corrumpit, ut assimilari nequeat, quin in materiam viscidam & acrem corrosivam sensim degeneret, quæ coacervata supra vel sub cranio, *tumores* illos infert, qui etiam in aliis ossibus reperiuntur, & *gummata Gallica* vocantur à qua & arroditur postmodum cranium, unde *caries cranii*; ex affectis vero simul membranis implacabilis capitis dolor. Pertinent huc *inunctiones* ☿*iales pro curâ luis* ♀*eæ* minus ritè institutas, post quas subinde pertinacissimi dolores remanent, Vid. *Poter. Cent.* 3. *cur.* 6. Item *River. Cent.* 2. *obs.* 21. idque partim ex relicto, non satis salivando evacuato, partim ex ipsa ☿*ii* malignitate partes nerveas afficiente.

Interdum abscessus interiores capitis partes occupant, qui contumacissimas cephalalgias inferunt, Vid. *Borell. Cent.* 1. *obs.* 73. It. *Bartholin. Cent.* 2. *Epist.* 74. ubi cephalalgia contumax per eruptionem puris per nares inprimis sedata observata fuit. Sic *Schneiderus obs.* 223. refert cephalalgiam crudelissimam à pure intra ossa cranii latente. In specie *Bootius de affectibus omissis cap.* 1. ex abscessu pericranii gravem & continuum capitis dolorem refert.

Præter abscessus hypocranios, *ob læsionum externarum occasionem*, licet curatarum, diuturnæ cephalalgiæ & hemicraniæ remanent, in specie quando cranium ipsum insignius lædunt, aut quando *fissuram* quandam in interiori cranii

lamina relinquunt, per quam ſuccus nutritius, ejus alteratus hinc acrior factus ſucceſſivè deſtillat in tunicas & ita dolorem infert; aut quando aliqualis ſanguinis circa membranas fit extravaſatio, quibus occaſionibus pertinaciſſimæ inferuntur cephalalgiæ. Conf. *Foreſt. l.* 9. *obſerv.* 39. Quò etiam pertinet notabilis obſerv. *Schenck. l.* 1. *p.* 51. ubi gravi pondere in caput ſuſcepto & congeſtato laminæ cranii internæ particulæ diffractæ tredecennalem dolorem capitis crearunt, quibus per nares excretis ille remiſit.

Porrò ſubinde graviter dolet caput *ex vermibus* in cerebro genitis, qualis dolor obſervatus fuit aliquando in febre Hungarica, in qua obſervatum fuit, *vermes* ſubinde per nares fuiſſe rejectos cum levamine. Conf. *Schenck. obſ. de febr. Hungar. Barthol. Cent.* 1. *obſ.* ubi pariter poſt variolas vehementiſſimus capitis dolor à verme in cerebello. Non ſecus ac *Foreſt. l.* 21. *obſerv.* 28. notat cephalalgiam intenſam excreto verme per nares ſublatam.

Poſt *vermes* quandoque geniti in capite *calculi* pertinaces dolores inferunt, qui poſtmodum per nares excreti levamen attulerunt. Exempla vid. in *Schenck. cit. loc.* it. *Barthol. Cent.* 1. *hiſt.* 33.

His ferè cauſis iisque ſatis variis generantur cephalalgiæ, quas omnes accuratè *diſtinguere* arduum eſt, ſubinde impoſſibile. *Et quidem per conſenſum eſſe dolorem capitis*, ferè ex eo ſuſpicamur, quando cauſa nulla caput lædens præceſſerit, aut ubi nulla inſignior, aut pertinacior functionum animalium læſio ſimul juncta fuerit. Dolor minus eſt conſtans, ſed utplurimum interruptus; ècontra adſunt ſymptomata functionis in quadam parte inferiori læſæ, ita quidem ut prout pars ipſa plus minus affici ſentiatur, etiam caput ſimul plus minus patiatur. *Per eſſentiam vero affligere dolorem*, ferè ejus continuitas, aut determinata periodicatio, aut nimia intenſio, qualis per conſenſum excitari nequeat, ferè perſuadent, præſertim ſi cauſæ antecedentes reſpondeant, cum ex talibus altius radicata in capite ferè colligenda ſit. *Quæ vero ſit cauſa hujus doloris per eſſentiam*, difficile eſt cognitu; nam *vermes*, *calculi*, *mucus* alicubi coacervatus determinata non habent indicia. *Abſceſſus* quoque hypocranii difficiles ſunt cognitu, utut quantum poſſibile, eorum indicia deſcribat *Bontius l. c.*

A lympha aut plus minus acri materia oriri cephalalgiam monſtrat gravamen capitis, ſomnolentia, frigus, ætas ſenilis. Modo dixi de *periodicatione cephalalgiæ*, cujus revera mirabiles proſtant obſervationes. Sic enim dolor capitis *clavus*, ſecundum ☉is motum diurnum *periodicus* & mirabilis affertur in *M. A. N. C. Ann.* 4. *app. p.* 33. *it. Ann.* 6. *p.* 236. Sicuti ècontra Lunæ phaſes & certas Lunæ periodos cephalalgias obſervare relatum eſt à *Schenck. in obſ. c.* 47. & 48.

Quoad

Quoad *prognosin*, in vehementissimo capitis dolore cum febre acuta, *si urinæ conspiciantur cruda*, seu albæ & claræ, pessimum signum est, deliria, convulsiones & tandem mortem portendens. *Dolor capitis fortis* subitò desinens in morbo acuto, non sequente allevatione per crisin, est lethalis, quoniam subinde signum est gangrænæ, aut omnimodæ sensus in membranis cerebri deficientiæ. *Ubi frigent extrema* in vehementiori capitis dolore, malum est signum. *Si dolor capitis circa frontem* & tempora sit continuus & admodum vehemens cum febre acutâ, apparente die quarto signo pernicioso, septimâ fere die mors ingruit. *Si dolori capitis superveniat* manifesta quædam *excretio*, aut ▽æ, aut sanguinis, aut puris, seu per os sive per nares, seu per aures, signum est solutionis morbi.

Facit huc notabilis *aphorismus Hippocratis sect. 4. aph. 32*: *Quibus ex morbo partium inferiorum convalescentibus dolor capitis vehemens* supervenerit, si non præcedat excretio manifesta in cerebro futurus est abscessus, morbi materiâ ab inferioribus ad superiora conversâ. *Quicunque in febre non lethali dixerit sibi caput dolere*, aut præ oculis obscurum quid apparere, si *cardiogmus* accesserit, & biliosus vomitus expectandus erit, præsertim si rigor intra hypochondria supervenerit. *Quibus vero in ejusmodi febribus caput dolentibus visus hebetudo* contingit, aut splendores circa oculos observantur, aut præ cardiogmo aliquid tenditur in hypochondrio dextro, aut sinistro, neque cum dolore neque cum inflammatione, iis sanguis ex naribus fluet.

Cura; Cum cephalalgiæ causæ sint tam variæ, facilè patet, quod etiam *pro varietate causarum ipsa cura* sit *varianda*, adeò ut non ita commodè determinatis regulis illa ipsa circumscribi queat. *Consideretur ante omnia, an per essentiam an per consensum sit cephalalgia*: *Hæc* affectâ parte primariâ restitutâ facilè curatur; *illa* vero difficulter. Utrinq; semper præmittenda sunt *evacuantia*. *Vomitoria* in illa quæ fit *per consensum* sunt tutiora; in ista vero quæ est *per essentiam*, nonnisi cautissimè adhibeantur; *purgantia* in hac conveniunt, quæ inter speciatim eminet ☿*ius dulcis* ritè paratus. Conf. *Velsch. Hecat. 2. p.* 40. Alias semper observandum ut in quibusvis cephalalgiis alvus semper sit laxior & aperta, cùm hæc obstructa dolorem exasperet, aperta verò dolorem soleat subinde allevare.

I. Inter *evacuantia* conveniunt *pilulæ mastichinæ*, quæ in cephalalgia per consensum stomachi sunt optimæ.

Vel ℞. MP. mastich. ℈j.
Extr. helleb. nigr.

Extr. castor. an. gr. v.
troch. alhand. g. j.
c. s. q. Elix. propr. F. pilulæ.

Quod si ☿ius dulcis sit adhibendus,

℞. Extr. panch. Croll. gr. xv.
☿. dul. ℈j.
Extr. troch. alh. gr. jß.
c. s. q. essentiæ croci. F. pilulæ.

II. Præmissis præmittendis in malo contumaciori *diæta sudorifera* est optima, in specie, *si per essentiam* malum fuerit. Attenuat enim dissolvit, & mediante sanguinis circulo removet ex capite causam materialem viscidiorem ac fixiorem, idque magis, quando ex seri aut lymphæ vitiis malum ortum fuerit, de quibus conf. *Forest. l. 9. obs. 50. Amat. Lus. Cent. 4. cur. 95.* Sicuti *Poterius Cent. 3. cap. 6.* dolorem capitis continuum ab hydrargyri usu concitatum *decocto cephalico cum china & ol. sulphuris* curavit. Aliàs *internè* quæ magis conveniunt, sunt ferè *succinata* quælibet, in specie ejus *♁. volat*, hinc *diaphoretica ♂ialia*, it. *volatilia* tam *urinosa*, quam ex *vitriolo* parata. His ♃ vel etiam *Ess. ☽. genuina* meritò accenseri potest, quibus & *opiata*, it. *camphorata* subinde permisceri possunt. Nam *camphora* in cephalalgia calida mirabilis est, si unum alterumve ejus granum internè usurpetur, aut externè *spir. vini camphoratus*, aut *ol. camphoræ* applicetur.

III. *Chirurgica* præsidia, præsertim circa humorum motum corrigendum occupata, multi usus sunt in cephalalgiis, qualia sunt *V. S. brachii*, *arteriotomiæ temporum*, *incisiones venæ frontis* &c. quin & ad pertinaces & graviores cephalalgias *vesicatoria*, *setacea*, imò ipsum *trepanum* sunt optima. *Illa* ubi in vasis sanguiferis vitium hæserit; *hæc* ubi ex seri vitio malum oriatur. Sed necesse est, ut *prius ritè præmissa sint universalia*, aliàs metuendum esset, ne parili ratione atque *cucurbitulæ* non præmissis universalibus in capitis dolore sunt valdè noxiæ, vid. *Hild. Cent. 5. obs. 69.* etiam alia præsidia *Chirurgica* malum augerent.

In specie *arteriotomia* nobile præsidium est in contumacioribus malis, speciatim *hemicraniis*, cujus usum ipsa monstravit natura natura vid. *M. A. N. C. Ann 8. p. 120.* Et jam olim *Gesnerus l. 3. Epist. 96.* dolorem hemicranii quotannis redeuntem, *sectâ arteriâ in tempore* affecto curavit. Ipsa *arteriotomia* auxilium est facile, & qua copiosè sanguis emitti potest: Et refert *Lindanus*, sibi perquam usitatam esse *arteriotomiam temporalem* in hemicrania inveterata, emittendo in eodem latere ℥xx. ad xxx. Non est periculosum, neque difficile remedium, neque metuendum aneurisma. Nam si tantum *terr. vitriol. dulc.* cum

cum *terra sigill.* mista vel solitaria, vel *c. albumine* subacta applicentur firmiter, intra triduum arteria coalescit. Aliàs post arteriotomiam *incisio venæ frontis* in diuturnioribus cephalalgiis commendatur. Sic *Forest. l. 9. obs. 20.* dolorem capitis quotannis in autumno admodum affligentem notat curatum per sectam brachii venam & detonsis capillis in fronte. In specie *obs. 22.* Vir 40. an. cùm in occipitio diuturnum capitis dolorem habuisset, neque medicamenta juvarent, in fronte V. S. curatus fuit. Loco hujusmodi arteriotomiæ interdum possunt adhiberi *hirudines* utrinque ad tempora: Item pone aures, item ad nucham fieri potest applicatio. Conf. in specie *M. A. N. C. Ann. 4. app. p. 51.* ubi hemicrania hirudinibus fronti applicatis fuit curata: & *Ann. 6. M. A. N. C. p. 20.* idem effectus ab iisdem arteriis temporalibus applicatis, fuit secutus.

Mulier diuturna cephalalgia sæpius recurrente jam per plures annos afflicta, ita ut levi de occasione, vel ex capitis ab aëre inclementiore refrigeratione, vel ejusdem prope focum nimia exæstuatione, vel ex instante mensium fluxu, eandem recurrentem pateretur. *Dolor erat per essentiam*; utut enim sub dolore graviore vomitum pateretur, idque cum dolorum levamine aliquali, tamen hic ventriculus propter sui cum capite consensum subvertebatur. Causam remotam noverat nullam, nisi quod sibi puellæ hæmorrhagia narium familiarior fuisset, qua suppressa cephalalgia ista supervenerat. His intellectis cum alia auxilia essent frustranea, ad *V. S. vel hirudinum ad tempora* applicationem consilium direxi. *Frontis venam* incidi non permittebat, constrictionis faucium impatiens, ob id *hirudines binas* utrinque temporibus applicui & copiosius sanguinem evacuare permisi bono cum successu. Aliàs *incisio venæ inter indicem & pollicem manus* præsens observatum fuit hemicraniæ remedium Vid. *Rhod. Cent. 1. obs. 76.* Quod confirmare potest sententiam *Riverii*, qui ad cephalalgias contumaces *fonticulum inter indicem & pollicem* manus excitatũ cõmendat *in Praxi.* Siquidem aliàs diuturnis in doloribus *fonticuli* aut in brachio, aut in nucha excitati sunt optimũ remediũ. Quin imò interdum *vesicatoria* toti capiti raso graviori in malo applicata conducunt. Vid. *River. Cent. 1. obs. 37.* quæ aliàs saltem vel pone aures, vel prope nucham applicari solent. Sic *Tulpius Cent. 1. obs. 37.* dolorem capitis periodicum per vesicatoria occipiti admota curavit. *Hildanus verò Cent. 4. obs. 6* dolorem capitis vagum extra cranium contumacem & alterã tantum capitis partem occupantem *setaceo* curavit. Cujus tædiosissimi auxilii loco *fonticulus* infra nucham excitandus venit. Apud Vete-

res subinde occurrit mentio *fonticuli in capite, in concursu suturæ coronalis & sagittalis* facti ad graviora capitis & nervosi generis pathemata usurpati, qui jam ferè in desuetudinem abiit, cujus tamen medio cephalalgia inveterata scorbutica curata refertur in *M.A.N.C. Ann.3. p.* 138. *Mulier gravissima laborabat cephalalgia frontis ac temporum*, Es zog ihr die Schläffe herunter und kam in die Kinnbacken/nachmals in den Halß und Achseln/daß sie nicht zu bleiben wuste/ idque inprimis noctè à 9. hora usqe ad tertiam seu 4. matutin. Causa occasionalis, ut ipsa referebat, fuerat excretio & emunctio materiæ variæ, viridis & viscidæ quasi purulentæ per nares, qua deficiente & suppressa, ita ut nares penitus exsuccæ essent, ille dolor supervenit. Accepit *pilulas ☿iales*, item *spir. carm. de tribus*, qui bene contulit aliquamdiu, sed sine perfecta sanatione. Naribus *ol. Nicot.* cum pauca *camphora* applicavit, sed frustra. Aliis ergo irritis, jussi applicari sibi curaret *vesicatoria* bina, utrinque juxta aures, quorum beneficio curata fuit.

Juvenis nobilis cephalalgiâ gravissima affectus cum intenso oculorum dolore, nullo licet p.n. in oculis apparente quæ præsertim vesperi erat gravissima; malum ægro aliàs subinde familiare. Præmissis primas vias *abstergentibus* & *spir. carmin. de tribus*, ordinavi *cataplasma ex fermento acerrimo* misto cum *sem. sinapi* contuso, pauco *spir. vin.* addito, nuchæ applicando, idque eò magis, quia oculi simul tumerent. Hujus usum perquam dolorificum, bonum tamen cephalalgiæ remedium expertus est. Denique & *causticum potentiale* subinde usurpandum venit. Sic *Poter. l.3. c.3.* dolorem capitis periodicum in vertice, præcisè ad ciceris tantum quantitatem se extendente, sine ullo signo sensibus obvio, post paucam materiam purulentam loco affectô per *potentiale causticum* aperto curavit. *Trepanum* denique quod attinet, dolorem capitis hujus medio curatum vid. *in Rhod. Cent.1. obs.69. & 70.* In specie *Amat. Lusit. Cent.1. cur.2.* refert capitis dolorem intensissimum à lue Gallica jam curata, ortum & incurabilem, sed *trepano*, aperto cranio, curatum.

IV. His ita secundum circumstantiarum rationem diversimodè & adhibitis, *opiata* etiam subinde intermiscenda veniunt; sed in horum usu cauti simus, quia subinde accidit, ut in gravioribus doloribus parva dosis *opii* aliquoties licet repetita, nihil adjuvet, unde postmodum fortiore usurpata dosi subitò lethargicus ferè oriatur somnus, ita ut vix denuò possint excitari ægri. Nam utut *opiata* sistant dolorem, quia tamen fontem seu causam relinquunt, eamque magis fixam reddunt, rem ferè in deterius collabi faciunt.

Anodyna igitur & *Narcotica* adhibeantur primum in parva dosi, adscendendo successivè ad majorem dosin, idque saltem appropriatis additis. *Quodsi externè* applicanda sint *narcotica*, suturis non admovenda esse monent Practici, metu soporosi affectus.

V. Quod

V. Quod aliàs attinet *Topica* in genere contra Cephalalgias ufitata, eminet imprimis *verbena* contuſa & in forma cataplaſmatis ac linteis duplicatis fronti & temporibus admota, quæ amuleti inſtar pertinaciſſimam ſiſtit cephalalgiam, ut expertus eſt *Foreſt. l. 9. obſ. 52.* Non æquè ubique ſuccedit. Sunt tamen qui *floribus papaveris rhœados* non minorem, quàm modo laudatæ *verbenæ* laudem contra cephalalgias tribuunt. Conf. *M. A. N. C. Ann. 4. app. 33.* & ſanè aliquando cephalalgiam pertinacem nocturnam *floribus papav. rh.* leviter contuſis fronti & temporibus applicatis curavi. Sequitur *betonica* anodyna & contra capitis dolorem egregia:

℞. Betonicam, coq. in vino, apponatur capiti p. noct. in dolore capitis ex apoſtemate.

Vel ubi virtute anodyna opus eſt, discuſſione & reſolutione:

℞. Betonic. Mj.
abſinth. Mß.
cubeb. ʒj.
vini ℔ j. vel q. ſ.

decoq. & decoctum epithematis inſtar capiti applicetur.

Radix rhodia experimentum eſt *Petri à Caſtro Medici Veronenſis*, qui in pertinaciſſimo capitis dolore ℞. *Rad. rhod. rec.* eamque cum piſtillo lapideo contritam irrorat *aq. verbenæ & fl. ſambuci, ana* & inſtar cataplaſmatis fronti applicat. Loco hujus *decoctum rad. rhodiæ* fronti & temporibus applicatum conducit. Conf. *Timæi caſ. p. 369.* Vel

℞. Herb. verben. rec.
rad. rhod. rec. cum tot. & c. ſ. q. ▽. verben. contund. ad conſiſtentiam cataplaſmatis & ita dicto modo applicetur.

Horum defectu ſunt, qui *pulv. rad. zedoar.* recipiunt & ita applicant, v. g.

℞. ▽. verben.
fl. ſambuc.
betonic. an. ℥j.
pulv. zedoar. ʒß. M.

& ita applicetur capiti tam fronti, quam ubi ita viſum fuerit, etiam nuchæ. Sed hoc ſaltem in cephalalgiis ex cauſa frigida.

Pertinent huc in ſpecie & ea, quæ *aliquali vi narcotica* plus minus pollent, v. g.

℞. Nucleor. Perſicor ʒß.
ſem. papav. alb. ʒij. c. ſ. q. ▽. verbenæ F. Emulſio epithematis forma ſubinde fronti & temporibus applicanda, quæ loco ▽ etiam cum *decoct. betonic.* aut *rad. rhod.* parari poſſunt.

Inprimis *semen hyoscyami* potens est remedium pro placando dolore.

℞. Sem hyoscyam. ℥j. acet. rof. ℥v.

M. in phiala bene obturata, ponantur in MB. per 5. vel 6. hor. ita tamen ut ne bulliat. Postea accipe fasciam ex linteo subtilissimo, qua ligetur caput infirmi, atque cum spongia hoc aceto madida humectetur fascia, ac remittet dolor. It.

℞. Ol. papav. è sem. expr. ℥j.
nucleor. Persic. ℥iß.
hyoscyami.
anethi an. ℈j.

c. s. q. ceræ, vel N. M. expr. F. linim. temporibus applicandum. Item quod in familiari usu habuit *D. Michael.*

℞. Extr. s. verben. ℥j.
ol. hyoscyam. expr. ℈ß. F. linim.

Sed hujusmodi *narcotica externa* non nisi urgente gravius dolore locum habent, idque magis in accidentalibus quam habitualibus, tutius vero in iis, quæ *per consensum*, quam *per essentiam*; convenientius etiam si complicentur dolores cum morbis acutis, quàm cum chronicis; sicuti & ipsi dolores tales si chronici fuerint, aut cephaleæ, aut clavi, minus hujusmodi curari, leviter saltem palliari solent. Potius *præmissis internis Chirurgicis* remediis hi posteriores tractandi sunt, aut iisdem *empl. appropriatis*, v. g. *de tacamahaca cum balf. Peruviano* succurrendum. Porrò *unguentum de alabastro* maximè commendatur à quamplurimis præsertim *Foresto*, in quovis capitis dolore, ex quacunque causa nato, in specie in cephalalgia febrium pariter pro circumstantiarum ratione & de *oleis papaveris, hyoscyami* aut *camphoræ* addi potest.

Denique ubi opus est discussione & hujus medio doloris sedatione, item resolutione causæ cephalalgiam inferentis in cephalalgiâ à causa frigida ut vocant, optimi sunt *sacculi ex milio & ♁e communi*:

℞. Milii leniter tosti part. iv.
⊖is comm. tost. part. ij.

ex his fiant sacculi suffumigandi & ita applicandi capiti, vel

℞. Milii tosti Mij.
⊖ comm. parum tosti Mj.
herb. betonic.
fl. chamomill. an. Mß.
pulv. rad. rhod. ℥ß.

F. sacculi interpassati calidè capiti applicandi; conveniunt inprimis in dolore capitis senum.

VI. In specie sunt contumacissimi & atrocissimi *dolores scorbutici*,

lan-

lancinantes, rodentes, lacerantes, nocturno præsertim tempore gravius affligentes, nec facile nisi appropriatis scorbuticis tollendi. Hinc *interne*, *decocta sudorifera*, præsertim *ex ligno juniper.* cui *rasura ligni buxi* addita remedium magis reddit appropriatum, sunt usitata. Hinc *lac*, quod sicut aliàs per consensum solet inferre dolorem capitis, ita in scorbuto est optimum remedium demulcendo acrimoniam θlis scorbutici. *Externè vesicatoria* propè aures applicata; item *epithema* ♋, infra dicendum; item *fl. papav. rhæad. rec.* contusi & applicati conveniunt.

VII. *In cephalalgia febrili* præterea, quæ *internè* febriles paroxysmos solvunt, *externè* convenit *succus sempervivi* aut *portulacæ*, si cum pauco *aceto rosaceo* instar epithematis capiti applicetur; vel convenit *epithema Hartm.* cum *camph. in Pr. Chym. l. 2. c. 1. §. 18.* vel quod describit §. 7. Inprimis *epithema ex* ♋. *fluv.* contusis & applicatis, aut *ex succo* ♋. *expresso cum* ▽ *papav. rhæad subacto*, epithematis formâ applicandum. Item *unguent. populeon. & alabastr.* etiam convenit, v. g.

℞. Ungu alabastr. ℥iij.
ol. papav expr. ℥ß.
hyoscyam. expr. ℈j.
M S. Eusserlich Sälblein.

Quod si in febb. ob nimios dolores capitis metuantur deliria aut convulsiones, adeoque, ut aliàs dicunt, raptus materiæ ad caput:

℞. Fol. rut. rec Mij. - iij.
rad. raph incis. no. ij. - iij.
θ comm. Mj.
ferm acerrim. Mij.
acet. rutac. q. s. F. L. A. pulmentum, applicetur plantis pedũ, & repetatur si exsiccatum fuerit. Revulsorium est irritationis ratione remedium, unde & in comate vigili febrium egregium est. Vid. *Barbette in obs. de peste.*

VIII. Quoad *dolorem capitis fixum* seu *cephalalgiam à materia viscida*, glutinosa ac acri enata, atque ut vocant *cephalalgiam frigidam*, item in *cephalalgia senum* cura per *ligna sudorifera* conducit; imprimis *balsam. succini* vertici illitum. Præ cæteris præstantissimum est *empl. Vigonis de ranis cum* ☿ *io* capiti raso impositum, quo ipso cephalalgias antiquas desperatas curavit *Platerus*, quod vid. *in ejus observ.* Item *empl.* hujus *parti* 1. potest addi *empl. de betonic. & ungu. de alabastr. pars* ß & sic horrendam cephalæam mirabiliter curavit. Ipse aliquando in vetula octuagenaria, quæ jam ab aliquot annis gravissima occipitis laboraverat cephalea felici successu hoc *empl. malaxatum cum oleo succini* usurpavi. In genere ubi suspicio est materiæ crassæ & viscidæ,

ſcidæ, non habetur melius hoc *emplaſtro* remedium, propter ☿*ium*, qui attenuat, reſolvit & fluxilem facit materiam iſtam, quæcunque etiam ſit. Hinc in *diſceſſione ſuturarum* feliciter etiam idem adhibuit *D. Mich. in caſu ſupra allegato*: Ubi præmiſſis præmittendis & injectis ſubinde *clyſmatibus domeſticis*, in quibus de ſeqq. aliquot uncias ſolvi juſſit

℞. Elect. hieræ cum agarico ℥jv.
de bacc. lauri ℥ij.
pulv. helleb. nigr. ʒjß.
fellis tauri inſpiſſat. ʒiij. M.

cujus ℥ij. adde clyſmati ſæpius repetendo. Capiti vero ad imitationem *Plateri* applicuit hoc *emplaſtrum*:

℞. Empl. de ranis cum ☿io.
Cerati de betonic an. ℥jß.
Empl. pro bregmat. uſit. ʒvj. Malax. cum *unguent. alabaſtr.* inducatur alutæ & applicetur capiti forma emplaſtri. *Aliàs in hac ſuturarum diſceſſione* convenit præmiſſa capitis ligatura & deraſis capillis, *ceratum ex pelle arietina* cum *gummi elemi* & pauco *cerato de betonica* loco affecto applicando. Illud *emplaſtrum de ranis cum* ☿*io* optimum quoque eſt in doloribus capitis ♀eis.

IX. *Quod ſi dolor capitis ſit à cauſa externa*, ictu aut caſu ab alto, optimum eſt *Ceratum Alexandri Benedicti*, qui hoc ipſo curavit ſenem ex trabis percuſſione dolentem

℞. Gummi heder. ℥iij.
Reſin. purgat. ℥ß.
ceræ ℥iij.
ol. roſac. ℥ijß.
gumm. ammon. ℥ij.
terebinth. ℥iij.
ſucci corymb. heder.
farin. fabar. q. ſ. F. empl.

Conf. de hoc etiam *Henr. ab Heer obſ.* 21. Item *Foreſt. l.* 9. *obſerv.* 35. *in ſchol.* Aliàs ad dolores ex percuſſione etiam *unguentum alabaſtrin.* proficuum obſervatum fuit.

X. *Si cephalalgia ſit à vermibus*, pro cura obſervari poteſt curioſa hiſtor. quam refert *Hildesheim Spicileg.* 1. *de affect. cap. c.* 45. Nempe cum æger *præmiſſis univerſalibus* & copioſis vermibus per alvum rejectis nihilominus in gravi capitis dolore perſiſteret, ipſe vero non vulgarem ſuſpicionem haberet vermium, ſyncipiti applicavit *empl.* tale

℞.

℞. Pulv. Aloes.
lumbricorum an. ʒij.
fellis tauri ʒj.
ol. abſinth. & ceræ q. ſ. extendatur ſuper alutam.

Pro faciendo fumo hunc *pulverem* ordinavit

℞. Pulv. centaur. min.
marrub. beton. an. ʒij.
zedóar. ʒß.
angelic. ʒij.
ſuccin. ʒj.
♁. crudi ℥j.
minij ʒjß.
boli Armen. ʒj.
ariſtol. rot. ʒij.
abſinth. ʒiij M. F. pulv. pro fumo.

Cum hoc *emplaſtro* uſus eſſet, & fumum ter quaterq; admiſiſſet, tandem 13. oblongi vermes villoſi ſeu lanuginoſi vivi, inſtar erucarum, per fauces & nares prodierunt, quos ipſe digito apprehenſos extraxit; continuavit medicamenta, ſed tantos dolores & cruciatus poſtea non ſenſit, quantos antea, ſed tamen omnes nondum ſemotos dicebat ipſe, cum adhuc in ſyncipite laterent aliqui: Poſt aliquot menſes prodierunt adhuc duo, non tamen ita magni ac priores.

XI. In *cephalalgia ab ebrietate* & crapula convenit *piper* vel integrum, vel in partes diviſum deglutiendum, quia abſumit cruditates in *ventriculo*. Item caput leviter irrorandum, teſtes vero in *▽m frigidam aceto* miſtam immergantur.

XII. In *hemicrania* præter *arteriotomiam* aut *hirudinum* applicationem ſupra laudatam, ſingulariter laudatur *rad. cucumeris aſinini ſeu ſylveſtris*, ſi ex eadem cum *verbena* & *abſinthio* F. cataplaſma, vel ex eadem *radice* additis emollientibus F. cataplaſma, in ſpecie pro ſolvenda hemicrania per abſceſſum ac ſuppurationem, de qua vid. *curioſa obſ. Horſt. lib.2. obſ.*10. Loco cataplaſmatis etiam fieri poteſt tale *decoctum*

℞. Rad. cucum. aſin. ℥j.
fol. abſinth. Mß.
fl. violar. p. I.

coq. in vino & aqua, & *decoctum* applica loco dolenti in hemicrania. Nempe fit hoc ad imitationem Medici Veteris *Pauli*, qui in hemicraniis recipiebat *rad. cucumeris ſylv. virid.* minutim conciſam & *abſinthium*. Hæc incoquebat *hydrolæo* ad putrilaginem uſque, cum *hydrolæo* calente mediocriter partem dolentem inun-

inungebat, hinc *rad.* & *absinthium* desuper applicabat. Loco *cucum. sylv.* etiam *rad. bryoniæ* recipi potest, si nempe hujus ℥j. cum *fol. absinth.* Mij. decoq. in ▽. cui spongia nova subinde immergatur & calidè loco dolenti applicetur, & postmodum *unguent. alabastr.* Sane *Forestus*, *Gabelchoverus*, *Fonseca* & plures alii practici multum commendant *rad. cucum. asinin.* ad hemicraniam. Sunt, qui in specie ad hemicraniam commendant

℞. Euphorbii ℥j.
ceræ ℥iij.
ol. dulciss ℔j.

hoc ipso dimidium frontis, & musculi temporales inungi commodè possunt.

XIII. *In dolore capitis muliercularum* seu *dolore occipitis frigido*, specificus est *sacculus Hartm. ex succino* cum *essent. piperis* irrorat. *cit. loc.* §. 19. It. *empl. ex tacamahac.* & *succino* conveniens est in hujusmodi muliercularum doloribus. *Vid. Barthol. Cent.* 3. *epist.* 14.

DOLOR OCULORUM.

Post dolorem capitis subinde *dolent oculi*, nunc per *causas externas* quascunque oculos incidendo affligentes, & dolorem infligentes: Nunc propter *ophthalmiam* seu inflammationem, si lympha eosdem humectans inprimis acrior & acido ðsior fuerit, unde rosio, morsicatio, dolor &c. *Specialis dolor* est, qui oculos subinde vexat, estque *sensus* vehementissimæ *compressionis*, & quasi simul ejusdem *lacerationis*, das Drücken in Augen / cum manifesta alteratione, quam credo oriri ex spasmo membranarum oculi.

In *cura*, *remota causa* tollitur effectus; adeoque si *res externæ* in oculos illapsæ fuerint, quantocyus eædem removendæ; in quem finem convenit imprimis *hormini semen* oculo immissum, quod ipsum à lympha oculari humectatum reddit mucilaginem, qua inviscantur ea, quæ in oculos inciderunt, & ita extrahi possunt. Item *perla* vel *parvus lapillus* &c. immittatur in oculum, & hinc inde facta agitatione ejici solent, quæ inciderunt. *Magnes* admovetur oculo in scobe ♂is aut scoria chalybis. Conf. *Hild. Cent.* 1. *obs.* 13. & *Cent.* 5. *observ.* 21. Quomodo aliàs *instrumentis Chirurgicis* externa ista ex oculis eximenda sint, vid. *Hild. Cent.* 2. *obs.* 13. *Cent.* 4. *obs.* 17.

In inflammatione à *causa interna* hæc ipsa *appropriatis* curanda venit, in specie propter oculorum dolorem decoctum *pomorum dulcium* applicetur, idq; *solum*, si sit à causa interna, vel *sociatum cum albumine ovi* bene agitato, si sit à causa externa. Hic & *arteriotomia* in oculi hoc dolore subinde administranda

niſtranda venit. Vid. *Act. Haffn. vol.* 1. *p.* 13. Si adſit lympha corroſiva in oculo, adhibentur in ſpecie *tutia* præparata, aut *fl. zinci*, quæ abſorbendo acrimoniam lymphæ corrigunt & temperant. Quod ſi ſpecialis ille dolor compreſſivus & lacerativus occaſione natæ undecunq; oculis moleſtiæ urgeat, proſunt inprimis ▽*æ ophthalmicæ* ☿*iales*, it. *fomenta Poterii in Cent.* 3. *c.* 9. ex *decoctis ophthalmicis* extra adhibitis; It. *verbena, fœnicul. euphraſia, roſ. ſumach, tutia* in aqua & vino decocta applicata, vel

℞. Mucilag. ſem. plantag. cydon.
hormini ſeu ſclareæ
c. ſpermat. ranar. extr. ℥iij.
croci gr. vj. camphor. gr. jv. quæ miſta applicentur.

Quibus quidam & *lac muliebre* addere ſolent, vid. *Hild. l.* 1. *obſ.* 2. *p.* 3. *Folia Nicotianæ* contuſa leniter & recentia oculis impoſita, vel ſi nequeant haberi recentia, modico S. V. irrorata oculorum dolorem tollunt. *Lindanus* perquam laudat *ſaccharum* ♃*ale* contra oculorum dolorem:

℞. ▽. plantag.
fœnicul. an. ℥j.
ſacch. cand. ♃ial. ʒj. l. ij.
tutiæ præpar. gr. viij. M.

Ab omnibus laudata & experta *eſt pulpa pomorum dulcium aſſatorum.*

℞. Pomor. dul. No. iij. coq. in ſ. q. aq. fontan. ad mollitiem, trajiciantur per ſetaceum, pulpæ trajectæ adde album. ov. conquaſs. N. j.
Sacch. albiſs. ʒij. camph. gr. xj. croci gr. v. M.

Convenit in quovis undecunque nato oculorum dolore inflammatorio, *vid. Opera Timæi, Chirurg. Barbett. & Armam. Chirurg. Sculteti obſerv.* 22.

AURIUM DOLOR.

Porro dolent quoque aures in *otalgia*, idque inprimis ratione membranæ internæ, meatum auris inveſtientis. *Cauſa*, quæ dolorem infert, frequentiſſima eſt *inflammatio*, de quâ ſuperius, juncta cum ſenſu ardoris ac pulſationis ſubinde lancinationis moleſtiſſimæ; & quidem licet non videatur primitus dolor ab inflammatione, tamen ſuperveniente puris fluxu & levamine res ipſa ſe prodit. *Conf.* in ſpecie, quæ notabiles aurium dolores notant, *M. A. N. C. Ann.* 6. *p.* 117. D inde dolorem etiam infert *humor* iſte, ex quo naturaliter concreſcunt *cerumina*, qui ſi p n. reddatur *acris & bſus*, membranam internam pungit & nonnihil arrodit. Nam utut hæc ipſa cerumina ſint ſpiſſiora flaveſcentia, & in adultis ſubamareſcant, in infantibus vero dulceſcant, *eorum tamen*

tamen genesis est ex quodam humore, quod patet ex eo, si quis cerumina aurium expurgans cum stylo altius intrūso vellicet membranam, hinc digitum profundius immittat, illum humore subtili irroratum & humectatum extrahet, imò si copiosius forsan fluat, aperte *sensus fluxionis* percipi potest; hic ipse resolvitur per aerem & inspissatur tandem in cerumina. *Ex hac causa natus dolor contumax* & gravis non tamen adeò molestus & fere rarior observatur. Denique *lympha vitiosa* acido peregrino tincta in catarrhalibus affectibus ad *otalgiam* disponit, modo hæc ipsa causa cum priore non coincidat, quod omnino videtur. *Sunt etiam vermes in aures irrepentes*, qui graves dolores aurium eosque varios inferre solent, cum sensu rosionis, puncturæ, pruritus &c. item cum sensu reptionis, seu progressus vermium in interiori auris meatu.

Prognosis; *Dolor aurium* præsertim *inflammatorius* periculosum malum est. Nam deliria, graves cerebri affectus & mortem inferre potest, idque eò magis, si in profundo hæreat dolor, & nervum acusticum magis afficiat. *Infantibus frequens malum* esse solet & quod facile supervenienti materiæ cujusdam plus minus purulentæ excretioni se jungit. *Seniores vero gravius* & periculosius laborant.

Quoad *curam*, sistunt eundem *fomenta ex althæa, fœnugr. fl. chamomill. melilot. betonic.* &c. applicata, præsertim, si malum sit à causa externa, vid. *Hild. Cent.* 1. *obs.* 5. & 6. It. *Forest. l.* 12. *obs.* 3. Item *fumus Nicot.* cum fistula inversa auri immissus; vel *folia Nicotianæ*, aut recenter parum contusa applicata, vel humectata S.V. & ita admota. Præ cæteris utilia *ol. insectorum, asellorum, scarabæorum, scorpionum.* Nempe *aselli in oleum violarum* aut *nymphææ* infusi & expressi præstantissimum faciunt anodynum. Non cedit his *ol. scarabæorum*, si hi in *ol. rosac.* injiciantur vivi cum ▽. pauca & ad aquæ consumpt. coq. hinc exprimantur; denique

℞. Ol. scorpion. ℥j.
amygd. dulc. aut si opus est aliquali detersione
amar. ℥ß. M.

Quæ blandè calefacta auri dolenti instillentur, patiente super aurem decumbente, aut etiam cum bombace paulò profundius imittantur. *Porro, ubi nulla est inflammationis suspicio*, optimè convenit *decoctum caryophyll. aromat.* in vino, auri instillatum, ipso *caryophyllo* desuper applicato; *urina pueri* aut potius *spir.* ejus non adeò acris auri immissus est egregius, it. convenit *spir. otalgicus Mynsicht.* aut *Barbette in Anat. Pr. l.* 2. *c.* 1. ubi vel *spir. abstractus* vel saltem *essentia* abstracta auribus instillari, aut cum bombace applicari possunt. Hic ipse quoque non tantum in obauditione, à quacunque causa sine inflammatione, sed etiam in tinnitu aurium & surditate est egregius, si duæ vel 3. guttæ instillentur & postmodum

modum auris obturetur cum *bombace moschato* aut *ambrato.* Ubi dolor est nimis acutus, *spiritui* hujusmodi *otalgico* tantillum *essentiæ opii* addendum venit, sed cautè hoc fiat, ne auditum lædamus. *Conf. Forest. l. 20. obs. 1. 3. 4.*

Si dolor aurium sit à vermibus, opera danda est, ut ii expellantur, aut intus enecentur, & ita extrahantur. *Lac* tepidum cum spongia auribus applicatum subinde allicit dulcedinis odore eosdem ut prodeant. Qua ratione etiam *pomum assatum* dulce auribus applicatum eos allicit. Vel etiam *lac* infundi potest. Sic enim *Panarolus Pentec. 4. observ. 27.* notat dolorem aurium intensissimum per *lactis* infusionem, evocatis vermibus curatum. *Succus absinthii* aut *cucum. asinini, ol. nucl. persicorum rec. expr. ol. diacoloc. Quercet.*

Vel ℞. Ol. nucl. persic. rec. ℥j.
diacolocynth. Q. ʒß.
☿. dulc. gr. ij. M. instilletur auribus, vermes enecat. It. *suffitus ex myrrha* cnm *essentia myrrhæ* auribus instillata.

Vel ℞. Aloes, myrrh. an. ʒij.
summit. absinth. Mß.
coq. in vino, pro injectione in aurem.

Sem. hyosciami cum cera redigatur in candelas, quarum incensarum fumus dirigatur in aures, unde vermes mox excidunt. Sic vermes per suffumigia *amara* & ex ♂ ore & naribus excepta per aures expulsos vid. in *Salmuth. Cent. 2. obs. 39.* *ol. destillat. juniperi*, it. *bals. sulph. tereb.* enecat animalia in aurem ingressa; sicuti etiam *suffitus gumm. ammon.* quædam ejecit. Conf. *M. A. N. C. Ann. 3. p. 480.* *Si gryllus in aurem* irrepserit, *oleo* infusionis *gryllorum* denuò ejicitur. Vid *M. A. N. C. Ann. 4. p. 45.* *Si hirudo forsan* in aurem irrepserit, auris externa perfundatur *sanguine* recenti, ad hunc enim prorepunt, vid. *Barth. Cent. 4. hist. 84.* vel ▽. *ḃsa* injiciatur. *Quod si pulex in aurem se insinuaverit*, commendat *Riverius globulum ex pilis caninis* compositum, cum stylo in aurem immittendum, cum huic se pulices insinuent.

Dolent præterea frequenter *articulationes* quælibet in affectu

ARTHRITIS

dicto in genere, quæ in specie, pro articulorum varietate, *in pedibus podagra, in genubus gonagra, in manibus chiragra, in dentibus à Strobelbergero odontalgia, in coxendicis articulis ischiadicus morbus* seu *dolor* appellatur. Præter quas partes tamen & *scapulas & vertebras colli* & interdum *sternum* occupat; imò observavi in sene admodum podagrico & *alteram nasi* quasi

quasi *medietatem* fuisse affectam. *Arthritis fere per paroxysmos affligere solet*, extra quos, nisi in inveterato malo satis commodè habent ægri. *Quoties imminet paroxysmus*, alvus ferè segnior evadit, ægri *molestiam* quandam haud bene explicabilem *circa præcordia* sentiunt, consuetum *excrementum* intra pedum digitos *non reperitur* & circa articulos *tensio* percipitur. Hinc supervenit *dolor circa articulos*, qui in incipiente podagra, utplurimum pollicem pedis majorem unius, hinc & alterius pedis successive occupat, hinc repetente aut procedente crebrius malo, alia etiam loca successive, *genua*, hinc *brachia*, occupare solet. *Dolor*, quam percipiunt ægri, fere *triplex est*, *pungens*, *lacerans* & *pulsans*, plus minus tamen intensus & interdum simul accedit cum *tumore* simul *erysipelaceo* in *arthritide calida*; in qua etiam arthritide omnia symptomata sunt atrociora, sed simul paroxysmi sunt breviores, quam in *podagra* dicta comuniter *frigida*, in qua dolores remissiores, & *tumor* plus minus *œdematosus* cum nullo vel levi saltem rubore affligit, diutius tamen persistente paroxysmo, nec tam facile evanescente tumore. Ægri utplurimum *anxii* sunt *circa præcordia* in paroxysmo, præsertim in incremento ejus, minus in statu; conqueruntur ægri de *ardore seu æstu* circa regionem stomachi, hinc frigida appetunt, it. de gravissima *siti* & anxietatibus præcordiorum, stomachi monstrando regionem, quæ fiunt eò graviores, quò minus potu se onerant. *Appetitus* penitus est *prostratus*. *clysmata* autem & blandè *laxantia* optimè *anxietates has leniunt*. Subinde accidit, ut cum crebrius repetito, sed inani *vomendi conatu* affligat, sicque anxietates insigniter exacerbet; imò observavi, quod cum *lipothymiis* gravibus subinde repetentibus paroxysmus in principio & incremento ægros, præsertim inveterato malo laborantes vexaverit, quæ pathemata tamen in ejus statu dum dolores & tumores increverunt, & plures partes occupatæ fuerunt, penitus remiserunt. Accedit fere semper *febris symptomatica continua*, non adeò quidem acuta, minus tamen in principio paroxysmi affligens, mitius in statu, quam ad febrium catarrhalium naturam accedere asserit *Sylvius l.* 4.

Hæc ipsa *symptomata* etiam *in dolore ischiadico* fere occurrunt, ubi *dolor* præter hos, & in articulo, ubi femoris caput inseritur *coxendici*, inprimis percipitur, etiam *clunes seu nates* hinc intra ossis sacri & lumborum regionem plus minus occupans; quin nervorum & membranarum connexarum & deorsum protensarum ratione, inferius versus *suram & pedem* usque, & ad extremum malleolum tandem extenditur, *nocteque* fere *gravius affligit*, & quia partes primario dolentes in profundo, sub tegmine copiosiorum musculorum, delitescunt, fere nulla extrinsecus mutatio facta conspicitur.

Sæpius

Sæpius equidem *dolores* alii istam *superiorem cruris & coxarum regionem occupant*, & subinde pertinaciter affligunt, non tamen præcise dolorem ischiadicum constituunt. Conf. *Senn. Tr. de Arthrit. cap. 6. p. 45.* Quod si crebrius redeant paroxysmi, ac pro more vehementius affligant, insigniter *debilitantur articuli*, ac *motus* eorum multum *imminuitur*, adeò ut tandem ad *paralyticam* quasi *constitutionem* redigantur, flaccescant simul, & in nutritione deficiant, subinde laxentur. Interdum circa articulos contrahuntur & *rigida* manent *membra*, aut saltim intra articulos contracturæ seu *tophi* & *nodi* colliguntur, qui motum articulorum impediunt.

Ischiadicus dolor speciatim ad *claudicationem*, nonnunquam *coxæ luxationem*, aliquando cruris *atrophiam* disponit. Imo si inveteratum fuerit malum, præsertim si in paroxysmi declinatione sudores neglexerint ægri, pertinacia in articulis vestigia relinquit arthritis, adeò ut levi occasione & vel fortiore saltem articuli motu & agitatione mox nonnihil recrudescat, aut saltem punctionibus supervenientibus se manifestet.

Pars affecta erit pars admodum sensilis circa articulos saltem situata, adeoque nil aliud, quam *membranea ligamenta*, ipsos articulos vincientia & colligantia. Quin imò his affectis ipsum *periostium* in locis ossium articulationi proximis pati simul, probabile videtur ex acerbitate lacerante doloris, in profundo inprimis siti & apparenter ossium capita immediatè afficientis. *Sed quod articulos in specie afficiat*, videtur esse ex *synovia*, seu ▽. *glareoli*, das Glieder-wasser / quæ est ros dulcis chylosus seu alcali temperato turgidus, qui ceu nutrimentum ligamentorum & membranarum, ipsorumq; forsan ossium, abundans intra articulos collectus pro motu facilitando & instar axungiæ oblinens ossium articulationes: Hoc ceu appropriatum specifici arthreticorum acidi objectum inquinari inprimis solet, quo facto mox varia circa articulos pathemata superveniunt, dum *partes vicinæ membranaceæ* necessario *rodi* incipiunt, hinc successive synovia ista ab acido peccante instar albuminis ovi spissari, & tandem in *cretaceam* seu *gypseam substantiam* coagulari solet, ut patet ex *tophorum* seu *nodorum* intra articulos collectione, qui incisionis via exemti *calceum & gypseum tophum* omnino repræsentarunt, & effectum, non causam arthritidis constituunt, quorum tophorum examen Chymicum vid. in *Kerkring. Spicileg. obs. 28.*

Quoad *causam efficientem* omnium optimè eadem *in Tachen. Morborum Principe* expressa & explicata videtur; nempe *acidum vol. spirituosum*, sui tamen generis seu specifici saporis, spiritui influo maritatum synoviam inprimis & partes vicinas membranaceas inquinans & affligens, primarius tortor est. *Prima hujus acidi spirituosi origo* est ex primis viis, quam potius ex depravata digestione prima cum *Tachenio*, quam ex Pancreate aut glandulis cum *Sylvio* derivare

rivare placet, adeoque non in pedum articulis ipsam podagram esse rectè dicitur, sed ejus solum fructum, cujus radix habitat in stomachi fermento vitali, ita ut licet dolentem pedem abscideris, podagram proinde non sanaveris. *Quod si maturè non occurratur malo*, acidum illud spirituosum furtive & successive acido stomachi fermentativo se associat, donec *fermenti* more pedetentim hoc superet, ita ut imposterum nec naturali nec artificiali separationi obediat, adeoq; inveteratum incurabile sit, ut eleganter loquitur *Tachenius c. l. p.* 438.

Hinc nempe 1. *hæreditaria* observatur *podagra*, cum spiritu influo genitali odore acido podagrico communicato fœtui. *Nobilem curavi juvenem*, qui ab ineunte 8. ætatis anno sæpius podagra correptus fuerat, quod parens ejus & ipse insigniter podagricus in ipso paroxysmo eum genuerat. *Hinc* 2. *etiam animi pathematibus gravioribus* aut *diuturnioribus* curata observatur podagra, ut *subitanea consternatione*, aut *ira* insigni aut *mœrore* diuturno, ut in divitibus vel pauperioribus factum. Conf. *Barthol. Cent.* 6. *hist.* 28. *Lotich. observ. p.* 489. *Salmuth Cent.* 1. *obs.* 48. *Tachen. Morbor. Princip. p.* 356. quò etiam pertinet *tortura* ex *Hildan. Cent.* 1. *observ.* 79. Nempe perturbatio animi & spirituum peculiaris motus ac alteratio extinxit *fermentum podagricum*, aut saltem plus minus alteravit illud, principaliter quidem in stomacho primariò, qui cum reliquis præsideat digestionibus, & has exinde alterari necesse est, vid. *Tachen. c.* 1. *p.* 357. 360. quantum nempe animi pathemata fermenti digestivi & hinc digestionis primæ negotium alterent; quo etiam *confidentiam ægri erga Medicum* vel remedia pertinere per se notum est. *Hinc* 3 *utplurimum etiam arthritici nephritici esse solent*, eodem acido spirituoso utrobique autore. *Hinc* 4 *lacticinia*, modernorum methodô, sed continuato usu, ut invertantur quasi humores corporis, spir. & fermentum digestivum, curant arthritidem. 5. *Vini abusus* volat. acidi ratione spir. inprimis afficiens plures in hoc malum præcipitat. *Observanda tamen differentia inter vina*, dum ea quæ plus de tartaro vel acido facile fermentante in nobis continent, nocentiora sunt. Quo alia vegetabilia plus minus tartarea pertinent, ut recte asserit *Glauberus*. *Hinc* 6. *abstinentia vini* ècontra quosdam ab arthritide deliberasse observata est. Vid. *Sennert. c. l. pag.* 15. Sic *Lotich. in obs. p.* 88. refert podagram ex abstinentia per integrum annum cessantem, sed hujus copiosa ingurgitatione recidivantem.

Ex eo est, quod in arthritide producenda *tria ista* vulgo nota ceu *causæ remotæ principaliores* conspirare videantur, dum *Bacchus* ceu *Pater*, vini quo innuitur nocivum acidum, ex nimio abusu à fermento stomachico min⁹ debitè superabile ac corrigibile: *Venus* ceu *Mater*, quaten⁹ repetito congressu post

copio-

copiosos spiritus influos, chylo temperato alcalinô prædives sub genituræ forma succus nutritius excernitur, & hinc nervosum systema insigniter debilitatur; & *ira* ceu *obstetrix*, commovendo contenta corporis & spir. & acidum volat. in nobis augendo, adeoque & spiritus influos asperiores reddendo, in producendo arthritidis fœtu occupata rectè dicuntur. *Dictis ex causis & viri magis, quam fœminæ arthritidi obnoxiæ* dicuntur, cum ex *Hipp. sect. 6. aph. 20.* mulieres non laborent podagra, nisi menses deficiant: Utut hodie contrarium experiri liceat, cum secundum *Senecam* non natura, sed vita mulierum mutata sit.

Par ratio est *Eunuchorum*, quos nec podagra laborare, nec calvos fieri olim *Hippocrates* pronunciavit. It. *puerorum*, quos ante ♀is usum non laborare podagra asseruit. Quæ ita quidem sub prisci ævi innocentiâ & temperantia obtinuerunt; hodiè vero ex parentum & avorum vitiis ipsa progenies adhuc vitiosior nata & ulterius exorbitans dictorum veritatem eludit. Non secus ac *Ciconia* inter podagræ remedia relata, tamen & ipsa podagrica observata in *Actis Hafn. vol. 4. p. 154.*

Scorbutici quoque admodum obnoxii sunt podagræ, quæ subinde eos atrocius affligit. Curiosum est quod *contagiosa* interdum observata fuerit à *Bartholino Hist. Med. 59.* idque mediantibus vestibus in *M. A. N. C. Ann. 6. p. 205.*

Acido igitur arthretico spirituoso cum spiritibus quavis occasione insignius commoto, quod v. g. in motu corporis aut animi, aëre frigido, humido, pororum aperturam debitam prohibendo, post effervescentiam in sanguine febrilem inprimis se insinuat synoviæ, & hujus medio articulorum loca affligit, & cum hâc ipsa simul aliqualem probabiliter effervescentiam facit, donec acido spirituosô maximam partem ab eadem intra articulos suscepto, ulterius illa spirituum & humorum cesset agitatio, sed in articulis malum adhuc hæreat, non citius cessans, quam acido spirituoso saturato ab alcali & in ϑsum volatile mutato; hinc dolore cessante fibrarum contractura cessat, & pori aperti magis liberiorem transpirationem permittunt, quo facto omnia reliqua symptomata absunt.

Sed observandum crebrius vel recurrentes paroxysmos vel diutius articulos affligentes relinquere sui *vestigia*, h. e. ultra partis dolentis debilitatem, ex spiritus insiti aliquali deficientia, obruti plus minus à spirituoso acido peregrino & fibrarum nervearum relaxato tono, ipsis partibus membraneis solidis antea dolentibus infixa permanere de acido peccante occulta spicula, quavis & facili occasione ac motu in actum dolorosum excitabilia & spirituum reliquorum hinc factâ commotione paroxysmum novum provocantia. Nempe ex acido isto podagrico, inprimis in fermento digestivo stomachi commotô & hinc totum corpus penetrante anxia ista præcordiorum pathemata originem ducunt. *Patet autem*

 ex

ex dictis, utut in quovis paroxyſmo *debilitentur* plus minus articuli ſeu *partes ſolidæ*, fluidas tamen tam *humoroſas* quam ſpirituoſas eo ipſo quaſi *depurari*, ſiquidem non tantùm acidum illud ſpirituoſum ſpiritibus ſatiatum, dum ſynoviã inquinat, illorum ſpirituum conſortium plus minus deſerit, ſed etiam ſubinde alia M. S. heterogenea fermenta, febrili efferveſcentia ſecreta, nunc unà circa loca dolentia colliguntur, ex fibrarum partium dolentium contractura; nunc per ſudorem excernuntur *in declinatione*, ſicut *in incremento* hi ipſi moderatè proliciti maturant articulorum ab acido podagrico invaſionem, & hinc abbreviant inſigniter paroxyſmi tempora.

Hæc ipſa etiam patefaciunt, quare tam varia & mirabilia pathemata *ſubinde accidant*, acido podagrico alias partes ac frequentiſſimè nervoſos plexus occupante extra articulos, quæ omnia ſuperveniente paroxyſmo ceſſant, vid. *M. A. N. C. Ann. 6. p.* 307. Sic arthritidem in *Colicam* & contra mutabilem refert *Caſtro*; *Epilepſiam* gravem notat *Lotichius*; ſicut paroxyſmo non rite procedente, nec acido volatili ſufficienter excluſo, vel ob internarum partium defectum ſpiritibus iſtis languentibus & acido podagrico nimis in contentis corporis dominante, vel ob externorum ineptam applicationem, tam diuturna *virium proſtratio* & languor & *appetitus dejectus* ſuperſunt: Interdum *palpitationes cordis*, ſæpiſſime *tuſſes ſiccæ*, aut ſæpius adhuc *aſthmata occulta convulſiva*, ſubinde ipſa mors ſuperveniunt.

Quoties arthretici, quibus plures articuli aliàs occupari ſolent, paroxyſmô corripiuntur, qui non more conſueto ſucceſſivè articulationes iſtas quoque occupet (niſi per curam præſervatoriam malum plus minus in radice mitigatum fuerit) ii vel diutius languidi permanent, vel brevi poſt novo paroxyſmo corripiuntur, vel alius gravioris morbi, aut etiam mortis ipſius periculum ſubeunt: Id quod notavit etiam *Sennertus de arthritide c.* 4. ut & *Höferus Hercul. Med. p.* 222. Hinc *in podagricorum* vel leviter confirmatorum & *aliis morbis* correptorum cura *ad acidum podagricum ſimul reſpiciendum* venit, quod in omnibus aliis morbis ſymptomata intendere & morbum vel graviorem aut contumaciorem reddere ſolet, idq; tamdiu fere, donec vel ipſum vi naturæ aut artis correctum fuerit, aut artus occuparit, quo facto omnia remiſſiora & leviora mox apparere ſolent.

Ex hactenus enarratis *prognoſeos* maxima dependebit ratio. Nam 1. *arthritis morbus lethalis non eſt*. Sæpe enim arthritici *diu vivunt*, ſeneſque fiunt, unde quibusdam eine geſunde Kranckheit dicitur, & potius ex podagra deficiente, quam eadem ordinaria ratione ſuperveniente moriuntur.

2. *Curatio ejus* perquam *difficilis eſt*, tam *in* quam *extra paroxyſmum* idque eò magis, quo magis *inveterata* fuerit. Hinc quoniam ſæpius in primis paroxyſmis

roxyſmis negligitur, facile ſucceſſivè incurabilis evadit. *Rhumelius* eleganter diſtinguit inter *podagram hæreditariam, nodoſam* & *ſolutam*: & *hanc* curabilem, *illam* incurabilem ait. Sed tamen m. *ſoluta*, niſi recens, ſubinde inter incurabiles refertur. Inter omnes arthritidis ſpecies *iſchiadicus dolor* graviſſimus eſt, nihilominus tamen *in principio* facilius, quam cœteri curari ſolet, ſicut *in progreſſu* æque rebellis eſſe ſolet.

3. *Si in arthritide contingat luxatio*, difficulter ſanatur, aut prorſus inſanabilis eſt, membranis & ligamentis nimis laxatis, repoſitum membrum *membranis & ligamentis* non firmantibus; ut taceam intra articulos ex ſynovia coagulata collectam materiam curam impedire. Hinc *Hippocr. ſect.* 6. §. 59. quibus " diuturno coxendicum dolore infeſtatis, coxa excidit, rurſumque incidit, iis " mucores ſuperveniunt.

4. *Si dolores* ſenſim ingraveſcentes *ad jugulum* & ſuperiores partes tranſeunt, perniciem minantur. Item *quò plura* & frequentiora conveniunt *ſymptomata*, eò difficilius curatur, ut fit quando ab externis repellentibus, aut ſtupefacientibus ægri in anxietates, lypothymias aut alia mala incidunt.

5. *Solvitur arthritis* fere 4. *modis*. (1.) Ordinario fere in totum finito paroxyſmo *diſcutitur* morbus in articulo, ut nullum ſui relinquat veſtigium, niſi ſucceſſu temporis ſuperveniant tophi. (2.) Rarum eſt, quando tumor podagricus *in materiam ichoroſam* aut ſaniem purulentam *mutatur*, quæ partibus intercutaneis eroſis foras exſudat. (3.) Quando *tophi* poſt paroxyſmos *relinquuntur*. (4.) *Quando incipiens paroxyſmus* ſua tempora non abſolvit, aut plane deficit, acido podagrico *alias partes extra articulos occupante*, id quod peſſimum eſt, & mille mala poſt ſe trahit.

Quoad CURAM *duo* reſpicienda ſunt *tempora*. 1. *Tempus paroxyſmi*, ut curetur. 2. *Tempus extra paroxyſmum* ut præſervetur.

Quoad paroxyſmi tempus, cum in hoc inprimis *motus naturæ* vigeat, cuj⁹ impetu ille excitatur, unde ex deficiente naturæ robore deficientibus paroxyſmis ægri in periculoſo ſunt ſtatu, ob id non ſiſtendus, ſed *promovendus*, impedimenta removendo, acidi ſpecifici vim maturè infringendo, urgentia nimis *ſymptomata* mitigando, ſemper ſimul pro legitima remediorum adminiſtratione 4. particularia membrorum tempora attendendo, adeoque

I. *Ingruente podagra* VOMITUS convenit, ſed præmiſſo uſu *lap.* ♁. *præp.* Nam acidum ejus oritur in ſtomacho, hinc imminente podagra appetitus ſine manifeſta cauſa eſt proſtatus, & ſudores conſueti aliàs ſponte ſupprimuntur. De quo *vomitus* uſu vid. *Sylv. l.* 4. *cap.* 8. §. 152. & 156. *Sin minus vomitus inſtitui queat*, PURGANTIA BLANDA, ſed miſtis temperantibus acida,

 v. g.

v.g. *offibus hum. præp. vel calcinatis* &c. conducunt, aut *pilulæ aloëticæ cum appropriatis* propinentur, ad imitationem *Tachenii p.* 439.

II. *Opiata solùm nunquam proficua* nec *internè*, nec *externè*. Sic enim malum contumacius reddunt, utut dolores remittant, motumque naturæ impediunt, & ut vocant: Sie behalten das podagra im Leibe. Imò *abusus opiatorum* ad paralysin arthriticos disponit, vid *M. A. N. C. ann.* 4. *p.* 335. adeoque cautè usurpentur, nec nisi præmissis universalibus, nec nisi adjunctis *purgantibus*, aut *sudoriferis*, aut *specificis*. Suspicor tamen commodè propinari posse eadem ingruente paroxysmo, præmisso vomitu cum specifico sudorifero. *Quoad mistionem cum purgantibus* illustrant hoc *pilulæ antipodagricæ Rhumelii*, quas vocat: *Veni amice, surge & ambula.* ℞. MP. aloephang. ℥ij laud. op. ℨß. M. F. Pilul. divid. in part. 4. æquales, cujus una pars in vino assumenda & 3. vel 4. horis jejunium imperandum. *Conf.* etiam quoad opiatorum usum *Velschium Hecat.* 2. *obs.* 27. *Mistio vero cum diaphoreticis* etiam vulgo nota est.

III. Sicut ergo *diaphoretica opiatis* maritata *intra paroxysmum*, sic *diuretica extra paroxysmum* in *cura præservatoria* sunt optima, quæ duo in plurimis conspirant, ita ut unum alterum sublevet; *Utrobique* ergò prosunt *alcalia* tam *fixa* quam *volatilia*, acidum podagricum & corrigentia & correctum eliminantia. Imprimis verò *diuretica* tam *in præservando* quam *curando* sunt optima, magis tamen in *præservando*, & speciatim nulla *purgantia*, nulla violenta *sudorifera* tantum valent, quantum *appropriata diuretica*, imprimis *volatilia*, qualia sunt *spir.* ♁*ci*, *spir. carminativus de tribus*, qui aliquoties multum præstitit in abusu vini, ad præcautionem variorum malorum, quatenus urinam movit. Sic egregia *lumbricalia* in *podagra* ad *diuresin*, item *arcanum duplicatum Mynf.* præmissis fixis est nobile. Hinc *scarabæi* speciatim unctuosi, die blauen Meyenkäfer/ nobile suggerunt remedium ad *podagram* per urinam, utut cum dolorosâ stranguriâ operentur. Vid. *Borelli Cent* 4. *obs.* 24.

IV. *Extra paroxysmum* porrò *diæta* exactissimè est observanda arthriticis, quam præ aliis commendant maximoperè Recentiores. Sicut enim hæc neglecta fœcunda podagræ mater est, ita observata eadem hunc suum fœtum abortivum rursus abolet. In specie verò *diæta sudorifera* & *diæta lactea* heîc remedii vim obtinent, cum funditus iisdem podagra eradicata sit. Antiquis *illa* magis in usu fuit, *hæc* vero Modernis, sicut de hac posteriori vid. *Greiselius* qui integrum Tractatum edidit *de cura lactis in arthritide*. Cui sociari poterit *disputatio* lectu dignissima *de cura lactis podagricorum solatio*, à *D*,

à D. D. Waldschmidio Marpurgi nuper habita, ubi aliquot hujus rei experimenta videbitis.

Remedia quod concernit, eadem prorsus hîc conveniunt quæ supra de doloribus in genere sunt laudata, varia nempe *nervina, aromatica* & *volatilia, calefacientia* vulgò dicta, quæ *sale* suo *volatili* acidum podagricum invertere & per transpirationem insensibilem eliminare solent; quibus in specie semper adjungantur *specifica* & *appropriata, chamædris, chamæpythis, iva arthretica, spir.* ♄✳. *spir.* & *sal. vol. lumbricorum* &c. quæ vid. in *Sennerto, Riverio, Willisio* & aliis, ubi & plures inde concinnatæ *formulæ* occurrunt.

Quoad *externa* fugiantur nimis *unctuosa pinguia*, quæ poros oblinendo malum sæpiusculè potius exasperant, & insensibilem transpirationem inhibendo tandem contumaces *contracturas* inferunt, unde loco *unguentorum* potius *emplastra* varia *nervinis* constantia, & *cataplasmata calida* sunt adhibenda, quæ ipsa tamen sæpius renovanda, ne actuali suo frigore postmodum stricturam pororum inferendo malum exasperent. Excellunt heîc *saponacea* & ex iis paratus *balsamus antipodagricus Rhumelii*, item *Sapo Venetus in S. V.* dissolutus & applicatus, siquidem *in forma liquida* quæ adhibentur, majorem sæpe & tutiorem effectum relinquunt; hinc ▽. *artic. ad extra*, ▽. *calc. viv. spir. lumbric. spir.* ♄✳*ci* & alia *supra* laudata, sunt optima.

Ex *Chirurgico fonte vesicatoria ex cantharidibus* imprimis conveniunt, tam *præservativè*, quàm *curativè*. Quin & *fonticuli* sæpius non sine fructu excitantur, qui ut in affectibus serosis præprimis conveniunt, ita paroxysmos arthreticos quoque egregiè præservare solent. Quo & *cauteria* tam *potentialia* quam *actualia* referenda & hæc inter *moxæ Sinticæ* inustio, quæ haut ita pridem specificè ad hunc affectum innotuit, cui tamen & *moxam Germanicam* substitui posse rectè asserit Dn. D. *Wedelius in M. A. N. C. Dec. 2. Anno 2.*

CAPUT X
DE
VARIIS VISUS LÆSIONIBUS.

Post *tactum* sensus externos inter eminet *visus*, qui 4. *modis*, *læditur*. I. Quando penitus *aboletur*, in *cæcitate*. II. Quando saltem *imminuitur*, ut in *visus hebetudine* variâ, quando objecta longa obscurè, aut propinqua licet

licet & minuta, difficulter conspici possunt. III. *Depravatur*, idque variè, *vel* quando res una apparet duplex; *vel* quando res integræ dimidiatæ apparent; *vel* quando res videtur perforata; *vel* denique quando res videntur apparentes, quæ non sunt, ut *flocculi, muscæ* &c. Pertinet huc *duplex* illa *visus læsio*, 1. quando objecta remota optimè, propinqua vero difficillimè videntur, & vocatur *senum visio*. Huic 2. contrarium vitium est, quando propius admota, etiam minutissima, optimè videmus, remotiora difficulter & vocatur *myopia*.

IV. Denique vitiatur visio, quando videtur *augeri*, quod fit, quando objecta, etiam naturaliter constituta, nimis *colorata* & *splendida* apparent, ita ut visus omnibus majorem gradum tribuat, unde fieri solet, ut talis visio non absq; dolore & oculi læsione percipiatur.

Hæc *in genere* de visus læsionibus. *In specie* jam considerabimus *affectus oculorum* frequentiores, & quidem eô ordine, quô radii visivi oculi membranas & humores trajicere solent: Ubi 1. *læditur visio, quando ingressus radiorum per pupillam impeditur*, propter corneæ perspicuitatem ablatam, quod fit in specie ob *tunicam* quandam ab uno oculi angulo, utplurimùm à cantho majore circa nasum frequentius enatam, quæ successivè accrescendo, ad pupillam pervenit & corneam obtegit, & sic foramen pupillæ clauditur, & nullus radio visivo transitus conceditur. Græcis malum id dicitur πτερύγιον, Latinis *ungula* seu

VNGVIS.

Tunica hæc non semper uniformis existit, *nunc plana tenuis & albida* esse solet & propriè *tunica* appellatur & *unguicula*. Interdum est *carnosior* & tunc dicitur PANNUS ein Fell über dem Auge. *Causa* hujus excrescentiæ est eadem cum reliquis excrescentiis in corpore; Nempe nullæ excrescentiæ fiunt, nisi præcedente læsione in uno vel alterô oculi angulô, ut dissolvatur continuitas in carne. *Modus* est hic: Quando in ophthalmia lachrymæ θlino-acidæ, aut acres carnem in angulo majore arrodunt, hincque membranam adnatam lædunt, nutrimentum inde transsudat & coagulatur in concretum ejusmodi membraneum. Prout igitur nutrimentum elapsum plus minus vitiatur, etiam tunicarum *diversitas* oritur, ut alia dicatur *benigna*, alia *maligna*. Hæc *maligna* seu *cancrosa* est, quando pannus lividus, obscurus & dolorosus est; quin imò, si fortius penetravit ista rosio, & vasculæ sanguinis lædit, hinc sanguis novas vias efficit & repræsentat venulas. *Benigna* vero est, si *pannus* est candidus, clarus, tenuis, nec crassus, & indolens.

Quoad

Quoad *prognosin*: *Unguis gravis* tandem cœcitatem infert. *Recens* facilè curatur, *vetus* difficulter. *Tunica cancrosa* non attingenda, item si cum pterygio incipit & progreditur.

In *cura*, *Tunica* hæc præternaturalis *removenda*, aut *medicamentis* abstergentibus & blandè erodentibus, aut *operâ manuum Chirurgicâ*: Hinc blande *adstringentibus* poruli firmandi.

Conveniunt igitur *sacch. candum, mel, vinum alb. ossa sepiæ, CC. ustum, testæ ovorum calcinatæ*. Item ▽. *ophthalm*. ▽. *euphrasiæ. chelid. mai. fœniculi*, quibus infundatur *crocus metallorum*; vel ℞. 8. ℥j. dissolve in ▽. *ros.* & *fœnic.* aa. q. v. M. pro collyriô. In specie conveniunt *fella piscium, fel lucii pisc.* ejusq; ▽. *destillata*. It. hujus *essentiæ* mirè conveniunt in resolvenda hâc tunicâ: Propinandi modum vid. in *Sennerti Prax. lib. 1. pag. 796.* It. in *Hartmanni Prax. Chym. p. 99.* Vel ℞. ▽. *leucoji bulb.* ℥jß. in quo dissolv. *fellis luc. piscis* ℥j. M. Filt. & oculis applicentur. Loco *fellis lucii* secretum est aliorum *fel humanum*, destillatum ex cucurbitâ, per alembicum æneum. Ex *stercore anserum juniorum*, mense April. collecto etiam ▽. per alemb. destillata est egregia ad hæc & alia oculorum vitia. Si pertinacius malum, ad ▽. *Sapphirinam Chirurgorum* progrediendum, mox post ▽. destillatas, quæ variè dilui potest. In specie *succus chelidon. maj.* expressus, dilutus cum *rore fœnic.* insidente, absumit tunicas. *Vitriol. album* laudat *Poterius Cent. 2. obs. 8.* Facit huc *collyrium Lotichii*, quo unguem secundum ☽. motum nunc accrescentem, nunc decrescentem delevit:

℞. ▽. rosarum.
euphras.
fœnic. aa. q. v.

His aquis misceatur sequens pulvis, quæ mistura cum pennâ tunicæ illinatur, cavendo pupillam:

℞. Lap. hæmat. ℈ß.
vitriol. alb. gr. xv.
myrrh.
croci aa. gr. v.
sacch. candi ℈j. M.

Hactenus de *impedito radiorum ingressu per pupillam*. Sed præter hunc evenit sæpe, ut *pars corneæ perspicua*, foramini pupillæ obtensa visum obscuret, quando *crassescit*, aut vitiosum colorem contrahit, qui radios impedit, quo minus penetrare, aut si penetrent, vitiosô colore tincti sint.

Vitium hoc fit *primò*, quando in nutritione corneæ perspicuæ alimentum nonnihil crassius & viscidius suggeritur, id quod in *causa* est, ut obscurata nonni-

nonnihil corneâ, ægro omnia obſcura & quaſi per nubeculam appareant, unde & NUBECULA oculi appellatur. *Secundo* fit hoc vitium, quando CICATRICULA ab eroſione tunicæ corneæ v. g. in variolis generatur, quæ ſi craſſior ſit & albedinem repræſentet, ALBUGO dicitur ſeu

LEUCOMA.

Tertiò fit hoc vitium, ſi poſt ictum aut caſum in oculos *ſanguis congrumatus* in albo oculi hæret & vitioſos colores efficit, quod malum SUGGILLATIO dicitur.

Cauſæ antecedentes horum malorum ex ægrorum relatione patent.

Quoad *prognoſin cicatrix* difficilis eſt curatu, idque eò magis, ſi craſſior & diuturnior fuerit *nubecula*. *Suggillatio* facile removetur in pueris, modo tractabiles ſint.

In *cura*: *Nubeculæ* materia craſſa removenda: *Leucomatis* macula & *cicatricula* abſtergenda: In *ſuggillatione* ſanguis congrumatus reſolvendus & diſcutiendus.

Conveniunt igitur ſeqq. *remedia*: *Sem. ſclareæ* ſive *hormini ſylveſtris* Scharlach oculo impoſitum, quod maculas & albuginem abſtergit. *Succus fœniculi c. balſ. Peruviano*. ▽. *mellis ſimpl.* & *compoſita*, quam habet *Amatus Luſitanus Cent.* 4. *Cur.* 35. *Succus anagallid. fl. cœruleo*, *ſuccus chelidonii*, ▽. *ſapphirina*. Vid. *Riv. Cent.* 3. *obſ.* 45. Vel experimentum *Plateri*

℞. Pulp. pom. odorat. quartarium, incide minutim & in ▽. roſ. ac fœn. coq. ad pultem, add. mucilag. fœnugr. ℥iij.
alb. ovor. n. ij. vel iij.
lapid. hæmat. præp. ʒß. ad ʒj.
cortic. granat. pulveriſat. ʒij. M. F. cataplaſma oculo imp.

Idem cataplaſma etiam *Horſtius* laudat *lib.* 2. *obſ.* 39. Tandem *liquores* parati *ex fl. cich.* aut *fl. cyani*. Vid. *Sennertus* & *Hartmannus*.

Ad ſuggillationem valet *fotus ex* ▽. *chærefol. fl. cyani* cum lint. multiplicatis. It. *Decoctum rad. ſymph. & ſigill. Salom.* Vel *linimentum contra livorem faciei Mynſichti pag.* 503.

Porro per pupillam tranſiens radius viſivus ulterius penetrat *humorem aqueum*, qui limpidus eſſe debet; Si verò in humore hoc aqueo inter pupillam & hum. cryſtallinum impedimentum aliquod ſe offerat, quod radiis tranſitum neget, viſio tollitur. Fit hoc ſi in humore aqueo *membrana* quædam colligatur & concreſcat, quæ vulgò

CATA-

CATARACTA

dicitur, malum vero ipſum SUFFUSIO appellatur, Germanis der Stahr.

Cauſa hujus *cataractæ* eſt materia illa, unde in ſuo eſſe conſervatur humor aqueus, quæ impura reddita, perſpicuitatem humoris aquei tollit. Hæc ipſa materia ſi particulis excrementoſis referta, ita ut hæc tandem in *membranam* concreſcant, quæ pupillam vel in totum vel ad partem obtegat, ſuffuſio oriri ſolet.

Hæc eſt *ſuffuſio vera*; præter quam & *ſuffuſio notha* datur, *jejunis* imprimis familiaris & iis qui *ſtomachi debilitate* laborant. Item *in ſtatu febrium* talis ſubeſſe ſolet, dum *flocculi*, *muſcæ* aut ſimilia ante oculos verſari videntur.

Diſtinguendum autem eſt inter *ſuffuſionem* & GLAUCOMA: *Hoc* enim tale *humoris cryſtallini* vitium eſt, quando ex perſpicuo obſcuratus & albedine fuſca inquinatus eſt, quod quidem vitium *ſenibus* tandem naturaliter accidere ſolet.

Quoad *prognoſin* horum pathematum, *ea ſuffuſio*, in qua uno oculo connivente alterius pupilla dilatatur, curari poteſt aut per medicamenta ~~aut per medicamenta~~ aut per Chirurgiam. *Si verò pupilla non dilatatur*, incurabilis eſt. *Cataracta confirmata*, ubi ægri lumen admotum vix vident, medicamentis non, Chirurgiâ difficulter curatur. *Recens* facilius, *vetus* difficulter curatur. *Quo magis alba*, eò major ſalutis ſpes; *nigra* fere nunquam curatur.

Pro *cura ſubſtantia iſta heterogenea* ante ſui concretionem *diſcutienda*, concreta *reſolvenda* & *diſſipanda*, aut ſaltem Chirurgicâ manu *deprimenda*.

Remedia quæ heîc conveniunt, ſunt præprimis ▽*æ ophthalmicæ* ☿*ales*, vid. *ſupra, ubi de ophthalmiâ*. Juxta has *Foreſtus* mirè laudat *liq. hepatis muſtelæ piſcis*, *Ferdinandus* verò ▽. *deſtillat. ex ſtercore humano*, cui infund. *fel muſtelæ piſcis*. It. ▽. *ophthalmica Quercet. ex vitriol. & urin. pueri*, vel ▽. *ophthalmica Zingiberata Hartmanni in Praxi Chymiatr. cap.* 43.

Ex Chirurgiâ præter *depreſſionem acu faciendam* conveniunt quoque *veſicatoria* in nucha, *fonticuli*, *ſetacea* & hujus farinæ alia.

Tandem ſi radius viſivus pertingat quidem rectâ per totum oculum, usque ad tunicam retinam eamque feriat, nulla verò ſequatur viſio, utut nulla ſenſilis in oculo appareat læſio, tunc vitium dicitur

GUTTA SERENA,

& est omnimoda *cœcitas.* Vitii hujus *causa* quærenda est ferè semper in *nervô opticô* ejusque *expansione*, quæ *tunicam retinam* constituit. Quando nimirum *nervi optici* vel *obstructi* vel *compressi*, vel *alio modò læsi* sunt, ita ut spiritus animales per illos influere nequeant, necessario *cæcitas* supervenit, hinc interdum fit ut *post alios morbos* superveniat gutta serena, ex obstructo nervo optico; sic *ex scabie retropulsâ* cœcitatem habet *Sennertus l.* 3. *Prax.* It. *ex sublatâ natta Horstius in obs. Ex ulcere pedis* intempestivè clauso similem guttam serenam notat *Timæus in Consil. pag.* 60. Sed præter hanc *causam* in nervo optico, hujus *expansio* in bulbo oculi, quæ tunicam retinam constituit, quandoque causa est guttæ serenæ, quando in *tensione* sua deficit & ita *flaccida* evadit, ut à nullo radio visivo moveri possit.

Quo facit, quando ex *causis externis* ob *percussionem* oculi, *casum* in syncipur, fortemque *sternutationem* laceratur quasi vel alio modò vitiatur. Quo *diuturnus* ☉*is aspectus* pertinet, aut continuata ☽*æ plenæ inspectio*, cujus exemplum habet *Henricus ab Heer in obs.*

In *prognosi senes naturaliter quoad visum hebescunt*, interdum relaxata tunica retina omninò excœcantur, malo incurabili. In genere *omnis gutta serena difficulter* curatur. NYCTALOPIA, si interdiu rectè, vesperi parum aut nihil videtur, raro curatur.

In *cura* conveniunt ea, quæ per experientiam *visum confortare* observata fuerunt, tam *interna*, quam *externa*. *Internè pil. aloëphanginæ*, *infusum sennæ cum* ♄. *Tart.* in ▽. *euphr.* & *fœniculi.* *Pil. ex extr. panchym. cum ol. fœnic.* *Pulv. hermodactyl.* qui singulariter laudatur à *Deodato in valetud. p.* 153. Porro *aromatica* conducunt, sed *acria* manifesta, allium, cepæ &c. fugienda. *Appropriata* inter palmam ducit *euphrasia*, indeque parata *vinum*, *essent.* &c. Hinc *Valeriana* ejusque *radix*, *chelidon. maj. levisticum*, *fœniculum*, *sassafrata*, *rosmarin. bacc. junip. ruta.* It. ex *formicis* parata, in & externè.

Pro usu externo alias *infusa* ☿ *alia* prostant & ▽. *ex fellibus.* It. sequens *unguentum*:

℞. Mellis anthosati & despumati
zingib. pulveris.

caryophill.

caryophill. min. pulv.
salis aa ℥ß. M. F. unguentum, de quo particula instar sem. sinapi oculo imponatur, & continuetur aliquamdiu, donec affectus succedat.

CAPUT XI.
DE
AUDITUS LÆSIONIBUS.

POst visum sequitur *auditus*, qui *duobus* fere *modis* læditur: I. Quando *imminuitur* in OBAUDITIONE, aut omninò *aboletur* & tunc vocatur

SURDITAS.

II. Quando *depravatur*, ita ut soni, qui non sunt, audiri existimentur, in TINNITU AURIUM, de quo postmodum. Quoad *causas imminuitur* aut *aboletur auditus vel vitio auris externæ*, si est abscissa; *vel vitio meatus auditorii* obstructi ab externis illapsis aut cerumine; *Vel* oriuntur hi affectus *vitio membranæ tympani* vel ruptæ, vel exesæ & exulceratæ; *Vel* tandem *vitio nervi auditorii* læditur auditus, *si vitiose conformatus* & in alium locum, quàm aurem internam derivatur; aut etiam *si est obstructus* aut *compressus*, adeo ut spiritibus animalibus omnem transitum intercludat.

Quoad *causas externas* vitia hæc oriuntur vel *à casu ab alto*, aut etiam *nimiò sonitu*, hinc fit interdum, ut *ab explosione sclopetorum*, huic non assueti surdastri fiant; *Morbis* item *acutis* sæpè surditas supervenit, ad statum properantibus & per hæmorrhagiam criticam finituris.

Vitia hæc *obauditionis* & *surditatis* cum per se pateant jam ad *prognosin* transeo, ubi *surdi ab ortu* raro curantur. *Surditas, quæ per se morbum constituit*, chronicum & difficile curatu malum est. *Surditas in acutis* cum urina cruda delirium portendit; Si verò coctionis signa in urina apparent, bonum & hæmorrhagiam criticam promittit.

Cura pro varietate causarum varianda. *Si ergo surditas in morbis acutis* sit critica à Medico raro curanda, quia spontè cessat. *Si à cerumine* obturentur aures, id *emollientibus* attenuetur per *succ. absinth. spir. urinæ* &c. & postmodum eximatur. *Sin ex aliis causis* fuerit malum, fere semper tympani & nervi acustici habenda est ratio, ut horum tonus *appropriatis* restituatur, *aromaticis* nempe & *nervinis*.

Hinc *remedia* inter *ambra* & *moschus* excellunt, vel ▽. *origani c. vino* destillata vel ▽. *card. bened.* instillata. It. *essent. absinth. C. B. castorei, caryophillorum, spir. acusticus Mynsichti* vel *Barbette*, cum bombace auribus admotus. Facit huc *oleum destillatum succini* cum *ol. nucl. persic.* permistum, insigniter à *Lindano* laudatum. It. ▽. *magnanimitatis, spiritus* item *formicarum*. Vel

℞. Rad. Helleb. nigr. ℥ß.
calam. aromat. ℈ij.
pulp. colocynth. ℈j.
bacc. laur. excort. ʒj.
sem. cumini ℈ij.
spir. vini ℥jv. M. stent in infus. per aliquot ♂. postmodum colentur & exprimantur, cujus guttæ aliquot auribus indendæ sunt. *Si est ex casu aut percussione*, egregia est ▽. *cyclaminis* per alembicum destillata; vel *emplastrum ex tacamahaca* & *cerat. de betonica* aa. q. v. capiti imponendum. *Vid. Hochstätter. Dec. 9. p. 320.*

Sequitur jam *alterum* auditus *vitium*, nempe

TINNITUS AURIUM,

quando aut *sonitus* quidam aut *tinnitus* percipitur, qui non est. *Sonitum* vocant **das Sausen und Brausen der Ohren**: *Tinnitum* verò **das Klingen der Ohren.**

Causa est vel *in aere auris interno*, vel in *tympano*. *Illic* si aër ille implantatus vitiosè moveatur, sonus & sibilus auditur sive raucus sive acutus: *Hic* verò tympanum variis ex causis commotum & vellicatum, auditum pariter depravare solet. Hinc *causas externas* inter, quicquid membranam hanc irritare, aut auram auris naturalem commovere potest, tinnitum auris inducere solet. Huc *percussio capitis, casus ab alto* & alia pertinent. Item *tinnitus* ille qui *in dolore capitis* vel *in febribus acutis* adest, ob turgescentiam sanguinis excitatus. Conf. *Tulpius lib. 1. obs. 35.*

In *prognosi tinnitus aurium in feb. ardentibus* sponte curatur. *Si vero per se morbum* constituat eumque chronicum, rarò curatur & tandem ad surditatem disponit.

In *cura* eadem *remedia* conveniunt, quæ in surditate laudata sunt; in specie *suffitus ex absinth.* & *verbena* admodum laudatur ab *Hartmanno in Prax. Chym. p. 106.* It. *suffitus ex succino.* It. *ex gumm. ammon. ol. nucl. persic. spiritus urinæ*

urina cum bombace auribus inditus. Facit huc seq. experimentum ad inveteratum aurium tinnitum admodum laudatum

℞. Hell. alb.
castor. aa. ʒij.
cost. ʒjß.
ruthæ ℈ij.
euphorb. ʒß.
amygd. amar. ℥j.

coq. in ol. ruthæ, quod oleum tepidè instilletur auri.

Si tinnitus fiat ex casu, experta est *mixtura Plateri*:

℞. Aq. vitæ cochl. j.
succ. cep. cochl. ß.
ol. destill. spicæ gutt. 4.
M. & auribus instilla.

Interna in affectibus aurium præmissis universalibus sunt *sassafrata*, *succinata* &c. quæ eò melius operantur, si *sudor* post eorum assumptionem expectetur.

CAPUT XII
DE
LÆSIONIBUS GUSTUS & OLFACTUS.

REstant adhuc inter *sensus externos gustus* & *olfactus*, quos heîc simul considerabimus, cum maximum inter se *consensum* habeant, ita quidem ut vitiato uno vitietur & alter.

Uterq; autem *læditur dupliciter* dum I. *Imminuitur* aut *aboletur*, ita ut parum vel nihil sive odorari sive gustare possimus. II. *Depravatur*, quando *odores* vel *sapores* alii, quam sunt in rebus, percipiuntur, iique putridi & fœtidi.

Causa imminutionis utrobique est vel *in defectu spirituum animalium* v. g. in apoplexia, paralysi &c. *Vel in organis* horum sensuum malè conformatis vel alio modo vitiatis. *Causa* verò *depravationis*, quando organa horum sensuum ab humoribus variis vel halitibus peregrini saporis inficiuntur. Sic *in lue ♀rea* ob ulcus narium. It. *ob scorbutum oris olfactus* depravatur; Sicut *gustus* in *ictericis* fere amarus esse solet. Quò forte *picantium gustus* refe-

referendus est. Sic *in catharris* tam *gustus* quam *olfactus* & *depravati* & prorsus sæpe sunt *aboliti*.

Quoad *prognosin*: *Pathemata hæc in catharris* sine periculo sunt, quibus curatis sponte cessant; idem de aliis morbis sentiendum. *Sin verò inveterata sint*, difficilia sunt curatu.

In *cura causa* removenda & *organa* horum sensuum confortanda sunt, in *imminutione* eorum aut *abolitione*. *Illic* ad catharrum respectus est habendus. *Hic* verò *nervina* varia & *aromatica* conveniunt, v. g. *majorana*, *pulegium*, *rosmarinus* & ex his parata *olea*, *essentiæ* &c. Hinc *balsamus majoranæ* ex *oleô* factus naribus illinendus; vel *suffitus* fiant ex *gumm. anim. succino* &c. Quæ & in *olfactu depravato* locum habent.

In *gustu* verò *depravato* causa prius removenda & tum linguæ tonus restituendus. Hinc *si gustus sit icteritius*, *vomitus* sæpe convenit; quo factô *serum lactis acidulatum* eum abolet, non secus ac *radix cichorei* condita. Aliàs verò *raphanus* ante pastum usurpatus & masticatus gustum acuit teste *Hœfero in Hercule Med. p. 75*. *Hartmannus gargarismum* habet & *linimentum* quæ vid. in *Praxi* ejus *Chymiatricâ c. 85. §. 3. & 4.* *Succus acetosæ* & ex eô cum *sacch.* paratus *syrupus* multum valent, teste *Zacut. Lusitano*, quibus os subinde colluendum & abstergendum.

CAPUT XIII
DE
SENSUUM INTERNORUM & RATIONALIUM FUNCTIONUM LÆSIONE.

HActenus de *operationibus*, quæ homini cum brutis sunt *communes*. Jam accessum faciamus ad læsionem *operationum* ipsi *propriarum*. *Operatio* talis est *intellectus* & inde promanans RATIOCINATIO, quæ II. *modis* læditur, aut enim 1. *imminuitur* vel *aboletur* v. g. *in senibus*: Aut 2. *depravatur in deliriis*.

Abolita ratiocinatio STULTITIA, DEMENTIA & DESIPIENTIA appellatur. *Imminuta* verò STUPIDITAS seu TARDITAS

INGE-

INGENII dicitur. Nunquam verò hæc accidunt, nisi & *sensus interni* simul plus minus laborent, imprimis

MEMORIA,

cujus *læsiones* heîc potissimum considerandæ, quæ ipsa aut *imminuitur*, aut prorsus *aboletur*; *Depravari* enim nequit. *Imminutæ* ergo aut *abolitæ causam proximam* & *universalem* determinare impossibile est, cum à priori lateat nos ipsius memoriæ actus. Observandum saltem *læsiones* ejus sequi *læsiones capitis*. Unde ad *causas remotiores* maximè respiciendum, quæ nos ad feliciorem Praxin quasi manu deducere poterunt.

Remotæ igitur *causæ* sunt vel *fortuitæ*, vel *non fortuitæ*. *Illæ* v. g. casus ab alto, contusio cranii &c. *Hæ* res sunt vel nonnaturales vel præternaturales. *Illic* imprimis assumpta, excreta, pathemata &c. *Hic* morbi varii, imprimis acuti considerandi, memoriam abolentes: Item diuturniores epilepsiæ & melancholiæ. *Naturalem stupiditatem*, curatu impossibilem hîc prætermittimus.

Quoad *prognosin*: *Memoriæ subitanea læsio* absq; causa externa, apoplexiæ prodromus. *Quæ est ex filtris*, difficillimè curabilis, & facile in maniam degenerat. *Quæ à morbis acutis*, malignis, aut venenis oritur memoriæ læsio & inde nata stupiditas ferè incurabilis est.

In *cura causarum remotarum* activitas pensitanda: Hinc *cerebri* & *spirituum animalium constitutio* consideranda, & *si fervidi*, sunt attemperandi. *Sin verò nimis torpidi*, aromaticis excitandi.

Remedia quod attinet, in genere omnia *cephalica* dicta, *spirituosa* & *aromatica* laudantur v. g. *rosmarinus*, *meliss. ocym. lil. convallium*, *stœch. Arab.* Aliquot *cubebæ* jejuno stomacho comestæ prosunt, in juvenibus tamen cautè adhibeantur. Porrò *castoreum*, *succinum*: *Pulvis Trithemii* maximè laudatur ad roborandam memoriam. *Vid. Hartmannum in Prax. Chym.* it. *spec. dianthos*, *diamoschi dulc. confectio anacardina*. De *formicis* res nota est deque ▽. *magnanimitatis*. Excellit hic ▽. *magnanim. Laurembergii in* sua *Mneumon.* It. M. A. N. C. *anno* 3. *in appendice*. Porrò *aq. Sophorum Dorncrellii*, ▽. *cephal. Mynf. Q. E. Matthioli*, *spir. cerebri hum.* &c.

Externè ol. myrrhæ per deliq. temporibus & vertici illinatur. It. S. ▼. in quo *piper* infusum, quo in memoriâ læsâ ob abundantiam succorum frigidorum nonnemo feliciter usus est; simile quid habet *Hildesheim in Specil. p.* 219.

℞. Fol. betonic.
salv.
lavend.
rorismarini
ros. rubr. aa. Mj.
nuc. mosch.
pip. long.
galang. cypr. aa. ℈jv.
castor. ℥ij.
nuc. Ind. ℥ß.
myrrh.
thur. aa. ℥iij.
croci ℈ij. M. infund. in S.V. dig. in MB. Filt. & hoc ipso liquore nares tempora & vertex illinantur pro ingenii robore.

His præmissis jam accedamus ad *ratiocinationem depravatam*, unde

DELIRIA

oriuntur, *quando* nempe *ratiocinatio à consueta ratione & ordine aberrat*.

Causa horum *in genere* consistit in spiritu animali, hujus nimirum substantiâ & motu plus minus alteratis & vitiatis. *Mens* enim seu *anima rationalis* utpote immaterialis, & immutabilis eadem semper manet & à nullâ causâ materiali lædi potest. In spiritu latet vitium, idque varium, unde *varia* oriuntur *deliria*.

Unde quoad *differentias deliriorum*, *in genere* oriuntur vel à *causa interna*, vel ab *externa*, eaque sive *assumta*, sive *extrinsecus admota*, idque vel ex *animali* vel *vegetabili regno*.

Externas causas quod attinet, *ex regno vegetabili* sunt omnia *narcotica*, quæ juxta vim suam narcoticam & stupefactivam virtutem etiam obtinent ita determinandi spiritus animales, ut diversi conceptus in mente formentur variaque inde deliria sequantur. Sic aliis somnia terribilia, aliis ut Turcis, suavia conciliat *opium*. Sic *hyosciamus* ridiculum infert delirium, de quô *Borellus Cent. 4. observ. 45.* Plura eaque admodum curiosa de ejusmodi artificiali quasi dementia vid. apud *Döring. Tr. de Opiô p. 72. & seqq.* Sed præter vegetabilia etiam *animalia*, inprimis *rabida*, certa & determinata deliria inferunt. Sic in RABIE à *cane rabido* demorsi delirium incidunt, sub quo se in canes abiisse æstimant. Notus quoq; est TARANTISMUS, quando *à Tarantulis* demorsi earundem gestus

gestus imitantur. Nota est RABIES FELINA, ubi à *felibus rabidis* demorsi unguibus se lacerant. Quo similiter RABIES LUPINA & SUILLA pertinent, ubi homines similiter tale delirium incurrunt. Huc quoque PHILTRA referantur, de quibus in fine.

A *causa* verò *interna* quæ oriuntur deliria, pro fomitis interni varietate & prout diversimodè spiritus afficiuntur, etiam sunt varia, nunc quidem *vaga* sunt & *indeterminata*, ut in febribus ardentibus & malignis; nunc *fixa* & ad certum objectum *determinata* in *melancholiâ*. *Illa* rursus sunt vel *cum* vel *sine febri*, *heic mania*, *illic phrenitis* consideranda. *Hæc de deliriis in genere*. Ut verò singulas & frequentiores eorum *species* sigillatim absolvamus, initium faciamus ab iis, quæ à *causa interna* & quidem *cum febre*, oriuntur, quale delirium est

PHRENITIS,

quæ prout nunc *levius*, nunc *gravius* affligit, ita nunc *paraphrenitis* nunc *phrenitis* dicitur, & hanc *ex inflammatione membranarum cerebri* oriri æstimant: Sed ut jam supra monui, primi Medicinæ Authores *diaphragmatis inflammationem* propriè *phrenitidem* dixere, *cerebri* verò *inflammationem sphacelum*; interim loquendum est cum vulgo, adeoque & hâc vice *phrenitidem* in vulgari sensu retinebimus.

Causa igitur tam *levioris*, quam *gravioris delirii febrilis*, est varius & confusus spirituum in cerebro motus, cujus occasione varia phantasmata ab anima efformantur, cujus nuntii sunt *interdicti sermones*, *risus*, *fletus*, *muscarum*, quæ nusquam sunt, *venatio*, varia *artuum motio*, imò *convulsiones* & alia.

Causa remota inconditi istius motus spirituum animalium est nimia cerebri incalescentia, ex effervescentia ejus in *paraphrenitide*, ex inflammatione verò, in *phrenitide*. Cogitemus æstum talium febrium & vasa insignia ad cerebrum delata, & facilè hujus fervor patebit.

Causæ remotiores procatarcticæ sunt *ætas juvenilis*, *aer æstivus*, usus *potuum generosiorum*, in specie *vini*, quæ nos promptos reddunt ad *phrenitidem*, uti hoc fere videmus in ebriosis. *Suppressa* itidem *sanguinis evacuationes* malum hoc inferunt. Sic *ex lochiis* puerperæ non ritè curatis phrenitidem obortam refert *Horstius lib. 2. observ. 25. & 26.* ubi & idem malum *ex sup-*

pressione hæmorrhoidum notat. Huc *animi pathemata*, imprimis *ira* pertinent, item *febres*, imprimis *malignæ*, quæ plerunque ejusmodi deliria conjuncta habent.

Differentias quod attinet, præter hoc, ut supra fuit insinuatum, quod *deliria febrilia*, sint nunc *graviora*, nunc *leviora*, eadem porrò, in *phrenitide* præprimis, sunt nunc *seria*, nunc *ridicula*. *Illic* nunc cum furore & quasi irati proferunt omnia, & quasi præmeditatè delirant. *Hic* varia absurda & incondita cum quadam hilaritate & interdum cum risu adferunt, quæ *differentia* probè attendenda ob effatum *Hippocratis*, quando

In *prognosi* dicit, quod *deliria ridicula* sint tutiora & minus mala, quam *deliria seria* & cum jurgiis juncta. Sic *paraphrenitis* adeò periculosa non est quam *phrenitis*. *Si vires sunt languidæ* in verâ phrenitide, utplurimùm moriuntur ægri. *Phrenitis si mutatur in lethargum*, lethale. *Si phrenitidi convulsiones*, singultus, stridor dentium aut aphonia superveniant, & inscia fœcum & urinæ dejectio adsit, lethalis est.

In *cura* I. *Effervescentia sanguinis febrilis compescenda*, eundem evacuando & ejus stagnationem indeque natam inflammationem in phrenitide vera resolvendo. II. *Spirituum turbatus motus figentibus* nonnihil, tam internis, quàm externis est sistendus; adeoque cum delirium saltem sit symptoma, principali morbo, nempe febri, curato, delirium spontè cessat.

Præmissâ ergò *venæsectione*, eadem fere *remedia* conveniunt, quæ in curatione *febrium acutarum* adhibentur. v. g. *Bezoardica*, *sulphurea*, ☿ *alia*, *succi vegetabilium acidi*, *granatorum*, *ribium*, *berberum*, *serum lactis* & ex eô parati *julebi*, *spir. acidi minerales*, in specie *nitrum* & *spir. nitr. dulc.* it. *camphora* in- & externè. Sic porrò *mixtura simplex*, *tinct. bezoardica*, *nitrum* ☿ *atum*; Quibus addatur tanquam singulare specificum, *herb.* & *flores anagallidis flore phœniceô*, usu externô & internô. Item *opiata* & *emulsiones papaverinæ*. Vel in *phrenitide maligna*:

℞. Cinnab. ☿. gr. xij.
bezoard. ☽ re gr. vj.
laud. opiati
camph. aa. gr. j. M. D. in duplô, in decoctо anagallidis.

Inter *externa* commendantur *cataplasmata* ex *portulacâ* & *rosis* capiti circumliganda. It. *sedum majus* contusum & instar *cataplasmatis* cum *aceto* plantis pedum & testibus admovendum. It. *succus* ♋. *fluviat.* ad imitationem *Rulandi*, qui & sequens *epithema* maximè commendat

℞.

℞. ▽. rosar. ℥x.
opii ʒj.
croci ℈ß. M. tepidè fronti admovendum. Vel
℞. Sperm. ran. ℥vj.
succus ♋. fluv. ℥iij.
opii aceto correcti ʒß. ad ℈ij.
camph.
croci aa. gr. vj. vel viij. M. Pro epithemate. Veteribus frequenti in usu fuit, *animalia viva*, *anates* aut *columbas* per medium dissectas & ita calidas capiti raso applicare, quod remedium *Lindanus* dicit esse inæstimabile ad curandos phreniticos. Sed si dolor cesset & delirium, removenda sunt, cum post horam fœtor horrendus inde oriatur.

Hactenus *de deliriis à causa interna cum febre.* Pergo jam ad *deliria à causa internâ* sed *sine febre*, quæ inter eminet

DELIRIUM MELANCHOLICUM,

circa quod *notandum primò*, quod aliud sit *affectus melancholicus* seu *melancholia*, aliud verò *delirium melancholicum*. *Illic* homo fit mœstus, facilè irascitur, ipsi nihil arridet, tristis est & cogitabundus, facilè terretur, angustias percipit & sibi non benè conscius est, es ist ihm das Hertz so schwer und weiß nicht was es ist. *Huic affectui* superveniens *delirium* est *delirium melancholicum*, quod est *morbus secundarius*, affectus vero iste, *primarius*. Sic in tempestate obscurâ humidâ reddimur anxii, tristes &c. hic est *affectus melancholicus*, qui si sit contumax & à causa interna, oritur *melancholia præternaturalis*, cui tandem varia *deliria* superveniunt, nunc *amorosa*, nunc *ridicula*, nunc *rabiosum* & *maniacum*.

Imprimis verò notanda est *differentia delirii melancholici*, quando aliud est *fixum*, aliud *vagum*. *Heîc* in plerisque ferè actionibus aberrant à recta ratione & vana atq; delira loquuntur. *Illic* verò circa unum & determinatum versantur objectum, circa quod varia sibi phantasmata fingunt, aut *concupiscendo* aut *aversando*. Fit tamen sæpe, ut quod primum *vagum* erat delirium, paulò post, quando objectum aliquod excellentius aut gravius in sensus incurrit & mentem fortius afficit, *fixum* evadat & determinatum.

Quoad *causam proximam duo consideranda* veniunt 1. *habitus corporis* & M. S. *melancholicus* tam *naturalis*, quam *præternaturalis* & morbosus 2. *superadditum delirium*, cujus ratio potissimum in *spiritibus animalibus*, eorundemque *natura* & *motu* vitiatis investiganda venit.

Causa remota verò & fomes morbosus est in *sanguine*: Nam prout variat M. S. crasis naturalis, ita etiam hominum mores subinde variant & hoc est quod jam olim dixit *Galenus*, quod *mores animi sequantur temperamentum corporis*. Unde tota die experimur, quosdam naturâ esse *lætos*, quosdam *tristes* &c. Hi verò qui p. n. sunt *melancholici* & inde deliri, utplurimum sunt *hypochondriaci*; sicut *malum hypochondriacum* sæpissimè tale delirium post se trahit, quod *melancholia hypochondriaca* audit; Faciunt huc *hæmorrhoides suppressæ* & *menses deficientes*, quæ sæpe tale delirium inferunt melancholicum, quod *melancholiam ex utero* vocant.

Quoad *prognosin*: *Delirium melancholicum recens* facilè curatur, subinde sola victus ratione & familiari conversatione & mutatione aeris. *Ubi autem inveteratum* est, & ortum ab animi pathemate externô aut studiis immodicis difficilimæ est curationis. *Hæreditarium* difficile est curatu. *In fæminis* rarior est melancholia, sed pertinacior, in specie in iis, quibus menstrua deficiunt; *quæ est cum gaudiô* & risu facilius curatur, quàm seria. *Salutem speramus* si symptomata fiunt mitiora, item si in scabiem degeneret. *Interitus imminet*, si resolvuntur vires, si cibum & potum respuunt, si nihil dormiunt. *Rarum est*, quod delirium melancholicum *convulsiones* superveniant.

In *curâ delirii melancholici*, ut jam supra monitum, *duo attendenda*, 1. *habitus melancholicus corporis* & spirituum animalium, 2. *ipsum delirium*. *Ratione prioris* curandi ut hypochondriaci. *Ratione posterioris* spiritus animales à perverso motu revocandi *vel* medicamentis *vel* rationibus: *Medicamentis* per *anodyna mineralia*, item *opiata*, *camphorata* &c: *Rationibus* vel *assentiendo* per stratagemata, vel *contrariando* per persuasiones.

Quoad *remedia*, *vomitoria* & ♂*ialia* primatum ducunt, quæ excellunt, si in debita dosi dentur, nempe auctiori. Sic *tart. emet.* cujus gr. ij. vel iij. aliàs dantur, hîc sæpe ad gr. vj. propinandus. Post hæc sunt *purgantia per inferiora*, quæ inter ☿*alia* pariter excellunt & *helleborus niger*.

Quidam *venæsectionem* adhibent, sed nescio ob quam causam Potius *alteretur* sanguis, non verò protervè evacuetur. Inter *remedia* igitur

alte-

alterantia sunt *♂alia, ♄ina, ☽ria, coralliata, tartarea* & omnia ex his composita v.g. *extr. ♂. cum succo pom. tinctura ♂. zvvelfferi, tinctura ♂is ☉ris.* Hinc excellit ♄. & ex eô paratum *sacch.* ♄. frequenter usurpatum dos. ℈j. Vel ejus loco *cryst. min.* ♄. cum *spir. nitri* parat. ☽. & speciatim ejus *tinctura* sunt appropriata, vel *magisterium* ☽. quod vulgò das Narrenpulver dicitur. It. *aq.* ☽. quando in ▽. *cephal.* exstinguitur. Huc pertinet *lap. lazuli* qui est naturæ ☽ris. Hisce addantur *corallia rubra*, non saltem quod acidum destruant, sed & quod sulphur eorum contra tristitiam appropriatum sit, unde *tinctura corallorum* in his affectibus est egregia. *Tartarea volatilia* his jungantur, vi enim diuretica & acidi destructiva melancholicos juvant, talia sunt *spiritus tartari, sal volat.* & alia. His *arcanum duplicatum* etiam non cedit & mihi in frequenti usu.

His ceu primariis *ex regno vegetabili* temperata addantur v.g. *fumaria, borrago, buglossa, anagallis, crocus.* Optima est *camphora* & ejus *essentia*; pertinet huc *tinctura hyperici Mynsichti*, optima ad deliria melancholica. *Crocus* optimum est simplex in melancholia cum & sine delirio. *Essentia* ejus summa cordis lætitia, ut à *Paracelso* vocatur, cum simul habeat vim somniferam. Hinc & *Lindanus* commendat *syrupum borrag.* cum *croco.*

Sic **externa** inter *crocus* pariter eminet in nodulo appensus, est optimus ad tristitiam & angorem melancholicum, vid. *Borell. Cent.* 2. *obs.* 90. Melius tamen est ut *croco* addatur *camphora*, quæ est optima & in formâ *epithematis* quoque applicari potest v.g.

℞. ▽. flor. sambuci.
hyperici aa. ℥jß.
camphor. gr. vj. M. F. *Epithema*; applicetur fronti & temporibus: Bene confert.

Sic & ex **internis** modo enarratis variæ *præscriptiones* fieri possunt v.g.

℞. Arcan. duplicat. gr. xv.
sacch. ♄. ℈ß.
camph. gr. iij. M. Repetatur aliquoties, in specie vesperi, tempore somni, nam camphora melancholicos ad somnum disponit. Vel

℞. Sacch. ♄. gr. vj.
laud. opiat. gr. ij.
ol. camph. q. s. F. l. a. *Pilulæ*; vesperi sub introitu lecti capiendæ; Vel

℞. ▽. borrag. ℥j.
arcan. duplic. ℈j.

mag.

mag. corall. c. ſuc. citri ℈ß.
camphoræ gr. iij.
ſyr. borrag. ℥ß. capiatur una vice. Vel

℞. Extract. ♂. c. ſucco pom. ℥ß.
camph. gr. iij. M. F. *Bolus.*

In *diæta* aſſumantur *alimenta largè nutrientia*, nam benè edunt melancholici, ſi non appetant malum ſignum eſt; *lacticinia* dentur, niſi quid obſtet. *Vinum* pavores pellit & ægros erigit, non tamen in nimiâ doſi, ne inebriet.

MANIA.

Pergo ad *ſummum gradum deliriorum*, quem Græci *maniam*, Latini *inſaniam*, Germani verò die Raſerey appellare ſolent; quando nempe melancholici incidunt in *delirium ſine febre*, *cum inſigni tamen furore*, & depoſitô omni pudore & exutâ ratione planè feroces redduntur, ita ut quæcunque objecta arripiant, lacerent, calumniis laceſſent, ſui juris ſe ſuſpendant & horrenda peragant.

Cauſa proxima formalis conſiſtit in *ſpiritibus animalibus*, quoad craſin ſuam vitiatis: *Cauſa proxima materialis* & *remota* vero quærenda eſt in *M. S. acida*, vitio *viſcerum inferiorum*, imprimis *ſtomachi*, talis reddita; unde cum melancholiâ in fundamento convenit. *Spiritus animales quod attinet*, hi degenerant à natura & ſulphureo-volatili craſi, cum ex ſanguinis dyſcraſia acidâ inquinati, generentur quidem ſubtiles ſatis & agiles, ſed *acres ſalini* & quaſi *ſulphureo-acidi*, indeque nimis mobiles & in motibus ſuis ordinariis minus coercibiles, hinc ſemper irrequieti & inſomnes ſunt.

Cauſa remota, ut dixi, hæret in M. S. Hinc eſt quod dicant oriri *ex conſtitutione atrabilari*, unde *in radice conveniunt* melancholia & mania. *Illic* peccat acidum in hypochondriis, *hic* idem, ſed acrius. *Cauſæ* igitur *remotæ* eædem ſunt, quæ in melancholiâ, imprimis verò *philtra* diſponunt ad maniam, vid. *Borell. Cent.* 1. *obſerv.* 65. item *Petræus in Diſſert. Harmon.* & alii. *Solennes ſanguinis evacuationes ſuppreſſæ*, in iis præprimis, qui ad melancholiam inclinant. Sic *ex hæmorrhoidibus* ſuppreſſis maniam notat *Zacut. Luſitanus lib.* 1. *Prax. admirand. obſ.* 51. *Ex ulceribus* inveteratis clauſis *Foreſtus lib.* 10. *obſerv.* 24. Sic poſt *diutinas febres*, *epilepſias* & *febres acutas* mania ſæpè ſequitur.

Quoad

Quoad *prognoſin*: *Mania* malum eſt diuturnum & curatu difficilimum. *Hæreditaria* rarò perfectè ſine recidiva curatur. *Mania ridicula* & tractabilis melior eſt ſeriâ. *Si ſuppreſſæ ante evacuationes* redeant, bonum; *ſin autem* ſuppreſſis mania ſuperveniat, malum.

In *cura* opera detur, ut *furor mitigetur* & tractabiles reddantur inſani, id quod fit 1. per *vomitoria*, iteratas *venæſectiones*, *ſomnifera* & *appropriata*; quibus ſi paroxyſmus eſt ſedatus, *curandi ſunt ut melancholici*, de quibus heri. Radix curationis eſt in *vomitoriis* validis & generoſiſſimis, Sie haben ſtarcke Roß-naturen. Veteres *helleborum album* adhibuere, ſed legitimè præparatus eſſe debet: ♁ *alia* enim non ſemper ſufficiunt in his ægris. Si in principiô interdum *per inferiora* *purgandum*, convenit *extr. helleb. nigri*, cui ♁ *alia per inferioria purgantia* pro ſtimulo addantur.

His factis *venæſectio* *larga* inſtituenda, ſed nonniſi paroxyſmo cicuratô & furore mitigatô, tum *larga* inſtituenda, vid. *Platerus in obſ. lib.* 1. *pag.* 80.

Poſt hæc *opiata* conveniunt ad ſpirituum motum mitigandum. Excellunt autem hîc *ſulphura mineralia anodyna*, poſt vomitorium applicata: Cum his ſemper uſurpetur *nitrum crudum* vel ♁*tum*, in potu copioſè diſſolvendum. His *generalibus* tandem & *appropriata* *ſpecifica* ſubjungenda, quæ inter primatum ducit *ſanguis aſini* arterioſus in mactatione retro aures collectus. Doſ. ʒj. in ▽. *anagallid. Hartmannus*, *Prævotius* & alii meritò hunc *ſanguinem* commendant. Poſt hunc eſt *anagallis fl. phœniceo*, cujus *decocto* mirabilia ſe perfeciſſe *Quercetanus* refert; juxta hanc porro eſt *hypericum* ejusque *tinctura Mynſichti*; hinc *ſolanum tetraphyllon* ſeu *herba Paris*, *polypodium quercinum* &c. De *foliis buxi* vid. *Hartmannus* & *Sennertus*. His ſemper *camphora* eſt addenda in & externè, item ejus *oleum cum bolo deſtillatum*, quod mirè coagulat materiam maniæ ut *Prævotius* dicit. Facit huc *miſtura Fabri*, quam *in ſua Pathologia* commendat.

Externè ſimiliter in uſu eſt *camphora*. Sic enim *Hillerius in ſuis obſ.* epithema habet, quod eſt optimum, vel loco hujus *miſtura Penoti* ad phreniſin & maniam experta, quam etiam laudat *Cluſius*.

Hactenus *de deliriis à cauſa interna, ſive cum ſive ſine febre*. Jam ſequuntur *deliria à cauſa externa*, quæ *duplicia*, vel 1. *à morſu animalium rabido-*

rabidorum, vel 2. *ab assumptis* malignis narcoticis: *Illic rabies & hydrophobia*; *Hic philtra* sunt consideranda. De priori primùm;

RABIES

igitur *delirium est à morsu animalium* inductum, & si *metus aquæ* simul adest, dicitur HYDROPHOBIA. Refertur ad *deliriorum* genera, cum in imperfecta rabie semper adsit delirium. Aliâs habet suos *gradus*: *In perfectâ* furor adest, torvum vident, spuma circa os, stridor dentium & inflammationes oculorum apparent. Si à cane rabido morsi sunt, latrant ut canes & metum ▽. tanquam pathognomonicum signum conjunctum habent. *In levi* saltem est anxietas præcordiorum, mœror, tristitia & abstinentia à potu. Plerunque febris insimul adest.

Quoad *causas fermentum* hîc *peculiare* accusamus ab *animali rabido* per *morsum* communicatum; nam quod alii de *venenô peculiari* habent, id omne ad *fermentum* est applicandum. Hoc fermentum *ideas* impressas ab animali furenti homini communicat, M. S. penetrat, ita, ut ferè similis evadat sanguini animalis furentis: Hinc fieri non potest, quin easdem quoque actiones edat, quas canis v.g. aut aliud *animal rabidum* edit. Notandum autem *animalia in se venenata non esse*, hinc neque omnis morsus rabiem parit, sed animalis aut *irati* aut *rabidi*; *ira* enim & *furor* nocent.

Causa occasionalis & *propinquior* est *saliva* fermentescens & effervescens, *per morsum* insimul vulneri infusa & M. S. per arterias communicata. Hinc nisi vulnus sit factum, ita ut in M. S. penetrare possit, *furor* non fit.

Quoad *prognosin*, *raro curatur rabies* & spes in angusto hæret: Intra biduum vel triduum moriuntur. *Quo plus sanguinis è vulnere effluxerit*, eò minus de rabie metuendum. *Quo citius consolidetur*, eò magis rabies metuenda.

In *cura duo tempora* observanda, 1. *morsûs* & vulnerationis, 2. *rabiei* supervenientis. *In priori* venenum illico post morsum est extrahendum; quem in finem *vulnus* est *ampliandum*, ut cum sanguine saliva potius effluat, quàm retrocedat. Alii *scarificationem* instituunt & *cucurbitulas* imponunt, ut fermentum extrahant. Alii *hepar animalis* imponunt vel *partem carnis*. Quo & *columbarum vivarum & dilaceratarum* applicatio pertinet. Vel *theriaca* cum *succo rutæ* imponatur, ut venenum magnetica vi extrahatur. Quidam *ligaturas* magni æstimant. Alii vero *cauteria* applicant tam *potentialia* quàm *actualia*.

Quoad

Quoad alterum tempus, rabiei scil. id unicè agendum, ut *fermentum* M. S. jam occupans ex corpore *expellatur*. Remedia sunt *alexipharmaca*, tam *communia*, quam *specifica*.. Hinc *theriaca, mithridatium, elect. de ovô* præcipuum obtinent locum; item *essent. theriac. tinct. bezoard. cum eß. abs.* Sed omnia in dupla dosi exhibenda, ut:

℞. ∇. hyperici ʒjß.
theriacal. ʒß.
tinct. bez. ʒjß.
essent. ♋. ʒj. M. pro dosi cum sudore.

Vel ℞. Fol. rutæ
salviæ
plantag.
polypod.
verben.
absinth. vulg.
menth.
artemis.
beton.
hyper.
cent. min. aa. q. v.
M. F. *pulv.* dos. à ℈j. ad ʒij. qui exhib. cum theriac. ʒß.
& syr. acetos. citri.

Vel ℞. Pulv. rad. contrayerv.
gentian.
pimpin.
vincetox. aa. ʒj.
M. F. *pulv.* Div. in 4. p. æ. D. S. Gifftreibende Pulver.

Ab his autem *alexipharmacis* per integrum anni quadrantem non est desistendum, nam sæpe post 40. dies aut aliquot menses, interdum & post integrum annum iterum se prodidit *hydrophobia*.

Quodsi verò *sudoriferorum* usus intermittatur, tamen specifica adhuc aliquamdiu continuanda, qualia sunt *alysson, pimpin. allium, lactuca* aliquot diebus mane comesta; *oculi* ♋. unum ex optimis specificis sunt, unde & *bezoar rabidorum* audiunt, unde

℞. Ocul. ♋.
CC. ust.
mand. luc. pisc. præp. aa. ʒj.
M. D. S. Pülverlein auff 3. mahl. dos. ʒj.

Vel *cor* & *hepar animalis mordentis* decoq. & patienti propinentur: Vel in *pulv.* redacta dentur.

In hydrophobia optimum remedium est *demersio in aquam frigidam*, hâc ipsâ enim idea deletur & delirium curatur.

Externè vulnus inungatur *oleo hyperici* vel imponatur tale *emplastrum*:

℞. Ceræ ℔ß.
ol. oliv.
sevi hircin. aa. ℥iij.
coq. l. a. & adde
thuris electi ℥ß.
F. emplastrum.

Alii imponunt *emplastrum de ranis cum* ☿. Alii abluunt vulnus *succo rutæ* vel *theriacâ cum ol. rosarum*.

Quod tandem attinet reliqua *deliria à causa externa*, in specie *ab assumtis*, sunt eadem varia; pertinent enim huc omnia ea, quæ *ab assumtis venenis*, in specie simul *narcoticis* excitari solent, quæ in principio corrigantur per *vomitum* & *vomitoria*, quibus præmissis assumantur *appropriata acet.* cum *castoreo* vel inde composita; Ad hæc *deliria* etiam pertinent

PHILTRA,

quæ tamen *distinguenda* sunt ab *amore insano*, siquidem *amor insanus* est *species* quædam *melancholiæ* contractæ occasione nimii amoris, non secus ac alii ex nimia tristitia, molestia & curis ad deliria melancholica disponuntur, quin imò interdum in graviori malo ad maniam dilabuntur. *Amor insanus* est *curandus remediis* partim *Ethicis*, partim *Medicis*. Quod *Ethica* attinet, persuasionibus æger ad meliorem statum est revocandus, quibus accedunt *remedia Medica* similia illis, quæ ad curandam *Melancholiam ex amore* natam dantur; dubiũ hîc de *pulsu amatorio*, an detur? Experientia quemcunq; informare potest vid. *Horstius Tom.* 1. *Operum circa finem*, cui annexa est *dissertatio quædam de pulsu amatorio*, an detur? *Specialis* negatur, hoc saltem obtinet, quod in talibus soleat esse *varius*, *inæqualis* vel *inordinatus* insigniter, & simul ac fiat mentio personæ amatæ, mutatur in *majorem*, *celeriorem*, *frequentiorem*, quæ mentio ubi cessat, etiam ad æqualitatem vel ordinationem redit; sed hoc nil est peculiare, commune enim hoc habet cum omnibus melancholicorum pulsibus vid. *Forest. l.* 10. *obs.* 30.

Quod ergo *philtra* attinet, per ea intelligitur medium, quo unius subjecti

jecti ad alterum inclinatio quædam singularis excitatur, ita quidem, ut ex præsentia talium subjectorum facultas animalis, in specie quoad affectus animi se optimè habeat, sicut talium personarum absentia est plus minus molesta aut gravioribus anxietatibus obnoxia. Unde *philtra* possunt usurpari inter *mares & fœminas*, inter *homines & bruta* &c. ut sic mutuus amor concilietur. Philtra talia sunt vel *vera* vel *notha*. *Notha* seu *falsa* sunt, quæ à vetulis seu mulieribus propinantur, sed hæc sunt vel *vana & frustranea*, vel sunt *Magica* & p. n. *Vana & frustranea* ex variis subjectis parari solent: Mulieres ferè frequentissimè usurpant suum sanguinem menstruum, quem nunc *solitarium*, nunc cum *sanguine leporino* mixtum propinant; Alii singulare quid spondent ex *umbilico infantum* decidente, alii *secundinas* adhibent. Alii *testiculos animalium salacium*, eosque sudore probè imprægnant; sed hæc omnia sunt *vana & frustranea*, quibus nil obtinetur, nisi quòd interdum tales, quos postulant ut ament, in pessima mala incurrant, v. g. *maniam*, *stupiditatem*. In specie stupendum *exemplum* recenset *Heinr. ab Heer observ. 3.* *Vera* quod attinet *philtra*, quæstio est, an dentur? Sunt qui *negant*; sed male: *Veritatem*, nempe quod dentur, beneficio quorum inclinatio determinata hujus personæ in istam possit conciliari, *confirmat experientia*; ubiq; enim prostant *exempla* quibus *coactus amor* possit fieri. Sic *quidam studiosus* in balneo *per esum intriti à lotrice* tanto amore erga eandem deflagrabat, ut planè anxius redderetur, nisi quotidie eam visitaret. *Sic ipse curavi quendam*, qui à fæmina accepit *dimidium pomum citrinum* quarta hora pomeridiana, ex quo esu postmodum quotidie hâc hora tàm perdito flagrabat amore, ut plane anxius curreret, donec hanc fæminam accederet. Dicis, hoc fit per *Magiam* & sunt *artificia Diaboli*. ℞. Posito subesse ludibrium Dæmonis, saltem Dæmon non potest agere supra naturam, & consequenter secundum vires in natura fundatas. *Notum id quoque est in canibus*, dum quidam panes gestant sub axillis, ut probè sudore madescant & hos panes cani propinant. *Notum est* quod *Helmont de Magicâ vulnerum cur. §. 17.* habeat plantam, quam in manu tenuit & canis pedem apprehendit, unde canis eum secutus est. Nil dico de *cura transplantatoriâ*, quæ fit cum *persicaria* & similibus. Sufficit quod prostent exempla actionum in distantem & determinatam personam, tam in melius quam in pejus. Notum quoque est de *amore naturali consanguineorum* vid. *Barth. Cent. 5. observ. 29.* ubi vir quidam, quoties pareret uxor, tormina ventris patitur. Item M. A. N. C. *Ann. 2. obs. 215.* de Marito cujus uxor quoties est gravida, toties ille pica corripitur & vomitu: Quæ ostendunt firmum amorem subjectorum inter sese

etiam remediis naturalibus conciliatum; ut nil addam de *idiosyncrasia*, ubi quidam etiam felem invisam maximè horrent & anguntur.

Causa proxima, sc. qua mediante dentur *philtra determinata* ad certam aliquam personam, optimè docetur ab *Helm.* in *Tr. de Mag. Vuln. Cur.* §. 17. ubi nempe ut supra dictum, plantam tenet in manu, & postmodum apprehendit catellum qui eum secutus est, relicto proprio Hero: Dicit igitur vim *philtrorum* consistere in *mumiali confermentatione*, mediante quâ ad certum subjectum trahatur alterius affectio: Per *mumiam* à stylo *Helmontianô* intelligitur spiritus insitus in specie in cadaveribus, in quibus influi spiritus evanuerunt, relicto saltem insito. *Secundariò* tamen in vivis & influi nomine spiritus talis venire solet, qui & ipse sufficit transplantationi tali instituendæ, medio quodam tertio, quod vocatur *magnes*, puta ut spiritus mediante magnetismo translatus in alterum subjectum uniatur spiritui intimo vitali, ex qua unione sequatur mutuus amor; nempe ex hoc fonte derivandæ sunt omnes *actiones magneticæ, sympathiæ*, transplantationes & similia, quæ partim in *Theoriâ*, partim & in *Praxi* multum habent in recessu. *Philtra hæc vera* cum propter honestas causas instituantur & qua talia, nullum nocumentum inferant, non curat Medicus, sed saltem consideranda sunt *notha*. Quæritur *an possit cognosci philtrum tale nothum propinatum*? Certa signa non prostant, sed saltem artificiosis conjecturis partim ab ægro, partim à Medico cognoscuntur. *Primatum obtinet* quod tales ægri ex assumto quocunque *philtro* se *male habere circa stomachum* dicant: Item si propinatum sit à muliere & similibus. Speciatim quibus propinata sunt *philtra* conqueri solent de *pessimo stomachi habitu* & hinc *perturbatione sensuum internorum*: Pessimus iste *stomachi habitus* subinde est adeo contumax, ut aliquot annos durare soleat & semper eò pejus malum, quo diutius durat à philtris inductum. Hisce superveniunt *mentis perturbationes* & *deliria* patiuntur, vel insaniam; mirum est, quod interdum *impetus amatorius* isque morbosus *ex philtris* concitatus observetur *periodicus*. Refert *Agricola in commentario in Poppium* de amore per philtrum inducto, cujus paroxysmus singulis pleniluniis repetebat & per 6. dies continuabat, intermedio tempore ægrô satis bene se habente.

Quoad prognosin, *ut variant subjecta* quæ pro *mediis amatoriis* in philtris assumuntur, ita variant *nocumenta* ab iis inducta; Frequentissime tamen post *philtra falsa* supervenire solent *delirium melancholicum*, interdum *mania*, interdum *amentia*, quæ tandem ad *lentam mortem* terminari solent.

In cura laborandum est Medico, ut æstimatis omnibus circumstantiis & per-

perpensis minimis conjecturis inveniatur causa, qua mediante *philtra falsa* fuerint inducta. Inquiratur igitur an philtra instituta sint per *Magica media*, an vero *materialia?* Nam *si suspicio sit, quod mediis Magicis philtrum fuerit inductum*, talis affectus curandus venit præmissis *vomitoriis* illis, quibus aliàs *morbi ab incantatione* solent curari, præmisso semper *vomitorio*, etiam interdum repetito; inter quæ excellit *viscus corylinus* legitimo tempore collectus, tàm solus *internè* assumtus, quam *cum adipe canina, ursina* & *caponum* paratum *linimentum* seu *unguentum*, vid. *Heinr. ab Heer*, item *Carricht. in herbar. edit.* 8. Juxta hunc viscum *Valeriana minor* seu *phu. med. Dioscorid.* vid. *Matth. Flor. hyperic.* & *aquileg. Corallia* quoque usurpari solent *internè* & *externè* in forma *amuleti*. Facit huc *emplastrum fœtidum Mynsicht.* item *Elect. metallicum compositum*, ex omnibus metallis certo tempore confectum. *Amuleti* formâ convenit *electrum immaturum Paracelsi* etiam ab *Helmontio* commendatum, sed incertum est, quid sit. Alii *zyncum* sed male, alii gulden Ertz/ alii *folia auri Hungarici* substituunt.

Quod attinet philtra, quæ *per media naturalia*, utut frustrà ea inducuntur, optimum est in hisce, ut præmissis *vomitu* & *sudoriferis* usurpentur *appropriata contra philtra* usitata, eaque vel *generalia* vel additis simul remediis *maniacis*. Vomitoria inprimis sint ♁*ialia* eaque valida & magna dosi usurpata, ut *infusum vitri* ♁. ad ℥jß. Sic D. D. *Lang.* curavit Juvenem per ☿. *vitæ* ex *butyro* ♁*ij* cum ☽. & ☉. paratum. Sic cuidam Juveni data sunt de ☿. *vitæ* gr. v. quibus cùm copiose evacuatus fuisset, postmodùm data fuit *theriaca* cum *pulv. serpent.* ʒj. in ▽. *theriacali* vel ▽. C. B. unde copioso sudore restitutus fuit. Ad talia videtur pertinere *urina equina* recens hausta vid. *Salmuth Cent.* 5. *obs.* 71. Post philtra subinde varia *insecta* generari solent in talibus ægris: Sic ipse observavi aliquando à tali tres longos *vermes* excretos fuisse. *Schenckius* varia *animalia viva* observavit vomitu excreta ab assumtis philtris. Præmissis ergo *vomitoriis* & *sudoriferis* v. g. *mixtura simplici* ad *appropriata* accedendum est, quæ inter excellit *nasturtium aquaticum*, ejus succus & quæcunque ex eo parata remedia inprimis *si ex philtris jam imminet mania*, unde etiam remedia in hujus curâ usitata propinari solent. *Secundina humana* contra philtra à quamplurimis commendantur. Usurpantur nempe vel in forma *pulveris* vel *spiritus* in forma; Recipitur *secundina humana* & detracta membrana & vasis majoribus, eadem in MB. in cucurbita mediante alembico destillatur & prodit sic ♂ma & remanentia in *pulverem* potest redigi; dosis est à ʒj. ad ʒij. *Sed observetur* quod hic *pulvis* non sit diuturnus sed in eo copiosi vermiculi solent generari, quamobrem quotannis novus paretur. Melius igitur est, si ex

secun-

secundina putrefacta destilletur *spiritus urinosus volat*, qui à ℈j. ad ℈ij. expectando sudorem est egregius. Speciatim convenit *si sanguis menstruus adhibitus* est loco philtri. *Spiritus theriacal. camphorat. extract. theriac: hyperic. bacc. herb. Parid. pulv.* ad ℈j. adhibeantur expectando sudorem; *Essent. mumia human. Essent. viper. serpentum* & quæcunque remedia ex *homine* & *serpentibus* parata. *Præmissis universalibus* hæc maximè commendantur. Quo pertinent *calculi humani* in forma pulveris ad ℈j. in ▽. *nasturtii* vid. *Heinr. ab Heer in observ.* 13. & *in observ. Spad.* Alias egregium experimentum est contra philtra *Electuar. Hartmanni in praxi Chym. cap.* 2. *obs.* 13. Hoc Electuarium prædicavit D. D. *Michael*; In specie *si philtrum* factum fuerit *ex sanguine menstruo*, appropriatum remedium sunt *margaritæ præp.* ut observavit *Borell. Cent.* 1. *obs.* 63. Convenit etiam *theriaca* cum *pulv. Card. Bened.* in ▽. C. B. expectando sudorem, & quæ sunt alia.

Cæterum jam supra monitum, quod *malo hypochondriaco* sæpe & delirium accedat, unde haud inconveniens esse duxi, ut huic deliriorum tractationi etiam hujus morbi mentionem annectamus, & incidenter insimul sobolis ejus genuinæ nempe, *scorbuti* curationem absolvamus:

MALUM HYPOCHONDRIACUM ET SCORBUTUS.

Utut **malum hypochondriacum** communissimum sit in nostris regionibus, propter varia tamen symptomata proprio nomine caret; saltem propter locum ubi frequentius urgent symptomata, nempe regionem hypochondriorum & epigastricam, sic vocatur. Ab aliis *malum flatulentum: Tartarus hypochondriacus* &c. cujus *sublimior gradus* **scorbutus** est; *Quæritur autem an scorbutus apud Veteres fuerit cognitus*, sicut malum hypochondriacum? *Ratio dubitandi est*, quod videatur morbus novus; nihilominus tamen multi asserunt quod *scorbutus* ab *Hippocrate de affectibus internis*, sub nomine *lienis magni* optimè sit descriptus. *Veteres* tamen *Medici* adeo exactam cognitionem de *scorbuto* non habuerunt, propter constitutionem aëris & Regionum. Jam considerandа sunt imprimis **symptomata**: Qui ergò *malo hypochondriaco* imprimis laborare dicuntur, ante omnia conqueruntur de *affectibus stomachi*, nam utplurimum egregie appetunt, subinde *appetentia canina* laborant, nihilominus tamen simul *apepsiâ* quadam laborare observantur, ita ut post aliquot horas à pastu *dolores gravissimi convulsivi in stomacho* percipi soleant; *appetunt acida*,

quæ

quæ tamen inſigniter lædere ſolent; ab omni paſtu frequenter *eructare* ſolent, ita etiam ut non raro *inflatione ſtomachi* corripi ſoleant: *Ructus* qui erumpunt dum ſunt jejuni, ſunt *acidi*, dum vero ſaturati, nunc ſunt acidi qui meliores, nunc *inſipidi*, qui deteriores; hinc frequenter *flatulenti tumores* percipiuntur in abdomine & ab his flatibus præter vagam intumeſcentiam omnes conqueruntur de *borborygmis* & variis agitationibus in abdomine, ſpeciatim in regione hypochondriaca ſiniſtrâ, ut ſubſultûs ſenſum percipiant ægri & *fluctuationes* crebrius recurrentes, quæ admota manu remittunt iſto in loco ubi ſolent retrudi: Accedit pertinax *alvi adſtrictio* ita ut ſibi relicti ad biduum vel triduum ſoleant pati defectum excretionis alvi; *quæ excernuntur* ſunt *pauca* eaque interrupta, *globulorum formâ* & *indurata nigricantia*, hinc cum in hoc malo *fortioribus purgantibus* parum moveri ſoleant, blandiora *laxantia*, *emollientia*, *paſſulata*, *prunata*, & ſimilia, tales ſolent ſatis copioſè, reſpectivè tamen, evacuare, ſi vero fortius purgent, læduntur; *quæ evomunt* ſunt utplurimum ▽*ea* plus minus *pituitoſa*, ſemper tamen *acida* & præter ſtuporem, quem dentibus inferunt, vaſis orichalceis excepta, eadem in æruginem vertunt, utut quandoque tantillum bilis amarorem ſoleant importare. Sæpius patiuntur *cardialgias*, quæ frequentiſſimè à regione ſpinæ dorſi gravius affligunt, ubi nempe orificium ſtomachi ſiniſtrum; interdum enim conqueruntur: Es drücke Sie umbs Hertze/ malum hoc ſemper eſt ex ſtomacho. Frequenter laborant *phlogoſi vaga* in ſpecie *poſt paſtum* dum adhuc aſſident menſæ, tunc inſigniter ſolent erubeſcere, & eò citius, dum hauſtum vini aſſumunt, quod eſt ſignum ex primis viis originem eſſe mali hypochondriaci; frequenter laborant *abdominis dolore lancinante cum contorſionis ſenſu*, quæ oriuntur à ſpaſmis inteſtinorum; præter hos tamen etiam *iliacos & colicos convulſivos dolores* patiuntur, nunc in ſiniſtro, nunc, quod rarius, in dextro latere, qui ſunt à pituita ut vocant vitrea, à muco acido viſcido in cellulis coli ſub hypochondriis latente, unde hi dolores nunc *vomitum*, nunc *dolores iliacos convulſivos* per conſenſum faciunt. Hypochondriaci ſubinde laborant *difficili reſpiratione* eaq; multiplici, quæ duplex, nam 1. obſervatur reſpirationis difficultas in hypochondriacis, nunc etiam ſimul in ſcorbuticis, *ab omni cœna*, dum conqueruntur de difficili anhelitu, vitium eſt in ſtomacho & digeſtione vitiata. 2. Quando ægri tales *matutino tempore* patiuntur *halitum* nonnihil *difficilem*, ita tamen ut ſimul *expuant copioſa*, *viſcida*, mucoſa, tenacia: Fit hoc ex vitio digeſtionis primæ & remanentiis crudis à cœna veſpertina & frequentiſſime, ſi hypochondriaci conqueruntur de *difficili anhelitu* & interrogati ubi ſit hoc impedimentum, quod reſpirationem impediat, dicunt: Es ſpanne Sie/ monſtrantes regionem diaphragmatis. Interim rogati an percipiant dolorem tenſivum, dicunt non, ſed tantum conqueruntur de *tenſione*, quam ſi experiuntur hypochondriaci, non poſſunt reſpirare, propter *dolorem tenſivum*, quem in hypochon-

chondriorum regione percipiunt. Quin & *asthmata sicca convulsiva* patiuntur hypochondriaci confirmati, imprimis ii, qui patiuntur *symptomata mulieribus hystericis communia*, sed rarius hoc fit; in confirmatis hypochondriacis interdum *tumores viscerum* adsunt, *duri*, *scirrhosi*, qui tamen potius sunt productum morbosum, quam radix morbi; *pulsationes circa regionem hypochondriorum*, imprimis circa lumbos & regionem lumborum superiorem sunt frequentiores hypochondriacis, ubi sunt dispersi rami arteriæ cœliacæ. Tandem cum dictis malis semper ferè conqueruntur de *affectibus capitis* & frequentissimum pathema est *vertigo*, dum ferè omnes hypochondriaci jejuni, sunt vertiginosi, si tamen saltem assumant buccellam panis remittit; Solet quandoque obvenire *obnebulatio capitis* & tandem *ingenii torpor*, *memoriæque lapsus*, ut hypochondriaci confirmati interdum necesse habeant valedicere studiis. Tandem interdum memoria planè deficere incipit; à pastu solent esse quasi *ebrii*, facilè terrefiunt præter causas manifestas & *anxii*, graviori *cordis palpitatione* laborant & fiunt quandoque *melancholici* & *tristes meditabundi* citra manifestam causam; observatur interdum, imprimis in viris, quod in graviori paroxysmo *pathemata mulieribus hystericis similia* pati soleant, adeo, ut revera *passio hysterica* mulierum sit certa quædam species *mali hypochondriaci*. *Urina hypochondriacorum* est varia, extra paroxysmum ferè sanorum est simillima, dum paroxysmus gravior urget, solet esse *pallida* plus minus ▽*ea*; si à remediis fiat turbida, signum est ritè operari medicamenta. Propter hanc variam symptomatum syndromen non mirum est, si *Medici* in tam varias abeant *sententias*, quoad *subjectum*, dum quidam dicunt laborare *splenem*, alii *mesenterium*, alii adducunt intemperiem siccam & calidam *stomachi*, alii, inter quos *Fischer de loco & foco mali hypochondriaci*, statuunt esse *cavitatem*, quæ sit intra stomachum, hepar & splenem pituita refertam, vid. *Hippocrat.* §. 56. *sect.* 7. Alii *malum hypochondriacum* non affligere certam partem sed esse *vagum*, quod tamen non est. Ratio quod tam in varias sententias collapsi sint Autores, videtur, quod non observent *differentiam* inter *partem affectam*, ratione causæ radicalis, & *partem affectam* ratione symptomatum; nam si consideremus *malum hypochondriacum* vel *incipiens* vel *confirmatum*, & nexum symptomatum, mox in propatulo est, *fomitem morbosum hærere in stomacho* ejusque digestione vitiata & oriri simpliciter ex cruditate stomachi acida; hanc sententiam defendit *Höchstetterus in observat. Pars affecta ergo est stomachus* &c.

Causa proxima horum malorum complicatorum est *stomachi cruditas acida* sive *acidum ventriculi vitiosum* ex defectu vitioso digestionis primæ in stomacho enatum, à quo omnia reliqua symptomata originem ducunt. *Ex*

chylo

chylo acido depravatur sanguinis crasis, hinc deficit ejusdem spiritualscentia; hinc *acescit lympha*, hinc *hebetatur bilis irritaturque genus nervosum*: Ex his quasi punctis omnes lineæ deducendæ sunt, quæ depingunt *malum hypochondriacum*, cujus centrum sit *stomachus*; nempe *vitium hæret in fermento digestivo nimis acido*, nec debite volatili spirituoso, unde egregiè quidem appetunt alimenta, assumta prompte dissolvunt, sed min⁹ fermentant & degenerant in pastam acidam, plus minus viscidam, unde in intestinis concurrente bile copiosi generantur *flatus*; si perversè effervescat cum bile, *phlogoses* generantur *vagæ*, à flatibus generantur *borborygmi* frequentes, lancinationes &c. Hypochondriacorum *excreta sunt pauca & indurata*, quia coagulantur ab acido, plus minus austero; sicut enim bilis volatilis fluidas reddit fæces ita acidum easdem coagulat, unde quia firmiores redduntur in cellulis diutius retinentur & *segnitiem alvi* inferunt: A tali acido & *dolores intestinorum lancinantes & convulsiones* oriri res clara est; acidum cum chylo nutriente non ritè in primis viis correcto delatum ad M. S. ejusdem crasin inquinat, eamque plus minus crassam & minus fermentativam reddit; hinc non pauci *palpitationes* istas *cordis* derivant à grumoso sanguine plus minus coagulato, circa auriculas in ventriculis cordis hærente, unde sanguis & spissus & crassus observari solet; sanguis enim ita crassus minus spiritualscere valet, & spiritus animales non in debita luciditate generari possunt, unde *tristitia, mœror, anxietas* & similia *pathemata melancholica* superveniunt; quin imo, dum ipsum genus nervosum, quod chylo nutriri solet, vitioso acido irroratur, necessario varii *spasmi* & *symptomata convulsiva* ægros affligunt, & in specie circa hypochondria tam variis doloribus affliguntur: Imò *dolores tensivi* hypochondriacorum iliaci, quos crebrô patiuntur & *tensiones capitis circa tempora* sunt nihil aliud quā spasmi membranarum in dictis locis ab acido p. n. irritatarum. *Vertigo, dolor capitis* &c. quod ex stomacho oriantur notum est; *Causa proxima ergò est acidum* excessivum minus spirituosum, quod pro ratione aciditatis infert omnia ea symptomata.

Causas remotas quod attinet, earum 3. sunt in specie (1.) *errata in victu*, (2.) *deficiens motus*, (3.) *vita curis ac studiis occupata*, quæ disponunt ægros ad cruditates in primis viis: *Errata in victu* sunt simpliciter *assumta acida*, difficulter digestibilia. Talia nempe sunt sale condita vel fumo indurata: *Sale condita* imbiberunt non parum de spiritu acido salis; *fumo indurata* de spiritu acido fuliginis multum continent; facit huc *potus* facile *acescens*, non rite defæcatus, vel qui ad acescentiam inclinat, isque non adeo diureticus vel in acet. vergens, ad malum hypochondriacum disponit. *Quoad motum*, uti motus omnes digestiones promovet, ita deficiens digestionem imminuit & ad cruditatem colligendam non parum confert; quibus tandem accedit *vita curis ac meditationibus occupata*, quia absumit spiritus animales, quorum defectu

acidi ſucci inſigniter ſolent accreſcere. Hinc *lucubrationes nocturnæ*, ſtatim poſt cænam, notoriè ad malum hypochondriacum diſponunt.

Hoc malum ad gradum ſublimiorem exaſperatum & deductum vocatur SCORBUTUS, nempe quando acidum peccans in hypochondriis in tantum exaltatur & ſucceſſivè quaſi volatiliſatur, exinde fit ſummum penetrativum & fermentativum, unde tandem naſcitur *ſcorbutus malum contagioſum*, ex malo hypochondriaco *non contagioſo*; ſpeciatim vero 1. *ſcorbutus videtur imprimis afficere glandulas* quaſcunq; & in iisdem afficere & inquinare *lympham*. 2. Prout contradiſtinguitur malo hypochondriaco in ſpecie, ſolet eſſe *infeſtus nervis* & pathemata in hiſce graviora & frequentiora quam malum hypochondriacum inferre. Res ut pateat quod inquinet glandulas & aciditas ejus ſit infeſta nervis, conſideranda *ſymptomata ſcorbutica*: Nempe ſolent ferè ſemper conqueri de *laxitate* quadam *gingivarum* una cum vaga ſeu varia earundem nunc *excreſcentia* & *intumeſcentia*, nunc *exulceratione*; & fricatæ *gingivæ* nunc *ſanguinem ſtillant* eumque intenſe ſalſum, nunc *liquamen* quoddam *ſeroſum*; in talibus *ſaliva* admodum *ſalſa*, interdum imprimis matutino tempore manifeſte *acida* deprehendi ſolet, ut in Juvene ſcorbutico obſervavi. *Scorbutici* frequenter ſolent eſſe *obnoxii tumoribus* inprimis *artuum*, iisque variis, qui nunc protuberant, nunc denuò evaneſcunt. *Scorbutici* item ſubinde patiuntur *corporis pruritum*, ſed dum incipiunt ſe ſcalpere, locus intumeſcens totus inſigniter rubet, ſed breviori tempore evaneſcit; in alio loco iterum *pruritum* & talem *tumeſcentiam* infert, denuò tamen ceſſat. Rarum eſt quod tumores ſint conſtantes & ſi ſunt conſtantes occupant glandulas artuum, quæ formâ *ſcrophularum* ſolent tumeſcere. *Scorbutici* ſunt frequentiſſimè *catarrhoſi* circa caput, collum, fauces & regiones glandulis magis obſitas, obnoxii ſunt *excoriationibus* & *exulcerationibus*. Adeſt ſæpe *levis pruritus* qui ſi ſcalpatur dat *ulcuſcula graviora* & in varia ulcera degenerantia, quæ plorant ſerum adeo acre, ut quandoque calceamenta ægri fuerint exinde roſa, & quidem talia ulcera ſunt difficulter ſanabilia quia facile degenerant in *gangrænam*; frequenter laborant *doloribus* nunc *vagis*, nunc *fixis*, imprimis *doloribus cruciantibus abdomen*, qui inchoant in dorſo pergendo ulterius ad regionem umbilicalem & dictas partes quaſi convellendo, unde putant ſe laborare nephritide, ſed male; potius *nephritis notha* vocanda eſt, quæ interdum *umbilicum interiora verſus retrahit*; verum quidem eſt, quod abdomen intumeſcat, & ſi intumeſcat, etiam indureſcat, non à flatibus ſed à ſpaſmo & tenſione membranarum; præter hos dolores abdominis qui conſtituunt nephritidem notham, obſervandi ſunt *dolores artuum* iique imprimis magis *vagi*, qui ſunt vel leviores vel graviores; *leviores* ſunt inſtar *ſenſus vermiculationis* in extremitate artuum, ſimiles ferè ſenſui iſti, quando dicunt: Die Glieder

ſeynd

seynd eingeschlaffen/ & species est tactus depravati. Hi dolores *sensus vermiculationis* præcedunt, quibus superveniunt dolores vel *lacerativi* vel lancinationis sensu conjuncti; *vagi* sunt, propterea *arthritis vaga* die reissende Gicht appellantur: Sicut *dolor vermicularis* vocatur die grübelende Gicht. Rarius sunt *fixi* & occupant vel *dentes* vel *extremitates artuum*, qui sunt gravissimi. Hi *interdiu* silent, *noctu* magis affligunt, & sic magnam habent convenientiam cum dolore in lui ♀eæ obnoxiis, unde etiam quidam dicunt, nullum affectum magis esse affinem lui ♀eæ, præter scorbutum; Porro si qui alii, certe scorbutici *affectibus spasmodicis* sunt obnoxii, frequenter partium internarum, rarius externarum. *Urina scorbuticorum* est admodum *varia*, utplurimum *flammea* instar spiritus nitri, & est nil aliud quam latex urinarius nimis salibus contentis saturatus, instar acerrimi lixivii. Hinc tales *urinæ flammeæ* subindè immutantur & fiunt naturaliter tinctæ, sed ita, ut lateribus matulæ se affigant *copiosæ arenulæ rubræ* facile friabiles, quæ sunt *salia coagulata* à vasis lateribus & hæ arenulæ sunt unum ex certissimis signis scorbuti. *In specie urinæ* subinde solet apparere supernatans quædam *pinguedo* instar pelliculæ, quæ pellicula ad latus adspecta solet esse admodum variata, instar *caudæ pavonis*; est nil aliud quam sia coagulata. Sic in Chymicis si aliquid evaporetur usq; ad pelliculam, ea apparet variegata. Si qui alii certe *scorbutici* sunt obnoxii *hæmorrhagiis* variis, *sputo cruento*, *diarrhæa cruenta* &c. nam ægri tales quando emittunt cruenta, non est dysenteria, est enim sine torminibus; non hæmorrhoides, quia post stercora produnt, sed est hæmorrhagia intestinorum; *scorbutici purgantibus tractati* facilè incidunt *diarrhæam cruentam*, interdum perfectam *dysenteriam*. Frequenter *atrophia* & *tabes* superveniunt scorbuticis, ut rarissimum sit in scorbuto esse probam nutitionem.

Quoad *causam proximam in scorbuto* peccare *acidum* quodammodo corruptum patet 1. *ex consequentibus*, quia remedia ♂tialia & *volatilia* conveniunt, 2. *ex antecedentibus* symptomatibus, exulceratione & similibus, cum variis glandularum tumoribus. *Quæstio est*, qualis sit corruptio & exulceratio acidi in malo hypochondriaco peccantis, ut tam insignem nocendi vim acquirat in scorbuto?

Si consideramus *causas remotas*, permultum obtinet *aër*; propter hunc enim hypochondriaci saltem *Septentrionales* evadunt scorbutici; *Orientales* & *Meridionales* parum aut plane nihil de scorbuto sciunt. Hoc autem inquilinamentum aëris est, cujus natura admodum salsa in aquilonari, qui perflat loca paludosa, & effluvia ista putrida secum aufert: Hinc ex aëre hoc à nobis inspirato istud acidum exacerbatur, & degenerat in scorbutum; sic omnes *navigantes*, quo diutius versantur in mari, semper corripi solent scorbuto, & præ aliis *Belgæ* & *Angli* fiunt scorbutici dum navigant. Quin & qui jam conflictantur cum

cum malo hypochondriaco, si peregrinantur in loca puro aëre prædita, solent sponte ab istis malis purgari; iste ergo aër effluviis salinis acidis est præditus, & secundum *Hartmannum* sulphure temperato destitutus est, hinc malum hypochondriacum exasperat, istud acrius reddit & in scorbutum degenerare facit. Verum *in quo in specie corruptio acidi scorbutici consistat*, nondum à priori rectè definiri potest; *Signa*, si æger conqueratur de pathematibus circa digestionem seu supervenientibus symptomatibus capitis, sola ostendunt laborare ægrum affectu hypochondriaco: *Scorbutus nisi inveteratus sit*, est difficulter cognoscibilis, interim tamen cum scorbutus se quibusdam morbis associat, semper pejora symptomata adsunt atque in scorbuto simplici. *Ut igitur cognoscatur latens scorbutus, consideret Medicus urinam* quæ nimis flammea vel cum arenulis istis ruffis imprægnata, vel & caudâ pavonis est instructa; præter *urinam attendat Medicus symptomata dolorosa*; si patiuntur dolores partium ultra naturam talis morbi, si in alio morbo superveniat *dolor lancinans* in lumbis, nisi adsit nephritis, signum est adesse scorbutum. *Confirmatur* si æger conqueratur de *doloribus gingivæ*, dentium, si hinc inde *maculæ* excrescant, quæ quo majores sunt, imprimis in cruribus, eò magis malum manifestum est; præter maculas *pruritum* scorbutus interdum solet inferre, *pruriginosam* similiter *purpuram*, quæ certum signum est scorbuti latentis.

Prognosis: *Hi duo affectus recentes* possunt facile curari; *Malum hypochondriacum incipiens* solus motus corporis curat, ritè institutus; verum *si invaluerit*, aut firmiores egerit radices, in specie in negotio digestionis primæ, difficilius curari solet; interdum palliativè saltem iisdem occurrere possumus. Accedit quod hujusmodi affectus inveterati postulent continuatum remediorum usum, quorum tamen tædium ægri percipiunt. *Hæmorrhoides*, *urinæ fluxus* aut similis quædam *hæmorrhagia periodica* hujusmodi affectus insigniter levare solet. *Pulsus in hypochondriacis* quandoque intermittit, *in scorbuticis* vero imprimis ut sic, est admodum varius, subinde *parvus* ac *debilis*, ut æger omni momento, quoad pulsum videatur exspiraturus, sed si non alia symptomata adsint, non terreatur Medicus. *Inveteratus scorbutus* ordinario in atrophiam & tabem solet terminari. *Maculæ in scorbuticis*, quo magis rubent & quo sunt grandiores, eò melius est, quo magis cœrulescunt aut livescunt, eò deterius, semper tamen bonum signum est, cæteris paribus, magis tamen bonæ sunt rubræ. *Continua symptomatum* solet esse *mutatio* in scorbuto v. g. nunc dolores vagi transeunt in paresin, asthma convulsivum, subinde epilepsiam; *quando scorbutici atrocissimis doloribus artuum laborant*, subitò lethargo correpti in alium statum mutantur; *quo fixior est scorbutus* eò difficilius curatur: Præ cæteris *gingivarum habenda est ratio*, subinde abeunt in *gangrænam* & secum trahunt *exulcerationes faucium* pessimas, vid. *Sennertus*.

In

In *cura mali hypochondriaci* & *ſcorbuti* primus ſcopus eſt ut *acidum vitioſum corrigatur*, idque vel *generalibus* acidum ut ſic temperantibus, vel *ſpecialibus* acidum ſcorbuticum emendantibus. 2. *Correctum ita acidum* peccans *evacuandum*, idque per urinam & ſudorem, 3. *ſtomachi* ſemper exacta *habenda eſt ratio*, ejusque digeſtio promovenda & 4. *ſanguinis craſis* in ſcorbuto *emendanda.*

Pro ſcopis his obtinendis *obſervetur* I. *Venæſectiones* quaſcunque minus convenire in cura mali hypochondriaci & ſcorbuti, unde *ſalvatellæ ſectio* eſt ridicula. Interim tamen utut per ſe non conveniant, tamen quandoque indirectè juvant v. g. *in dolore crurum* incipiente V. S. brachii interdum egregiè confert. Sic etiam in *cephalalgia ſcorbutica* incipiente aut ſæpius recurrente V. S. in brachio convenit. *Fonticuli* per ſe nihil conferunt, à poſteriori tamen ſi crebriores affectus catarrhales affligunt, ſcorbuticis conveniunt.

Obſ. II. Quod inter *evacuantia* conveniant ſaltem *diuretica* & *ſudorifera*, præſertim *diuretica hypochondriaco-ſcorbutica* ſunt optima; certum eſt, ſi in malo hypochondriaco largiter fluit urina maximum eſſe levamen; inter diuretica conveniunt ſalina non terrea, eaque non acida & volatilia ſalſa, ex inſectis. Sudorifera conveniunt in ſcorbuto, quando partes externæ gravius affliguntur.

Obſ. III. Quod *baſis curæ ſcorbuticæ & mali hypochondriaci* conſiſtat in *vomitu*, ut ſine ejus præmiſſione reliqua remedia parum vel nihil operari poſſint. Unde dicunt optimum eſſe ſi hypochondriaci literati omni ſpatio menſtruo ad ebrietatem bibant & vomant; ſi adeſt dolor abdominis vomitus optimus eſt.

Obſ. IV. *Purgantia propriè dicta* ſemper *nocent hypochondriacis*, inſigniter vero exacerbant *ſcorbutum*. Unde ab his quacunque occaſione abſtinendum; imprimis pathemata ſcorbuti doloroſa ſolent excitare purgantia; *ſi adeſt dolor ſtomachi* nil juvant: *Si urgent doloroſa ſymptomata* ſcorbutica in artubus, ſolent inferre dolores in abdomine & ſic augent malum. *In mulieribus hypochondriacis* hyſtericis ex levi uſu purgantium facilè dyſenteria ſequitur.

Obſ. V. Ut in omnibus affectibus & ſpeciatim *in malo hypochondriaco*, *alvus ſervetur aperta*, niſi enim fluida eſt, ſolent inſigniter exaſperari ſymptomata, capitis perturbationes & ſymptomata melancholica; *ſi in ſcorbuto non eſt aperta*, dolor artuum & abdominis exaſperantur. Inter *remedia*, quæ alvum ſemper ſervant apertam, excellunt *paſſulæ* & *paſſulata* & hinc *poma Borſtorffiana*; hinc optimus modus eſt ut infundantur *laxantia* in *ſucco pomorum Borſtorffianorum* qui potus convenit hypochondriacis.

Paſſulæ

Passulæ & *passulata* mirè conveniunt; utut enim *dulcia saccharata & mellita* noceant hypochondriacis, quia fermentando acescunt & affectus recrudescere faciunt, interim tamen *passulæ*, quatenus sunt temperatæ, optimè conducunt, imprimis viris, non mulieribus, seu usurpentur *in forma electuarii* seu potus v. g.

℞. Pulp. passular. minor. ℥iij.
arcan. duplicat Mynf.
specierum diatrion pipereon aa. ℥j.
syrupi de pom. contus. q. s.

Capiat pro lubitu: Potest acui granis aliquot *extract. troch. albandal:* Melius autem est *in forma liquoris*,

℞. Passular. min. ℥jß. l. ℥ij. probè conquass. coque in
▽. simpl. colatur add. folior. sen. ℥iij.
cremoris tartari ℥j. stent aliquandiu in locô calido, postmodum colatura detur & asservetur pro usu; capiat hypochondriacus haustulum & inservit etiam pro vehiculo reliquorum remediorum. *Flores acaciæ* in vino infusi, si æger de tali vino bibat, alvum servat apertam. Præter dicta subinde sunt *clysmata* pro alvo aperta servanda & pro abdominis affectibus minuendis usitata, & quidem parantur vel *ex nutrientibus* & *emollientibus*; vel quod melius *ex urina puerorum*, quæ conveniunt in Melancholia hypochondriaca cum copiosis flatibus junctâ. Si contumacius sit malum, conveniunt *clysmata ex lixiviis* additis aliquot ℥is *mellis* depurati; talia *clysmata* mire conveniunt intestina abstergendo, in specie si crassiori muco sunt obsessa. In doloribus abdominis conveniunt *clysmata ex lacte*, vel simplici, cui parum *sacchari* sit additum, vel cui incoquuntur *plantæ* quædam *carminativæ*. Conferunt si applicantur tempore vespertino, & si retineantur per integram noctem, solent cum insigni ægri levamine applicari subinde; in specie si urgeant dolores nephritici, conveniunt *clysmata ex lacte*, quibus addita sunt *terebinthinata*.

Obs. VI. Conveniunt ergò in malo hypochondriaco *remedia* quæ speciatim dicuntur *antiscorbutica*, imò vix sine alterantibus scorbuticis curari potest.

Obs. VII. *Antiscorbuticorum remediorum* magnam esse varietatem; nunc enim sunt *acriora*, nunc *temperata*, nunc *aromatica sulphurea* &c. Observanda ergò est constitutio ægri, quidam enim non possunt ferre *volatilia*, ut *spiritum cochleariæ*, propterea attendant Medici ad constitutionem ægri, ut habeatur selectus inter *remedia antiscorbutica*. *Acria* enim & *volatilia* subinde magnam scorbuticis inferunt noxam, sinistre usurpata, nempe in subjectis biliosis & ubi acidum est volatilius & acrius, ubi sunt nociva propter phlogoses & effervescentias; propterea in his non conveniunt, nisi misceantur aliis *temperatis*, iisque blande *acidis*, qualia sunt v. g. *cichoreum*, *acetosa*, *succus citri*, *serum lactis*, quod optimum est.

Obs.

Obs. VIII. Quod his antiscorbuticis appropriatis, si volatilia nimis sint, *fixa*, acidum primarum viarum abstergentia utiliter præmittantur, ♂*alia* scilicet & ♁ *alia* acidum in primis viis potenter destruentia: Hisce tandem *appropriata volatilia* subjungi possunt.

Obs. IX. Quod *lacticinia* in scorbuto præmissis universalibus & vitiosum acidum corrigentibus sint optima; singulare enim quid obtinet *lac* in corrigenda crasi sanguinis à scorbuto vitiata, unde in scorbuticis, qui nimium sudant & ad tabem inclinant, præmissis universalibus *lacticinia* nobilissima sunt remedia, in specie commode propinantur omni mane & vesperi, semper bonus haustus.

Obs. X. Quod *in cura scorbuti* moneant Practici, ut abstineamus à ☿*rio* & omnibus ☿*ialibus*, quia propter *salivationem* gravissima faucium & oris symptomata inferunt; item quia dolores nocturnos in artubus solent exasperare ☿*ialia* & in scorbuticis excitant graves phlogoses, æstuationes & augustias corporis.

Quod attinet *remedia in cura mali hypochondriaci* præmittantur *digestiva* dicta, sordes primarum viarum incidentia & detergentia, simulque vi diuretica naturam ægri ad liberiorem urinæ excretionem disponentia; talia sunt: *Tartarus vitriolatus*, θ *digestivum hypochond. liq. terræ foliat. tart. Tinct. tart. Tinct.* ♂. *Zwelfferi*, θ ♂. *compositum, Tinct.* ♁. *ex scoriis reguli. pulv.* ♂. & similia, capiantur quotidie bis bona dosi v. g. θ. *digestiv.* quotidie bis ℈j. *liquor terræ foliatæ tartari* gutt. 40. 50. Præmissis his usurpentur *vomitoria*, primas vias potenter emungentia, eaque reiterata. Post hæc vel loco horum usurpentur, blanda *evacuantia per alvum*; inter talia sunt: MP. *de gumm. ammoniaco Quercetan.* MP. *tart. Ejusdem, extract. catholic. cum gummi* ✻*co* & similibus; melius est si usurpentur *noduli* qui in talibus morbis chronicis sunt optimi *ex blandis laxantibus & alterantibus* parati, v. g.

℞. Rad. helenii
raphan. rustic.
polypodii aa. ℥vj.
Herb. absinth.
agrimon.
centaur. min. aa. m. j.
Flor. anthos
genistæ aa. p. iij.
Cort. Tamar.
fraxini aa. ℥ß.
Fol. S.S.S.

rad. helleb. nigri aa. ℥ij.
zedoar.
zingib.
cinamom. aa. ℥jß.
θ. tart. ℥jß. Incisa & cont. M.

Includantur nodulo, infundantur in vino, quod omni mane & vesperi capiatur ut relaxetur alvus. Quidam in usu habent *pilulas aloëticas* sed malè, *aloë* enim nocet hypochondriacis aut scorbuticis; utut enim uno die laxet, altero tamen obstruit, causa est in *resina*; si *extractum* volumus usurpare, usurpemus substantiam gummosam quæ potest separari terendo cum ∇. simplici, quæ substantia gummosa potest redigi in formam *pilularum* & tales *pilulæ* dos. gr. iij. blandè laxant alvum, & in tali casu mali hypochondriaci confirmati omnibus tribus l. 4. septimanis in usu sunt, egregia cum euphoria. His præmissis fiat progressus ad *♂tialia*, vel alia similia *fixa*, acidum peccans inprimis emendantia; quantum enim præstent *acidulæ* nemini ignotum est, in quibus præponderat acidum forte. Usurpantur *♂lia* nunc *cruda*, nunc *præparata*, in iis qui non possunt ferre *lim. crudam*. Hinc in usu sunt *liquor ♂. ☉is*, *θ. ♂tis compositum*, sicut iis quorum stomachus est nimis sensilis sufficit *extract. ♂tis cum pomis Borstorffianis* vel cum *extract. Tamarindorum* vel *Tinct. vitrioli ♂tis Zvvelfferi*. Hæc aliquandiu continuentur & post eorum usum blandus instituatur motus alvusque servetur aperta: Post *♂lia* fiat accessus ad *volatilia*, uberius penetrantia, nunc per sudorem nunc per urinam evacuantia. Hæc inter eminet *spir. ✱ci*, isq; non tantum *simplex* sed & *compositus oleosus*, si mixturæ *calc. viv* & *θ✱*. addatur S. V. infusione *aromatum* imprægnatus & hinc forti △e per retortam dest. prodit sic spiritus vim aromaticam referens, qui est optimus dosis gt. 30. In malo hypochondriaco, juxta hunc inferioris vix est notæ *spir. Tartari* isque ritè paratus & *volatilis*; præfertur autem his *spir. carminativus de tribus*, qui hypochondriacos mirabiliter levare solet *dos.* à gutt. 30. ad 40. Ut hæc *volatilia* magis reddantur *diuretica*, consultum est, ut imitemur *Zvvelfferum*, qui miscet spir. *θ✱*. cum ana *liquor. terræ foliat. tartari*, sic est forte diureticum; juxta hæc *θia volatilia* non omittantur *fixa*, inter quæ omnibus palmam præripit in malo hypochondriaco & scorbuto *arcanum duplicat. Mynſ.* quod imprimis frequens est scorbuticis, quando crebriores phlogoses ægros fatigant, in talibus casibus est nobilissimum, unde in febb. intermittentibus & scorbuticis est sine pari: *Salia* etiam *fixa per calcinationem* parata *ex plantis spleneticis* aut *hepaticis* conveniunt; nempe dum Moderni usurpant *θia artificialia fixa*, Veteres consueverunt usurpare præmissis *♂libus* vegetabilia *amaricantia*, *hepatica* & *splenetica* dicta, item *stomachica* v. g. *herb. absinthii*, *fœniculi*, *fumariæ*, *cichorei*, *centaur. min. C. B.* *agrimon.*

agrimon. & imprimis *bacc. juniperi*, ex quibus concinnarunt *infuſa* & *decocta*, quæ tamen in deſuetudinem abierunt. Interim ex his per calcinationem parata *ſalia* non nimis volatilia ſunt egregia & ſimul *diuretica*; His ac ſimilibus accedente motu fere curari ſolet malum hypochondriacum.

Sed præter dicta *in ſcorbuto* adhuc alia ſunt in uſu *ſpecifica*, quæ *ſpecificum ſaporem* & morbum ſcorbuticum emendare & tollere poſſunt. Hæc poſt *♂alia* uſurpanda, ſunt in *duplici differentiâ*, nempe vel 1. *reſpiciunt ſaltem dyſcraſiam ſanguinis* & inde derivatos ſuccos, vel 2. *reſpiciunt* ſimul *noxam illatam ſyſtemati nervoſo* & partibus continentibus. *Priora* ſunt volatilia plus magis acria; *poſteriora* ſunt oleoſa ſulphurea & quaſi balſamica. *Inter priora* excellunt *cochlearia, naſturtiorum* omnes ſpecies, *chelidonium majus* & *minus, trifolium aquaticum, perſicaria, piperitis, flammula ♃is, rad raphani ruſticani, gentiana, ſem. ſinapi, eruca* &c. Hæc ferè ſunt primaria *acria volatilia ſcorbutica*, inter quæ tamen excellit *cochlearia* hinc *flammula ♃*, & tandem *triſol. ▽tic*: Quibus tamen cum omnia ſint *acria* & *volatilia*, adeoque non ſemper conveniant omnibus ſubjectis, in ſpecie junioribus, aut acido volatili præditis, pro aliquali temperatura addi poſſunt *acetoſella*, item *citrum & citrata*. *Poſteriora quod attinet*, ſunt in ſpecie *pinus* ſive *abies alba*, quæ propter egregiam virtutem, *antiſcorbutica* appellari ſolet, ſpeciatim *ſtrobuli*, loco quorum ſubſtitui poſſunt alternata *remedia ex lignis*, ſpeciatim ex *lign. ſaſſafras* item *rad. Chinæ.* Horum antiſcorbuticorum varius ſolet eſſe uſus; *Priora* uſurpantur vel *cruda* vel *temperata*. *Poſteriora* ſingularem habent texturam, videntur abundare *⊖e volatili*, ſimul tamen *acido* in receſſu ſatis penetranti, quod demonſtrant ructus acidi. *Cruda* uſurpantur *infuſa*, nam coctionem diuturnam non ferunt citra virium jacturam, niſi ſaltem levis ſit ebullitio. Infunduntur vel in *vinum*, & potum reddunt gratum, vel quibus vinum eſt hoſtile, & quibus acriora ſunt hæc infuſa, & phlogoſes excitant, talibus commode in *ſero lactis* aut *lacte* ipſo infundi poſſunt; res ut pateat e. g.

℞. Herb. cochl. recent.
naſturt.
fumar. aa. Mj.
Rad. armor. n. j.
helenii. ℥j.
paſſul. min. ℥vj.

contuſa aut conquaſſata noduloque incluſa infunde *vino* vel *ſero lactis* vel *lacti* ipſi. De hoc infuſo æger bibat omni mane jejunus bonum hauſtum & ante prandium, ita tamen ut primo minorem doſin accipiat, ſucceſſive tandem augendo & ſic continuet aliquandiu. Vel

℞. Succ. cochlear.
nasturt.
piperit. aa. ℥iij.
cichorei
acetosell aa. ℥ij.
Seri lactis capr. ℔iij.

Seponantur nonnihil ut depurentur per residentiam, hinc colentur & serventur usui, dos. pro una vice sint ℥jv. v. l. vj. Vel

℞. Dicta simplicia & infunditur serum lactis, prius tamen confundantur & conquassentur, hinc *succus* exprimatur, qui blando tepore depuratus asservetur usui in vitris parvis, & quando necesse est aliquando ℥æ aliquot in *sero lactis* vel *vino* propinentur cum ana *acetosell. contus.* nam & hæc quacunque ratione aliquandiu continuata egregia est, vide *Act. Med. Hafn. p.* 136. Si fuerint acriora, commode *temperantur* cum *succo citri*, qui in scorbuto egregium est medicamentum. Tales *succi* puri etiam possunt *affundi limatur.* ♂*tis* & simili modo usurpari. Vel loco talium *essentiarum* ♂*tis* paretur *extr.* inspissando succos & tunc extrahatur *tinct.* ♂*tis scorbutica.* Hi succi delicatulis vel qui proni sunt ad effervescentiam minus conveniunt, in quibus eorum loco possunt usurpari eorum præparata, ▽. *destillata*, *spiritus*, *essentiæ* &c. v. g.

℞. Flammul. illæque contus. affundatur vinum, destilletur per *alemb.* quod etiam potest fieri cum aliis antiscorbuticis & ita habetur *phlegma spirituosum* antiscorbuticum pro vehiculo aliorum remediorum. *Spiritus* nunc parantur per *simplicem cohobationem*, nunc per *fermentationem*; per cohobationem ita:

℞. Herb. cochl.
nasturt.
piperit.
Rad. ari
raphani rust. aa. q. v.

contusis affunde *spir. baccar. juniperi* ad eminentiam aliquot digitorum, stent in digestione aliquandiu, destilletur per *alemb.* liquor novis speciebus affund. & aliquoties reiteretur, sic acrior fit talis spiritus compositus. Potest illi addi *spir. aperitivus Penoti* qui est acidus volatilis. *Per fermentationem* dubitant multi, an ex scorbuticis debeant parari spiritus, quia sub fermentationis negotio maxima pars θis volatilis solet evanescere, quod testatur odor, qui tunc exhalat; Certum est pati aliquam jacturam, non tamen omnem, quando per fermentationem caute parati *spiritus antiscorbutici* adhuc sunt satis penetrantes; ut ergò omnibus satisfiat procedendum est ita: Paretur *spiritus per fermentationem* ex antiscorbuticis quibusdam; Hunc affunde *speciebus recentibus* & aliquoties cohobetur

hobetur

hobetur & rectificetur. Spiritus talis infundatur *extract. antiscorbutic.* inspissetur & extrahatur *tinctura* tandemque *essentia*, cum qua integra crasis antiscorbutica est recondita: Hujusmodi ergò spiritus usurpetur dos. gutt. 20. 30. ad ʒj. in vehiculo convenienti. Hisce addantur *oleosa volatilia* ex dictis remediis penetrantissima, in specie ex *cochlearia*, quando jam incipit reserari ejus crasis, tunc spiritus ex destillatione prodit penetrantissim⁹, cum paucissimo *oleo*, quod in formam *elæosacchari* redactum est egregium. Hisce *volatilibus naturalibus*, associari commode debent *volatilia artificialia*, uti sunt *θia volatilia* supra laudata; congruum est ut paretur *spir.* ✲*ci compositus*, ita ut mixturæ pro ejus præparatione infundatur *spir. cochleariæ* vel *spir. antiscorbuticus* quidam *compositus*; tantum tribuit *Barbette* spiritui huic, ut hoc solo perfectè curari scorbutum asserat. Interim *spir. lumbricorum terrestrium* hiscè volatilibus annumerandus venit, tam propter vim diureticam, quàm quod affectibus scorbuticis dolorosis conveniat; Quidam etiam *essentiam myrrh. cum spir.* ✲*ci* parant, vel *elix. proprietatis* cum spiritu dicto ad scorbutum commendant.

Post hæc sunt *antiscorbutica sulphurea balsamica* ex *pino* imprimis desumta; Conveniunt autem quatenus non tantummodo acidum acre scorbuticum temperant, sed etiam quatenus noxam systemati nervoso inductam & inde natos varios dolores emendant. Eminet hîc *abies alba* quæ tota convenit, in specie *strobuli* mense Martio collecti, tunc enim tactu sunt pingues & resinosi. Hi *strobuli* usurpantur vel *crudi* vel *præparati*: *Crudi* si recipiuntur vel *recentes* vel *exsiccati* & iisdem v. g. ad earum ℥jß. l. ij. infunditur cerevisiæ Mjß. coq. aperto leniter vase & ebulliant ad tertiæ partis consumptionem, in fine, dum omnia fervent, infund. *passul. minor.* q. s. ubi refrixerint colentur, de colatura bibatur, imprimis matutino tempore calide *expectando sudorem* blandum, repetatur in die semel vel bis: Interdum *baccæ juniperi recentes* interdum alia addi possunt; hujusmodi decocta spirant odorem *terebinth.* unde forsan nec *terebinthinæ* usus est incongruus in scorbuto. *Summitates abietis* concisæ & vel in ▽. vel cerevisia, vel etiam simili vehiculo decoctæ & usurpatæ in dolorosis affectibus egregiè conducunt; Quod attinet *præparata*, est *spir.* vel *essentia strobulorum pini* vel *abietis*:

℞. nempe *strobuli pini*, iisque contusis copiosam aquam affunde, instituitur fermentatio & potest paucum de fæcibus cerevisiæ addi, destilletur & prodit spiritus admodum suavis, qui pro usu asservetur. Hinc ℞. similiter *strobul.* iique coquantur in s. q. ▽æ, donec sapor & vis omnis sit exhausta, decoctum fortiter expressum inspissetur ad consistentiam mellis, ex quô vel cum *spir. proprio* vel *cochleariæ* vel cum *spir. composito antiscorbutico* extrahatur *essent.* quæ dos. gutt. 40. l. 50. optima est. Verum in hisce *remediis de pinô* observandum 1. quod eadem non conveniant omnibus, quia nonnihil appetitum lædunt, 2. quod

quod junioribus & ferventibus subjectis propter oleum volatile non nimis diu propinanda sint, aliàs affectus externos varios, pustulas in facie, erysipelata & febb. ardentes inferre solent. Loco horum possunt substitui *lignorum decocta & essentiæ*, una cum *specificis antiscorbuticis* permixta, expectando sudorem; imprimis *quando pathemata catharralia scorbuticos affligunt*, sunt optima temperata additis specificis antiscorbuticis: Hisce subiungenda erunt *lacticinia* seu *diæta lactis*, scorbuticis præ omnibus aliis ægris conveniens; nempe usurpatur *lac* vel *præmissis universalibus* & primas vias eliminantibus vel in quibusdam simul *cum* ♂*libus*. Usurpatur autem vel *lac* vel ejus *serum*: *Serum* usurpatur in scorbuticis febricitantibus vel qui borborygmis in hypochondriis sunt obnoxii, ut & phlogosi vagæ. In reliquis vero melius est si usurpetur *lac* & imprimis *caprillum*, cum tantillo *sacchari*. Vel *lacti* instilletur *spir.* ✱*ci* & *cochlear.* aa. mixt. gutt. 40. & 50. continuetur aliquandiu, omni mane, interdum etiam vesperi stomacho vacuo ante cœnam, successive in dosi *adscendendo* & tunc etiam *descendendo*; *lacti* etiam *medicato* incoquuntur *rasur. rad. Chinæ* & *herb. fumariæ* v. g.

℞. Lactis mens. ß. *cui adde*
rasur. rad. Chinæ ℥ß.
folior. fumar. recent. mj.

Tecto vase ebulliant & coquantur aliquandiu, colentur per linteum & pro binis dosibus *lac* ita paratum hauriatur, instillando semper aliquid de *spir. cochleariæ*; *lac* ita paratum scorbuticis est admodum proficuum, in specie ubi laborat genus nervosum & adsunt dolores artuum & imprimis quando multum sudant. Sub hac *diæta lactea* cavendum est ab omni acido, & hausto *lacte* instituatur aliquoties *ambulatio* ut proliciatur urina. *Hæc ita sunt observanda in scorbuti cura.*

Restant adhuc quædam *urgentia symptomata*, quibus mitigandis etiam prospiciat Medicus & in talibus semper respicere debemus scorbutum uno oculo, altero vero ad *symptomata affligentia*. Inter talia sunt primo loco *affectus dentium & gingivarum*; nempe *triplicia mala* vexant scorbuticos *circa gingivas* & *dentes* 1. *Gingivarum laxitas & mollities*, indeque *vacillatio* 2. *Gingivarum intumescentia, cruentatio*, cui sæpe jungitur *caries* dentium. 3. *Gingivarum putredo* serpens: Omnium *horum affectuum origo* est ex saliva, ꝺe scorbutico impraegnata & inquinata, quæ texturam fibrarum gingivarum laxat, rodit & dissolvit, unde eorum *mollities*; ex ꝺe acri *excoriatio* tandemque *putrefactio cariosa*. Succurrimus partim *oris eluitionibus* vel *tincturas gingivis affricando*, vel *pulveribus* vel *linimentis*. Quoad *collutionem oris*, in his eminet *salvia, rosmarin. flor. aquileg. balaust.* quibus simul *specifica antiscorbutica* sunt addenda.

℞. Passul. min. in forma ligu.
Flores acaciæ in vino infusi p. 400.
Lactiania p. 406. 401.
Lignor. decocta vel essentiæ c. specificis
antiscorbuticis permixta p. 406.
Decoct. Lindani contra catarrhos p. 229.

addenda. His simul *adstringentia*, *tormentilla*, *bistorta* & similia addi possunt, sicut etiam *lacca*, *myrrh.* O. *spir.* ♁*is* utramque faciunt paginam, v. g.

℞. Herb. salviæ m. iij.
nasturtii vel cochlear. m. j.
Flor. malv. hortens. m. ij.
Rad. polipodij ℥vj

decoque in ℔j. l. ij. ▽. fontanæ add. *mell. rosat.* ℥jß. O. *usti* ℥j. *lapid. prunell* ℥iij. usurpetur pro collutione oris. Item *decoctum summitatum pini* cum *nasturtio* in vino abluendis gingivis est conveniens, item *salvia* cum *nasturtio* vel in vino vel in sero lactis. Si vinum est acrius interdum in ipso *lacte* coquenda veniunt & loco gargarismatis usurpantur; præ cæteris optimum est ♁. *mirabile Glauberi* in s. q. spiritus solutum; post collutionem sunt *Tinctura* dentibus adfricandæ, quas inter palmam præripit *Tinctura laccæ Myns.* nobilis in dentium aut gingivarum affectibus in laxitate, mollitie, exulceratione & gingivarum gangrænâ, rite parata est nobilis; potest tamen meliorari si *laccæ* addatur *myrrha.* v. g.

℞. Lapid. medicamentos. Croll. ℥j. solve in s. q. ▽. sedi minor. & cochl. solutio blandam post ebullitionem filtretur,
infundatur laccæ ℥ij.
myrrhæ.
O. ust. aa. stent in digestione & extrahatur tinct. qua imbuatur

linteum & affricetur gingivis & dentibus scorbuto correptis. Vel

℞. Cremor tartari ℥iij.
gummæ laccæ ℥j.
vitrioli Cyprij gr. vj.
▽. rosar. salviæ q. s. aa.

Mixta invicem, soluta & temperata gingivis scorbuto afflictis applicentur. Post *tincturas* sunt *pulveres*, quos non ingrediantur *lapides* vel *tartarea*, gingivas enim lædunt; ergo optimus pulvis vid. in *Bartholin. Cent. 6. histor. 5.* specificari potest si irroretur cum *spir. cochleariæ* & affricetur. Vel excipi potest *unguento aquileg.* vel saltem *melle.* Vel

℞. Pulv. bistort. ℥iij.
flor. rosar. balaustior. aa. ℥j.
O. usti ℈ij.

Hæc irrorentur aliquot guttulis *ol. destill. caryoph.* & ita usurpentur.

Denique *linimenta* conveniunt, imprimis in graviori gingivarum exulceratione & fœtore, ex *melle rosato* imbuto *spir.* ♁*is* q. s. ad aliqualem acrimoniam; tale *linimentum* ad exulcerationes scorbuticas sit instar omnium v. g.

℞. O crudi ℥jß.
fol. salviæ ℥iij.

rad.

rad. ireos florent. ℥jß.
myrrh. ℥ß.

Omnia excipe probe pulverisata melle, redige in formam *linimenti* & affrica dentibus. *Si gravius sit malum*, fiat progressus ad ▽. *virid. Hartm.* & *Plateri* quæ in exulcerationibus scorbuticis oris nobilissima *vid. cap. 52. in Prax. Chymiatricâ.* Quin *ubi magis urget malum*, accedendum est ad *unguentum Ægyptiacum*, melle dilutum, & locis exulceratis cum penicillo admotum. Vel euporiston *Rulandi*

℞. ▽. S. & hydromell. ℔j. in quibus dissolve
O. crudi ℥j. M.

Inter alia *symptomata scorbutica* eminet 2. *dolor ventris* qui variè affligit ægros, utplurimùm conqueruntur circa vertebras dorsi se pati *dolores lancinantes* & *lacerantes*, unde totum abdomen simul dolore affligatur. Interdum *umbilicus versus interiora retrahitur*, interdum totum *abdomen tumet*. Imò frequenter decipiuntur ægri ut putent se laborare *nephritide*, sed male; & utut *urina supprimatur* non tamen statim adest *calculus*; complicati quidem interdum sunt *dolores nephritici* & *abdominis*, interdum seorsim affligunt. Conqueruntur de *angustiis corporis*, imo subinde eadem patiuntur symptomata, quæ mulieres hystericæ, & utut cessent dolores abdominis, tempore tamen extra paroxysmum conqueruntur de *dolore lancinante* circa regionem lumborum. Hi dolores sunt *spasmi* seu *motus convulsivi* intestinorum & mesenterii, quorum fundamentum erat in plexu mesenterico nerveô & ibi consitis glandulis, qui plexibus nerveis mesenterii vicinæ sunt. Quoad *curam* horum dolorum 3. *indicationes observandæ* sunt: 1. *Intestina leviter abstergenda* sunt, blandis assumtis vel injectis. 2. *Impetus convulsivi & spasmi* in intestinis & membranis abdominis tam generalibus quam specialibus scorbuticis, opiatis & temperatis *sistendi* sunt. 3. *Scorbuti cura primariò attendenda*; imprimis ♂lia remedia & ex *pino* sunt optima idque cessante paroxysmo aut extra eum. *Quoad primum* notetur experientia, quod *purgantia* maxime noceant, symptomata exasperent & dolores exacerbent, usurpentur ergò saltem blandè *abstergentia* intestina; *inter assumta* eminet *serum lactis* & imprimis *ol. expressa, amygdal. dulc.* vel solum vel cum *decoctô rad. alth.* aut *parietar.* haustum, blande lenit & intestina abstergit. *Quæ externe injiciuntur* sunt *clysmata* imprimis *ex lacte* vel solo, vel addatur *saccharum*; imprimis *lac* in quo dissolvitur *terebinthina* cum *vitello ovi* est egregium in abdominis doloribus, idque imprimis si diu retinetur. Vel in usu sunt *clysmata ex sero lactis* in quo *castoreum* à ℥ß. ad ℥j. fit subactum, add. *syrup. papaveris albi* ℥j. ad ij. Quoad *interna* convulsivi impetus sunt sistendi; præstant hoc *bia volatilia oleosa* cum *opiatis* mixta; in dolore abdominis elegans in specie remedium est ex *castoreo*,

cochlear.

cochlear. & *cort. aurant.* cum *spir.* ✱*ci* mixta, add. *laudani opiati hysterici* aliquid, hæc sub quacunque forma sunt optima. Imo *si diutius duret paroxysmus* ♂*lia* sunt usurpanda; præ cæteris *spir. carminativus de tribus* cum vehiculo antiscorbutico quoque est nobilissimus in abdominis doloribus, cujus loco etiam potest sumi *spir. tart. volatilis* mixtus cum *spir. lumbricorum* qui in *sero lactis* assumti sunt optimi. *Externè* imprimis convenit *emplastr. Poterii*, quod ad ischuriam commendat; interim tamen in hujusmodi doloribus imprimis cum *nephritide notha* conjunctis aut quorum radix est circa lumbos, etiam præmissis præmittendis internis lumbis sequens remedium applicatum egregium est, ex observatione nostra, cujus compositio est talis v. g.

℞. Picis navalis ℥jv.
terebinth. vulg.
flor. sulph. aa. ℥ß.
succini
mastichis aa. ʒij. M.

F. inde ceratum, quod in forma quadrata applicetur lumbis, gestetur aliquamdiu & in dictis affectibus est egregium; Vel abdomini imponatur *emplastrum ex galbano* cum *ol. castorei* vel cum *balsamo Peruviano* malaxatum, nam eadem externa quæ in hysterica passione usurpari possunt conveniunt etiam in doloribus hisce abdominis, vel etiam quod melius est *galbanetum Paracelsi* seu *ol. destillatum* ex *galbano* & *terebinthina* externe abdomini largiter calidè illitum, imponendo desuper laterem calefactum, est efficacissimum. Ubi deficiunt talia in usu externô *fomenta* humida & *cataplasmata* instrata adhibeantur, qualia parantur ex *baccis juniperi*, *floribus sambuci*, *nasturtii*, *hyoscyami*, & similibus *in lacte coctis* abdominiq; instratis vid. *Dravvitz.* Radicalis cura scorbuti postmodum attendenda, ubi præter ♂*lia* & *antiscorbutica* imprimis *remedia ex pino* conferunt; *decoctum strobulorum pini* aut *baccarum juniperi*, sudore aliquoties repetito, cum *emplastr. de pino* sola sufficiunt, pro curandis his abdominis doloribus, ne autem recidivent, *lacticinia* usurpanda sunt, præmissis ♂*libus*, extra paroxysmum, nam dolores solent præcavere aut imminentes sistere.

Juxta dolores hos etiam sunt *scorbutici dolores vagi* seu *arthritis vaga*; quæ in locis ubi scorbutus est familiaris sic solet appellari; ubi vero rarus est, ibi solent appellare *dolores artuum à rheumatismis* seu *defluxionibus*, qui ordinariò sunt scorbutici; *differunt* hujusmodi *dolores vagi arthritici* ab *arthritide propriè sic dicta* 1. quod *arthritis propria* sit fixa, quæ articulos in specie affligit & ibidem sedem fixam format, *vaga* vero fixum locum non habet, sed modo in hoc, modo in altero artuum solet cruciare ægros. *Curiosum* est quod fricatione panni calidi dolores mox remittant, mox in alio loco se manifestent.

2. Quod *podagra* ubi diutius afflixerit ægrum in articulis *ſolet facere tophos*, quod non fit in *arthritide vaga* ſcorbutica, ubi tumores non tales ſunt propter materiam contentam, ſed propter contracturas ſpasmodicas. 3. *Arthritis vaga* arctius affligit partes muſculoſas, *arthritis vera* ſaltem articulos; *dolores* nunc ſunt ſimpliciter *lacerantes*, nunc profundi *oſtocopi*, ſubinde nocturno tempore affligentes, utut ſint maxime *fixi* & quandoque *vagi*. Terminatur *arthritis vaga* nunc per *ſudores* & *urinam*, nunc etiam excipit *excretio cutanea* inſtar *purpuræ* & tota ſuperficies corporis fit aſpera; loco cujus interdum *excreſcentiæ parvæ*, item *puſtulæ* ſuperveniunt, quæ ſubinde excreſcunt. Notabile eſt quod ſi arthritidem vagam excipiat talis *purpura*, ægri tantum *pruritum* percipiunt, ut etiam fricando cutim detrahant; talis *purpura* eſt cum rubore corporis totius, inſtar Eryſipelatis. Non rarum eſt, imprimis in noſtrô clymate, quod *arthritis vaga* complicata ſit cum ſcorbuto, unde dolores & ſymptomata graviora eſſe ſolent. *Arthritis vaga* hæc præter dolores in artubus, ſimul ſolet affligere in ſpecie, dum recrudeſcit paroxyſmus, cum *graviſſimis anxietatibus præcordiorum*, quod fit in principio paroxyſmorum.

Fundamentum hujus pathematis eſt θ. *ſcorbuticum* vellicans fibras nerveas motrices carneas, magis tamen affligens partes tendinoſas in articulis. Pro *cura* ergò obſervandum ut in paroxyſmo 1. *impetus bis ſcorbutici refrænetur*, 2. *volatilibus appropriatis* vel per urinam vel per ſudorem iſtud *evacuetur*, 3. *remediis appropriatis* paroxyſmo declinante vel extra eum mali *recidiva præcaveatur*. Quoad *primum* peſſimè faciunt, qui in principio paroxyſmi uſurpant *volatilia* fruſtranea, potius uſurpantur *fixa* & impetum *bis ſcorbutici* peccantis refrænantia. Eminet hic *arcan. duplicat. Mynſicht.* ubi ſimul uſurpetur ♁. *diaphoret.* vel *cinnab.* ♁ *ij*, interdum *bezoard.* ☉*re*, interdum adduntur *bia fixa alcalia*, quæ nunc ſpontaneo ſudore, nunc per urinam levant ægros, ita ut ſymptomata remittant & dolores poſtmodum ſint mitiores. v. g.

℞. Arcan. duplicat. Mynſ. ℈j.
♁. diaphoret. ℈ß.
laudan. opiat. gr. ij. *in principio paroxyſmi.* Vel
℞. Arcan. duplicat Mynſ. gr. xv.
♁. diaphoret. ℈ß. M. poteſt addi *laudani opiat.* gr. j.

Poſtmodum fiat acceſſus ad *volatilia* eaque *generalia* cum *ſcorbuticis* mixta, imprimis tamen fiat acceſſus ad *appropriata volatilia lumbricalia*, quæ ſunt ſingulare ſpecificum in arthritide vaga ſcorbutica, *internò* pariter & *externo uſu*. Internè uſurpentur *crudi*, vel depurati, ſcil. conquaſſati *infundantur vino* vel *lacti* aut *ſero lactis*: Quod infuſum mediocriter expreſſum hauriat æger quotidie bis aut ter; *in vinò*, dum æger vinum ferre poteſt aut ſi abſit febris; *ſi vero adſit febris* ſeu phlogoſis, in *lacte*. Alii *decoquunt* ſaltem in dictis vehiculis & ſic propinant,

nant, ſed quia talia quandoque ægri horrent, propinentur *ſpiritus lumbrici* v. g. ex iisdem *ſpir.* per *putrefact.* qui in *ſero lactis* vel *lacte* ad ℥ß. egregius eſt; cum quo D.D. *Michaël* paravit *eſſentiam contra arthritidem vagam*, quando recipit plantas *arthriticas* & *nervinas* exſiccatas iisque affundit *ſpir. lumbricorum* & C C. *de proprio ſaturati* & cum his extrahit *eſſentiam*, quam nunc ſolùm ad ʒj nunc cum *eſſentia pini* optimè exhibuit. Convenit etiam *liquor piſtorius lumbricorum* in vaſe maſſæ panis incluſo paratus, qui datur ad ℥ß: Quibus imprimis *tartarea volatilia* addenda. Hiſce etiam declinante paroxyſmo uſurpatis, conveniunt poſtmodum remedia, quæ malum ex ipſis artubus, quantum poſſibile eradicant & talia ſunt *ex pino*; loco horum tamen non inconſultò *baccæ juniperi* aut ex iis propinantur remedia, imprimis ex *recentibus*, nam & harum vis balſamica in arthritide vaga eſt egregia; unde *rob juniperi* expectando ſudorem cum *antiſcorbuticis* mixtum eſt optimum; *abſinthium, helenium,* & ſimilia decoquendo & expectando ſudorem uſurpari poſſent. *Quoad externa*, in more quibusdam eſt, ut applicent partibus dolore vago correptis *linimenta oleoſa* ex *ol. lumbricorum, chamæmeli, pinguedine anſerina, anatis*; it. *ſebo hircino* &c. ſed malè: Scorbutus enim & affectus doloroſi ſcorbutici (quod etiam valet in paralyſi & contractura ſcorbutica) non ferunt talia, quæ poros oblinunt, ſed potius quæ conſervant inſenſilem tranſpirationem ſalvam. *Omiſſis* ergò his *pinguibus*, ad quæ refertur *balſamum podagricum Rulandi*, rejicimus etiam *fomenta de lacte* aut *cataplaſmata* ſimplicium in lacte coctorum; nam utut *cataplaſmata calida* poros recludant, tamen ſi frigeſiunt & quia humida ſunt, ſtringunt poros. *Fotus* ergò *ſicci* vel *ſuffitus* & *decocta lumbricorum* & *formicarum* calide toto membro excepta faciunt ut membra ſudent, ſub quo ſudore ſiſtitur dolor, in ſpecie ſi linteis calidis abſtergatur ſudor; *ſpir. lumbricorum*, aut *liquor*, item *ſpir. formicarum* cum *calc. viv. deſtillatus* affunditur ▽. vel S. V. item *ſpir.* ✱*ci* cum *calc viv.* ſolitarie vel mixt. cum *ſpir. baccarum juniperi* tepidè illinantur. *Si ardor & rubor in parte* dolente & quaſi *Eryſipelas* excitetur, in dictis *ſpiritibus* ſolvatur *camphora*, quæ ardoris ſenſum ſolet ſiſtere. Hiſce add. *cataplaſma ex ſtercore vaccino recente* ſubacto cum *lumbricis* contuſis, & tepide admotum parti dolenti, repetitum dolores ſiſtit; *Deckerus in Commentar. ad Praxin Barbett.* habet *tincturam balſamicam*, quæ videtur non inconcinna contra affectus quoscunque doloroſos.

Poſt arthritidem vagam ſcorbuticam nunc cum, nunc ſine ea ſcorbuticos affligunt *affectus paralytici*, quos ſolet excipere *contractura* artuum paralytica & quidem talis, ut ſaltem deficiat *motus*, *ſenſus* verò ſe rectè habeat, utut ſit nunc *doloroſus*, nunc *ſenſus formicationis*, nunc *lancinans*, & eſt quaſi compoſitus ex *lancinante* & *oſtocopo*. Hæc *paralyſis ſcorbutica* eſt grave malum quæ difficulter curatur, imprimis ſi inveterata ſit, in ſpecie *formicationis ſenſus*,

 quo

quo præſente vigil ſit Medicus ut poſſit præcavere paralyſin. Conveniens ergò eſt, ut præmiſſis *vomitoriis* in ſpecie incipiamus *curam*, ubi tamen ſit cautus Medicus & *ſi æger inclinet in dolores abdominis* ſcorbuticos, caveat à *vomitoriis*, ſic enim exacerbantur dolores abdominis; *ſi vero abdomen eſt ſanum* tutò poſſunt propinari imminente vel præſente paralyſi ſcorbutica; *præmiſſis* ergo illis vel *omiſſis*, præmiſſis etiam reliquis remediis nempe ♂libus, ſi levius ſit malum ſufficit *lac* vel *ſerum lactis* appropriatis *antiſcorbuticis* medicatum. In graviori vero malo juxta vel una cum *lacte*, remedia ex *pino*, *junipero* cum *aromaticis nervinis*, in ſpecie cum *roremarino* conveniunt, *per ſudores* evacuantia & curantia paralyſin ſcorbuticam. Quibus ſi accedat *ſpir. tartari volatil.* vel *ſimpl.* vel *compoſ.* erunt magis appropriata; nam ad paralyſin ſcorbuticam imprimis valent *tartarea volatilia* interne & externe uſurpata. *Externe* præterea, quæ monita fuerunt quoad arthritidem vagam, omnia externa poſſent uſurpari; imprimis fricanda ſunt membra & tunc *ſpir. dicti* applicandi ſunt optimè. Sic convenit *galbanetum Paracelſi*, in ſpecie in paralyſi ſcorbutica, quod illinendum eſt tepidè à radice membri ad poſteriora verſus. Juxta hæc conveniunt imprimis *vinacea*, quibus collectis & ſibi invicem impoſitis donec incipiant incaleſcere, immergatur æger uſque ad regionem iliacam. Hujusmodi *vinaceorum balneum ſiccum* aliquoties repetitum, ſudorem largum partibus infert, & paralyſin ſcorbuticam ſolvit; ſi non ſufficienter incaluerint, adſpergatur *calx viva*.

(e) Quod attinet *convulſionem ſcorbuticam* comitem fere *paralyſeos ſcorbuticæ* & ſcorbuti, dum corrugantur fibræ muſculorum & tendinoſæ à ♄e ſcorbutico, *differentia* obſervanda eſt inter *convulſiones* & *motus convulſivos*; motus convulſivi curantur per *lac*, in quo ſubactus ſit *ſapo Venetus*: Obſervat. proſtat in *Barbette prax:* Hi nihil fere particulare habent à ſupra dictis *remediis contra arthritidem vagam* & paralyſin; *lac* præ reliquis hic in uſu eſt, cui addunt remedia ex *caſtoreo*; in ſpecie cum *ſpir.* ✱*ci* & *ſpir. cochleariæ* vel compoſito ex ✱*cô cum cochlearia* deſtillatô, extrahunt ex *caſtoreo tincturam*, quæ in hiſce affectibus eſt egregia. Hic extollunt quidam contra Paralyſin ſcorbuticam *oleum* ſequens: Nempe ſi *oleo lini* affundatur *calx viva* & abſtrahatur, fit *oleum* petetrantiſſimum; *oleum* enim *lini* per ſe *deſtillatum* fit *adeo penetrans* ut forſan nullum *oleum* ei par ſit.

(f) *In ſuperficie artuum & partium externarum* porrò ſubinde effloreſcunt *maculæ*, ſemper tamen fauſtô ſignô: Opera ergo danda ut uſurpetur *cochlearia* & convenit *tinct. coralliorum antiſcorbutica*, quæ dictas *maculas* potenter expellit. Jam vero utut nihil malum in receſſu habeant, quia tamen quibusdam cutis nitori ſtudentibus ſunt moleſtæ, & etiam interdum majores ad exulcerationem diſponunt partes, ſubinde neceſſe eſt, ut *removeantur*; quod fit mediante

ſemine

semine sinapi, si tritum cum *aceto destillatô* redigatur in formam *linimenti* liquidi, quo in balneo loca illinantur & affricentur, quod etiam conducit in *maculis herpaticis*; Quodsi acrius fuerit

℞. Semin. sinap. ℥ij.
ol. amygdal. recent. ℥ß. l. ʒvj.
succi citri q. s. M. in consistentiam *linimenti* & affricentur eo

artus, ter vel 4. de die.

CAPUT XIV
DE
SEMINIS GENERATIONE LÆSA.

HActenus de affectibus utrique sexui communibus. Sequuntur jam cuivis proprii; ubi quidem inter morbos Sexui Virili speciatim infestos primò omnium *seminis generatio læsa* consideranda, quæ ferè triplex esse solet, dum aut *augetur*, aut *depravatur* aut *imminuitur*. Cum autem priores modi rarò occurrant, *imminutio* heîc maximè consideratur, quæ dicitur

DEFECTUS SEMINIS,

cujus *causa* duplex est, vel *ex defectu materiæ*, vel *ex vitio testium*. *In priori casu*, ubi semen deficit, sunt *effæminati, torpidi, languidi, minus alacres* & *Eunuchos* omnibus moribus imitantur. Deficit ergò semen ex *defectu materiæ*, quæ est pars sanguinis chylosa, dulcis & pinguis, adeoque plus minus viscosa, siquidem ob id in actu generationis genitura spumescit, quæ spumescentia propria est subjectis viscidis à materia subtili imprægnatis. Quicquid ergò substantiam hanc lacteam pinguem potest absumere, illud causa est *defectus seminis*, ut *ira, pravus victus, nimius labor*: Hinc subinde *pingues* & *corpulenti* minus abundant genitura, quia materia quæ alias suâ natura in pinguedinem facessit, nimis impenditur in supplementum pinguedinis. *Secunda causa* est *vitium testium*, quod vel in *defectu fermenti seminalis* vel in *conformatione*, in specie *testium tumoribus* consistit. *Fermentum* si est torpidum, enervatum aut minus activum, etiam deficit genitura: Nam *in spermate elaborando duo sunt* consideranda 1. *materiæ transcolatio* in testium substantiam, 2. materiæ transcolatæ *alteratio*, quæ fit à fermento testium. *Fermentum* tale, ut incumbit elaborationi seminis, ita cum sanguine & lympha ex testibus refluis M. Seæ permixtum insignem alterationem corporis excitat, & imprimis fermentum M. Seæ intendit; quo

 facit

„ facit *Hippocratis aphorismus*: Qui epilepsia corripiuntur, in iis anno 14. fit morbi solutio. *Fermentum hoc quid sit*, non potest determinari; probabile est *spiritus animales in testibus esse concentratos*, quæ volatili suâ efficacia materiam chylosam eò delatam in substantiam spermatis transmutant. *Confirmatur hoc*, quia omnia, quæ spiritus animales figunt, seminis generationi obicem ponunt, v g. *acida, vitriolata, nitrata* &c. *Acria* vero *volatilia* seminis generationem solent intendere. *Defectus* ergò & *inertia hujus fermenti* facit, ut deficiat genitura maris.

Causæ remotæ sunt variæ. I. *Frigus externum intensius*, quod imminuit generationem seminis, vid. *Salmuth. Centur*.3. *obs*.91. qui refert quod milites transeuntes per ▽, cum refrixerint testes etiam in iis animositas sit immutata. II. ☿. *vivus*, uti nervis inimicus, ita etiam testibus hostilis est; Testantur enim observationes, quod *ex inunctione* ☿ *ij vivi* ad fugandos pediculos enervata sit vis genitalis, restituta tamen per inunctionem *ol. destill. spicæ* tanquam *aromatici*. III. *abusus* ♀ *ris*, quæ dum frequentius ex ercetur aut nimis citò instituitur, enervatur vis testium, unde semen prius aquosum, postmodum defectuosum reddi solet: In tantum enim exhauritur fermentum ut non possit iterum restitui. Imprimis ad *vim testium genitalem* conservandam multum hæret in negotio *digestionis*; nimia enim ♀. notoriè *digestionem primam* perturbat & cruditatibus occasionem præbet. *Quando* enim *vis digestionis primæ languet*, appetitus ♀. deficit, partim *defectu materiæ*, partim *quod chylus non subeat rectam spirituascentiam*. IV. Quando læditur plus minus *testium conformatio*, in specie per *tumores*; si enim *tumidi* redduntur *testes* impeditur debita materiæ collectio seminalis. Inter *tumores* eminet *primò* *inflammatio testium*, quæ à causa externa frequenter solet subnasci, imprimis *à contusione testium*, à nimia equitatione, item *compressione* violenta & similibus, quæ contundunt & laxant testium substantiam. *Testes inflammati* redduntur admodum dolorosi; *dolor* est partim *lancinans*, partim *pulsans*; accedit partium vicinarum *rubedo* & *tensio*; testes *tumorem* & *duritiem* contrahunt insignem: *Tumores inflammatorii* sunt periculosi, nam nisi cito discutiantur, in gangrænam transeunt. *Secundus tumor* est *à flatibus*, imprimis inter membranas testem involventes collectis, in *pneumatocele*, h.e. quando *testes* successivè fiant *tumidi*, cum *tumore tensivo*, simulque *scrotum* in se est adhuc *rugosum*, ita tamen ut testis tumidus, si contingatur manu, *minus renitatur* & nunc plus nunc minus solet esse intensus *flatulentus tumor*. Origo *inflammationis* hujus *testium* est ex nutrimento spermatico membranarum testes obvolventium, quod vitiose alteratum & corruptum plus minus, ab acido vitioso per fermentationem inductô transmutatur in *flatus*.

Nempe

Nempe hîc omnia possent applicari quæ sunt dicta *de origine flatuum* in stomacho & intestinis. 3. Fiunt *tumidi testes ab* ▽. intra eorundem membranas contenta, quæ dicitur aliàs *hydrocele*. Alias *tumores testium* dicuntur *herniæ*, sed impropriè; quia tamen aliquam similitudinem habent cum *hernia vera*, quæ fit ex decessu intestinorum in scrotum, sic appellari possunt. *Hernia* ergò *hydrocele* oritur à lymphæ recursu ex testibus impedito, qui quando impeditur, supervenit *tumor testium aquosus*, cùm vasa lymphatica in quodam loco obstructa rumpantur & lympham effundant intra membranas testes involventes: Et in hâc *herniâ*, membranæ in quibus colligitur ▽, quò diutius durat hernia, eò solent fieri spissiores & tensiores, unde malum redditur contumacius. *Distinguenda* est *hydrocele* à *tumore scroti hydropico*; nam *hydropici* solent ordinariò incurrere *tumorem scroti*; nunc autem *tumor scroti* accrescit cum *ascite* & intenditur, nunc in *ascite particulari* abdominis, evacuata per paracentesin hydropicorum ▽. supervenit *tumor* ▽*sus scroti*, vid. *Barbette in Anatomia Practica*: *Prius fit*, dum ▽. collecta per processum peritonæi descendit intra cavitatem scroti; *posterius* quando scrotum utut flaccidum post evacuationem ▽æ repletur, quia ▽. ultra peritonæum ac musculos abdominis est & tunc ubi relaxantur partes descendit. Observandum autem est, quod interdum *hydroceli* propriè dictæ superveniat *tumor scroti* ▽*sus*, dum membranæ testium à lympha distentæ rumpuntur & ex iisdem lympha destillat in cavitatem scroti, in specie istius loci, cujus testes antea fuerunt affecti. *Malum hoc non facile cognoscitur*, in specie quando malum confirmatum & membranæ sunt spissiores, tunc enim similis est *herniis carnosis*. Interim testi si *hernia* ▽*sa* laborat, utut sit durus, potest ei induci fovea, quod in *carnosa hernia* non fit; item attendatur *varietas* ▽*æ collectæ*, scil. intra membranas internas tumor est oblongus instar ovi; si vero collectus est tumor intra tunicas intimas non potest percipi, nam testis ipse hunc relaxare solet: Et hic est tumor testiculorum qui vocatur *hernia carnosa*, qui testibus solet adnasci; nempe involvit testium parenchyma membranosum *musculosis fibris* simul instructum: Si ergo fiat occasione quadam externa, ut lædantur partim *fibræ nerveæ*, partim *carneæ*, circa dictas fibras læsas coagulatur & oritur *excrescentia* quædam *carnea* medii generis, intra fibras carneas & nerveas, quæ est nunc *dolens maligna* & *cancrosa* nunc *indolens*. *Sarcocele* hæc seu *hernia notha*, & excrescentia carnosa, nunc adnascitur *testi* ejusque summitati, nunc *scroto* seu membranæ scroti. *Hildan. Cent.* 4. *obs.* 64, refert quod *herniæ carnosæ* plurimum fiant in testiculo dextro, ▽*sæ* in sinistro: Sed nil est, quia promiscuè fiunt: *Riolanus enim in anthropologia* invenit in dextro testiculo hydrocelen. Probè autem observandum est non esse confundendam *herniam carnosam* cum

tumore

tumore prostatarum, quæ tumidæ redditæ speciem *sarcoceles* incautis inferre solent vid. *Barbett. in Chirurgia*. Sicuti interdum materia genitalis in epididymibus collecta & ibi suppressa speciem *sarcoceles* referre solet. *Inveterata hydrocele* propter densitatem membranarum *sarcocelem* interdum mentitur. Ultimus tandem est *tumor varicosus*, qui originem ducit ex venis & earundem valvulis, ob aliquod sanguinis impedimentum in ejusdem motu circulari, relaxatis & flaccidis factis; si enim sanguis circa valvulas hærens, ibidem stagnat, congrumatur, & vasa magis magisque reddit tumida, unde testes *tumorem varicosum* solent incurrere, ubi contactus testium inæqualis est, tuncque hinc inde *crispaturæ* quasi se offerunt, tumor autem inæqualis, nunc eminens, nunc depressus esse solet.

Prognosis: *Defectus seminis* per se malum non est periculosum, nisi quod Mares reddat generationi ineptos; interim tamen quatenus rebus obeundis minus agiles eosdem reddit, omninò curandus. Quoad *tumores*, difficiles sunt curatu *sarcocele* & *hydrocele*: *Sarcocele* si est *dolens* & *maligna* ♋*sa*, non est tangenda: *Pneumatocele* & *hydrocele* sunt sine periculo, nisi propter dolorem & tumorem sunt molestæ.

Cura: Variat hæc pro varietate causarum remotarum; 1. *succo chyloso* pingui & spiritibus plus minus turgido *materia seminis copiosa subministranda.* 2. spirituosis volatilibus, additis acrioribus & aromaticis, *fermentum testium* acuendum & robustius reddendum. 3. *Tumores* ipsi maturè *discutiendi* aut *emolliendi*, aut *aperiendi*, aut penitus *exsectione testis curandi*. Inter ea quæ defectui materiæ & enervato fermento testium dicata sunt, eminent, quæ vel *succum chylosum* pinguem suggerunt, vel quæ *acria aromatica* existunt; ubi *observandum* est, ut *cura stomachi habeatur* & digestio prima promoveatur. Jam ergò *quoad Materiam Medicam*, quæ copiosum succum suggerunt, sunt *lac* & *lactea*, imprimis tamen *muliebre* ex mammis suctum: Hinc *semina*, succo lacteo turgida & *amygdalæ dulces*, *pineæ*, *castaneæ*, *succolata Indic.* *ostreæ* & *conchæ*, *vinum dulce* & *generosum*, imprimis *Hispanicum* & *Malvaticum* sub introitu lecti conveniunt. Ex his parantur *emulsiones*. Faciunt huc *ova* imprimis *vitellum ovi* recenter assumtum. Hiscè accensendi sunt *testes gallorum*; item *farcimina ex cristis* & *testiculis galli*. Quæ spirituositate & acrimonia volatili fermentum testium intendunt, sunt *radices satyrii maj.* & *bulb.* In *satyr.* hisce unus bulbus turget, alter flaccidus est; *radix zingiberis* tam *pulverisata*, quam in *India condita*, *syrup. de zingib.* *semen erucæ*, *sinapi*, *fraxini*, *anisi*, *fœniculi*, *nasturtii*, *urticæ*, *aromata*, in specie *cubebæ*, *caryophill. galanga*, *cinamom. cardom. castoreum*, *borrax Venet. baccæ sabinæ* pulverisatæ, item *baccæ ari* conveniunt. Ex his fiant

variæ

variæ *species officinarum*, *diagalang.* &c. Hiſcè adde quæ κατ' ἐξοχὴν ♀rem armare dicuntur, ut *Ambra*, *Moſch. Zibeth* cum *ol. deſtill. aromat.* ſubacta & impregnata. *Spiritus formicarum* & ∇. *magnanimitatis* externè & internè commendatur; vel quod *Comes à Pappenheim* habuit in uſu, *ſanguinem* nempe & *cerebellum paſſeris* in actu ♀reo transfoſſi vel interfecti; pertinet huc *ſpir. galli ex ſanguine galli* aliquantulum putrefacto, item *mixturæ* & *electuaria* quæ ♀ eam vim intendunt; *Timæus* ſeq. habet:

℞. ∇. magnanimitat. ℥iij.
cinamomi.
Eſſent. ſatyrion. aa. ℥iij.
Tinct. coralliorum ℥ij.
Eſſent. ambr. ʒj. M.

In legitima autem eorum uſu *obſervandum*, ut ſemper hæc invicem *mixta* propinentur, *non ſtimulantia ſolum*, quia imbecilles reddunt, *non lactea ſolum*, quia vim genitalem ſpirituoſam minus ſuggerunt; ambo ergo combinanda. Hinc optimum eſt ad imitationem *Solenandri* ut *lac* recipiatur v. g. ℥ij. & addatur *ſacchari* & *piperis* aa. ʒß. quod in ſpecie tempore æſtivo optimũ judicat *Solenander*. Vel ℞. *Vinum generoſum Malvaticum* vel dulce & add. *vitell. ovi recens*, acuantur aliquot granis *ambræ* vel *ſpecierum aromaticarum* & bibant; faciunt huc *Mixturæ*, *Eſſent.* & *ſimil.* in ejusmodi caſibus uſitata. v. g.

℞. Species diaſat. ℥ij.
diagalang. ℥ij.
diambr.
diamoſchi dulc. aa. ℈ij.
rament. pudend. cervi *dum erat in* ♀. ℥iß.
nuc. pinear.
piſtac.
amygd. dulc. aa. ℥ß.
ſem. erucæ
naſturtii
urticæ aa. ℈j.

Terantur & fiat cum melle *conditum*. Conveniens eſt ſi tale conditum ſæpius irroretur cum ∇. *magnanimitatis* vel ſpiritu *ſanguinis galli*. Alii

℞. Vitell. ovor. n ij.
ambr. cuſpid. cultelli n. j.
ſacchari cuſpid. cultell. iij.

Mixta probè cineribus & calide blandè coire permittantur, quod una vice hauſtum ♀rem ſtimulat. *Electuar.* contra defectum ſeminis uſurpandum fit ſeq.

℞. Confer. rad. eryngii
satyr. aa. ℥iij.
zing. virid. condit.
cortic. citri condit. aa. ℥ß.
amygdal. dulc.
nucl. pin.
pistac.
dactyl.
pulp. nuc. Myrist. aa. ℥j.
priapi tauri ℨij.
sem. pastinac.
erucæ
sinapi aa. ℨij.
piper. alb.
galang. aa. ℥ß. M.

Fiat *electuarium*, quidam addunt *cantharides*, sed non convenit: Conveniunt saltem *cantharides* ubi deficit erectio penis. Cum hisce socientur *externa*, speciatim *balsamum apoplecticum*, aut ♀*reus Mynsichti*, scroto illitus; loco horum *ol. destill. macis* perinæo, regioni pubis & scroto blandè illitum est egregium, possunt addi aliquot guttæ *ol. destill. caryophyll.* & *spicæ*, vel dicta *olea* excipiuntur *axungia castorei* & dictis locis illinuntur:

℞. Ol caryophyllor. dest. add. grana aliquot zibeth.
mosch. aa. q. s. F. *balsam.*

qui scroto testibus & regioni pubis illini potest. *Spir. formicarum* externe illitus intendit ♀rem.

Quoad *Tumores*, eos inter primatum ducit *inflammatio testium*, ad quam nil melius est *cataplasmate* ex *farina fabarum*, vel solâ vel cum *acet. destillato vini* mixta vel etiam cum *oxycrato*. Si vero *cataplasma* fit acrius, commode potest addi parum de *lythargyr.* sic dulcescit *ac. dest.* vide *Riv. Cent. 2. observ. 39. Cent. 3. observ. 1. Cent. 4. observ. 74.* Confert etiam *cataplasma* hoc si inflammatio testium fiat vel sequatur gonorrhæam virulentam; interdum *farinæ fabarum* add. *semen cumini* v. g.

℞. Farinæ fabarum ℥iij.
pulv. semin. cumini ℥ß. M.

Cum vino redige in formam *cataplasmat.* Nobile etiam simplex est *agrimonia* vel sola vel cum dictis maritata, unde ex *herb. agrimoniæ* cum *farina*, vel *ex agrimonia* & *radice cucumeris asinin.* cum vino coctis fit optimum *cataplasma* ad

testium

testium inflammationem; si dolores urgent addatur parum de *foliis hyoscia-mi.* Cataplasma ex *foliis rutæ* cum *acet. dest.* laudatur ab *Hartmanno*, item quod fit ex *foliis Nymphææ* & *nasturtii aquatici*, quod cum *oleo rosarum* applicari potest; egregius etiam est *fotus* ex *decocto rad. Chinæ* in cerevisia, qui applicatur testibus, præsertim si inflammatio dictarum partium fuerit ex gonorrhæa vel benigna vel maligna. Fit interdum ut ex applicatis acrioribus externis oriatur inflammatio dictarum partium; optimus ibi *fotus ex lacte* est, cui incocti sunt *flor. chamom. sambuci.* Hisce irritis expectetur inflammationis suppuratio, ad quam promovendam optimum est *empl. Filii Zachar.* malaxatum cum *balsamo sulph. terebinthinato*, quod abscessus maturat; suppuratus abscessus scalpello aperiendus & apertus more aliorum ulcerum est tractandus; juxta hæc *sudorifera* sunt propinanda.

Hernia flatulenta curatur omnibus iis, quæ aliàs *carminativa* dicuntur, qualia sunt quæ de flatibus dicta sunt. His *externe* accedunt *fotus discutientes*, inter quos usitatus est iste ex duplo scil. *fabarum farin.* & parte una *seminis cumini*, in quorum defectu commode usurpari possunt *baccæ lauri*, imprimis subacti cum *fimo vaccinô recenti*, quod *cataplasma* mirè discutit; neque inelegans est *fotus:*

℞. Sem. coriandri ℥ß.
cumini
anisi aa. ʒij.
O. ʒß.
vini & ▽. aa. ℔j. coq. invicem & intincti panni applicentur loco *hernioso ex flatibus*; & hæc conferunt quoque in *hydrocele*, ubi tamen dictis *balsam. sulphuris*, vel *terebinth.* vel *juniperinus* commode additur, si nempe calide herniæ flatulentæ illinantur imponendo desuper *empl. diasulphuris Rulandi*; si acrius fuerit & excoriationem scroti minatur, potest temperari cum tantillo *ol. nuc. moschat. express.*

Hernia aquosa incipiens curatur remediis, *confirmata* vero nonnisi per *Chirurgiam*: *Medicamenta interna* sunt, quæ serum superfluum evacuant & imprimis ex elaterio. *Externe*

℞. Unguent. dialth. ℥iij.
balsam. sulph. terebinth. ʒiij. inungatur scroto calide; *si est debilius*, convenit hoc *emplastrum*

℞. Emplastr. de baccis lauri
stercor. caprini aa. ℥jß.
sem. cumini, flor. sulph. aa. ʒij.

malaxetur f. q. *ol. rutæ* & *chamom.* applicetur ſcroto tam in *hernia* ▽*ſa*, quam in *tumore ſcroti hydropico.* Loco hujus *emplaſtr. carminativ. Mynſichti*

℞. Flor. chamæmel. parietar. aa. mij.
fabarum farinæ ℥j.
ſtercoris caprini ℥iij.
pulv. teſtar. cochlear. ℥ij.
c. f. q. chamæmel. & acet. vini redigantur in conſiſtentiam emplaſtri, ſcroto tumenti applicandi.

Verum in *hydrocele confirmata* nil præſtabunt. *Signum confirmatæ* eſt, quando 1. tumor iterum circa teſtes eſt admodum durus & renitens tactui, hoc enim manifeſtat inſignem ſpiſſitudinem membranarum, lympham in ſe continentium. 2. Quando hic tumor eſt perpetuo in magnitudine eadem, neq; habet ſuas viciſſitudines & potius incrementum quam decrementum agit. *Opera* ergò *Chirurgica* eſt vel *punctura* vel *caſtratio*. *Punctura* tutiſſimè inſtituitur in hydrocele; in tumore vero ſcroti hydropico non caret periculo, quia ſcrotum facile in gangrænam abit, ſed quia punctura non radicitus malum curat, ſubinde neceſſe eſt, ut *exſcindatur teſtis cum tumore* ▽*ſo*: Diſciſſo ſcroto extrahitur teſticulus & ſupra tumorem vaſa præparantia fortiter filo ligantur & ſimul teſtis exſcindatur.

Sarcocele incipiens poteſt tolli *pharmacia*, *confirmata* tamen nonniſi ipſius *carnis*, ſcroto vel teſti adnatæ *abſciſſione* vel *teſtis* ipſius *exſectione* vid. *Barbett. in Chirurgia.* Hæc ergò pro ſui cura poſtulat externè *gummata*, interne remedia *terrea alcaliſata*, quæ in ſtrumarum cura ſolent eſſe in uſu. v. g. *pulv. contra ſtrumas*, *pulv. ex ſpongia combuſta*, ex *terr. ſigillat. lap. ſpongiæ*; expertus eſt *pulv.* ex *rad. ononidis*, de quô vide præter *Matthiolum Scultet. in armamentar. Chirurgico. Bartho l. l. 4. obſ. 52.* Externè primatum ducunt *gummata* penetrantia & *reſolventia* & hujusmodi tumores nunc *emollientia*, nunc *ſuppurationem* promoventia.

Hæc ſaltem fiant in *ſarcocele benigna*; in *maligna* non. Convenit igitur externè *emplaſtr. Paracelſ. contra herniam carnoſam*

℞. Gumm. opoponac.
ſagapen.
ammon.
galbani aa. ℥j.

Diſſolve in ▽. *roſarum* & inſpiſſa & c. f. q. *olei Philoſoph.* redigatur in formam *empl.* ſpiſſi, applicetur ſuper locum hernioſum integrum & geſtetur per aliquot ſeptimanas; ſic dicit *Paracelſus* tumorem aut ſuppurari, aut ſi fuerit recens penitus diſſolvi & diſcuti. *Si ſuppuratur* loco convenienti, aperiatur & apoſtema apertum

apertum *emplastr. stiptico* debito modo ulterius tractandum & consolidandum venit. Si non metuat æger de impotentia ♀ ea, optimum est applicare *emplastr. de ranis Vigonis cum ☿rio* quod est egregium, sed propter *☿rium* periculosum ne destruatur vis testium; facit huc *empl.* quod commendat *Lotichius*

℞. Gum. ✱c. ℥jß.
bdell. ℥j.
farin. sem. sinap.
urtic.
lapid. spong. aa. ℥j.
aristoloch. rotund. ʒvj.
sulph. ℥ß.
terebinth. ℥j.
S. V. ℥jß.
ol. ovor. ℥jv.
ceræ ℥vj. M. & redigantur in formam *emplastri* herniæ carnosæ applicandi. *Thermarum* usus externus sarcoceles, si non plane discutit, earundem tamen excrementum avertere solet.

Hernia varicosa inveterata non curari potest citra *Chirurgiam*; in *recenti* convenit *emplastr. de mucilaginibus*, mixtum cum aa. *gummi* ✱*ci* in vino soluti; vel *oleum Philosophorum* probè rectific. illitum loco herniæ discutit eosdem tumores; vel ℞. *Unguent. Basil.* cum *pinguedine* & *medulla animalium* emollientium, misceatur & applicetur, donec emolliatur tumor varicosus. *Thermarum usus* solet & hic esse commendatus.

CAPUT XV
DE
SEMINIS EXCRETIONE ET RETENTIONE LÆSA.

SEminis *retentio* & *excretio* læditur 3. *modis*. 1. Quando semen *citra coitum* effunditur. 2. Quando in congressu *nimis citò* ejaculatur. 3. Quando *nimis tardè* in coitu emittunt. *Quoad primum* si fiat moderate tempore nocturno cum insomniis ♀reis, vocatur POLLUTIO NOCTURNA; verum si excretio seminis fiat nimis frequenter, copiosa, idque citra tentiginem, seu interdiu, sive noctu, vocatur GONORRHOEA. Hanc *Gonorrhœam* doctrinæ melioris gratia dividunt in *veram* & *notham*:

GONORRHOEA VERA

est, quando *liquor seminalis* in testibus elaboratus *effluit*, isque *crebrius* & *copiosius*,

ſius, tam *noctu*, citra tentiginem, quam *interdiu*, flaccido etiam pene; fit hinc ut *ægri* tales *fiant graciles* circa lumbos & *impotentes in motu*: Conqueruntur de *laſſitudine*, *capitis debilitate*, *viſus & oculorum fulgor* perit; tandem fiunt *tremuli*, *appetitus perit* & ad *tabem dorſalem* pergunt. *Pars affecta* ſunt *veſiculæ ſeminales*, in quas *ex deferentibus* defertur *ſemen*, & in quibus ſolet retineri, donec vel ſpontaneo impetu vel in coitu debeat effundi.

Cauſæ gonorrhœæ veræ triplicem agnoſcunt *fontem* I. *nimia copia & abundantia ſeminis*, una cum laudabili ejusdem conſiſtentia, unde non tantummodo ſtimulus ♀ris crebrior urget, ſed ubi turgeſcere incipit, mox erumpit & cum voluptate ejaculatur. *Fit hoc imprimis dormientibus* quando diutius dorſo reſupinati incumbunt, ſic enim loca poſteriora admodum & intenſe incaleſcunt & à calore ſanguis iſtorum locorum redditur fervidus, unde ſemen nonnihil incipit turgeſcere & erumpere; *rara eſt cauſa in vaſis*, quæ ut noctu faciunt ejaculationem ſeminis, ita interdiu quoque; quod fit eo facilius, quando *veſiculæ ſeminales* ſunt *laxiores* ſeu flaccidiores, ſic levi turgeſcentia ſemen per aperturam in urethram tranſit, *quod autem effluit* eſt laudabile. *Diſponunt* ad hanc cauſam *victus laudabilis* & *vitæ genus ſedentarium* & *cogitationes* de re ♀rea.

Secunda cauſa eſt *nimia acrimonia ſeminis*, ratione cujus irritantur partes genitales, & in ſpecie veſiculæ ſeminales continuò pruritu ♀ eô laborant, unde vicini muſculi & veſiculæ ſeminales ad ſui contractionem incitantur, & ſemen exprimitur. *Semen* in principio apparet laudabile, attamen nunc eſt magis *tenue* & *ſeroſum*, quò nempe eſt acrius, eò magis tenue &c. *Acrimonia* tunc peccans ſolet eſſe *acida* utplurimùm, quæ cum ſero ad dictas partes delata, ſolet irritare has partes; hinc in *ſcorbuticis* & iis qui laborant *malo hypochondriaco* confirmato, ſubinde venit *gonorrhœa*, ex acido ſcilicet. Aliàs etiam à *cauſis externis ſtimulatæ veſiculæ ſeminales* inferunt talem gonorrhœam. Sic poſt *purgantia* ſumpta ſæpius ſtimulantur partes genitales & ſequitur ſeminis excretio. Sic *cantharidum uſus* acrimonia ſua vellicando veſiculas ſeminales ad gonorrhœam talem diſponit. *In ſpecie obſervanda* eſt *materia excreta*, uti dictum.

Tertia cauſa eſt *nimia veſicularum laxitas* & *flacciditas*, cum *orificio* earum in urethra *minus clauſô*, ſed facile apertibili, tunc enim ſemen, dum non rite continetur, facile effluit. Malum hoc ferè ſemper *cauſam* agnoſcit *antecedentem*, manuſtuprationem. *Semen* autem effluit fere ſine ſenſu, ſaltem in anteriore penis parte ſentiunt. *Semen* nunc *craſſum* nunc *tenue* & nonnihil ſeroſum. *Prius ſi effluit*, ſignum eſt teſtium vim adhuc eſſe laudabilem; *ſi vero effluit tenue*, ſignum eſt per iſtam ſtuprationem vim teſtium generativam eſſe enervatam, unde ſeminis loco ſaltem liquor ſeroſus effluit. Vix ſponte à *cauſa interna* dicta

laxitas

laxitas induci poteſt, & frequentior eſt hæc *gonorrhœa* & poſt hanc *lues ♀ea*, quod malum per ſe patet.

Quoad *prognoſin*: *Grave eſt malum*, ſiquidem ſi diutius duret, tandem ægros tales ſolet interficere, vel eosdem in operationibus hebetat. *Inveterata* difficile curatur, *nec inveterata ſtatim ſupprimenda*, ne ſuppreſſa materia interdum à naturali ſtatu deficiens circa teſtes varia inferat ſymptomata.

In *cura* obſervandum, ut *ſeminis copia imminuatur* vel *acrimonia corrigatur*, vel *laxitas reſtituatur*. Cum omnibus his *habenda* eſt *ratio teſtium*, ne *remediis* quibusdam præpoſterè adhibitis deſtruatur vis generativa.

Remedia ergò quæ *primo ſcopo* ſatisfaciunt ſunt talia, *quæ materiam* ex qua fit genitura *parciorem faciunt* & *fermentum teſtium obtundunt*: Inſtituatur ergò *diæta* parcior ex *alimentis* paulo *acidioribus*, minùs chyloſum ſuccum ſuggerentibus, una cum *vigiliis* & *exercitiis* corporis &c. Quæ *partim* chyli cum ſanguine aſſimilationem faciunt, *partim* per tranſpirationem eundem imminuunt. Quæ *fermentum teſtium enervant* ſunt *acida*, *vitriolata* & *nitrata*, præ reliquis *ſpir. nitri* & *nitrum crudum*, doſ. ℈j *bis* vel *ter* aſſumta ſunt egregia; loco horum *temperata* ſunt *ſucci citri* & *limonum*, qui ſunt optimi in gonorrhœa à ſuperflua ſeminis generatione. Vel

℞. ▽. roſar. ℥iij.
ſucci citri vel limonum ℥j.
album ovi crudi n. j.

Mixta quolibet die ſolent uſurpari, una vice ab ægris gonorrhœa ſeminis laborantibus. *Solutiones coralliorum cum ſucco citri* laudantur. *Semina agni caſti*, *cannabis*, *papaveris*, quacunque ratione uſurpata, ſolent ſiſtere has gonorrhœas; uſurpatur etiam ex his *emulſio* v. g.

℞. Sem. agni caſti ℥iij.
papaveris albi ℥j. c. ſ. q.
▽. Nymphææ f. emulſio adde
magiſter. corall. cum ſucco citri ʒß.

edulcora parum; potens eſt *ſemen cannabinum* ſed quia hoſtile eſt ſpir. animalibus, cautè uſurpetur. *Nymphæa alb. galeopſis millefol. alb.* ſunt optima; hinc

℞. Herb. galeopſid flor. alb. m. ij.
millefol. fol. alb. m. j.
ſeminis agni caſti ʒvj. M. & contuſa

Coque in ſ. q. ▽. *rutæ* vel *menthæ* vel *ferrariorum*, propinetur pro lubitu. Pertinet huc *eſſentia caſtorei*, quam vide in *Mynſicht* & *Riverio*. Quoad *ſecundum ſcopum*, quando gonorrhœa frequens eſt à cauſa interna conveniunt, *quæ acrimo-*

niam

niam istam acidam temperant & corrigunt & simul vi styptica prædita sunt. Conveniunt ergo *solutio corall.* & *Tinct. corallior.* Hinc *♂lia, crocus ♂tis adstringens*, it. *succinata*, & quævis ex *succino præparata*; *trochisci de carabe*, item *ol. destill. succini* aliis additum. Faciunt huc *ossa sepiæ præparat. crystall. mont. præp.* *♁. diaph. mandibul. lucii piscis, saccharum ♄ni*, vid. D. D. *Michael*, qui usurpavit *pulverem ossis sepiæ cum ♁. diaphoretico* mixtum. Alii usurpant *pilulas ex terebinthin. Cypr. cum croco ♂.* mixtas; facit huc *pulvis Hartmann.* qui vid. in *Praxi Chymiatr.* Nec inelegans est *conditum Lindani*:

℞. Conserva rosarum rubr.
menth. crispæ aa. ℥jß.
ossis sepiæ præp. ʒij.
borracis instar O. calcinat. ℥j.
N. M. ʒß.
c. syrupi de rosis siccis q. s. M. F. *Electuarium*.

Borrax sit calcinata, cruda enim intensissimè ♀rem stimulat, sed calcinata, quatenus relinquit *cap. mort. stypticum*, in gonorrhœa est optima. Facit huc *succus millefolii* ad ℥iij. cum *lacte dulci* vel *succo lactucæ*, mixt. cum *camphora* & propinetur, temperando sic fervorem materiæ seminalis.

Tandem *si oriatur gonorrhœa vera ex vesiculis seminalibus flaccidis*, conveniunt *adstringentia* v. g. *Tinct. sulphur. vitriol, pulv. de trochiscis de carabe, Tinct. croci ♂. adstringentis, terr. sigillata, bolus Armena* cum *aceto, saccharum ♄ni* & hinc *tormentilla* ejusque *extractum*, v. g.

℞. Extract. tormentill. ℥j.
sacchari ♄ni ℥ß.
camphoræ ʒij. M. f. *pilulæ*.

℞. Extract. tormentill. ʒij.
sperniol. Croll. compos. ℈ij.
pulv. semin. agni casti, plantaginis,
rad. consolid. maj. aa. ℈ß.
terebinth. Venet.
camphor. aa. gr. xij. M. f. *pilulæ*.

Sic & *thermarum usus* convenit. *Si semen sit ▽sum*, tenuius & serosius, convenit *lac* cum *oryza decoctum*, quod serum temperat & lacteum reddit; conveniunt etiam *ova cum aromatibus*. *Si sub cursu vel sub principio morbi purgare velimus*, usurpemus cum *purgantibus terebinthinam*. Jam sequitur

GONORRHOEA NOTHA BENIGNA.

Hæc est, *quando loco materiæ seminalis aliud liquamen effluit*: Hanc faciunt *duplicem*

cem, vel *malignam* nempe vel *benignam*: Illa etiam dicitur *virulenta*: **Benigna** est, *quando continuo citrà causam manifestam* & prægressum actum ♀ reum *effluit* ex pene *liquamen aquosum, tenue, citra ullum sensum*; fluxus talis aquosus diutius subinde continuat, sine intermissione & citra insignem noxam, & hinc fere respondet *fluori albo mulierum* unde à quibusdam vocatur *gonorrhœa catarrhalis*, de quô vid. *Laur. in Conf.* 10. *p.* 60. it. *Lang. in Epist.* 22. *Schneid. lib. de Catarrh.* 3. *pag.* 113. & 390. Sicut *fluorem illum mulierum* hac quoque ex ratione *coryzam uteri* vocat *Valent. in Epist. de Nova Matr. & Morbonæ mulieb. Anat:* Id quod *Dn. Dolæo* quoque non displicet in *Encyclopæd. Med. Pract. ubi de fluore albo.*

Subjectum *hujus gonorrhœæ* sunt *prostatæ glandulosæ*, de quibus *vid. Graefius*; dum igitur naturaliter subjecta hæc emulgent lympham sui generis, sive humorem limpidum aquosum tenuem, hinc talis humor frequenter ibidem emulgetur ex M. S. & sic continuo citra ♀ ris exercitium effluit, ut fiat purgatio totius M. S. Nempe quod in faucibus *tussis* est & in oculis *illachrymatio*, hoc talis *gonorrhœa* in viris.

Causa est *latex* ▽ *sus copiosus* & serosus in M. S. *ex deficiente* tam *chylosi* quam *hæmatosi* congestus, quæ substantia serosa, per dictas *prostatas glandulosas* uberius elicitur, inde quoque excernitur & separatur & si illæ *prostatæ* vel *flaccidiores* vel *molliores* vel alio modo læsæ existunt, fit laticis excretio.

Causæ remotæ sunt, quæcunque occasionem suggerunt, ut copiosus latex generetur in M. S. In specie præcedere solet *stomachi labes*, non rite digerentis alimenta, unde cremor aquosior & salsior factus non potest suggerere sanguinem laudabilem, quin potius talia subjecta ad *cachexiam* inclinant.

Prognosis: *Malum est maximè periculosum* & prodromus est vel comes cachexiæ.

Cura *ad gonorrhœam* minus dirigenda est, est enim saltem symptoma, sed *radix morbi* & *primus fons* est *corrigendus*, nempe cruditas M. S; hinc *serum superfluum per sudorem & urinam evacuandum* & insessione *thermarum* prostatæ laxatæ in statum naturalem redigendæ sunt.

Remedia quæ hic conveniunt in *cachexia* & *affectibus catarrhalibus* dicta sunt: *Ergò affectib⁹ his ratione cachexiæ* & digestionis primæ *amaricantia aromatica* conveniunt: *Ratione seri superflui juniperina, sassafrata, succinata, absinth.* & *mentha* conveniunt, quibus præmittenda sunt *acida* & ♂ *lia*. Quodsi vero

GONORRHOEA VIRULENTA

seu *gonorrhœa notha maligna* adsit, *quæ coitu impuro cum fæmina lue* ♀ *rea* inquinata *contrahitur* & quidem tali, ubi malum illud ulcera in vagina uteri excitavit. Tales enim fæminæ aptæ sunt, ut per coitum virulentam gonorrhœam mari possint communicare. *In his autem effluit primò semen tenuius*, postea redditur pedetentim *acrius*, hinc supervenit *dolor acerbus* primariò circa penis caput, ubi sunt prostatæ glandulosæ, & quidem *talis dolor, ut nunquam urina sine acerbo dolore mitti possit.* Liquamen quod effluit graves *dolores* excitat *per universam urethram*, liquor effluens degenerat successive in *pallorem citrinum*, tandem *cœrulescentem*, supervenit tunc *tumor præputii* &c. Nam *liquor* hinc inde reliquias ponit *intra præputium* & purulentum reddit tandem *tumorem* infert, ut difficile possit detrahi de glande, unde in conjunctione *ulcuscula* fiunt. Materia effluens in tantum acrescit, ut *urethram* interdum *exulceret* & *excoriet*; in isto loco concrescit *verruncula*, quæ vocatur *caruncula penis*, quæ tandem aucta *urethram obstruendo* urinæ excretionem impedit.

Causa hujus gonorrhœæ est *fermentum Gallicum* per coitum cum infectâ, quæ *ulcera in vagina uteri* habet, haustum. *Subjectum* sunt *prostatæ glandulæ*, raro enim ulterius repit, ut etiam ipsos *testes* arripiat, vid. *Barthol. Cent. 3. histor. 36.* Siquidem observantur in talibus ægris *prostatæ glandulosæ ulceratæ* & quasi *excoriatæ*; nam dum in coitu incalescunt partes genitales, fit ut *ulcera vaginæ uterinæ* exhalent *miasmata acria*, quæ se insinuant in cavum urethræ, & penetrant in *prostatas glandulosas*, deinde *vi fermentativa* inquinant lympham dictarum prostatarum, quæ *lympha inquinata acrescit, acescit*, & à naturali statu degenerat in *virulentiam*. Hinc à tali *specifico acore* ♀ *reo* liquor corruptus pedetentim effluens urethram & præputium inquinat.

Prognosis: *Malum hoc in principio* leve est; sed *in progressu* excoriat glandulas & quandoque absumit; interdum ulterius serpit per vasa præparantia & *testes inquinat*, hinc *cum sanguine universum corpus* inquinat: Frequentius superveniunt *bubones glandularum in inguinibus*, quod bonum est: Nisi enim hoc fiat, certum est, universum corpus correptum esse, quod etiam fit si sponte iterum disspareant.

Cura imprimis ♀ *reum acidum peccans corrigit*, hinc *balsamica*, dicta loca *abstergentia* & *consolidantia*, & *reliquias* ex corpore & M. S. *removentia* conveniunt;

veniunt. Ante omnia ergo *purificetur corpus*, sive instituatur *purgatio mercurialis*: Nempe præscribantur *pilulæ* factæ *ex ☿rio dulci cum extracto hellebori nigri* vel *panchym. Crollii.*

℞. Extract. panchymag. Croll.
☿. dulcis à gr. xv.
extract. troch. alhandal. gr. ij. c. s. q.
terebinth. fiant *pilulæ.*

Loco ☿. *dulc.* laudatur *præcipit. viridis* cum *calc. viv.* paratus vid. *Schröderus*. At usus hujus *præcipitati viridis* primitus quidem videtur augere malum, sed bonum est signum, si enim continuatur, tandem cessat; vel fiant *pilulæ ex terebinthina* & ☿. *dulci*, quæ non tantùm *laxant*, sed & *gonorrhœam respiciunt.*

Evacuato corpore cum ☿. *dulci* seu semel seu repetitis vicibus, usurpentur *balsamica, appropriata*, dicta loca abstergentia, inter quæ eminet *terebinthina*, in specie *balsamus sulph. terebinthinatus*, post *juniperinus*, usurpetur *bis in die* dosi *gutt.* 8. ad 10. continuetur aliquandiu. Juxta *balsam. sulph.* nobilis *balsamus de copaiba* longe excellentior *balsamo Peruviano*. Hic præter *usum externum Chirurgicum*, specificum est remedium in gonorrhœa virulenta, uti etiam in stranguria *dos. gutt.* 30. in vehiculo calido assumtus, & fuit experimentum *Lindani*. Juxta hæc convenit *extract. tormentillæ* cum *saccharo ♄ni* & *ol. destill. terebinthinæ* in formam *pilular.* redactum. *Gummi ligni Guajaci* est specificum optimum, ex quo cum *Tinct. tart.* vel S. V. *Tartarisato* elicitur *extractum*, quod est egregium in ▽. *plantaginis* assumtum. *Essent. lignorum* & *extractum lignorum* quoque conveniunt. Hisce addatur *infusum cantharidum* in *S. V.* parandi modum vid. in *Barthol. lib.* 4. *Epist. p.* 343. Euporiston commune est si ℞. ☿. *vivus* bulliat in ▽. *simplici* per aliquot horas, hinc ▽. ista assumatur aliquamdiu mane & vesperi, & est egregium remedium.

Præter dicta *ulcera* sunt quoque quædam *in prostatis glandulosis vel urethra*: Conveniunt ibidem *injectiones per siphonem* in penem, quæ parantur ex ▽. *calc. viv. aloë, melle*, ☿. *dulci* & similibus, sicut in usu mihi est seq.

℞. ▽. calc. viv. ℥jv.
aloes
myrrh. aa. ʒß.
mellis ℥vj. M. F. *injectio* in penem cum siphone; potest etiam addi ☿. *dulcis* loco *aloes*, vel *decoctum* ☿. *dulcis* edulcoretur cum *melle*, quod pro tali *injectione* in usu esse solet vid. *Scultet. in armamentar. Chirurg. observ.* 74.

Ulcera inter præputium & glandem verò curantur, sequenti *linimento*:

℞. Unguent. diapomphol. ℥ß.
aloës
☿. dulc. aa. gr. xv.
c. f. q. mellis rof. F. *Linimentum*.

Sequitur jam *secundum* in *excretione vitium*, nempe

NIMIS CITA SEMINIS EJACULATIO.

Causa ejus est *duplex* vel 1. *vesiculæ seminales sunt nimis laxæ* & earum *orificium patulum* aut nimis hians, ut levi partium attritu semen turgescens per dicta orificia erumpat. Vel 2. *nimia spirituositas & turgescentia seminis*, dum uberiori impetu spiritus animales turgescere illud & erumpere faciunt.

Vitium prius curatur commodè blande adstringentibus, quæ laudata in *gonorrhœa ex nimia vesicularum seminalium laxitate*.

Posterius curatur per *opiata*, quæ hujusmodi actum minus reddunt continuatum, figendo spirituum animalium impetum & refrænando ita seminis ejaculationem. Pertinet huc *arcanum ex ambra* & *opio* quod in *pilul.* redactum dicitur stimulare ♀ rem & actum ♀ reum efficere diuturnum.

Præter hæc verò *tertio* consideranda est

NIMIS TARDA SEMINIS EXCRETIO,

quando *tardius justò excernitur semen in coitu*, idque etiam in specie *à defectu spirituum animalium*, indeque *deficiente turgescentia ipsius seminis*. Accedit cum hac deficiente turgescentia imprimis *vesicularum seminalium* & *musculorum* vicinorum aliqualis *languor*, dum nonnihil sunt inepti ad promovendam seminis turgescentis ejaculationem. *Dum ergò spir. deficiunt*, nec semen ritè turgescit, nec partes ritè constringuntur, nec ritè potest eiici semen. *Pertinet huc vitium istud*, dum in coitu erecto scil. membro nihil potest emitti, cum tamen flaccido pene etiam in somno semen exiliat, vid. *Vesling.* & *Zacut. Lusitanus.*

Curiosum est *Veslingii*, qui refert virum erecto pene in coitu genituram non posse effundere, postea flaccescente membro ad levissimum contactum semen effluxisse: *Ratio est in defectu spirituum animalium*, qui non sufficienter

impræ-

imprægnant genituram, & hinc partium deferentium nixus contractivus & expulsivus frustratus. *In specie* dum tunc *à musculis penem erigentibus comprimuntur oscula vesicularum seminalium*, inde non sufficiunt expansioni, unde levi impetu semen tantillum turgescens flaccido membro erumpit; propterea commendant *aromatica*, quæ spiritus animales augent & semen ad excretionem promtius reddunt. Hinc *Lindanus* tales curat per *castoreum*.

CAPUT XVI
DE
PENIS ERECTIONE LÆSA
ET
IMPOTENTIA VIRILI.

Tandem *penis erectio* ad coitum naturalem necessaria, *læditur tripliciter* 1. quando *deficit*, 2. quando *excedit*, 3. quando *depravata* est in convenienti modo, nec debita figura tenditur. *Primum* vocatur *Impotentia Virilis*, utut & deficiens seminis excretio ita dicatur. Ad doctrinam hujus rei explicandam præsupponendum est, distinguendum esse inter penis *erectionem* & ejus *turgescentiam*. *Turgescentia* dependet à sanguine arterioso, qui influens in corpora nervea eadem replendo distensionem, & turgescentiam penis infert; ut verò postmodum reddatur firmior, & *erectio* fiat, fit beneficio 4. musculorum, circa radicem penis implantatorum, quorum utrumque par dum contrahitur, & musculi crassiores fiunt, tunc comprimunt venam, per quam sanguis arteriosus debet refluere. Compressâ ipsâ venâ, impeditur sanguinis arteriosi recursus ad venam, & sic penis firmius caput attollit. *Totum ergò negotium dependet à musculis*, qui contractione suâ venam in dorso penis contrahunt, stringunt & sanguinis regressum impediunt.

Causa est *triplex*: 1. *Spirituum animalium defectus*, non contrahentium musculos. 2. *Deficiens semen*, non stimulans ad ♀rem. 3. *Fascinum* seu maleficium.

Prima causa, ut dixi, est *defectus spirituum animalium* non contrahenium musculos, quibus non contractis venula laxata est, ut penis flaccescat: *Si deficiunt spiritus animales*, causa & vitium est vel in *parte*, vel in *spirituum animalium motu* & *stimulo* perturbato. *Prius fit* quando *musculi* vel nervi sunt affecti, & aut paralysi laborant, aut eorum fibræ sunt resolutæ. Hinc è *causis remotioribus* interdum *equitatio nimia* comprimendo & contundendo musculos, eosdem erectioni penis ineptos reddit: *Casus super os sacrum*, *percussio circa partes vicinas*, ubi nervi horum musculorum originem ducunt, &c. disponunt ad *deficientem penis erectionem*. Sic quoque *læsio capitis*, ejusque *vulnera* penis erectionem impediunt, nervorum vitia inferendo vid. *Hildan. Centur. 6. observat.* 59. *Posterius fit*, quando *in motu suo perturbati* sunt spiritus animales, & plus minus languent, *partim in universali eorum defectu*, debilitate & viribus exhaustis, ut in *senibus* & *ægris*, unde quando percipiunt ægri membrum erigere cristam bonum signum est: Partim verò deficit *in specie* erectio *in perturbatione mentis*, ut in *pudibundis*, *terrefactis*, *pavidis* & similibus, ubi penis flaccescit, propter spirituum animalium motum perturbatum. Hinc interdum *noviter nuptis* hoc accidit, in quibus ex nimiô pudore deficit erectio debita penis. *Huc faciunt* qui ad *Melancholiam hypochondriacam* inclinant, qui propria imaginatione decepti se *impotentes* putant, cùm postmodùm curatô morbo hoc vitium cesset. Vid. *Salmuth. Cent. 2. obs.* 78.

Causa secunda erat *deficiens stimulus* ex defectu vel vitio seminis, *quando semen* vel *deficit*, vel quando *non turgescit*, vel quando alio modo *vitiatum* est; si enim semen rite constitutum est, ad ♀rem stimulat seu noctu, sive interdiu id fiat; ita deficiente hoc, flaccida sunt membra & pendula.

Tertia causa est *maleficium* seu *fascinum*, quando in Copula Matrimoniali Sacerdotali per *maleficia*, *serram clausam*, *cultrum parieti infixum* & similia impediunt, ut nequeat fieri celebratio coitus, quia deficit erectio. Res mira est: Utut enim erectum sit membrum, quando tamen volunt appropinquare conjugium, iterum flaccescit, utut cum aliis rem optimè gerant. *Multi putant esse imaginationis vitium*, & speciem *melancholiæ hypochondriacæ*; sed experientia testatur contrarium. Non tamen præcisè ad Diabolum referendum est; forsan imaginatio ligantis multum in recessu habet, vid. *Helmont. de curis magn.*

Prognosis: *Malum per se* nil habet in recessu, sed *indirectè* varia mala ex tristitia & aliis animipathematibus infert.

Cura

CURA *varia est*; si enim ex primis oriatur causis *observandum est*, ut 1. *volatilibus spirituosis* spirituum animalium impetus & influxus promoveatur. 2. Ut *aromatibus volatilibus acrioribus* seminis impetus stimuletur. 3. Si quid subsit fascini per *experimenta à posteriori cognita* removeatur. *Pro duobus ergo prioribus scopis* conveniunt omnia, quæ laudata sunt *in defectu seminis*, interna & externa, & omnia ea huc possunt applicari. Sic *ovum sorbile*, in quo *veretrum tauri*, in ♀. actu interfecti, *exsiccatum* & *pulverisatum* cum *cinamomo*. convenit, cujus *usus internus* qualiscunque, ante coitum, validam erectionem facere dicitur. *Externè* convenit *balsamus apoplecticus* aut similis cum *Zibetho*, *Moscho* aut aliis paratus & glandi illitus; vel illinatur perinæo aut etiam spatio inter scrotum & penem, ubi musculi siti sunt. Facit huc *balsamum* ♀ *ris Mynf.* in specie cum *oleô formicarum* mixtum & illitum; vel ℞. *Succi pastinacæ* cum *ol. sinapi* aa. ℥ij. *Ol. ovorum formicarum magn.* ℥j. M. & expone ☉i per diem & noctem permisce in formam *linimenti*, quo glans ante coitum est illinendus; *si post coitum adhuc rigeat*, abluatur ▽. calida. Alii recipiunt *fell apri*, quô radicem vel glandem penis illinunt; alii *pulverem hellebori nigri*, vel *radicem pyrethri* miscent cum *pinguedine coturnicis* & istud in forma *linimenti* radici penis vel glandi illinunt; quibus subjungendum *balneum nervinum*, *insessus*, *fotus nervini* &c.

Si autem à fascino est, quæritur quomodo curari queat? In usu est *betula*, *mictus* nempe *per betulam recentem*; *potus cerevisiæ betulinæ* experimentum est *Helmontii* vel *succus betulinus* ex ramo ejus sauciato fluens. Aliis in usu est, ut lavent pudenda utriusq; sexus cum *decoct. herb.* ac *seminum aquileg* post instituunt *suffitus ex coralliis*, *dente hominis mortui* & *sem. anthirrini*; Huic experimento multum tribuit *Hartmann. Corallia* multum laudantur, sicut etiam de his videri potest *Gansius Tr. de Coralliô*. Ulterius singulare specificum laudatur *rasura campanæ* eo in loco, ubi pistillum eam ferit, assumta cum pauco *priapi tauri*. *Excretio urinæ per annulum sponsalitium* ante & post copulationem, eaque reciproca, inter euporista in hoc affectu commendatur, quo irrito alii intus recipiunt *rasuram annuli sponsalitii*. Sed quoad hæc, quia adhuc hæremus in *Theoria*, etiam hæremus in *Praxi*, dubitantes an sint licita, an verò minus. Interim observetur, quod prout variant media, quibus instituitur *ligatio* ita etiam necesse sit variare remedia; unde dum dubii sumus, quomodo facta sit *ligatura*, etiam varia remedia tentanda sunt. Huic morbo contrariatur

NIMIA SALACITAS.

SECUNDUM *nimirum* VITIUM *in erectione penis*, & *in excessu*, quando scil. aut

ſæpius aut *diutius*, aut fere *continuo erectus eſt penis*, & conſequenter erectio & rigiditas eſt nimia. *Affectus eſt duplex*, qui occurrit in nimia erectione, ſecundum duplicem modum quo fit, ita tamen ut *pars affecta* ſemper ſint muſculi circa radicem penis, qui contractione ſuâ comprimendo venam, impediunt ſanguinis refluxum & penem erigunt; quod tamen cùm *duplici modo* fiat, etiam eſt *duplex affectus*. I. Enim quando ex ♀eo ſtimulo nimis in ♀*rem inhiant*, hinc ſæpius *membri tenſionem* & *pruriginem* ♀ream patiuntur, dicitur SALACITAS, in qua per integram noctem, *tenſionem penis inſignem* percipiunt, quæ interdum in tantum excedit, ut ſuperveniat quandoque *delirium* ex nimiô ſeminis orgaſmo, quod vix niſi ſeminis excretione ſedari poteſt. Hic affectus in maribus eſt fere idem qui in mulieribus *furor uterinus* dici ſolet.

Cauſa hujus nimiæ ſalacitatis eſt *ſeminis* naturaliter conſtituti, aut nonnihil acriuſculi *nimius fervor & turgeſcentia*, & inde natus *ſtimulus ad ♀rem*, quem ſequitur determinatus ſpirituum animalium motus & penis erectio. *Cauſæ remotæ ſunt variæ*, omnia nempe quæ genituram augent, ſpirituum animalium impetum excitant, aut acrimonia loca genitalia ſtimulant Hinc *vita ſedentaria*, *diæta lauta* cum *aromatibus condita*, ad hoc malum diſponunt. *Salacitas hæc* ſi ulterius procedat, ut coitu vix ſatiari queat, vocari ſolet SATYRIASIS qui eſt *ſummus ſalacitatis gradus*. Hic eſt *primus gradus nimiæ membri erectionis*. *Secundus gradus* eſt, dum *penis ita rigidus* eſt in omnem dimenſionem, *ut exinde graviter doleat*, & dolorem tenſivum ſentiat, unde in talibus cum doloribus tenſivi membri *nullum* eſt *in ♀rem deſiderium*, unde in coitu nullum ſperma emittunt. Coitu non levantur, ſed potius malum augetur: Morbus hic PRIAPISMUS vocatur.

Cauſa proxima eſt *convulſio muſculorum penis*, qui convulſione continuâ & ſpaſmodica affectione affecti, venam penis penitus concludunt, & ſanguinem ibidem retineri & penem intendi faciunt. Quin imò non improbabile eſt nunc cum ſpaſmo horum muſculorum, ipſa *corpora nervoſa penes* tendi & convulſivi quid pati, unde poſt inflationem membri *dolor tenſivus* conjunctus eſſe ſolet. Dictâ ex convulſione in *epilepticis* quibusdam iisque inſciis & invitis, in paroxyſmo *membrum tenditur*. Hinc videtur oriri, quod interdum in *ſuſpenſis* membrum fortiter tenſum obſervetur.

Cauſa remota priapiſmi eſt *irritatio* quæcunque continua *muſculorum penis* aut *corporum nervoſorum*, quæ irritatio in cauſa eſt ut uberius influant ſpiritus animales, unde muſculi contracti tandem *priapiſmum* inferunt, non ſecus ac ex

ac ex convulsione membri dicti fit contractio & rigiditas. *Irritatio hæc* fit à *causâ internâ* rarò, frequenter *ab externa*, speciatim à perverso usu *cantharidum*, quæ incautè usurpatæ hoc malum inferunt, siquidem non tantùm *interna assumptione*, sed etiam *externa applicatione* præter *mictum cruentum*, tandem *priapismum* inferre solent, acrimoniâ suâ vellicando collum vesicæ & ibidem sitos musculos. Alia etiam ♀*rea acriora*, magisque *aromatica*, interdum ad *priapismum* disponere solent. Vid. *Salmuth Cent.* 3. *observ.* 29. qui de sene refert, qui nuptiis secundis juvenculam duxit, cui ut satisfaceret, *fortiora* per ♀*rem stimulantia* usurpavit, sed tertia nuptiarum die mortuus repertus est, membro rigido; dubio procul convulsivus mortuus, unde musculorum convulsorum fibræ etiam post mortem in tono mechanico rigidi constiterunt; rarum est malum.

Prognosis: *Salacitas nimia* aut *satyriasis* malum est non adeo grave, nec periculosum, utut molestum, tamen ad *tabem* quandoque *dorsalem* disponit. *Priapismus* vero habet hoc periculi, ut ad *convulsiones* terminetur, & nunc *tumores*, nunc *inflammationes*, nunc alia mala inferat.

Pro *cura* in *salacitate* & *satyriasi semen genitale imminuendum*, *spirituum animalium fervor ac impetus sistendus*, & si aliqualis adsit *genituræ acrimonia*, *appropriatis temperanda*. Hinc præter *diætam parcam, jejunium, vigiliæ & vitæ genus exercitiis occupatum* conducit. V. S. eaque repetita, *motus corporis validus*, ut & *fortis sudor* inde erumpat, conveniunt, & omnia quæ in *gonorrhœa* & nimia copiâ genituræ fuerunt laudata. Speciatim conveniunt *acida, vitriolata, nitrata*; hinc *opium, camphora*, materiam & tentiginem genitalem nonnihil refrænant. De *opio* dubium videri potest, cum in Regionibus Orientalibus tanquam summum ♀*reum* usurpetur: Ad hæc habet summam acrimoniam, quæ etiam in quibusdam sudorem pruriginosum infert; nil tamen impedit, quo min⁹ & spirituum impetum impediat, cum maximè figat spirit⁹ animales; par ratio est de *camphora*. De *vitriolo* & ejusdem *spir* res nota est, quod crebrior ejus usus imminuere soleat vim testium genitalem, ut etiam ejus abusu structura testium penitus fuerit immutata. *Timæus in cas.* habet *obs.* de *nitro p.* 173. ubi salacissimus homo, crebriori *nitri* usu in ∇. *nymphææ* fuit sanatus. Horum loco *succus mali citri, melonum*; item *acet. rutaceum* sæpius usurpatum salacitati frænum injicit; cum quibus *opium* & *camphora* maritanda sunt. *Agnus castus* & *vitex* maximè sunt in usu; juxta *semen viticis* est *semen cannabinum, lactuca, flor. Nymph. alb. millefol. flor. alb.* it. *cicuta*, quæ apud nos insons deprehenditur; de *salice* res nota est; nempe sunt *ramuli tenelli salicis* ex quibus incisis *liquor albus* emanat, qui impetum ♀. solet extinguere.

Sic, ut formulas quasdam annectamus, egregia hîc est *emulsio Mynsichti cannabina*:

℞. Sem. cannab. ℥jß.
4. frigid. maj. aa. ʒj.
c. f. q. ▽. flor. Nymphææ
rosar. aa. q. f. F. Emulsio, Hujus
℞. ℥xiiij.
Syrup. è suc. viol. ℥ij.
▽. cinamom. bugl. ℥j. M.

Hæc in *pollutione nocturnâ*, *satyriasi*, *priapismo* & omnibus aliis, à nimia seminis quantitate vel acrimonia provenientibus affectibus est nobilissima.

Notandum quod ▽. *cinam. buglossata* omittatur commodius, nisi ob nimiam seminis projectionem insimul vires defecerint; aliâs enim, cum spirituosa sit & aromatica, malum nonnihil exasperare posset. Aliâs & ita præscribere soleo:

℞. Sem. cannab.
melon. aa. ʒij.
4. frig. maj. aa. ʒj.
▽. lactuc.
acetos.
fl. Nymph. aa. ℥iij.
F. Emulsio, edulc. c. f. q. syr. pap. albi.

Sic & *mixturæ* præscribi possunt:

℞. ▽. fol. vitis.
salicis aa. ℥jß.
spir. nitri dulc. vel
vitrioli ʒß.
edulc. c. f. q. manus Christi simpl.

Vel ℞. ✶. vitriol. ʒij.
Tinct. flor. bellid.
rof. aa. ʒß.
M. D. S. Anhaltende Tinctur 7. biß 9. Tropffen zunehmen.

Vel in forma *pulveris*:

℞. Pulv. agn. casti
nitr. depurati aa. ʒij.
camphoræ ℈ß.
laud. opiat. gr. vj.
M. D. S. Pulver zur Zucht und Erbarkeit 3. gute Messer-spitzen in folgendem Wasser zu nehmen.

℞.

℞. ▽. acetos,
flor. Nymph. aa. ℥ij.
liq. salicis ℥jß.
syr. de Nymph. q. s. M.
S. Wasser zum Pulver.

Cum his *externè* ad nimiam salacitatem refrænandam in usu sunt *fomenta* genitalium, scroti & pectinis cum ▽. *Nymphææ*, in qua subactum sit *opium* cum *epithem. ex succo semperviv.* & *lactuc.* quibus *nitrum* additum sit; vel fiant *Epithemata* ex *aceto destill.* cum *succo plantaginis, solani, sempervivi* & *hyoscyami*, qui *succi* cum *acet.* modico subacti in forma *Epithematis* applicandi sunt. Suadent quidam *laminam* ♄ *ni* lumbis applicare, sed malè, quia quandoq; sic insecuta est gravis urinæ suppressio. *Juxta satyriasin curandus est priapismus*, adeoque *convulsio musculorum curanda*. Conveniunt ergo *vomitoria* ante omnia. *Purgantia* verò intermittantur. *Vomitoria* laudantur à *Foresto*. Post *vomitoria* conveniunt *acida*, *remedia ex vitice*, hinc *opium* & *camphora*. Item *decoctum lentium* cum *semine agni casti* subactum solet usurpari contra priapismum; *externè* conveniunt *cataplasmata camphorata*. Vel illinatur *ol. amygdalar. dulcium*, in quo soluta sit *camphora*, radici penis; vel applica *camphoram* in *acet. destill.* vel ▽. *nymph.* solutam.

Tertium vitium in erectione tandem erat

DEPRAVATA PENIS ERECTIO.

Hoc est, *quando quidem erigitur, non tamen ritè* & in debita figura, quando penis *curvus* est & vitiata ejus figura emergit. Quando ergo penis erectus contorsus apparet, læditur ejusdem actio. De hac ex *causa externa* nil potest dici. Contingit tamen quandoque vel *fræni vitio* vel *præputii*. *Frænulum* quod attinet, si nimis breve est & tenditur membrum, glans retrahitur, & membrum incurvatur: Sic non tantum *generatio impeditur*, sed etiam *dolor oritur*. Hæc ergo *curetur Chirurgia*, ubi frænum simplici incisione secetur. *Observandum tamen* ut aliquid potius detrahatur de membrana præputii quàm de glande; *Præputii vero ratione fit*, si tanta ejus post glandem est retractio, ut nequeat denuò retrahi. *Ex violentiori id coitu* fere oritur.

Cura hujus vitii fit per *emollientia*, & cùm utplurimum simul adsit TUMOR PRÆPUTII, per *discutientia*. Convenit v. g *fotus ex lacte*, in quô *fl. sambuci* ebulliant. Vel *cataplasma ex flor. chamom. parietar. ros. rubr. c. lacte* coctis & applicatis, v. g.

℞. Herb malv.
parietar.
alth. aa. Mj.
Rad. alth.
lil. alb. aa. ℥j.
Flor. ros. rubr.
chamom. aa. p. ij.
coq. in lacte ad consist. pultis & applic.


Quodsi insigniter simul doleat, addi posset *croci* momentum, & multum præstat commune Chirurgorum cataplasma, ex *pane triticeo* cum *lacte*, ein Weckbrey/ sit exemplum:

℞. Medull. pan. similag. in lacte infus. ℔jß.
vit. ovor. n. iij.
ol. ros. ℥ij.
croci ℈j. M. F. cataplasma.

Quodsi verò anguis sub herba latitet, & *gonorrhœa conjunctum* sit hoc vitium, quod tantum non semper evenire solet, & huic quoque per *interna* prospiciendum erit, *purgantia* nimirum & *balsamica terebinthinata*, quæ *supra, ubi de gonorrhœa*, videantur.

FINIS PARTIS II.





CAPUT I.

MENSTRUORUM VITIA.



Otum est, quod in *viris* simul & *fœminis* generetur *semen*, ii patiuntur singularem alterationem, ita mulieres, dum ad generationem fiunt aptę, in toto genere alterationem percipiunt; Accedit *sanguinis excretio* per *uterum*, hinc *mammarum turgescentia*, & *pubis efflorescentia*, *vox* fit *gravis*, & simul sanguis imprimis suam meretur considerationem, qui *fluxus menstruus* vocari solet à *periodo*. Et quidem *propria* est hæc purgatio in genere humano, nullum aliud animal eandem patitur, prout quidam dicunt, in *simiis* simile observari. Revera etiam sunt exempla *virorum*, qui in omni menstruo spatio per *penem* sanguinis certam quantitatem emiserunt. de quo *Zacut. Lusitan.* loco cujus viris frequentior adest *hæmorrhoidum fluxus* cum mense fluens. Repetit hic *fluxus* omni menstruo spatio, elapsis exacte *quatuor septimanis*, ita tamen ut unum vel alterum diem nunc anticipet, nunc postponat, hinc priores 12. vicibus per annum purgantur, posteriores. 11. Rarum est, *quasdam mulieres* cum mensibus fluentibus intermedio temporis spatio etiam *fluxum Hæmorrhoidum* pati.

Incipit hic fluxus tempore *pubertatis*, idque frequenter circa *annum* 14 *ætatis*, denuo cessat circa an. 49. Prostant tamen exempla, quæ citius aut tardius passæ fuerint: Propria in hoc passu *Idiosyncrasia* probè consideranda est, nunc *juniores*, *alacriores*, [illegible]*tuosæ*, *vegetiores* diæta lauta *utentes*, *salaciores* citius patiuntur hunc fluxum, *qui* vero se habent contrario modo, iisdē tardius erumpunt.

Fluunt quidem *continuò*, nisi quod ordinario soleant supprimi, *gestationis tempore*, in quibusdam *tempore lactationis*, unde rara est *Plateri observat. de muliere*, cui ordinario fluebant menses ante matrimonium, post initium verò matrimonii cessabant, sine gravi molestia. Item de *muliere*, quæ quoties lactabat puerum, fluebant menses, quoties puellam, supprimebantur.

De modo, quo fiant, res nota est ex *Physiologia*, quod nempe adsit certa quædam *sanguinis turgescentia & aucta fermentatio*, ratione cujus per *anastomosin invasis uterinis* exitum invenit. Quod verò circa vasa uterina speciatim aperiatur, fit, quia in dictis locis est certa quædam *vellicatio*, unde ibi sanguis exitum quærit; Patet hoc quia mulieres nunquam sunt *salaciores*, quam instante mensium fluxu & cessante. Adest *lassitudo artuum*, *dolores pulsatorii* circa *lumbos, febris menstrua. Gaudia, iracundia*, fluxumq; movent, *terror*, *tristitia*, cessare faciunt.

Redditur ergo præter naturaliter, tripliciter: 1. *Vel quando imminuitur*, adeo ut vel *penitus deficiat*, vel non *indebita quantitate fluat*. 2. *quando augetur*. 3. *quando depravatur* ita, ut fiat vel stipatus *variis symptomatibus*, vel per *alia loca*, vel *inordinato tempore*: Vel *sanguis* adjunctas habet p. n. *alterationes*, ut quandoque excernitur *fœtidus, ater*.

CAPUT II.

MENSIUM EMANSIO.

QUod attinet *primum vitium*, sive plane *deficiat*, sive non in debita quantitate sanguis fluat, vocatur *mensium suppressio*, melius *emansio*. *Suppressio* enim dicitur de humore actu fluente. *Emansio* ergo hæc est vel *naturalis*, vel p. n. *Naturalis* fit varie: 1. *Ratione ætatis*, quando post 49. annum cessat. 2. *Ratione status mulieris*, dum est gravida, utut quibusdam habitioribus primis gestationis mensibus ad medium tempus fluant, *lactescentes* verò sentiunt semper eorundem defectum. 3. *Illis, qui à graviori malo reconvalescunt*, etiam fluxus cessare solet, deficiente sanguine partim in *quanto*, partim in *quali*, naturaliter etiam deficit. 4. In iis *quibus* præcessit alia quædam *evacuatio*, quæcunque sit, sive sanguinis immediatè, sive mediatè sub forma alia v. g. quidam patiuntur *ulcera manantia*, vel *graviora vulnera*, per quæ ubertim sanguis effluit, in his & similibus nihil est tentan-

tentandum pro cura Medica, nisi ut *lauta diæta* sanguinis copia reconcilietur: Observandum tamen, quod mulieres quę habent *ulcera*, tunc temporis, quando sanguis deberet effluere, *acerbam* patiantur *alterationem* in loco vulnerato, ut vulnus soleat deteriorari, fœtidam saniem plorare, citius *phlogosi* corripi &c. Sic cessante tempore isto etiam cessant.

Causæ p. n. mensium emansionis investiganda sunt vel in *ipso utero* & *vasis*, per quæ debet effluere sanguis, vel *in sanguine excernendo.*

Loca quod attinet, sunt, quando vasa in utero speciatim in *vagina uterina* obstructa, & à *mucilagine pituitosa*, infarcta sunt: Item, quando *orificium externum* non hiat, vél propter *carunculas* membranæ nimis densæ unitas, vel quando vaginæ uteri, aliàs læsæ, coalescunt parietes, unde *fluxus* impeditur.

Vitio sanguinis & M. S. Causa est *cruditas* & hinc *superveniens crassities* ejus *ac viscidítas*, ratione cujus *cruditatis* sangui ineptus est ad fermentationem. Hujusmodi cruditas utplurimum ducit originem *ab acido* M. S. *coagulante*, aut ejus *fermentationem* impediente.

Malum est eò pejus, si *acidum peccans* est radicatum in materia viscida, nam tale *acidum* fere semper est *unicus fons*, ex quo oritur defectus Mensium.

A Causa interna, *origo* hujus acidi est ex *stomacho*, oritur nempe ex *chylo* non ritè *digesto*, unde nil magis disponit mulieres ad defectum mensium, quam *cruditas acida stomachi*, ratione cujus turgescentia sanguinis fermentativa impeditur, & consequenter mensium fluxus cessat.

Causæ remotæ externæ sunt, sex *res non naturales*, imprimis *frigus aëris* improvisè susceptum, hoc enim disponit sanguinem ad coagulationem & grumescentiam, idque in *specie solet nocere*, quando vel *instat* excretio menstrua, vel quando *excerni* solet. Quando instat, nocet subinde *stomachi*, vel *pedum refrigeratio*, quæ solet cessare facere Menses. Sic si mulieres sub fluxu mensium lotionibus in ▽ frigida indulgent, solet mensium fluxus cessare, & vel *imminens*, vel *fluens* supprimi.

Præter *frigus* multum conferunt ingesta, in specie *acida*, quæ maximè nocent. Pertinent huc *ingesta viscida*, sanguinis *fermentationem* impedientia, obtundendo ⊖ *fermentativum*, hinc *lac* & omnia *lacticinia* solent prohiberi mulieribus. *Caseus* & similia viscida Mensium fluxum impediunt; facit huc *panis recens* ex clibano extractus, qui maximè nocet mulieribus, quia promovet cruditatem stomachi acidam. Hinc *Barbette* mensium suppressionem à causis externis in stomacho radicem habere asserit. Sic si post suppressionem mensium supervenit *Pica*, ratione cujus mulieres varia edunt, si fiat,

si fiat immodicè, suppressio mensium magis confirmatur. *Alii* affectus quicunque, qui sanguinem exagitant, promovent *fluxum*, *tristitia* verò & *metus*, *pavor*, *terror subitaneus*, menses vel *imminuunt*, vel fluentes subinde *supprimunt*.

Mulieres, quibus p. n. menses emanent, distinguendæ à mulieribus quibus naturaliter emanent. *Quibus emanent* p. n. præter observationes primas, ad unam omnes conqueruntur de *difficili anhelitu*, quando nempe quodammodo moventur, mox *suffocatio* imminet. Ulterius patiuntur *lassitudinem* in omnibus artubus, hinc inde, in specie circa *lumbos*, *dolores tensivos*, *graves* percipiunt. Pedetentim color corporis *floridus* perit, fiunt apparenter *cachecticæ*, *oculi* tument, supervenit *pica*, & tandem *perfectæ cachecticæ* evadunt, sed res per se patet.

Magis attendendum *ad differentiam causarum*, an *emansio* mensium *vitio uteri*, an *obstructorum vasorum*, vel ratione *turgescentiæ sanguinis*. Si fiat ratione vasorum infarctorum uteri, solent percipere *pathemata*, quæ ostendunt adhuc sanguinis impetum & motum excretorium, nempe in his statis temporibus, quibus aliàs fluere debent *menses*, *frequentes* sunt dolores lumborum circa vasa lumborum, & quæ ex ramis iliacis oriuntur. Conqueruntur ulterius de sensu cujusdem tensionis circa *regionem pubis*, item percipiunt *pulsationes* circa regionem pubis, item percipiunt pulsationes hincinde in variis corporis locis, nunc circa *hypochondria*, nunc in *artubus*, adsunt *murmura*, *borborygmi*, *dolores lancinantes* in lumbis, qui ostendunt sanguinis tunc urgentem fermentationem & turgescentiam menstruam, & propter impedimenta invasis non potest emitti, unde quandoque in talibus, sanguis per loca alia effluere solet: Hæc ostendunt deficere menses propter vasa obstructa. *Menses* verò emanere vitio sanguinis, non debitè turgescentis, evidens testimonium est, quando mulieres nullam patiuntur *alterationem* iis temporibus. Verum cum interdum incertæ sint mulieres an sint *gravidæ*, an. p. n. *menses deficiant*, subinde solent interrogare Medicos de hac re.

Prognosis p. n. *sanguinis emansionem* solet insequi *cachexia*, non quod effectus deficientium mensium, sed quod *cachexia* incipiens redditur confirmata. *Morbi* quibus supervenit mensium emansio, redduntur deteriores, in specie *chronici*, non solent rectè curari, nisi simul promoveatur mensium fluxus.

Cura. Ante omnia 1. *Ventriculi chylosis est corrigenda*. 2. *sanguinis cruditas volatilibus aromaticis* emendanda. 3. *humores* viscidi, vasa uterina obstruentes, *iisdem* incidendi. Hisce simul conjunctis appropriatis fermentum mensium stimulandum, idque nunc *in*- nunc *externis*.

Pro-

Pro scopo primo obtinendo, conveniunt *vomitoria*, hinc *aromatica volatilia*, (2) conveniunt *volatilia oleosa*. *Ratione* (3) conveniunt imprimis *gummata*, ☿ *dulcis*. *Ratione* (4) conveniunt *appropriata*, & quæ per *experientiam sunt cognita*, quæ Menses stimulant, quæ tamen ut plurimum vi acidum *destructiva* sanguinis dissolutionem solent pellere. Pro his scopis observandum est ulterius, quod *ista appropriata nunquam in confirmato malo usurpanda sunt*, nisi præmissis *evacuationibus* & *acidum absorbentibus*, & quidem ubi calculo facto deberent fluere Menses, aliàs enim quocunque tempore usurpata, sunt frustranea; Si verò mulier non potest invenire tempus, monent Medici practici, ut circa lunam crescentem, præmissis præmittendis usurpentur, quo tempore sanguis facilius turgescit. N.

Præmissis ergo debitis *digestivis*, propinentur VOMITORIA. Uno nomine, cura talis affectus eadem est cum cura *cachexiæ*, cui subjungantur tandem *appropriata menses pellentia*. Præmissis ergo *digestivis*, *vomitoria*, quin etiam *purgantia* usurpari possunt, & cum *gummatibus* parata, verbi gratia, sint pilulæ usuales ex *purgantibus* & *alterantibus*.

℞. Extract. panchymag. Croll. ℈j
Gummi ammon. in acet. solut. ʒß.
Extract. Croci.
castorei aa. gr. v.
trochiscor. alhandal. gr. IV.
c. s. q. Ol. succini M.
F. Pilulæ,

de quibus aliquot capiat ægra omnibus 4. 5. l. 6. diebus. Tempore intermedio usurpentur *alterantia aromatica*. v. g.

℞. Rad. angelic. levistici. ana. ℥j.
Galangæ. ʒß.
Fol. Rosmarini.
Matricariæ.
Sabinæ ana. M. j.
Baccarum juniperi recent. ℥iß.
Cinnamomi ʒiij.
Croci ʒj. ⊖ Tart. ʒß infunditur in vino. Pro *scopo alterativo*, adde *hellebori nigri crudi*, singulariter in mensium affectibus, una cum *senna*; præter dicta, pro Scopo alterandi, conveniunt quæcunque *aromatica amaricantia* in morbis *cachecticis* & *chronicis* usurpata; hisce subjungantur ♂*tialia*, quæ multum habent in recessu in mensium suppressione, & quidem *inveteratam emansionem* citra ♂*tialia* curare impossibile est. Ope-

rantur, quatenus *absorbent acida*, convenit ergo *limatura ♂. cruda* ℥ij. *Cinamon.* ℥j. infundi in vino quo placet possunt, Ægra bibat haustum manè & vesperi ante pastum. Conveniunt *Tinctura ♂tis Zvvelfer.* ⊖. ♂. composit. *liquor.* ♂. ⊙is. Post hæc *universalia*, accedendum ad specifica *interna*, qualia sunt *rosmarinus*, *baccæ Juniperi*, herb. *sabinæ*. & ejus *Oleum destillatum* est potentiss. *Angelic. artemis. meliss. gentiana*, *Crocus* qui optimus, unde quæ patiuntur difficultatem mensium actu fluentium, solent vesci *jusculis*, *ex croco*, *cinamomo*. *Myrrha* & omnia ex & *cum myrrha* parata hic conveniunt. Unde *trochisci de Myrrha*. *Elix. propr. sine acido* Menses promovent. *Colocynth.* præter evacuativam viscidorum vim, speciatim *amaritudine* sua Menses promovet. Unde si tollitur *laxativa vis*, potest parari *simplex alterativum* Menses pellens. *Castoreum* & ex eo *parata essentia Castorei* cum ⊖volatili sunt egregia. Sic *Barbette* ⊖*volatile* dissolvit in S. V. quodam, affundit *Myrrhæ*, *Castoreo*, & similibus, sic fit *essentia* optima, *splenis bovis essentia* & *decoctum* ejusdem *Quercetani* egregie conducit in Mensium emansione. *Borrax* potentissimè stimulat, & aliis irritis saltem borrax cum *Croco* vel *pulvere Cinamomi*, nunc solitaria, nunc in *decocto pulegij* menses promovent, verbi gratia.

℞. Borracis ℈j.
Cinamomi ℈ß.
M. D. in *decocto pulegij* vel *rosmarini*.

⊖*ia* tandem *volatilia*, primariò *fixa*, hinc *volatilia* egregriè menses promovent. Usurpentur eo tempore, quo Menses fluere debent; in specie, si post hæc imperetur corporis motus, vel ut æger maneat, in lecto, ut corpus madefiat, sic enim promovetur sanguinis circulus, & felicius excitatur mensium recursus.

Superest, ut consideremus, *quando*, & *uti* conveniat V. S. scilicet quando subsistunt Menses, & diutius à fluxu cessarint, sanguis coacervatur, & coacervatus tardius circulatur, & sic *mille mala infert*, si ergo ex mensibus suppressis addit *plethora* & *dolor gravativus artuum*, *difficilis respiratio*, necessarium est instituere evacuationem per V. S. Quæritur de loco, an in brachio, an in crure? *Duplex* considerandum *tempus in fluxu mensium* deficiente, np. vel quando menstrua instant, l *quando menses fluunt*, vel fluentes cessant, vena secanda est ad præcavenda menstrua suppressa, verbi gratia, ægræ cuidam sub mensium difficultate menses instant, cui pro facilitando mensium fluxu secatur vena in brachio: nam si secetur in pede, periculum est, ne sanguis, concitatiori fluxu ad inferiora tractus, stagnet circa vasa uteri; Menses supprimantur: Si verò ex improviso & refrigerio, verbi gratia, terrore &c. tunc pro iisdem revocandis, *vena secanda* est

est in *pede* sive *crure*. Quemadmodum *Ischuria* tollitur V. S. in brachio, ita in suppressione, sanguinis menstrui, tollitur V. S. in brachio, in specie dum instat fluxus. *Hisce ita observatis*, quoad remedia quædam monenda sunt, inter quæ conveniunt *balnea*, *insessus*, *semicupia*, vel ex simplici ▽ tepida, l. *decoctiones* plantarum aromaticarum, loco horum pediluvia sufficiunt crebrius instituta, quibus aliquandiu insideat ægra. *Ingredientia* balneorum & pediluviorum ex aromaticis nota sunt, pertinent huc *thermæ*, quarum insessus diuturnos mensium defectus solet levare & curare. Speciatim conferunt etiam *suffitus* ex *appropriatis* instituti, palmam præfert *suffitus scoriarum reguli* ℥ij, quæ dissolvantur in S. V. de hac solutione aliquot cochlearia affunde lateri candefacto, & ita exhalans fumus per infundibulum excipiatur utero, loco hujus sufficit, si *Urina*, imprimis *antiqua* & non nihil *fœtens*, infundatur *scoriis ♂tis candefactis*, hinc excitatus fumus egregius est ad promovendum mensium fluxum, non enim solummodo penetrat in vasa, sed vellicat etiam uterum, ut promoveatur sanguinis excretio. Convenit etiam *suffitus Colocynthidis*, qui egregius est, per medium dissect. eaque in ▽. simplici decoct. excitatur fumus, quem excipit utero, huic decocto subinde *silices candefacti* injiciuntur. In usu sunt *troschisci* appropriati pro *fumo*, verbi gratia ZZ, *sabina*, *Colocynth. Myrrh.*

℞. Sabinæ M*ß*.
Myrrh. ʒij.
Asphalt. trochisc. alhandal. an. ʒj.
M. f. pulvis.

injice carbonibus, excitetur fumus. vel ex pulvere cum *balsamo* Sulphuris *therebinth*: & aceto fiant trochisci, qui injiciantur carbonibus, & ita excitetur suffitus utero excipiendus. Conveniunt quoque *litus externi*, circa regionem Iliacam & pubis illinendi, qui fiunt ex *Oleo cheiri*, qui acuuntur cum decocto *Colocynthidis*, *Oleo distill. sabinæ*, *spic.* &c. Horum usus ratione Personarum solet esse varius, & quia virginibus non æque conveniunt, propterea applausum meretur *instrumentum Glauberi*, quod est instar *pollicis longum* & *crassum*, in superiori parte est *capitulum* foraminibus pertusum, quod possit desumi, in illud injicitur ⊖ *volatile* ✱*ci*., vel mixtura ex Calce viva cum ✱co, irroretur Spiritu Vini, & in uterum immittatur, sic particulæ exhalantes intra uterum Menses provocant. *Casus*, propter quos contigit Mensium suppressio, frequenter sunt duo. (1). Ex nimia *refrigeratione extremorum*. In tali casu convenit in specie *sperma ceti* cum *Castoreo*, vid. *Timaeum. in consil.* pag. 91. Assumant in vehiculo calido, & ægra ad blandum sudorem se componat: Vel commodé potest usurpari ⊖ *quoddam fixum*, *artemisiæ* aut *sabinæ* &c. loco cujus etiam conveniunt ⊖*ia volatilia*, quorum

rum usu & blando subsequente sudore sanguis ad fluorem iterum disponitur, in specie addantur remedia ex *croco* & *cinamomo*. In tali casu supervenit interdum *gravissimus uteri dolor*, ex sanguine coagulato ibidem hærente, ubi inter alia convenit *decoctum chamœmeli*, quod internè usurpatum cum aliis optimum est, *externè* imponitur regioni pubis in forma *Cataplasmatis*, quod calidè fieri potest. Cum his interdum necesse est ut ingraviori malo secetur *vena* in *pede*. *Secundus casus* est *gravior animi terror subitaneus*, ubi *Forestus* usurpavit *decoctum chamœmeli* ad ℥iij & add. *oxymell. simplicis* ℥ij; 🜔*ia volatilia* in hoc laudem merentur, quando post eorum usum ægra ad sudorem disponitur. *Hæc remedia* interdum conveniunt itidem in *paucitate mensium*, qn. parcius fluunt, cujus signum est, quod mulieres tales patiantur sub fluxu *anxietates*. Si non consueta quantitate fluunt Menses, si conquerantur de *palpitatione cordis*, *difficili anhelitu*, de *dolore pulsatorio* circa lumbos, tunc curanda venit & conveniunt omnia ea, quæ aliàs *appropriata* sunt ad mensium fluxum promovendum, & quidem si magis urgeat malum conjungenda. V. S. *in pede* &c. convenit. e. g.

℞. Tinct. ⊕oli ♂tis Zwelferi ʒij.
Essent. Croci. castorei an ʒj,
M D. ad 40. vel 50. Tropffen.

aliquoties in die in vehiculo calido, mulier non nihil corpus exerceat blando motu.

℞. ♌ 🜔 ✱ci.
liquoris C. C. succinat.
aa. ʒj.
M. D. gutt. 30. l. 40.

Essentia splenis bovis composita etiam optima est.

℞. Borrax. ʒß.
Myrrh. gr. xv.
Cinnamom. ℈ß.
M. in. 3. pulveres.

qnandoquidem etiam loco V. S. in tali casu *cucurbitulæ* sine *scarificatione* possunt applicari *cruribus* vel *femori* in regione superiorij interna, *Zacut. Lusitan.* applicavit *hirudines* orificio uteri externo.

CAPUT

CAPUT III.

De

NIMIO MENSTRUORUM FLUXU.

SEcundum *Mensium vitium* est *excessus*, quando *copiosius* solent fluere, ad quod vitium pertinet 1. quando *frequentius fluunt*, 2 quando non expectant *tempus menstruum*, sed omnibus 2. vel 3. *septimanis* redeunt. *Hic* tamen venit curandus, quando debilitat mulieres: Quædam enim sunt *habitiores*, quædam *scorbuticæ*, quæ sine *læsione* hos fluxus diuturnos perferunt; tales enim relinquendæ sunt. Econtrà quibus fluunt Menses ita ut debilitentur exinde, propter copiam in tali subjecto insuetam, venit curandus. *Causæ hæ* quærendæ sunt vel in *utero*, vel primario in *sanguine*: Quoad *vitia sanguinis*, hæc per se patent, modo revocentur in mentem, quæ de *hæmorrhagia* in genere dicta sunt, nempe *triplex vitium* sanguinis est, ad *nimium fluxum mensium disponens*. 1. Est *nimia sanguinis turgescentia*, ratione cujus *tenuior fluxiliorque* evadit, adeoque promptius per vasa uterina effluit, hoc vulgo dicitur de sanguine bilioso. Ad hæc disponunt *aër fervidus, exercitium nimium, gaudia, ira*, potus *generosi*, *salacitas nimia*, cujus effectu nonnunquam patiuntur intensum mensium fluxum, & sanguinem impetuosius effervescentem & erumpentem. 2da, eaque frequentior est nimia sanguinis *fluxilitas serosa*, aut *nimia* ejusdem *aquositas*, ratione cujus sanguis copiosius solet per vasa *vaginæ uterinæ* erumpere.

Fundamentum fere est *in stomacho*: Si enim hic alimenta nimis *colliquescere* cogit, & in *chylum* nimis *serosum* transmutat, sanguis etiam *serosius* redditur; sic etiam *Barbette* dicit, quod *fundamentum* nimij fluxus mensium sit in *stomacho & renibus*. In *stomacho*, non ritè chylum elaborante; in *renibus*, non ritè *serum* evacuantibus, *serum* itaque, in specie *scorbuticis* insigne, coacervatum, frequenter *menses* solet inferre, & inde in specie in *scorbuticis*, quæ omnes copiosè purgantur per menstrua. 3. quando vehiculum *serosum acrius* est & *acido salsum*: sic enim facilius eroduntur *vasa uterina*, & sanguis penetrantior existit, ut consequenter *copiosus mensium fluxus* soleat excitari. Disponunt ad hoc *edulia acria* copiosè assumta, ut nihil dicam de *acrimonia succorum* in primis viis.

Ex *parte uteri causa est*, quando nimis aperiuntur *vasa uterina*, sive nimis *hiant*, quod fit variis occasionibus. Inter externa est *conatus corporis* quilibet, qui facit ut ista vasa vel rumpantur, vel cum impetu aperiantur v. g. *sublatio oneris gravioris*, quod fit cum nisu; & in spiratione. Pertinet huc *sternutatio* nimis violenta, *mensium fluxu* laborantibus & actu fluentibus accidens, quando enim fluunt Menses, & talis motus fit, nimis vasa aperiuntur. Pertinet huc *nimia dilatatio vaginæ uterinæ* & *vasorum uterinorum*, quæ fit frequenter in *abortu*, interdum in *partu laborioso*. Ipse *sanguis acrior* vasa erodens, aut excorians etiam uterinam superficiem vaginæ uterinæ in *causa* est, ut post modum non queant connivere ipsa vasa, sed maneant aperta, ut nihil dicatur de *acribus* extrinsecus admotis, qualia sunt *pessi acriores*, admoti pro stimulo mensium in specie ex *helleboro*, talia enim interdum excoriant uterum superficialiter, ut vasa nimis aperta non possint denuo connivere, sed superveniant menses & sanguinis fluxus nimius; cujus *causa* ut distinguatur, *considerandus est sanguis*, qui excernitur. Nam si oritur hic fluxus ex *nimia apertione vasorũ* vel *turgescentia*, vel *impetu fermentativo* M. S. sanguis solet esse *floridus*, naturaliter constitutus, qui non statim in grumos abit, uno nomine, signa adsunt sanguinis boni. Ubi *vasa* sunt *nimis hiantia*, sanguis quidem *naturaliter* excernitur, sed brevi *grumescit*. Si est *aquosior*, effluit confertim *tenuis*, qui tarde abit in *grumos*. Si similis est *loturæ carnis*; vel etiam, si sanguis linteo exceptus ita appareat, ut linteum habeat *circulum pallidum*, monstrat nimiam sanguinis *serositatem*. Si adsit *conatus* quidam *ejiciendi*, simul si percipiatur sensus *pruriginis & rosionis*, ostendunt *sanguinem acriorem* simul peccare.

Prognosis. *Fluxus mensium nimius*, eadem infert *mala*, quæ in genere *nimia sanguinis excretio*.

Cura. In hac sequentes *indicationes* observandæ. 1. ut sanguinis *fervor* & *turgescentia blande acidis coerceatur*. 2 ut ejus *fluiditas* & conjuncta *acrimonia serosa corrigatur* & *temperetur*. 3 Ut *viæ* in *vagina uterina* læsæ *consolidentur* aut *firmentur*.

Pro scopis his observandum, vel interdum necesse esse, ut Medicus fluxum non nimis cito comprimat: Nam *plethoricæ habitiores*, quando *sine debilitate* fluxum hunc perferunt, *relinquendæ* sunt, vide *miscell: Acad: Nat. curios. an.* 2. *pag.* 47. Ubi ex fluxu sanguinis, nimis præpostere oppresso, *gravia mala* observata sunt. Si verò *debilitas* superveniat, tunc demum curandus. *In cura* ergo V. S. nihil obtinet, aut si instituenda est, instituatur *caute*, saltem in brachio, quantitate pauca. *Purgantia* per se nihil

hil conferunt, nam quo fortiora sunt, eo magis menses stimulant: Si *purgandum* est, saltem *rhabarb.* convenit, propinandum ad ʒj cum *conserva rosarum* mixtum vel cum *syrupo cydoniorum aromatisat.* s. *simplic.* Si quid moliendum est in statu sanguinis *seroso*, conveniunt *sudorifera*, & hinc *diuretica*: nam utut sub fluxu sudoris intendatur excretio uterina, tamen dum *serum* fuit *evacuatum*, & sanguis *spissior factus*, fluxus postmodum cessat. Idem est cum *diureticis*. In specie hîc conveniunt omnia quæ superius fuerunt usurpata in *hæmorrhagia* in genere, palmam tamen præferunt *♂tialia*: Excellit hic liquor *♂tis solaris*, nam utut menses stimulet, tamen & lochia ea tunc nimium fluentia sistit; scilicet per se semper adstringunt *♂tialia*, & tunc ⊖to acido, vi adstringendi optimè conveniunt. Juxta hæc *Tinctura Sulphuris vitrioli* aut *Tinctura adstring.* ♂ est optima. *Lapis hæmatit.* in *succo granatorum* vel *cydoniorum* menses sistit. Juxta dicta egregius est *succus plantaginis* tam interne quàm externe injectus, nempe in vaginam uterinam, vide *Forestum*. Juxta hæc egregius est *pulvi scranij humani* ad ʒj usurpat. Hinc *viscus quercinus* ad ʒj ovo sorbili mixtus, si non prima vice, certe secunda vel tertia vice nimium uteri fluxum compescit. Addatur succus *stercoris asinini*, mirabile remedium, si ℞. hujus *succi*, vel *stercoris suilli* & *syrupi myrtillorum* aa. ʒß. dilue cum ▽ *plantaginis* & bibat: Itidem laudatur *caninum stercus*, quod optimum est, vel per se vel cum aliis.

Cum his nunquam omittenda sunt *opiata*, quæ inter excellit *diascordium Fracastorii*, cum vehiculo *acido* assumtum; nam si oritur fluxus ex *nimia turgescentia*, eundem simpliciter sistit -o- vitrioli in ▽ *plantaginis*. Præter *acida ♂tilia* aliaq; conveniunt in specie talia, quæ adhuc *serositatem* absumunt, *acrimoniam* temperant, & partes laxatas vi *stiptica* firmant, qualia sunt *succinum*, *ossa*, *cornua animalium calcinata*, *mumia*, *Corall.* &c. nunc solitaria, nunc cum *opiatis* propinanda. Eminent *trochisci de Carabe* à ʒß. ad ʒj. Convenit etiam pulvis *Lindani*, cujus compositio talis,

℞. Corall. rubr. succini flavi.
boli armen. Sangu. Dracon. aa. ʒij.
Semin. plantag. borrac. calcin. ãã ʒj.
laudan. opiati. gr. IV.
Extract. croci. ℈j. M.

Hunc sub forma pulveris vel c. s. q. syrupi de rosis siccis dos. ʒj. propinat ægris, cujus continuato usu innumeras mulieres, mensium nimio fluxu laborantes, restituisse dicit. Sic ad imitationem hu us dedi mulieri *plethorica* sed sanguine *serosiore* præditæ & *scorbuticæ*, cui ob abortum quodam temporis spatio supervenit insignis uteri hæmorrhagia.

 ℞. Con-

℞. Conserv. rosar. antiquæ. ℥vj.
Corall. rubr. sangu. Dracon.
Off. human. calcinat. aa. ʒj.
trochisc: de Carabe.
Onis, crudi, semin. plantag. aa. ℈ij.
laudani opiati gran. iij. l. iv.
c. s. q. syrup. Corall. fiat Electuarium.

Quod sub prima mixtione propter O. aliquantulum semper fermentat, sed mox desinit. Juxta hæc *interna*, conveniunt etiam quædam *externa* fluxum mensium nimium compescentia, & *collo appensa*, & circa uterum applicata. *Externe* regioni pubis applicetur *spongia aceto rosac:* ebria, vel ✠ simile applicetur regioni pubis, seu orificio uteri externo. Etiam *injectiones* in Urethram ex *succo stercoris asinini*, vel injectiones ex *succo plantaginis* vel solo, vel dicto stercore impraegnato, sunt egregia. Præterea *suffitus* ex *Thure*, *mastiche*, vel ex *vapore* ⋇ supra *scorias ♂tis ignitas* injecti susceptus in usu sunt ad *compescendum nimium mensium fluxum.* Accedit *cataplasma* ex *hyosciamo* ✠*to* impraegnato, lumbis aut ossi sacro applicatum. Si simul adsit *dolor ardens* aut *rodens* in *vagina uterina*, commodè fiunt *injectiones* ex *decocto simplicium adstringentium*, quibus *hyosciamus* & *papaver* additur. Ad *fluorem sistendum* faciunt *lintea sanguine imbuta* sub cineribus calidis posita; Est experimentum *Panaroli*, neque fefellit me hoc. *Euporiston Helv.* est indusium per octiduum à viro gestatum, à muliere tali fluxu laborante indutum.

CAPUT IV.

MENSTRUORUM NON DEBITO LOCO EFFLUXUS.

ULtimum *vitium depravatorum mensium* est, quando non *debito loco* effluunt, nunc nempe per *mammas*, per *os*, nunc per *anum*, intra *ungues*, ex *oculorum canthis* &c.

Causa est quærenda simpliciter in *causis internis, sanguini, exitum quærenti, viam intercludentibus*, unde sanguis tali *orgasmo* hinc inde citatus tandem aliis locis exitum quærit, & eundem invenit. *Revocandus* ergo *sanguinis fluxus* ad uterum, ut ibidem possit effluere. *Interne* in *par-*

in *paroxysmo pauca* sunt in usu, quia ad *Uterum* specifice non diriguntur, & tandem sanguinem *plus excitant volatilia*, vasa obstructa reserantia. In *paroxysmo* etiam *externe* usurpentur, quæ sanguinem impetuosius vel *ad inferiora* trahant, vel quæ *uteri vasa* his rarefaciant. Inter *priora* eminet *saphenæ sectio in pede*, imminente fluxu instituta; simul affigantur *cucurbitulæ* in regione interna. *Pediluvia* etiam possunt institui. In *posteriori* sunt *clysmata*, *gravidis* propter *metum abortus* suspecta. Cum his instituuntur *injectiones uterinæ* ex *decocto pulegii*, *chamomillæ*, *sabinæ* cum *Colocynthid.* quæ intra vaginam penetrant, & aperiunt facilius vasa uterina: Omnia enim quæ in *mensium suppressione* pro *usu externo* fuerunt allegata, huc possunt applicari. Utero applicentur *fomenta* ex *aromatibus appropriatis* cum oleis *aromat.*

CAPUT V.

FLUOR ALBUS MULIERUM.

FRequens malum est, ut mulieribus pro sanguine ex utero adhuc erumpat *humor serosus*, plus minus *pituitosus*, unde affectus exinde vocatur *fluor albus*. Consideranda ergo historia hujus *fluxus*, nempe *fluxus uterinus* est *iste*, *quando per genitalia muliebria illuvies varia, eaque pituitosa, nunc ▽ea, plus minus acris solet effluere*, idque nunc *parcius*, nunc *copiosius*. Ut plurimum hic *fluor initio morbi* solet esse *mitis*, pedetentim magis magisque acrescit, ut etiam subinde *excoriationem genitalium* inferat. *Albus* est ut plurimum, nam progressu temporis etiam varius color confluit, ut *flavescat* interdum, *nigrescat*, in *maligno statu virescat*, *inodorus* est, *raro fœtidus*. Occupat *omnis ætatis fœminas*, tam *virgines*, quàm *maritatas*. It. Observatum fuit, quod præter *vetulas*, etiam quandoque *puellæ nondum viro maturæ* hoc fluore correpti fuerint. Item mulieres, quas affligit non solum *extra graviditatis tempus*, sed etiam dum *gravidæ* fuerint. Sic *mulieres*, dum gerunt *gemellas*, *fluore* hoc *continuo* corripiuntur, quod observandum contra eos, qui dicunt ex utero effluere in gravidis impossibile. Item, quod affligat *mulieres menstruosas*, & quibus menses deficiunt, observandum, ut pateat non esse *idem* cum *sanguine menstruo*, nam imprimis *vetulæ* magis,

raro *puellæ* eodem corripi ſolent. *Typum* ſeu *periodum* obſervat *nullum*, cum *incipit*, menſes comitari ſolet, & vel iisdem conjungitur; vel iisdem ceſſantibus aliquandiu perſtat. *Continuari* verò ſolet ſine *typo* aut *intermiſſione*, *continuo effluendo*, nunc *parcius*, nunc *copioſius*, utut etiam tunc circa menſtruum tempus uberius effluere ſoleat. Præſupponitur hic, mulieres in *coitu materiam* quandam cum *voluptate* effundere, quod ſi ergo lympha, quam effundunt, non ſit ſemen muliebre, quod propriè loquendo non habent, ſed *loco hujus* proſtant *ova*, ſequitur materiam hujus non eſſe *ſeminalem*, ſed ejus uſum eſſe, ut ſtimulet mulieres ad coitum; *Quæritur* ſaltem, unde erumpat *hæc materia*? Primus glaciem fregit *Graaf. in Anat. partium genitalium mulier: cap. 6. dicens:* quod *meatus Urinæ* in mulieribus ubique ſit circundatus *ſubſtantia membranacea glanduloſa, analoga proſtatis glanduloſis virorum*, ex quibus, circa meatum Urinarium ſitis, obſervatæ ſunt *lacunæ* ſive apertiones, quæ hiant in orificium Uteri extremum; Has *lacunas* etiam obſervavit *Rhod.* obſervatione 13. c. 6. It. dicit *Barthol.* ex his effluere *liquorem limpidum*, tam in, quam extra coitum.

Fluor ergo albus mulierum, nihil aliud eſt, quàm *Gonorrhæa muliebris*, nempe analoga *gonorrhææ virorum*, ita ut hæc *gonorrhæa mulierum* nunc ſit *vera*, quando *liquor ſeminalis* ex proſtatis glanduloſis effluit, nunc *notha*, quando *alius ichor* ſ. *liquamen ſeroſum* variis quandoque coloribus effluit.

Obſervanda autem eſt *differentia* in hoc *fluore*, nempe alius eſt *levior*, in quo *lympha ſeminalis pauca*, non adeo frequenter *glutinoſa*, *mitis*, ſine ſenſu *ardoris* aut *roſionis*, & ſine *gravi corporis vitio* aut tabe; eſtque ſaltem *gonorrhæa*, in qua dictæ *proſtatæ* leviter ſunt *affectæ*: Et contra obſervatur alius *fluxus*, *copioſus*, *continuus*, ubi varia *ſeroſa*, *tincta*, *acria* excerni ſolent, concurrente totius corporis *cachexia*, *tumore pedum*, *torpore* actionum, flacciditate membrorum & ſimil: qui fluor eſt *gonorrhæa notha*, & oritur *vitio* M. S. *cachectico*, ſ. vitio *chylificationis*. Præ cæteris hos fluores diſtinguit *Heurn.* dum *priorem* vocat profluvium *Uterinum*, *poſteriorem* profluvium *muliebre*, id quod ex tota muliere effluit.

Cauſa Prioris *fluoris* ſaltem eſt *copia* & *turgeſcentia liquoris* iſtius *ſeminalis*, conjuncta cum aliquali glandularum iſtarum proſtatarum *laxitate* ſ. *flacciditate*, unde facile dilabi permittunt dictam materiam &c. Ad hoc diſponunt *coitus* per aliquod tempus *intermiſſio*, *vita ſedentaria*, *laudabilis victus*. Facit huc, quod *virginibus ſalacibus*, & quæ propter humiditatem vaſa *ſpermatica* habent *laxa*, & *ſemen aquoſius* emittunt, hi fluores ſolent eſſe familiares. Poſterioris *Cauſa* inveſtiganda eſt partim in *proſtatis glanduloſis*, partim in M.

tim in M. S. np. in hac gonorrhæa *notha* frequenter peccat materiæ effluentis *nimia acrimonia*, eaque primitus ⊖*sa*, postmodum *acido* ⊖*sa*, ratione cujus non tantum *relaxantur*, sed & *eroduntur* dictæ prostatæ glandulosæ, ut continuo effluat tale *liquamen*. Scilicet *vitium* nunc est in M.S. nunc in *glandulis*, si sc: glandulæ prostatæ nimis flaccidæ, molles & laxiores fuerint, ut tanquam per emunctorium quoddam universale M.Sæ ex cruditatibus stomachi cachecticæ redditæ mucus talis chylosus & liquor crudus evacuetur & transcoletur. Confirmat hoc *Graffius*, *qui* dicit in mulieribus talibus glandulas prostatas *exulceratas repertas* fuisse; Præter has in glandularum flacciditate & erosione causas, accedit *materia acris, salsa, serosa*, tam proprio *vitio*, quàm *vitio fermenti* dictarum prostatarum, à quo ubi tale liquamen elaboratur, ibi conficiunt & excernunt. Quod concurrat M. S. vitium, ostendit status corporis *plethoricus*, *cachecticus*, *tumores* pedum *œdematosi*, *appetitus Qris extinctus* &c. Quod verò per *prostatas* excernatur, fit propter *laxitatem* earum, *flacciditatem*, *erosionem* & similia. Nihil est quod huic theoriæ obstare possit, saltem restat hoc dubium, *unde* nempe tanta sit *ubertas liquaminis* hujus, cum per dictas prostatas non possit tanta copia continuo emitti? Sed quando modo consideremus, quantum materiæ subinde per *nares* effluat, quantum effluat ex *oculis*, quantum *saniei* plorent *ulcera*, & facile possumus concipere, quod per has prostatas vitiosas ex M. S. cacochymia copiosius tale liquamen effluere possit, *malo inveterato*. Simul tandem notandum quod ulteriori scrutinio habet *Horn.* in *prodrom. de partibus genitalibus* in *muliere*, *orificium* nempe *uterinum* esse *glandulosum*, ex quo succus seminalis soleat emitti. vid. von de *Becke*. in *Meditat. circa principia rerum naturalium. pag.* 193. Ubi refert *vaginam uteri* esse *porosam* & continuo quandam *lympham* solere transudare, & humectare genitalia viri in congressu. Interim *Sylvius* asserit, totum *Uterum* esse constitutionis & *naturæ membranaceo glandulosæ*, quod effatum quam plurimis dubiis satisfacit.

Fluor albus per se patet, saltem observet Medicus, ut distinguat *gonorrhæam veram* à *notha*. Nempe, si saltem interdum, nunc *statis* nunc *vagis temporibus* evacuatur liquor *crassiusculus*, *glutinosus*, *serosus*, & in moderata quantitate, est *vera*; si verò in *habitu cachectico*, cum dolore *in lumbis* & circa *os sacrum*, cum juncta *febri lenta*, evacuantur copiosa *acria liquamina* viridescentia fœtida, tenuia &c. Ostendunt *fluorem, album nothum*. *Prior* aliquandiu durat sine insigni mulierum detrimento: *Posterior* verò solet conjunctum habere *prostratum appetitum*, *tumores pedum*, *ructus*, *debilitatem*; quandoque etiam *febrem*, ex genere *febrium lymphaticarum*.

Prognos.

Prognos. *Gonorrhæa vera* nihil habet in receſſu, *notha* verò mulieres ad *tabem*, *atrophiam*, *hydropem* &c. producit. Subinde exulcerantur *partes Uteri externæ*, & *gangrænam* percipiunt: durans mulieres *ſteriles* reddit: quò magis eſt *inveterata*, eo *difficilius* curatur: in *ſenibus* mulieribus decrepitis uſque ad *mortem* adeſſe ſolet.

Cura. Ubi obſervandum, ſi ſingulis Menſibus biduo vel triduo durat & poſtmodum ceſſat, hinc ſuo tempore redit, non eſt *cohibenda*, ſi verò perpetuò durat, *maturè ſiſtenda* eſt.

In Gonorrhæa ergo vera eodem modo procedendum eſt atque in *gonorrhæa virorum*, abſumendo *materiam ſeminalem* & *adſtringendo* partes *laxiores*; optimum remedium eſt *copula cum viro*: ſi vero non eſt *conſultum*, propinetur *ſuccus citri ad* ℥ij & continuetur. *Mala citri* aut *limonum*, tum *ſuccus* exſtillans ex *ſurculis ſalicum* verno tempore aliquandiu uſurpata: *Trochiſci de Carabe*, de *terra ſigillata*, *pulvis mandibularum lucii piſcis* & ſimilia conveniunt: It. *Balnea blanda adſtringentia*, quæ fluidiores proſtatas coerceant.

Primarium ergo in **gonorrhæa notha** eſt, ut *ſtomachi chylificationi* proſpiciatur aut eadem reſtauretur. (2) Ut ſanguinis *cruditas cachectica* corrigatur. (3) Ipſi *fluori* & partibus à fluore læſis *appropriatis*, hinc *nervinis* & *adſtringentibus* ſuccurratur.

Quoad *primum* præmittantur *vomitoria* præmiſſis *digeſtivis*, hinc uſurpentur appropriata *ſtomachica*, imprimis *aromatica*. Quoad *ſecundum*, conveniunt ⊖*ia volatilia oleoſa* & *aromatica*, quæ ſecundum *Sylvium* præſervant à *fluore albo*, unde etiam eundem jam præſentem corrigunt, *ſanguinis vitium*, radicem fluoris albi *eradicando* & *corrigendo*. *Purgantia* in fluore jam *parum* vel *nihil* juvant, quin potius malum exaſperant. *Vomitoria* verò ſunt *optima*. loco verò *purgantium* ſpeciatim conveniunt *ſudorifera* & hinc *diuretica* cum appropriat: V. S. nullum hic habet locum. Ratione *ſudoriferorum* in uſu ſunt *ligna*, *ſaſſafras*. *Decoctum* lignorum, *eſſentia*, Tinctura *lignorum ſaſſafrata*. Pro ſcopo *diuretico* conveniunt *terebinth.* & *terebinthinata*, *terebinthina* in vitell. ovi ſoluta, *balſamus* Sulph. *terebinth.* It. quod commendat *Fonſeca.*

℞. Terebinth. cum ▽. roſar. lot. ℥ß.
Pulveris Coralliorum
boli armen an. ʒß
M. ſumatur bis in ſeptimana.

vel ad imitationem *Riverij*, *pilul.* ex *terebinth.* cum *rhabarbaro*; Hæc una

~~Vel ad imitationem *Riverii pilul.* ex *terebinth.* cum *rhabarbaro*;~~ Hæc unà cum *appropriatis* uſurpanda ſunt: præter quæ *appropriata* ſunt *roſmarinus*: affirmat *Lindanus* ſc. ſolô decoctô *roſmarini* continuato crebrò fluorem mulierum ſe curaſſe: Laudatur etiam *mentha, meliſſa*; juxta hæc ſpeciatim convenit *viſcus quercinus*, tam in *ſubſtantia*, quàm in *decocto*: vid. *Panarol.* Pentec. 2. *obſervat. 48. Sclaræa*, tum propriè dicta *galiopſis flore albo* ſunt optima. Adde *millefolium album*, radic. *filicis, melilotum flore albo* & ſimil. Iſta *ex vegetabilibus* primatum obtinent. It. hæc conveniunt: *mandibulæ lucii piſcis, ebur, ſuccinum* & omnia *ſuccinata, cryſtalli* præparati, *putamina ovorum calcinat: oſtiocolla, oſſa ſepiæ, pumex*, ♁. *diaphoretic. priapus cervi.* Horum omnium vis eò collimat, ut deſtruat *acidum* aut *ſalſum*, quæ in *gonorrhæa* primariò peccare ſolent, *putamina ovorum calcinata*, ex quibus excluſi ſunt pulli, doſ. ʒß. maximè laudantur: it. *pumex* l. *creta* pulveriſata l. *calcinata, lapis oſtiocoll.* eſt ſpecificum *Timæi*, quod uſurpat ad curandum *fluorem album mulierum*.

℞. Magiſter. oſtiocoll. ʒß.

Carneoli præparati ʒiij. corallor. albor. ʒij. ſmaragdi ʒj. Mſ. f. Pulv. doſis ʒj. in ▽. vel *conſerva rorismarini*: vel uſurpetur *pulvis* magis compoſitus, qui videatur infr. *os* quoque *ſepiæ* eſt optim. *priapus cervi* ad ʒß. quandoque ad ʒj. præmiſſ. præmittendis eſt egregius, ex his varia poſſunt fieri compoſita: ſic *pulvis expertus Timæi*:

℞. C. c. uſti ʒij.
limatur. Eboris præparat. ʒiß.
Corallior. rubror. præparator.
ſuccini præparati
boli armen.
Maſtich aa ʒj.
Semin. aniſ.
Cinamomi, caryophyll. aa ℈ij.
Xylo aloës ℈j.
ambr. Moſch. aa gr. IV.
c. ſ. q. ſacchari fiat *pulv.* doſ. ʒß. ad ʒj.

Externa quædam juxta hæc in uſu ſunt: Excellunt *thermæ*, primariò naturales, hinc *artificiales* ex ♀. *Calce viva*, adjunct. *vegetabil.* nunc *nervinis*, nunc *adſtringentibus* paratæ: fiant *inſeſſus*, l. *fomenta*, vel *injectiones Vterinæ*, in ſpecie *ſeſſio in decocto radic: Ebuli* laudari ſolet. Inter *fomenta* excellit *decoctum lignor.* pro lubitu *abluendorum pudendorum* & facienda *injectione*.

℞. Ligni ſancti.
Corticum granator. aa ℥j.
thuris ℥ß.

Mastichis ʒij.
balaustior, flor. rosar. rubr. aa m ß.
infunde ii. ℔. ▽. f. & macerentur per 24. horas, dein ebull. lento △. ad consumtionem medietat. add. *vini austeri* ℔. ij. Colatura v. servetur usui. *Euporiston* m. est, si ℞. *Sclarea*, eaque contusa subigatur cum butyro, & ita quodammodo putrefieri permittatur, tum coque aliquandiu: Colatura servetur pro usu; tempore usus sub forma *unguenti* illinatur ventri ad regionem pubis usque; immittatur etiam aliquid de *decocto ligni* cum *mentha* in uterum. *Hoc unguentum* etiam *dolores gravativos post partum sistit*; *suffitus* ex *thure mastiche, ladan. Gummi Iuniperi, NM. succini* & simil. frequens est in usu; *suffitus ex salvia* etiam commendari solet. *Adstringentibus* simul *abstergentia* combinanda sunt cum *Essent. succini, Essent. traumatica &c.*

FLUOR GALLICUS MULIERUM.

Est fluor muliebris Gallicus, oriundus ex reiterato coitu cum maribus lue ♀rea inquinatis, & exulceratione tam prostatarum glandularum, quàm vaginæ uterinæ, si quid. *Panarol. obs. 14. part. 1.* tradit quòd in tali muliere testium substantia exulcerata reipsa fuerit: talia enim *ulcera* plorant *saniem*, cum insigni *dolore & molestia*; & *curatur* eodem modo ac *gonorrhææ maligna virorum, Terebinth.* remediis ex *lignis* & simil. *Inveterata* verò curari nequit, nisi per modum curandi Luem ♀eam, tam per *sudorifera*, quàm per *salivationem* cum *melle, aloë, ☿. dulci*, it. *linimentum ☿riale*, quod turundis illitum intrudunt in vaginam uterinam, ut mortificetur ulcus jam factum.

DEFECTUS APPETITUS VENEREI.

Præsupponendum est, in quo consistat *appetitus ♀reus* & ista *titillatio s. pruritus*: Nempe *clitoris* pars *peni virili* analoga est, & pars primaria, in qua residet *appetitus ♀reus*, & ibi *titillatio ♀rea* deficit. Rectè etiam *sedem libidinis clitoridem* vocat *Columb. in anatom. 1.* Clitoris tensus & instar penis erectus fuit. In actu ♀reo delectatur adeo, ut affluxu ⌒tuum animalium & sanguinis liquor animalis seminalis ex prostatis glandularum erumpat cum summa voluptate, quo effuso cessat titillatio ♀rea. *Causa* quæ stimulat, est imprimis *turgescentia liquoris seminalis* præcisè circa prostatas glandul. nam muliebria sunt insensibilia; *sensus E. appetitus* hæret in *clitoride*, ratione cujus etiam possunt irritari coitus ♀rei. *Læditur* ergò *appetitus ♀reus* l. quando *imminuitur*, vel *deficit*, quod rarum est, vel quando *excedit*, quod frequentius observatur. *Deficientis* rara sunt exempla; adsunt tamen: nempe, ubi quædam mulieres ♀rem non desiderant, nec ex congressu voluptatem percipiunt. Voluptas non est necessaria, quia etiam sine voluptate possunt concipere. *Causæ deficientis* sunt variæ, & ferè omnes eò collimant, uti vel in *defectum*, vel *paucitatem* liquoris seminalis relabantur: hinc *scorbuticæ* quædam confirmatæ, minus ad ♀rem solent esse procli-

proclives; quia iste *liquor seminalis* minus ~*osus* generatur. Hinc in *gonorrhaea notha* nullus adest appetitus. Faciunt huc *vitia conformationis*, in specie in iis, qui nunquam habuerunt *appetitum ♀reum*. Facit huc *castratio*, quae à *Platero* tanquam possibilis, à *Sennerto* ceu facta recensetur, dum ovaria s. testes eximunt, faciendo incisuram in regione inguinum superiori. Sed nihil est; possunt enim absque his esse salaces, quemadmodum Eunuchi, propter liquorem, qui in prostatis glandulosis observatur.

CURA. In hac observetur, ut, nisi subsit vitium conformationis, *acribus aromaticis* turgescentia & vellicatio *liquoris seminalis* concilietur; hinc *lauta diaeta* uberiori copiâ suppeditetur. Si *morbus* quidam sit, à quo *dependeat*, hic primariò curetur. *Internè* omnia conveniunt, quae fuerunt recensita in *affectibus virorũ*, nempe, quae conveniunt in *seminis generatione laesa* & *penis erectione laesa*. *Externè* conveniunt remedia ex *formicis*, nempe *insessus* aut *balneum*, it. inunctio pudendi *cum oleo formicarum*; *Balsamus apoplecticus* cum *Zibetho & Mosch*. regioni *clitoridis* illitus convenit.

APPETITUS VENEREUS AUCTUS,
aliàs SATYRIASIS s. SALACITAS dicitur.

Nam & in mulieribus ad ♀rem proclivibus clitoris tensus ac turgidus plus minus esse solet. Sic affectae mulieres continuò in ♀rem hiant. Extremus *salacitatis* hujus gradus vocatur *furor Uterinus*, dum malum eò usque assurgit, ut tandem *delirium* inferat, quod delirium *oritur* ex nimio *♀ris desiderio* in talibus. Nempe, *furor Uterinus est affectus complicatus ex nimio desiderio & delirio*. Communis est tam *virginibus* quàm *maritatis*: *vociferantur, inquietae sunt*, non possunt *intra domos* contineri, *iracundae sunt*, & ebrios interdum aggrediuntur *maritos*, eos *ad Venerem* incitant. *Inconditè* loquuntur, multa & varia de *rebus ♀reis* admiscent, *genitalia* contrectant, interdum eadem denudant, & similia. Tales mulieres *congressus* validus & nervosus optimè *restituere* solet. *Schenck. pag. 145.* ubi *de mania*. In hoc enim *furore duo* adsunt *consideranda*:

(1.) Adjunctum *insigne delirium*, quod *mitior* videtur *maniae species*. (2.) Liquoris seminalis *fermentatio & turgescentia*. Utrumque *oestrum venereum brutorum* certis temporibus accidens, declarat. Nam reverà hic *furor Uterinus brutalis quidam impetus* est in foeminis, quae simpl. *ex p. n. ♀. stimulo* in furorem aguntur. Jam verò sicut *furor brutorum* oritur ex *turgescentia & effervescentia geniturae* eorum, quod ostendunt, quia catellis in ♀rem hiantibus effluit liquor albidus, mucilaginosus per genitalia, quod alio tempore non fit; à qua turgescentia sanguis & lympha à partibus genitalibus reflui etiam turgescentiam concipiunt & inquinantur, unde spiritus animales agiliores fiunt, & accedente pruritu genitalium, talis impetus oritur; pari ratione etiam in *mulieribus* materia seminalis *turgida* facta, ista nempe, quae in prostatis circa urethram colli-

colligitur, quæ *turgescentia* easdem ad *venerem* stimulat. Unde in talibus clitoris *phlogosi*, & quodam rubore *tendi* & *tumere* observatur: *vid. Barthol. Cent.3. Epist. pag. 407.* Quibus si accedunt *pollutiones nocturnæ*, *cessantes aut deficientes congressus*, exindè tam insignis *Veneris appetitus* excitari solet. Jam verò hujus *pruritus* ♀*rei* ratione in genitalibus excitatur talis *spirituum animalium* in cerebro *motus*; Ratione cujus tales mulieres continuò concipiunt *actum Venereum*, quo motu inordinato spirituum animalium continuato supervenit *delirium*. Effectum hunc declarant *pollutiones nocturnæ* virorum, in quibus, *turgescente semine* in genitalibus, excitatur *spirituum animalium talis motus*, cujus occasione anima concipit *actum Venereum*, unde *seminis excretio* fit in somnio. Jam verò *deliria* sunt *vigilantium somnia*, & *somnia dormientium deliria*. Unde sicuti tale delirium se habet in somnio in viris, ita in vigilando in fœminis *furore Uterino* afflictis. Jam verò non est dubium, turgescente illo & fermentante liquore seminali, consequenter etiam sanguinem & integram M. S. alterari & fermentationem exindè intendi: unde *spirituum impetus* magis *celer* & *agilis* redditur, ut & ipsi *spiritus animales volatiliores* reddantur, unde tales mulieres sunt audaces, minusque timidæ.

CAUSÆ *remotæ* disponentes ad hoc malum omnes eò collimant, ut *materiæ seminalis ubertatem & turgescentiam* excitent, ut *vita sedentaria*, *curis vacua*, *abstinentia à Venere*, *habitus succiplenus*, *potus generosi*, *aromatibus conditi*. Sic *Sennerti observat.* ex *vino Hippocratic.* in quo *borrax* fuit soluta, quædam in hunc affectum inciderunt. Aliis idem contigit *ex congressu cum viris*, qui ad voluptatem augendam membrum virile *Moscho* & *oleis calidiorib.* inunxerant. Facit huc *excretio* ♀*rea intermissa*; hinc *Moniales* subindè hoc malo corripiuntur, *vid. Bartholin. Cent.3. ep.39.* ubi recensetur historia de *Moniali* huic *furori uterino* obnoxia cum copiosissimis pollutionibus.

CURA. Nihil melius est, quàm nervosus *congressus* validus *crebrius repetitus*. Verùm quando hic non convenit, l. non commodè celebrari potest, *hi tres scopi* observandi sunt: 1. *Materia peccans in primis viis* evacuanda. 2. *Seminis turgescentia* inhibenda; quod faciunt ea, quæ per experientiam cognita sunt, quæ *serum imminuunt*, & *turgescentiam seminis* vel *liquoris seminalis* sistere & compescere apta nata sunt. 3. *Spiritus animales* corrigendi, eorumque *impetuosus motus* sistendus ac coërcendus. *Priori scopo* satisfaciunt imprimis *vomitoria* in paulò majori dosi, quæ ægros debilitando & partim materiale semen revellendo conducunt. Pro *secundo scopo* ad M. S. *turgescentiam* convenit V. S. repetita; hinc usurpentur *acida* sæpius laudata, in specie *succus citri*, *limonum*, *granator.* & similium, speciatim ⊕. & omnia ⊕*tata*, quibus addantur *sudorifera*, it. *serum caprillum* copiosè haustum convenit. Præter hæc omnia superius dicta conveniunt: *Remedia* item *ex cannab. papav. alb. vitic.* & similibus solent laudari.

℞. Sem. Cannab. ℥ij.
lactucæ

portu-

portulacæ aa ℥ij.

c.s.q. ▽. portulac. l. nympheæ fiat *Emulsio*,

edulcoretur *syrupo de nymphea* pro aliquot dosibus. Sic ex *semine viticis* possunt fieri *Emulsiones*: prætèr hæc tamen in specie convenit *salix*, si quidem *decoctum salicis* in specie *noviter progerminantis* jejuno ventriculo aliquoties potum *impetum* ♀*reum* coërcet, imò tandem *steriles* reddere dicitur, vel tempore verno ramuli salicis extirpandi sunt, & ▽ *exstillans* bibenda, quæ optima est. Vel ex hoc *liquore* cum *farina* fiat *massa*, quæ propinetur mulieri *furore Vterino* laboranti. Pro *tertio scopo* optima sunt *opiata* & hinc *camphorata*. *Camphoram* quod attinet, hujus crebrior usus etiam convenit, s. in *substantia*, sive ℞. *camphora* eaque *incensa extinguatur* crebriùs in potu ordinario ægræ. *Externè* conveniunt *fomenta* & *cataplasmata* regioni Uteri externæ applicata, fiunt ex *succo viticis, salicis, hyosciami, sempervir. major. Acetum destil. camphora*, *Saccharum Saturni* & similia frigidè applicata cum *ruta*: *solanum, papaver* in forma *cataplasm.* quoque modò dictis locis applicari possunt.

FEBRES ALBÆ VIRGINUM.

Progrediendum nunc est ad *totius corporis affectus*, qui *mulieribus* ratione *Vteri* vulgò contingere dicuntur. Nempe, cùm videamus quotidiè, quod aliquantum seminalis liquoris etiam in naturaliter constitutis, his, quibus abundat, totum corpus alteret; Hi affectus considerandi sunt ex *Vtero*, à quo tales non sunt, sed contingunt *vitio liquoris seminalis* suppressi vel alterati, vel *Mensium suppressione*. *Vterum* quod attinet, hic variis affligitur passionibus, iisque saltem communibus cum aliis corporis partibus. v. g. nunc *inflammatione*, nunc *tumore aquoso, Cancro, scirrho*; quæ tamen pathemata non uterum solum, sed & alias corporis partes affligunt. De cætero cum reliquis corporis partibus nullum ht. commercium uterus, nisi per plexus nervosos, unde quæ ex Utero fiunt pathemata, per consensum sunt per *nervos*, & sunt *spasmi*, aut *pathemata convulsiva*, ut v. g. quando *parturiunt*. Quando ergò *Vterus* accusatur, minus commodè fieri solet, sed sunt saltem *accusationes Vteri*. Misso ergò Utero, pathemata ista, quæ vulgò tribuuntur Utero, dictum est originem ducere ex *liquoris seminalis* plus minus *turgescentia* & *menstruorum suppressione*. Quod attinet *liquorem seminalem*, in prostatis glandulosis & forsan etiam in vagina Uteri elaboratum, hic ibidem *retentus & turgescens* dat *satyriasin*; retentus enim & suppressus plus minus *alteratur*, alteratus *depravatur*, unde insignis in universo corpore oritur *alteratio*. Saltem considerentur *alterationes*, quæ mulieribus tempore *pubertatis* accidunt, simillimæ iis, quæ viris obveniunt ex causa eadem, multò magis ergò ex *inquinata M. S.* evenerit symptoma, quæ inquinata est ab hoc *liquore seminali*. Primò considerandus venit *pallidus virginum color, s. febris virginum alba, it. Uterina alba*. Hæc *chlorosis* malè confunditur

funditur cum *cachexia mulierum*, quæ *Mensium suppressionem* secum trahit, & quæ *communis sexui muliebri* it. communis tam *maritatis*, quàm *non maritatis*. *Chlorosis* verò *propria* est mulieribus *nondum maritatis*, l. maritatis licet, quibus tamen non satisfitâ maritis. *Chlorosis* ergò est affectus *proprius virginibus & viduis*, aut mulieribus, quibus mariti non satisfaciunt. Tales *pallent*; *sublivido* nonnihil *colore* tinctæ sunt, sub oculis *coronam* quandam quasi subrubescentem habent, *anxiæ* sunt sine manifesta causa, *tristes*: *menses* non semper sunt suppressi, sed ferè ordinarii circa statas periodos fluunt, utut, malo ulterius procedente, supprimi soleant. In Chlorosi *febris lenta* & *inordinata*, *obscura* tamen & ægris *vix sensibilis*; *pulsus* est *inæqualis* & *varius*. Tales vulgò putantur laborare *mensium suppressione*, quod non semper verum est, sed *mensium suppressio* supervenit tanquam *effectus*, & posito, quod adsit, quæritur, cur restituantur tales per coitum; quod non fit in suppressione mensium laborantibus? Certè congressus, quà talis ad cachexiam sanguinis aut mensium suppressionem parùm valet: Hinc *Lindanus* dicit, tales fœminæ, quæ pallent, non semper hoc patiuntur ex mensium suppressione, sed volunt cohabitare viro. Nempe vitium *oritur* ex *liquore seminali suppresso, alterato* & tandem plus minus *corrupto*, mediante quo, tanquam fermento M. S. communicato, alterantur & secernuntur ab hoc succi inquinati; unde talis *color, febris lenta* & simil. supervenit tandem *mensium suppressio*: Nam, uti semen sub pubertatis annis vigorem corpori communicat, ita p. n. corruptum corporis habitum pessundat, donec per coitum excreto isto liquore corrupto, & spiritu genitali maris novo fermento partibus genitalibus inspirato de novo effervescat; & sic reddatur corporis color floridus. Hinc virgines pallentes sæpe dant mulieres pulchras: Et certè *Panarol. Pentec. 3. obs. 14.* quòd si talis *febris alba* oriatur à mediis hisce, per *conjugium* medicandam suadet. Ex *liquore* ergò *seminali & coacervato & alterato oritur* hoc malum, præter quæ etiam alia mala ex *inquinatis succis corporis nostri* superveniunt: Hinc *corrupta M. S.* & *lympha hystericos cruciatus* cum *tetano convulsivo* infert. vid. *Panaroll. Pentec. 4. obs. 1.* qui observavit mulierem *tetano convulsivo* corporis universi correptam, cum *passione hysterica*, quæ fuit restituta superveniente *uberiori seminis* per aliquot dies *profluvio*. *Conf. Lemnium in herb. l. c.* qui habet discursum non inelegantem, quod ex hac causa etiam mulieres, quibus menses adhuc fluunt, varia pathemata soleant affligere. Hinc *Deodat.* in suo *valetudin. pag. 171.* observavit juvenculam mulierem, quæ post obitum mariti, ex *retentis excrementis* in coitu, omni mane *vomitus horrendos* per integrum annum passa est, cum *tetano totius corporis*. *Hildanus* hac ex causa in *Monialibus graves vomitus* oriri asserit. *Boyle* in *Physica experimental.* exemplum habet de *virgine sensu tactus* in universo corpore orbata, quæ per *coitum repetitum* fuit curata. Hinc subinde graviores *convulsiones & epileptica symptomata* superveniunt *virginibus nubilibus* & *viduis* salacibus, propter *liquorem seminalem retentum*, qui

qui corruptos nervos afficiendo *ſymptomata ſpaſmodica* inferre ſolet: ſed hæc pathemata non ſunt adeò frequentia, quia vel per *matrimonium* vel per *pollutiones nocturnas* curari poſſunt. *Difficile* autem eſt negotium *cognoſcere* hos *affectus*, qui oriuntur ex *vitio liquoris ſeminalis retenti, corrupti & alterati*. *Febris alba* quidem ex *pathematibus* facilè cognoſcitur, verb. gratia in ſpecie *oritur ex liquore ſeminali* (*ſuppreſſo* innuitur) cum citra *errorem diæta* malum inchoavit, & fluentibus menſibus *mulieres nubiles ſalaces* hoc malo corripiuntur. Confirmatur, conjectura, ſi *virgo* aut *mulier nubilis* fuerit, & aliàs fuerit *petulans*, facta verò poſtea, *triſtis, anxia*, & in alium ſtatum *mutata*. Accedit, ſi mulier ſit *vidua*, ſi adſit *diæta lauta*, *vita ſedentaria*, *potus generoſus* & ſimilia *liquorem ſeminalem* augentia. His & ſimilibus confirmatur Medicus, ut habeat ad hæc *mala* reſpectum *ex liquore ſeminali derivanda*.

PROGNOS. Variat, prout variant ſymptomata.

CURA. Nil facilius aut magis in promptu eſt, quàm *congreſſu valido* curare. Verùm ſi non liceat, ad *remedia alia* accedendum: Interim tamen pauca vel nulla horum apud Autores fit mentio, aut ſi fit mentio, ſunt *anti cachectica*, ſed malè; Eò ergò omnibus viribus collimandum, ut *liquoris ſeminalis vitium* corrigatur; M. S. *dyſcraſia* emendetur; hinc variis inde natis ſympt. *appropriatis remediis* poſtmodùm ſuccurramus. *Symptomata* quæcunque obvia eorumque truculentia ſiſtenda eſt *opiatis*, quæ tamen in talibus malum ſaltem palliativè, non autem radicitùs curant: Saltem nempe *ſymptomata mitigant*. Eminet ergò inter *remedia ſemen alterantia & corrigentia*, hinc M. S. *dyſcraſiam*, & *ſpirituum animalium* vitia emendantia *camphora*. His *opiata* ſpecificis permiſta adjungantur, *ſuccinum* & *ſuccinata*, ſpeciatim quidem ⊖. *volatile ſuccini acidulū*, quæ ſunt *ſingularia*, quando etiam *hyſterica pathemata* & *convulſivos affectus* tollunt. His addantur *Myrrhata*, cujus balſamica vis corruptionem liqvoris ſeminalis efficaciter emendat, in ſpecie *eſſent. Myrrh. & ♈*. ⊖. *dulcis* aut *ſpiritus* ⊕. *dulcis* Convenit etiam *caſtor*: & omnia *caſtorina*. Tandem habemus *ſacharum ♄ni cryſtalliſat. mineram ♄ni* parat. *c.* ♈. ⊕. acuat. *c.* ✠*to*, quo menſtruo eliciuntur ex minera ♄ni pura *cryſtalli*, egregii in hujuſmodi affectibus primariò, quando occaſione talium vitiorum *delirium* imminet, ſiquidem & vitioſum ſaporem humorum corrigunt, & M. S. efferveſcentiam ſiſtunt. His addantur *acida moderata*, nempe *citrus* & *citrata*, cydoniata, granata: omnibus addatur ⊕. & omnia ⊕*ata*, utpote quæ *mala ex corruptione liquoris ſeminalis* & ejus *turgeſcentia* ſolent ſiſtere. Forſan & *terebinthinata* partibus & menſtruis *locis mundandis* dicata, hîc ſuam merentur laudem. Tandem V. S. it. remedia *ſeminis abundantiæ* dicata & ſimilia hîc locum obtinent.

CACHEXIA MULIERUM.

Altera horum morborum *Claßis* eſt, quæ oritur ex *menſium ſuppreßione*. Hos inter affectus, qui ſequuntur *menſium ſuppreßionem*, primariò refertur

Cachexia

Cachexia muliebris, eadem cum *cachexia* in genere, de qua dictum. Saltem in mulieribus jungitur *menſium ſuppreſſio*, quæ quidē habetur illius cauſa, d. propriò loquendo ſaltem eſt effectus *Cachexiæ*. Nam habitus ſanguinis *cachecticus* aut *cacochymicus* à naturali aut ſpirituoſa craſi degener factus, ineptus eſt, ut ſubeat fermentationem menſtruam, & ſic ſecum trahit *excretionem menſtruorum læſam*. Saltem ergo *curetur cachexia* more communi, per *vomitoria*, ♂*tialia*, & hinc *aromatica*, quibus poſtmodū *menſes ſtimulantia* ſunt addenda. Cæterum præter hoc, quod *Menſium ſuppreſſio mala cachectica* ſoleat exacerbare, etiamſi ex quacunque cauſa ſupprimantur, ſic enim non tantum *inflammationes partium eryſipelaceæ* ex acido ſanguinem coagulante, ut *pleuritides, anginæ*: Verum interdum & *Epilepſiæ* inducuntur, & in ſpecie *omnis periodus menſtrua* miram ſolet inducere tragœdiam; ſuperveniunt *picæ* diſponentes mulieres ad periculum *paſſionis hyſtericæ*: ſuperveniunt *Epilepſiæ* & *motus convulſivi*; fiunt *melancholiæ*, quæ *melancholia* dicitur eſſe *ex Utero*, cùm tamen ſaltem ſit *melancholia hypochondriaca*. Interdum etiam *ſcirrhi* & *tumores viſcerum*, ſpeciatim *lienis* ſupervenire ſolent, unde poſtmodùm ex ſplene tam varia mala adducuntur; Cùm *ſplen affectus* ſit conſequens *menſium ſuppreſſionis*. Ulterius *cephalalgiæ inſanæ* & *contumaces* talibus mulieribus ſunt frequentes; *palpitationes* & *ſenſus palpitationis* in variis corporis partibus, primariò in lumbis & regione ſuperiori percipiunt. Tandem *depravatur* etiam ſucceſſivè magis magisque *ventriculi fermentum*, hebetatâ bile ſuperveniunt *leuco-phlegmatiæ, hydrops* & ſimil. ut plurim. *chronici affectus* difficilè curabiles. In his notandum eſt, quòd ſemper ſoleant exaſperari *periodô menſtruâ*, utut tandem, quando periodus menſtrua obliterata eſt, continuò aut ſaltem erratico modo *ſymptomata talia* ſoleant affligere. Omnia ſuperveniunt ſpeciatim *ex vitio menſium ſuppreſſorum*, idque imprimis, ſi ex improviſo ſupprimantur; & quidem ex duplici ratione: (1.) Ex ſanguinis excernendi retenti *quantitate*: (2.) Ex ſanguinis retenti *vitioſa qualitate*. Quod attinet *quantitatem* ſanguinis excernendi, dum nimius eſt ſanguis, minus aptus eſt & æquali per vaſa circulationi, & debitæ in præcordiis fermentationi, unde à debita fermentatione & efferveſcentia cohibitus minus ſpirituoſus, d. vapidus, iners, & glutinoſus evadit, unde *anguſtiæ præcordiorum, palpitationes, cephalalgiæ, pulſationes inflammatoriæ, difficultas reſpirationis* & ſimilia oriuntur. Quoad *ſecundū*, præmonendum, quòd licèt *ſanguis* ſub nomine *menſtruorū* excernendus, ſit & naturæ & qualitatis ejuſdē cum ſanguine, qui poſt excretionem in corpore reſtitat, tamen eo ipſo, quo tanquam ſecernendus per fermentationem menſtruam à reliqua M. S. ſeparatur, certam alterationem induit, & proprietatem acrem eroſioni aptam, ſive TRam aluminoſam acquirit; unde *ſanguis* tali *charactere* inſignitus & *vitioſo acore* inquinatus reliquæ M. S. mixtus eandem alterare & à naturali ſtatu deturbare ſolet. Unde etiam alteratis ſuccis reliquis,

digeſtio

digestio prava, melancholia, tensiones hypochondriorum, pica &c. originem ducunt. Nam in fœminis *mensium suppressione* laborantibus peccare re sole imprimis *vitiosum acidum austerum*, idque ludre tragœdiam, in specie in *abdomine*, postmodùm etiam in *nervoso genere* & aliis locis, confirmat *Methodus medendi* per *acidum destruentia* instituenda. *Cognitio affectus*, quòd sequatur *mensium suppressionem*, patet ex relatione ægræ.

CURA. In *Cura* horum affectuum *duo scopi* attendendi, nempe (1.) corrigenda est *sanguinis & reliquorum succorum vitiata crasis*; speciatim corrigendum est *acidum austerum.* (2.) Stimulandum est *fermentum sanguinis menstrui*, ut redeant *menses* in debitum fluxum, & quidem præmissis præmittendis: *Remedia utrique scopo satisfacientia* conjunctim usurpanda veniunt; nam frustrà curantur *menses*, nisi *sanguinis dyscrasia* sit curata, & hæc non potest curari, nisi *menses* incipiant. *Primo* igitur *scopo* conveniunt *martialia* ac similia *vitiosum saporem absorbentia & corrigentia*, hinc *aromatica*, naturalem *fermentationem ac volatilitatem* sanguini restituentia. *Posteriori scopo* satisfacientia sunt *aromatica volatilia*, ⊖ *ia* plus minus *oleosa* & *aromatica*, quæ talia sint, ut *mensium fluxum* promoveant, s. *menagoga*, uno nomine; methodo eâdem, quâ *cachexia* & *mensium suppressio* curantur, etiam hi affectus curari debent. Pro *symptomatum* autem *varietate* etiam *specifica* ordinanda sunt, v. g. si supervenit *Epilepsia* l. *motus convulsivi*, præter *Cinnabarina*, remedia ex *Castoreo* & *succino* sunt optima: sic in *palpitatione Cordis* remedia ex *Corallis* sunt admiscenda; Si *cephalalgia* urgeat, ⊖ *ia volatil.* & *antiscorbutica*, ut *liquor C. C. succinatus &c.*

SUFFOCATIO UTERI.

Inter *affectus mulierum*, qui *Uteri vitio* supervenire dicuntur, primatum obtinet pathema, quod *Suffocationem Uterinam* vocant. Ita dicitur à primario symptomate, nempe ab *angustia præcordiorum*, & adjuncta *respirationis summa difficultate*, ita, ut taliter constitutæ mulieres singulo momento se suffocari putent, imò interdum ad aliquot horas *mortuorum* instar jacere solent, *sine respiratione & pulsu.* Vocatur etiam *strangulatio Uteri*, *adscensus Uteri*, ab *Helmontio Asthma muliebre*, à *Paracelso Caducum Uteri*, qui ad *Epilepsiæ* speciem refert; à modernis *suffocatio hypochondriaca.* Tales mulieres in abdomine & ventre infimo percipiunt subinde *rugitus* & *borborygmos*, hinc supervenit interdum *motus cujusdam globi*, hinc indè impetuosè in abdomine moti & agitati, & ab inferiori loco ad superiora pedetentim adscendentis: adsunt ferè semper nunc *hypochondriorum tensio*, nunc *distensiones*, quandoque conqueruntur de *inflatione regionis hypogastrii*, *tensione* & *dolore tensivo*, *distensione*, simulque *inflatione* horum locorum *à flatibus*, qui admodùm copiosi adsunt; Nam copiosi *flatus* quandoque per os, quandoque per anum exspirant: *Oscitant* crebrò, *pandiculationibus* sese extendunt, idque imprimis paroxysmo inchoante: *dolores* crebri *in abdo-*

in abdomine tales cruciant, iique lancinantes & contorquentes, subindè etiam distendentes: *dolores* utplurimùm sunt *vagi*, rariùs *fixi*. *Appetitus* imprimis in paroxysmo semper est *prostratus*; (Rarum est, quòd observata sit *intensa fames* post paroxysmum) & quæcunque assumunt, *vitioso sapore* inquinata apparent. *Alvus* utplurimùm est *constipata*, & mulieres tales ordinariò *alvi durioris* esse solent; hæc verò si aperiatur, l. spontè, vel mediante clystere, levamen solent percipere, speciatim, si *flatus* simul *copiosi* erumpant. Interdum *sonitus* & quasi *voces quædam* ex imo abdomine audiri videntur, ut etiam à Dæmone credantur obsessæ. Subindè *vomitus* adsunt; in paroxysmo sæpe insignis est *vomendi conatus*, accedente insigni *præcordiorum anxietate*, ut dicant: Es sey ihnen das Hertz / als wenn es in einer Presse lege; it. Es wolte ihnen das Hertze abtrücken: quibus accedit *cordis palpitatio*, cum *pulsu* raro, parvo, debili, subindè intermittente & ad sensum abolito; quibus præsentibus non procul abest *syncope*: *respiratio* est *difficilis*, *inæqualis*, *interrupta*, ut *suffocatio* immineat, & in malo graviori *respiratio ad sensum* est *abolita*: Quædam verò conqueruntur se percipere *in collo angustias*, quasi laqueo constringantur: *Vertigo* & *scotomia* in principio *paroxysmi* ordinariò se ostendunt, & mulieres tales, si easdem incipiat corripere *vertigo*, certæ sunt de imminente *paroxysmo*: Quandoque perfecta adest *scotomia*, tandem *tenebræ* circa *oculos* sese præsentant, & tandem corruunt: Interdùm in *copiosum risum* solvuntur, utut hoc iis invitis accidat. Subindè *delirium* adest, & in *paroxysmo* varia non rarò *ridicula* loquuntur: subindè miras *gesticulationes brachiorum* aut *pedum* exercent. In graviori malo graves *epilepsiæ* insultus accidunt, & tam atroces, ut stuporem injiciant, quale robur habent in membris ab Epilepsia correpti: sensus & motus ferè abolentur; Nam rarum est, quòd talia *convulsiva* adsint *symptomata* superstite sensu: *post paroxysmum* omnia sciunt. *In paroxysmo* ferè sunt *aphonæ*, etiam *sensibus illibatis*. Cæterùm rarum est, quòd *perfectæ convulsiones epilepticæ* superveniant, saltem circa *abdomen & thoracem* hujusmodi symptomata affligunt. In *paroxysmo* & quidem in *principio* & *incremento* ad tactum *frigescunt*, in *statu calescunt*; tandem superveniente *sudore* paroxysmus ad *declinationem* tendit, at non sunt securæ, nisi largiùs superveniat. Quod attinet *subjecta*, hæc pathemata infestant promiscuè *mulieres* pariter & *virgines* & *maritatas*, *juniores* ac *vetulas*, imò interdũ *ante Mensium fluxum*, sicuti non rarum, vetulas, *cessantibus Mensibus* hæcce pathemata pati. *Symptomata* non sunt eadem in omnibus, d. in quibusdam *plura* aut *graviora*, in aliis *pauciora* aut *mitiora*, in specie *dolor abdominis* cum *præcordiorum angustia* & *difficili respiratione* solent tales mulieres affligere. *Causas* inter *remotas* vel ad *passionem hystericam* quæ disponunt, & in dispositis *paroxysmum* excitant, sunt (1.) *passiones animi* graviores, in specie *ira*, in quibusdam etiam

etiam *terror*: certè nil frequentiùs eſt, quàm quòd mulieres ex graviori *audacia* paroxyſmum hyſtericum incurrant; Sicut *Primeroſius* ab *ira, mœrore, malo nuncio* paſſionem hyſtericam excitatam fuiſſe obſervavit: in ſpecie *ira* & *fervor*, maximè *paßionem hyſtericam* movere ſolent. (2.) *Odores fortes* fortiter nares ferientes, qui in hoc affectu ſtupendorum ſunt effectuum, tam in *excitando* quàm *curando* paroxyſmo. Utque *ſuaveolentia, Moſchus, ambra, Zibethum*, & interdum *Roſar. odor* ſolent hæc pathemata, ſi nempe naribus admoveantur, excitare; ſic genitalibus admota ſolent compeſcere eadem: graviter verò *fœtentia, Caſtor. aſafœtida, cornu raſpat.* & *accenſ. camphora* naribus admota ſiſtunt hæc mala: ſed hoc non eſt univerſale; proſtant enim obſervationes mulierum, quæ in *paßione hyſterica* optimè potuerunt perferre *ſuaveolentia*, *graveolentia* verò non item. Sic mulieres inveniuntur, quæ *ab odore caſtorei* ſentiunt commotiones hyſtericas, vid. *Horſt. 1. Obſ. pag. 582.* ubi dicit, quòd *graveolentia* non omnibus proſint ſuffocatis, iis nempe nocent, quibus unà *inſultus* aut *convulſiones epilepticæ* adſunt, aut quibus *caput* eſt *debile*, *Hochſtett. pag. 477.* Certè ſi in quo alio negotio, in ſpecie in mulieribus magna eſt habenda ratio idioſyncraſiæ; hinc enim quod huic prodeſt, alteri nocet, & vice verſa. Hinc quædam levantur *pice* incenſa, ♀re incenſo, *Caſtoreo, balſamo apoplectico, &c.* nam, ſi *odor contrarius*, paroxyſmos incurrunt, & quando *incipit paroxyſmus*, ſentiunt malum *circa regionem ſtomachi.* (3.) Mutatio *ſtatus muliebris*, ſpeciatim quando redduntur *gravidæ* & ſupprimuntur *Menſes*: Hinc enim videas *virgines*, quæ optimè perferunt *ſuaveolentia*; ſi fiant *uxores* & *gravidæ*, non poſſunt ferre eadem ſine præſentaneo periculo *paßionis hyſtericæ*; Et in ſpecie ſi fiant *gravidæ*, inprimis ſi ſint non nihil *cacochymicæ*: Ceſſante puerperio eadem iterum perferre poſſunt. (4.) *Dulcia*, quæ ordinariò paroxyſmum ſolent revocare, ut *ſacharata, ſyrupi, mellita*, & ſimilia, non ergò præſcribantur *dulcia*. Sic vetula quædam comedens ſaltem *paſſulas*, incurrit *paßionem hyſtericam*. Hiſce præmiſſis in ſpecie accedendum eſt ad *cauſam proximam & ſubjectum patiens.* Notum eſt, quòd in hujusmodi pathematibus accuſetur *uterus*: nempe dicunt, quòd *Vterus* vel *ſanguine menſtruo*, vel *ſemine*, vel *ſimili materiâ* retentâ & coacervatâ turgidus eſſe ſoleat.

(*Subjectum* horum affectuum) ita quidem, ut, ſi ex quacunque cauſa moveatur camarina uteri, propter *flatus & miasmata mala* ex Utero exſpirantia ſurſumque delata, omnia iſta ſymptomata oriantur; quin imò Camarinâ Uteri commotâ ſurſum feratur ipſe uterus, unde ſenſus globi alicujus in abdomine variè moti verſus diaphragma & Cor, unde *anxietas*. Hanc verò theoriam revellunt primò Uteri *ſitus*, ejusque firma cum inteſtino recto, it: cum oſſe pubis, per ligamenta *colligatio* atque *connexio*, ut impoſſibile ſit Uterum ſuo loco moveri, ut hinc etiam *Vteri procidentia* ſit falſa. (2.) *Anatome* ipſa, quum ſæpisſimè

ſimè in ægris paſſionibus hyſtericis mortuis Uterus inſons & loco naturali fuerit repertus. Sic *Williſius de morbis convulſivis cap. 6. pag. 92.* habet exemplum mulieris hyſtericis paſſionibus graviſſimè laborantis, cujus corpus cùm poſt mortem aperuiſſet, Uterum invenit inſontem, verùm juxta Meſenterii plexus nerveos in molem attolli & elevari ſolitos, viſceris illius membranas ab invicem divulſas & ſolutas vidit. (3.) *Experientia* virorum, qui affectu *paßioni hyſtericæ* ſimili ſubindè corripiuntur. Nam nil rarum eſt, quòd mares *malo hypochondriaco* graviter laborantes patiantur ſymptomata ſimilia iſtis quæ tales mulieres patiuntur, non tantùm *motum globi*, ſed etiam *ſuffocationes imminentes* & ſimil. it. ſunt viri, qui *odores ſuaveolentes* non poſſunt ferre. Ita *Williſius* in *pathologia cerebri* habet virum paſſione hyſterica correptum, vid. & *Barthol. Cent. 1. hiſtor. 45.* cujus auriga ſi fuiſſet mulier, is ſtatuiſſet, eſſe paſſionem hyſtericam. *Hochſtetterus dec. 5. cur. 21.* habet contracturam gulæ ſpasmodicam cum variis abdominis affectibus hyſtericis. In praxi enim frequenter occurrunt viri, qui habent ſimilia ſymptomata, ac mulieres hyſtericæ, & etiam ſimili modo curantur, ut per *caſtoreum* & *volatilia*. Sic habui aliquando Studioſum, qui graviter laborabat *malo hypochondriaco*, hic factus ægrotus omni mane circa mediam noctem evigilabat, & vigil factus percipiebat *gravia murmura* in abdomine, ſimulque *copioſi flatus* abdomen diſtendebant. Sequebatur inſignis *reſpirandi difficultas*, ut ſemper ſuffocari videretur, cum *cordis anxietate* & *palpitatione*. Referebat: Es ſey ihme/ als wenn er zuſammen gepreſt were. Hinc superveniebat *ſenſuum internorũ* imprimis quædam *perturbatio*, donec ſub una vel altera hora, ſuperveniente ſudore, paroxyſmus evaneſcebat. Si hæc ſymptomata corripuiſſent mulierem, omnes dixiſſent: Es ſey die Mutter-Beſchwerung. Curabatur, præmiſſo *vomitorio* & *♂tialibus*, per *⊖ia volatilia* & *♀rea*, & hinc *carminativa aromatica*. Sic quoque aliquando juvenis nobilis curabatur à me, qui patiebatur genuinam *paßionem hyſtericam*, dicebat ſe eſſe proclivem ad *Colicam*, it. ad *Epilepſiam*, ita quidem, ut ſubindè graves patiatur inſultus abdominis; *contrahitur*, quoties *dulcia* quædam comedit; *epilepſiâ* corripitur, quoties *irâ* aut *terrore* afficitur; ſubindè utrumque coincidit. Quando edit *dulcia*, dicit: Es ſey als wenn es Ihm grimme/ und kähme allmählig von unten herauff. Tunc circulum circumdat circa pectus, ut ſi *ſenſationes Colicæ* ſuperveniant, ne ſuperiora verſus adſcendant. Affectus hic ſi eſſet in muliere, eſſet *paßio hyſterica*; Sed eſt juvenis *hypochondriacus*: Hinc *♂alia*, hinc etiam *ſpiritus ⊖ ✱ci*, & *emplaſtrum de Galbano* impoſitum ſolet eum curare. Veterum ergò rejectâ ſententiâ modernorum *duplex* eſt *hypotheſis*, [1.] *Sylvii*, qui dicit & derivat ex *acido auſtero* peccante, ſpeciatim *pancreatis* vitioſè in inteſtinis effervescente; undè *flatus* & *dolor abdominis*, quô ad M. S. delatô ſupervenit *coagulatio* & *dolor præcordiorum*; Curatque per *⊖ia volatilia oleoſa*. [2.] Eſt *Williſii*, qui paſſionem hyſtericam ad *morbos convulſivos* & *affectus ſpaſmodicos* refert: Hinc *Scorbutici* &

hypochon-

hypochondriaci, non mirum eſt, quòd talia ſymptomata patiantur, quorum Syn-
drome vocatur *paßio hyſterica*; ita ut dicat *Sylvius*, malum hoc eſſe *malô hypo-
chondriaco* gravius affligens : dicit enim *Williſius de morbis convulſivis cap. 10.
pag. 165.* ſe quaſdam nutrices *paßione hyſterica* mortuas aperuiſſe, & utero in-
ſonte inveniſſe in occipite principia nervorum ſero acr imadida ac ferè immer-
ſa: deducit ergò *paßionem hyſtericam* à *⌒bus animalibus* principia nervorum in-
tra cerebrum occupantibus malè affectis, quatenus in confuſionem acti vel hu-
moribus vitioſis perfuſi copulam exploſivam ſibi adſciſcunt, quam unâ ſecum
in canales nerveos deducunt. *Hochſtetter. caſ. 3.* dicit: ad *ſpaſmum* mihi vide-
tur accedere *Vteri error*, qui ſi reliquis cognatis *nervoſis partibus* communicetur,
aſſurgunt & illæ in hoſtem, maximè, ſi vapor vellicans ad cor accedit. Tu-
tiſſimum eſt mediâ incedere viâ: utramque ergò hypotheſin certo modo com-
binemus; & quidem verum eſſe, quòd in paſſione hyſterica & ſymptomatibus
ejusdem peccet primariò *acidum*, vitioſum & à naturali ſtatu degener factum,
monſtratur [1.] Quòd *ſcorbuticæ*, & *hypochondriacæ* mulieres paſſioni hyſtericæ
inprimis obnoxiæ ſint , & quòd mares *malo hypochondriaco*, *graviori* correpti
eadem ſymptomata ſuſtineant; Hinc tales mulieres *purgatio* etiam levis, mo-
vendo tamen camarinam, inſigniter lædere ſolet, & paroxyſmum hyſtericum
reſuſcitare: Cautè ergò purgandæ mulieres ſcorbuticæ : [2.] Quòd *ſanguis*
in talibus quodam modò *coagulatus* eſſe ſoleat, à cujus in præcordiis *ſtagnatione*
anxietates, ἀσφυξίαι & *ſyncopæ* originem ducunt, vid. *Williſ. l. 1. p. 28.* qui *viro
hyſterico* V.S. adminiſtravit , unde *ſanguis minùs fluidus* ſed *grumoſus* extractus
fuit. [3.] Rejecta per *vomitum* arte ſive ſponte ſunt *æruginoſa, porracea*, in qui-
bus peccat primariò *acidum* præcipitans bilem in iſtum virorem. [4.] *Dulcia*
facilè fermenteſcentia & aceſcentia *paßionem hyſtericam* inſigniter exacerbare
ſolent: unde talia *dulcia* omnibus *hypochondriacis* ſunt moleſta, generant *flatus*
& ſimilia. [5.] Quia remedia, quæ *acidum* deſtruunt, nempe ♂*tialia* extra
paroxyſmum *præſervativè*, ⊖ *iav. volatil.* in paroxyſmo *curativè*, præ cæteris ſuc-
currunt: hinc *Barbett. in praxi* medicamenta *antiſcorbutica ad paßionem hyſteri-
cam* commendat. *Lang.* in *Fabr.* dicit: omnia *anticolica*, quæ *ſtranguriam* & *ardo-
rem ſtomachi* compeſcunt, convenire *hyſtericis*. Quod autem præter hoc *aci-
dum* etiam adſint *ſpaſmi* & *motus convulſivi* tam partium abdominis quàm thora-
cis & laryngis, patet, præter 1. *convulſiones epilepticas*, quæ frequenter in fine
aut ſtatu paroxyſmi ſolent erumpere, 2. ex ſenſu iſto *globi* in abdomine com-
moti & ſurſum verſus cum impetu retracti , qui videtur *plexus nerveus Meſen-
ter. major eſſe* , qui convulſus cum partibus annexis *in globum* contorquetur,
& ſurſum verſus retrahitur. Hinc tertiò fit, quòd *hyſtericis* ſuperveniat non
rarò *riſus*, iisque invitis, qui eſt *Sardonius*, natus ex *convulſione diaphragmatis* ſ. *mo-
tu convulſivo* , ſicut & *diaphragma* tonicè *convulſum difficilem reſpirationem* &
dolorem circa regionem cinguli repræſentare ſolet. Jam verò *convulſum dia-*

phragma & reliquos *muſculos* thoracem moventes, ſimili *ſpaſmo* corripit ; quia omnes muſculi thoracem moventes habent conſenſum cum nervis intercoſtalibus, ex quibus habent ſuos ſurculos. 4. *Spaſmos* etiam teſtantur *dolores abdominis lancinantes & contorquentes* varii & hinc indè oberrantes, qui tales *ſpaſmodicos & convulſivos motus* , quales interdum *ſcorbuticis* ſolent eſſe frequentes, excitant; hinc mulieres talia *pathemata hyſterica* incurrunt, ſimili ratione, atque mares *nephritici* patiuntur *Colicam* & *dolores abdominis* per conſenſum ſpasmo laborantis : ſic ſi mulieres corripiantur *nephritide, Colicâ*, vocantur *pathemata hyſterica*, quatenus nervi renales ex iisdem plexibus ac nervis inteſtinorum & ſtomachi oriuntur. Talis *dolor abdominis lacerans & torquens* frequens eſt in *infantibus*, unde tales mulieres dicunt, eſſe *epilepſiam internam*; & quidem rectè : Hinc nempe poſt *tormina* ſuperveniunt *motus convulſivi artuum*, dicunt: Die Schwerenoth bricht auß. Dum autem ita convelluntur inteſtina, *flatus* in iis geniti & concluſi variè oberrando iſtos ſonitus, murmura & borborygmos, quales in *paſſione hyſterica* ſentiunt, ſolent inferre: *Acidum* ergò *peccans*, & indè nati *ſpaſmi* combinandi ſunt. Quod ergò attinet *modum fiendi*, complicatiſſimus eſt affectus: *oritur* nempe ex vitio in inteſtinis, ab *acido*, forſan *pancreatico* p. n. conſtituto, cum *bile efferveſcente*, ex qua efferveſcentia *copioſi flatus* oriuntur & inſequenter iſti *ſonitus & borborygmi abdominis*. Ab hoc *acido* ulterius procedente, *ſanguinis* etiam *coagulationes* & *ſtagnationes* circa præcordia oriuntur; His conjungitur perturbatus & depravatus ⌒*tuum animalium* motus, & primariò in nervis intercoſtalibus & pari vago , in quibus inordinatus ac exploſivus iſte motus ſpirituum animalium percipitur, ſub cujus inchoamento in cerebro *deliria* & *ſcotomiæ* oriuntur; ſub progreſſu *ſpaſmi abdominis & thoracis*, ut etiam, cordis muſculo quodammodo convulſo, *palpitatio* hujus atque *compreſſio* oriatur : Interdum præcedunt *pathemata abdominis*, interdum *nervorum*. *Illa*, dum paroxyſmus originem ducit occaſione *efferveſcentiæ vitioſæ, ab acido* in inteſtinis; unde ex irritatis ab iſto acido partibus nervoſis, *ſpaſmi interni*, & membrorum externorum *convulſiones* oriuntur: Et quando oritur ex *ira* , *eſu dulcium, nephritide, &c.* interdum præcedit *ſpirituum animalium impetus* & *motus exploſivus* & per nervos agitatio inordinata; hinc *ſcotomiæ, varii colores*, ante oculos apparentes & ſimilia, inchoante paroxyſmo fiunt, inprimis quando *odores, terrores*, aut *ira* primariò excitant paroxyſmum; *odores* enim fortiter afficiendo commovent ſenſuum organa & procellunt ⌒, eosque ad motus inordinatos cogunt , quâ occaſione *pancreas & porus biliarius conquaſſata* effundunt ſuos ſuccos. Obſerva autem, quòd, prout plures aut pauciores ſurculi nervorum aut plexus afficiuntur, etiam variare ſymptomata ; & quidem, quando *nervei plexus lienis aut ſtomachi* afficiuntur , in ſpecie dictorum locorum urgent pathemata, & tunc malum *lienis vitio* oriri dicitur, utut ſit unum pathema. Cæterùm hæc pathemata vide latiùs deducta à *Williſio C. X. l. c.* Sicuti ea, quæ *effer-*

effervescentiam p. n. & *succos in primis viis* concernunt, apud *Sylvium* in *Prax.* & in *dissertatione de suffocatione hypochondriaca.* Ex his patet, quòd *suffocatio Vteri* sit species *mali hypochondriaci gravioris*, sive *admodum exacerbati*, oriundi in specie *ex acido vitioso*, sive errore *stomachi*, sive errore *pancreatis* genito, & in intestina effuso. Ab hoc primariò oriuntur dicta pathemata, quatenùs *nervi* afficiuntur: Affligunt autem potissimùm *mulieres*, quia earum *systema nervosum* est delicatum, magis sensile, & quod faciliùs commovetur ac in *spasmum convulsivum* cogitur, unde & ∽. *animales* promtiores redduntur in varias motûs exorbitantias & ataxias erumpere. Vel, est species *colicæ convulsivæ*, nam in hac, dum *intestinorum spasmi* sunt vehementiores, etiam *angustiæ, difficilis respiratio* & similia urgent. *Odores* quod attinet, effluvia ista volatilia subtilia promptè afficiunt ∽. animales, eosque ad varium, subindè enormem motum disponunt; unde etiam literati, quorum spiritus magis sunt volatiles, raro possunt ferre odores fortes, quin patiantur aut cephalalgiam aut angustiam quandam circa præcordia: Unde mulieres etiam ab odoriferis istis tam facilè alterantur, & in iisdem *passio hysterica* resuscitatur. Observa tamen, quòd odorifera non afficiant saltem spiritus animales in naribus, sed etiam circa genitalia, quia hæcce genitalibus admota subindè conferunt: Nam coitus in fœmina longè voluptuosior redditur, si mas inungat instrumentum zibetho, vel simili medicamento odorifero volatili. Nihilominus præter hæc odorifera immediatè afficiunt nares & ∽. animales etiam odores isti cum aëre attracti; alterant enim plus minus M.S. adeoque symptomata, quæ ex M.S. motu & ejusdem impedito trajectu per pulmones oriuntur, solent exindè exacerbari. Hinc ex odore *Castorei pennis perdicum* accensis levamen percipiunt, & ampliatur quasi thorax, quia ex odore tali ⊖. volatile respiratione attractum corrigit *acidum* tunc M.S. vitiosè inquinans: Unum adhuc monendum, utut peccet primariò *acidum*, tamen *fomes & focus mali remotus*, cujus occasione excitantur hæc symptomata, subindè variat; nam non semper eximendæ sunt *partes genitales* in mulieribus, quia interdum habent rationem *fomitis morbi*, non, quasi *Vterus* aut *testes* soli accusandi sint, aut quòd hujus perversus motus talia symptomata inferat, sed quatenus *mensium suppressio* & indè coacervatum *fermentum vitiosum*, occasionem præbet *passioni hystericæ*; vel quatenus *liquor seminalis* retentus & corruptus, uti varia infert symptomata, ita pervertendo spiritus animales & inquinando reliquos succos rationem *fomitis morbosi* obtinet, ratione cujus talia symptomata superveniunt. Quòd ex hoc *liquore* superveniant talia symptomata, patet ex *c. 4. cur. 95. Gabelkoveri*, qui dicit, exfricatione vulvæ cum *oleo spicæ* magnam partem liquoris crassiusculi effluxisse, & sic curatam esse mulierem. *Forestus* refert ex *vellicatione pudendi* quandam esse curatam. Potest hoc denique confirmari ex eo, quod virgines sanæ, dum fiunt gravidæ, fiant hystericæ, partim ratione mensium suppressorum, partim ob alterationem, quam obtinent à ∽. genitali maris, qui to-

tam mulierem alterat. Ex his facilè cognoſcitur, quomodo ab aliis *differat Hyſterica paſſio* : nam ab *apoplexia* differt, quòd *antecedentia* fuerint alia, & in *apoplexia*, niſi confirmata fiat, non ſemper *pulſus & reſpiratio* abolentur, d. ſatis vegeta ſunt: ab *Epilepſia* non differt, niſi *parte affecta*, quòd nempe *Epilepſia* dicitur, quando afficit *partes externas*, *paſſio hyſterica*, quando *internas* : à *Colica*, *malo hypochondriaco*, *ſcorbuto* non differt *realiter*, d. ſaltem *variatione ſymptomatum*.

PROGNOS. Malum hoc *rarò* eſt *lethale*, utut ſubindè redeat, & graviores paroxyſmos mulieribus inferat: Interdum tamen, in ſpecie, ſi non *maturè occurratur*, poteſt mulierem necare : longè *periculoſius eſt prægnantibus*, & *puerperis*, quàm aliis mulieribus. Mulieres interdum videntur mortuæ ; quod tamen non eſt optimum. Θεκμήειον ſunt *ſternutatoria fortiora*, quæ naribus inflata, ſi ſternutationem excitent, bonum ſignum; ſi non, & repetitâ etiam vice citra effectum inſpirentur, malum eſt ſignum.

CURA. *Duplex tempus* in paſſione hyſterica; diſtinguendum nempe *tempus paroxyſmi & extra eundem.* *In paroxyſmo* attendendum eſt [1.] ut *acidum vitioſum* in inteſtinis corrigatur, alteretur, & *flatuum* proventus prohibeatur. [2.] *Convulſiones & ſpaſmi* ſiſtendi, ♌*tuum motus* ſopiendus & placandus. Ultrique *ſcopo*, ſpeciatim *priori* ſatisfaciunt ⊖ *ia volatilia oleoſa*; *poſteriori opiata*, & in quibusdam *camphora*, nam omnes non ferunt *camphoram*. *Externè* quæ uſurpantur, ſunt (1.) *odorifera naribus & genitalibus* admota, eaque nunc ſub forma *ſpirituum*, nunc ſub forma *ſuffitus*, nunc *oleorum*: pertinent huc *ſternutatoria* in graviori paroxyſmo uſitata. (2.) Inter *externa* ſunt, quæ *umbilico* inunguntur, aut *abdomini* applicantur. (3.) *Clyſmata* appropriata injicienda. Quoad *primum*, mulieribus hyſtericis mox *odores fortes & graveolentes*, pro ratione ægræ, admovendæ ſunt *naribus*, ut *Caſtoreum* aut *aſa fœtida*, It. fiant *ſuffitus ex plumis accenſis* avium, ſpeciatim *perdicum*. Rarum eſt, quòd quædam poſtulent ♀. *accenſum*, quod tamen nemini ſuaderem; quia ex hoc ſupervenit *difficultas anhelitûs*. Verùm habeatur ratio *idioſyncraſiæ* : quibusdam magis placent *ſuaveolentia*, vid. *Rochſtett.* Interim obſerv. quòd mulieres, quas lædunt ſuaveolentia naribus admota, non lædant interius aſſumpta, ut *Moſchus*, *Zibethum*; modò mulieres non percipiant odorem. Alii hoc utuntur experimento:

℞. Moſch. opt. gr. IV.
Cinamom.
Caryophyllor.
NM. aa ℈j.

propinant in *vino odorifero*, vel loco hujus *pilulæ ex Moſcho* tanquam optimæ commendantur. *Riverius* commendat illud *Solenandri*:

℞. Moſchi, ſanguin. Dracon.
aa ℥j. ſumat. in ▽. menth. ℥iij.

Iohannes

Iohannes Anglicus commendat *semen pastinacæ* vel *aquilegiæ in vino* : vid. *Willis. de morb. convulsivis p. 20. & pag. 84.* qui simul in casu fortiori commendat *enemata acriora*, verb. g. *rad. bryoniæ*, & *carminat. frictiones crurum & pedum*, &c, si ad fortiora procedendum est, *cucurbitul.* abdomini aut inguinibus applicandæ; quin & *sternutatio* crebrò provocetur : nonnullis convenit in medio paroxysmi *haustus ex* ∇. *frigida*: commendatur in specie *Castoreum*. Optimum etiam remedium *salia volatilia* naribus admota, & ∽ *sal. armoniaci fortis* naribus admotus omnibus præferendus est remediis. Dum hæc *fœtida* admoventur naribus, utero admoveantur *suaveolentia*, nempe illinantur vulvæ, in loco Clitoridis *balsam. apoplectic. zibeth. mosch.* d. fit rarò ; hinc loco hujus melius est, ut vellicentur *pili pubis*, ubi facilè ad se redeunt, facit huc *suffitus Paracelsi*, si per infundibulum Utero excipiatur, nempe

℞. verruc. equorum. ʒj.
 asæ fœtid. ʒj.
 ungul. caprin. ʒij.
  M. f. *pulv.*

de quo incend. ℈j. ad. ʒj. si hæc nolint sufficere, usurpentur *sternutatoria*, verb. g.

℞. Castorei. ℈j.
 piperis. long. gr. x.
 hellebori : albi. ℈ß.
 pyrethri. gr. v.
  M. f. *pulv.*

qui ægræ inspiretur in nares repetitis vicibus. Juxta hæc conveniunt *unguenta* abdominis nunc *oleosa*, nunc *Emplastra*. Inter ea, quæ regioni umbilicali inungenda sunt, eminet *Galbanetum Paracelsi*, l. in defectu hujus:

℞. Axung. Castor. ʒiij.
 Olei destillat. chamomill.
  Cumini.
  Carvi aa ℈j.
  spicæ. ʒß.

M. illinatur tepidè umbilico, imponatur desuper *later calefactus*. Mihi in usu est *oleum destillat. succini* mixtum cum dimidio *olei destillat. spicæ*, illin. regioni umbilicali, & scrobiculo Cordis, vel, quando sunt acriora, excipiantur cum *oleo castorei*, *irino*, vel *corpore pro balsamo*; Consultum est, ut his linimentis desuper imponatur *emplastrum*, idque in specie *ex Galbano*, v. g.

℞. Galbani in ✠to l. vino soluti
 & ad pultis consistentiam inspissati ʒiij

Extracti castorei
croci aa. ʒiij.
Olei destillat. succini
spicæ aa ʒiß.
M. f. *Emplastrum*, de hoc inducatur s. q. super alutam, & applicetur umbilico, vel obducatur syndone rubra, & applicetur, imponendo desuper *laterem calefactum*, cum his subindè egregium præstant *clysmata*, quæ *evacuando* intestina & promovendo *flatuum* expulsionem egregiè conferunt, saltem ex *speciebus carminativis aromaticis*, quibus interdum *salia volatilia* addi possunt, v. g.

R. rad. angelic. ʒvj.
fœniculi ℥ß.
herb. matricar.
levistici
flor. chamomill. aa. mj.
baccar. lauri ʒvj.
⊖. ♀ri ʒiß. coque in s. q. ▽. f. colatur:
℞. ℥ ix. adde elect. de bacc. lauri ʒij.
Castorei ʒß. ad ʒj.
Olei destillati cumini, carvi, succini aa. ℈ß. M. pro *clysmate*, unâ, vel si *flatus* obstant, binâ vice injiciendo, loco *oleorum* horum etiam *salia volatilia* v. g. C. C. ad. ℈j. & ʒß. commodè addi possunt, cum egregia euphoria, speciatim ubi urgent *pathemata spasmodica*. Cum his usurpentur simul *Cinctura* circa regionem hypochondriacam, quò enim sunt laxiores mulieres, etiam magis solent urgere *respirationis symptomata*. Habent hic quandoque delectum: Alii commendant *cingulum ex corio humano*, alii *ex corio cervino*. *Interna* quod attinet, dictum, optima esse *salia volatilia oleosa & ~tuosa*, & in specie, quia promtè *sudorem* movent, *per sudorem* solent finiri hi paroxysmi: quibus adduntur subindè *opiata*, ad impetum *spasmi* coërcendum. In usu ergò vulgari sunt *Zedoaria, levistic. angelic. gentian. menth. puleg. matricar. flor. chamom. Roman. Cortic. aurant. sem. dauci, baccæ Iuniperi, castoreum, asa fœtid. Crocus, rosmarin.* & similia, quæ omnia eò collimant, ut *sale volatili* plus minus *oleoso* acidum destruant. add. *opium, laudan. opiatum, theriacam, mithridat.* & similia. Sed modernis eminent ipsa *salia volatil.* quæ immediatè agunt. Unde *mixtura* ex *sal. volatili succin.* cum *Castoreo* & *opio* paroxysmum hystericum sedat optimè, v. g. Nos in graviori malo in usu habemus hanc teterrimi quidem saporis, sed præsentanei tamen effectus *potionem:*

℞. ▽. menth. flor. sambuci. matricariæ. an. ℥j.
Essent. castorei ʒiß.
Sal. volatil. Succini gr. XII.
CC. gr. VI.

laudani

laudani hysterici gr. X.
Syrup. Cortic. ☉ant. ℥iij. M.

potest fieri etiam talis, v. g.

℞. ▽. menth. matricar. aa. ℥ i ß.
Essent. castorei ℥iij.
♎. ⊖✳ci ℥j.
laudani. opiat. gr. iij.
Syrup. artemis. ℥vj.
M.

Usurpetur crebrius cochleatim, aut rarius pro varietate circumstantiarum:

℞. ▽. flor. sambuc. matricar. menth. aa. ℥j.
Essent. castorei. ℥iß.
liquor. C. C. ad. ʒj.
laudan. op. gr. ij.
Syrup. flor. Calend. ℥ß.
M. capiatur cochleatim.

Ad hæc *interna* possunt revocari omnia reliqua, quæ ab autoribus ab experientia commendantur, nempe quæcunque *salia volatil.* uti in simpl. ♎. ⊖✳*ci* ritè præparatus optimus, speciatim tamen *succinum* & quæcunque *succinata*, inprimis *oleum destilat. succini* excellunt. *Oleum* verò hoc habet mali, quod nimios *ructus* soleat ciere; *Ol. de Castoreo* dictum, quod optimum, convenit it. *essentia Castorei cum sale volat.* parat. nec non ♎. ⊖✳*ci* cum *Calce viva* paratus. Facit huc *Tinctura anodyna D. Langii*, ex *Castor. asa fœtid.* beneficio *sal* ♀*ri*. Facit huc *Tinctura granorum actes*, (quæ dos. j. l. ij. cochlear. in paroxysmo propinata, expectando sudorem, est optima; adde *Elixir. Vterinum Crollii*, dos. ℈j. ad ʒß. in *paroxysm.* propin. & *sudorem* expectando. Pertinet huc *fuligo furni*, à mulieribus à ʒß. ad ʒj. usurpata: *flores* ♀*ris* in eadem dosi, imperando sudorem, propinantur. Tandem *trochisci de myrrha ad* ʒß. *l.* ℈*ij*. etiam sunt egregii in paroxysmo. Hisce ultimum & nulli cedens remedium annumerandum est, nempe *stercus equinum*; ejus *succus expressus* calidè propinatus optimus est. Hæc & similia usurpantur *in paroxysmo*, nunc semel nunc repetitis vicibus, ut tamen semper excitetur *sudor*: his nil proficientibus, ita ut ægræ tandem mortuorum instar jaceant, ne omni auxilio destitutæ jaceant, in extremo casu extrema tentanda sunt, qualia hîc sunt *vomitoria*.

VIRI ADMISSIO LÆSA.

Fœmina nempe, cùm mensium fluxu ad generationem quasi se habilitet, & cùm puritu ♀reo titillant genitalia, hinc ei à viro satisfit per debitum *congressum*; qui *læditur variis modis*; ex variis nempe vitiis *orificii Vteri externi & vaginæ*, quando sunt *nimis apertæ*, vel quando *stricta nimis & angusta*: quibus accedit

accedit affectus ille, qui vocatur *procidentia Uteri.* Quoad *nimiam angustiam*, hæc subinde *repetito negotio* solet curari; sin minus id fiat, per *speculum matricis* dilatanda venit. Si verò membra sint occlusa, *Methodo Chirurgicâ* curantur: At si *vagina Uterina* forsan *coalescat* post *excoriationem* aut *exulcerationem*, malum difficile est, & citra *sectionem* non potest curari; quæ tamen etiam maximè dubia est. Si verò *nimis patula* sit *vagina*, beneficio *balneorum*, *insessuum* aut *infusionum adstringentium* curatur.

PROCIDENTIA UTERI.

Ita dicitur, quia communiter Uterum extra situm naturalem foras progredi putant, ita ut observetur per pudenda prodire corpus quoddam carneo colore, in medio perforatum nunc magis nunc minus. Hanc molem dicunt esse uterum; Si verò consideremus firmam istam Uteri connexionem circa os sacrum, cum intestino recto & partibus vicinis, ita ut planè immobilis sit uterus, patet hanc *hypothesin* esse *falsam*, quod scil. fiat *à causa interna*; sed necesse est, accedat insignis *violentia externa*, & sit potius *Uterus extractus*, quàm *prolapsus*: quæ *protractio* fit interdum *in partu difficili*, in specie *à coalescentia secundinarum cum Utero*, propter quam mulieres ab obstetricibus malè sæpe tractantur, vid. *Barthol. Cent. 2. histor. 91.* Quod tamen citra vitæ ingens periculum nequit fieri, ut hinc tales mulieres, propter *vasorum ruptionem* & *lacerationem partium*, ut & *inflammationem gangræna nascentem* vix salvari possint, sed semper necesse sit intereant: ex quo patet, quid habendum sit de iis, qui dicunt *uterum prolapsum* fuisse *exsectum*, remanente vita. Ergò affectus hic *minimè Utero* sic dicto *convenit*, d. *vaginam uterinam* afficit, propterea rectè dicitur à Medicis *prolapsus sinus pudoris*, & fit duobus modis: (1.) Quando *vagina Uteri* tota *nimis laxata aut extensa* foras propendet, quod fit interdum *à partu difficili*, postquam non rarò digitos aliquot latos globose propendet, & in medio sui foramen relinquit, quod falsò pro Uteri orificio interno habetur: Sic ab alia quacunque causa si *relaxata* aut *extensa* fuerit dicta *vagina Uterina*, facilè propendere foras potest. (2.) Quando *rugæ vaginæ Uterinæ* in quadam saltem parte *laxatæ* aut *exesæ* aut *erosæ* nonnihil sunt, tunc enim à *sanguine aliisque humoribus* in parte relaxata coacervatis successivè extra vulvæ labia propendet, ut repræsentet *corpus amplum, rotundum, angusto collo annexum*, quod collum interius intra sinum pudoris se abscondit: hoc corpus quandoque *capitis infantis* quantitatem acquisivit, imò interdum *usque ad genua* propendet, imò alteratum ab aëre interno vel humoribus *pravum odorem* exspirat, & pondere *dolorem* infert, *congressumque* impedit.

CAUSÆ, ut plurimùm sunt *internæ*, subindè post *Uteri hæmorrhagias nimi-*

a, post *Vteri fluorem album, diuturnum* insequitur, dum *laxatis rugis & fibris vaginæ uterinæ* ex altera parte *tumor & laxitas* supervenit, donec succi coacervati corrupti *acorem vitiosum* concipiendo *dictas partes* in *ulcera* vertant. Hoc corpus abscindi posse à veteribus traditum fuit; imò cùm subindè aliqua æqualitas tactui se repræsentet, factum esse testantur. Verùm hoc refellit modernorum experientia chirurgica: *Iob. von Meekern / in observ. cap. 55.* habet mulierem, quæ cum aliis affectibus variis complicatis insigni *procidentia Vteri* laborare putabatur. Mulieres tandè jubent, ut abscindatur Uterus propendens, quod faciunt Chirurgi, & injectâ ligaturâ totam istam substantiam propendentem abscindunt, relicto filo intus intruso: paucis interjectis diebus mulier interiit. Aperitur cadaver, & Uterus percipitur in suo situ naturali, filum verò alligatum firmiter cuidam loco in vagina Uterina, ubi relaxatæ quædam rugæ collum istius tumoris constituunt. Interdum etiam *excrescentiæ*, nunc *rugosæ*, nunc *carnosæ*, extra vaginam uterinam enatæ, prolapsum talem mentitæ sunt, quarum *abscissione curatæ* fuerunt, vid. *Kerkring.* in *spicileg: anatom. obs. 53.* qui refert exempla *sarcomatum* nunc in orificio Uteri interno natorum, nunc propendentium ex vagina Uteri, quæ pro *utero prolapso* habita sunt. Sic in *Miscellaneis curios. ann. 2. pag. 199.* prostant Exempla *excrescentiæ fungosæ* vaginæ, *Vteri prolapsum* mentientes.

PROGNOS. Malum *per se* non est periculosum, sed tamen periculum est, ne subindè abeat in *gravia ulcera*; it. ne ab *aëre externo* alteretur, inflammetur, & *gangrænam* concipiat. *Prolapsus sinus pudoris* quò *recentior* est, eò *facilius* curatur; quò *magis* est *inveteratus*, eò *difficilius* est, & saltem *palliativè* curari potest. Si fit *à causa interna*, per *successivam relaxationem*, *facilius* curari potest, eò, qui fit per *violentiam externam*: qui fit per *impetum obstetricis*, *incurabilis* est.

CURA. In hac sequentes attendendi sunt scopi: (1.) Partem laxatam *in statum naturalem reponere*: (2.) Adstringentibus commodè *in debito situ firmare* l. verè l. palliativè; Si verò *alterata* aut *corrupta* fuerit, *eandem abscissione tollere* convenit. *Repositio* debet fieri *citò*, partim, ne alteretur ab aëre, l. *urina*, partim, quia sic facilius curari potest. Pro scopo ergò *repositionis* & *firmationis* conveniunt omnia, quæ in *ano prolapso* aut *intestinis prolapsis* commodè usurpari possunt. Quoad *repositionem* ergò *Vteri prolapsi* prius *fomentum* ex dictis *aromaticis blandè discutientibus*, v. g. ex *roremarino, salvia, absynthio* in *vino*, a. ▽. *ferrarior.* paratum convenit: Tali aliquamdiu *fomentetur sinus pudoris prolapsus*, ut partim *tumor* partim *alteratio* corrigatur: hoc facto accipiatur *linteum* dicto liquori *intinctum*, circumvolvatur digito, & interius versus *reponatur* denuò *sinus pudoris prolapsus*, ægrâ supinè jacente, clunibus superioribus capite: postmodum *quies* injungenda est; pro hoc scopo quidam commendant *suffitum pellis anguillæ salitæ, in fumo exsiccatæ & pulverisatæ.* Convenit etiam pro hoc scopo, ut regio ossis sacri & circa os coxendicis illinatur *pinguedine ursina*, aut *erinacei*: Jubent quidam,

quidam, ut mulier *terreatur*, quia sic ferè ſponte retrahitur ſinus, nempe ut chirurgus l. Medicus *ferro candente* ſimulet, ac ſi velit Uterum tangere. *Zacut. Luſit.* jubet *mures vivos* filo alligatos per mulierem diſcurrere : Quidam *cucurbitulas majores cum flamma* inguini, umbilico & ſub mammis apponunt. *Uterus repoſitus firmandus* eſt l. verè l. palliativè ; verè *remediis* tàm *in*-quam *externis*: *internè* conveniunt *vulneraria ſimplicia* & ex iis parata *decocta*; quæ fiunt ex *herniaria, piloſella, bſetonica, tormentill.* & ſimil. quibus addita ſint *ſemina 4. calida maj.* ut præcaveatur *flatuum* nimius proventus, à quibus cùm ſtimuletur alvus, & turgeant inteſtina, periculum eſt, ne quodammodò denuò protrudatur ſinus repoſitus. Adde, ut *alvus* ſemper ſit *fluida*, ne fortiori conatu dejiciendi denuò protrudatur ſubſtantia modò repoſita: juxta hæc, quæ *verè firmant externè*, ſunt *fomenta adſtringentia*, nunc ſub forma *injectionum*, nunc *fomentorum* vulvæ extrinſecus applicandorum ; nunc *peſſi ex lana carminativa*, hujusmodi *decoctis adſtringentibus* intincti applicantur. v. g. fiunt talia *fomenta* dictis modis ex *ordinariis adſtringentibus*, ùt *gallis, fol. quercin. Cortic. granator. herb. alchimillæ*, & ſimilibus, quæ decoque in ▽. *ferrariorum*, quibus etiam poteſt addi parùm *aluminis*, eo nempè in caſu, quando *partes* non ſunt *excoriatæ*, & quando ſunt *indolentes*; aliâs talia *acria* intermittenda ſunt : Si in ſubſtantia *peſſorum* & *globulorum* applicentur, cauti ſimus, ne peſſi tales nimis magni ſint, & irritent vaginam uterinam ; metus enim eſt, ne excitetur *fluxus albus*, qui tunc ſolet malum ſubinde exaſperare. Non incongruum etiam eſt, ut inſtituatur *ſuffitus ex ſtercore vaccino & equino*, qui egregiè convenit: Loco hujus ex *aceto, ſuccino, thure, maſtiche, gummi juniperi* & ſimil. forſan magis proficui. Quibus placet, poſſunt applicare *emplaſtrum* regioni umbilicali aut oſſis ſacri ex *opopanace, galbano, Tacamahac*, & ſimilibus: His ſi nequeat denuò firmari Uterus, *palliativè* firmetur, quod fit per *globum cereum*, nunc rotundum, nunc oblongum, pyriformem, vaginæ uterinæ incluſum, qui cùm ſit lævis, intrudatur ſinui pudoris & geſtetur. Conſultum autem eſt, ut habeat propendens *filum alligatum*, ut poſſit extrahi, quando libuerit. Sic diu ſupervivunt ſine moleſtia, quin imò concipiunt & pariunt : Extra tempus autem congreſſus ſemper debent geſtare. Horum præparationem vid. apud *Rhumel.* deſcriptam, & præprimis in *Hildan. Cent. 4. obſ. 61.* ſinus pudoris prolapſus ſi ſit *alteratus* ab aëre, & l. *corruptus* l. *ulceratus*, in tali caſu optimum eſt, ut radicitùs *abſcindatur*; quod fit ſine periculo, *injectâ* priùs *ligaturâ.*

CONCEPTIO LÆSA.

Notum eſt, quòd, dum fœminæ admittunt virum, ab eo imprægnentur : ubi in ſpecie ſimus ſoliciti de *ſignis conceptionis*, cùm multùm interſit, ut cognoſcamus, an mulier conceperit, nec ne ? *Signa pathognomonica*, mulierem concepiſſe, non dantur propriè, cùm notum ſit, ipſas falli mulieres in hoc caſu. Equidem

Equidem in quibuſdam mulieribus ex peculiari idioſyncraſia evenit, ut certa quædam ipſæ habeant ſigna; d. quia ſunt particularia, non de omnibus idem teſtantur: e.g. quædam mox quando concipiunt, manè horridè *vomunt*: aliæ *libidine pruriunt*, d. facta conceptione *ardor* videtur *extinctus*, v. *Panarol. Pentec. 3. obſ. 9.* quò facit in *Pentec. 5. obſ. 46.* de muliere, quæ quoties fuit gravida, *venam circa genu inſigniter tumidam* habuit. *Signa probabilia*, ex quibus ferè ſemper ſuſpicamur mulierem eſſe gravidam, ſunt *ſequentia*:

1. Uteri *orificii interni clauſura*: in mulieribus enim non gravidis, dum perciuntur œſtro libidinis aut fricantur genitalia, orificium Uteri internum ſolet hiſcere, inſtar piſi, quando verò ritè conceperunt, exactè clauditur, ut ne quidem veſtigium clauſuræ remaneat.

2. *Menſtruorum emanſio ſ. retentio*, idque ferè fit ordinariò ſimul atque mulieres concipiunt; Interim tamen id non univerſale eſt; dantur enim exempla contraria: Sic ſunt quædam, quæ ſub primis geſtationis menſibus adhuc ordinarium menſium habent fluxum, ut, quæ ſanguine ſeroſiore & turgidiore ſunt præditæ. E contra virgines reperiuntur quædam, quæ nunquam paſſæ ſunt menſium fluxum, quæ in hoc paſſu alterationem non ſentiunt, vid. *Schenck.* & *Miſcell. A.N.C. ann. 3. pag. 555.* de muliere, quæ nunquam paſſa eſt menſtrua, niſi gravida.

3. Quando mulieres aliquot dies *poſt congreſſum* ſentiunt *horripilationes*, quæ *ſine cauſa manifeſta* ſi obveniant, *præmiſſo coitu*, ſuſpicionem faciunt, *concepiſſe mulierem*: varia etiam *ſymptomata* circa *ſtomachum ac digeſtionem* ſolent ſe exſerere.

4. *Appetitus* eſt *dejectus*; *vomunt* omni manè; adjunguntur *pica* & *varii appetitus*. Hæc tamen ſymptomata inſequuntur etiam *ſine ingravidatione* ſimpliciter *menſium p. n. emanſionem*.

5. *Mulieres*, imprimis quæ aliquando ſunt *cacochymicæ*, l. quæ inclinant ad *Scorbutum*, facta conceptione *obnoxiæ* fiunt *paſſionibus hyſtericis*; patiuntur *tormina abdominis* & ſimil. è contra *in partu* nihil de affectibus hiſce patiuntur: Et hoc in ſpecie fit circa *primos menſes*; circa *medium* verò *geſtationis tempus* evaneſcit.

6. Si *venter attollitur ſenſim*, i. e. *ab imo ad ſummum* protuberat: *tumor ventris* eſt *circa regionem umbilicalem*, & *ſurſum* tendit; *partes interiores* manent *in naturali ſitu*, & *tumor* talis primariò *circa lineam albam* conſpicitur, & *partes laterales* ferè *planæ* ſunt. obſervandum tamen, quòd pro ſitu ordinario fœtus & Uteri etiam tumor nunc plùs nunc minùs protuberet. Obſervandus etiam hic eſt *ſitus*, ubi *anteriora* nempe *& ſuperiora verſus* feruntur *partes laterales gravidarum*; ut diſtinguantur *gravidæ* ab *hydrope abdominis*, nempe: 1. Quando mulieres *circa medium geſtationis tempus, quarti* aut *in principio quinti menſis* percipiunt *motum fœtus*, qui eſt *in principio* ſaltem *ſubſultorius*; intercedente tempore magis fit *manifeſtus*. Notetur tamen, quòd in quibuſdam *motus fœtus* percipiantur

citius,

citius, in aliis *tardius*: Sic quædam *brevi ante partum* primitus *fœtus motum* percipiunt; aliæ *tertio mense*, cujus ratione quædam sunt *serosiores*, quædam ▽*siores*, in quibus copiosus chylus nutritivus transcolatur per Uterum: In his, propter ▽am uberiorem abundantem, *minus* solet percipi *motus fœtus*, quia innatat in hisce liquoribus; quod etiam fit *in pinguibus*, in quibus *tardius* solet percipi: Ratione item l. ipsius *matris*, l. *fœtus imbecillitatis*, quod observ. *Barthol. Cent. 1. histor. 96.* quòd *febris gravidarum* easdem ita soleat debilitare, ut *minus* soleant percipere *motum fœtus*, d. à 30. septimana demum accedit. 2. Quòd mulieres sæpè primò mense *gravitatem capitis*, *dolores dentium* & similia patiantur: additur in mulieribus propria unius cujuscunque *idiosyncrasia*, & hoc est, quod praxin mulierum adeò reddit difficilem. 3. Mulieres quæ semel conceperunt, alio tempore vix falli possunt; nam plerumque *certa* quædam habent *signa*. *Conceptio* ergò *læditur tribus modis*: 1. Quando est *imminuta*, ut sit l. *nulla*, l. *rara*. 2. Quando est *aucta*, ut sit *copiosa fœtuum conceptio*, & *exclusio*. 3. Quando est *depravata*, ut sit *falsa*, ut mulieres existiment se esse gravidas; quod etiam, quando *Vterus* est *inflatus* aut *hydrope* correptus, forma gestationis mulieribus imponit.

INFLATIO UTERI.

Inter *falsos conceptus* est: (1.) *Vteri inflatio*, s. insignis ejus *intumescentia*, à *flatibus* in ejus cavo collectis. Dubitant autem *Practici* quidam, an possint contineri *flatus* in Uteri cavo: Verum est, quia quædam post remedia copiosos flatus ex Utero emiserunt. *Vterus* ergò *inflatus intumescit*, & *tumor* in abdomine instar gravidationis sensim sensimque *augetur*; imò *menses supprimuntur*, & *parciùs* fluere incipiunt: quandoque *lac* in mammis *generatur*; fit enim, ut mulieribus habitioribus medio gestationis tempore *lac* in mammis generetur. Interim tamen nihilominus *ultra solitum partus tempus*, ad annum integrum se in utero gestâsse videntur, & postmodum l. *medicamentis*, l. supervenientibus *partus doloribus*, excluserunt quasdam *flatulentias* ex utero, unde venter iterum detumuit: Hinc dictus affectus à quibusdam vocatur *Mola ventosa*, s. *flatulenta*; Et si *flatus confertim* erumpunt, certum est, quòd *falsa* fuerit *conceptio*: Si v. *sensim* & *sensim*, mulier nescit, quid secum factum sit. Inter *causas* primariò ferè, & frequentissimè *susceptio aëris externi frigidi* in Uterum, & in specie *post partũ*, quando largiùs purgantur *per menses*. Nihil frequentius est, quàm quòd ex puerperio adhuc habeant ventrem, quasi essent gravidæ, quæ *mox ab abortu l. partu* incautius *aëri frigido* se exponunt, tunc enim Uterus insigniter tumidus & *à flatibus* turgidus fieri solet. Fit interd. una cum *lochiorum suppressione*, interdum etiam *post lochiorum fluxum*, in secunda post partum septimana; Si mulier *aërem frigidum* sinu pudoris hauriat, quod observ. *Salmuth. Cent. 2. obs. 57.* prætereà *in mensium fluxu uberiori* jam cessante non-

nihil

nihil mulieres aëri frigido se exponentes inflationem Vteri incurrunt. A causa externa raró observatur uteri inflatio; & ferè sequitur conceptionem falsam, videturque fieri occasione genituræ maris sine conceptione in utero contentæ: Sed vix solet observari, nisi simul adsit principium hydropis Vteri. In hac inflatione Vteri considerandum est, ut distinguatur à conceptione vera: Et quidem distinguitur in eo, quòd 1. inflatio Vteri pro ratione flatuum, nunc magis dilatatorum, nunc magis condensatorum vi eorum elasticâ nunc major, nunc minor appareat; secus ac fit in vera ingravidatione, ubi tumor æqualis est, successivè accrescens. 2. Si præcesserint signa alia, in specie causæ antecedentes, quæ ad conceptionem disponunt: quando etiam observat mulier mediæ gestationis tempore motum infantis, d. hoc faciat cautè; nam etiam flatus, si imponatur manus abdomini, ut incalescat, possunt mentiri motum fœtus. 3. Inflatio Vteri magnam abdominis distensionem, leve verò pondus infert, & manu percussa instar tympani renititur. Verùm in conceptione moles est minor, pondus verò majus: Uterus & abdomen compressa primò cedunt, d. successivè attolluntur iterum.

PROGNOS: Per se nil habet in recessu, d. quando adjunctam habet l. suppressionem lochiorum, l. suppressionem mensium, per accidens solet nocere.

CURA. Flatus ejiciendi sunt & discutiendi. Cùm verò frequenter concurrant simul signa digestionis primæ læsæ, propterea debitis alterantibus & laxantibus stomachum & primas vias, prospiciendum. Modus hujus curæ vid. in Timæo, in cas. pag. 203. In specie quæ conveniunt ex purgantibus, sunt nota. Carminativa præter generalia sunt in specie castoreum & omnia castorina; rad. Zedoar. & gentian. it. matricar. & flor. chamomill. quorum decoctum aut chamomill. oleum destill. sapphirin. est egregium. Externè conveniunt imprimis fomenta abdomini insinuata, emplastr. nempe ex galbano & tacamahac. malaxat. cum oleo destillat. chamomill. l. cum oleo fœniculi, cumini & cera l. suffitus ex NM. nempe ℞. NM. integram & divid. in 4. l. 8. partes, unam impone carbonibus candentibus, & fumum per cannulam utero excipe. Ratione stomachi præ cæteris conveniunt remedia sassafrata, decoctum nempe ligni sassafras, cum carminativis haustum, & ab omni pastu assumtum Tragema, v. g. ex Zedoar. & Cardamom. quibus add. elæosachar. caryoph. elæosach. macis &c.

HYDROPS UTERI.

Hic non est adeò rarus, verùm ante omnia confusio Practicorum est vitanda, quia hydropem uteri propriè sic dictum distinguunt à mola uteri aquosa: ille rarior est, hæc frequentior; In illo limpidæ ▽æ flavescentes in Uteri cavo contentæ coërceri solent; In hac liquor nonnihil subindè viscidus & ▽sus membranis inclusus, & quidem nunc unâ, nunc pluribus distinctis coacervatus varias vesiculas repræsentare solet. Hinc vocatur Vterus vesicalis. Talia exempla prostant in Tulp. l. 3. obs. 1. 39. & Schenck. l. 4. observ. Et est facta quædam conceptio, ovique uterini infœcunda generatio,

d. in quo fuit læſa debita *conformatio*, adfluente adhuc *ſucco nutritivo*, qui in membranis coërcitus talem conſtituit. *Cauſæ antecedentes proximæ* ſunt in *duplici differentia*, nempe conjunctus (1.) interdum eſt *hydrops Vteri* cum *vera conceptione*, adeoque cum *fœtu vero*, videatur *Hildanus, Centur. 2. obſ. 56.* ubi mulieri gravidæ primitùs parturienti 18. ℔. ▽æ effluxerunt, ultra quas ulterius 9. ℔. ▽æ fœtum comitatæ ſunt: tandem fœtus vegetus ſucceſſit. *Salmuth. c. 2. obſ. 59.* obſervavit mulierem gravidam, cui plus 4. ℔. ▽æ effluxit, qui fluxus aliquamdiu continuavit, donec ſex menſibus poſt fluxum fœtum ſanum enixa eſt. Talis *hydropis* cum *gravidatione* juncti *cauſa* eſt *abundantia liquoris chyloſi nutritivi*, ad nutrimentum fœtus deſtinati, qui non totus in alimentum fœtus cedens talem molam conſtituit. Forſan etiam vitium eſt in *vaſis lymphaticis*; quibus obſtructis *lympha* uberius congeſta molam hanc conſtituit. Pro *uſu* ergò *practico* obſervetur, fieri interdum, ut mulieribus quibusdam aliquot ſeptimanis ante partum ▽. fluat, & tamen ſine nocumento matris & fœtus; ubi metuunt, ne fiat *abortus*: in habitioribus tamen fit, ut aquæ in chorio incluſæ effluant, reliquis in corpore reſtantibus, quod fit ſine nocumento: Si verò ex amnio, abortum infert. (2.) *Hydrops Vteri* interd. oritur ex *lochiis ſuppreſſis*, iisque l. planè non, l. parcè fluentibus; ut ſanguis quidem primariò effluxerit, d. quando poſtmodum debent effluere *menſes*, ▽. *limpida*, in ſpecie in non lactantibus, dum coërcetur, ſucceſſivè congeſta uterum in tumorem attollit, & *hydropem* conſtituit; quin imò materia coërcita fermentanda *flatus* producit, & cum *hydrope* uteri *inflationem* infert. In talibus hydropem talem patientibus ordinariò fluunt poſtmodum *menſes*, imò obſervatum fuit, quòd tales denuò pepererint, à partu copioſa lochia habuerint cum ventre & utero detumeſcente. Fit quoque interdum, ut ex *ſuppreſſione lochiorum ſanguis coacervatus* in aliam partem per metaſtaſin congeratur, & ibi liquefiat in *materiam ſeroſam.* Erat mulier, quæ à partu ſecundo patiebatur omnimodam *lochiorum ſuppreſſionem*; brevi poſt *intumeſcebat abdomen*, in ſummitate ejus ut perciperetur *fluctuatio* ▽æ: menſes fluebant, denuò concipiebat. Tertio partu *lochia* rurſus ſupprimebantur; *tumor abdominis* inſigniter accreſcebat, ut abdomen in faſcia geſtare neceſſe haberet: umbilicus verſus genitalia propendebat; candelâ admotâ tranſlucebat; Erat *hydrops Omenti*, in quo omnia lochia per metaſtaſin erant collecta & liquefacta in materiam ſeroſam. Suadebant paracenteſim; poſt moriebatur. Facit huc curioſa obſervatio *Ioh. von Meckern*, qui obſervavit in muliere hydropem inſignem ſaltem collectum in duplicatura peritonæi inferiori. Rarius fit hydrops uteri ex *collectione* ▽*æ in utero*, idque ſponte & ſubindè *à cauſa interna*, quod tamen utplurimum ſequitur occaſionem *menſium ſuppreſſorum*, aut *impeditæ lymphæ* ex utero egreſſ. & ſimil. Facit huc obſerv. *Tulpii l. 4. obſ. c. 34.* de hydrope *cornuum uterinorum*: forſan

(forsan intelligit hydropem collectum in alis vespertilionum:) Ante omnia necesse est, ut cognoscat Medicus *distinctionem hydropis Vteri à verâ conceptione*; utut res sit ardua: nempe, ex eo ferè suspicio est, esse *hydropem uteri*, quando [1.] *Tumor æqualiter* distenditur, & æqualiter occupat abdomen; cùm *in conceptione* anteriora versus *promineat*. [2.] Si alia signa mulieris gravidæ absint, & uterus tamen intumescat, suspicio est, de *hydrope uteri*. [3.] Si gestet mulier ultra decem menses, tunc suspicio adest, non esse veram conceptionem: Confirmatur, si *nullus motus fœtus* unquam perceptus fuerit; Si mulier *sub primo gestationis tempore* commodè se habeat, *sine symptomatibus digestionis*; l. si pa-tiatur *symptomata*, & hæc *post medium gestationis tempus* non cessent, signum est esse *hydropem uteri*.

PROGNOS. Est, quòd post *fluxum* ▽*æ* tandem *intereant*.

CURA. Ubi concluditur per conjecturam, adesse ▽*am in utero*, consideret Medicus, an sit *sine fœtu*, an *cum fœtu*. Si hoc sit, relinquatur mulier, aut saltem blandis *hydragogis* serum nonnihil evacuetur; *diuretica* non sunt tuta; quia stimulant menses, & metus est abortus. Si verò *sine fœtu*, maturè *pu-gantibus validis* stimuletur uterus, & partes vicinæ, & ▽. evacuetur: in specie remediis fortioribus *fœtum pellentibus* urgeatur Uterus, ad excludendas ▽*as*; hinc *Elaterium* cum ☿. *dulci* potest propinari: *vomitoria* propter nisum quem exserunt, aut etiam *clysteres fortiores* vaginæ uterinæ injiciendi sunt, pro stimulando utero, ad reddendas ▽as. *Internè* eadem quæ fortiùs *purgant*, l. uterum validè *stimulant*, usurpanda.

CONCEPTIO LÆSA.

Pergendum ad *læsionem ipsius conceptionis*, ita ut nunc *deficiat* in *sterilitate*; nunc quasi *augeatur*, partim in *partu multiplici*, partim in *superfœtatione*, quando semel concepto fœtu repetito novus fœtus concipitur. Præmittendum autem, in quo consistat vera conceptio: Primus qui veterum fententententiam, seminis nempe miscelam concussit, est *Harveus*, dum observavit quòd *oviparis* ova sint tota, s. saltem eorum vitell‹a›, quæ per spiritum genitalem maris afflentur, & tali afflatu fœcundentur: in *viviparis* verò uterus simili contagio ⌒tuoso à mare imprægnatur; quo facto fœmina d‹i›citur concipere, unde successivè materia albuginea in uterum destillans, successivè fœcundatur per ⌒ genitalem maris: sed hoc maximè videtur obscurum, qua ratione *simplex* talis ⌒. uterum saltem fœcundans sit *causa conceptionis*: Hisce ergo dubiis occurrunt modernorum inventa anatomica, scil. *Stenonis*, *Græff.* *Malpigh.* & similium, qui statuunt, quòd id, quod ovarium est in oviparis, sint testes in viviparis & mulieribus, quæ in se contineant ova perfecta, humore limpido scatentia & pelliculis propriis contenta, quæ aquæ immissa instar albuminis condensentur: quæ ovula à ⌒. genitali maris, per quoddam contagium fœcundante penetrentur & in motum

concitentur; ut hic ∾. nil conferat, nisi ut dictum ovulum excitet in motum: In quo *motu* consistit *formationis negotium*, determinante hoc plus minus ∾ tu ipso genitali. Jam verò dictum, ovulum, s. in tuba uterina existens, s. in uterum immissum fœcundetur, perinde esse. Si *prius* fit, oritur *conceptio tubaria*; Si *posterius* ritè ac legitimè, *naturæ consona* est *conceptio*. Ovulum ita fœcundatum tandem successivè effunditur, & pedetentim per uteri membranosam substantiam ex arteriis in ejus cavum destillat, concrescitque tandem in ovum uterinum Harveanum. Par ratio est, atque oviparis propriè dictis, ubi ovulum in uterum delapsum circumvestitur albumine: ova hæc fœcundata dum retinentur in utero ad perfectam fœtûs formationem, ut tandem ritè formata excludantur, dicuntur esse vivipara; Si verò ante perfectam formationem, dicuntur ovipara: non autem est *essentialis differentia*; prostant enim observationes gallinarum, quæ pullos intra se in Utero exclusos numero 6. vivos pepererunt. Ex hoc doctrina spinosa controversiæ de *partu multiplici* & *superfœtatione* optimè potest explicari, nempe: gemellos & trimellos explicant ova, quæ constant duplici aut triplici vitello, quod observavit *Harveus*: an sit universale, nondum determinatum. Huc observatio *Schwammerdami*, quam allegat *Schrœderus in præfatione de generatione animalium*, de muliere, quæ mense sexto ex abortu gemellorum interiit, observatis vestigiis s. foraminibus duorum ovorum, juxta se invicem conditis, ut ab invicem separari non potuerint. Ubi etiam observata sunt ova non separatim existentia, sed quòd ova ita invicem connexa fuerint. Probabile ergò est, oriri *gemellos* ex *binis ovis* inter se connexis. Ex his etiam patet natura *superfœtationis*, quæ fit, quando una vice fœcundatur ovulum, & post aliquot septimanas l. menses de novo fœcundatur uterus, qui suo tempore alium fœtum suggerit vitalem. Mas ergò saltem confert ∾ *genitalem* in crassa substantia, quæ semen dicitur; substantiâ seminis penitus extra uterum delabente.

LOCHIA.

Cæterùm subindè sunt mulieres, quibus licèt post fœtum sequatur secundina, nihilominus tamen post 8. 10. l. 14. dies à partu, superveniunt *horrores*, cum *gravi æstu*, c. *doloribus dorsi* & *region. hypogastrij*, uno nomine, cum *doloribus partûs* redeuntibus. Hoc si fiat, certum *signum* est, l. esse *sanguinem grumosum* in utero, ex *defectu lochiorum* non ritè evacuatorum; l. tales mulieres emittunt, impetu facto, *copiosas aquas limpidas*, quod vocant non incongruè das Mutter-Kalb: observatur etiam subindè aliquid *molæ* simile, *aquosum* in membrana contentum, quod post partum remanet, & stimulando novos dolores infert, non cessantes, n'si sit rejectum. Quando ita in partu separatur *secundina*, in toto hoc labore *copiosus sanguis* evacuatur per Uterum, ita ut subindè plus, subindè minus evacuetur, pro circumstantiarum varietate. Effluit *sanguis* continuò, in

in quibusdam diutiùs, in quibusdam brevius, ordinariè ad 3.4. dies: post effluit *liquor aquoſus* ſanguine ſaltem tinctus, quod fit usque ad dies 6.7. hinc ſuperveniunt *excreta mucilaginoſa, viſcida, glutinoſa*, quod fit ad 10. aut 14. dies, in quibusdam ad 3. ſeptimanas. Jam verò variat copia & *ſanguinis & reliquæ materiæ*, duplici ex cauſa: Nam qui 1. in partu *copioſum ſanguinem* ſtillant, l. parciorem habent *menſium fluxum*, etiam parciùs ſolent purgari, per *lochia*; Et quibus, durante geſtationis tempore l. per *uterum*, l. per *nares*, l. alia loca crebrior fuit facta *ſanguinis excretio*, iis *parùm ſanguinis* evacuatur. 2. *Mulieres* quæ *lactant* & *lactare* volunt, in talibus poſt ſanguinis excretionem *parum*, ſed *materia ſeroſa* aut *lactea glutinoſa* ſolet evacuari; quia multum abſumitur in materiam lactis: quæ verò *lactare* nolunt, iis *uterus* evacuatur. Obſervatũ autem fuit, quod, quando incipiunt mammæ *turgeſcere & lacte ſcatere*, *parùm* per uterum *materiæ ſeroſæ* fluxerit: quando verò *lac* fuit *ſuppreſſum*, *copioſa materia* per uterum fuit evacuata: ita ſe res habet naturaliter; ſed obſervandum, quòd non ſemper *lochia* hujusmodi *colorem naturalem* obtineant, ſed interdum non *ſanguinea* ſint, ſed *flavum* ſaltem habeant *colorem*, videantur *Miſcellan. N. C. ann. 3. p. 186.* ~~vero~~ in Guillelm. f. qui refert, ſe aliquoties obſervaſſe, quòd reperiantur mulieres, quæ ſimpliciter *aquoſa* ſaltem evacuarint inſtar veri ſanguinis. Sic refert hiſtor. de muliere, quæ 8. dies ante partum ſine ullo dolore per aliquot dies (4. l. 5.) ℥iij. ▽*æ clariſſimæ* evacuaverit, quæ non fuit intra matricem, ſed quæ prodiit per vaſa quædam colli uterini: poſt 8. dies peperit, parùm evacuavit, & obſervavit, quod non potuerit commodè incedere. vid. *Harv. exercit. 58.*

Harv.

LOCHIA RETENTA.

Lochiorum fluxus vitiatur *duplici modo*: 1. Quando *imminuitur* aut *ceſſat*. 2. Quando *augetur*. *Prius* quod attinet, fit in ſpecie *ex duplici cauſa*: (1.) Propter *gravia animi pathemata*, terrorem, pavorem, triſtitiam, metum & ſimilia, quibus ſolet ſupprimi ſanguinis rapidior motus, & ♌tuum animalium impetus, & conſequenter lochia, obſ. D. S. R. in muliere fœtum emortuum pariente, quæ ob *dolorem & triſtitiam* nil *lochiorum* evacuavit. (2.) *Cauſa* & quidem familiaris eſt, quando accidit *refrigeratio partium externarũ*, ſpeciatim *uteri*, hinc *mammarum & pedum*; nempe *frigus aëris* improviſo intra uterum immisſum, l. admota *linteamina frigida* tàm *ſicca* quàm *humida*, ſubitò *ſanguinem* diſponentia ad ſui *coagulationem* & in utero *ſtagnationem*. *Lochia* ſi fuerint *ſuppreſſa*, ordinariò *intumeſcit abdomen, induratur*, graves *dolores* percipiuntur; puerperis ſuperveniunt *rigores & febres periculoſæ*, unâ cum *anxietatibus præcordiorum*; adeſt *difficultas anhelitus, pulſatio temporum, cephalalgia* & ſimil. à *ſanguinis motu* per inferiora *impedito*.

PROGNOS. *Res* eſt *periculoſa*, ſi *lochia ſupprimantur* in mulieribus, idque

idque eò periculosius, si tam pertinaciter supprimantur, ut neque arte possint per uterum evacuari, neque materia per alia loca exitum quærat, vid. *Barthol. cent. 3. hist. 19. Miscell. N. C. ann. 2. p. 282.*

CURA. Quantum possibile est, præcaveatur *suppressio lochiorum fluxus*: obtinebitur hoc partim per *remedia chirurgica*, partim per *pharmaciam*; Inter *remedia chirurgica* eminet V. S. In *pharmacia* appropriata, *menses & fœtum pellentia*, cum *blandis sudoriferis* temperata, ut in rapidiorem motum actus sanguis facilè percurrat uterum. Conveniens autem est, ut *secetur vena*: quando non sufficienter fluunt, secetur *vena in pede*, & ibidem pro circumstantiarum varietate, plus l. minus, evacuetur de sanguine. In Gallia & Italia loco hujus adplicant *hirudines* labiis vulvæ, vid. *Deodat. in Valetud. p. 91.* si fluant *lochia*, sed *non sufficienter*, loco V. S. *cucurbitulæ l. c. l. s. scarificatione* suris l. interiori femoris parti adplicari possunt. Quoad *remedia pharmaceut.* mulieres usurpant *Cicer. rubr. decoctum* cum *rad. petrosel.* addito interdum paulo *croci*, quod propinant in calido jusculo puerperis, & quidem non incongruè, sed tamen non semper juvat. Conveniunt *menses & secundinas* pellentia, excellit *Myrrha*, tam in substantia usurpata, quàm *Essentia Myrrhæ* cũ ♀. *tinctura* s. *spiritu vini* ♀*risato.* Facit huc *Mixtura Timæi* experta in *partu difficili, secundinis & lochiis retentis.* Ea constat ex *Myrrha, castoreo, succino & Croco*, dilutis in convenienti vehiculo, vid. *in casib. pulv. Zedoar.* convenit etiam, in specie, si sit conjuncta *lochiorum retentio* cum *dolore post partum.* *Pellentibus* his possunt adnumerari *Elixir. Propriet. sine acido* paratum, & ♈✱*ci.* Si suspicio adest *sanguinis grumosi*, *sperma Ceti* cum pauco *castoreo* est egregium; l. *mixtura*, quam ingrediuntur *oculi ♋. ex ✢.* propinati mulieribus: Quæ & *sanguinem grumosum* resolvunt, & *lochiorum fluxum* egregiè promovent. Quæ possunt ferre,

℞. flor. chamom. nostr. mß.
Cortic. ⊙ant. sicc. ℥j. coque in s. q. cerevisiæ. Hoc *decoctum* sumptum est euporiston egregium; potest addi de *Myrrha* & simil. q. pl. Ego aliquando *juvenculam sanam*, post partum felicem *parùm de lochiis* expurgantem, cui X. die post *varia colluvies* effluxit, curavi per *Essent. Myrrhæ c. spir. vini* ♀*risat.* parat. d. frustra.

Hinc ℞. borrac. Venet. ℈ij.
Myrrh. elect. gr. xiv.
Croci gr. vi. M. pro 2. dosibus.

Sic fuit maxima copia *lochiorum & colluviei* expurgata s. evacuata, ut necesse fuerit sanguinem denuò supprimere. Ubi non nimis urget malum,

℞. ☿. diaphor. ℈j.
rad. zedoar. ℈ß.
Myrrh. elect. gr. viij.

Cinamom.

Cinamom.
Croci aa. gr. vj. M. detur in dupl.

Exhibetur in vehiculo cerevisiæ calidæ. *Externè* illinatur abdomen *oleo Cheiri*, cui additum sit *oleum destillat. succini, juniperi, spicæ*; His calidè inungatur largiter abdomen à regione umbilicali ad regionem pubis. Hoc facto imponatur *sacculus calidus*, ex *absinth. Matricar. Menth. puleg. rad. angel. semin. 4. Carminativ. maj.* & simil. Horum duo probè calefacti abdomini, prius isto *oleo* inuncto imponantur, in specie, si *à frigore externo* oriatur *lochiorum suppressio*: Cum his sub *mutatione stragulorum* consultum est, ut in sella perforata fiat *suffitus* ex *bdellio, Myrrh. succino* & simil. speciatim ex *Colocynth.* hujus enim usus egregius, vid. *in Casib. Timæi* pag. 226. juxta hæc conveniunt *Clysteres acriores* uterum stimulantes, injecti, imprimis ubi mulieres laborant *suppreßione alvi.*

LOCHIORUM FLUXUS NIMIUS.

Contrarium vitium est *uberior lochiorum fluxus*, s. in partu, s. post partum.

Causa (1.) est *sanguis uberior* aut etiam *nimis turgescens.* (2.) *Sanguis fluxilior, serosior,* ▽*sior.* (3.) *Læsio uteri*, imprimis ex *placenta avulsa.* (4.) *Irritatio uteri*, l. *à sanguine grumoso*, l. *à frustulis placentæ* l. *à mola* in utero relicta. *Prius* quod attinet, in *juvenculis plethoricis calidioribus* naturaliter *uberior* effluit *sanguis*, impr. quæ patiuntur *mensium ordinarium fluxum nimium*: verùm in specie in *puerperis*, dum insigniter *incalescit* corpus & sanguis *fermentescit*; habent *pulsum celerem, frequentem, magnum*, ubi uberiora effluxerunt lochia. Pertinet huc *abusus ~tuosorum* nempe *vini,* ▽*vitæ &c.* ac *fœtum pellentium* remediorum, à quibus insigniter commovetur M. S. rarescit, fermentescit, turgescit, & uberiorem fluxum per uterum causat. *Secundum* quod attinet, est, quando *sanguis* suâ naturâ est *serosior,* ▽*sior*, ac paulò *acrior*, quod fit in *scorbuto* & simil. *Tertium* est *læsio uteri*, imprimis *per avulsam cum impetu placentam*, ut ita *vasa uterina* lædantur; ubi *ex laceratione* quasi *uteri* solet *uberior sanguinis fluxus* supervenire. Hinc post *abortum* imprimis solet imminere periculum *hæmorrhagiæ nimiæ*; propter *avulsam placentam.* *Quartum* est *irritatio uteri*, *à rebus molestis* in utero hærentibus. Hæ sunt nunc *sanguinis grumi*, in utero coërciti, & *frustula secundinæ* retenta l. *mola* &c. in utero subsistentia, quæ continuò irritando uterum graviores hæmorrhagias inferunt, ut impossibile sit has sistere, l. easdem sine recidivæ metu compescere, nisi dicta in utero existentia fuerint remota.

PROGNOS. Quemadmodum *omnes hæmorrhagiæ* sunt *periculosæ*; ita mulieribus, quibus copiosè fluunt *lochia*, periculum non leve imminet; quia in partu vires debilitatæ, & M. S. nimis agitata & exhausta easdem plus solet la-

befactare: quin imò periculum eſt, ne mulieri exindè *convulſiones*, *deliria*, & tandem ipſa *mors* ſuperveniat. Diſtinctionem faciunt mulieres inter *ſanguinem*, ut dicant unterm Hertz-Geblüthe / &c. quæ diſtinctio eſt de nihilo : per Hertz-Geblüthe intelligunt *ſanguinem arterioſum*, nam qui effluit *poſt partum*, is eſt *ex venis*, quod patet ex *colore obſcuro*. Si ergo *ſanguis intenſe floridus* emanat, reverà indicium eſt, quòd immediate *ex arteriis* evacuetur. Iſte ſanguinis effluxus nimius qui ſequitur *violentam ſecundinæ ſeparationem* l. *abortum*, ſolet eſſe periculoſior & gravior, quàm qui ſequitur partum naturaliter conſtitutum.

CURA. Habeatur ratio *cauſarum remotarum*, quibus ſufflaminatis facilè conſtabit negotium. Hinc ratione *ſanguinis* l. *uberioris* l. *turgeſcentis*, impetu facto per uterum emergentis, convenit V.S. in brachio, vid. *Sylvius*. Hinc conveniunt *blanda acida* ſanguinis impetum cohibentia, & eundem mediocriter ad coagulationem diſponentia; dum *ſanguis* eſt *ſeroſior* & *aquoſior*, mediantibus *ſudoriferis* ſerum derivetur per loca aliena, ut poſtea ſanguis inſpiſſatus mitis effluat per uterum. Ratione *cauſæ tertiæ* conveniunt *vulneraria blanda*, quæ inter eminet *chærefolium*, cujus *decoctum* inter *vulneraria* eſt egregium: quibus addatur *plantago*, *cydoniata* quæcunque &c. In *quarto loco*, irritato nempe utero, conveniens eſt, ut *ejiciantur* hæc ipſa, quo facto ceſſat nimia *uteri hæmorrhagia*. Cùm verò omnia *pellentia* ſimul ſoleant promovere *lochiorum fluxum*, cauti ſimus in utendis his ipſis, quin potius temperatura inſtituatur c. *aromaticis*, v. g. *Sylvius cap. de lochiorum fluxu læſo* habet *mixturam* ex *rad. biſtort. herb. majoran. pulegii &c.* quâ dicit feliciter ſe uſum eſſe in hoc caſu; (*rad. biſtort.* ſumit ℥ij.) In genere tamen in quibuscunque fluxibus conveniunt impr. ♂*alia* & hinc *Terrea* pluribus ſcopis ſatisfacientia. Eminet *lap. hæmatit. Corall. bolus armen.* ſ. *Terra ſigillat.* & ſimil. Hæc primatum ducunt in *hæmorrhagia nimia poſt partum*. Sic fuit *mulier quædam*, quæ altero die poſt partum *iraſcitur*, ex *ira* confuſis *ſuccis & ♁tibus* ſupprimuntur *lochia*, (erat mulier inclinans ad cachexiam,) quinto & ſexto die à ſuppreſſione ſuperveniebant *graves dolores abdominis*, hinc *enormis lochiorum fluxus*. *Cauſa* erant *ſanguinis grumi*, qui in utero coerciti poſtmodum *dolores* iſtos, hinc *nimiam hæmorrhagiam* inferebant: variis tentatis adhibita fuit *Mixtura*, quæ feliciter operata eſt:

℞. ▽. tenell. C. C. ℥iij. ſucc. cydon. recent. ℥j.
corall. rubr. præparat. ʒß.
laudan. opiat. gr. iß. ſyrup. cydon. ʒvj. M.

Uſurpabatur repetitis vicibus cochleatim, & brevi poſt lochia ſuppreſſa ſunt, & ſic ſucceſſivè curata fuit. *Liquor* ♂. ☉*ris* aut *Tinctura* ♀. *vitrioli* ritè præparat. in graviori morbo ſunt egregia : *liquor* ♂. ☉. à gt. VIII. ad X. *Tinctura* ♀. *vitrioli* ad XXX. Conveniunt etiam *trochiſci de carabe*, it. *de Terra ſigillat.* vel *per ſe* & in *vino auſtero acidulo* l. cum cochleari ✠*ti*. In ſpecie conducunt, ubi l.

læſio

læso inducta est utero, *ex avulsa secundina*; l. ubi subest *sanguis serosior & aquosior*. Juxta hæc egregia sunt *Corallia rubra*, mixta cum *succo granatorum acidorum recentium express.* Mixtura hæc subindè puerperis propinetur. Possunt addi *succus* aut *syrupus portulac.* imprim. in *acrimonia sanguinis* aut *utero læso*. In graviori malo instar ultimi refugii sit O. *cum conserv. rosarum rubrarum*, l. *rad. symphyt.* *Onis* dos. ℈ß. ad ℈j. in dicta *conserva* sub forma *boli* est egregia; sed ubi alia sunt irrita, hisce *internis externa blanda* l. sanguinem effluentem *sistentia*, l. sanguinem in utero *adstringentia* adjungenda sunt: Convenit E. *sperma ranar.* ejusque ∇. c. ✠to *rosarum* imprægnata, & spongia eadem imprægnata & regioni pubis adplicata; l. fiat *cataplasma ex fuligine* quod c. ✠to *rosar.* & *albumine ovi* subigatur, & regioni lumbari prope os sacrum applicetur, & subindè repetatur. In usu etiam est, ut *injectiones adstringentes* ex *succo* aut *decocto plantag. portulacæ* & simil. in ∇. *ferrar.* decoct. injiciantur in Uterum, imprimis ubi suspicio adest *læsi* aut *excoriati Uteri*. Denique etiam applicentur *mammis* quædam, si fluunt nimium *Lochia*, in sanguinis turgescentia & nimio orgasmo, nempe *Epithemata* ex ✠. *succo sempervir.* ⊕. & ∇. *spermat. ranarum* frigidè applicata & sæpè reiterata; l. adplicetur *cucurbitula* c. *magna flamma* sub mammis, ut sursum concitetur motus sanguinis.

DOLORES POST PARTUM.

Obs. non confundendos esse dolores varios, qui possunt mulieribus supervenire; propterea, qui forsan superveniunt *orificio uteri extero læso*, l. *vaginæ uteri*, huc non pertinent propriè, sed iidem dolores, qui affligunt *puerperas in ipso abdomine*: adeoque dividuntur in *veros* & *nothos*. *Veri* sunt, qui propriè affligunt *uterum*; *nothi*, qui affligunt *intestina*, *Mesenterium* partesque connexas. *Priores* quod attinet, *oriuntur* ex *utero* l. *irritato* l. insigniter *læso*: *Uterus irritatus* infert *dolores*, quatenus *continuo spasmo* convellitur, & se contrahere nititur, & rem irritantem excutere: propterea etiam sunt *vagi*; dicunt esse *dolores* similes iis, quos percipiunt *in partu*, imò interdum sunt maximè atroces.

Causa ergò *irritationis uteri* & eundem in *spasmum* concitationis est *duplex*, nempe l. 1. *frigus* extrinsecus admissum, l. 2. *grumus sanguinis*, aut *secundina*, aut ~~tem~~ *mola* aut simile quid *post partum* in utero relictum, quod excernendum fuisset. Sic obs. D. S. p. 2. *Mulierem*, quæ vesperi ante partum vescebatur nimio pulmento, cum copiosis flatibus, unde ter aut quater alvum exonerabat: Hinc frigus contrahebat; post pariebat & graves dolores eam vexabant, ut etiam diceret, esse dolores veros. Vel ex hac causa l. alia *impeditus lochiorum fluxus* aut *sanguis grumosus factus* graves dolores inferunt, reverà *partus dolores*, quia sunt iidem. Quod attinet *secundum modum*, dolores *post partum* fiunt interdum ex *læsione uteri* propter *violentam avulsionem placentæ*, & di-

cunt: Sie dörffen den Leib nicht anrühren; quod ſignum eſt *læſi uteri*, l. *à placenta impetuosè avulſa*, l. *ab excretis variis*, in ſpecie *acrioribus*, poſt placentam avulſam uberiùs excretis. Qui anoſi conjunguntur *dolores*, ſunt *graviores*: Hi tamen dolores ſunt *rariores*; *frequentiores* ratione *frigoris ſuſcepti*, l. *ſanguinis grumoſi*. His ſimul adde *flatus*, qui dant *dolores diſtendentes*. *Dolores nothos* quod attinet, ſunt ſimiles iis doloribus, quos patiuntur mulieres *in difficultate menſtruorum*; circa *umbilicum tenſiones* percipiunt; dolores ad *cor* properant; uno nomine: Sunt *tormenta Colica & Iliaca*, oriunda à dictorum locorum *ſpaſmis*; qui oriuntur ex *excretis & retentis* ante partum; l. ex *ſuccorum effuſione* in inteſtina, qui ubi *effervescunt*, tormina inferunt. Hi facilè poſſunt *diſcerni*, partim *à loco*, in doloribus enim veris loca inferiora affliguntur, partim *à dolore*; Si enim eſt *ex utero irritatio*, dicunt: Es ſey ihnen / als ſolten Sie noch einmahl gebähren. Si *ex utero læſo*, dicunt: Es thue ihnen ſo ſchrecklich wehe im Schooſe. Si *flatus* diſtendunt uterum, tunc in ſpecie *lochia* ſimul *ſuppreſſa* ſunt. Quidam putant, dolores poſt partum eſſe ſalubres, quia promovent lochiorum fluxum; ſed falsò, quia interdum etiam ſupprimunt. Si enim fit irritatio ſ. exulceratio, ſi forte orificium ſe ſtringat, lochia ſupprimuntur, & ſic dolores fiunt graviores.

PROGNOS. Redduntur mulieres *inquietæ*; ad *convulſiones & deliria* diſponuntur, imò ex iſtis doloribus univerſo corpore commoto, occaſio ſuggeritur, ut *febrem* contrahat mulier periculoſam; *vires* nimis dejiciuntur, unde ſymptomatis aliis ferendis poſt impares ſunt.

CURA. Variat pro varietate cauſarum. Si eſt *ex frigore ſuſcepto*, conveniunt *fomenta & litûs*: Si *ex retentione ſanguinis grumoſi*, nil melius eſt *chærefolio*, cujus *decoctum* & *aqua* frequenter aſſumta, & ſanguinis grumos diſſolvit, & multis ſcopis ſatisfacit: Si verò ab *excoriatione & læſione uteri*, conveniunt quæ vi aliquali vulnerariâ conſpicua, ut *Corallia*, blanda ♂*lia*, & *hæmatites &c.* In genere ad dolores poſt partum *ex conatu ejiciendi* oriundos, nil melius eſt pulvere & ♎. *ſecundinæ humanæ*. Juxta hæc nobile eſt ſimplex *chamomilla*, *flor.* impr. *chamom. Román.* & hinc etiam *vulgar.* ▽. it. ejusdem & decoctum nunc ſolitarie, nunc cum aliis, nec non *Eſſent. chamom.* cum *oleo deſtillat. Sapphir.* nobilia ſunt. Poteſt in *decocto chamomill.* aſſumi *Elixir. propriet.* l. *Eſſent. Myrrhæ* dum non rectè fluunt *lochia*. Si *ſanguinis grumi* ſint iu utero, prodeſt hauſtum in *decocto chamom. ſperma Ceti*. Mulier quædam gravibus *doloribus poſt partum* correpta curabatur *decocto chamomill.* cum *Elixir propriet.* Eminet etiam *cherefolium* l. ſolitariè, l. cum aliis & parum *croci* ac *macis* uſurpatum, hæc enim pluribus ſcopis ſatisfaciunt. Juxta hæc eſt *Zedoaria* ejusque *pulvis* ad ʒß. in hauſtu vini calido aſſumtus; vel ℞. panis butyro illitus & *pulv. Zedoar.* largiter adſperſus, qui comedatur. Quibus adde *Caſtoreum*, *ſem. 4. Carminat. maj.* & tandem in gravi malo parùm de *opio*, ubi lochia non ſunt ſuppreſſa. Juxta hæc in

dolor.

dolor. post partum conveniunt *fomenta* abdomini applicata, ex *arte misc. matricar. puleg. chamomill.* in vino l. ▽. decoctis, applica abdomini, l. intincta lintea l. sacculi his impraegnati abdomini adplicentur: l. fiat *linimentum* ex *axungia Castorei*, add. *oleum destillat. spicae, succini, cumini, angelic.* Si potest mulier ferre odorata, *zibethum* illinatur calidè abdomini, & reiteretur; l. applicetur *emplastrum matric. de Galbano*, malaxetur c. *oleo destillat. chamom.* & insternatur abdomini, l. fiat *Catapl.* tale:

℞. Cepar. IV. coque in s. q. ▽. commun. adde
flor. chamom. mj.
semin. lini contus. Cumin. contus. aa. mj.
farin. hord. q. s. c. ▽. dict. subige in consistentiam *cataplasmat.*

& calidè insterne abdomini. Si *ex inflammatione uteri dolores* ortum trahant, optimus est *suffitus ex NM.* Si sunt *nothi*, curantur *clysmatibus carminativis* injectis, uti etiam *zedoariâ.*

TUMOR PUDENDORUM.

Symptoma non est rarum, quod in partu l. primo l. difficili affligit puerperas, nempe *tumor pudendorum & inguinum* cum aliquali *inflammatione.* In tali casu nil melius est *fotu* ex *flor. sambuc. & chamom.* in ▽. l. vino coctis: l. ℞. *beccabung.* & contund. c. *floribus chamom.* & instar *cataplasm.* calidè imponatur pudendis. It. *herb. melilot.* c. *sem. foeni-graeci* in forma fotus est egregia. Fit interdum, ut in partu *contundantur, excorientur* ac *laedantur pudenda*, idque imprimis *in partu violento*: ubi convenit, si *ol. hyperic.* & *rosar.* misceantur cum *ovis integris* probè contus. & sub forma *linimenti mollioris* applicentur. Si pudendum contrahit *fissuras*, convenit *Emplastrum* sequens:

℞. balsam. Peruvian. ℥iij.
axung. porcin. ℥iij.
olei vitellor. ovor. ℥iij.
Terebinth. Venet. ʒj. M. redigantur in formam *balsami*, & cum plumaceolis imponantur dictis *fissuris.*

RUPTURA VULVAE.

Interdum in *primiparis*, l. *angustis* l. in *partu difficili* l. ubi *foetus* est *grandior*, pudendum *rumpitur*, ut vulva & anus fiant unum foramen. Malum grave, quod non ritè tractatum in *gangraenam* degenerat. Contra hanc *rupturam* optima est medendi ratio, ut utrinque labiis vulvae imponatur *gluten*, quod vid. in *Timaei Cas. l. 4. p. 231.* & postmodum ansulis adplicatis & invicem connexis ad se ducantur labia vulvae ruptae. Hoc facto intra rimam inspergatur *pulv. rad. Consolid. maj.* qui excipiatur *albumine ovi*, & illinatur blandè in locum pudendi,

 labiis

labiis denuò ad se adductis, l. cum plumeolis immittatur *balſ. Peruv.* qui si fuerit acrior, deliniatur cum *albumine ovi* & imponatur cum *balſ. ♀. terebinth.* Curiosus casus est, quem habet *Guilleman.* in *l. 3. capit. 7.* nempe refert de quadam muliere *rupturam vulvæ* patiente, quæ neglecta cicatricem induxit, ut unum foramen remanserit: Mulier denuò concipit, & altero demum partu fuit curata: nempe eodem modo, quo solent curari *labia leporina*, sc. *abſcindendo* (1.) pellem cicatrisatam, post per filum acu transfixum insistit, ut firmius conjungantur labia; hinc imposuit *balſam. helenii compoſit.* mediante quo curabatur. *Balſamus* hic est:

℞. Gumm. helenii ℥ij.
Terebinth. Venet. ℥iij.
Ol. hyperic. ℥iiß.
Sanguin. Dracon. Myrrh. aa. ℥j.

liquefiant omnia simul & fiat l. a. *balſamum.*

LIPOTHYMIA PUERPERARUM.

Imminent quandoque *puerperis* graviores *paſſiones hyſtericæ* duplici modô: Interdum mox in partu *lipothymiæ* imminent, ac tum dormire volunt, l. *paſſiones hyſtericæ* superveniunt; postmodum in cursu puerperii l. solitariæ l. conjunctæ aliis morbis. *Prius* si fiat, optimum est, ut utamur saltem ⊖. quodam *volatil.* v. g. solus ⊶. ⊖ ✻ci c. *liquore C. C. ſuccinat.* in vehiculo calido dissipat imminentes *lipothymias*, repetit. aliquoties, donec mulier evadat immunis. Verum si *poſterius* sit, nempe *paſſiones hyſtericæ* complicatæ cum aliis affectionibus, est difficile, partim, quia non potest cognosci, & quia *in cura* respectus habendus est primiparæ: Nempe si aliquot dies à partu superveniunt *ſuffocationes uteri*, solent saltem conqueri de insigni *anxietate.* Hoc symptoma solet esse frequens mulieribus, quando imminet *puerperium.* Interim tamen in *paſſione hyſterica anxietates præcordiorum* affligunt circa regionem stomachi & præcordiorum; quibus verò imminent *puerperia*, conqueruntur de *difficili anhelitu*; quòd *pectus repletum* sit &c. quòd fit ex alieno sanguinis statu, propter *vitiatam fermentationem,* circa præcordia. Ubi ergo suspicamur, esse complicatam *paſſionem hyſtericam cum imminente morbo acuto*, simus cauti in remed. volatil. exhibitione, quia non semper eadem ferunt *morbi acuti*: saltem ergo *temperata* ex *Myrrh. Caſtor.* ⊖ *ib. fixis*, ut Card. Ben. & simil. convenient, ut partim *paſſioni hyſtericæ*, partim *morbo acuto* succurramus.

DIARRHOEA PUERPERARUM.

In hac duæ circumstantiæ sunt considerandæ: (1.) an ritè fluant l. fluxerint *lochia*; (2.) an adjunctus sit *morbus acutus, malignus?* In utroque statu accutus sit Medicus: Si superveniat *diarrhœa, lochiis* rectè *fluentibus*, sistenda venit,

in

in ſpecie *blandis ſudoriferis*, & *ſtypticis* compeſcenda: Si verò l. *non manant*, l. planè non, l. non ſufficienter *fluxerunt*, relinquenda. Teſtantur enim obſervationes, quòd loco *lochiorum* interdum ſuperveniat *diarrhœa*, quæ loco lochiorum fuit *ſalutaris*: Exempla præſtabit *Barthol. cent. 3. hiſt. 9.* cum ergò interdum *lochia* per *diarrhœam* ſoleant evacuari, propterea ubi *lochia* l. non, l. non ſufficienter fluunt, non ſtatim ſupprimenda eſt; Si verò eſt conjuncta cum *morbo acuto, efflorescentiis cutaneis, &c.* eſt periculoſa: propterea venit *curanda* per *ſudorifera* fixa; per hæc enim ejiciuntur *recrementa, cauſa diarrhœa.* Conveniunt ergò *C. C. uſtum, Terra ſigill. Magiſt. Corall.* cum *ſucco citri*, quibus addendum eſt nonnihil de *laudano opiato*, ſic enim prohibetur *cauſa* motûs, & *cauſa* ipſa evacuatur: *ſtyptica* verò fluxum ſiſtunt, & diarrhœam compeſcunt.

INCONTINENTIA URINÆ PUERPERARUM.

Sæviſſimum ſymptoma eſt, ſi partes lædantur in partu, ita ut lædatur *ſphincter veſicæ*, ut non poſſit cohibere urinam; exindè enim excoriantur & exulcerantur pudenda & femur. Malum eſt *difficile curatu.* *Recens* curari poteſt per *injectiones vulnerarias, linimenta* & ſimilia: verùm notetur, quod obſervavit *Heinr. ab Heer obſ. 14. & Boyle* in *philoſ. experimental. p. 116.* quòd *calcinati bufones vivi* (calcinantur in olla recenti & nova) appenſi, ut immineant regioni ſtomachi, malum hoc ſiſtant & compeſcant: Certum enim eſt, quòd inveteratum malum fere incurabile ſit, niſi forſan thermæ aliquid conferant. Sphincter enim læſus ſic cicatricem contrahit, ut vix curari poſſit malum, quod facile contrahunt quando obſtetrices ignaræ l. incautæ unguibus dilacerant ſphincterem veſicæ.

DE SUPPRESSIONE URINÆ PUERPERARUM.

Oritur à ſanguinis grumis l. in vagina l. in aliis locis hærentibus, & urinæ fluxum impedientibus: præter interna l. ſanguinem grumoſum diſſolventia uſurpentur clyſmata acriora, externè oleum ſcorpionum &c. Conqueruntur etiam puerperæ de vagis acutis doloribus poſt partum, ubi ſufficit unguentum ex ſpermate Ceti c. oleo Nuc. expreſſ. cera & pauco croco mixt. in conſiſtent. Ungu. l. Emplaſtr. calidè abdomini applicandi.

FEBRIS LACTEA.

Quod attinet *febres puerperarum, & morbos acutos, l.* communes ſunt omnibus puerperis, *l.* propriæ: *communis* eſt *febris lactea*, quando mulie-

mulieribus lac transfertur ad mammas, & ibi uberiùs congeritur, supervenit æstus, donec per blandum sudorem terminetur.

Sæpissime à die tertio l. quarto supervenit, & die nono sudore finitur. Observa tamen, quòd hæc febris lactea pro subjecti varietate & circumstantiarum variare soleat; Ut febris lactea demum septimo die superveniat. Obs. & Dn. Pr. supervenisse die nono: nihilominus tamen hæc febris rarò sub curam Medici venit. Attam. optimum est, ut sudor blandè promoveatur, & lochia stimulentur v. gr.

℞. ♁. diaphor. ℈ij. l. ʒj.
Myrrh. ℈ß. M. F. pro 2. dos. pulv. & propin. ægræ:

Beneficium enim *sudoris & lochiorum fluxus* solent compescere *febrem lacteam*. Si verò hæc febre ingruente desint, simul angustia præcordiorum & difficilis respiratio oboritur, quia tunc uberius lac turgescit in sanguine: utilis est emulsio c. ♁. diaph. v. g. ex sem. C. B. napi cum Myrrha, sic enim facilè evanescit. Plura quæ ad eam pertinent, sunt explicata à *Willisio de febribus*, qui in hoc puncto optimus est.

MORBI ACUTI PUERP.

Quod attinet *febres acutas* puerperarum, *utpl. sunt malignæ*, unde pluribus cum reliquis febribus malignis conveniunt, imprimis quoad excretiones cutaneas. *In omnibus* tamen *febribus acutis puerperarum respiciendum est ad duo.* (1.) Ad lochiorum fluxum, qualis & quantus fuerit. (2.) Ad primas vias & succorum ibidem scaturiginem, horumque ibi factam commistionem & ejectionem ex pancreate, chole docho, & glandulis Mesenterii in & post labores partus. Cum enim ex mensibus suppressis hi succi alterentur, indeque varia pathemata circa primas vias oriri soleant, ob id circa partum esse hos succos commotos observandum est, qualia symptomata post partum inferant, an passionem hystericam, an alia pathemata; ad hæc duo imprimis respiciendum est, in morbis malignis puerperarum; Febres ergò hæ superveniunt puerperis *ex. c. aut* dum rectè fluunt lochia, *aut* dum p. n. sunt suppressa, *aut* dum naturaliter non amplius fluunt seu rite fluxerunt. *Si supprimuntur*, immediatè febrilia symptomata superveniunt, unde primum erit, ut revocetur lochiorum fluxus per *v. s. in toto* administratam, & remedia interna, *lochia promoventia*, corpusque *ad diaphoresin disponentia*. *Si verò non amplius fluunt, rectè* autem *fluxerint*, hæ febres malignæ non secus ac aliæ cum excretionibus cutaneis curandæ sunt, & quidē cùm sint ferè semper malignæ, impr. quæ superveniunt ritè factæ purgationi per uterum, ita ut in talibus malignis in sudoris legitima provocatione primum curationis punctum consistat; tunc *cautus sit Medicus, ne* nimis sudorem promovendo, *lochiorum fluxum sistat*; dum enim superveniunt tales febres, convenire solent lochia. *Sicuti etiam caveat, ne*, dum lochia fluunt ordinariò, hoc

hoc ipſo *malignitati detur acceſſus ad interiora*, quia quæcunque ſanguinis evacuationes in febribus malignis ſunt periculoſæ; unde cùm dictæ febres impr. & frequentiſſimè per excretiones cutaneas ſ. petechiales ſ. puſtulares ſ. miliares ſalubri naturæ conatu mitigari obſerventur, obſervet Medicus, ne lochiorum fluxu hunc naturæ conatum impediat; propterea *inter remedia primatum obtinent*, quæ & blandâ diaphoreſi fermentum malignum removent, & conatum excretorium naturæ promovent, ſimul tamen ſtimulando æqualem lochiorum fluxum conſervant, ne diaphoreſi ſupprimantur. *Si tamen fluant nimiò*, addantur talia, quæ blandâ vi adſtrictoriâ lochiorum fluxum nimium ſiſtant. Cum his ergo ſtimulantia addenda ſunt, *ubi lochia ſunt ſuppreſſa*, ubi excellit *Myrrha*: ubi autem fluunt, adſtringentia ut *Terra ſigillat.* & *C. C. uſtum*: ſi verò in tali febri penitus ſupprimantur lochia, neceſſe eſt, ut fortiùs & copioſiùs ſudor moveatur. Remedia ergò ex C. C. item *fixa ex ☿nio*, hinc *Myrrhata*, ac *ſuccinata*, primatum obtinent, c.c.ſ. ▽. præparat. l. c.c. ☉re, his adde præter ☿.m. alia diaph. Nota impr. Cinnabarim ☿nii rite præparat. quæ in puerperarum morbis malignis maxime proficua: de ⊖.volat. ſuccini, & ⊖.volat. c.c. autem mixtis & additis fixioribus in pauca quantitate, res nota eſt.

Purgationes quæcunque cautiſſimè inſtituendæ, quin potius omninò vitandæ; Cum etiam clyſterum applicatio in hiſce febribus cum excretionibus cutaneis conjunctis obſervata fuerit periculoſa: unde Medicus mox in principio puerperii, ſecundo, tertio die, ubi ſuſpicio eſt imminere morbum malignum, primas vias eluat, v.g. pilul. peſtil. Ruffi.

Et *V. S.* ubi rectè fluunt l. fluxerunt lochia, eſt nociva, lochiis v. mox in principio ſuppreſſis, ſi ſuperveniat febris maligna, conſideret Medicus habitum ægræ; In plethoricis, ſanguineis juvenculis ſubinde neceſſe eſt, ut promoveantur lochia V. Sne in talo, & impetus ſanguinis inferiora verſus concitetur; applicentur utero emollientia, ac ſtimulantia externè. Si graviter affligat malum & corpus ſit ſuccolentum, ſubinde præmittatur V. S. in brachio, cui ſubjungatur liberior ſanguinis emiſſio in talo; ubi ſaltem in partu aut à partu lochia fluxerint, à V. Sne ſuperſedere debet Medicus. *Si vero lochia ſuppreſſa inferant febres*, benignas, ardentes, *comitatas* cum pleuritide & anguſtiis, *præmiſſa V. S.* in pede mox uſurpentur, quæ *ſanguinis grumos* promptè *diſſolvunt*, & effuſo ſudore ſanguinem ſtagnantem in debitum circuitum revocare poſſunt, ſubindè lochia ſtimulantia, ut *Myrrh. Caſtor. ſperma Ceti* ſubjicienda ſunt. Ad ſitim tollendam in febribus acutis acida nimia non bene conveniunt, quia periculum hic eſt, ne refluxum lochiorum ſiſtant, ſimulque acida utero membranoſo & læſo ſint hoſtilia, potius ergo temperata ſub acida, in caſu majoris æſtus ♎. ⊕. dulc. infuſa blanda acida ſunt convenientiſſima v.g. in febribus malign. puerperarum.

℞. c.c.ſ. △. ℥ß. ~~cinnabar.~~

☿nii

☿nii diaph. Cinnabar. ☿nii rit. par. an. gr. XIV.
Myrrh. elect. gr. XII. M. S. pro 2. dos.

propina in quocunque vehiculo aut ubi suspicio adest angustiæ præcordiorum, in hystericis, ut ▽. hirundinum. c. Castor. sic etiam siti nimia.

℞. flor. viol. cyani, aquileg. aa. mß. infund. in s. q. ▽. carduiben. aciduletur c. pauco ♁. ♀ris, stent in loco tepido ad extractionem tincturæ, tunc ℞. colat. add. syrupum berberum, de scord. artemis. q. s. ad suavem & nonnihil dulcem saporem, qui nec nimis acidus nec nimis dulcis sit.

PURPURA PUERPERAR.

Speciatim ex omnibus ferè apud nos pessimæ notæ est febris purpura mulierum. Hæc est maligna, quæ tamen radicem quodanmodo ac fomitem acquirit ex scorbuto, quia unà cum reliquis remediis etiam remedia antiscorbutica permixta usurpata promovent insigniter purpuræ eruptionem; sc. ad instar Variolarum, *duplicia tempora* observanda sunt in purpura, (1.) tempus ebullitionis (2.) tempus excretionis. In *tempore ebullitionis* conveniunt *remedia effervescentes humores compescentia & blanda diaphoretica,* quibus l. *Myrrha,* l. parum de *sale Volat.* addendum, postmodum, ubi imminet *tempus excretionis,* simpliciter *expulsiva* conveniunt, v. g. *in principio morbi* conveniunt C. C. ☽re, *bezoard. Mineral.* quæcunque *cinnabarin.* ☿*nium*, ⊖. *volat.* C. C. ex *succino* admixta & in parva dosi exhibita, cum istis partibus conveniunt etiam ⊖ *ia fixa vegetab.* ut carduiben. v. g.

℞. C. C. ☉ris ℈j.
bezoard. miner. Cinnabar. ☿nii aa. ℈ß.
⊖. volat. C. C. & succin. aa. gr. ij. l. iij.
M. f. pulv. pro 2. dos. per est egregius.

In progressu purpuræ egregia est *Tinct. Corall. antiscorbutica,* optimè expellit, gr. XXX. l. XL. loco hujus prodest seq. mixtura.

℞. ▽. scord. scorzon. an. ℥iß.
♁. Cochlear. ʒj. ad ʒiß.
Magist. Corall. c. succ. Citri.
☿. diaph. aa. ʒß.
syrup. de scord. l. d. Calend. ʒvj. M.
cape subinde cochleatim.

Ubi incipit apparere, conveniunt *emulsiones ex sem. C. B. napi, aquileg. Citri* & simil. l. *Myrrha* pro ratione *lochiorum*, nam hæ Emulsiones potenter expellunt.

Observa, ut etiam puerpera calidissimè tractetur, quia tantillus *halitus frigidus* facit retrocedere omnem purpuram. Unde subitò *difficultas respirationis, anxietates præcordiorum, jectigationes, diarrhææ,* & similia superveniunt, speciatim

in

in purpura alba. Si incipit prurire purpura, & sub forma squamarum decidit, continuentur remedia antiscorbutica: sic etiam curantur reliquæ purpuræ.

LACTIS DEFECTUS.

Præsupponitur hic, *materiam lactis esse chylum*, & *motum materiæ ad mammas* non fieri per vias singulares, sed mediante sanguine arterioso *per arterias*, sicuti præsupponitur *modum generandi lactis* fieri partim per transcolationem, partim per quandam in glandulis mam̄arum præcipitationem: Quando nempe serum chylosum cum sanguine eò distributum ibidem beneficio certæ quasi tincturæ s. fermenti glandularum mammarum secernitur, & à lympha glandularum propriâ acidula ex sero præcipitatur, & quodammodo disponitur chylus pro materia lactis. Probatur, quia ex sero, beneficio ejusdem tincturæ acidæ præcipitatur grumus lacteus, unde blandum acidum in dictis glandulis unà elaboratum probabile est præcipitare ex sero dictum chylum, & eum condensare in lac, qui deferatur tandem ad papillas. Notum ergò est, quod mulieres brevi à partu tempore percipiant motum materiæ ad mammas ita, ut primum lac sit 🜄sius, sicuti 3. l. 4to die cum febre lactea propriè dictum lac generari solet. Lac istud præbendum est infanti, quod est alimentũ medicamentosum. In specie *circa lac & ejus generationẽ tria vitia consideranda sunt*: 1. quando deficit 2. quando abundat, 3. quando depravatur in mammis & corrumpitur. Quoad primum, *deficit* in defectu *materiæ ex qua*, l. *vitio mammarum*, in specie glandularum. *Deficit materia* in his, quæ sunt nimis macilentæ, hinc deficit lac defectu materiæ in febrientibus; It. parcè vel planè nihil alimenti assumentibus. It. quæ solent uberiùs purgari per lochia; quibus uberiùs mammarum materia candida serosa: quæ nimis sudant, & minus bibunt &c. *Mammarum vitium est*, quando glandulæ sunt vitiosæ; quarum primũ vitium est, quando sunt scirrhosæ & induratæ, l. quando nimis adstrictæ, minus porosæ, & poris arctis constantes, unde viæ sunt nimis angustæ. Fit hoc arte, quando virgines tensiùs pectus constringunt, aut quando admotis externis mammarum augmentum, & glandularum debita structura impeditur in pubertatis annis; accedit infans minùs aptus suctui, nam quo magis fœtus sugit, eò major copia lactis accersitur; si ipsæ mammæ in culpa sunt, subtile istud acidum, quod chylum in mammis præcipitando coagulat, si vitiosum sit, causa est supervenientis lactis defectus.

PROGNOS. Nullum incommodum matri infertur, modò rite fluant lochia, sed saltim infanti, quia non potest ritè nutriri.

CURA. In hoc defectu lactis ante omnia observandum est, ut primò *internis* appropriatis lactis proventus acceleretur, exhibendo victum εὔχυμον, & *externis* emollientibus mammas irritantibus lactis fluxus promoveatur. Inter *interna* ergò eminent *flor. sambuci in lacte cocti*, nempe ℞. flor. Sambuci mj. ebull. in Mens. lactis vaccini, colaturam bibat calidè nutrix, & sic ubertim lac super-

supervenire solet; post morbos acutos lactis fluxum promovet, sed cautè fiat: It. hîc eminent fœniculum & hinc anisum, eorumque decocta: unde decoctum sem. fœnicul. & summitatum ejus experimentum est *Am. Lusitan.* Hæc enim & ex his olea destillata proficua sunt, quia lac generant, & simul etiam lac medicamentosum reddunt: *Kerkring.* observavit, quòd nutrix lactescens fœtum, assumserit oleum destillat. anisi, unde fœtus emisit crepitus ventris anisi odorem referentes. It. hîc in usu sunt *cryst all. lac* ☽. quæ egregie conducunt; *species diacrystalli Mynsichti*, l. fiat pulv.

℞. Lac ☽. ℈ij.
cryst all. præparat. ʒj.
ol. destillat. anis. fœnicul. ana gt. 17. M. f. pulv. pro 2. l. 3. dos.

Capiat in brodio gallin. l. in brodio decoctionis fœniculi.

Externè usurpentur partim emollientia mammas, partim irritantia & lac promoventia, unde in usu sunt fomenta ex dictis emollientibus, quo facto fricentur mammæ moderatè cum pannis asperis, ut probè incalescant, ut ita mediante sanguine uberiùs affluente promoveatur uberior lactis proventus.

LACTIS REDUNDANTIA.

Fit hoc *l.* absolutè *l.* respectivè; *Absolutè*, quando mulieres [redacted] lactantes plus lactis conferunt, quàm fœtus exsugere potest. *Respectivè*, quando lactare nolunt, & ita lac in mam̃is colligitur. *Causæ remotæ* investigandæ sunt *in* uberiori alimento assumto, *hinc* in laudabili digestione stomachi, *hinc* mammarum laxitate & mollitie glandularum copiosarum & melioris consistentiæ, *&* *in specie* volatili acido præcipitante lac ex M. S. Saltem hic *seqq. observanda sunt.* (1.) Fit interdum, ut dum lac uberius ad mammas affluit, mulieres patiantur dolores sub axillis, quod obs. Dn. Autor in juvene succi plena. (2.) Notandum est, mulieres interdũ, quatenus l. lac promptè l. uberius affluit ad mam̃as, l. quod jam copiosum in mammis est, percipere dolorem gravativum in dorso, obs. Dn. Autor: hinc non solùm in mulieribus lactantibus, sed etiam habilioribus, quibus in medio gestationis tempore lac in mammis apparuit, qui tamen dolores evanuerunt, ubi lacti patuit exitus per mammas.

PROGNOS. Malum non est per se in mammis, sed benignum naturæ beneficium; Si tamen uberiùs congeratur quàm l. fœtus exsugit, l. quàm lactare non vult, metus est, ne lac corrumpatur, coaguletur, & hinc scirrhos, scrophulas & abscessus mammarum inferat, minus tamen adest periculum quando uberius fluunt lochia.

CURA. *Duo scopi observandi sunt:* (1.) nimius lactis proventus tam in quàm externis præcavendus. (2.) Genitum lac l. medicamentis sudoriferis l. per papillas removendum, quod posterius, uti dictũ, obtinemus per sudorifera, mediantibus quibus etiam promovetur lochiorum excretio. Pro his scopis obtinendis

nendis externa parcius usurpari solent, in genere ea, quæ ad abundantiam seminis extinguendam in gonorrhœa in usu sunt. Convenit ergò *vitex ejusque semen, Coriandrum, Myrrha* & *Myrrhata*: de *Mentha* res dubia est: Quidam dicunt, lac inhibere, quidam generare. Externa potius conveniunt ad lactis copiam inhibendam. Conveniunt ergò *decoctũ Cumini in aceto* l. Cuminum in pulverem contusum cum aceto in forma Cataplasmat. calidi. Isti fotus, si addatur parum Onis, erunt efficaces, convenit verò in specie hoc:

℞. rad. apii ℥ij.
sem. Cumini,
Coriand. aa. ℥ß. ad I.

Coque in ▽ et vino, adde parum ✕ti. Decoctum c. linteis multiplicibus calidè applicetur mammis: Eminent *Cicuta & mentha*, l. recenter contusa, mammis imposita, l. ex his paratum decoctum mammis impositum. Mulieres nostrates accipiunt *alsinam*, eamque contusam & conquassatam mammis imponunt: ℞. nempe fol. brassic. capitat. & huic imponunt alsinam contusam, & calidè admovent mammis crebriùs repetendo. De cætero *experimentum est sympatheticum*, si mulieres lac emulgent in carbones candentes l. in ferrum candefactum, sic enim aliquoties omne lac evanuit. *Traditio est*, si mus lac gustavit, mammas steriles reddi, quoniam non semper succedit. Si lac genitum sit, ut removeatur ex mammis, optimus est *blandus sudor continuatus*; pro excretione per papillas optimum etiam est, ut imponatur *Emplastr. de spermate ceti Mynf.* ut integras mammas tegat. Ut præcaveatur lac à sui coagulatione, *supra dictum Emplastrum* imponatur, & *sacculi* ex oryza l. milio l. hordeo contuso : fiant nempe sacculi pollicis crassitie, ijque interpassati probè calefacti imponantur dicto Emplastro crebriùs repetendo, toties nempe quoties calor remittit; sic lac fluidum manet, & sponte per papillas emanat.

COAGULATIO LACTIS.

Variis modis corrumpi aut vitiari potest lac, præprimis tamen familiarissimum & nocentissimum vitium est, quando in mammis coagulatur & in grumos ac caseosationem secedit. Jam verò *coagulatio fit (1.) occasione acidi* assumti, l. in lacte geniti: Acida assumta, in specie austera, si copiosiùs ingerantur l. applicentur externè, lac coagulare valent, *præ cæteris* tamen à *causa externa* originem ducit, nempe coagulatur lac *nunc subitò* in animi affectibus, *nunc pedetentim*, si diutius coërceatur in mammis. In animi pathematis mulieres ex terrore subitaneo mox percipiunt lactis grumos in mammis; Si iracundiâ sint affectæ, lactis coagulationem & Erysipelas contrahunt. Pedetentim coagulatur, quando lac diutius in mammis coercetur; sic enim retentum tepore loci alteratur, alteratum acorem contrahit & seipsum coagulat; promptè etiam coagulatur, quia occultum gerit ✚dum in se ipso, & præterea in glandulis mammarum à lympha ✚da impprægnatur. His si accedit ∽tuum defectus,

ex motu eorum in animi pathematibus perturbato, facilimè ✠ dum fit manifestum, & cogit lac in grumos. Sed *aliud est* durities mammarum à lacte nimio mammas distentente: *aliud* lac coagulatum, in mammis. Ordinariò in puerperio, quando tertio l. quarto die lac defertur ad mammas, mammæ durissimæ apparent, sed tunc sunt æqualiter duræ; verùm quando lac coagulatum est in mammis, mammæ inæqualiter tument: nempe percipitur in quodam loco tumor durus factus, renitens, qui nunc est simplex, nunc duplex, nunc triplex: Basis est super glandula lacte circumsessa. Tumor hic in principio est sine dolore, utut successive dolorosus evadat, nempe ex lactis coagulatione. Tres sunt modi evacuandi, *aut* successivè emollitum disparet, *aut* superveniente inflammatione, beneficio abscessus evacuatur, *l.* tertio tandem promptè induratur & in scirrhum abit: familiare est, ut superveniat huic tumori inflammatio mammarum, in loco grumi coagulati.

CURA. Ubi adest suspicio l. præsentia lactis in mammis coagulati, opera danda, ut lac nondum concretum maturè removeatur, lac dissolvatur, & resolutum emulgeatur. Unde subitò, quando puerperæ percipiunt sibi nasci tumorem in mammis, emulgent, ne lac coaguletur, l. si non possunt lac emulgere, lac exsugere permittunt. Hoc facto propina *internè sudorifera*, speciatim *salia volatilia*, quæ per sudorem & vi salinâ grumos lactis coagulatos dissolvunt: principatû ♎. ⊖. ✱ci probè rectificatus dos. ℈j. imponendo sudorem largum, gerit. Et si rectè sudant, mox sensibile levamen in mammis percipiunt, tàm in lactis coagulatione, quàm m. si supervenit inflammatio. Ubi sudaverunt, mox in principio, ad dissolvendos lactis grumos, *Emplastr.* seq. imponi potest:

℞. Empl. de Galban. Crocat. Mynsicht.

Gumm. ammoniac. in ✕. solut. aa. liquefacta indue super linteum crassum (Barchen) ut integram mammam obtegat, transcindendo foramen pro papilla; post applicetur calidè mammæ, & imponantur sacculi fervidi jam dicti, & mulier disponatur ad sudorem, sic lac successivè evanescit; sed necesse est, ut fiat in principio, si enim per biduum aut triduum lac coagulatum in mammis hæserit, frustra est ut dissolvantur grumi, & insensibiliter disppareant. It. hîc in usu est, ut ad lactis grumos dissolvendos *ruta & mentha*, contusæ & calidè mammis imponantur: Quidam commendant *decoctum chelidonii majoris* in forma fotus impositum: Verùm hæc saltem juvant in principio. Hinc l. supervenit inflammatio mammarum l. gangræna l. indurantur in scirrhum.

INFLAMMATIO MAMMARUM.

Observandum est in genere monitum *Amat. Lusitan. m. c. 1. 49.* quod mamma affecta rarò ad sanitatem perducatur, nisi altera sana exhauriatur, quia dum lac fluit ad unam mammam, etiam fluit ad alteram, & sic malum exasperatur.

tur. Observ. m. quod in muliere lacte abundante, si fœtus mammam unam sugit, ex alterâ etiam lac ploret l. stillet. Quando ergò supervenit inflammatio, facilè cognoscitur; fit rubicunda, & in medio sui sensus pulsationis percipitur. Hæc si percipiantur, certum signum est, properare tumorem ad inflammationem, & suppurationem. Hic frustra est omnis conatus discutiendi grumos lactis & tumorem inflammativum. Jam verò ut maturetur inflammatio & promoveatur suppuratio, internè propinetur *pulv. ex ocul. 69. sale carduiben.* & *Myrrh.* (quæ nimiũ acorem in primis viis absorbent & destruunt:) Si mulier sudet, interdum est curatio prospera. *Externè* optimum est pro maturando abscessu, ut mam̃a tumida bis l. ter quotidie illinatur ∽.✻ci c. Calc. viva, & Spir. vini parato, melius est, si addatur crocus & Caryophyll. &c. Hic calidè mammis illinatur & imponatur supra laudatum Emplastrum, sic suppuratur abscessus, ut ne dimidium doloris percipiant, quàm alias sentirent; l. illinatur mamma isto ∽u, & imponatur desuper Emplastr. diachylon c. gummat. Sic pedetentim suppurat abscessus, nam successivè in quodam loco levius emergit *tuberculum*, quod si apparet, digito contingendum est, an sub eo omnia sint molliora: nam si durum est, continuentur remedia, sin verò molle, aperiendum est cultello. Aliâs pro promovenda suppuratione in usu est, ut imponatur *Emplastr. ex mica panis cum lacte, & medulla panis cum succo apii* imprægnata, *sed* faciunt dolores. Sin verò suspicio supervenientis inflammationis absit, interdum *dissolvitur coagulum* & cessare facit inflammationem; Loco horum etiam tale Emplastr. usurpari potest.

℞. rad. Ireos.
cepar. ad ignem assat. aa. ℥ iij.
ferment. ℥ ij.
vitell. ovi numero iij.
axung. porcin. recent. sin. ⊖ e.
Ol. rosar. farinæ fabarum, sem. lini aa. ℨ j.

Omnia contusa redigantur in formam cataplasmatis, factus abscessus postmodum mundificetur, partim ut grumi forâs eliciantur, partim ne in ulcus fœtidum degenerent: pro his com̃endatur *externè Emplastr. diachylon. composit.* It. *oleum momord.* per infus. (infund. poma momord. rubicunda) blandâ manu instill. in abscessum, quod oleũ est admirabile in abscessibus & ulceribus; in defectu hujus sumitur *balsamus ♀. c. ol. papav. l. amygd. dulc.* l. nobilitatus c. oleo destill. & l. solus, l. si acrior fuerit, mixtus cum vitello ovi applic. *Distinctio autem facienda* est ab inflammatione mam̃arum, quæ ab alia causa supervenit, & etiam ab Erysipelate. Puerperæ terrefactæ subinde incurrunt Erysipelas mammæ l. sponte horrore correptæ, postea gravem æstum incurrunt, ubi mamma Erysipelate tangitur. Erysipelas mammæ hæc post se exhibet, mamma rubet, calet, coccineo colore tincta est, & dolores lancinantes & pungentes in

ejus ſuperficie percipiuntur. Lac emulgeatur, internè verò, dum calor durat, propinentur remedia diaphoretica fixa, in ſpecie alcalia v. g. ♁. diaph. c. ⊖. c. B. vel

℞. C.C.S. △. ℈j.
⊖. card. B. ℈ß. M. D. expellatur ſudor,

Sub quo mamma linteis calidis probè integatur, ut ſudor erumpat; Hoc facto, ſi levius fuerit Eryſipelas, fiant *ſacculi ex fl. ſambuci*, qui interpaſſati *irrorentur* largiter *ſpiritu vini* probè rectificato, & *ſuffumigetur* pulvere *ſuccini & thuris* & calide applic. aliquoties repetendo. Si verò gravius fuerit malum, optimum eſt, ut ℞. *Theriaca* & miſceatur cum pauco ⊖. *abſinth. nempe*

℞. Theriac. ʒiß.
⊖. abſinth. ʒiß.

quæ mixt. in forma emplaſtr. calidè mammis applic. Loco horum eſt egregium ſeq. ℞. *rob. ſambuci*, quod inducatur linteo, & calidiſſimè imponatur mammæ, omnique hora repetatur: Superſtitio eſt, quod horrent talia humida in uſu: *Pulv. ad eryſipelas Mynſ.* impregnatus 🜄 *vini* tartariſato, ſi calidè mammis adſpergatur, & imponatur l. linteum l. ſacculus ex floribus ſambuci & chamom. mulierque blandè ſudet, aut madeat, confert. Si verò *ex aliis cauſis* in l. extra puerperium ſuperveniat inflammatio mammæ, *ſcopus eſt primus* diſſolvendi inflammationem quantocyus: Si hoc fieri non poteſt, perducatur ad ſuppurationem. Ad *diſcutiendum* accipiatur *papyrus cœrulea* propè calorem, qui eſt ex lebete, *melle virgineo probè illita*, & calidè imponatur. Si verò fuerit *inflammatio gravior*, fiat *Cataplaſma* ex farinis, v. g. *ex farina fabarum, lupinorum* & *lent. coctis c.* ▽. & ✳. & c. album. ovi pauco infuſ. in forma Cataplaſm. imponatur mammis, vid. *River. cent. 4. obſ. 74. Amat. Luſit. c. 2. c. 24. Alter ſcopus eſt*, ut grumi reſolvantur, ne abeant in ſcirrhum; *ſcirrhi hi mammarum* ſunt varii; ſcirrhus enim mammarum *oritur l. à cauſa manifeſta*, ut ſit indolens; *l.* pedetentim *ab interna cauſa*, qui ſubinde ſunt nonnihil dolentes, non quod continuò, ſed interdum: Scirrhi hi poſtmodum inclinant ad *Cancrū*; unde relinquendi ſunt, ne exaſperentur & crabrones irritentur: *Reliqui verò ſcirrhi curandi ſunt*, nempe *emollientibus & reſolventibus*. Ad *emolliendum* optima ſunt remedia ex *gummatib.* ſpeciatim ex ammoniac. in ✳to ſoluto vel Galbano, ſufficienter prius mammâ aceto ſuper lateres calefact. effuſo fotâ, tunc applicatur cataplaſma. Si non ſuffecerit, uſurpa *Emplaſtrum Coleri.*

℞. dia chylon. magn.
de Meliloto.
Ceronei aa. ℥j.
Gumm. ✻cum in ✳. ſol. ʒvj. M. in forma cataplaſmatis impone mammis, donec emolliatur ſ. evaneſcat. Tandem Emplaſt. de ranis Vigon.

gon. c. ☿rio ad hos tumores scirrhos. non cancrosos optimum est: potest sumi ☿rii vivi dupla dosis.

FOETUS.

Consultum est, ut fœtus ablutus assumat l. pauxillum *olei amygdal.* dul. *l.* solum, *l.* cum *sacharo penidio*: l. *Syrup. de Cichoreo c. Rhabarb.* ut mediantibus his probè educatur stomachus & stimuletur fœtus ad vomitum, & secessus, ut mucus stomachi ejiciatur, & meconium emittatur, quia recrementa aliàs lac ingestum inquinant. *Ante XXX. horas non sunt lactandi infantes*, sed quò longius post partum esuriunt, eò melius est: Si tamen admovendi sunt, admoveantur mammis matris, ut sugant lac recens, serosum, l. *colostrum*, nam & hoc blandum est infantum laxativum, ac abstergens sordes primarum viarum, donec tertio l. quarto die superveniente lacte perfecto, etiam hujus nutrimento magis largo sustenentur. Qui *nutritivum lac* per colorem, saporem & odorem &c. *examinant*, ridiculi sunt, secundùm Helm. quia in omnibus variant circumstantiæ digestionis primæ & lactis ipsius: potest nutrix lue ♀eâ inquinata lac apparenter optimum habere, & alia sana non; potius ergò consideretur sanitas nutricis: lactet nutrix utraque mammâ, quia aliàs infantes lusciosi fiunt, si saltem unam mammam inspiciant: Sic etiam fœtus non habeat ad latera fenestras aut candelas lucentes. Lactet fœtum mater annuo spacio: Ablactandus postmodum venit impr. sub increment. ☽æ tempore vicario inter magnos anni cardines. Jam verò tam sub tempore lactationis, quàm posteà *infantes* variis corripiuntur *morbis*, qui cum exactè considerantur, ad *duos* ferè principaliores *causarum fontes* referri possunt: *Remotè* nempe est *primus fons retentio excrementorum*; (2.) *perversa ingestio nutrimentorum*: ubi eminet *fœcum* primarum viarum, & *meconii* in specie *suppressio*; & hinc *insensibilis transpirationis occlusio*; Hîc vero imprimis se offerunt *vitia lactis* & *errata pultis*. Hæc 4. suggerunt optima generalia *affectuum infantum*.

RETENTIO EXCREMENTORUM IN FOETU.

Fœces primarum viarum quod attinet, præter ventriculum *variegata recrementa* interdum etiam intestina tenuia occupant; in crassioribus verò *dura, picea, ex nigro viridescentia*, **meconium** appellata, hospitantur, & omnia hæc à *nutritione per os* genita sunt. Hæc ipsa verò maturè *expurganda* sunt, ne diutius retenta aut pertinacem *alvi adstrictionem* inferant, aut *lactis distributionem* impediant, aut sub distributione per intestinorum gyros idem corrumpant, & ad *cadaverisationem* disponant, aut intestinis adhærendo & *aciditate* sua rodendo *tormina crudelia* inferant. Constans omnium *Practicorum* est sententia, omnium

tormi-

torminum & *Epilepsiæ originem* esse ex *excrementis retentis*; quemadmodum etiam *Icterus* ipse tertiò l. quartò die *post partum* infantibus superveniens ab illis derivatur: Hinc ipsa natura mox à partu est occupata, ut partim *vomitu* partim *secessu* infantes expurget. Præ cæteris *Meconium* malè audire solet, nam *acidum p.n.* est, quod in ejus recessu peccat. Cum autem oriatur ex *nutrimento fœtus lacteo* in utero, nihil aliud esse videtur quàm *crudus caseus*, à substantia nutritiva separatus & præcipitatus; qui *acorem* semel in stomacho conceptum plus minus retinere solet, & occurrente in intestinis *bile*, obscurum *ex nigro viridescentem* colorem contrahit, & in intestinorum cellulis sub mora coagulatur firmius, & eò etiam nocentius evadit. Quod attinet (2.) *insensilis transpirationis morbosam* in infantibus *occlusionem*, notum est, hujus in omni ætate summam esse necessitatem; præ cœteris infantes cum copioso sustententur nutrimento, necesse est, ut copiosè etiam transspirent, partim, ut nutrimenti tam universalis in M. S. quàm particularis hinc indè distributi puritas ab omni fœculentia sarta tecta servetur, partim etiam, si quid fœculenti partibus commixtum sit, mediante *insensibili transpiratione* eliminetur. Jam autem notum est, infantum corpora ordinariò *crustâ* quasi aut *mucilagine viscida* obducta esse, quod longo oritur *à liquore nutritivo*, in quo natant, à quo muco extrinsecus adhærente insensibilis halitus impediri solet. *Retenta* igitur talia *transpirabilia*, sub poris cutis ubiq; reposita aut hærentia variam corruptionem subeunt, & cùm sint naturæ salinæ, adeoque sapore ⊖ so prædita; exindè facilè sub cute hærendo sua corruptione intensam acrimoniam contrahunt, nunc acido-salsam, nunc urinosam salsam, utplurimùm verò acido-salsam, unde digestiones privatæ turbantur, & *cutanei affectus* efflorescunt, alterato & corrupto *nutrimento* dictarum partium *proximo*, simulque destructo *fermento* dictarum partium *digestivo*: qui affectus eò promptiùs eveniunt, quò magis excrementa transpirabilia ex mucilagine minus temperata, seu plus minùs acriori l. alio modo vitiata originem ducunt, sive id fiat vitio *digestionis primæ* in infantibus, s. vitio *nutricis* perversè lac nutritivum præbentis. Si verò dicta transpirabilia retenta fuerint magis temperata & non nihil pinguia, ut minùs ad acrimoniam salso-acidam degenerare queant, fit tamen, ut cohibeantur partim sua sponte, partim tepore humido ad putredinem ruant, &, superveniente alcali, larga seges animalculorum variorum pedetentim emergere soleat.

VITIA LACTIS.

Lactis vitia sunt varia: (1.) quando est *alienum*; unicuique enim mulieri suum proprium est lac, ac idiosyncrasia, eaque oriunda ex speciali fermenti stomachalis differentia: nam hoc in omni individuo insignem patitur latitudinem, unde hoc fermentum, prout fuerit constitutum tam naturaliter quàm p. n.

eatenus

catenus oritur distincta appetitus & digestionis primæ ratio, unde supervenit
distinctum lac, pro diversitate mulieris, in qua generatur: diversum ergo lac
mammarum nutricis à lacte matris necessariò in stomacho infantuli tali lacti
non adsueti alterationem insignem infert, ac plus minùs ad corruptionem per-
git, aut digestionem primam necessariò turbat, quin imò lac istud alienum di-
stributum etiam M. S. heterogeneitate sua turbat, hujus crasin & fermentum
vitale, exindeque mores necessario immutat, speciatim, cùm matres subindè
vivant opiparè, & ita, cæteris paribus, lac nutritivum generent; nutrices verò
sint pauperculæ, & quibuscunque eduliis subindè latranti satisfaciant stoma-
cho, unde cacochylia pariter & cacochymia iis superveniunt; & sic lac maxi-
mè est diversum, & contrarium lacti matris, ex quo coaluit fœtus: Unde ob
prædictum lac tam *vitia materialia* quàm *moralia* generantur in infantibus. (2.)
Si fuerit *morbosum*; nam nisi nutriatur infans à nutrice vegeta, & sanâ gaudente
corporis œconomiâ, varia morborum semina transplantantur in fœtum: Sic
lithiasin à nutrice calculosa derivatam in puerum notat *Helmontius de nutrition.*
infantum ad vit. long. Sic *lues ♀ca, Catarrhi, scorbutus* per lac comunicata sunt
fœtibus, ita ut quæcunque contagia morbosa ex nutrice l. matre deriventur in
infantem, si non sint sanæ. (3.) Si est *nimis nutritivum*, sc. utut sanissima sit ma-
ter l. nutrix, tamen tenello infanti ipsum lac probè coctum, crassum & spissum,
adeoque nimis butyrosum & nutritivum primò statim haustu vix convenire
videtur, quia in utero materno nutrimento admodum tenui & limpido fuit su-
stentatus; unde mox à partu si tale lac hauriat, ab eodem gravatur ejusdem sto-
machus, & exindè varia recrementa coacervantur. Ob id nempe natura etiam
tribus primis diebus prius in mammas derivat colostrum, quod præmittitur la-
cti perfecto pinguiori & spissiori, tertio aut quarto die demum supervenienti:
Colostrum enim præmittitur, ut ceu serosum & tenue minus negotii facessat
stomacho, sed serositate suâ salinâ abstergat stomachi & intestinorum sordes, &
simul diuretica virtute urinarias vias eluat & vias quasi patulas reddat, donec
successivè, lacte magis magisque alimentoso reddito, stomachus eidem ad-
suescat. Rectè ergò dicunt practici, colostrum non esse rejiciendum, sed esse
fœtui alimentum medicamentosum purificationi primarum viarum inserviens,
vid. *Spigel. de format. fœtu* & *Vesling. in Epist.* Matres ergò pessimè infantes statim
nutricibus obesis & pinguibus exponunt, quia oneratur stomachus tenellus, &
cruditati acidæ promptissima occasio à lacte coagulato subministratur: Pro-
pinent ergò matres l. nutrices suis infantibus colostrum, ut hoc ipso præparen-
tur ad ipsum lac uberius nutritivum. (4.) Est, si fuerit *superfluè ingestum*, nem-
pe familiarissimum hoc est vitium, ut *superfluè, inordinatè* & *per vim* emulgeatur
lac in os & stomachum infantis, ut subindè mater aut nutrix pueros nimis alen-
do necent, aut lactando mactent, vid. *Kerckring. spicil. anat. obs. 40.* Familiare
enim est, ut infantes ad quemcunque ejulatum uberius admoveant mammis, &
una

una die decies imò vigesies nutriant, ut ita priori lacti adhuc crudo, sub acido & nondum concocto novum lac ingeratur, quod necessariò grumescit, caseosum fit, & in mucilaginem acidam, viscidam & tenacem abit; unde ab hac inordinata ingestione & corruptione pylorus indignatur, ut l. vomitu rejiciat, l. eadem ita corrupta, se pertinaciter stringendo, transmittere nolit; Secundum Kerckring. enim pylorus in infantibus se firmiter claudit, unde ea in stomacho retenta in corruptionem putredinalem delabuntur, & in liquamen putridum, nidorosum, viridescens degenerant: præstat ergò peccare defectu, quàm excessu, & verissimum est, quod dicitur de adultis: omnis repletio, in specie panis, & in infantibus lactis nocet. (5.) Si *lac* per *malam diætam* matris aut nutricis fuerit *depravatum.* Diætæ verò peccata sunt tria: [1.] *variorum alimentorum ingluvies,* [2.] *affectuum neglecta refrænatio, &* [3.] *excernendorum & retinendorum neglectus.* Quod pertinet ad primum, equidem sanis omnia sana, modò per internam appetentiam assumantur, & sobriè ingerantur: nihilominus tamen lactantes præ cæteris in specie respicere debent fœtus tenellos, quibus errata etiam nutrici innocua subindè solent esse nocentissima; siquidem assumptorum plures proprietates in chylo persistant, quæ utut plus minùs infractæ aut alteratæ sint, & nutrici non noceant, suam tamen in lacte præsentiam exerunt, & fœtui nocivæ sunt; Res nota est de *purgantibus,* quæ à nutrice assumpta subindè fortiter infantem laxant: Sic notum quoque est de *aniso,* quod propinatum nutrici sui vestigia in lacte, mammarum odore repræsentet. Imprimis autem urgentur *acida,* in quibus ordinariò peccatur; nempe quæcunq; *acida,* ut *vinum* & simil. mox sui vestigia in lacte, utut sensibus abscondita relinquunt, quæ in infantibus ordinariò cient tormina: hinc cautiores matres, dum fœtum in utero gestant, acida nimia horrent, ne infantes præmaturè in utero torqueant, & iisdem *fomitem epilepticam* ingenerent: Sic observavit *celeber. Sylvius,* quòd tales mulieres ordinario generent fœtus epilepticos, dum verò ab acidis abstinuerunt, alio tempore fœtus saniores produxerint. Hinc etiam *vinum* non semper prodest nutrici, aut gravidæ; *Caseus* etiam meritò interdicitur nutrici, quia ab hujus præmatura coagulatione ad grumescentiam lac in mammis disponitur. *Cerevisia* non ritè fermentata aut à fecibus depurata, utut nutrici fortè innoxiè propinetur, lac tamen corruptum ab ea pueris *diarrhœas torminosas* excitare solet, quod m. de *fructibus horæis succulentis, uvis, musto, prunis* & simil. facilè fermentescibilibus, verum est; quorum esu infantes solent disponi ad *diarrhœam torminosam*: Sicut contra refert *Timæus in casib.* ex esu *castanear.* nutricis, alvum infantis pertinaciter obstructam fuisse; Sicuti & *lumbrici* à *lacticinior.* uberiori haustu facilè generantur: propterea cautæ sint nutrices in assumtione alimentorum. *Alterum diætæ vitium est affectuum exorbitantia,* quibus nutrices imprimis obnoxiæ sunt: speciatim hîc eminet *terror*

terror & *iracundia*; uterque enim affectus inspissat lac, & istud ad coagulationem & corruptionem disponit: unde lac ita alteratur, ut infans exindè corripiatur epilepsiâ. Sic *terror* aut *iracundia*, mediante *lactis coagulo*, *erysipelas mammarum* sæpius inferunt; hinc Mater infanti præsens lacte tali nocumentum infert; nihil magis autem infantes ad *epilepsiam* disponit, quàm *terror* & *iracundia* nutricis: Sic quædam mulier voluit nutrire proprium fœtum, sed simul lactare catellum, ut lac uberius emulgeretur: aliquo die patella porcellanea ex alto hypocausto decidit & frangitur, unde terrefit, & mox catellum mammis, ut lac terrore alteratum exugat, adplicat, quo facto intra dimidiam horam gravi Epilepsiâ catellus corripitur; propinat eidem *Theriacam*, unde oborto somno fuit curatus.

Denique tertiò est consideranda ratio *excernendorum ac retinendorum*. *Excreta* quod attinet, primarium obtinent *menstrua muliebria*: nam sicut gravidis, ita etiam lactantibus naturaliter supprimuntur *menses*. Habitioribus tamen l. plethoricis subindè primo gestationis *mense* fluunt, etiam adhuc sub lactatione. Jam verò obs. quoties nutrici fluunt *menses*, quòd tunc fœtus minùs commodè se habeat, languidus fit toto menstruationis tempore, quo cessante cessat etiam dictus languor fœtûs; nempe certa fit fermentatio M. Seæ sub menstruatione, sub qua commovetur camarina cacochymiæ, unde tunc menses partim curant, partim præservant multos morbos chronicos. Si ergò commovetur camarina sub lactatione, exindè lac alteratum lædit fœtum, & eundem ægrotum reddit: multò magis alteratur & vitiatur lac nutricis, si per fœcundum coitum fortè imprægnetur; Sic enim lac horridam acquirit impressionem fœtui nocivam, vid. *Graff.* & *Kerckring.* unde lac ita alteratum l. corruptum à progressu mox in stomacho infantis degenerat & grumescit, & fit admodum molestum & hostile ipsi fœtui, ut ex hoc fonte rectè derivent *aversionem casei*, quando mulieres præbent mammam fœtui quando factæ sunt gravidæ; quia læsio tenelli stomachi per totam vitam abhorret lactis coagulum, caseum nempe, vid. *Schoock. de Aversat. Casei*, & *Digby* de *Natura Corpor. c. 38.*

ERRATA PULTIS.

Sunt hæc potissimum (1.) *præparatio*, (2.) *propinatio*. Quoad *primum*, solent eandem parare ex farina cruda l. c. ▽. l. c. lacte subacta & cocta; exindè nempe fit pulmentum viscidum, crassum & glutinosum: Jam verò notum est, quòd farina quæcunque cum ▽. subacta, & in loco tepido asservata incipiat insigniter acescere, fermentare atque spumosè turgescere: quid jam fiet in stomacho infantis, quem talis puls ingreditur & postmodum lac matris butyrosum superfunditur? Ex hoc nempe emergit massa acida & viscida, cui super ingestum lac mox coagulatur & in grumos abit. Considera saltem, quòd panis non ritè fermentatus adultis sit noxius; quid ergò fiet, si edamus panem ex farina

farina cruda c. ▽. ſubacta? Si ergò hoc fit in nobis, quidni talibus infantibus puls erit admodum nociva? cui lac ſuperingeſtum coagulatur & grumeſcit, ſicque grumus tenax, viſcidus & ponderoſus ſtomacho imminet. Quoad *ſecundum*, conſuetæ ſunt mulieres, ut pultem prius ingerant in proprium os, & cum ſaliva ſubactam poſteà in os infantis intrudant: Conſideremus ergò ſalivam & ejusmodi fermentativam vim, quàm promtè c. ea morbi contagioſi ſoleant propagari in diſtans. Si ergò ſaliva talis nutricis l. tantillo cacochymiæ l. ſcorbuti eſt inquinata, eò etiam inquinat infantem, cum tamen per ſe puls ſit ſatis nocens. Si ergò conſideremus omnia hæc vitia & nocendi rationem, perſpicuum evadit, *ſuccum vitioſè acidum*, nunc *viſcidum*, nunc ▽*eo ſeroſum* eſſe *cauſam proximam & radicem* omnium ferè *affectuum infantilium*: nempe omnia *vitia lactis* in ſtomacho concurrunt, inque eo magis alienantur & in *coagulum acidum* abeunt. Confert huc ſuum ſymbolum *puls farinacea* in loco tepido ſponte aceſcens. Confirmat hoc medendi ratio, quæ ordinariò & optimè inſtituitur per *alcalia* tam *fixa* quàm *volatilia*, in ſpecie per *ſalia volatilia* infantibus optima remedia, quæ *acidum* deſtruunt, & *ſeroſum* evacuant. Hæc tamen non ita intelligenda ſunt, ac ſi hæc quaſi ſolitaria ſit *cauſa proxima* horum affectuum, ſed quòd etiam ſubindè, rarius tamen, alia errata in corpore tenello obſerventur; nempe excipiendi ſunt *morbi hæreditarii*, utut occaſione tali ſubindè maturiùs expergiſcantur. Prætereà *lac* in ſui corruptione mille larvas induit; nunc enim in ſtomacho, nunc in inteſtinis à *bile* & *ſucco pancreatico* diverſimode alteratur, utut frequentiſſimum & familiariſſimum ſit nocumentum, ſi in *coagulum acidum* abeat; verùm hoc quibusdam paradoxum videtur, in infantibus tenellis chylo & lacte abundantibus peccare poſſe *acidum exceſſivum*: Sed modò conſideremus *aſſumta*, tàm matris quàm nutricis, & poſtmodùm ipſam *naturam lactis*, tum facilè patebit, quòd ſubindè *acidum* etiam ſatis *exceſſivum* in fœtu tenello poſſit congeri: Frequens eſt, ut mater & nutrix ingerant acida; ſed poſito, non veſci talibus, certum tamen eſt, matrem & nutricem uti *pane* & *cerevisiâ*: Jam verò in pane ſemper adeſt ⊖. acidus volatilis, ſaluberrimus quidem in ſe, ſed adeò potens, ut etiam dura corpora, corallia, vitrum ☿ij, ♂tem, ♄m. &c. rodere & diſſolvere queat: Jam verò panis etiam materiam lacti ſuggerit, unde ipſe acor, quamvis alteretur in ſtomacho & inteſtinis, ab alcali bilis, tamen adhuc in lacte occultatus hæret, qui per ſe quidem eſt innocuus, datâ tamen occaſione ſe exerit, & dicta mala infantibus infert. *Cerevisiæ* quoque facillimè aceſcunt, ut etiam lupulo ea non ſemper poſſit conſervari: Si ergò cerevisia novella l. nondum depurata ingeratur, facilè in nutrice ſuo acore lac inquinat, ut conſequenter in fœtu quoque evigilando lac dictum acorem poſſit inferre. De *fructibus horæis* & ſimil. res nota eſt.

MORBI

MORBI INFANTUM.

Præ cæteris frequens eſt infantibus, ut patiantur *tormina*, quæ ipſis ferè ſunt inevitabilia, & ab *acido* oriuntur, quod ex ſtomacho, lacte coagulato & aſſumptis acidis nutricis delapſum membranas inteſtinorum infantis lædit, rodit, lancinat, qui *dolores* ſunt ſubindè prodromi *Epilepſiæ*, & ſunt eò crudeliores, quò acidum viſcidius & glutinoſius ſe affixerit parietibus inteſtinorum. Hos dolores indicant, præter *ejulatum*, *excrementa viridia*, oriunda ab *acido exceſſivo*, nam ſubindè acidum odorem ſpirant, quod *acidum* cum *bile* permixtum viriditatem iſtam inducit. Comprobat hoc experientia quotidiana, dum acida, imprimis acria bilem ſolent in viridem colorem transmutare; unde ſimile *acidum* in inteſtinis concurrens cum *bile* iſtum virorem inducere poteſt. Hinc ſubindè *excrementa*, licèt non *viridia*, ſunt tamen *grumoſa*, qui *grumi* ſunt *lac* à *p. n. acido condenſatum & coagulatum*. Hæc etiam nunc ſunt *viridia*, nunc *flava*, quæ diſcoloratio oritur à *bile per acidum* mutata & corruptâ; in inteſtinis mox *virorem* contrahunt, l. ſi aliquamdiu aſſervata ſunt, poſtmodum extra corpus talem colorem acquirunt: in cauſa eſt, partim quòd acidum in corpore in bilem non ſufficienter egerit, propter impedimentum à lacte, continuò l. per intervalla affluente & acidum temperante; partim, quia nonniſi finitâ efferveſcentia & facta præcipitatione mutationem in talibus obſervare licet: unde poſt factam præcipitationem, dum aër exterius accedit, tandem color tertius emergit. Juxta hæc *tormina* obſervetur, quòd ſi *copioſior tenaciorque grumus* ex lacte & pulte ſtomacho incumbat, cui per pylorum tranſitus denegetur, *appetitus* hinc dejiciatur, &, ſi gravius malum ſit in ſtomacho, *horror mammæ* oriatur, cum abſoluta *apepſiâ*: Quòd ſi gravius adhuc oneretur ſtomachus, obſtruendo pylorum l. irritando, ſupervenit *convulſiva contractio*, quam *vomitus violenti* ſequuntur, in quibus cum lacte aſſumto copioſa viſcida rejiciuntur; qui vomitus infantes quidem debilitant, ſalubres tamen ſunt, quatenus excrementa ita rejiciuntur, & longè facilius vomitus contingunt infantibus, quàm adultis. Si verò hujusmodi acida viſcida citra vomitum diutius in ventriculo hæreant, facillimè ex acore fermentali inſtar paſtæ *aceſcunt*, *flatus* producunt, & *difficilem reſpirationem*, *contractionem pectoris* (Herz-Geſpann) inferunt; quia ex horum *flatuum* impetu ſuperveniunt *anxietates præcordiorum*, *inquietudines*, *ſomnus* impeditur, *vigiliæ* adſunt, quæ omnia ex *acido fermentativo* in *flatus* reſoluto originem ducunt. Eadem ratio eſt *inflationis hypochondriorum*, ſiquidem loco ſaltem differunt,

differunt, ab effectu priori; nempe *pasta acida, viscida*, ex vitioso *acido fermentativo*, occurrente *bile* conflata Gas tale eructat: nempe farinacea puls cruda subitò in stomacho acescit; unde cum lacte coagulato *turgescentia fermentativa, flatus, inflationes hypochondriorum, difficilis respiratio, inquietudines* & *vigiliæ* originem ducere solent. Cogitemus saltem *Malum hypochondriacum* adultorum & *flatus*, qui ex *acido viscido*, vitio *digestionis primæ* oriuntur: par ratio est in infantibus. Sin verò *tenacior* aut *acidior mucus* in superiori ventriculi orificio firmiùs adhærescit, per consensum diaphragma irritatur; unde hujus sub inspiratione *convulsiva contractio*, indeque *singultus*, subindè in infantibus pertinax & contumax, qui in talibus ordinariò ex *viscido acido* circa stomachi orificium superius stabulante originem ducit. Si verò dictum *acidũ p.n.* in ventriculi cavo magis fluctuet, talia acida aut acria salsa, si successivè irritant orificium superius; infensâ sui præsentiâ & halitibus acrioribus, excitant sub inspiratione, per consensum diaphragmatis & musculorum thoracis, *tusses* sæpiùs repetentes. Reverâ enim *tussis infantum* ex stomacho originem ducit, quæ subinde tantâ violentiâ repetit, ut non, nisi superveniente vomitu cesset. Rarissima autem est infantum *tussis sicca*, nisi interdum *inclementia aëris* ad hanc disponat: aliàs omnis tussis infantum est *humida*. Par ratio est circa tussim, quæ sub *dentitione laboriosa* turbat infantes; nam dentitionem difficilem insequitur copiosæ salivæ subinde ⊖so-acris defluxus in stomachum; unde *defectuosa* reddita *Digestio prima*, & *coacervatæ cruditates* talem tussim inferunt. Idem est de *Asthmate* infantum, quod ut plurimum etiam ex stomacho oritur, propter cruditates: hinc provocato *vomitu* liberantur. Porrò si similis *mucus, blandior* tamen & *dulcior*, ex alimentorum l. nõ digestorũ, l. ritè licet digestorum reliquiis tamen in intestinis diutiùs hæserit, mediante *calore levi*, & consequenter *inchoata putrefactione*, occulta *lumbricorum* semina excitantur: nempe *semina* vegetabilium imprimis *Cerealia*, speciatim *secalina* & *triticea*, l. immediatè in pulte infantum, l. mediatè in lacte nutricis, ex pane ingesto nata, & seminali insectorum variorum cantagio impraegnata, datâ occasione & quasi evigilando in infantibus dictos lumbricos excludunt. Accedit *tepor loci* blandus, simulque in infantibus *vis digestiva* ventriculi *debilitata*, quando non subiguntur exactè, omnia dictorum animalculorum seminalia principia in infantibus, sed vivos fœtus emittunt. Accedit porrò temperata *bilis* acrimonia, aliàs succos à putredine defendens, quæ cùm deficiat in infantibus, ubi vis digestiva stomachi est mitior, & bilis temperata, tandem *mucus lacteus subdulcis* in intestinis putrefactus *lumbricos* excludit. Hinc etiam *tinearum* in adultis causam refert *Hartman. in obstructionem folliculi fellis*: Ulterius etiam subinde *mucus crudus* plus minus *acidus viscidus*, vitio *assumtorũ* aut *digestionis primæ* natus, loco nutritivi succi in infantibus distribuendus venit; hinc necessario ab eodẽ intestina aut incrustantur, aut oscula & ductus lacteorum

lacteorum ab eo obstruuntur, aut glandulæ Mesenterii infarciuntur; unde *tumor abdominis*, simulque denegatus *nutrimenti transitus*: hinc etiam infantis corpus *atrophia* contabescit, accedente ut plurimũ alvo laxiori, vide *Sylvium in praxi l. 1. c. 14. Barbette in praxi l. 3. c. 2. observ. 3.* It. *Anatom. Pract. l. 1. c. 14. Hœferi Herculem Med. l. 7. p. 349.* Si verò succus talis nutritivus minùs *viscidus*, *crudus* tamen & *vitioso acore* inquinatus, vel *acri-salso sapore* infectus distribuatur tandem ad M. S. pro hujus augmento & corporis nutrimento, necessariò ex tali alimento inepto vitiatur massæ sanguineæ crasis & sanguificatio, indeque oritur *præter natural. effervescentia*, unde *febres variæ*, imprimis tamen *lentæ* sub vesperam præcipuè exacerbantes supervenire solent. Hinc etiam consequenter vitiatur *lympha*, & redditur *nimis acida*, *acris* & subinde *viscida*; unde & circa glandulas *tumores* & varii *affectus catarrhales* superveniunt. Quòd si cum tali sanguinis & lymphæ labe nutrimentum pro augmento partium confectum partes subintret, nullo modo iis perfectè assimilari potest, sed volatili acore, anteà occultato, acidum manifestante, hinc inde congrumescit & in *pustulas* extollitur, in quibus acor denuò successivè manifestatus cum vicinis partium succis effervescit; hinc *rubor*, *ardor*, &c. donec mutuâ temperaturâ in *pus*, *saniem* vel simile liquamen abeat, & per pruritum in *pustulas* vel aliud exeat, relicto *fermento acido-viscido*, quod etiam aliud nutrimentum inquinat, & consequenter dicta mala magis magisque propagat; hinc etiam adjacentes partes è dictis pustulis pruritu & ardore inquinantur, unde *favi*, *tinea*, *crusta lactea*, uti etiam *furunculi* infantum primitùs enascuntur. Hæc urgent uberiorem explicationem: Nam dictæ defœdationes corporis, capitis & faciei reverâ ex *lympha nimis acida*, & plus minus *viscida* originem ducunt; *lacte* vel matris in utero, vel nutricis extra uterum *vitioso Causæ remotæ* vices gerente: Semper etiam ferè his affectibus externis *glandularum* in collo & capite, item *parotidum tumores* conjuncti esse solent; quos vocant Haupt-Drüsen; ita, ut vel præcedant, aut simul affligant, vel hos affectus insequantur: Ordinariò autem rarissimè observatur, quòd insequantur; & si fit, vel metus recidivæ, vel mutatio affectuum in pejores insinuatur: Istud frequens nempe est, ut hos affectus comitentur, ut hinc etiam mulieres, ex conditione affectuum horum, vel magnitudinem vel diuturnitatem soleant hariolari. Observavi etiam in infante 5. mens. tumores tales glandularum prope aures, ad ovi parvi gallinacei magnitudinem cum *crusta lactea*, quâ evanescente dicti tumores etiam evanuerunt, *lacticinia* autem illa denuo efflorescebant. Jam verò glandularum functiones versantur circa lymphæ distributionẽ; unde *lymphæ primariũ* subest *vitium*, ita ut ab ejus consistentia intumescant & obstruantur glandulæ; ab *acido* verò largiùs effuso, pruritus intensus in dictis locis, cum pustulis rubris, pedetentim albicantib. & in pus abeuntib. superveniat, quæ omnia, ut *sanies*, *crustæ*, *squamæ* ab acri salso plus minus acido manifestè fiũt: imo interdũ ab hujusmodi crusta altius penetrante ipsũ *craniũ* eroditur & *cariosum* redditur,

nempe

nempe ab *acido*. Hinc & capitis partes exteriores magis infestantur his affectib9 propter copiosas capitis & colli glandulas: *Differentia* autem observatur inter istas capitis defœdationes, quarum materia, prout est *acrior*, aut *acidior* & *tenuior*, solet inferre *ulcuscula manantia* & *copiosam saniem* fundentia; sed quatenus est *minus acris* & *viscida* tamen, tunc *crustæ crassiores* induci solent. Et sanè non levis est cognatio horum *lactuminum* cum adultorum *scabie*; nam & subindè contagiosa sunt, & mediantibus linteaminibus in alios etiam infantes propagantur: unde iisdem ferè remediis, *nicotianâ scil.* ♀*re*, ☿*rio*, *&c.* quibus adultorum pertinax & ferina scabies curatur, etiam curari possunt. Hæc occasionem suggerunt meditandi & inquirendi in originem *morbillorum & variolarum*, quæ cum dicta *crusta lactea &c.* quò ad faciem externam conveniunt: nempe, si certò statuendum est, quod aliquod in nobis implantatum sit *variolarum* principium, ratione cujus nemo possit effugere eas, videtur probabile, quòd ex *corrupto lacte nutricis & vitioso viscido acore*, tam in, quàm extra uterum infantes inquinante originem habeant, qui *acor* aliquamdiu occultatus, tandem occasione data, in specie excitatâ M.S. per *fermentum* simile extrinsecus haustum, successive quasi coagulando tandem perniciosas *febriles effervescentias* excitat, donec per vasa capillaria hinc indè sub cute defixa, beneficio glandularum subcutanearum miliarium excernatur, & ibidem sub cuticula hærendo, successivè in *pustulas* tales coacervetur, quarum *succus* ⊖*so acidus* effervescendo ulterius mitescit, & in pus abit, quod in crustam squamosam condensatam desinit: Hinc post *variolas* interdum *ulcera periculosa* remanent, & subindè *tinea capitis* variolas insequitur; Hinc liberi à parentibus lue ♀rea infectis nati, si postmodum corripiantur variolis, longè pejus habent; Hinc etiam ☿*rius dulcis* in scabie & lue ♀rea acidum viscidum delet, & maturè administratus variolas quoque curat, & earum maturam expulsionem promovet. Unde *convulsivi motus* & *epileptici insultus* variolas sæpè antecedunt, vellicante systema nervosum acido viscido. Unicus hîc est scrupulus, *cur tam tardè in quibusdam erumpant*; ita, ut interdum ad annos 6. 10. & ferè ad ætatem adultam harum fermentum in corpore lateat? Verùm si consideremus, quòd idem eveniat *in affectibus hæreditariis*, in *canis rabidi salivali fermento*, & *febre petechiali*, subindè ad plures hebdomadas latente, item, quòd vel seminium *lues* ♀*ea* haustum diu sæpe in corpore lateat, non adeò ineptum videbitur, etiam dicta *fermenta variolarum* tamdiu in corpore latere posse, antiqua occasione miasmatis similis externè hausti variolas inferente. Præter dicta subindè quoque est periculosum infantum symptoma, *pavor in somno*, oriundus ex explosivo impetu spirituum animalium in nervos; qui impetus irritans inopinatò totius infantis corpusculum, ex fibrillarum nervearum momentaneo nisu contractivo infert

fert ejusmodi concussionem, ut hi *pavores* vulgò habeantur prodromi *Epilepsiæ*, qui *insultus Epileptici* aliàs admodum solent esse familiares infantibus; nati ex perverso *spirituum animalium motu & explosione* in nervos: Frequenter autem paris vagi & intercostalis nervi ramificationibus annexæ partes præ cœteris *convulsionibus Epilepticis* tentari solent, iisque subinde graviа tormina in abdomine superveniunt, quia dictæ partes internæ prius affliguntur: Post repetita autem talia pathemata superveniunt etiam in partibus externis, quia continuus Spirituum animalium in hos nervos est influxus, pro motu cordis, diaphragmatis, ventriculi & intestinorum motu peristaltico perficiendo: Unde consueto quasi tramite longè promptiùs irruunt in hos nervos, quàm nervos partium externarum. Idem Spirituum animalium exercitus reliquum postea systema nervosum per consensum sæpè afficit, unde *universalis Epilepsia*. Hæ passiones insequuntur *nervorum & fibrarum* quocunq; in loco *irritationem*, quæ tamen effectivè oritur ab *acido* per se nervis inimico, multo magis nervis tenellorum, quorum textura mollior, tenerior & subtilior existit. Hinc quò propinquiores sunt partes fonti acido, eò faciliùs dictæ partes convelluntur; unde ferè semper *infantum Epilepsia fit per consensum abdominis*, ut idem sit acidum in stomacho, quod in intestinis aut glandulis Mesenterii hospitatur, ut exinde Epilepsia l. interna l. externa excitetur. Denique quòd peccet primariò *acidum* in *Epilepsia infantum*, confirmatur, quòd gravia sæpe *tormina* infantes cum excretis æruginosis simul affligant, & si diutius continuentur, tandem in infantibus *Epilepsiam* inferant, item quòd *Hippocrates* asserit, *lib. de Morbo sacro*; Infantes, si ulcera in capite, vel circa aures, vel reliquo corpore ipsis excitentur, liberari ab epilepsia, quæ nascitur ab acido: Adhæc Epilepsiam sistit *liquor C.C. succinatus*, qui est de natura salium volat. acriũ, quæ acidum destruunt, & viscidum incidunt. Restant *Febres*, eæq; *acutæ* potissimum: nempe *febrium lentarum* jam supra mentio facta est, præter quas tamen aliæ variæ plus minus *acutæ* & *continuò ardentes* non rarò sunt inter tenellos, quarum ratio ex *corruptione lactis* interna, aut *obstructione pororum cutis* externa optimè explicatur: Nam præter *cruditatem acidam* lactis & pultis variæ sunt lactis corruptiones, seu in stomacho, sub digestione prima, seu intestinis, sub fœcum separatione; in specie *cruditas nidorosa*, dum *flava* aut *fœtida* ab infantibus ejiciuntur. Excreta talia flava non sunt beneficio bilis tingentis: Talis enim copia bilis non est, sed ista excreta nidorosa & flava sunt frequentissimè ex lactis vitiata digestione, & ejus multiplici corruptione, ut hujus digestionis primæ errata ex alimentis & hinc affectibus nutricis oriunda, cùm non corrigi possint in secunda, sanguinis crasin alterent, & *febribus* occasionem præbeant, quod fit eò citius, quantò minùs transpirant infantes per cutem, vel ob defectum *caloris ambientis*, vel crebriorem *linteorum* non sufficien-

ficienter calefactorum *mutationem*; Ad hæc pertinet neglectus *balneorum*, admodum nocivus in infantibus, & eosdem ad *febres* disponens.

CURA. Ut occurramus in specie *universalibus causarum fontibus*, & (1.) pro meconii expurgatione nihil æquè convenit ac *colostrum*, quod ceu alimentum medicamentosum infantes blandè purgat. Hoc si fieri nequit, studiosè incumbendum est, ut *pharmacis* evacuentur primæ viæ, tam per *vomitum*, quàm per *secessum* : propinetur ergò *oleum amygdalarum dulcium* cum pauco *saccharo*, horum enim ope lubricantur & abstergunturprimæ viæ, sordesque eliminantur. Huic tamen oleo soli vix fidendum est, cum facilè rancescat & non leve incommodum inducat, vel etiam vix possit omnia abstergere in primis viis. Hinc quidam propinant tantillum *mellis rosati solutivi* : Conveniens etiam & expertum est, ut propinetur infantibus *pulpa passularum minorum* cum ana *syrupi de cichorio c. rhabarbaro* , addendo *pulv. corall. rubr. & ocul. 69.* ita ut hic pulvis ad ℈j. vel ʒß. ad illor. ℥ß. additus cum parvo cochleari infanti recens nato infundatur: sic rejiciuntur recrementa per alvum, & in specie vitiosa meconii & succorum aliorum acescentia præcavetur & tollitur, deinde *syrupus de spina cervi*, est etiam optimum & convenientissimum abstergens omnium sordium, imprimis locô *sacchari* præp. cum *melle* per se depurato, est fanè laxativum optimum, imprimis si *pulv. ocul.* ♋. sit permixtus. Post *meconium* separatum observandum est (2.) ut *insensibilis transpiratio* promoveatur: ubi auspicatò solent mulieres infantes immergere *balneo* ▽. *dulcis tepido*, ut abluantur sordes viscidæ, (lanuginis enim instar tegunt cutim:) & aperiantur pori; Non ineptum est, ut simul *saponis* adjumento promoveatur sordium ablatio, quia satis sunt viscidæ, & difficillimè possunt removeri; sicut etiam, si iterato ▽æ parum *lixivii communis* additum fuerit , ut eò melius detergeantur sordes: quin etiam, hujus alcali beneficio, præserventur *affectus cutanei*, sicuti hos affectus jam inductos dicta alcalina fixa tollunt. In communi ℞. *farinam pisorum* & hujus medio detergunt infantes toties, quoties balneantur: nempe, iteranda est subindè *balneatio*, quoties sanitas infantis & vires permittunt; idque primis in specie septimanis, in quibus sedulò balneandum est, aliàs enim suggeritur occasio vel *febribus*, vel *affectibus cutaneis*; unde non rarum est, quod flavi, crocei, adeoque icterico colore tincti quandoque in lucem prodeant infantes, aut tertio vel quarto die post partum dictus color superveniat; quibus optima est balneatio, pro quo tamen convenit etiam, si granum unum *croci* in lacte nutricis exhibeatur fœtui. Quod (3.) *lactis* & *lactationis vitia* aut *errata* attinet, eadem ex iis, quæ dicta sunt, corrigantur ; nempe, semper habeatur respectus, ut omnis *vitiosa acescentia* & *coagulatio*, quantum possibile, præcaveatur: propterea commendandus hic usus *anisi* & *fœniculi*, nam præter ubertatem lactis illud etiam aromaticum & corruptioni minùs obnoxium ita redditur. Caveant simul, ne aquæ frigidæ manus immergant, vel ne crebriùs pedibus

dibus nudis in loco frigido ambulent; sic enim statim lac in mammis alteratur, & infantes *termina* solent pati. Si *inopinato terrore* percussa, vel *irâ* commota fuerit mulier vel nutrix, ne lac alteretur, [1.] omne lac ex mammis *emulgeat*, postea assumat *spermatis ceti* ℈ß. cum ♁*nii diaphor. gr.* xv. in haustu cerevisiæ calidæ, & ad sudorem se componat. Vel

℞ C.C. sine igne ʒß.
⊖. card. bened. gr. xv.
M. pro duabus dosibus, & blandè sudorem expectet.

Post *lac* superest *puls*, & ejus *vitia*. Hujus *cura præservativa* consistit in eo, ut loco farinæ sumatur panis similagineus exsiccatus, qui probè tritus, cum lacte vel ▽. adjecto vitello ovi in pultis consistentiam coquatur, tantillum *seminis anisi pulverisati* superaddendo. Talis hactenus optimè contulit & nutrivit, variaque mala præcavet, nempe fermentatus panis facilè resolubilis, promtiusque digestibilis, melior est quàm farina arida, pauciores enim sic elevantur flatus, & mucus erit longè minus viscidus, qui etiam facilius potest abstergi. Sed etiam non nimia quantitate propinetur puls, verum tantum saltem, quantum citra coactionem absumit infans. Utut autem hæc omnia observentur, tamen propter multiplices circumstantiarum varietates colligitur interdum *succus acidus, viscidus, pituitosus, serosus*, &c. in genere pro horum cura conveniunt, laticem quę *acidum destruunt, viscidum incidunt*, & utrumque, pro ratione occasionis tam, per *urinam*, quàm *insensibilem transpirationem* evacuare valent. Adeoque mox à nativitate propinanda sunt remedia *temperata*, inter quæ optima sunt *salia volatilia*, in specie *oleosa*, quæ optimè acidum corrigunt, & in salsum alcalinum blandum transmutant, quin etiam penetrando potentissimè attenuant & resolvunt quascunque obvias cruditates: Unde *spiritus salis* ✱*ci* vel simplex, vel cum aromatibus destillatus, sicque factus oleosus, item *spiritus* ✱*ci anisatus* & *caryophyllatus* convenit: Et optimum etiam est *liquor C.C. succinatus*, multis in casibus adultis pariter ac infantibus conducens. Nec necesse est, ut generosa nimis pro infantibus putentur *salia volatilia*, nam circumspectus usus in lacte nutricis, vel in ▽. aut *syrupo menthæ* vel *fœniculi* ad guttulas saltem optimè potest recommendari infantib9, & licèt, dum propinantur infantibus, mirè mutentur, neminem tamen terreat, mox enim ad se redeunt, & aliquot dosibus repetitis, iisdem, quatenus consuetis, minus solent angi. Præter hæc acriora & aromatica conveniunt etiam subjecta alia aromatica oleosa, volatilia, sale non destituta; inter hæc eminet *anisum* ejusque semen, quod pulverisatum dos. ℈i. ad ʒß. pro blando evacuante convenit infantibus, sicuti commendatur ab *Heurnio in method. Practic.* juxta hæc *castoreum* mirè temperat acidum austerum, & quascunque convulsiones & tormina lenit. *Myrrha* quoque omnem corruptionem & acorem tollit, & corruptionem putredinalem inhibet, unde *Paracelsus in consilio antipestil. myrrham* infantibus, ceu pestis præservatorium commen-

commendat. Propterea *Tinctura salutis* seu *essentia myrrhæ cum spir. vini ♀risato* vel *Tinctura ♀ri* parata est egregia, loco cujus etiam *spiritus ✱cicum* vino paratus pro menstruo, pro elicienda *essentia Myrrhæ* adhiberi potest. Facit huc *Elixir proprietatis sine acido*, per alcalia nempe parat. & hinc dissolutum cum spir. vini, quod est egregium in morbis infantum. Ulterius accedit hisce suo modo *theriaca* & *mithridatium*, ad gr. j. vel saltem gr. ij. pro dosi propinat. pro ratione ætatis; quorum non est, ut caliditatem vel narcosin metuamus, propter nimiam dosin. Hisce acida corrigentibus adjungenda erunt concreta terrea, & paulò fixiora, acidum in se absorbentia, ut *ocul. 69. margarit. corall. rubr. C. C. s. igne*, utrumque *Ebur*, *lapis bezoar*, omnes animalium partes osseæ, in specie duriores animalium dentes, quò pertinet *unicornu*, *dens hippopotami præp.* ex quibus decantatus *pulvis marchionis* ferè est compositus, qui ad *tormina* & *epilepticos insultus* infantum est usitatissimus; loco cujus etiam feliciter usurpari solet sequens:

℞. ocul. 69. præp. ʒß.
C. C. sine igne
corall. rubr. aa. ℈j.
⊖. card. bened. gr. xij.
thuris gr. x.
ol. destill. anis. gr. vj.

M. fiat *pulvis*, de quo q. s. in lacte matris vel nutricis, vel in pulte, vel alio vehiculo infanti propinetur, ut ut loco ⊖. *cardui benedicti* grana quædam ⊖. *volatilis C. C.* vel *salis volatilis cranii humani* permisceri possint. Temperatus sic & resolutus succus acidus viscidus foràs eliminetur; ubi optatam ferunt opem *clysmata*, imprimis cum *sale tartari* aut simili acuata: optimè parantur ex *decocto florum chamomill.* v. gr.

℞. decoct. florum chamomill. ℥j. vel ℥iß. l. ℥ij. pro ratione ætatis. mell. rutac. ʒß.
Salis tartari ℈j.
adde ol. dest. anis. gt. iij. s. iv.

aut loco talis injiciatur *enema ex lacte*, sed cum terebinthina mediante vitello ovi dissolutâ, idque in specie in affectibus dolorosis; Si necesse sit, ex lacte farinaque in pulte comestum mucum per superiora eliminare, conveniunt *laxativa per os* assumpta, ut *syrupus de spina cervina*, vel solus, vel cum *syrupo de fumaria* mixtus subindè exhibeatur. Singulare quasi obtinet *muscerda*, cujus pillulæ numero ij. l. iij. pulverisatæ & cum lacte vel pulte exhibitæ ad imitationem *Rulandi* optimè solent purgare infantes, vel tales pillulæ 6. l. 8. dissolv. in lacte, exprime per linteum & exhibe. *Pulv. Ialappæ* etiam *pulv. C. C. præp.* triplo mixtus propinat. dosi gr. ij. l. iij. ad gr. v. infantibus tenellis, pro ratione ætatis & virium, per os eos feliciter purgat. *Sunt* qui *scammonium* etiam infantibus in forma emul-

emulſionis propinant, ſed acrius eſt, & infantibus perniciofius ſimplex. Quidam uſurpant *mannam calabrinam* in pulte, pro laxandis infantibus, ſed eſt fermentativa & flatuum torminumque in infantibus autor. *Quidam* etiam mediante nutrice purgare volunt infantes, ſed conſilium eſt inconſtans, ſeu incertum, prout ſcil. plus vel minus alterari poteſt remedium purgans in ſtomacho nutricis, item, prout citius vel tardius purgabitur infans, propterea, quia res eſt dubia, ſimplici remedio tutius laxantur infantes. Quòd ſi *vomitus* neceſſarius ſit, ſufficit *pulvis rad. ireos Florentin* ad grana aliquot propinatus: Tutiſſimum etiam eſt, ut gut. 6. vel 8. de *ſyrupo emetico Angeli Salæ* diſſolvantur in ▽. *menthæ* ℥ß. vel de quo cochleare parvum unum, vel duo vel tria propinentur tamdiu, donec vomitus ſperatus ſuperveniat; ita ſine ullo periculo poſſunt purgari infantes: *Faucium irritatio cum penna* oleo intinctâ moleſtiſſimum eſt remedium; interdum enim fruſtra infantes ad vomitum ſtimulat. Hiſce *in genere* prælibatis, *in ſpecie* quod attinet Infantum Affectus, & quidem Tormina cum Flatibus aut Excretis Viridiusculis, in tali caſu non crebrò nimis præbenda eſt mamma, ſed interdum cum lacte *pulv. corall. alb.* aut *oculor. cancri*, aut *pulv. Marchionis*, aut *pulvis ſupra dictus* propinetur, poteſt augmentari doſis *ol. deſt. aniſi*, vel iſtis acidum torminoſum abſorbentibus addatur parùm *caſtorei*, vel *theriacæ*, vel *mithridat.* unius piſi vel minoris vel majoris quantitas ſub veſperam blandam quietem inducit; niſi talibus ſiſtatur malum, ſupra dicti *ſpiritus*, vel *ſalia volatil.* ſacra erunt anchora. *Aurum* quoque *fulminans* magnæ hoc in caſu obſervatur efficaciæ, ut non immeritò à quibusdam inſigniter extollatur ad Tormina Infantum & eorum Obstructiones, etiam imminentem exinde vel præſentem Epilepsiam, datur infanti aliquot dierum gr. 1. vel ſi jam fuerit aliquot ſeptimanarum, gr. ij. l. iij. pro varietate circumſtantiarum. Propinetur in lacte vel ▽. *fl. tiliæ* aut *ceraſorum nigrorum*, ſanè tormina ſiſtit, miras dejectiones alvi inducit, & epilepticos inſultus ſopit: Obſervetur autem varietas in auri fulminantis operatione: Interdum fortius, interdum debilius, interdum citius, interdum tardius operatur, quatenus à grumo lactis obviſcatur vel irritatur. Quoniam verò ſolent exaſperari affectus iſti, ſi alvus non eſt aperta, hinc proficuus *clyſmatum* reiteratus uſus eſt, attendendo, an magis acrimonia acida, an viſcida cauſæ peccantis urgeat, ut delectus inſtituatur in clyſmatibus injiciendis: Si *tenuia, liquida*, laticis inſtar, plus minus *flavedine tincta*, utut acerrima rejiciantur per alvum, ut etiam excorietur podex, ſufficiunt *clyſmata lactea*, vel cum vel ſine *terebinthina*: Si verò *viſcida* ſint, conveniunt *clyſmata ex decocto ſimplici cum ſale tartari* vel ſimili *ſale lixiviali*, quæ diſſolvunt mucum & abſtergunt. Hiſce *internis* ſuppetias ferunt *inunctiones externæ cum oleo deſtillato cumini, carvi, fœniculi, aniſ. chamom. cort. aurant.* & ſimil. quæ excipiuntur pro corpore vel *oleo chamomill. vulgar.* per infuſionem, vel *oleo nuciſtæ expreſſo*, ut ſcrobiculo cordis

cordis & regioni umbilicali illinantur: conveniunt etiam in *torminibus flatulentis*, in *inflatione hypochondriorum* & simil. si *tenacior* fuerit *mucus*, conveniunt *unguenta ex Gummi ammoniaco* vel in vino vel in aceto destillato soluto, & hujusmodi:

℞. Gumm. ammoniaci sic soluti ℥ij.
terebinth. ℥j.
sevi hircini.
butyri non saliti aa. s. q. pro consistentia debita:

Extra quoq; *ol. destill. anisi* illine umbilicum & vicinam regionem, & impone linimentum; sic enim viscida dissolvuntur, & ad faciliorem ejectionem disponuntur. Hæc conveniunt etiam in *inflatione hypochondrij* & sim. Si *vomitus* turbat infantes, sinendus est, donec mucus & latex vitiosus evacuati fuerint, posteà cum lacte *pulv. nucis moschatæ, corallia* & *caryophyll.* propina, vel ▽. *spirituosa cinamomi* iis infundatur; *theriaca* etiam internus & externus usus non negligatur. Si ablactati sunt infantes, non immerito *decoctum cariophyll. ad* ʒß. *& mastich.* ℈ij. in vino commendat *Ioël in prax. Externè* ad vomitum nimium compescendum *frustulum panis vino malvatico ebrium*, impositum regioni stomachi, vel parum de *oleo destillato macis* cum *oleo Nucis moschat. expresso*, exceptum commendatur: sed non nimis citò compescendus est vomitus, in specie, si *nausea* vel *stertor* anhelando audiatur; quia, quando infantes laborant *tussi ex stomacho*, præ cæteris *vomitoria* conducunt, hinc, nisi sponte supervenit vomitus, arte provocandus est, quo facto vel sponte remittunt dicta pathemata. Sic in *difficili respiratione & asthmate*, præmisso vomitu, pro reliquiis acidis removendis convenit *syrupus de nicotiana*, ritè depuratus, vel *syrupus de erysimo* cum ▽. *hyssopi* vel *menthæ* propinatus, *succus* item *raphani recentis* cum *saccharo depurato* temperatus efficacissimus est, vel, qui mitior & temperatior est, quique ex *raphano excavato & saccharo repleto* in frigido per deliquium defluit *succus*, est egregius pro reliquiis absumendis; Si verò non ex stomacho, sed pectore, *à lympha acriori* vel *aëre* oriatur *tussis sicca*, in tali optimum est *sperma ceti*, vel in cerevisia calida, vel in jusculo calido dissolutum & propinatum; Sic *spiritus* ✳ *cianisatus* infantibus est egregius: Etiam ubi *difficilis dentitio tussim* infantibus excitavit. Præ cæteris tamen *liquor C. C. succinatus* nunquam omittendus est *in affectibus catarrhalibus* infan-

infantum præcipuè, & indè *tußi ſicca* omnibus præferendus eſt : In tali etiam tuſſi mulierum euporiſton eſt *decoctum raparum*, in ſpecie *ſiccarum cum ſaccharo*, quod crebriùs infantibus propinatum *tußim catarrhalem* ſiſtit. *Externè* in tali tuſſi ſicca *inunctio plantarum pedum* cum *pinguedine lucii piſcis* eſt egregia. Si *ſingultus* ex quacunque cauſa adſit, & paulò *pertinacior*, *vomitus* conducit, evellendo acres acidas ſordes, ſtomacho & orificio ſuperiori adhærentes. Propinetur poſtmodum *pulvis Ioëlis* ex *C. C. uſto & corall. præp.* conflatus; cui interdum conſultò *ol. deſtill. aniſi*, aut *cinamomi* aut *caryophyll.* addi poteſt; Nec omittenda *theriaca, aniſum, caſtoreum*. *Vermium proles*, qui ſubindè torquent infantes, optimè curatur per *mercurialia*, internè per os exhibita, infuſo ſimul *clyſmate ex lacte* ad ℥ij. vel ʒ ij. cum ſ. q. *ſacchari*, pro ratione ætatis infantis, ut dulcedine allecti vermes inferiora verſus egrediantur, & à mercurio per os exhibito fugiant : Convenit ergò ∇. *anthelminth. Helmontii*, v. g. ∇ *aſparag. vel graminis*, in qua ebullierit ☿*rius vivus*, vel ſi *mercurius vivus* cum *ſaccharo* teratur tamdiu, donec fiat pulvis gryſeus, de quo tantill. quaſi ex cochleari lign. propinari poteſt; Loco cujus etiam *mercurius dulcis* commodè uſurpatur. Si quis autem horreat mercurium, pro uſu infantum, propinet *C. C. ſine igne præp.* aut *myrrham*, vel *ſpiritum* aut ⊖. *vol. C. C. liquor. C. C. ſuccinatum*. *Externè* regioni umbilicali applicetur *unguentum ex aloë hepatic. cum felle tauri* ſubacta, quo illito veſicam bubulam imponunt, ut umbilico firmiter adhæreat, & etiam halitu ſuo lumbricos fuget. Si ex denegato nutrimenti tranſitu, ac debita diſtributione ceſſante, *atrophia* infantes corripiat, conveniunt omnia, quæ alimenti depravationem, imprimis acorem viſcidum corrigunt, inter quæ eminent ⊖*lia volatilia*, & quæ obſtructos meatus reſerant, ob id lactationis tempore ſubindè iteranda : Sicuti poſt ablactationem convenit *liquor terræ foliatæ* ♀*i*, *Tartarus vitriolatus Tachenii*, item *Tinctura vitrioli* ♂*tis* ♀*riſata*; hæc interius oblata ſunt optima *Externè* in mucilagine reſolvenda ſpiſſiore & meatibus reſerandis convenit *linimentum ex Gummi ammoniaco* ſupra laudatum, vel *unguentum martiatum*, *unguentum altheæ compoſitum* & *oleum philoſophorum*, mixta & abdomini illita : Si verò *vitio nutrimenti*, quacunque ratione vitiati efflореſcant *affectus cutanei*, conveniunt internè *alcalia*, vel *ſalia*, imprimis *viperina*, nempe *ſal volatile viperarũ*, *pulv. viperarũ*, *liquor c. cerv. ſuccinatus*, *Tinctura* ♁*nii*, ut deſtruatur *acidum primarum viarum* ex ſcoriis, quod ſubindè nutrimentũ ſolet inquinare. *Externè* caveant ☿*rialia*, hæc enim infantib. externè ſunt nociva, utpotè quos ſubindè ad *Epilepſiã* diſponunt. Vitetur

etiam

etiam *lotio cum decocto Nicotianæ vel unguento ex pulvere Nicotianæ*; Obſervatum enim, quòd ex inunctione talis unguenti vel lotione vomitus, & copioſi ſeceſſus, cum lipothymiis &c. orti fuerint. Pustulæ ergò potiùs *linimentis* vel *ſaturninis* vel *ſulphureis* acidum abſorbentibus blandè inungantur; quibus ſi addatur parum *ſalis tartari*, habebitur effectus magis tutus: unde *flores ſulphuris* excepti *unguento de ceruſſa*, vel *diapomphol.* cum ſ. q. *olei nicotianæ vulgaris* conveniunt. Facit huc *unguentum Panarol.* ex *ſulphure, axungia porcina & ſucco limonum*, quod ſubactum in mortario lapideo adplicetur. In ſpecie tamen obſervanda eſt Differentia Ulcerum, an ſint Manantia, an Crustosa: *Prioribus* blandè cum linteis, ▽. *ſpermatis ranarum* imprægnatis, abſterſis inſpergantur pulveres *acida abſorbentes*, abſtergentes & detergentes, ut ex *creta, lacte lunæ, myrrha* & ſimilibus, quibus tantillum *ſalis tartari* addi poteſt. Melior eſt *crocus ♂tis*, ex *vitriolo ♂tis* ſoluto & c. *ſale tartari* præcipitato factus, qui per præcipitationem paratus, probè ablutus, exſiccatus atque inſperſus mirè abſumit acida, & prædicta ulcera ad ſanitatem perducit. Si verò Ulcuscula ſint Crustosa, optimum eſt, ut illinantur cum *oleo tartari per deliquium*, utpote quod talem cruſtam blandè emollit & curat, ita ut ſponte decidat; Ex quo & *oleo amygdal. dulc. expreſſ.* etiam fit linimentum blandum & tenue, quod dictis puſtulis illitum eſt egregium. Si Tinea Crustosa affligat cum *copioſis pediculis*, in hoc caſu dicto linimento adde parum de *oleo deſtillat. ſpicæ*, hoc enim illito mox moriuntur: Sufficit loco horum vel *ſimplex lixivium*, quo ipſo non nimis acri ſpongiâ intinctâ attingantur cruſtæ. Variolas & Morbillos quod attinet, in his, pro earum expulſione conveniunt *ſemina cardui bened. naſturtii, aquileg. napi*, cum pauca *myrrha*. quæ cum ▽ *fl. ſambuci* & *ſcabioſ.* in *emulſionis* formam redigi poſſunt ad imitationem *Zwelfferi*. Ulteriùs *antimonium diaphoreticum* tam vulgare, quàm ex ☿rio cum ⦶*tro*, addit. parum *myrrhæ*, convenit in dictis affectibus: *Caſtoreum* & ejus *eſſentia* cum aliis vehiculis appropriatis etiam eſt egregia, uti & C.C. *ſine igne*: aliàs *myrrha* nunquam in variolis & morbillis negligenda eſt, unde & *eſſentia myrrhæ* ſ. *ſalutis*, non ſecus ac *eſſentia Caſtorei*, tam *ſimplex*, quàm è *caſtoreo & aſa fœtida cum Tinct. ♀ri compoſ.* præſervativè & curativè laudantur: *Succus expreſſus ſtercoris equini* eſt ſum̃um quoq; medicamẽtum; præfertur tamen *ſtercus ovillum*, in morbillis; in variolis *caprillum*. Poſt eruptionem ut promptè matureſcant, propina *oculos cancr.* cum *myrrha* internè. Externè ſpongiâ cum *lixivio ſal. tart.* ebriâ blandè tangantur puſtulæ, ſic mortificatur acidum, & tollitur eroſio. Si gravior malignitas in variolis *epilepticos inſultus* inferat, Convenit *liquor cornu cervi ſuccinatus*, item *ſal. vol. cranii humani*, vel in robuſtioribus *ſal. artemiſ.* Nutrix interea, ſi infans eſt adhuc ſub lactatione, quotidiè utatur in potu communi *gelatinâ* C.C. ut lac quaſi medicamentoſum reddatur. Epileptici Insultus ſi affligant infantes, cùm eorum origo ſit ex *ſtomacho* & *acido* ibi genito,

nito, sunt in usu *pulvis marchionis, rasura cranii humani, rasura unicornu marin. dens hippopotami, lapis bezoar. animalis* & similia, quæ, si non suffecerint, sit *liquor C.C.* infallibilis, si epilepsia non sit lethalis. Quibusdam etiam ad epilepsiam infantum inter secreta repositum est ♀. *s. pulv. flavus ex musco clavato terrestri*, & verum est, interdum prospere adhibetur; præfertur tamen sulphur sive *pulvis flavus* tempore verno ex *julis coryli* collectus. Hisce tamen si non superius, par sanè est medicamentum *sulphur ♁nii, ex scoriis reguli* ultima vice, certo modo præcipitatum: Infantibus datur ad gr. j. adultis ad gr. iß. ad summum gr. ij. mirabilis est ejus vis in Epilepsia infantum; nempe prima vice vomitum movet, si aliquid invenit, si verò nihil offendit, insensibiliter per sudorem operatur. Si verò propinatum vomitum movebit, insequente blando somno infantes curabit. *Febres* si affligunt infantes, pro varietate febrium varianda venit cura; tamen *intermittentes* quàm rarissimæ sunt. In pueris præmisso *vomitu* curat *spiritus sal. armoniaci* & ⊖ *. absinthii*, & similia, vel *liquor C.C. succinatus.* *Continuæ* verò *lentæ* ex *acido viscido*, ut & *febres catarrhales* curantur, præmisso *clysmate, spir.* ✳*ci vel simpl. vel anisato.* Non curemus, quia tempore vespertino adest, nam quia est ab acido, sistitur à volatilibus. Item *Tinct. myrrha* supra dicta convenit. *Continuæ* verò & *ardentes*, aut his similes, utut rariùs affligant tenellos, nihil ferè peculiare habent, quàm quòd iisdem, *vomitu* tamen præmisso, vel *primis viis expurgatis*, convenit ♁. *diaphoreticum, C.C. sine igne,* ☽. *♁niatum, arcanum duplicatum Mynsicht.* & similia; si *malignitas* adest, *emulsiones* in variolis laudatæ usurpari possunt, interdùm etiam *theriaca & mithridatium.* Hæc & similia etiam applicari possunt ablactatis; saltem observando, quòd propter voracitatem coacervent succos crudos, qui se habent simili modo ac lac coagulatum, vel ex pulte congestus mucus; unde eadem ablactatis, quæ infantibus lactentibus conveniunt, usurpari possunt.

CHIRURGIA MEDICA.

CHIRURGIA externis corporis affectibus medetur, ut ab hac speciali medicinæ parte artifex *Chirurgus* vocatur; ejus descriptio ex *Celso* nota.

CHIRURGIA autem *quinario numero affectuum* absolvitur, TUMORIBUS, VULNERIBUS, ULCERIBUS, FRACTURIS, & LUXATIONIBUS, quorum priores tres partibus mollibus primariò conveniunt, posteriores vero durioribus. Jam harum partium affectarum exacta notitia necessaria est, & in *durioribus* scienda est, (1.) earum *conformatio, situs & connexio*, (2.) earum *usus* (3.) quod his omnibus

bus *unctuosa & pinguia vulgaria*, nisi artificiose sint destillata, sint adversissima; Si ea verò *amariuscula*, seu sale alcalino acriori prædita sint, amicissima. In *mollioribus* partibus *differentia inter partes sanguineas & spermaticas observanda* est, quæ utramque paginam facit, tam ad prognosin, quàm ad curam & medicamentorum electionem. Nam *primò affectus* chirurgici *sanguinearum partium* sunt longè tutiores, quàm *nervosarum*, nec tantis symptomatibus sunt subjectæ, neque sunt adeò sensibiles & irritabiles: unde morbis convulsivis minus esse solent obnoxiæ. (2.) Affectus partium *sanguinearum* non sunt adeò dolorosi, atque affectus *nervorum*. (3.) Affectus partium *sanguinearum* sunt longè faciliores curatu, quàm affectus partium *nervosarum*. (4.) Si in partibus *sanguineis* supervenit aliquod *fermentum præt. n. corruptivum*, quale est in vulneribus & ulceribus, nunquam solet esse tam acre, vitiosum aut malignum, ac in partibus *nervosis*. (5.) Partes *sanguineæ* ablatæ facillimè restaurantur, *nerveæ* verò ablatæ nullo modo restitui possunt. (6.) Partes *sanguineæ* medicamentis etiam debilioribus facilè auscultant, & imprimis *temperata balsamica*, seu ⊖ *.vol. oleoso* mitiori prædita postulant, ex errore verò applicata acria melius perferunt: *Nervosis* verò licet temperata balsamica conveniant, tamen eadem debilia subindè contemnunt; acriora vero vel easdem irritantia morbum asperiorem reddunt. (7.) Partes dictæ *sanguineæ* quocunque modo curatæ, nec læsionem nec deformitatem tantam inferre solent, atque *nerveæ*. Jam verò *in dictarum partium cura chirurgia triplex* observanda (1.) *Naturale* est observandum, hoc est naturalis humorum motus, tam universalis, sanguinis & lymphæ, quàm particularis succi quidam partis nutritivi (2.) Observandus est *acor vitiosus* tam in massa sanguinea, quàm in stomacho & primis viis, tum etiam in parte læsa oberrans, cujus fermentum corruptum p.n. est removendum. (3.) *Symptomata* sunt mulcenda, & inter hæc est primariò *dolor*; *Auxilia* ergò his scopis convenientia, *ex tribus petuntur fontibus*, nempe *diæta, pharmacia* & *chirurgia* in specie sic dictâ. *Manus Chirurgi* debet esse activa, pro delendo, pro applicando conducentia. Quæ applicanda, sunt ex pharmacia, ut *salia volatilia oleosa*, quæ tribus his requisitis non solùm satisfaciunt, sed etiam pro aliis scopis conveniunt. Jam ergò pro remediorum varietate *chirurgia est duplex*, *vel* Medica, *vel* manualis. *Medica* consistit in recta *cognitione affectuum præternaturalium*, per manum chirurgicam tractandorum, & legitima *inventione remediorum* ex pharmacia & diæta convenientium; *Manualis* verò versatur saltem circa *operationes chirurgicas*, quæ nos non tangunt.

LUXATIONES.

Inter quinque ergò affectus generales, qui chirurgiæ subsunt: (1.) Sunt

Luxatio-

Luxationes, faciles & cognitu & curatu. Notum autem est, quod *luxari* dicantur *ossa*, quando circum capita ex situ naturali removentur, ita ut *luxatio* propria sit *ossibus*; *Molles* enim ex sede remotæ *non luxari dicuntur, sed transponi*, & affectus tales proprio nomine dicuntur *herniæ*; Ista verò remotio fit *duplici ex causa*, vel propter *vim externam*, vel *causam internam*: *Luxatio* quæ fit per *vim externam*, manifesta est sensibus & notissima ægro; *hæc* verò obscura & vix sensibilis à priori. *A vi externa* fit, e. gr. in contusionibus, casu, rupturis violentis, membrorum contorsionibus & simil. uno nomine, quicquid violentiam inferre potest ossibus, luxare potest. Si fit *propter causam internam*, utplurimum est obscura, fit tamen manifesta, modò consideremus, ut os in suo loco & receptaculo debito retineatur. *Requirit ergò (1.) spatium debitum*, quod in se recipiat os, ut cum osse caput inferatur. Si ergò caput magnum, rotundum, vel in vicinis ossium processibus, vel adnatis cartilaginibus, solet sufficiens formari cavitas & apta pro recipiendo capite. (2.) Requiritur *funis*, qui firmat & alligat unum alteri, ut ligamenta, tendines & musculi. Quando enim cavitas ossis, recipiendo capiti alterius ossis dicata, repletur aliâ materiâ, ossis caput extruditur & luxatur. (3.) Quando *funiculi ossium aut laxantur aut dissecantur*, os necessariò sua sede excidit: *Repletur* quidem *ossis cavitas*, imprimis *ob acidum vitiosum & p. n.* Synoviam inspissans, incrassans & coagulans, eamque in *materiam gypseam & ♀ream quasi condensans*. Hinc enim cavo ossis repleto sensim sensimque caput extruditur, & luxatur, vel si non luxetur, *interdum* coagulatum istud os successivè cum suo receptaculo unit, & quasi *ferruminando* jungit, unde postmodum *immobilitas ossis & membri* observatur; Et quidem *hoc* rarius fit, *prius* frequentius. Multum *prius* familiare est *affectibus arthriticis*, & pathematis *ex acido p. n. stomachi* in corpore coacervato, oriundis, unde etiam iis, qui *malo Ischiadico* laborant, tartareo tali coagulato luxatio ossis femoris contingit, & nodi podagrici motum & usum partium tollunt, nunc luxando nunc ferruminando. Ex altera parte *ligamenta & simul funiculi laxantur & flaccida fiunt*, & ita ossa ex sede sua dilabi patiuntur, ex humiditate serosa salina, fibras laxante, & solvente, easque quasi stupore quodam afficiente. Malum hoc *scorbuticis* non infrequens est, ubi ex sale vitioso scorbutico in has partes translato resolvuntur relaxanturque partes nerveæ, & convulsiones superveniunt. Idem est, quando *rupti tendines* similem luxationem inferunt, qui affectus ad *vulnera* potius pertinent.

CURA. Hæc pro varietate causarum in genere variat. [1.] Si est *ob vim externam*, membro *extenso*, os *reponendum est*, quo facto nil incumbit chirurgo, nisi ut commodâ *ligaturâ* partem confirmet & collocet, & *inflammationem* supervenientem & alios affectus arceat. *Consistit* ergò *manus Chirurgi in repositione*

positione & *firmatione.* Ad *repositionem* requiritur *extensio*, ad firmitatem *ligatura*, ut *in figura media reponatur* membrum luxatum. *Extensio* requiritur, quia in parte luxata partes vicinæ musculosæ firmius contrahuntur; musculi enim omnes sunt tensi, & in se contrahuntur, & breviores redduntur, necesse est ergò, ut pars *extendatur*, extensa *reponatur*, reposita *firmetur*, & in debito situ collocetur. *Firmatio* fit commodis *ligaturis* & *fasciis*, mundis linteis, nunc latis, nunc brevioribus, pro varietate circumstantiarum, &c. Ita tamen *firmatio sit non nimis stricta*, ne compressis vasis tam sanguifluis quàm lymphaticis, oriatur inflammatio aut œdema, quapropter repellentia & adstringentia, cùm sanguinis & lymphæ motum impediant, vitanda sunt. *Ligatura* verò *non sit nimis laxa*, ne pars restituta denuò elabatur ex loco, & luxetur de novo. Verùm cùm subinde luxationi in principio superveniat *inflammatio*, vel ante repositionem luxationis, vel post factam superveniens, necesse est, ut removeatur, per remedia *interna*, *salia volatilia*, *alcalia*, quæ sanguinem fluidum & mobilem reddunt, vel *salia fixa* aut *terrea*, *diaphoretica*; quibus adjungantur *externa*, nunc quidem in loco opposito *V.S.* postea admovenda etiam *externa*, quæ *sanguinem resolvunt* & *moderatè discutiunt*: Unde *fomenta discutientia*, in forma tam sicca quàm humida, *ex vegetabilibus aromaticis*, *nunc in vino*, *nunc alio liquori incoctis* applicantur, ut inflammatio imminens; vel etiam præsens discutiatur, &c, *si facta fuerit inflammatio*, *antequam membrum sit repositum*, nihil tentandum est, nisi inflammatio remota fuerit & discussa. Interim in membro luxato, nunc sub luxatione, nunc post repositionem supervenit *tumor quandoque œdematosus*; dicunt fieri affluxum in membrum. In *tali tumore* removendo, nihil melius est, quàm ut præmittantur *interna sudorifera*, & loca *externa oleo vol. fortiter penetrante illinantur*, tam in loco luxato, quàm tumido, ut discutiatur tumor, & pars firmetur. Conveniunt ergò *litus cum ol. destill. tartari* & *oss. humanor.* quæ, quando fiunt nimis fœtida, rectificentur prius cum C.C. *usto*, vel simili parte animalium; uti supra *Calx viva*: Sic fiunt admodum penetrantia & discussiva. Ubi ergò *fuerit pars reposita*, ut melius *firmetur* cum ligatura, *necesse est*, ut partes repositæ *abluantur vino tepido*, aut *vino decoctionis fl. hyperici, chamom. rorismar. stœchad. Arabic.* &c. his calidis pars foveatur, &, ut restituantur fibræ in debitum tonum, *lintea vel sacculi* in hoc decocto largiter humectati tepidè circumvolvendi sunt; quandoq; etiam *fasciæ* tali decocto per *spongiam* imbutæ humidæ & calidæ sunt servandæ, siquidem & sanguinis stagnationem & inflammationem præcavebunt. Si suspicio sit, hujusmodi *luxationes à coagulo gypseo l. tartareo excitari*, illinantur partes *petroleo*; vel *balsamum Peruvianum, cum vitello ovi dissolutum, misceatur cum Spiritu juniperi* temperato, & sub forma linimenti illinatur parti luxatæ, & locis vicinis imponatur vel *fascia sicca calida*, vel *emplastrum* quoddam *nervinum*, vel, quibus placet, *fiat emplastrum ex cera flava & resina albissima*, quibus liquefactis immit-

tatur *succinum album & gummi Elemi s. q.* ut ita coëant in massam homogeneam, quæ postmodum malaxetur cum *balsamo Peruviano*, & tum abit in emplastrum plus minus spissum, hoc illine lintea & applicetur membro luxato, *ita ut non exactè coëat, sed extremitates emplastri saltem se contingant*, quia ordinariò aliqualis tumor & intumescentia supervenit partibus luxatis: Unde si emplastrum tenacius sibi superimponatur, impedit dictum tumorem, quod non semper consultum est. In luxatis ergò partibus *fugiendæ illinitiones*; *oleum hyperici*, cum *ol. destill. terebinth.* temperatum posset applicari & inungi: Nam *olea mucilaginosa* oblinunt poros & insensibilem transpirationem impediunt, imprimis quando luxatio per plures dies, pro robore partis luxatæ, absque religatione conservanda sit, unde ex talibus oleosis nimius *pruritus* & interdum *excoriatio* excitari solet, qui *pruritus tollitur*, dum pars religata fovetur, & abluitur cum *decoctis plantarum nervinarum, aromaticarum, in* ▽ *coctarum*, quibus tantillum *lixivii communis* additum sit. Item dicta *olea ideò non sunt adhibenda*, quia, si penetrant, nihil aliud præstant, quàm ut fibras nerveas laxent, & sic luxationem magis relaxant: Item *non admoveantur empl. aut cataplasmata ex adstringentibus parata*, ut *bolo armeno, terr. sigill. thure, mastich. sanguine dracon.* cum *vitello ovi* aut *cera* aut similibus; hujusmodi enim emplastra adstringentia nihil valent, utut enim interdum cerâ inviscentur, tamen nihil aliud faciunt, quàm quòd poros oblinant, vis autem adstrictoria per contactum corporalem intrinsecus penetrare nequit. Et si hoc fit, ut penetrent, & partes nerveas adstringant, firmabitur quidem membrum, sed dum circa locum luxatum fit intumescentia, metus est, ne inflam̃atio & sanguinis stagnatio excitetur. Adhæc *inconsultum est*, velle *fibras læsas in tonum naturalem redigere hisce adstringentibus*: Genuina enim *repositio fibrarum nervearum fit* per *aromatica volatilia*, vel *fotuum* formâ, vel *emplast.* applicanda: v. gr. ex *gummi Elemi, succino, balsamo Peruviano* &c. Quæ verò *luxatio* fit propter os, *ob gypseum coagulũ*, extrusum, requirit medicamenta materiam istam *attenuantia*, quod in incipiente non commodè fieri potest; in facta verò coagulatione & firmata luxatione negotium est difficile, interdum frustraneum. Conveniunt ergò, speciatim imminente coagulatione, internè remedia *acida quævis destruentia, tam fixa quàm volatilia*, & *acriora resolventia*. Ex horum censu comperta propterea laudata sunt remedia *volatilia ex tartar. &* ⌽. *ana per retortam tubulatam destillatis*, quæ externè & internè sunt egregia: Item *salia volatil. quæcunq;* facit huc *✱ciũ, sal. oss. hum.* &c. *Externè* convenit præservativè *balsamus Peruvianus cum vitello ovi & spiritu vini subactus & illitus*, *emplastr. sticticum Crollii* cum *oleo Philosophorum malaxatum*, & applicatum, *spirit. lumbricorum terrestr. per putrefact.* vel solitariè, vel cum ana *spirit. ✱ci* illitus & impositus est egregius, *oleum tartari fœtid.* est nobile, cum *oleo oss. human.* aliquoties destill. mixtum & illitum. Uno nomine: Ea remedia

media, quæ in *malo Iſchiadico confirmato* proſunt, etiam hîc locum habent; remedia etiam hæc uſurpanda ſunt in *luxatione* & *coagulatione Synoviæ incipiente & imminente*; quam ſaltem jam diſſolvere difficillimum eſt, niſi forſan *mercurialia* aliquid faciant. Si verò *funiculi luxati & humectati luxationis cauſa ſint*, ut reſtituantur, præmiſſis *ſudoriferis*, additis *nervinis*, eminet *ſaſſafras* & *omnia ſaſſafrata, ſpirit.* ✱*ci oleoſus, aromaticus*, præ cæteris *aurum diaphoreticum Poterii*. Hisce crebrius & aliquamdiu expectando ſudorem uſurpatis & continuatis, conveniunt præterea externè *nervina, aromatica*, quibus adjungantur *adſtringentia, nervina temperata*, ut partes læſæ firmentur. Sic *primo ſcopo conveniunt lumbricalia, ſpirit. lumbricorum, liquor lumbricorum Hildani*, item *eſſentia contra arthritidem vagam Timæi* internè & externè eſt proficua. Præ cæteris *Hildanus Cent. 6. obſerv. 100.* habet modum curandi hujusmodi luxationes, qui optimus eſt. Convenit quoque *emplaſtrum ſticticum Crollii*, malaxatum vel cum *petroleo*, vel cum *oleo terræ*, Modernorum *oleo Philoſophorum*. Item *emplaſtrum ex tacamahaca & caranna, cum oleo deſtill. ſuccini malaxatum* applicatum toti articulo, vel, ubi tendines ſunt, articulum firmantes : In ſpecie quod attinet encheireſin, pertinet ad chirurgiam mechanicam : Hæc verò omnibus luxationibus, mutandis mutatis, applicari poſſunt. *Fit* etiam *interdum, ut à cauſa externa ſimul frangatur & luxetur os* ; malum difficile, circa quod neceſſe eſt, ut ſimul curetur *fractura* & *luxatio*. Fiat vel ſub puncto *extenſionis* & *repoſitionis*; dum enim extenditur membrum, neceſſe eſt, ut luxata & fracta pars eâdem vice reponatur, & ſub iſta extenſione coadaptetur, ſeu facta ligatura debita etiam inſtituenda venit. In *luxata maxilla*, ſi eſt à vi externa, repoſitio eſt facilis, ſi *utraque* luxata ſit; ſi *altera* verò maxilla luxetur, promptum remedium eſt, *alapa inflicta*. Porrò parvum eſt os, quod luxatum varia infert mala, nempe *os coccygis*, quod luxatur tam introrſum quàm extrorſum, ut in partu difficili. Hanc utramque luxationem qui vult cognoſcere *vid. ann. 3. Ephem. pag. 144.* Luxatio *oſſis femoris* difficillimè curatur, ut maneat firma, quia os femoris conjungitur cum ſuo acetabulo per firmum ligamentum, quod ſi luxatum, difficillimum vel plane fruſtraneum eſt repoſitu. *Si fractum*, impoſſibilis eſt reſtitutio fibrarum, & claudi fiunt ægri. Inter Authores Chirurgicos optimi ſunt *Agricola in chirurgia parva*; *Barbette in chirurgia & anatomia practica, Felix Wurtz in chirurgia, Fabricius ab Aqua pendente, Paræus, Scultetus & Guillemann.*

FRACTURA. Dicitur idem in oſſe fractura, quod in parte molli vulnus, ut oſſa ab inſigni vi, tam externa quàm interna diſcontinuata fracta dicantur, utut enim cauſæ omnis fracturæ frequentiſſimè ſunt violentiæ externæ, nihilominus tamen obſervandum eſt, quod à cauſa interna, nempe à nimiis convulſionibus artuum manus & pedes fracti & diſcontinuati fuerint,

Exem-

Exemplum tale refert *Med. Norimberg. in Miſcellaneis Anno 2. obſerv.225.* *Frangitur os vel* ſecundùm latitudinem, *vel* ſaltem finditur, & dicitur *fiſſura*, *vel* per transverſum. Chirurgis prior ſpecies vocatur: Ein Schlitz-Bruch ſpeciatim, ſi ſit à vulnere propter os vocatur ein Kleck-Bruch. Hæ duæ ſpecies probè ſunt diſcernendæ, cum differentis ſint naturæ. *Per transverſum* namque *factæ fracturæ* facillime *cognoſci poſſunt*, ſive enim vel externa vis lædens acceſſerit, vel ſolo caſu oſſa fracta fuerint, neceſſariò *ingentes dolores* partium membranoſarum & fibroſarum ſuperveniunt, qui ſunt atrociores, ſi feſtuca oſſis ſeparata partes cutaneas vel membraneas læſerit aut punxerit. Accedit *tactus ſenſus*, quo poteſt percipi fractura in oſſe, & eò magis, ſi ſede ſua motum fuerit. Accedit *motus in oſſe fracto per transverſum ceſſans, vel depravatus*, quatenus mutata figura membri circa os fractum eſt; accedit, quòd ſæpiſſimè apparet brevius aut diſtortum à ſimili figurâ. Imprimis eâ fracturâ oſſi fracto ſubjacentium nervoſarum, membranoſarum, fibroſarum, muſculoſarum partium pori ex tenſione à fractura aut laceratione transformati, & ob dolores & criſpationem fibrarum anguſtati, promptè *curſum & motum ſanguinis naturalis vel lymphæ impedire, remorare & ſiſtere ſolent*, unde præter *æqualem partis fractæ intumeſcentiam*, nunc *inflammationes*, nunc *œdemata* ſunt fractarum partium in principio fracturæ ſupervenientes. Non autem confundendi ſunt hi tumores, qui in principio fracturæ ſuperveniunt cum inflammatione aut eryſipelate, quæ interdum quarto, quinto aut ſeptimo die ſupervenire ſolent. Ita ut nunc ſimpliciter aliquod eryſipelas in loco fracturæ effloreſcat, nunc horror & rigor & inſequens æſtus eryſipelas tale ſoleat comitari.

Hujus Causa eſt varia, in ſpecie tamen ſupervenit, quando occaſione fracturæ partes nerveæ, tendinoſæ & membranoſæ læſæ fuerint, idque in ſpecie in corpore cacochymico, ubi occaſione partium nervoſarum læſarum, harum nutrimentum proximum alteratur, & læſum acorem contrahit & irritando partes nerveas eryſipelas infert, quâ occaſione commota camarina ſuccorum facilè febrem excitare ſolet, ubi ſubinde ſolet eſſe ſuſpicio *feſtucarum*, hinc inde ex oſſe fracto præcedentium & partes vicinas lædentium aut pungentium plus minus. Hæc quidem circa fracturas transverſim factas ita ſe habent. *Fiſſuræ* verò longitudines in occulto latent, imprimis ſi minores fuerint, unde tardè ad modum prægravia ſymptomata ſe manifeſtant, ſcilicet ex caſu vel contuſione membri in lapidem perpendiculari, aut ex ſaltu fortiori, aut ſimilibus fit ſubinde, ut findatur in quodam loco os, idque pro conſtitutione ægri vel naturali, vel præternaturali, ſeu morboſa, vel facilius, vel difficilius.

Hinc

Hinc *ſenes* levi occaſione & violentia incurrunt fracturas oſſium tam transverſales quam longitudinales, quia eorum oſſa ſunt arida & facilè ſciſſilia, facileque finduntur, & ii, quibus ex *contagio luis ♀ea* per nutrimentum oſſium corruptum ipſa oſſa carioſa facta ſunt, facilimè eorum fracturam patiuntur. Si ergò finditur os, pedetentim *dolor* exoritur, profundus tamen & in principio oſtocopus, nunc major nunc minor. Ratione fiſſuræ, patiente munera ſolita obire volente, levis tumeſcentia & aliqualis rubedo ſupervenit, quæ tamen in minoribus fiſſuris tardiùs ſe manifeſtat; quando ex fiſſura nutrimentum oſſis proximum elapſum, intra perioſtium & partes vicinas alteratur & corrumpitur, & ſenſim ſecundum longitudinem oſſis defluit, id circa loca articulis vicina congeritur, & congeſtum tandem in abſceſſum transmutatur, dum ipſum os interea in loco fracto corrumpitur & cariem concipit, unde ulcus infra fiſſuram continuò ſuſtentatur & conſervatur. Frequentiſſimæ hæ fiſſuræ, tempeſtivè non ritè cognitæ, dum iſta ulcera producuntur, *vulgò pro abſceſſibus ex defluxionibus corporis habentur*, cùm in loco abſceſſus facti omnis cura ſit irrita, quia ſubinde ſatis remotus eſt à loco oſſis læſi, unde interna & externa malum nunquam curabunt, niſi *cultro fiſſura detegatur*. Neceſſe ergo eſt, ut ſit chirurgus admodum cordatus & judicioſus in hac cognoſcenda, & ſi fractura ſecundum longitudinem expiſcanda eſt, perſcrutetur cauſam antecedentem, pertingat totum membrum læſum, an aliquæ rimulæ vel inæqualitas vel in profundo aſperitas, ſignum cariei, poſſit percipi; perquiratur etiam, an in caſu vel motu ſonus vel ſtrepitus vel ſimilia fuerint audita in membro læſo, vid. Felix-wurtz. Fracturæ hæ, prout variant tam ex ſe, quàm ratione partis fracturæ, & ratione partium in conſenſum fractarum & ratione ſymptomatum &c. variant. In genere *fracturæ oſſium ſecundum longitudinem* ſunt difficiliores cognitu, faciliores verò curatu. *Fracturæ transverſales* cognitu faciliores, curatu difficiliores. *Fracturæ*, in quibus loca oſſium fracta ſunt minus retuſa, ut non habeant multas prominentias acutas, pungentes, oſſa fracta transverſim non penitus loco ſuo remota, faciliùs curantur, quæ vero ſemotæ, difficilius longè; *Si vi fractum & comminutum* fuerit os in fruſtula & fragmenta, periculoſum eſt; omni enim conjunctum ſolet eſſe vulnus nunc ſenſibile nunc occultum, quod ſub cute partes membranoſas lædit, adeoque abſceſſus imminet. Porrò ſi ſit fractura oſſium, ubi oſſa duo conjuncta ſunt, ſi alterum ſaltem fractum, minus periculoſum eſt, ſi verò utrumque, majus eſt. Nam in oſſe uno fracto, reliquum os firmat membrum & non tam valida extenſione opus eſt. Poſtmodum os ſanum etiam fulcri inſtar ſe habet, quo alterum non poteſt loco ſemoveri. *Os fractum in medio ſui dat* fracturam leviorem, quàm circa articulum. Nam hujus repoſitio & firmatio longe ſunt difficiliores, item circa articulum ſunt plures tendines, multi nervi &c. unde periculum eſt ne inferantur varia ſymptomata. Item *os fractum, quod tegitur multis*

muſculis

musculis, minus periculi habet ratione symptomatum, quam quod frangitur circa loca tendinosa & fibrosa, verbi gratia, si tibia circa suras frangitur, minus periculum est, quàm in talo. Si os fractum sit absque vulnere & læsione partium mollium, eò levior est cura, si verò cum vulnere partium mollium & contusione, periculosa est fractura, & periculosas inflammationes, dolores, convulsiones, interdum gangrænam infert. *Si est fractura ossium in plura frustula*, subinde necessarium est, ut ossa separentur à se invicem, quod fit nunc citius in minoribus, nunc tardius in majoribus: Citiùs, si ossa penitus fuerint separata, tardius, si ossicula adhuc hæreant cum membranis. Ossa præter reliquas substantias, prout sunt vel majora vel minora, vel magis vel minus porosa, nunc citius nunc tardius solent consolidari, utplurimum consolidantur à die vigesimo ad vigesimum quintum, alia subinde ad 50. vel 60. in majoribus extenduntur. Præ reliquis *ossa femoris* fracta raró consolidantur, integrum quin femur circũseptum est vastissimis musculis, mediantibus quibus fractum os vix ritè reponi vel firmari potest, quin denuò elabatur vel figuram vitiosam contrahat, adeoq; instar regulæ erit, si femur fractum sit, in specie in adultis, sine claudicatione non posse restitui.

CURA. In hac *duo scopi* incumbunt Chirurgo, *fracta ossa reponere, & reposita firmare*: sic enim supervenit naturæ motus, ferruminans ossa fracta; fracta ergò ossa *extendantur*, extensa *coadaptentur* in situm naturalem, tunc necesse est, firmentur, quod fit per *fascias*, vel per *ferulas*. *Firmatum os* fractum postmodum in figura debita est *situandum*, *mediâ nempe & quæ est consueta ægro*: *Media* est, quando membrum est in quiete; sic enim quiescunt omnes musculi. Item *consuetudo* sic etiam attendatur. Facto hoc, dum repositum & firmatum est os, natura ossa fracta firmata denuò *conglutinat*, proprium nempe suggerendo nutrimentum, quo in spicula ossis fracti infuso nutriuntur, firmantur & glutinantur ossa, quod fit *nunc* citiùs *nunc* tardius, pro ratione *ætatis*; in senibus enim tardius fit, propter defectum nutrimenti. Sæpe curiosum est, quòd *gravidis* raró & tardè conglutinantur ossa, subindè nunquam, nisi post partum ferruminantur vid. *Miscell. curiosa anni primi p. 191.* (3.) *habitus ægri*: succulenti, eusarci, sani, citiùs conglutinantur quam aridi, phthisici &c. quò magis accedit nutrimentum. *Modus ferruminandi* est is: *Liquor alimentosus chylosus ossium*, per meatus & poros eorum, secundum longitudinem fibrarum repit, nutrit & auget: Cùm verò in loco fracto rectus pororum situs sit vitiatus & impeditus, exindè legitimus alimenti cursus circa poros stagnat, & per foramina aperta hinc indè uberius transudat, & coacervatur, in duritiem ossibus similem coagulatur, & tandem callum constituit. Adeoque nullum est Chirurgo officium circa *fracturas*, nisi, ut ossa *reponat*, & postmodum *reposita firmet*. Interim tamen, ut facilitet chirurgus opus naturæ, circa *conglutinationem ossium*, mediante *callo*, circa hoc sit occupatus porrò, ut præcaveat *symptomata*, & ea admoveat, quæ

balsamum naturalem ossium fractorum & *nutrimentum* ejus conservent, & conglutinationem promoveant. *Externè* ergò locum fractum consideret, an adsit *inflammatio* vel *non*: Si adest, hanc prius curet, antequam tantillum circa fracturam tentet. Curatâ hâc, fractura curetur, atque reposito osse locum affectum illinat *Spir. vini calido, vel solitario, vel cum infusione florum hyperici*: vel illinatur cum *spir. vini*, cui tertia pars *spiritus lumbricorum terrestrium per putrefactionem* admixtus sit, ut se insinuet in poros, & partes nerveas læsas restituat. *Si insignis* simul *adsit contusio partis*, illinatur *mel cum spir. vini probè temperatum*, hoc enim loco, nempe in *fractura cum contusione* plus minus *intensa* optimè confert, & contusionem dictam removet, imminentiaque symptomata lenit. Illinatur etiam locus fractus cum *oleo hyperici, & lumbricorum terrestrium*, quæ debent esse *acuata* cum pauco *oleo destillato terebinthinæ*, & pauco *oleo destillato rorismarini*, quæ singulariter ossibus fractis convenire dicuntur; facto hoc applicetur *emplastrum* quo simplicius eò melius. *Sufficit ex cera, resina & terebinthina*; nempe videatur Würtz, qui habet simplex *emplastrum ex resina alba, & terebinthina, & cera*, quibus adde *pulverem radicis barbæ hirci*: potest meliorari si addatur *extractum radicis aristolochiæ rotundæ cum spiritu vini*, item, si istis invicem liquefactis addatur *pulvis succini*, ut unà liquescant, vel factum emplastrum malaxetur blandè cum *oleo destillato succini*, vel tempore usus cum *balsamo Peruviano*: Tale emplastrum loco illito imponatur, ut extremitates emplastri se contingant, non verò superimponatur, ne superveniat intumescentia. Hoc facto instituatur *ligatura* non nimis arcta cum *ferulis*. *Quæritur*, an *plures fasciæ* circumligandæ sint; an verò saltem sufficiat *emplastrum cum ferulis*? *Respondeo*, pars fracta, *vel* est fracta in loco musculis destituto, & magis tendinoso & membranoso, *vel* non: *Si prius*, musculi sunt loco multiplicium fasciarum circumvolutarum, & non opus est multis fasciis involvendis. *Si posterius*, ut firmentur melius ossa, crebriores circumvolvantur fasciæ, & adaptentur ferulæ. *Fugienda* ergò *sunt in fracturis cataplasmata quæcunque* ex adstringentibus parata, quia poros obstruunt, insensibilem transpirationem impediunt, & nihil juvant. Ista etiam ex *succino, thure, mastiche, terra Lemnia*, quia ex illis nullus major fructus, quàm ex cera expectari potest. Præter hæc etiam *interna* quædam *promovent callum & præcavent symptomata*, inter quæ eminent *vulneraria*, quibus semper *rosmarinus* addendus est. Eminet etiam herba *agrimoniæ, consolida major, Geranium Robertianum, sabina*: quibus adde *lapid. ossifragum*; eminet quoque *pulvis Fabricii Hildani ex lapide ostiocollæ*.

℞. lapid. ostiocoll. præp. ℥j. Cinamom. el. ʒiij.
sacchari ℥j. M. fiat pulvis, dosis ʒij.

Vel *ostiocollam* solve in *vino*, in *decocto vincæ pervincæ*, propinetur repetitis vicibus.

bus. Non incongruum est *unguentum Bartholini c. 6. historiar. 25.* si post tres vel quatuor dies fasciæ resolvantur, & consideretur locus fractus, ibi, ubi consultum est, *abluatur vel aquâ simplici, vel cum vino decoctionis plantarum nervinarum & vulnerariarum vel similium.* Si ex fractura *nervi contorti*, & *ligamenta* & *tendines* plus minus *translocata* sint, optimum est *ceratum Foresti*, quod post diem septimum fracturæ imponit, ad læsionem tollendam:

℞. radic. sigill. Salomonis ℥iv.
alchymill. ℥j.
fol. plantagin. mij. instar pultis coqv. cui adde

Ceræ albæ q. s. ut fiat cerotum molle, misce cum olei myrtillorum ℥ij. ol. terebinth. ℥iß. unguenti Agripp. dialth. aa. ℥iß. bol. armen. ʒvj. sanguinis dracon. ʒiij. thuris ʒj. M. pro cerato post 7. diem casibus applicando. *Fissura recens* facilè curatur, si loco tumenti & dolenti applicatur *emplastrum conveniens ad fissuras ex rad. symphyti &c.* & adaptatis vel omissis *ferulis* deligatur membrum, & postmodum quieti committitur: Sic nutrimenti ossis corruptio impeditur, facta corrigitur. *Si tumor insignis, mollis* tamen & *tractabilis* adsit (quod signum est collecti circa locum affectum sanguinis aut alius liquoris) aperiatur tumor scalpello, & liquori concedatur exitus, servetur ulcusculum per turundam apertum, & instar *apertura cum vulnere* tractetur. Si verò vel ignorantiâ ipsius ægri, vel diuturnitate temporis *cum fissura abscessus* exortus fuerit, hic, aliquali maturatione factâ, *aperiendus*, & apertio *ad locum fissura* usque continuanda erit, ut commodè curetur, *caries* tollatur &c. vel *pulvis Euphorbii* inspergatur, vel *oleum destillatum caryophyllorum* instilletur, quo facto abscessus commodè *abstergi* potest, vid. *Würtz. Observand. est*, fracta ossa nunc simplicia nunc conjuncto vulnere penetrare usque per cutim, & in tali casu lacerari atque pungi partes molles: ubi post extensionem & repositionem, ubi nil de osse abscessurum metuitur, labia vulneris l. *suturis* l. *glutine* jungenda sunt, & *balsamo vulnerario* tractanda; *Emplastrum* fracturæ applicandum, & hinc *fasciis & ferulis* deligandum, vulnus quotidie semel vel bis religandum. Si verò fracti ossis emineant *prominentiæ insignes*, ubi jam ab aëre alteratæ sint, & cadaverisatæ, nunc pars ossis eminens l. abradatur, l. tenaciùs adhærens separetur, quod etiam necesse est fiat, si os, licèt non alteratum, dextrè tamen non reponi potest. Hoc facto in *situm convenientem*, more solito, adaptandum est; *vulnus factum per digestivum* impositum diutius apertum servandum; ulcusculum, si est majus, per cûtem adducatur, si parvum, relinquatur; apertum tamen servetur, ut particulæ separentur à toto: si autem coalescit, non possunt extrahi per vulnus; Sin mox in principio sint separatæ, saltim vol sellâ extrahantur: Si verò adhuc cohæreant, naturæ negoti-um committendum, quæ nunc talia ossa omninò separat, nunc denuò conglutinat cum reliquo osse: Promovetur etiam ossis

facilior conglutinatio *linimento ex melle virgineo cum pulv. lumbricorum* illito, quod habet *Barbette in Chirurg.* ſi, oſſe fracto denuò coalito, *callus* nimis magnus genitus ſit, corrigendus & imminuendus eſt, quod docet *Hildan. c.1. obſerv.91.* Si non habeat *debitam figuram*, opus eſt interdum, ut corrigatur; quod facile fit, ſi callus nondum eſt firmatus: Si verò eſt firmatus, ſine noxa fractura non poteſt curari. Si os iterum frangatur, non frangitur in callo, ſed circa callum. De *fractura* vide in ſpecie Autores Chirurgicos.

VULNERA. *Vulnus eſt diviſio unitatis in parte molli, facta à vi externa.* Infeſtat promiſcuè nunc nerveas partes, nunc ſanguineas, quarum differentia tamen inſigniter obſervanda eſt: *Differentiæ* verò *vulnerum* ſunt variæ, pro ratione vulneris, quatenus eſt *ſimplex* l. *complicatum*, nunc *cum inflammatione, contuſione* & ſimil. nunc ratione *partis affectæ* ſunt, & dicitur vulnus *partium nervearum, ſanguinearum, thoracis, capitis &c.* Quoad *vulnera in genere* adhibeat Medicus judicium, quo ad *prognoſin*, an vulnus ſit *lethale*, an *non*: diſtinguendum eſt ergo, an vulnus ſit *ſanabile*, l. *inſanabile*, & hoc l. *lethale* l. *non lethale*, v.g. vulnus penetrans *per pulmones*, niſi *majora vaſa* fuerint læſa, eſt *ſanabile*, & abit in *abſceſſum*: Si verò *vaſa majora* læſa ſunt, eſt *lethale*. Jam verò *fundamentum* legitimæ *prognoſeos* vulnerum conſiſtit in his tribus: [1.] *in functione* ſive *uſu* partis læſæ, plus minùs ad vitam neceſſaria: [2.] *in modo* læſionis [3.] *in curandi ratione* poſſibili & impoſſibili, & hæc eſt talis, l. *ſimpliciter*, l. *ſecundum quid*, in tali l. tali ſubjecto. Adeoque *vulnus* iſtud eſt *lethale*, quod graviùs lædit *partem ad vitam neceſſariam*. Hinc *ratione uſus* partis læſæ, *vulnera vaſorum internorum inſignium* ſunt lethalia; *ratione* [2di.] vulnera *cerebri profunda*, & ſubſtantiam ejus graviter lædentia ſunt lethalia; ſuperficialia verò minus: *Ratione* [3tii.] v.g. *ſubſtantia diaphragmatis nervea* læſa, eſt lethalis; quia ipſi ſuccurri nequit. Verùm quoad *ſecundum requiſitum* obſerv. quòd non ſimpliciter ſatisfiat, *quàm graviter* pars læſa ſit, ſed quem cum alia parte habeat *conſenſum*; v.g. ſi *ex vulnere* apparenter levi, nervo tamen læſo, ſuperveniat *convulſio lethalis*, tale vulnus lethale eſt; In genere ergo in vulnere lethali neceſſe eſt, ut l. ..tuum *animalium* motus l. diſtributio deleatur; Si enim hoc fit, animal interit. Quoad *theoriam vulnerum* videatur *Sennertus in praxi*: *quoad praxin* verò *Welſchii judic. vulnerum lethal.* & *Medicin. Critic. Amman.* Nunquam poteſt generaliter *prognoſis* inſtitui, propter varietatem ſubjectorum & circumſtantiarum.

CURA *vulnerum* conſiſtit *in unione & conglobatione partium ſeparatarum*. Opus hoc ſolius naturæ eſt, quæ beneficio ſucci nutritivi, appoſiti & conglobati, tanquam balſamo quodam, ſenſim ſenſimque easdem reunit. Cui cum vix reperiatur ſimile remedium in rerum natura, ſequitur eſſe opus ſolius

lius naturæ. *Chirurgus* ergo juvabit istam, *removendo* externa impedimenta, *adducendo* labia, & *applicando* remedia succum nutritivum conservantia, ejusdem corruptionem impedientia, factam v. emendantia; qualia sunt *vulneraria & balsamica.* Pro his scopis melius attingendis notum est, quod *balsamus* hic *naturalis*, dum consideratur ut conservans partem læsam, sit, naturaliter constitutus, *⊖no volatilis natura*, s. humor viscidus, tenuis, imprægnatus ⊖e *volatili oleoso, temperato*, investitus substantiâ humidâ, nonnihil glutinosa & pinguiusculâ; *variet* tamen pro constitutione *ætatis, vitæ generis, partium* ipsarum &c. Sic notum est, pro *varietate subjectorum*, quòd v. g. *mulieribus* inflicta *vulnera* semper *deteriora tempore menstruationis*; It. quòd vulnera *subjectis* l. *scorbuticis* l. *lue ♀ea inquinatis* inflicta, etiam levia, imprimis *in locis nervosis* subindè gravia inferant symptomata & in pessima abeant ulcera. Et quidem *alteratio & mutatio balsami naturalis* partis læsæ dependet *à causis internis, l. externis.* Ab *internis* dispositio *nutrimenti balsamici corruptibilis*, uti facit ut de se ipso vulnus non ritè coëat, ita facillimè *impressiones* quascunque excipit, nam & leves licèt in malè constitutis nocent. *Ab internis oriundas* Medicus curet *removendo radicem* & *corrigendo partium noxam*, quod fit eò facilius, si præmissis aut *purgantibus mediocribus*, aut *sudoriferis salinis, volatilibus, blandis*, ipse utatur *remediis balsamum naturalem confortantibus s. sale volat. & 🜍oso præditis*, qualia sunt *vulneraria, Myrrha, viperina, ☿nial.* & simil. *Externa* verò *ab injuria* l. *aëris impressione* illatos defectus succi nutritivi, chirurgus *remediis externis* emendare debet. Hujusmodi defectus à Medico & Chirurgo emendandi sunt aliud nihil, quàm *balsami naturalis* partis vulneratæ & *sanguinis* in labiis vulnerum hærentis *corruptio & putredinalis alteratio*, quam infert *alteratio & impreßio aëris externi.* Hujus corruptionis comes est *acor vitiosus & peregrinus*, qui labia vulneris inquinat, nutrimentum balsamicum & sanguinem affluentem inficit, corrumpit & in pus mutat, nisi violentior majorque *aciditas* loco puris Ichorem aut saniem manare cogat. Verùm si *recens vulnus*, apto balsamo à corruptione defendatur, & sine sanie conglutinabitur. Patet hoc, quia carnes & juscula carnea, quando in culina corrumpi incipiunt, acescunt; Item propter tale *acidum* in vulnere enatum, vulnus abit in *ulcus*, ex acore magis rosivo, depascente partes vicinas. Hinc etiam *vini usus* interdicendus est vulneratis, ne pervertat vulnus; quæ tamen aciditas si correcta fuerit ab alcali *lapid. 69.* salutare est vulnerum remedium, quod etiam in aliis remediis vulnerariis est obvium, quorum vis balsamica in alcalina natura fundatur; Sicut ulcera ex vulneribus curat ♄*nus*, quatenus hujus attactu acria omnia acida in dulcedinem ꝏosam transmutantur. *Acorem* hunc *à corruptione sanguinis* oriri dictum, quæ oritur ab aëre externo ambiente, & aliis causis externis, quare etiam chirurgi halitum à vulneribus vitandum

 suadent.

ſuadent. *Acor* autem ſemper eſt intenſior *in partibus nerveis*, mitior *in ſanguineis* : Sanguis etiam effuſus extra labia vulneris aceſcit,& grumoſus hæret, & corrumpitur. Acor hic omnium ferè ſymptomatum vulnerum curationem & conſolidationem remorantium ſolet eſſe Autor ; nam ſanguinem & ſuccum nutritivum fermentando *calorem* & *roborẽ*, ſtagnando *inflammationem* & *tumorẽ*,rodendo *ulcus* generat; cum Sale volatil.atramentario fermentatione concurrens *pus* conſtituit. Hæc aciditas in vulnere *nunc* ſimplex eſt corruptio, tantùm per fermentationem, *nunc* combinata cum aliis extraneis qualitatibus, aut *à cauſa lædente*,aut *ab aëre ambiente*, aut *ſanguine*, aut *humoribus affluentibus* oriunda : Ratione *cauſæ lædentis*, ſi fuerit l. *ſimplex* l. *maligna*; quò pertinet omnium *animalium morſus*, qui ſemper habet certum quoddam virus. Et *obſervandum eſt*, an lædatur pars *ſectione* aut *punctione*, an ſimul *contuſione*, ut in *ſclopetorum* vulneribus fieri ſolet. Ratione *aëris ambientis* variat *acidum* in vulneribus, ratione aëris, variantis climatum ratione : Hinc in uno loco faciliùs curantur vulnera quàm in alio : Hinc Bononiæ facilius curantur vulnera capitis, quàm Romæ vulnera cruris. Item variat, ſi aër ſit temperatus, inquinatus &c. Quò faciunt *radii* ☽*ares* vulnus deterius reddentes. Denique ratione *ſucci nutritivi* & *ſanguinis affluentis* deterioratur vulnus,ſi magis l. minus à naturali ſtatu degeneret ; v. g. ſi ſanguis *veneno Venereo* l. *cruditate cachecticâ* inquinatus fuerit, ſi Menſibus ſuppreſſis repletus fuerit : Hæ enim circumſtantiæ acorem pejorem reddendo variorum ſymptomatum autores ſunt. Hanc ergo balſami nutritivi & quaſi glutinoſi vulnerum naturalis *corruptionem acidam impedire* & jam *factam tollere*, & *balſamum naturalem amicum conſervare* debet Chirurgus per *medicamenta balſamica*, quæ debent eſſe *ſalia volatilia oleoſa*, temperata ; talia enim & acidum corrigunt, & naturalem balſamum conſervant, & ulteriorem corruptionem præſervando ſanationem vulnerum promovent : Talia ſunt *balſam.Peruvian. oleum hyperic. oleum terebinth. balſam.* ♀. & ſimil. pauca ſufficiunt : Compoſitionum enim multitudo oſtendit ingredientium ignorantiam. *Salia* ergò *volatil. temperata* debent applicari, non exceſſiva aut acria, non acida acria, non urinoſa acria. Iſta enim malum augent, cùm partibus ſint inimica. Hinc & olea externâ *expreſſione* ſolùm *facta*, non tantùm ob unctuoſitatem ſunt inimica vulneribus, ſed in ſpecie, quia in ſe habent *acidum* ſatis potens, quod corruptionem balſami naturalis auget,& vulnus pejus reddit. *Obſervand.* tamen etiam eſt, ne applicentur *acria volatilia*, *detergentia* aut *mundificantia* dicta. Hæc enim conveniunt ſaltem *ulceribus*,non vulneribus, quia vulnus diu apertum retinent. Talia etiam colliquefaciunt & conſumunt funditùs nutrimentum partis balſamicum [2.] acrimoniâ ſuâ fluxum, dolores & alia inferunt. Ulceribus ergò conferunt, ubi potentius acidum corru-

corruptivum acria detergentia postulat. *Temperata* ergò *alcalina oleosa* sunt applicanda vulneribus, iisque tam partium nervosarum, quàm sanguinearum: Licèt enim partes nerveæ balsamica requirant paulò fortia, dum in partibus nervosis semper deprehenditur acor magis intensus, subtilior & penetrantior, quàm in sanguineis; major enim sordium copia in vulneribus partium nervearum solet observari. Nimis tamen acria sunt vitanda, propter irritationem & dolorem: *Temperata* ergò *acriuscula* & *amaricantia* conducunt. His ipsis tamen simul interna vulneraria per os administranda sunt, quæ alcali occulto temperato constant, & acida quæcunque aut in stomacho & inprimis viis, aut in ipso vulnere enata mitigant & corrigunt. Observavit enim *Felix Würtz*, quòd si Chirurgi simul exhibeant vulneraria internè, non opus sit tantâ copiâ balsamorum externorum. Talia interna *potiones vulnerarias* constituentia sunt *plantæ vulnerariæ*, ut *heder. terrestr. alchymill. hyperic. cherefol.*&c. quibus *album græcum* meritò annumerandum est: *Oculi cancr.* imò *Cancer* totus est Chirurgorum Patronus, & vulnerum egregia medicina. Hæc prædicta ostendunt, non esse imitandam vulgarem Chirurgorum consuetudinem, qui vulneribus etiam recentibus imponunt primò *digestiva*, seu *suppurantia*, tunc genitum pus *mundificantia*, & tertiò *sarcotica* & *glutinantia*: Hæc methodus est frustranea, imprimis in vulneribus recentibus, curam in longum protrahens, ut interdum plaga levis degeneret in ulcus sordidum. Ubi oppressa est hæmorrhagia, & nihil extranei in vulnera transierit, quod eximendum sit, nulla conjuncta sit contusio, l. in quibus necessariò expectanda sit suppuratio, optimè talibus vulneribus recentibus applicantur *balsami vulnerarii*, qui cum pauco aut nullo puris proventu vulnus conglutinant, nisi aliquid de parte ablatum sit; modò *moderate adstringentia* & *sordes absorbentia*, vulgò *sarcotica* admota fuerint. Interim tamen necesse est, ut, neglectis *balsamicis*, applicentur *digestiva*, Methodo vulgari, nempe eo in casu, ubi vulnus studiò apertum servandum est ad tempus, v.g. in *vulneribus capitis*; &, ubi conjuncta est cum vulneribus contusio, ut in *sclopetorum vulneribus*, aut vulnera degenerare incipiunt in ulcera, aut nimis ab aëre alterata fuerunt, ita ut talibus noxiis corrigendis balsamica sola non sufficiant, aut si quid heterogeneum hæreat in vulneribus, quod eximendum aut suppurandum est: In tali casu necesse est, ut secundùm Methodum communem prius *digestiva* applicentur,

& hinc

& hinc post *suppurationem mundificantia*, & tandem *sarcotica*. Nam ista *digestiva* illud, quod contusum, aut extravasatum, aut corruptum est, successive transmutant in pus, ut facilior superveniat sanatio.

Digestiva hæc constant ex *terebinthina* & *vitello ovi* tanquam basi, quibus tantillum *Myrrhæ* l. *balsam. Peruvian.* & simil. addendum est; aliàs partes nerveæ facilè putrescerent. Si per digestiva pus laudabile effluit, vulnus tanquam benignum tractandum erit. Ex his patet, omnia *balsamica* vulneribus recentibus dicata, ut *mundificantia* & *digestiva* cognatæ esse naturæ inter se, quatenus alcali constant, & acidum destruunt vulnerum & ulcerum, si nempe temperata sunt balsamica: Si non sunt temperata, sed acriora, digerentia sunt, & *mundificativa* ulcerum: si verò nimis sunt oleosa temperata, sunt *digestiva* seu *pus promoventia*. Unde unum idemque horum medicamentorum pro ratione subjecti, nunc mundificativi, nunc digestivi, nunc consolidativi nomen habet, v.g. *Terebinthina*. Hisce tamen alia salia subinde addenda erunt, quæ absorbendo acida vitiosa privata vulnerum & ulcerum conducunt, ut *terra vitriol. dulcis*, remed. ♄*nina*, item quæ ex ♀*re* adhibentur ad curam vulnerum. Naturæ ergò conatui succurrat Chirurgus per modo dicta remedia, necessariò tamen etiam mechanicè succurrat naturæ; nempe conjungat vulnerum labia, & non removeat tantùm heterogenea ex vulnere, sed etiam conjungat vulneris labia, ut interveniente naturali balsamo propiùs cohæreant, quò facit nunc *fasciatio* carnium labia vulneris ad se adducentium, nunc *suturarum applicatio*: scil. res extraneæ sunt *grumi sanguinis*, &c. qui tamen non penitus removendi sunt, sed crusta sanguinis grumosi circa labia vulneris relinquenda est, hæc enim defendit labia vulneris ab impressione aëris externi, defendit item balsamum nativum, quò minus alteretur; item promovet suppurationem. Reliquæ verò res v.g. *frustula vitri*, *festucæ*, *ossium frustula*, *surculi lignorum & simil.* extrahenda sunt l. instrumentis variis, rostro corvino, gruino, ciconiæ, & simil. l. ead. obscurè & profundè situata mediantibus quibusdam attrahentibus foràs elicienda. Talia, præter interna vulneraria, in specie sunt dicta *herb. sabinæ*, *vinc. pervinc.* laudatur das Schuster-Pech loco Emplastr. applicat.

℞. fermenti, mellis opt. ana ℔ ß.
visc. quern. q. s. M. Redige in formam Emplastr.

Pinguedo leporina optima est pro extrahendis rebus alienis ex vulneribus. Item ℞ *unguent. betonicæ*, & misce cum ana l. duplo *axung. leporinæ*. applica vulneri. *Dictamnus Creticus* c. *pinguedine leporina* etiam applicat. l. ex *gummi Arab.* & *pingued. leporin.* & res alienas prodire juvant.

℞ Ocul. ♋. viv.
pingued. leporin. ana ℥ß.
succin. alb. ℥iij. M.

applica

applica ad extrahendas res alienas. Juxta hæc convenit *lingua vulpis*: Evellitur nempe menſe ♂*tio*, ex vulpe violenter mortua, exſiccatur & uſurpatur ſuo tempore, in vino ſcil. macerata vulneribus applicatur. Compoſita quibus placent.

℞ Ceræ alb. ℔.i. coloph. theriac. ana ℥vj. liqueſcant ſuper △. add. gummi ammon. ℥i. bdellii ℥ii. add. axung. lepor. & aprugn an. q. ſ. f. Empl.

Juxta hanc extractionem etiam *faſciis* ſuccurrat Chirurgus: *Faſciarum* variæ ſunt ſpecies in vulneribus: In uſu eſt *faſcia incarnativa*, quæ fit cum faſcia in duplum complicatâ, applicando medium ejus in membro læſo, in parte plagæ oppoſita circumvolvendo per crucem ſupra repet; aliquoties, & talis faſcia ſola ſufficit *in vulneribus* aut *non adeò gravibus*, l. quæ *ſecundùm longitudinem membri l. fibrarum ductum* inflicta ſunt: *In vulneribus* verò *gravibus*, quando partes abſciſſæ ſunt, quę tamen adhuc pendent; aut quando in articulis graviores inflictæ ſunt plagæ; aut quando ampla vulnera per transverſum fibrarum muſculi l. membri ſunt inflicta; aut quando fruſta integra carnoſa ſunt deciſa: In talibus faſciatio ſola non ſufficit: Sed neceſſe eſt, ut adducantur labia vulneris, & inſtituatur *ſutura*. *Suturæ* autem fiunt nunc per *acus* & *fila*, nunc mediante *glutine* utrinque vulneri appoſito: Illud convenit etiam ſubjectis durioribus & fortioribus, in partibus à viſu remotis minus ſenſibilibus, hoc eſt, uſum habet in partibus contrariis. *Modus per gluten* eſt hic: Applicentur utrinque labiis vulneris lintea ſuis anſulis ſeu filamentis inſtructa, ut horum medio adducantur vulneris labia, & linteum ſit illitum ſequenti:

℞ Gummi Tragac. Arab. maſtich. thur. Sarcocoll. ana ℥i.

Pulveriſata ſubige probè cum album. ovi, optimè cum ſpatul. agitando, donec in ſpumam & liquorem redacta ſint; quo medio adducantur labia vulneris: Interim utrinque *ſutura* diverſimodè inſtituitur pro ratione partis vulneratæ; interim non applicetur ſutura quæcunque, niſi neceſſitas urgeat: (2.) ne nimis arctè adducantur labia vulneris, quia non nihil intumeſcunt: (3.) ne nimis prope ad ſe invicem ſint, ne balſami ingreſſus & puris egreſſus impediatur. (4.) ne in ſuturis cum acu nervus lædatur; aliàs enim plus lædunt quàm proſunt. Jam ut *ſuturæ* inſigniter conveniunt *in vulneribus* gravioribus *cæſim* inflictis; ita *in vulneribus* levioribus *punctim* inflictis, uſus *turundarum* eſt egregius, qui tamen nec in *abſceſſibus*, nec vulneribus *ſinuoſis*, nec in *fiſtuloſis* ſuâ laude defraudandus eſt: nempe applicantur, ut vulnus maneat apertum, &, fundo purificato, caro accreſcat. Aliàs cùm citiùs in ſuperficie coaleſcat vulnus, in profundo verò ſordes remaneant, neceſſario aut abſceſſuum recidiva, aut fiſtulæ, aut ſinus profundi ſupervenire ſolent: Ipſæ enim *turundæ* ritè fabricatæ unguentoq; convenienti illitę vehiculum ſunt, ut ubiq; unguentum aptius diſtribuatur, & ad vulneris profundum perveniat. *Parantur* autem ex lino contorto & linteo ſemiconvoluto, & filo alligato in forma pyramidali, ut baſis diviſa in 4. lacinias impediat, ne nimis profundè intrudatur in vulnus, aliàs enim eſſet doloroſum. Idq; obſervandum eſt, ſi

est, si partes nerveæ aut in vicinia, aut infundo vulneris fuerint; à turundarum enim contactu nimis dolent, & ad convulsiones ægros disponunt. Ne autem nimis fiant crassæ, in apice sint teneræ, in medio nonnihil crassę; Ad hæc turundæ non nimis frequenter, aut ubi minùs necessarium est, applicentur. Sufficit, per turundam vulnus in quod. loco servare apertum, ut l. sanies, l. simil. possit excerni: Sed si his ipsis, licet optimè servatis, coëat vulnus, tamen inæqualitas, asperitas & durities in loco consolidato remanet, & cicatricem relinquere solet: Nam, dum balsamus nutritivus successivè unit labia, fibræ etiam separatæ vix uniri solent, quia pori & meatus situ in æquali juxta se positi pervertuntur, & faciunt, ut fibræ minùs aptâ serie collocatæ per sistant; unde succus nutritivus, istis locis detentus & implicitus, facit, ut cicatrix relinquatur, & eò magis, quò magis adstringentia & exsiccãtia applicata fuerint, quæ poros angustando fibrasq; minùs tractabiles reddendo insigni cicatrici occasionem præbent, & eò magis, quò asperior minusq; roridus fuerit balsamus nutritivus. Hinc in adultis majores cicatrices, quàm in junioribus solent relinqui. *Remedia* porrò consideranda sunt: In genere *glutinantia* applicantur, quæ partes molles naturaliter unitas d. p. n. divisas denuò conjungere valent: Pertinent huc *vulneraria* & *balsamica sarcotisantia* & *cicatrisantia.* Natura equidem simpliciter conglutinatione, interpositione sui balsami, partes aut unit aut imminutas restituit, modò non impediatur naturalis balsamus à corruptione aut alteratione. *Balsamum ergò naturalem conservant* quæ ⊖. *volatili alcalino* constant, nempe *vulneraria*, quæ adjunctam habent *moderatam adstrictionem.* Prout ergò naturalis balsamus corruptionem quandam suscepit, etiam eligenda sunt remedia, quorum sal alcali oleosum nunc magis nunc minùs erit acre: nunc addenda sunt *temperatis metallica*, imprimis ♄ *nina* acidum omne *absorbentia*: dum vero semper c. succo partis nutritivo tenuis quidam & serosus humor in partem læsam transsudat, qui aut impedit partium mistionem aut alimenti assimilationem, aut nimis humectando partem laxam, flaccidam & mollem reddit, & sic carnis excrescentiis variis occasionem suggerit; addenda sunt interdum l. *exsiccantia* l. *adstringentia moderata*, quæ laxitatem corrigant & debitam consistentiam carni tribuant, quod observ. est, ubi simul l. caro, l. cutis, l. alia substantia ablata regenerari debet; ubi hæc remedia l. augenda l. minuenda sunt: Nam, si sunt *moderata*, dicuntur *sarcotica*, si *fortiora*, *epulotica*, quorum in simplici vulnere non tanta eminet necessitas, atque in ulcere partis. Remedia ergo sunt multifaria v. g. Herbæ & fol. *sanicul. pyrolæ, herniariæ, plantag. hyperic. scabios. centaur. min. Millefol. betonic. nicotian. vinc. pervinc. veronic. rad. aristol. utraque, tormentill. symphyti major. flor. sigilli Salom. fruct. momord.* NM. *Gallæ, gummi sarcocoll. sanguis Dracon. Tragac. Tacamahac. olibanum. bdellium, resina pini, Myrrh. pix, terebinth. Mastix*: Ex succis *hypocist. acacia ver. aloë*: Ex animal. *mumia, lumbrici terr. cerumen aurium, mell. c. c. ustum, oss. sepiæ, Cancri* & omnia ex 69. desumta, *usnea cranii humani*, *Telæ aranearum.* Ex mineral. *lithargyrium*, ♄. *calcinat. cerussa, minium, succinum, bolus*

Armen.

*Armen. terra ſigill. creta, lac ☽æ, gypſum, 🜍. calx viva lota, crocus ♂. ſpir. vini, ol. momor-
dic. ol. hyperic. ol. nuciſt. expr. ol. nicotian. ol. lumbricorum theriaca, balſamus Peruvia-
nus, balſamus ſulph. balſaminæ, unguentum de betonica, de pompholyg. de nicotiana, de ce-
ruſſa, ungv. fuſcum Würtz. de tutia, de minio, emplaſtr. dia ſulphur. Rulandi, Emplaſtr.
ſtictic. Crollii, Empl. de betonica, de gratia Dei, &c.* uſus horum eſt multiplex: uſur-
pantur n. l. *internè, in potionibus vulnerar.* l. *externè, in injectionibus*, tanquam *olea,
balſ. unguent.* cum turund. aut filamentis ſiccis, it. tanquam *Emplaſtr.* v. g. ſic præ-
ſcrib. *potio vulnerar.*

℞. 69. fluviatilium numero XII. rad. ſymphyti major. ℥i. fol. alchymill.
heder. terreſtr. ſummit. hyperic. aa. mj. conciſ. & contuſ. coque &
bull. in ſ. q. ▽. & vini, Colatur. ℞. q. pl. decocto adde Syrupp. de capill. ♀.
de heder. terreſtr. aa. q. ſ.
Si ſitis urgeat, addendum parùm de *Syrupo è ſucco citri, &c.* detur. S. Wund-Tranck
in utroque hauſtu aliquot. gutt. *balſ. ſulph. terebinth.* l. in nervorum affectibus, *ſuc-
cinati* aſſumi poſſunt. In forma ſicca.

℞. Mumiæ patibul. ʒß. Spermat. Cet. ʒii. ocul. 69. ʒiii. Rhabarbar. e-
lect. ʒi. Cinamom. ʒß. M. F. pulv. doſ. ʒi.

Si ordinanda ſit *injectio* in profunda vulnera, ſinuoſa, carnoſa &c.

℞. herb. veron. pyrol. ſanic. conſolid. Saracen. fol. nicot. aa. mij. albi græci
ʒiij. coque in ſimpl. ▽. Colat.
℞. q. ſ. adde l. *ſpir. vini* l. *mellis* pro lubitu M. S. Waſſer zum einſprengen. *Oleoſa* &
balſam. vulnerar. utut ſimplicia, ſunt optima, v. g. ſufficiat *balſam. Peruv.* l. *Tolutan.*
it. *balſ. ſulphur. c. ol. hyperic.* quibus tamen placent *compoſita:*

℞. ol. hyperic. Momordic. aa. ʒii. balſam. 🜍. ʒiß. Gummi Elemi. q. ſ. pro
conſiſtent. balſam. liquidi. M. blando calore, aſſerv. uſui, inſtilletur
vulneri. Vel ℞. 🜍. ℥j. bull. in ſ. q. *ol. hyperici expreſſ.* ex ſeminibus v. g. ℔j. ad ſolut.
ſulphur. adde Gummi Elemi, Tacamah. terebinth. aa. ℥iß. Thuris & Myrrh.
aa. ʒiij. M. prodigeſtivo & aſſerv. pro uſu. Vel

℞. Terebinth. Venet. reſin. abiet. pellucid. aa. ℥iij. Gummi Elemi, Thuris
aa. ℥iß. Myrrh. Maſtich. benzoës, aloës hepat. aa. ʒß. ſpir. vini ℥iv.
ſubigantur & deſtill. l. a. per retortam & f. balſ. ſeparand. à phlegm. &
magmate, temperando l. c. *peruv. balſ.* l. c. ol. hyperic. expr. nam ſtatim fiunt acria;
unde ſunt temperanda, magisque conveniunt in vulneribus partium ſanguinea-
rum quàm nervearum. Si *unguentum* expetatur:

℞. Summitat. hyperic. flor. Centaur. minor. veronic. ſanicul. aa. ℥j. conci-
ſa & contuſa infunde in ſ. q. *olei olivarum puri* & *butyri non ſaliti* v. g.
aa. ℥iv. digere in MB. per octiduum, tandem ad △. in ſpiſſ. poſt ex-
prime, expreſſo adde terebinthinæ ℥ij. balſami Peruv. ʒiij. Maſtich.
Myrrh. olibani, flor. ſulphur. aa. ʒvi. M. ad conſiſtentiam *unguenti.*
Vulnerarium ſi poſtulatur *Emplaſtrum:*

℞. rad. aristol. O. consolid. maj. aa. ℥ß. mumiæ Mastich. aloës Coloph. tut. præparat. litharg. aa. ʒii. Gumm. Elemy ℥ij.

Terebinth. q. s. cum pauca cera m. f. Emplastr. Induc. super linteum, prius cum *balsamo Peruv.* leniter irroratum. Cæterum in selectu remediorum internorum & externorum non nihil adhibendum est diligentiæ, cum *interna præstent*, & *simplicia* sint *optima*: unde externè pauca quædam *vulneraria* supradicta, it. ♋. & ☿ *diaphoret.* sufficiunt; interdum tamen ♎. l. *liquor c. c. succin.* in partium nervosarum læsione usurpatur.

Internè in æstu aut phlogosi febrili ⊕. ☿ *niat.* imprimis sub largiori usu concedendum est, quibus semper *ocul. 69.* esusque *cancror. fluviat.* addenda runt. Qui volunt habere paucas compositiones remediorum vulnerar. adeant *Poter. pharmacop.* Qui autem volunt habere selectum compositionum vulnerariar. adeant *Felic.* Wurtz. Par ratio est & *balsamor.* & *ungent. vulnerar.* Simpliciora & selectiora sunt optima. *Balf. e. q.* ♀ *ris*, *balsam. Peruvian.* & *Tolutan.* sunt optima, l. *ol. hyperic. expr. ex semin.* cui *proprii flores* infusi sunt, est egregium. It. *cerumina aurium c. oleo. Iugland.* expr. cocta & inspissata dant balsamum ad vulnera egregium; imprimis nervorum, nulli æquiparandum; sic *liquor follic. ulmi* solus instillatus in vulneribus, & imprimis *oculorum* sufficit. Qui verò volunt habere plura *balf. vulner.* vid. *Heinr. ab Heer. obs. X.* de herb. Hyperic. *Zwelffer. in Pharmac. Regia*, *Agricol.* in *Chirurg. parv. p. 245.* Pro prompta & tuta cura ℞. spir. vini non adeo dephlegmat: & applicetur cum linteis vulneri. It. injiciatur in *fistulas* per siphonem, l. ℞. spir. vini & elue vulnus, cui eluto *pulv. aloës hepat.* cum gossypio *ol. hyperic.* impregnat. impone vulneri, super-ponatur *Emplastrum Rulandi. It.*

℞. benzoës ℥i. ▽. vitæ ℥iß. Mastich. ʒj. balsam. nigri. ℥ß.

Misc. in formam *linimenti*; consolidat & cicatrizat quæcunque vulnera recent. simplicia. Pergendum in specie, & quidem, quæ dicta sunt, facillimè applicari possunt vulneribus partium *sanguinearum* & *nervearum*: observ. autem, quòd harum vulnera præ reliquis sint *periculosa*, propter periculosa symptomata, in specie *Erysipelas*, *gangranam*, *convulsiones*, *lipothym. fluxum sanguin.* & simil. In his *vitanda sunt* studiosissimè quæcunque *oleosa*, *unctuosa*, aut *pinguia*. Vulnera ***partium nervosarum*** *punctum læsar.* sunt *periculosissima*, ut etiam *punctum insectorum* adeò sit periculosum, qui ut plur. læditur *nervus* aut *tendo*. In tali casu, in nervo punctim læso, quod etiam locum habet in inepta V. S. quando tendo pertunditur, nil melius est, quàm immittere, instillare aut illinire *ol. destillat. terebinth.* vid. *Sylv. in prax. p. 242. & 248.* loco ejus etiam *ol. ceræ* adhiberi potest vulneribus.

℞. ol. destil. terebinth. ℥i. spir. vini ℥i. Camphoræ ʒß. M. instilla vulneri aut ulcusculo, in quo nervus punctim læsus fuit; experimentum est *Paræi l. 9. cap. 38.* vel imponatur hoc *emplastrum*:

℞. Euphorb. optim. ℈i. resin. terebinth. ℥ß. Ceræ parum, M. extend. super linteum,

linteum. & applica per quam calidè. Ulterius *aurium cerumina* ad nervos punctim læsos sunt summum remedium, commendat. ab *Helmont*. His addi potest *balsamus Peruvianus, ol. destill. lavendul. lauri, Philosoph*. It. egregia est mixtura:

℞. unguent. dialth. ℥iv. ol. lauri destillat. ℨiß. destillat. succin. ℨß. M.

Inunge locum, ubi nervus est punctim læsus.

Si verò *nervus pertransversum læsus sit*, l. *tendo* l. *ligamentum*, inter remedia usita-
ta semper simul dicta *balsama vulneraria* acuenda sunt cum aliqt gt. *olei destillat.*
præ cæter. *ol. terebinth. salviæ, succini*, conveniunt. Hinc ad nervos penitùs incisos
denuò consolidandos laudatur seq. ℞. *lumbricor. terrestr.* q. s. exsicca blandè &
pulvisa, vel pulvisatos *lumbricos latos contritos* M. cum *terebinthina*, quô 20. (viginti)
horas supra vulnus positô istud sanatur, l. sine Terebinthina pulvis inspergatur ve-
nis l. tendinibus dissectis. Vel ℞. ol. hyperici ℔j. terebinth. ℔j. vermium ter-
restrium ℥iii. M. fiat linim. applic. nervis, tendinibus, autem simul partibus dis-
sectis. Nobile est remedium *Cnœffelii*, aliàs usitatum ad nervos punctim incisos:
℞. *Exuvias serpentum*, quas sponte deponunt, & cum *ocul. 69*. pulvisat. insperge. Ta-
lia si hic non sufficiant, ad *suturas* veniendum, in specie in *tendinibus*; Equidem pe-
riculosum videtur consuere tendines, propter convulsiones, nihilominus tamen
fieri posse asserit *Vesling. in Observ. p. 90. & 91.* Et ipse observavi Parisiis, ubi qui-
dam juvenis erat vulneratus transversim per carpum, & discissi omnes tendines,
cùm verò remedia irrita essent, chirurgus acu latâ, tenui tamen tam artificiosè fi-
bras tendinum insertas dictis tendinibus consuit, & appropriatum balsamum illi-
nivit, ut idem sanatus fuerit. Hoc tamen supervenit incommodi, ut toties, quoties
mutatio tempestatis instaret, in loco sanato perciperet dolores podagricos. Ultra
nervos subeunt considerationem *vulnera cum contusione facta*, omnium
pessima: In hisce istud quod contusum est, facilè mortificatur, putrescit & con-
solidationem vulneris impedit. In hoc casu istud, quod contusum est & mortifica-
tum, separetur & per turundas foràs excernatur. Equidem *quæritur*, an suppuratio
expectanda sit, & sanguis extrahendus secundum *Würtz*: quando sanguis tardi-
us in pus mutatus in gangrænam abit? ℞. cum distinctione: Contusio cum vul-
nere l. est levior, ut spes sit per suppurationem eam posse curari pedetentim: in
tali casu sufficiunt *digestiva & suppurantia*; si v. c. vulnere graviori conjuncta sit
contusio, & metus sit, ne gangræna superveniat ante suppurationem abscessus,
præter vulneraria mox *scarificando* aut *incidendo* contusionis locus aperiendus
erit, & sanguinis exitus promovendus: hinc *digestivis*, quod reliquum est, sub for-
ma puris promovendum; digestivis tamen aliquid de *unguento Ægyptiaco* adden-
dum est, ut præcaveatur Gangræna. Cum his etiam applic. *externa*, in specie in
principio morbi corruptionem ulterius præcaventia: Eminet *ol. Ceræ*, illitum, de-
super imposito *Emplastro de cumino*, s. illin. *ol. philos.* imposito *Emplastr. de baccis
lauri*, vel ℞. rad. consolid. maj. & min. chamomill. melilot. aa. ℥i. croci ℈i.
farin. fabar. fænu græc. aa. ℥iß. coque ex ▽. & in specie primò radicc. add. *absinth.*

pulv. cumini ana ℥ß. M. applica externè. Hisce sedatâ maximam partem contusione, præ reliquis remediis convenit illitus ♌ *ci* cum calce viva destill. Pertinent huc SCLOPETORUM VULNERA, quæ propter istam contusionem sunt adeò periculosa; cùm in omni sclopetorum vulnere semper insignis contusio & partium dilaceratio conjuncta sit. *Quæstio est*, an etiam *ardor* adsit? vix probabile est quòd calor cum globo communicetur parti, nisi propiùs fuerit læsus patiens. In tali casu, ut curentur sclopetorum vulnera, præter *internas potiones vulnerarias* hîc imprimis proficuas convenit ⊕. internè, quod egregium est. Externè id quod contusum est, in pus maturandum: Hinc factus *abscessus mundificandus*, *incarnandus* & *curandus*, modò priùs *extranea* ex vulnere extracta sint; Globi enim semper extrahi possunt, & in tuto remanere poterunt. Jam ergò pari scopo *suppurationis substantiæ contusæ* optimum est, ut applicentur *digestiva*, quibus semper add. *spir. vini*, item *balsam. Peruvian.* Ut hæc ipsa digestiva nervosis partibus minus noceant, vel insuper *balsam. Paræi*, quod describitur à *Sennerto* & *Barbett.* adhibendum, nempe fit ex *ol. lilior.* & *violar.* in quo *catelli* ebullierint, addit. *lumbric. terrestr.* cum turundis, quæ semper illin. *spir. vini*, & quidem applicantur turundæ, ut utrinq; puri pateat exitus, interim rarò ante 3. l. 4. diem ad suppurationem perveniunt. Quando ergò vulnus ad suppurationem est perductum, applicantur *mundificantia* pro purulentiis abstergendis & ulceribus detergendis. Eminet imprimis *mundificativum Vigierii*, quod seq.

℞ Terebinth. ℥v. ol. rosar. ℥i. mel rosar. ℥iii. myrrh. aloës, mastich. aristol. rot. ana ℥iß. farin. hord. ℥vj. M. pro unguent.

Si verò in hoc vulnere ex contusione putrefactio & corruptio fit insigniter, in specie in loco non nimis nervoso, dictis additur comodè parùm de *Merc. præcip.* qui nimiam putredinem arcet, in locis non nimis nervinis. Si in principio *empyreuma* adsit, nil melius est *cremore calcis vivæ* cum *melle mixt.* ad imitation. *Agricol. in chirurg. parv.* Si de dolore ossium, in sclopetorum vulneribus malè solidatis æger conqueratur, optimum est *ol. tereb.* illitum extrinsecus; sic lenit partem consolidatam, & promovet etiam fissuram ossium, ut coëant, vel si officulum est abscessurum, hujus separationem promovet. Inter DIFFERENTIAS VULNERUM est, quãdo vulnꝰ quoddã dicitur *penetrans*, aliud *non*; quod fit ratione instrumentorũ: Siquidem interdum, præter læsionem simplicem, ipsa causa lædens *malignitate venenatâ* tincta est. *Morsu animalium* inflicta vulnera patent, semper enim suspicio est, in omni animalium morsu latere venenum, sed si *globi* aut alia *instrumenta* sint *venenata*, à priori cognosci nequeunt; patet verò ex symptomatibus, gangræna &c. quibus, si accedunt *angustiæ præcordiorum*, *sudores glutinosi*, *syncopæ* &c. magis confirmant. Si ergò *animalia venenata* morsu vel puncturâ læserint, observetur diversitas animalium lædentium, ut læsus locus nunc *scarificatione*, nunc *sine scarificatione* appropriatis curetur. *Scarificandus* est, quando vulnus profundius, ac metus est, ne venenum, quod penitius immissum est, mediante sanguine

ad cor deferatur; aut *sine scarificatione*, ubi minùs virulentiæ communicatum fuerit. Sic in *vesparum puncturis* sufficit *oleum N. M.* Et *empl. de ranis* cum ♀rio. In *viperarum* & *serpentum morsu* optimum est, ut *bufo* vivus contusus applicetur, l. accipiatur aridus vino maceratus, & imponatur, aut *ferramentum candens* propiùs admoveatur parti læsæ, citra ambustionem tamen. In *canum rabidorum morsibus* optimum est *Empl. Magnet. Angeli Salæ* cum *pulv. 69. fluviatil.* mixtū; vel loco scarificato applicatur *cepa*, cum aliquot *capitibus allii* & *theriaca*: Elicito sic veneno l. sponte l. *leni digestivo*, si in morsu *contusio* quædam facta sit, vulnus sanandum est; cui digestivo semper aliquid *ung. Ægyptiaci* vel *communis*, l. ab *Hildano correcti* addendum erit. Si verò *venenatis armis* inflictum sit vulnus, ut eliciatur virulentia, opera danda est: Quapropter applicetur *Empl. ex cepis* cum *theriaca*, *sterc. caprar.* & *ol. N. M.* l. *Empl. Magn. Angel. Salæ*, Cujus descriptio passim obvia. His subjiciuntur *interna sudorifera alexipharmaca*, qualia sunt nota, in specie *acet. destill.* cum *theriaca* aut *diascord. Fracast. tinctura bezoard. antimonialia fixa* cum *nitro præparat.* Extracto veneno ex vulnere vulnus ad sui consolidationem perducendum est. §. Circa vulnera subinde urgent quædam SYMPTOMATA, quæ specialem merentur considerationem. Hæc inter 1. est HÆMORRHAGIA VULNERUM, quando vasa majora fuerint læsa, adeoque primum quod urget Chirurgum, est, ut hæmorrhagia nimia sedetur. De remediis *internis* pauca monenda sunt, quia hoc loco non adeò conveniunt: Interim tamen quia observatur quotidie, quòd l. iracundia ægri, vel ebrietas, l. incalescentia à vino, &c. agitent M.S. & hæmorrhagiam atrociorem reddant, hinc *nitro* & *nitratis* succurrendum est hæmorrhagiis nimiis: Usurpentur nempe ⊙ ☿*iat. mixturæ acidulæ* cum *tinct. antiphthis. s.* ♄*ni comp. tinct.* ♂. *adstringens*, aut *tinct. sulph. vitriol.* &c. potiùs locum *externa* habent, inter quæ eminet *crepitus lupi*, in specie, si sic probè exsiccatus & compressus fuerit, ut applicatus vulneri ex sanguine eò magis turgescat, & turgescendo orificia vasorum læsa obturet. Si hic solus non suffecerit, immerg. solutioni *vitrioli martis*, cui add. dimid. O solut. in decocto quodam vegetabili blando & adstringente, quæ frigida cum *bombace* l. *stuppis cannabis* applicentur vulneri, sic cessat omnis fluxus. Vel, si *vulnera* fiant *profunda*, conveniens est, ut immittatur pulvis ex *lunæ lacte*, *bolo armeno* & *capit. mort. vitrioli*, probè eloto, isti nempe pulveres optimi sunt, in sistenda nimia hæmorrhagia; Item *terra vitriol. dulcis* modò laudata, cum albumine ovi subacta & applicata vulneri, est egregia; nunc sola sufficit, nunc additur parùm de *terrâ sigill.* quæ excipitur cum albumine ovi, & applicatur, fortiter vulneri imprimendo, & vasis apertis. *Fuligo furni* cum albumine ovi subacta & applicata vulneri sistit hæmorrhagiam: *pulv. Galeni* ex *aloë*, *thure*, *album. ovi* & simil. notus est. Item *usnea cranii humani* nobilis est, immissa vulneri: *stercus asininum* recens aut *succus expressus* immissus, aut cum sanguine effluente exsiccato permixtus & vulneri immissus sistit hæmorrhagiam; ut & linteum *One* & *spermate ranarum* probè imprægnatum,

prægnatum, exsiccatum, & iterum imprægnatum atque applicatum vulneri. Denique unum ex *fortißimis* est, si

℞. Croc. ♂. ℥i. terræ vitrioli dulc. ℥ß. acet. destill. vini fortiss. ℥j.

His madefiant vel lintea, l. stuppa madefacta: pulv. terrestr. inspergantur & applicentur. Juxta *hæmorrhagiam vulnerum* alia quoque *symptomata* consideranda sunt. Quæ sunt l. *generalia* l. *specialia*. *Illa* sunt, quæ vulneribus quibuscunque solent evenire: *Hæc* verò quæ saltem superveniunt vulneribus in hac l. ista persona, idq; ex peculiari conditione ægri: Talia sunt v. g. quæ superveniunt viro vulnerato, cui *hæmorrhoides* suppressæ sunt. In his casibus *causis symptomatum prospiciendum est*, fluxus tamen aperiendi sunt, non tàm *internis*, quàm *externis*. *Interna* quidem humoribus motum largiuntur, sed, ut omnis impetus transferatur in locum læsum, & sic exasperantur symptomata. Inter symptomat. ergò sunt (1) INFLAMMATIO ; quàm præ reliquis sistit ▽. *calx vivæ*, l. crudè applicata, vel cum *sacharo* ♄*ni* aut *cerussa*, imprægnata; Hæc enim Epithematis instar crebriùs adplicata inflammationem solent sistere. It. imprægnetur cum *camphora*, & erit eò magis efficax: hinc remedia *69rina*, ▽. nempe *69rum* putrefactorum nonnihil destillata, applicata vulneri & inflammationem sistit, & sanguinis fluxum in vulneribus *articulorum* & *partium nervosarum* solet præcavere & sistere: *69. fluviatiles* etiam contusi fundunt *succum*, qui expressus & cum multiplicatis linteis applicatus, est conveniens. Si ERYSIPELAS affligit vulnera, illinatur Erysipelas cum *spir. vini* in quo dissoluta sit *theriaca*, & adde parum *salis absinth.* vel inspergantur *pulveres erysipelacei*, ex *flor. sambuci*, *Creta farina*, *cerussa*, & similibus, qui loco priùs c. spir. vini probè illito inspergantur. Si in vulnerum consolidatione observatur CARO LUXURIANS, (quod fit imprimis ex ignorantia chirurgi,) non debitis *Epuloticis* curandum vulnus; tunc enim fibræ aut stamina nervea laxata partem reddunt spongiosam, unde pars ista recrescit. *Curatur* autem adspergendo O. *ustum* l. *crocum metallorum*, aut illinat carnem luxuriantem c. *unguento Ægyptiaco*: præ reliquis conveniunt ▽*æ virides*, inter quas excellunt ▽. *viridis Plater. Hartm.* & *Barbett.* Instar omnium sit *lapis infernalis* s. *pulv.* ☽*na* in *aqua forti* solut. nempe fit ex ☽. purissima ∽*u* ⊕*i* solutâ & denuò coagulata: fiant crystalli, & ex his pulvis, qui adspersus huic carnieam exedit statim, unde postmodum applicetur *Emplastr. epulotic.* s. *cicatrizans.* Interdum DOLORES GRAVES urgent ægrum vulneratum, qui varii sunt: quidam tertio aut quarto die superveniunt, quando vulnus incepit suppurari. *Dolor* verò *p. n.* & *intensus* quando supervenit *partibus nervosis* aut circa *articulos* læsis, it. *dolor* qui supervenit cum quadam *tensione*, quæ tensio sunt incipientes spasmi partium nervosarum & tendinosarum: Hos dolores præter *interna blanda* inprimis sistunt *externa*, (quæ propria verò sint partibus nerveis,) *olea nervina* conveniunt; qua propter

℞. ol. lumbricor. terrestr. ℥iv. destill. succini. lauri aa. ʒiß. M. f. ol. balsamic. quo illin. pars dolens, l. c. *unguent. dialtheæ* imprægn. *balsam. Peruvian.* & adde aliquot gutt. *ol. destill. lavendul.* seu *spicæ*. Funestum symptoma

est

est,& subinde partium atrophiam relinquit,nempe Fluxus Synoviæ. Contra hunc optimum est *unguent.fusc.* Würtz. quia tamen præparatio est laboriosa, & propterea difficulter potest parari, ℞ loco ejus *vitriol.* toties *calcinatum*, -ᴧ-.*vitr. dulc.* speciatim ex *vitriol. martis*, & dicto modo cum hoc procedatur atque vult *Autor*; nempe imittantur in *acet. destill.* quoddam vulnerarium, & ita addatur *mel, flores æris*, sicque porrò misceantur: l. ℞ *ung. Ægyptiac. simplex*, & adde *terræ vitrioli dulc. in acet. destill. dicto permixt.* quantum postulat ingredientium proportio, quod potest esse loco *ung. fusci* Würtz, & *unguent. Ægyptiac.* magistralis comp. ▽. ex *♋. fluv.* etiam est egregia ad sistendam synoviam. *Vel*

℞ pulv. castor. ℥i. pulv. lap. calam. off. sepiæ, mandibul. lucii piscis aa. ʒii. Spodii, terr. sigill. ana ʒiß. M. in forma *pulveris*, adsperge vulneri Synoviam ploranti.

Tandem, si superveniat Convulsio partibus vulneratis, magnum imminet periculum ægro, ne inter has *epilepsia* superveniens eum interimat. Causa semper est in parte læsa. Præter *interna spasmo resistentia*, & in specie *specifica Cephalica succinata* & *salia volat.* ex regno animali, *externè* investiganda est *causa*, & si adest *punctura*, læsio curatur, ut supra dictum; si *incisio* nervi, non tamen perfecta, necesse est, ut per transversum discindatur nervus aut tendo; melius est enim, partem sensu privare, quàm ægrum vitâ. Conveniunt *linimenta* hoc in casu, item *balsam. Peruv.* & *ol. destill.* ordinariò supervenire solet Atrophia, de quâ jam actum, vid. Würtz, & excellit ejusdem *arcanum aluminis ex alum. plumoso.* Febres quoque superveniunt vulneribus, eæq; omnes sunt *symptomaticæ*, quas præcedere solet sensus ardoris in vulneribus. Cura per remedia *acidum* in vulneribus *peccans*, & *sanguinem* inficiens *absorbentia* & *corrigentia* expedienda; propterea primatum obtineant *ocul. ♋.* in vino l. *acet. destill.* propinati: ♁. *diaphor. Corall.* & *Magister. Corall.* cum *succ. citri*, ✻*cum* & -ᴧ-.✻*ci* cum debitis *mixtur. vulnerariis.* Si *ardor* & *sitis* nimis urgent, ad ⊖. accedendum est, & sumatur l. ⊖*trum purum* l. ⊖. ♁*niatum*, l. fiat *Julep.* ex ▽. *font.* cui *syrup. rib.* & *berber.* additus fuit: add. parum de -ᴧ-. *vitriol. dulc.* continuentur internè l. *cancrina* l. ♁*nialia fixa.* Hæc omnibus vulneribus applicari possunt, partium externarum, &, mutatis mutandis, internarum. Quædam autem monenda sunt de Vulneribus Pectoris & Capitis; In vulneribus Pectus Penetrantibus l. Pulmones Lædentibus sanabilibus, observandum est, ut semper habeatur respectus & metus *pleuritidis imminentis* & *peripneumoniæ*, unde *internis remediis* hos affectus curantibus tam præservativè, quàm curativè semper insistendum est. (2) Quòd etiã in his vulneribus subinde necesse sit, ut applicentur *turundæ*, ut sanguini & saniei pateat liberior exitus, ne superveniat *Empyema*. Hæ turundæ parandæ sunt, ut habeant extrinsecus ansulas, ne possint intrudi, unde etiam applicandæ sunt sub exspiratiõe. (3.) Obs. etiam, quòd in hisce partibus vulneratis semper sint seligenda talia remedia, quæ simul habeant vim *diureticam*, aut potionibus vulnerariis *diuretica* addenda

addenda sunt: Observatū enim est, quòd optimè subindè sponte, subindè arte, in vulnerib. pectoris tā sanguinis grumi, quàm pus & sanies evacuata sint à natura *per copiosū urinæ fluxum*: propterea hic videat Medicus opus naturæ: (4.) quòd ea vulnera, quæ inferiores costas penetrant, infra septimā Costam, sint simpliciter *vulnera abdominis*, non *pectoris*, quia non penetrant diaphragma: Unde etiam nullum signum læsi pectoris ex respiratione læsa potest haberi, sed potius *abdominis pathemata* investiganda erunt. Quod attinet CAPITIS VULNERA, de his paucis: Qui plura cupit, adeat limatissimum scriptum *Petri PaaW. anatomicus succenturiatus*, qui est *commentar. in Hippocr. de vulner. capit. Myrrh. in obs. Scultet. in armament. in obs.* Vulnera CAPITI *inflicta* sunt l. *cæsim* l. *contusim*. Vulnera capitis *cæsim* inflicta lædunt *vel* saltem partes extimas, supra cranium, *vel* simul cranium, ut tamen non penetrent universum, l. dividant etiam cranium & meninges, l. m. ipsum cerebrum. In omnibus capitis affectibus *alvus sit aperta*. In specie verò si *vulnera* saltim sint *superficialia*, facillimè curantur l. *ol. hyperic.* l. *bals. peruv.* vulneribus imposito desuper *Empl. de beton.* l. *simplic.* l. *Emplastr.* seq.

℞. Emplastr. de beton. Gumm. tacamah. aa. q. s. malaxetur c. *bals. Peruviano*, l. sola sufficiunt: Loco hujus sit *Empl. de Gummi heder. Alex. Bened. vid. Heinr. ab Heer.* Sin verò *vulnus cranium lædat, non tamen penitus perforet*, necesse est, ut habeatur ratio cranii læsi, & sic inspergatur cranio pulv. ex *rad. Iridis, Aloë, Myrrh. c. spir. vini imprægnat.* l. pulv. tantillum *ol. destill. terebinth.* imprægnat. Hi cranio læso inspergantur, ut impediatur ejus corruptio aut caries, desuper vero imponantur filtra sicca: *Caveamus* etiam in cranio læso à quocunque *unctuoso* aut *viscido* aut pingui; disponit enim cranium ad cariem. Si *vulnera* autem *penetrant, & craniū dividunt, & meninges lædunt*, necesse est, ut *hæmorrhagia interna* maturè sistatur, quod fit *pulvere Galeni, ex Aloë, thure & album. ovi conquass.* quibus parùm *boli armeni* addendum. *Hæmorrhagiâ* sedatâ sufficiens est natura; cujus opus ut adjuvemus, immittantur intra cranium linteola, imprægnata tantill. *ol. ex terebinth.* l. *bals. Peruv. l. Rob. juniper.* ut quasi odoretenus afficiatur cerebrū ejusq; membranæ, & disponantur melius ad consolidationem. Ipsi cranio læso supra dicti pulveres applic. & foveatur linteis siccis. *Vulnera* verò curantur *externè* per *balsam. vulnerar.* In usu est, ut cerebro læso applicetur *oleum rosarum, sed malè*, quia talia membranam lædunt. *Mel.* etiam applicatur, *sed convenit* saltem, ubi cerebrum corrumpitur & membranæ incipiunt putrescere, tunc mel imprægnandum est, aliquot gt. *ol. destil. terebinth.* alias nocet. *Vulnera contusim* facta sunt *l.* superficialia *l.* graviora. *Superficialia* parùm habent in recessu: Illin. loco contuso *ol. hyperic.* impræg. c. *ol. destill. anisi.* Si verò sint *graviora*, ut magnus tumor immineat, considerandum est, an spes sit insensibiliter posse discuti: Si hoc est, fiat; si non, *aperiatur* in principio, quod observandum, ut contuso suppurata quantocyùs aperiatur, ne pus ex retentione acrius factum pericranium & cranium erodat, & cariosum reddere incipiat. Si verò *contusio* fuerit *gravior*, est *vel* sine vulnere, & tunc

tunc modo dicto curetur: *Vel* cum vulnere, & tunc est *vel* sine cranii læsione, *l.* cum læsione. *Contusio gravior cum vulnere, sine cranii læsione* curatur more reliquorum vulnerum contusorum, nempe *digestivis & suppurantibus*, pro quo casu præ reliquis commend. *unguentum* seq. ℞. terebinth. destil. gumm. Elemi aa. ℥iß. pingued. Castor. ℥ii. porci antiq. ℥j. M.

Si verò *cranium simul fuerit læsum*, hujus læsiones admodum sunt variæ: Nam interdum fit, ut cranium ex contusione deprimatur, & *nunc* cum, *nunc* sine fractura: *Sine fractura*, in capite infantis, quorum ossa sunt mollia & possunt cedere; *Cum fractura*, in adultis, quorũ durius cranium. Porrò *gravior contusio capitis*, quæ *cranium* lædit, istud interdum *findit*, *l.* in loco contuso, *l.* in loco opposito. CONTRA-FISSURA *nunc* penetrat utramque laminam, *nunc* externam, illæsâ internâ, *nunc* internam, externâ, sanâ. Hic observand. est, ut cognoscatur DEPRESSIO CRANII & FISSURA. SIGNA desumuntur (1.) ex symptomatibus (2.) ex causis lædentibus (3.) ex ipsis sensibus: *Symptomata* sunt multiplicia; in specie *vomitus bilis, vertigo, sanguinis* per os, nares, aures & simil. *effluxus, subitanea obmutescentia*, & brevi superveniens *delirium, convulsiones, Paralysis*. Symptomata hæc *superveniunt nunc* mox in principio, ubi gravior fuerit læsio, *nunc* quarto l. septimo die, ubi levior. *Origo* horum symptomatum est, quòd festuca pungat cerebri membranas, *l.* quòd sanies destillet in membranas cerebri, & acrior facta easdem vellicet, *l.* sanguis grumosus intra cranium, ex læsis meningibus collectus, inferat hæc symptomata. 2. Suspicio etiam desumitur à majoribus instrumentis: 3. Visus ipse. Præter apertionem cranii, nempe præter specillum & ocularem inspectionem, *ad fissuras cognoscendas* est experimentum *Catapl.* ex *farina fabarum* capiti raso applicatum: hoc, ubi non sunt fracturæ, exsiccatur, secundum ductum verò fissuræ non exsiccatur. *Borell. c. 2. obs. 20.* Ubi inscii sunt chirurgi, jubent, ut ægri accipiant funiculum, quem firmiter tenent inter maxillas, si ita æger habeat fissuram in cranio, in loco fisso percipit dolorem, quod etiam fit, si fortiter contineat mandibulas, aut nucleum cerasorum frangat. Quo in casu utplurimùm necesse est, ut *perforetur cranium*, ut sanguini effuso, & saniei pateat exitus, ubi etiam *festucæ*, si quæ sint, removeantur & tollantur. Unum adhuc observandum, quod observavit *Glandorp. in specul. Chirurg. obs. 4.* nempe, fieri interdum, ut in graviori capitis contusione & læsione, ex sanguine, collecto intra meninges etiam integras, generetur pus, quod graviora infert symptomata, ubi aperiendum craniũ & dura mater scalpello, ut sanies educatur. Ad hæc *obs.* quòd nempe vulnera interdũ capitis simplicia post 4. l. 7mum diem contrahant *dolores*, hinc *rigorem* & *febrim*. Hæc si superveniat in graviori capitis læsione & contusione, suspicio fracturæ cranii & fissuræ, adeoque necessum est, ut cranium aperiatur *trepano*. : Si non appareant, non statim debent perforari, quia dicta symptomata etiam interdum ex alia causa superveniunt: nisi ergò adsint alia symptomata, quæ cranii fracti l. fissi suspicionem inferant, non statim ad trepanationem accedendum est. Præcipitur etiam,

ut in trepanatione vitetur muſculus temporalis; interdum tamen quidam Chirurgi etiam hunc muſculum per transverſum ſecant, vid. *River. obſ. comm.* & *Borell. c.2. obſerv. 20.*

ULCERA.

ULCERIS nomine venire ſolet *ſolutio unitatis*, quæ fit *ab acredine corrodente & abſumente ſubſtantiam partis mollis pariter ac duræ*; & ſi fit in molli parte, dicitur *ulcus*, ſi verò in dura, *caries*. *Corrodens hoc* in ulceribus *eſt acre acidum*, quod pervertit alimentum partis proprium, illudque in excrementum acre & ſaniem transmutat, cujus mitior ſpecies eſt pus; Illudq; acidum ſimul fibras & carnoſas partes ſenſim ſenſimque abſumit, & depaſcit in abſceſſibus & vulneribus, quæ facilè in ulcera degenerant. Hoc per ſe patet: In his autem alimentum partis corruptum aceſcit, & labiis vulneris adhærens ſequens alimentum balſamicum ſimul pervertit & corrumpit, tandem acidum incrementum capit & ulcus augmentum. *Acidum hoc oritur* (1.) *ab alimento partis proximo corrupto*, cujus corruptionis comes eſt inſeparabilis acor, uti in ambuſtionibus, & externis admotis, it. ipſo ulcere contagioſo, (2.) oritur *ab aciditate peregrina, in ſanguine l. lympha*, quâcunq; occaſione oborta, quæ aciditas à natura in parte quadam, quacunque ex cauſa, ſæpius defigitur & quaſi adimpletur, unde alimentum partis proprium partim pervertitur, partim corroditur, & in ulcus degenerare ſolet; Manifeſtum eſt hoc in ulceribus ſponte natis in *ſcorbuticis, cachecticis* l. *lue ♀eâ laborantibus* & ſimil. Patet etiam *in abſceſſibus ab inflammatione ſuppuratâ* natis, ubi ſanguis ſtagnans ab acido fermentativo transmutatur in pus, ita tamen, ut præponderet acidum, & alimentum partis corruptum aceſcit, quod labiis abſceſſus adhærens, ſequentis ulceris propriè ſic dicti autor eſt, (3.) ex *vitio ipſius ſanguinis* ipſive permixti excrementi, aut alius cujuscunq; humoris p. n. in corpore ſtagnantis, à quo in parte quadam nutrimentum ineptum parti nutriendæ ſuggeritur; unde vitioſus acor originem habet. Patet hoc in ulceribus, quæ aliis morbis ſuperveniunt. Acidum hoc quacunq; ex cauſa obortum, alimentum proximum, quod ad partem diſtribuitur, corrumpit, unde hoc nutrimentum ſimpliciter aceſcit, & fit parti alendæ hoſtile, & ulcus ejusque fermentum acidum perauget, hujusque activitatem validiorem reddit. Acidum hoc *confirmatur* ulterius ex eo, *quòd Emplaſtra ulceribus admota*, niſi interdum proprius medicamenti odor, vel fœtor puris prævaleat, ſi removeantur, *acidum ſubtile ſpirare ſoleant*. *Item* oſtendit hoc acidum *corroſivus dolor*, quæ corroſivitas in omnibus ulceribus, ſpeciatim partium mollium, non niſi ab acido deducenda venit; quia alcalia cauſtica non tam corroſionem, quàm partis mortificationem cum nigredine ejusdem inducunt. Hinc etiam in *ulcerum cura primatum ducunt Metalla, caput mort. vitrioli, ☿ialia, ♀ea, ♄ina* & ſim. it. *vegetabil. vulneraria vi alcalina prædita*. Jam verò prout l. major l. minor eſt aciditas, aut etiam varii ſaporis deprehenditur, ita varia etiam eſt exindè orta alimenti corruptio, & exindè contumax etiam plus minùs ulcusquod aut *ſanioſum*, aut *vermiculoſum*, aut *cancroſum*, aut *phagedænicum*, aut *doloroſum*,

aut

aut *purulentum* esse solet, pro varietate acidi specifica. Præ cæteris, observandum quòd *nervear. partium ulcera* uti plus oriuntur, ita etiam *omnia sunt pejora & difficiliora curatu*, ob acidi in his vulneribus majorem gradationem: Nam alimentum partium nervosarum, cum sit admodum temperatum, nec imprægnatum sale volatili acri, ut sanguis, ob id facilè corruptum & alteratum acescit, & ob defectum sufficientis correctionis fit acrius, ipso ♈u animali subtiliori in his partibus celerius aut distributo, aut facilius exhalante. Sanguineæ verò partes abundant sale volat. acri, unde difficiliùs iis inducitur acor, & faciliùs corrigitur, unde *ulcera partium sanguinearum sunt faciliora*, quàm *nervearum*. Unde & *in glandulosis locis*, cùm in his aliquid acidi subtilis secerni, & lympham constituere pateat, *contumaciora, magis dolorosa*, ac *corrosiva oriuntur ulcera*, & quæ facillimè degenerant in *fistulas* ex quacunque causa sint producta. Imò hæc ulcera frequentius *cancrosam malignitatem* solent habere conjunctam. Lympha his in locis glandulosis elaborata acido subtili sale videtur imprægnata, ob id facile acidi corrosivi in ulcere accipit impressionem, unde *ulcera & vulnera articulorum redduntur difficiliora*, propter facilem lymphæ aut sanguinis corruptionem & acescentiam. Acor ergò talis aut à vicino ulcere ad os subjectum delatus, aut ex alteratione ipsius ossis ab aëris contactu ortus, aut etiam ex aciditate peregrina ad os c. alimento distributo enatus os ipsum corrodit, & cariosum reddit, unde *ulcera cum ossium carie* conjuncta *sunt* simpliciter *immedicabilia*, nisi ossium caries corrigatur. De cætero observanda est DIFFERENTIA; *nempe vel* immediatè & primariò ab aciditate peregrina afficitur os, & hujus occasione demum ulterius partes molles ossi instratæ afficiuntur, & postmodum harum contagio ipsum os, quod fit in ulceribus cum ossium carie conjunctis. Porrò ex nutrimento corrupto oritur sanies, pus & sordes; si ergò ipsa sanies per interstitia partium latius serpit, & partes molles cum staminibus duris exedit, *ulcera vaginosa* l. *sinuosa* infert, quorum orificia aut etiam canales in locis membranaceis impr. & nerveis indurantur, & in callum quasi ossaceum transmutantur: Unde fistulam & ulcera fistulosa constituunt. *Occallescentia* hæc & *durities* circa membranas, imprimis in orificiis horum ulcerum sinuosorum nata, oritur *ex acido vitioso satis intenso*, dictas partes corrugante & pedetentim indurante ac in callum, s. cartilaginem transmutante: Exindè orificia fistularum semper sunt angusta. Prout ergò proximũ partis alimentum ab acido ulcerũ facilè impressionem recipit, exindè plus minus diuturna l. maligna ulcera fiunt; Hinc in *hydropicis, cachecticis, lue venereâ* inquinatis, aut iis, quibus aut *hæmorrhoides*, aut *menses* suppressi stagnant, talia ulcera solent esse graviora, propter alimenti partis corrupti facilem impressionem ab acido. Hinc dicitur, ulcera esse conjuncta cum affluxu humorũ. Facilè verò corruptio hujus fit propter defectũ etiam nutrimenti partium ♈tuosarum & salium volat. quæ cùm sint contraria acido fermento, ulcerum vim infringunt. Cùm verò his destitutum sit, facilè concipit corruptionem ab acido inductam; unde ulcus fit manans & difficulter curabile. Porrò utut ulcera curentur,

tur, acidum tamen istud si non fuerit correctum ritè, sed si ejus tantilla licet proportio, post curam, in ulcerum fundo, l. labiis, l. osse carioso relinquatur, ulcus semper recidivare solet, l. si fiat, ut sub cura ulcerum tantillum ejus contagiolum per sanguinis l. lymphæ motum aliorsum deferatur, in alio loco pervertit nutrimentum proximum, & per metastasin ulcus ex uno loco in alium transfert: Sic in *Sculteto* exemplum est ulceris præposterè curati, unde postmodum ulcus in pectore enatum fuit: Sic & *Fabr. Hildan. c. 3. obs. 39. observavit* ulcus inveteratum in crure sinuosum, quo intempestive curato supervenit pleuritis, ubi materia simillima per os fuit rejecta, ac ista, quæ ex ulcere cruris emanaverat. Ordinariò *v. ulceribus adjuncta sunt hæc tria.* (1.) *Cavitas* ab acore exedente, & labia ulceris depascente plus minus inducta. (2.) In partibus carnosis *pus laudabile* ex sanguine. (3.) In partibus nervosis *ichor*, seu *sanies tenuis*, aut saltem pus minus laudabile, hoc est, quod acrius, tenuius, & minùs albicans. Nam rarum est, quod sine puris vestigiis reperiantur *labia ulceris sicca*; fit hoc tamen interdum, *quando* nempe ulcera aëri aperto aliquamdiu fuerunt exposita; l. *quando* loco suppurantium vel mundificantium intempestive exsiccantia cicatrisantia fuerunt applicata. Si citra tales causas manifestas ulcus *sponte* & subitò evadat *siccum*, l. *minus humidum*, *malum signum* est; nam *l.* innuit imminentem mortem totius: *vel* si ulcere exsucco accedat labiorum aliqualis *livor*, aut *decoloratio*, est signum imminentis *gangrænæ*: omnia enim ulcera, ut & fonticuli, si immineat mors, solent exsiccari.

PROGNOSIS Ex his facilè est formanda de quocunque ulcere. Nempe fundamenta prognoseos in ulceribus *desumuntur ex tribus circumstantiis* (1.) *ab ipsa conditione ulceris*, an sit *simplex*, an *complicatum*, an *sinuosum*, *fistulosum*, *cariosum*, *&c.* nam hæ conditiones ulcus plus minùs reddunt difficile, (2.) *ab ulceris excretis*, pure nempe & sanie: Nam, quò citiùs ulcus reddit pus, idque magis laudabile l. minùs acre, candidum, mediocris consistentiæ, eò melius est ulcus; Contrarium est, si ploret saniem tenuem, ichorem, acorem flavum & fœtidum, aut simil. (3.) *ab ipso subjecto ulceris* tam particulari quàm universali. Ratione subjecti particularis, ab ipso loco ab ulcere affecto, an sit carneus, glandulosus: Ratione subjecti universalis, an æger sit sanus l. non; an sit laudabilis constitutionis &c. hæc enim ulceris naturam & curam plus minus gravem ostendunt.

CURA Ex hactenus dictis facillimè patet, quòd cura ulcerum chirurgica *in hujus acidi mortificatione consistat*, quâ tollitur alimenti depravatio & partis ulcerosæ erosio: *Reliqua* ipsa *natura agit, carnem generando, & foramen occludendo.* Quæ *aciditatem corrigere valent*, sunt imprimis in regno *vegetabili & minerali. Illa* agunt positivè, temperando & delendo acidum, per *salsum volat. alcalinum, nunc* occultum & temperatum oleosum, *nunc* manifestum & acrius. *Hæc*

verò

verò magis privativè, abſorbendo *acidum* iſtudque ſuo modo dulcificando. Sic ex *vegetab.* ſunt *abſinth. Menth. agrimon. Nicot. Myrrh. Aloë, ſpir. vini* & ſimil. *Ex miner. caput mort. vitrioli, ſaturnus, & omnia ſaturnina,* ⊕, *pompholyx,* ☿♁, ○C *fixum,* & ſim. Hæc dum deſtruunt acidum, ejus ulteriorem activitatem inhibendo, in ſimul excrementorum generationem ſeu alimenti perverſionem ſiſtunt, ſicq; ulcus nitidum, & carnem labiorum rubram ſanamq; reddunt, unde *detergentia* & *mundificantia* appellantur. In his tamen *detergentibus & mundificantibus* graduum obſervanda eſt diſtinctio, varianda nempe pro ulcerũ varietate; In genere eorum quædam ſunt magis *temperata*, quædam *acria*. A *temperatis* ceu inferioribus ſucceſſivè inchoanda eſt cura ulcerum, ne acidi vigor per acorem contrarium efferveſcendo fiat malignus & ulcus putridum. Potius ergò *lenioribus temperatis prius* utamur antequam ad acriora deſcendamus, quæ *temperata* aliàs *digeſtiva* ſeu *pus generantia* dici ſolent, & hoc fiat in caſu, ubi ulcus non nimis progreſſum eſt. Si verò *ulcus* jam eſt *putridum*, aut alio modo *malè affectum*, ſtatim *fortiora detergentia* & *acria* uſurpanda ſunt. Temperata autem iſta præſtant hoc, quatenus temperant acidum, quo acido plus minùs temperato, moderatâ ulceris fermentatione cum alimento partis, naſcitur exinde excrementum melius, nempe pus, idque etiam meliori conſiſtentiâ & colore manat. Hinc etiam hæc digeſtio ſuppuratio dicitur: Dum enim concurrunt hæc duo in ulceribus, alimentum partis mòx pervertitur ab acido corruptivo, ſi exceſſerit; ſi verò moderatum ſit, à nutrimento partis aliqualem percipit reſiſtentiam, & ita mutuo concurſu coëunt in pus. Temperata hæc ſola abſolvere poſſunt ulcerum curam: *Vlcera* enim *corroſiva*, l. *putrida*, l. *cancroſa, virulenta*, validiora & magis appropriata, nunc *mercurialibus*, nunc *ol. volatilibus* permixta remedia requirunt: Obſervetur tamen *partis affectæ conditio*: Nam *partes ſanguineæ* requirunt magis *temperata*, *nerveæ* verò *paulò acriuſculæ*. Frequentius fit, ut præter ſimplicem ab acido corruptionem partis, concurrant putredo aut corruptio in ipſa parte, ubi putrilago ſimul cadaveroſa & incipiens gangræna ſolet adeſſe. In his ergò fortiſſimis omne putridum abſumendum, & putredinis proceſſus inhibendus; hæc poſt operationem peractam ſubitò removenda & abſumenda ſunt, ne partes ſanæ etiam abſumantur aut afficiantur: Factâ verò acidi abſterſione alimentum partis ſive ejus balſamum ſenſim labiis ulceris denuò agglutinatur, & partem cavam novâ carne replet, dum fibræ & vaſcula longiùs extenſa, in æquali tamen curſu cicatricem ſolent inducere. Verum ne impediatur partis deperditæ reſtauratio, ſed potius, ut promoveatur naturæ motus in generatione carnis, (nam facilè impeditur, quado nempe ſub deligatione ab aëre ulceri certa alteratio inducitur, l. quando ab interno vitio nova alimenti enaſcitur corruptio) poſt ulcus mundificatum, dum caro ſuccreſcat, *glutinantia*, ſcilicet *balſama vulneraria* applicanda, quæ nempe denuò ſolent conſolidare ulcus recens, & mundificatum carne replere. Hæc nempe

temperata

temperata suâ naturâ parumper adstringunt, & balsamum naturalem conservant, omnem acorem delent, imò, dum adstringunt, impediunt, ne caro recens laxior aut mollior, aut nimis superflua luxuriet. Eadem remedia glutinantia aut consolidantia, sed magis adhuc adstrictoria & humidum magis exsiccantia cicatricem firmam generari adjuvant, unde *Epulotica* sive *cicatrisantia* appellantur: Nam *vulneraria balsamica, sarcotica & epulotica gradualiter saltem differunt*; unde in corporibus delicatulis & mollioribus cicatrisantia sunt in corporibus duris sarcotica, & vice versa. *Externis* his simul adjungenda sunt *Interna, acidi* tam inprimis viis, quàm ulceribus *correctiva & destructiva*; quę nempe alcali plus minùs acri pollent; qualia ex *vulnerariis* potionum formâ parari solent, quibus pro usu interno *remedia ex lignis sudorifera* conducunt, item ♁*ialia fixa, viperina & serpentina*; & sim. Remedia ergò ferè sunt seqq. *Digestiva* quidem sunt *ol. rosar. butyrum recens non salitum, majale, vitell. ovi, gummi Elemi, mel, terebinth. thus, mastix, farin. tritic. hordei, fœn. græc.* & sim. Ex his u. g. fit *ung. digestivum.*

℞ terebinth. ℥i. vitell. ovi num. i. mell. rosar. ℥ß. ol. hyperic. ℥i. M. pro *linimento l. ung. digestiv.*

Vel: ℞ terebinth. ℥i. mellis ℥ß. succi apii ℥ii. farin. hord. fœn. græc. aa. ℥ß. myrrh. parùm. M. S. ut antea.

Pus ubi genitum est, & quidem laudabile, simul *mundificantia* & *acidum* in ulceribus peccans *corrigentia* sunt admiscenda & usurpanda, eaque acriora, mitiora, positivè, privativè operantia, pro conditione ulcerisque varietate: Talia sunt, *rad. apii, ejusq; succ. aristoloch. utraq;, rad. bryoniæ, plantaginis, tormentillæ, cucumer. asinin. gentian. hellebor. nigri, herb. & fol. absinth. apii, origani, chamædr. plantagin. scrophul. beton. veron. lign. sassafr. bacc. juniperi, farin. fabar. lupinor. cicerum. purgantia*, externo usu, imprimis *scammon. saccharum, mel, aloë, syrupi vulnerarii, lixivium*, eminet ▽. *calc. vivæ, benedicta. Spir. vini, extracta vulneraria cum spirit. vini, animalium urin. fella, mumia, succ. 69. fluviat. stercus canis, myrrh. euphorbium*, item *sulphur & omnia sulphurea*, ♄*nus & omnia* ♄*nina*, nempe *minium, cerussa, lithargyr.* ♄. *ustum, crocus* ♂. *adstringens*, & *crocus vitrioli martis per* ♁*tionem parat. terr. vitriol. dulcis, tutia, æs ustum*, ☉. *crudum & calcinatum*, ⊕. ⊖. ☉☉, in specie *fixum, decoctum scoriar. reguli* ♁*nii, butyr. antimon. mercur. dulc. mercur. præcipitat. arcan. Crollii* ⊕. ex his parata ▽. *viridis, ol. nicotian. terebinth. ceræ, ovorum, ol.* ♀*ri, balsam. sulphuris, Empl. dia sulphuris Rul. bals. Peruv. ung. Dialth. camph. Diapompho l. Ægyptiac.* & *fuscum* Würtzii, *empl. de beton. de gratia Dei, divinum, saturnin. Mynf.* Usus horum (1.) in forma *injectionis* in ulcera, cancrosa, sinuosa, fistulosa. (2.) *unguentorum.* (3.) *Emplastr.* v. g. fit *injectio in ulcus sinuosum & sordidum:*

℞ fol. nicotian. m. ii. summitat. absinth. herb. veron. ana m. j. rad. aristol. ☉. ℥i. baccar. Junip. ℥ß. ☉. crud. ℥iii. coque in s. q. ▽. ferrarior. Colatura servetur usui, pro injectione in ulcus dos. ad ℥i. plus minùs, pro ratione quantitatis liquor, injiciendi, & capacitatis ulceris. Sit *ung. mundific. ulceris:*

℞ succ.

℞. succ. nicotian. plantag. absinth. beton. mell. rosat. colat. ana ℥iv. l. v. coque, subige probè lento igne, add. terr. vitriol. dulc. l. loco hujus croc. mart. mercur. ⫪t. aloës, myrrh. flor ♀r. ana ʒi. M. probè, adde porrò *terebinth. Venet.* q. s. pro consistentia unguenti, *balsami Peruv.* q. pl. pro consistent. unguent. plus minus spissi. *Vnguent. Sarcoticum.*

℞. Unguent. diaphor. de tutia ana p. j. Empl. dia-sulph. *Ruland.* p. ii. Malax. c. s. q. ol. nicot. fiat unguent. l. Empl. applic. c. petiis, si est unguent. l. inducatur linteis, si est emplastr.

Inter hæc autem remedia pauca sufficiunt, & secundùm *Helmont.* ad ulcera *benigna*, *terr. vitrioli dulc.* ad *maligna* vero. ○-○. Eminet etiam *bals. sulph. terebinth. bals. sulph.* l. *communis*, l. *antimonialis* cum *oleo lini* aut *nucum jugland.* expresso paratus, vide de hoc *Polemann. de sulph. philosoph.* ubi habet simul egregium Empl. ubi tamen loco *vitriol. dulc.* possunt substitui l. *cap. mort. vitrioli elixiviatum* solum, l. addito tantillo *virid. æris.* convenit etiam *balsam. Peruv.* habeatur tamen delectus, an *pinguia* conveniant, an non? si possunt ferre, conveniunt dicta *balsama*; si non, sufficit *mel* cum *succo vulnerario.* In rebellibus ulceribus respiciendum est ad *mercur. vivum*, à quo ⌒ ⦶. fuerit abstractus: In ulceribus putridis *virid. æris* cum *aceto destill.* est optimum; unde *unguent. Ægyptiac. apostol. fuscum Würtzii*, conveniunt. Sic ex *vitell. ovi & melle* fit unguent. utile in quibuscunque vulneribus:

℞. vitell. ovor. ad durit. coct. num. iii. mell. ℥iß. M. cum haustu vini, fiat unguentum.

quod optime purgat ulcera, & etiam à gangræna præservat. Si ulterius progrediatur malignitas, adde *mercur. præcipit.* ʒß. plus minùs, pro ratione circumstantiarum. *Emplastr. Polychrest. cicatrizans* est.

℞. Mastich. ℥i. terebinth. ℥iii. ceræ flau. ℥iv.

Hisce liquefactis adde mast. & redigantur simul in *Empl.* præstans ad *consolidanda & cicatrisanda ulcera.* Non cedit huic ad *consolidanda ulcera:*

℞. calcis vivæ bis l. 3. lotæ & parum exsicc. q. pl. M. cum ol. lini q. s. tingatur cum bolo armen. l. bolo rubro ad carneum quasi colorem f. Empl. egreg. in ulceribus vetustis. *Internè* etiam quædam adhibentur ad promovendam curam externam. Inter *universalia* ergò *purgantia* eminet *mercur. dulcis*, si crebriùs usurpetur cum *extr. hellebor. nigr.* l. *panchymagog. Croll.* quin etiam *♁nialia*, tam fixa, quàm in specie *tinctur. ♁niales* genuinæ nobiles sunt. Additur his usus frequens *ocul. 69.* cum *Myrrh. & croco. corall. & oc. 69.* cum *aceto destill.* propinata: Tandem *viperina, Essent. viperar.* imprimis *spiritus & ⊖. volatil. viperarum* continuo usu mirè conferunt: Quibus adde simul remed. *ex lignis: Essent. lign. tinct. corall.* cum *alcali lign.* imprimis *decocta lignor.* quæcunque, dicta *sudorifera*, usurpata multum conferunt. *In specie* quod attinet *ulcera*, secundùm DIFFERENTIAM merentur considerationem: Ulcera quædam conjuncta

juncta sunt cum *oßium carie*, quæ caries interdum est manifesta *oculo*, interdum fit manifesta *specillo*; si hoc, expiscatur fundus ulceris, & ibidem *asperitas* percipitur, visui etiam patet, si *os denudatum* fiat *pinguius*, & succeßivè *nigrum*, & post nigredinem etiam hinc inde perforatum. *Prius* est signum *imminentis cariei*; sicut *nigredo*, *perforatio* & *inæqualitas* est signum *jam perfectæ cariei* : Si verò non poßit conspici, suspicio est de oßium carie latente; sicut ulcera nequeant ad perfectam cicatricem perduci, sed etiam optimè suppurata subitò recidivent: Non enim potest firmiter conglutinari caro cum osse carioso, quia sanies ex osse plorans semper novum ulcus generat, quod, etsi consolidetur, caro tamen, quæ ulceri supervenit, est flaccida, mollis, minùs dolens, & simul sub ipso ulcere sanies quæ effluit, longè copiosior, pinguior & acrior est, quàm in ulcere rectè se habente. Si ergò adsit tale *ulcus cariosum*, impoßibile est, ut consolidetur, quin potiùs continuò recidivet, nisi priùs caries oßis sit ablata. Internè ergò conveniunt *universalia* cum suis pro hoc scopo externis: Ut autem cariosum ulcus melius poßit tractari, l. separari, congruum est, ut labia ulceris non nihil dilatentur l. scalpello, l. immißis turundis intumescentibus: Tales fiunt, si volumus acrius procedere, ex *rad. gëtian.* si non, ex *Medull. samb.* compressa, hæc enim imbibit copiosam humiditatem, unde intumescit & orificia ulceris aperta reddit. Pòst etiam consideratur, an caries ulceris sit talis, quæ poßit remediis cedere; an v. necesse sit adhibere remedia chirurgica: Imponatur ergò cum petiis *spir. vini probè rectificat.* l. illinatur os cariosum in loco cariei cum *ol. caryoph. destil. ol. ligni Guajac. destil.* l. accipiatur *pulv. euphorb.* & inspergatur oßi, impone desuper plumac. it. *rad. Ireos*, l. sola, l. quod melius, adjunct. *euphorb.* De efficacia *euph.* vid. *Riv.* C.2. obs.73. It. *Hild.* C.2. obs.92. C.4. obs.21. & 96. & C.5. obs.22. Et necesse est, ut os cariosum prius *limâ* rodatur & teratur, l. etiam *scalpellô*, donec incipiant apparere punctula rubicunda, postmodum dicta remedia applicentur. Ad cariem funditùs delendam accip. *ferrum candens*, & os simplex cariosum tangatur, donec suspicio est, vim ferri sufficienter penetrâsse; postmodum *spir. vini* aut alia applicantur tamdiu, donec os cariosum sponte secesserit ab osse sano, postmodum os consolidetur *spir. vini, myrrh.* & *aloë*, & sim. Si verò in extremitatibus fistularum reperitur *os cariosum*, optimo cum consilio injicitur *solutio ☿rii dulc. cum aq. plantag.* quod & os cariosum corrigit, & etiam fistulæ ad meliorem mundificationem succurrit. Singulare est, quod ad os cariosum comendat *Tulpius* *l.1.c.39.* nempe de *ol. ♎ti*, (per quod forsan intelligit *butyr. ♁nii*,) cum ol. lini mixto, mediante quo graves oßium caries notat se observâsse curatas. *Vnguentum* etiam *Ægyptiac. pulv. tereb.* ad duritiem coctæ cum *ung. fusca* Würtzii hic prosunt. Juxta oßium cariem & inde nata ulcera rebellia, considerationem merentùr *ulcera fistulosa cum callo* in orificiis, siquidem si ulcus est profundum & cavum internè, sinuosum, si verò cum tali ulcere jungatur simul callus internus, oritur *fistula*. *Callus* verò hic observatur, quod simpliciter in orificio ulceris ipsius, vel ipsæ cavitates ulceris dicto callo sint obsessæ. *Vlcus tale sinuosum, fistulosum nunc interius* est unum,

utut

utut plura habeat orificia,*vel extrinſecus* habet orificium unum, utut interius in plures canales ſit excavatum. Patet per ſe, ſaltem conſideremus qualis ſit fundus fiſtulæ, *an* deſinat in oſſe, *an* in partibus nerveis quibusdam, *an* in carne, *an* in vena aut quadam arteria. Hoc poteſt tentari *vel* per ſpeculum, *vel* ſtylum, an fundus ſit mollis, an durus, vel *ſi ſinus fiſtuloſi ſint tortuoſi*, ut ſpecillum ſine dolore non poſſit immitti, *parentur candelæ cereæ* ſubtiles, ex cera & terebinth. quæ intrudantur, quæ ſine dolore ſinus & fiſtulas etiam cavernoſas & tortuoſas poſſunt penetrare. *Si deſinat* fiſtula *in partem nerveam*, fundus eſt admodum doloroſus; *ſi in carneam* fundus mollis minus dolens eſt, & materia eſt ſimilis puri laudabili: Fiſtulæ verò partium nervoſarum plorant pus acre & tenue; *ſi deſinat in vas*, ſignum materiæ eſt obſcuri coloris inſtar fæcis, propter ſanguinem; *ſi ipſum vas eroſum ſit*, ſubinde ſanguis ex fiſtula profluit, vel rubicundus, vel obſcurus; ratione vel venæ, vel arteriæ. §. FISTULÆ ſunt difficiles curatu, propter callum, qui niſi auferatur, ſunt incurabiles. Ante omnia ergò purificandæ ſunt. Si prius orificium calloſum fuerit ampliatum, quæ *ampliatio optimè fit* per turundam ex *rad. gentian.* paratam & immiſſam; vel dicta turunda adſpergatur *pauco alumine uſto*; ſi volumus acriorem habere, ſic exeditur callus, & orificium aperitur. Hoc facto, præter *remedia interna*, ut omnia vulneraria, ſpeciatim ex *agrimonia, gentiana, centaur. min. ſabin.* cum *ocul. 69.* item præter uſum *milleped. Externè* ampliato orificio ad mundificandam fiſtulam, & exedendum callum, varia in uſu ſunt remedia plus minus acria. Fiet ergò remotio calli, & fiſtulæ mundificatio, vel remediis pharmaceuticis vel chirurgicis. Quoad remedia, ſunt injectiones ex ▽. *calc. vivæ*, l. *ſola*, l. cum *ſpirit. vini acuata*, in qua, ſi *mercur. dulc.* ſolutus ſit, erit remedium eò potentiùs, *mercur. dulc. ſimplex in* ▽. *plantag.* ſolutus, in fiſtulis eſt egregius. Item *ſucc. nicotian.* cum *ſpir. vini, & pulv. exuviar. ſerpentum* per ſyphonem injectus mirabiliter ſanat fiſtulas: vel injiciatur *ſucc. 69. fluviatil.* cum *ſucco fol. nicot.* qui vel ſoli, vel addito *mercurio dulci* injecti in fiſtulas, egregiè eaſdem mundificant. Conducunt etiam *turundæ* factæ ac illitæ cum *ung. fuſco Felicis Würtzii*, item cum *ung. Ægyptiac. balſam. ſulphur. terebinth.* vel ſolus, vel cum *camphora* mixtus fiſtulas mundificat, & callum abſumit. (Alii commendant hoc:) ℞. *mell. deſpumati* ℥ii. coque ad aliquam glutinoſitatem, hinc dum incipit refrigerari, adde *aloës, thuris* minutim pulveriſ. ana ʒi. *aſæ fœtid. pulv.* ℥iß diu terantur in mortario, fiat unguentum. His & ſimilibus mundificentur & purificentur fiſtulæ, & detergantur calli, unde poſtmodum facillimè conſolidantur. Si verò in malo pertinaciori, aut callo graviori non ſufficiant, neceſſe eſt ſubinde, ut addantur *mercurialia* aut *antimon.* v. g.

℞. Ung. Ægyptiaci ℥ß.
mercur. præcip. ʒj.
lixiv. ℥iv.
▽. roſ. ℥ii.
plantag. ℥iv. Coq; ad conſumptionem tertiæ partis, quod reliquũ eſt

 fiſtulis

fiſtulis illinitur, & ejus loco calloſo, ut exedatur & abſumatur callus, verùm non ſemper, propter dolorem, & alias circumſtantias poſſunt applicari, unde neceſſe eſt, ut tota fiſtula incidatur, & aperiatur, factâ apertione dictis remediis callus vel exedatur vel etiam pedetentim ſectione auferatur; ablato callo, ulcus tanquam ſimplex blandis mundificantibus & conſolidantibus curari poteſt. §. Porrò fit interdum, ut ULCERA ſint admodum SORDIDA, PUTRIDA & varia ſorditie prædita, livida, nigricante aut ſimili abſceſſu, ac interdum evadunt plus minus CORROSIVA, quæ partes vicinas inquinant. CAUSÆ hujus *ulceris putridi* ſunt variæ, internæ & externæ. Remedia, ſpeciatim unctuoſa aut viſcida applicata ulcus reddunt interdũ ſordidum, imprimis ſi ſit ulcus partiũ nervoſarum, in hujusmodi ergo ulceribus optimũ eſt ut mundificentur cum ſpir. vini, quo diſſoluta *ſit theriaca*, ablato ulcere uſurpandum *ungu. Ægyptiacũ*, quod mundificat & detergit dicta ulcera, vel abluantur cum *decocto calcis vivæ*, cui adde *mercuriũ dulcem* & poſt uſurpationem *ungv. de ſaturno Mynſ.* de cera vel ſolo, vel quibus aliquantulum *mercurii additum* ſit. *Vt mercur. præcip.* tutius externè poſſit uſurpari, optima eſt præparatio *Luſitani c. 4. cur. 51.*

℞. Mercurii viv. aquæ fortis ana M. & aqua fortis abſtrahatur per retortam, pulvis præcipitat. remanens miſceatur cum ſpir. vini, digeratur aliquamdiu & aliquoties ab eodem abſtrahatur, ſemper novum ſpir. vini affundendo, donec ſponte exiccetur ſuper mercur. loco hujus etiam *arcanum corallinum* commode poteſt adminiſtrari. Additur hic mercur. præcip. aliis quibusdam ungv. aut balſamis, aut emplaſtris plus minus, pro ratione circumſtantiarum Foreſtus habet exemplũ cujusdem ulceris deſperati, quod fuit curatum mediante *ſtercore caprillo, vino veteri* expreſſo, quod applicatum ulceri, iſtud curavit. §. Præter dicta hujusmodi ulcera putrida & ſordida deprehenduntur etiam ULCERA DYSEPULOTICA, inveterata, alias etiã Chironia & Telephia. Ad hæc CURANDA optimum eſt, ut præmiſſis præmittendis, eluantur frequenter ▽ *pomorum putridorũ deſtillata*, quæ vel ſola vel cũ linteis multiplicatis applicata, hujusmodi ulcerib. etiã plus minus depaſcentibus, egrègia eſt; aut etiam ſi volumus hanc aquam ulterius reddere medicamentoſam, in ea diſſolve *extractum ariſtoloch. rot. cum ſpir. vini fact.* vel loco hujus extracti diſſolvatur *mercurius dulc.* vel ſolus vel cum *ſaccharo ſaturni*, in caſu, ubi ardoris vel inflammationis adeſt ſuſpicio: Ulcera ſi ſic fuerint abſterſa & elota, applicetur poſtmodũ *ungv. diapompholyg.* vel nudum, vel *cum* ☿. mixtum, vel *balſam.* ♀*ris terebinth.* & cum petiis iſtis ulcerib. imponatur. Porro ULCERA ſubinde ſunt phagæden. ſeu EXEDENTIA, quæ propriè loquendo ſunt ulcera cancroſa. Quod attinet hujusmodi ulcera 69ſa, ſive ſint ipſe cancer, vel alia ulcera putrida, & corroſione arſenicali ad 69. naturã accedentia, hæc & ſimilia, quæ occupare imprimis ſolent, vel loca glanduloſa vel glandulis vicina, cautè tractanda ſunt, nam ſi tantillo acri exaſperantur, in deterius abire ſolent, ſi verò levioribus tractentur, fruſtra fieri eorum curationes ſolent. His ergò in caſibus uſurpantur ſaturnina, quæ dum acidũ acre corroſivũ depaſcens & exulcerans abſorbendo ſolent mitigare hæc ulcera 69ſa, v. gr. *terebinth. cum camphora mixt. ungv. dia ſaturni Mynſ.* it. *empl.* quod habet *Tulpius l. 1. c. 47.* convenit etiam pulvis ex mercurio & ſaturno ana ibid. deſcriptus: aut poſſunt fieri emplaſtra appropriata: Videatur *Schroder. cap. de empl.* ubi habet tale empl. quod multum habet in receſſu, & ſi addatur aliquid mercurii vitæ, erit mirabile. Communi modo etiam *ex ſaturno & ſucc. vegetabili*, nempe *ſolani, agrimoniæ* vel *geranii Rupertiani* mixt. in mortario plumbeò fit linimentum ad ulcera 69ſa ſatis proficuum. Ante horum tamen applicationem inſpergatur pulvis bufonum calcinat. vel ſterc. felis, ſimpliciter 69. fluviatil. nutritæ, quo facto applicentur dicta emplaſtra ſaturnina. Verum in ulceribus 69ſis malignis quæcunque fruſtranea præter arſenicum, quod eſt ſpecificum ad

ulcera

ulcera 69ſa funditus ſananda & curanda. Notus hinc *pulvis Benedicti* eſt, vid. *in Hartman.*
prax. chym. de 69. it. *Epiſt. Horn. pulvis hic* paratur ex *fuligine furni, arſenico*, & *rad.*
ari præp. loco hujus convenit etiam ipſum *oleum arſenici fixi per deliquium*; arſenici fixatio
cum nitro vid. in Schröder. unde quibuscunque remediis arſenicalia fixa admiſceantur, vel in for-
ma ſicca vel humida. Si verò ulceri purificato denuò, jam carne replendo & cicatricem indu-
cendo, ſuperveniat uberior carnis luxuries, quod fit, quando applicata ſunt emplaſtra vel nulla, vel
nimis oleoſa & pinguia, quæ fibras reddunt laxas, hîc optimus eſt *pulvis ex Gallarum cortice*
& *granat.* & *ſpongia combuſta* inſperſus, vel *pulv. ex aloë, myrrha*, cũ pauco *alumin. uſto.*
crocus metallorum pulveriſatus & inſperſus ſine dolore carnẽ luxuriantem abſumit. De lapide in-
fernali ſuperius dictum, etiam probè elotus nec corroſivus applicatus, prodeſt; ſed in leviori caſu
ſufficit crocus metallorum, in graviori lapis infernalis. §. Inter CAUSAS ulcera inducentes et-
iam eſt ignis & inde inducta AMBUSTIO quæ eſt triũm graduum; quæ differentia probè conſi-
deranda, nempe vel ſolummodo calor & ardor externam epidermidem alterat, unde pedetentim
emergunt veſiculæ aquâ acriuſculâ plenæ, vel ipſa cutis comburitur, unde ſtatim tales veſiculæ
emergunt, & cutis in formas has corrugatur: vel præter cutim etiam caro aduritur, unde cutis emor-
tua in cruſtam degenerat, quæ ſeparata profundam ulcerationem relinquere ſolet; in primo ergo
gradu combuſtionis applicanda ſunt remedia ordinaria empyreuma tollentia, qualia fiunt impri-
mis ex calce viva, lota, l. lixivio ejus, calx viva rec. injic. in aquam ut 4. vel 5. digitos aqua
emineat, ubi ceſſavit efferveſcentia, decantetur aqua, & affunde ol. roſ. tantum, quantum ſuffi-
cit, ut hæc mixtura congeleſcat in conſiſtentiam butyri. *Hoc linimentum eſt egregium.* Solum
oleum linicum vitello ovi mixtum, combuſtionibus recentibus illitum eſt optimum, *ſuccus* et-
iam *allii, ſucc9 ceparũ* cum *ſapone Veneto* & *pauco ſale* illiti egregie conferunt, vid. *Hildan.*
c. 4. obſ. 93. Optimum eſt linimentum, ſi cum aceto ſolvatur minium aut lithargyr. ſolutioni
filtratæ addatur ol. raparum rec expr. q. ſ. ut coëant in conſiſtentiam linimenti liquidi, quæ ali-
quandiu ducantur in mortario plumbeo, donec fiat gryſeum, & aſſerva pro uſu.

℞. ♋. *fluv.* q. v. contuſi vivi in mortario injiciantur *butyro recenti* non ſalito, & probe
deſpumato, & liquefacto, coque tamdiu ut rubeſcant, colentur; eſt experimentum, & ſic evadet
unguentum efficax ad recentes combuſtiones. Nam & *ſuccus 69. fluviatil.* cum *aqua ſperm.*
ranarum commode applicatur. GRAVIOR VERO COMBUSTIO alia requirit remedia,
nempe in ſecundo gradu, tunc puſtulæ maturè aperiendæ ſunt, & *ungv.* emolliens ex *butyro*
recenti, ſtercor. gallinæ & quæcunque imponantur, ut cutis corrugata denuo laxetur. ℞. Solu-
tionis filtratæ q. v. adde ol. ovorum q. ſ. m. Aut ℞. *pulp. pomorũ dulcium ſub cineribus coct.* ℥ij.
farin. hordei, fœnugræc. ana ℥ß. *croci* ℈ß. *M. f. linimentum*, vel cataplaſma molle, quod illi-
tum & dolores ſiſtit, & cutem corrugatam planam & mollem reddit.

IN TERTIO GRADU ſi eſchara inducta ſit, neceſſe eſt, ut apertis omnibus puſtulis, primò
l. ſecundo die ſeparetur eſchara, unde eſcharæ medicatur *linimentum molliens & laxans ex*
mucilagin, ſem. cydon. ▽. *ſpermatis ranarũ extracta, adde butyrum non ſalitum, oleum lil.*
albor. & vitell. ovi, vel fiat tale emolliens *ex butyro recenti bene in mortario plũbeo agitat.*
cum decocto malvæ, quod applicetur cum foliis braſſicæ tepidis, & *ſic facile ſeparabitur eſchara*
id quod fit primo vel ſecundo die. Si non fiat, neceſſe eſt ut incidatur eſchara, & humoribus acriori-
bus exitus paretur, ne diutius coerciti grave ulcus depaſcens inducant. Tumor latens poſtmodum
evacuantibus, & ulcus factũ convenientibus digeſtivis, mundificationibus & purificationibus cu-
randũ venit. Mundificatũ ulcus poſtmodũ incarnetur, in ſpecie cũ emplaſtro de calce viva, nempe.

℞. *calx viva & in* ▽. *frigida ſexies vel ſepties eluetur, poſtmodũ ex lac cum ol. roſarum*
& vitello ovi f. unguentum.

TUMORES. Quod attinet TUMORES IN GENERE; nomine tumoris in genere intelligitur magnitudo partis præter naturalis, aucta in latitudine & profunditate. Excrescentiæ ergò, ex quibus non tam major fit pars, quã nova moles ipsi adnascatur, propriè non sunt tumores, utut ad hos reductivè pertineant. CAUSA ergo talis est, 1. *vel* pars quædam ex naturali situ in proximam partem propulsa *vel* dislocata, aliã partem expellens, & est *nunc* mollis, ut in hernia, nunc *dura*, ut in luxatione. 2. Humor quidam replens. 3. Flatus distendens. HUMORES tamen *frequentissimè sunt* CAUSÆ. HUMOR ergo qui partem replet, *in eadem colligitur* de novo, qui antea non aderat, & quidem *vel* ob humoris motum trans partem impeditur, & inde natam stagnationem: Stagnatione fiunt tumores, si humorum motus per partium meatus & vasa subtilia impeditur, estq; hæc humorum stagnatio & inde natus tumor *vel* simpliciter *vel* secundum quid *morbosa*. *Illa* est in tumoribus vulgaribus, hæc habet locum in tumoribus criticis hisq; similibus, ubi promiscuè hæret tumor transiens. Hic secretione quadam facta partes quædã ad hærent, aliis adhuc transmissis. Hinc *illa* stagnatio propriè dicta, *hæc* congestio dici potest. Jam in specie *ex stagnatione morbosa simpliciter* fiunt *inflammationes, contusiones, erysipelas* & similia, & quidem hæ omnes *ex sanguine*; sicut *ex lympha stagnante* tumores *serosi, hydropes particulares, œdemata &c.* Pertinet huc *lac in mammis concretum, lochia circa uterum contenta*. Ex stagnatione (2.) secundùm quid morbosa fiunt tumores *critici* & *abscessus* hisq; similes, excrementis nempe febrilibus ob crassitiem aut coacervationem restitantibus, lympha verò tenuiori transeunte. SECUNDO MODO *fiunt tumores* per generationem novi tumoris, tumorem inferentis, *quando alimentum partis proximum coacervatur & colligitur præter naturaliter*, idq; 1. corruptum *vel* plus minus alteratum. *Corruptum*, quando nempe fermentum quoddam vitiosum in parte adhuc hæret, quod alimentum degenerare facit in varios vitiosos succos, qui successivè collecti dant tumores, continuò in ulcera denuò degenerantes. *Bubo venereus* ex contactu scorti similem habet originem, ut & *cancer mãmarum*, quin & *lues venerea*, ossa corrumpens. Quod attinet *alimenti alterationem, ex alimento plus minus alterato* in parte coacervato fiunt *tumores ipsis partibus similes*, ut *ossium fractorum callosæ excrescentiæ, carnis in ulceribus excrescentia, viscerum aucta magnitudo, Ganglia & nodi*. Ex alimento plus minus alterato fiunt *tumores partibus dissimiles*, ut *polypi, verrucæ*, & quæ ad has pertinent, *cornua, fungi, it. tumores peculiari membrana inclusi*; Quoad CAUSAS REMOTAS, *stagnatio humorum* quæcunq; *contingit à vitio viarum, aut* ob angustiam, *aut* propter humorem ad transeundum ineptum, propter sui *vel* crassitiem, *vel* particularum ad poros partis ineptam informationem. §. VIÆ PORIQUE SUNT ANGUSTI [1.] propter *compressionem* ab incumbente, [2.] ob *constrictionem* à vinculis, (3.) propter *obstructionem* à materia viscida mucilaginosa efficiente frigido, aut acido cõdensata, (4.) ob *fibrarum partium contracturam atq; crispationem* indeq; pororum angustiam in dolore à partium nervosarum irritatione. *Humorum v. crassities* evenit *vel* propter pituitam seu chylum crudiorem vel viscidiorem non ritè subactum, in prima vel secunda vel tertia digestione, *vel* propter frigus humores inspissans, *aut* propter acidum

acidum humores coagulans, *aut* propter remedium denique externum male adhibitum, eos incraſſans. *Humoris* deniq; *particulæ malè figuratæ per poros tranſire nequeunt*, quin hæ per præcipitationem ex maſſa ſanguinea ſeparatæ, tantum denſius agglomerantur, ut circa poros partium reſtitent & abſceſſum criticum inferant. Quoad CAUSAS REMOTAS TUMORUM EX NOVO HUMORE, oriuntur hi tumores, quando *fermentum corruptum*, ut plurimum *vitioſe acidum in parte latet*, quod alimentum proximum degenerare facit in varios vitioſos ſuccos , qui pedetentim collecti dant novos tumores, ut v. gr. in *abſceſſu, carie oſſium, ulceribus* non ritè mundificatis &c. *Alimentum* verò *minùs alteratum dat tumores*, & quidem ut plurimum per labores pori partium dilatantur, fibræ lacerantur, membranæ diſcenduntur, quibus de cauſis alimentum copioſius recipitur, ulteriùs retinetur & pedetentim colligitur, unde tumores oriuntur. Sic ex tendinis cujusdam in manu circa articulum extenſione oritur *ganglion*, ex compreſſione fibrarum in pede *clavus*. *Alimentum plus minùs alteratum* dat excreſcentias membranis propriis incluſas, pro alimenti alteratione *nunc* ſerum, *nunc* ſevum, *nunc* mel in cavo *continentibus*. Pertinent huc *polypi*, *verrucæ* & ſim. ſic *polypus* facilè ſupervenit leni fibrarum in naribus exulcerationi quibus tandem excreſcit polypus. §. UT CURENTUR TUMORES, neceſſe eſt removeatur continens ipſorum cauſa ſeu contenta materia , ut remotâ materiâ fibræ partiū & pori ſe denuò contrahant, & naturalis parti redeat figura ac conſequenter functio naturalis. Per exemplum, *in ſtagnatione humorū*, pars liberatur (1.) reſtituendo ipſi motum naturalem (2.) evacuando humores imediatè ex parte, aut reſolvendo, aut diſcutiendo, aut viam novā aperiendo, ſecando & urendo. Iſtud ſtagnationibus ſimpliciter; hoc verò (nempe apertio tumoris) congeſtis magis convenit humoribus. *Motus reſtituitur* ſtagnantib9, ſi 1. *vel* viæ anguſtæ dilatentur, removendo impedimenta externa, *vel* ſecundò materia coagulata obſtruens ſolvatur, *vel* 3. dolor tenſivus mulceatur, *vel* 4. ipſe humor craſſus tollatur. *Tollitur hæc ſtagnatio* 1. removendo externa incraſſantia, 2. temperando frigus inſpiſſans, 3. corrigendo acidum coagulans. *Humores evacuandi ſunt vel inſenſibiliter* diſcutiendo, *quod fit vel* acidum coagulans temperando, *vel* tumorem per medicamenta ſubtiliora attenuantia diſſipando, *vel apertione novi foraminis evacuando humores*, *vel* cocti per ſuppurantia, *vel* à cruditate relicti mitigati & alterati, ſi ſuppurationis perfectæ ſint incapaces. *Illud* tumoribus ſanguineis; hoc verò reliquis tumoribus ex aliis occaſionib9 convenit. SUPPURATIO fit, quādo in ſanguine ſtagnante & congeſto evaneſcunt & diſſipantur partes ejus ſpirituoſæ, quod verò remanet, ſpiſſeſcit, grumeſcit & acorē contrahit, unde efferveſcentia cum partibus ſalinis volatilibus oleoſit in ſanguine oritur, ſub qua non tantùm calor in parte ſequitur major, ſed etiam turgeſcēdo tumoris magnitudo ſenſim ſenſimq; in medio accreſcit , unde dolor & tenſivus & pulſatorius ſupervenit. Idem ſanguis in pus corrumpitur , acido adhuc nonnihil prædominante, à quo ⊖ . & ♀. ſanguinis præcipitantur, unde color iſte albicans puris eſt. In hoc negotio ſuppurationis conſiderandum eſt *acidum*, nam *hoc abundante* , nulla fit ſuppuratio , ſed vel corroſio , vel ſcirrhus, *deficiente*

non

non opus eſt ſuppuratione. *Acidum ergò* cum ſale volatili oleoſo effervesſcens dat tumores per ſuppurationem curandos. Ex his patet *qualia medicamenta ſint applicanda*; *motum* nempe *humorũ quæ reſtituunt*, quæ diſſolvunt, attenuant, & alcali temperato coagulatum tollunt: *per diaphoreſin diſcutiunt* primariò, quæ participant de ſale oleoſo tam fixo quam volatili, nunc magis nunc minus temperato, quo pertinent fixius acidum abſorbentia; *ſuppurationẽ adjuvamus*, applicando remedia temperata, humectantia, occulto tamen ſale volatili conſtantia, plus minus tamen pro ratione materiæ ſuppurandæ, imprimis tamen debent eſſe mucilaginoſa, & ſuaviter laxantia, nam his acrimonia humorũ ſuppurandorũ temperatur, ut acido temperato ſalia effervescentia minore dolore, & ardore inter ſe concurrant, & blandè ſe in pus ſalſum uniant & convertant; Ipſis remediis n. laxantur tenſæ antea fibræ, unde dolor mitigatur. §. Si verò tumor ſuppurandus ſit craſſus, aut viſcidus, aut acidus, v.gr. in lacte grumoſo in mamis, applicanda ſunt paulò acriora ſale volatili magis imprægnata. Item APERTIO TUMORIS SUPPURATI, fit *vel* ſponte naturæ, dum ſupertenſa cutis ab acrimonia humoris contenti eroditur, *vel ferro*, id quod optimum, vel *igne*, & hoc *vel potentiali vel actuali*. *Ignis potentialis* parandi modus, *nunc* ex alcali fixo, acri, *nunc* ex acido, nempe butyro ♁nii, aut magnete tali, aut lapide infernali. *Aperto tumore* materia contenta evacuanda, poſtmodũ cavum reſtitans *abſceſſus* nomẽ obtinet, qui ubi per occultos quaſi cuniculos hinc inde ſerpit, *ſinus* nominatur. Talis ergo abſceſſus ſimili modo, atq; alia ulcera, mundificandus atq; conſolidandus eſt. Quod attinet *tumores per novam humoris generationem* introductos, *curentur aut* inſenſibiliter materiã reſolvendo, quod rarius contingit, *aut* per aperturã eandem evacuando, quod frequentius; materia antè emollientibus & ſuppurantib. alterata & mitigata: Caveatur recidiva tumoris, fermẽti peregrini in loco affecto totali deſtructione. Excreſcentias tollunt ferrũ & ignis, præcavendo recidivam per totalem deletionem. §. Hiſce in cura tumorum comodè adduntur *interna remedia*, *nunc* quæ laxant primas vias, & maſſam ſanguineam expurgant: *Nunc* quæ acidum vitioſum tam in primis viis, quàm reliquo corpore abſorbent; *nunc* quæ labem maſſæ ſanguineæ peculiarẽ corrigunt, *nunc* quæ blando ſudore pro ſubjecti natura omnes humores, ſtagnationes & coagulationes ſolvunt, & æqualem humoribus motum conciliant, tumoremq; inſenſibiliter reſolvunt. *Remedia* ergò *tumorum ſunt in triplici claſſe*, *vel* reſolvunt, attenuant, *vel* diſcutiunt, *vel* ſuppurant. *Reſolventia* ſunt ea, quæ ſtagnationi humorũ ſunt oppoſita, utpote quos reſolutos in naturalẽ motum promovent: Huc revocãtur quæ craſſum attenuant, coagulũ ſolvunt, grumos & viſcida incidunt, & concreta fundunt, ortasq; durities tollunt; omnia hæc ſub nomine attenuantiũ & reſolventium comprehenduntur. Operandi rationes facilè patent: Dictum eſt, quod humores coagulati ſtagnent, & quod nunc ſint ſanguis, nunc pituita, nunc uterq; ſimul: Sanguis nempe craſſus & viſcidus ob chyli portiones craſſas ab acido inſpiſſatur; Hic tertius modo dat tumores obſtinatiſſimos, ſcirrhum nempe & ſcrophulas; Ergo Medicamenta reſolventia ſunt emollientia,

ratione

ratione duri; attenuantia ratione crassi & coagulati. Hanc vim obtinent acidum temperando, partes coagulatas penetrando, easque attenuando, & ita humores demuò meabiles reddendo; nam quæ à frigore fit coagulatio, admoto externo calore potest resolvi. *Remedia* ergò sunt (1.) pinguia acidum obtundentia, & fibras laxantia. (2.) paulò acriora sed de sale volatili penetrantiori participantia, quæ & acidum absumunt, & volatilitate partium in poros penetrant, & humores mobiles reddunt; prout ergò coagulum plus minus est forte, ratione vel acidi inspissantis, vel humoris crassi subsistentis, varianda sunt remedia, inde *emollientia & attenuantia in tres gradus possunt subdividi*, nempe lenia, mediocria & fortiora; *Dicis*, reperiuntur etiam acida, quæ attenuant & resolvunt, *sed hæc* quatenus sunt acida, hoc non præstant, sed salinarũ partium volatilitate, unde vix sola usurpantur, sed pro vehiculo aliis adduntur; In specie *emollientia leniora sunt* sequentia. *rad.* & *herbæ malv. alth. mercurial. branc.ursin. viol. lil.alb. sem.fœn. græc. malv. lupin.* exque his paratæ *mucilagines, caricæ ping. uvæ pass. adipes* & *axung. capon. vaccinæ, porcin. human. pinguedines recentes* magis emolliunt, *Veteres* attenuant, & illud magis, si sunt pinguedines ex *fœmellis*, quàm si ex maribus, *medulla animalium recentes, lac, butyr. ol.amygd.* d. cum *ol. lil. alb. ungv. de alth.* singulare est cum *unguent. resumptivo.*

Secundæ classis: *Radic.* & *herb.apii, helenii, cæpæ coctæ, chærefol.beton. verbasc.samb. & hujus flor.menth.artemis.cicuta, scabios.crocus, chamom.adeps anserin. vulp.urs.cervor. sevum hircinum, gumm.tacamah.elem.res.tereb.cera, sperma ceti, ol.chamom.hyper.nuc.anethi, laurin. nicot. ung.* & *empl.* de *cicut. beton. diachyl. simpl. de meliloto.*

In tertia classe, *rad. & herb.bryon.cucum. cepar.crud.cyclamin.sigill. salomon. sabin. absinth. centaur. min. nicot. sem. lini, eruc.cumin.cum aceto trita, gumm.ammon.galban. bdell.sagapen.opopan.ladan.resina pini; sterus & urina animaliũ, nidus hirund.* cum excrementis *spir.urinæ,* ⊖.✱*ci, spir.vini procatus, & camphor.vapor.aceti acerrimi, ol.laterin. lumbric. petrol. nicot. terebinth. cera, bals. sulph. ung. martiat. emplastr. diachyl. compos. oxycroceum, de ammon. Vigonis c.mercur. Mercurius & laminæ* ♄*ni illitus* & applicatus. Ex his fiunt varia remedia composita. v.g. *Fomentum emolliens.*

℞. rad. alth. lil. albor. ana ℥iß. herb. malv. melilot. flor. sambuc, ana mj. caricar. pingu. num. iii. coque in s.q. lactis caprilli, cola. S. Erweichender Umbschlag. Vel coq. in s. q. 🜄. simpl. colatur. ℞. ℔iß. add. succ. cepar. rec. ℥iii. M. S.

Cataplasma resolvens: ℞. rad. alth. ℥iii. fol. brassic. malv. ana m. j. cucum. asinin. rec. ℥i. herb. absinth. m. j. flor. chamom. melilot. ana mß. sem. lini ℥iß. contund. coq. in s.q. 🜄. simpl. vel lacte, vel sero lactis pro lubitu, trajice per setaceum, pulpam trajectam ℞. adde stercor. equin. ℥iii. ol. chamom. ℥iß. cepar. coctar. ℥ii. M. pro cataplasmate.

Empl. duros tumores emolliens. ℞. empl. de melilot. gum̃. ammon. in aceto sol. & iterum inspiss. ana ℥iß. liquefact. malaxentur & inspissentur c. s.q. ol. nicotian. vel philosoph. inducatur super alutam. S. auflösend Pflaster.

(2.) *Remedia* tumorem *inſenſibiliter diſcutientia*, alias dicuntur *diaphoretica*, item interno uſu *carminativa*, & *aperientia*, ut poros partium, dum ſunt occupati tumore quodã, aperiant, humores penetrẽt & diſcutiant, id eſt, dum pori partium ſunt oppilati humore quodam, non poſſunt liberari, niſi humor diſſipetur, & inſenſibiliter evacuetur. Requiritur ad hoc ut humor ſit fluidus, reſolubilis & conſequenter expers omnis craſſitiei; Si adſit talis craſſities, eſt corrigenda; quæ ergò talem humorem reſolvunt, neceſſe eſt, ut habeant partes ſubtiles, tenuiores, penetrantes; quæ producere valent in parte quendam calorem, quo pori patentes reddantur, & ſic humores mobiles tranſmittant. *Vitentur* ergo *frigida*, quæ poros occludunt, *acida* quæ humores coagulant; *uſurpentur* autem penetrantia *aromatica, ſale volatili oleoſo prædita*, quæ humorum coagulationem ſiſtunt, partes calefaciunt, nervis amica ſunt.

INFLAMMATIONES. Inter tumores in ſpecie primatum tenet INFLAMMATIONES ſeu PHLEGMONES, ſed fiunt omnes per motum ſanguinis impeditum, indeque ortam ſtagnationem, unde hujusmodi inflammationes, tumor, calor, dolor pulſatorius & color p.n. neceſſariò inſequuntur. Prout autem variat ſanguinis craſis & conſtitutio, eatenus etiam inflammationes, quæ nunc genuinæ, nunc ſpuriæ eſſe ſolent. CAUSA inflammationum externarum ſunt *vel* læſiones externæ, *vel* ſpina quædam interna: *Læſiones externæ* ſunt contuſiones, fracturæ & reliquæ. *Per ſpinam* verò *internam, ejusmodi parti infixam* intelligitur ſimilitudo, quia, quamdiu ſpina extrinſecus digito infixa infert inflammationem, ſic in partibus internis aliquod heterogeneum in vel ſub digeſtione prima enatum, vel digeſtione publica obortum, inflammationes infert. *Omnes inflammationes vel* inſenſibiliter diſcutiuntur *vel* ſuppurantur, *vel* malè tractatæ in gangrænam transmigrant.

CURA ergò ritè inſtituenda, *uſurpentur* externa & interna. *Interna* ſunt *ſudorifera moderata de natura alcalium tam fixa, quàm volatilia*, quæ ſanguinem coagulatum reſolvunt, & ſtagnationem tollunt, ut *ſpir. nitri dulcis*: Externè uſurpanda ſunt *in principio ſanguinem ſtagnantem reſolventia & fluxilem reddentia*, inter quæ excellit *decoctum ſulphuris cum urino*, decantatum à *Paracelſo*, quod crebrius calidè applicatur, convenit etiam *ſuccus 69. fluviat. rec. calide applic.* & renovatus, *Empl. de ſperm. ceti, balſ. ſulphur. empl. dia-ſulph. Rulandi, fotus ex blandis diaphoreticis & aromaticis una cum ſpir. vini extrinſecus* applicatus excellit: præter *decoctum calc. vivæ l. ſolum*, vel cum *ſaccharo* ♄*ni*, loco cujus etiam *epithema* convenit *ad diſcutiendos tumores inflammatorios*.

℞. lixiv. ciner. ſarmento r. vitis, vitriol. ʒiß. ⊖ ʒi. aceti vini opt. ℥i. M. Confert non ſolum ad ſimplices *inflammationes eryſipelaceas, vel œdematoſas nothas*, ſed etiam *imminentem gangrænam* præſervat. His ſi non obſeqvatur tumor inflammatorius, ut poſſit diſcuti, maturetur & ſuppuretur: uſurpanda temperata, ſi inflammatio eſt genuina, quibus adde acriora, ſi eſt notha ſeu pituitoſa; ubi

nempe

nempe sanguis inflammatus pruriens chylo crudo & viscido fuit permixtus. In his *vitentur pinguia oleosa*, & inprimis quando ardor & inflammatio suppuranda urget. *Conveniunt* ergò *emollientia in lacte*, *vel*, ubi ardor adest, *in sero lactis* coct. & applic. vide infrà exemplum.

℞. Empl. de melilotho, malaxetur cum ol. lil. alb. M.

℞. Empl. de meliloto ℥i. diachyl. compos. M. cum unguento altheæ.

Præ reliquis egregium est suppurans *lac*, in quo coctus sapo Venetus, plus minus, prout magis vel minus genuina est inflammatio, hoc appositum cum linteis multipl. mirè maturat & aperit abscessum; si his suppurata fuerit inflammatio, aperietur tumor, & nisi spontè fiat, aperiatur scalpello vel cauterio potentiali: Apertus purificetur & consolidetur; *purificatur* optimè vel cum *bals. sulphur.* vel *bals. Peruv.* vel *bals. tereb.* iste cum vitello ovi mundificatus spontè denuò coalescit. Verissimum est effatum *Lindani*, quod bals. sulph. & empl. dia-sulphuris hic sufficiant.

Suffusiones Sanguinis. Hæ oriuntur ex Causa Externa, & ferè eandem cum inflammationibus genuinis habent naturam, nempe in suffusionibus stagnat in loco tumenti sanguis, ob poros vel vasa compressa, aut lacerata; hinc sanguis corrumpitur, unde pars livorem contrahit. *Sanguis corruptus vel* insensibiliter discutitur, *vel* in pus mutatur, *vel* putrefactus gangrænam infert. Prius fit in contusione leviori, posterius in graviori, ultimum in gravissima, cum laceratione partium carnosarum & nervosarum.

Remedia Interna sunt *sudorifera*, *sanguinem congrumatum resolventia*, observando simul, ut, imprimis si sit suspicio partis cujusdam internæ læsæ, propinentur vel *blandè laxantia*, vel *blanda diaphoretica*. Si verò in locis externis hæreat, sufficiunt sudorifera. Eminent *oc. 69. cum aceto, carbon. tiliæ*, in vino, *salia vol.* in debita dosi sunt egregia. *Externè* primus scopus est, ut sanguis grumosus resolvatur & discutiatur, pro hoc scopo convenit *spir. vini probè rectificatus & tartarisatus* externè illitus, nunc simplex, nunc *camphoratus*, nunc *crocatus*. Convenit vinum, & cum vino factum lixivium, *spirit. *ci cum spir. vini paratus*; graviores contusiones promptissime discutit, & in specie *in partibus nerveis bals. Peruv. in vitello ovi & Spir. vini dissolutus*, est nobilis fotus. E dictis *rad. bryon.* cum *vino*, vel in quo decoctæ sint *plantæ aromat.* ut *rad. Ireos nostr. rosmarin. majoran. menth.* & sim. præter dicta egregia sunt *rad. symphyt. maj. & sigill. Salomonis*, decocta, & sub forma fotus, & emplastri applicata.

℞. rad. symphyt. maj. ℥iv. sigill. Salom. herb. melilot. fl. sambuc. chamom. ana mj. croci ʒi. coque cum vino, decoctum vel sub forma fotus vel cataplasm. applicetur externè. Facit huc *Emplastr. contra livorem faciei Mynsichti*, quod in leviori suffusione est egregium. Si dictis remediis nequeat discuti suffusio, vel si suffusio sit grandior, & ad suppurationem tendat, necesse est ut suppuretur, & abscessus apertus consolidetur eâdem ratione ac inflammatio;

Si *gravior ſit ſuffuſio* facta, ſcarificetur profundâ vulneratione, & ſanguis extrahatur; poſtmodum *ung. Ægyptiac. cum digeſtivo mixtum* applicetur; *Ægyptiacum pro ratione* imminentis *gangrænæ*. §. Si verò ſubinde cum febrium ſymptomatib. quaſi cùm horrore & ſubſequente gravi æſtu erumpat tumor, non adeò inſignis quoad eminentiam, intenſe tamen rubeus, latè diffuſus, ſubindè latius ſerpens cum graviori ardore & dolore, & quidem talis, qui digitis preſſus maculam albam ſubitò tamen ruffeſcentem oſtendit, qui vocatur Erysipelas *vel* Rosa.

Rosa non oritur à bile vel ſale volatili oleoſo ſimpliciter, Sed *à ſubtili & volatili acido cum ⊖ ſanguinis febriliter efferveſcente* & in parte inter cutanea hærente, ibiq; ſanguinem in extremitatibus vaſorum capillarium figente; Hinc ſcorbutici levi de cauſa laborant eryſipelate, hinc magis circa nervoſa & ſanguinea loca ſimul, non circa ſanguinea ſolùm oritur eryſipelas; Si non rite tractetur, recidivat vel degenerat in ulcera, alias facillimè curatur, modò *iſtud acidum infringatur*, quod faciunt *interna ſudorifera* ex *rob. ſambuci* propinata, *externè* conveniunt, quæ acidum ſubtile diſcutiunt, vi alcalina prædita, vel abſorbent, ut *ſaturnina*. Primi generis ſunt *ſpir. vini crocatus* & *camphoratus*, hinc *ſperma ranarum*, & *lintea hoc ſpermate probè impragnata*, quo pertinet *pannus linteus crocatus Mynſichti*, convenit etiam *fel carpionum* illitum, item *theriaca cum ſale abſinthii* ſubacta & *in forma unguenti* eryſipelati impoſita, facit & huc *decoctum olibani & myrrhæ cum camphora & croco*, nempe

℞. myrrhæ, olibani aa. ℥ß. camphor. ʒij. croci ʒß. coque in ▽ et vino.

Quæ *acidum abſorbent* ſunt ex *ſaturno, ut* ▽. *calcis vivæ cum ſaturno, pulv. ex ſacchari ſaturni, ceruſſa, minio, thure, croco, camphora, &* ſimilia: hinc vel ſicca, vel cum papyro gryſeo melle illito vel imprægnato ſpir. vini crocato, applicantur. Nobile etiam eſt *epithema Zwelfferi*: Nec eſt ut metuamus hujusmodi *externa humida*; talia nempe, quæ ſunt *actu frigida*, & *adſtringentia, ſunt nocentiſſima. Item* quæ ſunt *pinguia, emplaſtica, mucilaginoſa*, oblitis enim poris eryſipelas acrius redditur, & ſic abit in ulcus depaſcens. Si ergò eryſipelas vel ſpontè, vel malè curatum abeat in tale ſerpens ulcus, optimus eſt *ſuccus naſturtii*, ſi adſpergatur *ceruſſa, lithargyr. lac lunæ, crocus ♂tis*, ☿. *Euporiſton Foreſti* eſt ſequens *Unguentum*:

℞. lithargyr ℥iii. ungv. popul. de ceruſſa, refrigerant. Galen. aa. ℥iß. ol. roſar. ℥j. M. in mortario plumbeo S.

Tumores Critici. Eminent etiam tumores critici in morbis acutis & febribus tam benignis quàm malignis enati, fiunt per digeſtionem in his morbis acutis, dum partes heterogeneæ maſſæ ſanguineæ, ex volatili acri maligno corrupto, cum iſto fermento vitioſo, beneficio fermentationis præcipitatæ ex maſſa ſanguinea, in locis externis circa vaſa capillaria coacervantur, & dum ſanguini vias inter cludunt, inflamationem ibidem conſtituunt. Hi tumores *ſunt primario in locis glanduloſis, ſecundario in nerveis*. Iſti ſpeciali nomine circa inguina vocantur Bubones, circa aures Parotides, & his ſimiles ſunt Furunculi: applicandum eſt *empl. citrinū* ut maturetur & ſuppuretur *furunculus*, apertus ſpontè coaleſcit; ſi hoc non fit, tan-

tillo

tillo *balsamo peruviano* consolidari solet, vel imponatur *empl. de meliloto*; Si verò sint Bubones, aut Parotides, & sint *benigni*, maturationi opera danda, & remediis, quibus alias inflammationes solent suppurari v.gr. cum *unguento de alth.* & simil. utend. si verò *maligni*, pro malignitatis ratione cura variat, nempe sunt *vel* in febrib. malignis, *vel* in lue ♀rea. Quo ad priores, facilè patent, dum loca occupant glandulosa, & eadem est natura in hoc casu ac carbunculorum, nisi sint mitiores. Pro veneno ergo in bubonibus coercendo imponatur *bufo*, justo tempore captus, exsiccatus & in aceto maceratus calidè imponatur buboni, vel *ex bufone paretur cataplasma*, vel imponatur *empl. magneticum A. Salæ*. Ablatâ crustâ & aperto bubone facile consolidatur per *balsamum ♀ris* cum *unguento basilico & theriaca*. Ut autem dictum emplastrum facilius operetur, subinde necesse est, ut in cute densiori vel bubone profundius latente præmittatur *vesicatorium*, quod ubi escharam fecerit, sublatâ escharâ necesse est imponi dictũ *empl. magneticum*, sic enim facilius operatur. Quod attinet Carbunculos, pertinent ad hujusmodi tumores malignos: Eadem n. est natura horum atque bubonũ malignorũ, quia in febri maligna pestilentiali bubones & carbunculi oriuntur. *Ex eadẽ* enim sunt Causa, nisi quod in bubonibus malignitas sit magis correcta, nempe salacre volatile & quasi causticum est, quod ex M. Sang. præcipitatum & suppuratum, in externa cute & carne hærens, caustica sua acrimonia mortificationem & livorem, ut & nigredinem infert. Nempe venenum acre & causticum est in carbunculis simile atque cauteria potentialia ex lixiviis, nam acida corrosiva nigredinem non inducunt, acria verò lixivialia nigredinem & livorem, quæ nigredo, livor & mortificatio cum magis obvia sint in carbunculis, patet, quod ejus venenum consistat in tali acri caustico lixiviali: Manifestant se quâdam minori pustula albicante, interdum pluribus, à quibus brevi cum ardore & dolore acerbo ulcus crustuosum simile, atque à candente ferro fieri solet, excitatur. Interdum citra præcedentem pustulam mox ulcus fit, crusta modo nigra, modo cinerea, qua decidente ulcus profundum emergit, putridam carnem circum circa depascens & mortificans. Caro adhuc sana in confiniis carbunculi effervescit, cum intensa phlogosi & ardore, unde omnis carbunculus circulo rubro est circumscriptus, qui tamen interdum est lividus aut cœruleus in carbunculis malignis. Curatur *per contrarium acidum*, unde mox opera danda est, ut caustica acrimonia destruatur, nil melius resistit carbunculis quàm *butyrum ♁nii*, nam si hoc ducatur circulus circa mortificatum anthracem, statim separatur pars ægrota à sana, & postmodum ulcus facile mundificatur & sanatur. Loco hujus butyri ♁nii nobile est *emplastrum magneticum A. Sale* quod applicatum, brevi crustam inducit, quâ separatâ illin. unguent. bene maturum, crustam suppurans. Si suspicio est adesse quandam malignitatem, repetatur emplastrum, hoc facto, ulcus mundificandum, diu apertum servandum ac tandem consolidandum; Ut autem hoc emplastrum

melius operetur, optimum est applicare carbunculo *veſicatorium*; vel centrum carbunculi illinatur butyro ♁nii ad magnitudinem nummi rotundi; Sic veſica & eſchara excitatur, quâ evaneſcente empl. magneticum melius operari ſolet: Hujus defectu *veſicatorium conſuetum* applicetur, facta veſica diſcindatur & vel cum *unguento Ægyptiaco* vel ○☾*li curetur*. Horum defectu ſcarificetur carbunculus & facta ſcarificatione, impone

℞. ſucci ſymphyti major. ſcabioſ. calendul. aa. ℥j. theriacæ vet. ʒiij. ⊖lis ℥j. vitell. ov. num. ij. incorporentur ſimulq; applicentur carbunculo ſcarificato, hoc aliquandiu continuandũ, ubi malignitas corrigitur & carbunculus ſeparatur.

℞. ſucci calendul. abſinthii, ſcabioſ. apii, myrrhæ, irid. flor. aloes aa. ℥j. ſarcocoll. ℥iſ. mell. roſar. ℥ij. hæc mixta mundificant ulcus. Videatur, *Valerius in libr. 3. caſ. 6.* Cum his externis etiam *internè* conveniunt *alexipharmaca*, in ſpecie ♁*ium & alia fixa, quibus Iulepi* blande *acidi ex citro, cydoniis, ſpir. ſalis, ſpir. vitrioli* & ſim. adhibendi ſunt; Præter bubones autem peſtilentiales etiam obſervandus eſt bubo venereus. Hic oritur ex acido viſcido maligno, in dicto loco ſucceſſivè coacervato, idq; laudabili naturæ conatu, nam ſic præſervantur à lue venerea, ut non eadem corripiantur. In Cura opera danda eſt, ut maturè aperiatur & virulentia eliciatur; Pro primo ſcopo imponatur *Empl. Vigonis cum mercurio, malaxatũ* cum *oleo deſtillato ligni guajaci* vel *empl. diachyl. compoſ. malaxatum cum oleo deſtil. ligni ſancti*, vel *empl. diachyl. malaxat. c. oleo* ♀*ri volatili*, ut horum remedio emolliatur bubo; perfecta enim ſuppuratio hoc in loco rarò aut nunquam accedit. Maturatus aperiatur, apertione larga, & materia evacuetur, mundificetur ulcus cum *balſamo hyperici*, mixt. cum *oleo deſtillato ligni ſancti &* ♀*ri*, & mundificetur cum *unguento de apio*, cui additum ſit parum de ☿*rio* ⊽*to* vel *arcano corallino*, ſuperponatur dictum empl. exterius; *Internè* uſurpentur primo *lignorum decocta*, poſtea *purgantia*, in fine *ſal & ſpiritus viperarum* curam bubonum abſolvunt.

De Paronychia. Hoc quod attinet, ſunt tumores ordinario obvenientes in extremitatibus digitorum, ultimis nempe articulis digitorum, ita tamen ut non excludantur reliqui articuli; Paronychia tumor eſt doloroſus, ut ſubinde univerſum brachium conſenſu afficiatur. Oritur ex humore acri, admodum corroſivo, immediatè perioſtium, & ipſi adhærentes tendines occupante, & quidem mediatè. Supervenit *inflammatio*, eaq; in *apoſtema* vergit, imò interdum ante factam apoſtemationem paronychia ad *gangrænam* vergit. *Occaſio* hujus acidi eſt ut plurimum ex læſione oſſis articulos conſtituentis, tunc enim ex oſſe tranſudat nutrimentum proximum, unde acorem contrahit & partes afficit, unde dolor; pro hoc ſiſtendo nil melius eſt remediis ex *lumbricis*, nempe *liquore lumbricorum* in clibano facto, *ſpiritu lumbricorum* & ſimilibus, digitis illitis: Item *balſam.* ♀*ris. Externè* diſcutit dolorem & tumorem, ſi fieri etiam poteſt, maturè ad ſuppurationem producit *Linimentum ex ſordibus aurium cum ſaccharo ſaturni* comixtũ cum *pauco ol. avellanarum expreſſo*, optima ſunt; convenit etiam, ſi *digitus intrudatur in ſterquilinium*,

vel

vel ℞. *linteum*, quod *humectetur cum sterquilinio, & calidè digito dolenti applicetur*, sic optimè discutitur & sistitur dolor & tumor.

De Pernionibus. His subinde inflammationes superveniunt, affligunt imprimis partes optimas nerveas, tales n. partes si affectæ tument, & ex albedine ad aliquam cœrulescentiam inclinant, dolent, ita ut nunc cum, nunc sine exulceratione evanescant, ut tamen semper, quoties inclementia aëris, & frigus instat, dolor increscat. Ut præserventur perniones, nil melius est, quàm *petroleum* illitum, quod & præservat & factos jam curat. Item *terebinthina* loco refrigerato, dum imminet frigus, denuo *vesica bubulâ* imposita; juxta hoc *oleum pini* destillatū præcellens, quod est nobile præservativum & curativum. Si vero gravius læsæ sint partes à frigore, tunc ad eliciendum frigus, optimum est cataplasma liquidum calide applicatum; Sic omne frigus & dolor discutitur & resolvitur. Alias notum est, quod contra hos nihil melius sit *rapis*, in specie *exsiccatis*; *decoctum horum* est egregium, unde etiam *unguentum de rapis Mynf.* est elegans ad perniones curandas, convenit etiam si jam exulceratæ fuerint, contra quas egregium est; sic

℞. rapa & mediocriter excavetur, infund. ol. rosar. & assetur sub cineribus calidis, quo facto si post expressionem linimentum applicatur pernionibus, easdem solet restituere & consolidare; alias expertum est *linimentum Sculteti* in observationibus. Item *mucilagines semin. cydon. cum* ▽ *solani* extractæ, adde parum *tutiæ præp.* convenit, si cum linteis multiplicatis applicetur *pernionibus exulceratis.*

Tumores Ex Lymphæ Vitio, nempe si fiat, ut ex impedito lymphæ motu propter vasa lymphatica, vel obstructa, vel rupta, aut aliter affecta lymphæ fiat collectio aut stagnatio, exsurgunt Tumores, qui vocantur Serosi seu Aquosi ad tactū molles, laxi, indolentes, & quibus à digito impresso nullum remanet vestigium. Interdum ad lucem vel candelam conspecti, pellucidi quodamodo apparent. Eadē lympha in cavitatibus quibusdā collecta, occasionem præbet hydropi particulari, in parte selecta. Tumores serosi, sine ingenti sunt periculo, saltem quia subinde sunt comites aliorum affectuum tamen, si Curandi sint, conveniunt *validiora discutientia & resolventia*, eminet ▽ *calcis vivæ, cum spir. vini* imprægnata, hæc & per se & cum spir. vini ebria est egregia, si cum spongia calidè applicetur, convenit etiam *stercus bubulum cum pulvere cumini.* Insignis vis latet in stercore bubulo, sic enim quando hoc applicant pedibus, qui podagra laborant, cum levamine id faciunt: vel convenit *empl. de baccis lauri*, vel *hydropic. Augustanor.* imprimis tamen *de baccis lauri. mixtum cum ol. & stercore caprillo*, quæ cum *melle* rediguntur in Empl.

℞. Empl. de baccis lauri cum stercore caprill. ℥ij. melilot. ℥vj. M. applicetur calidè. Cum his externis jungantur *interna*, tam *diuretica*, quàm in specie *diaphoretica*; inter quæ remedia ex lignis, imprimis *decoctum ligni Iuniperini & sassafr.* sunt optima. Eadem lympha, vitiosa tamen & crassior ac viscosior reddita, & cum chylo crudo massæ sanguineæ permixta & hinc inde distributa, hinc inde stagnans dat Oedemata, nempe tumores molles, laxos, digito prementi cedentes, ut tamen hujus

hujus vestigia diutius retineant, & successivè denuò protuberent, indolentes sunt & albicantes. Præ cœteris partibus crura infestantes. Rarum est, quòd hæc œdemata per se oriantur, frequentius aliis superveniunt morbis, *nunc* chronicis, ut phthisi, asthmati, *nunc* post morbos acutos, in ægris reconvalescentibus apparent, inprimis quando præmaturè ægri lautiori diæta utuntur. Si per se apparent, malum signum est, quia metus est, ne morbi chronici superveniant.

Cura præmissis internis, imprimis *stomachicis aromaticis* cum originem ducant ex vitiata chylosi, *Elixir proprietat. antiscorbuticum*, *essentia catarrhalis*, etiam *noduli alterantes & laxantes*, cum *sudoriferis & diureticis*, *externè diaphoretica & resolventia*, nunc *acriora alcalinis salibus turgida*, nunc magis *temperata alcalibus oleosis prædita* sunt usurpanda. Conveniunt ergò *externè* omnia *aromatica*, in specie *cataplasmata* & *fomenta* ex *absinthio rorem. origano, chamomill.* & simil. hæc *in vino vel lixivio communi decocta* in forma nunc fomenti nunc cataplasm. applic. Vel ℞. herb. rorism. bacc. junip. ana q: v. ebulliant in ▽. simpl. & lixivii s. q. fiat pediluvium.

In pedibus œdematosis est egregium. *Lixivia* in dictis casibus sunt optima, vide *Hartm. & Platerum.* Convenit etiam *Empl. de baccis lauri*, malaxatum cum *petrol.* vel *ol. destill. succini*, quotidie bis repetitum, vel etiam præparetur *suffitus* ✠. super lapides candefactos.

℞. succini pulverisat. ℥viii. aceti dest. ℔j. in lapid. candefact. & excipiatur fumus pedibus aut partibus œdematosis, postmodum applicetur dictum empl. Vel fiat *Cataplasma.*

℞. fol. tamarisci, rorism. rutæ ana mj. bulliant in ▽. & vino ad mollitiē, adde farinæ cicerum, furfuris frumenti ana ℥iii. sterc. vaccini, mellis optim. ana ℥iv. f. *cataplasma.*

Juxta hæc si acria desiderentur, eminet *Aq. calc. vivæ*, & *lixivium ex ciner. sarment. vit.* in quo bulliat sulphur commune. Tale lixivium etiam discutit dicta œdemata: *Ol. tart. volat.* rectificatum aliquoties à C.C. usto, illitum, mirum est. Non inferius est *oleum guajac. dest.* probè rectificatum. In contumacioribus tumoribus ℞. *stercor. caprar.* q. s. cui infund. *urina humana*, vel ipsius ægri; hæc mixta calidè impone parti œdematosæ in forma cataplasmatis; vel *fimus equin.* misceatur cum *farina hordei & aceto*, & simili applicetur modo. Si hujusmodi *œdemata* superveniunt morbis vel acutis vel chronicis, optimum est *chelidonium majus*, recens contusum, & plantis pedum applicatum.

Scrophulæ juxta œdemata. Lympha viscida & vitiosa, acida & quodam acore austero prædita, in poris & meatibus glandulosis collecta, ibidem induratur, & dat *scrophulas & strumas*, quales frequentius quidem collum, utpote ubique glandulis obsessum, rariùs alia loca occupant, utut subinde in mesaraic repertus abscessus fuerit. *Scrophulæ* & *strumæ* sub duplici sunt *differentia*: Vel sunt mobiles & pendulæ, vel immobiles seu fixæ; quæ reliquis partibus profundius

fundius intertextæ & iisdem firmius irradicatæ ſunt: Porrò attactu vel *duræ* vel
molles, vel *dolentes* vel *indolentes*, *legitimæ l. nothæ*, dicuntur; natæ nempe *ex acido vi-*
tioſo & cancroſo ferè: legitimæ ſunt *malignæ*, illegitimæ verò *benignæ*. Pro Cura er-
gò, *emolliendæ & reſolvendæ ſunt*, per medicamenta potenter *incidentia* & *penetran-*
tia, viſcida *liquefacientia*, & acidum viſcidum *corrigentia*: Eminet *ol. deſtill.* Helm.
in tr. tartarus non eſt in potu, cujus autor eſt Langius in Epiſt. 4. l. 3. juxta hoc eſt
oleum & *pulvis lacertarum* cum aceto præparatarum, pulvis internè nobilis contra
ſcrophulas, *gummi* imprimis ✻ *cum*, & reliqua ex his parata, *empl. de Gummi* ✻ *o, ci-*
cuta, crocat. Mynſichti ſunt optima. *Cataplaſma ex fol. cucumer. aſinin. optimum eſt*; Si
iſta emplaſtra non ſuffecerint, impprægnentur cum *mercurio vivo*, qui potenter pe-
netrat. Hinc *unguentum Vigonis de ranis cum mercur. duplici* eſt egreg. vel ex *Gummi*
caranna cum mercurio & Terebinth. ſubact. fiat empl. ad imitationem *Barbette*; Habe-
tur amalgama mercuriale, ex quo & cum quo emplaſtra parata forſan ſunt egregia;
emplaſtrum diachyl. cum mucilaginibus v. gr. ℥j. *adde mercurii vivi ſaliva extincti* ʒj. Si
verò non ſuffecerint, uſurpanda ſunt ſucceſſivè ad quandam ſuppurationem du-
centia, ad quam ſcrophulæ legitimæ interdum ſponte tendunt. Conveniunt ejus
loco *empl. de meliloto cum oleo amygdalar. dulc. & pinguedin. ſerpentin.* vel *cataplaſma*
ex cucum. aſin. emplaſtr. magnetic. A. Salæ cum *empl. dia* ♀*ris mixt.* ad Imitationem
Tab. In Cura cancri. ℞. empl. de nicotiana *Plat.* quem vid. *c. 1. obſerv. 28.* His & ſi-
milibus ſuppurandæ ſunt ſcrophulæ; Scrophulæ ſuppuratæ non ſtatim ſunt ape-
riendæ, ſed quamdiu fieri poteſt reliquendæ, ut eo major glandulosa pars ſuppu-
retur, aperto enim abſceſſu tota glandula abſumenda eſt, præſtat vel *commune dige-*
ſtivum, vel, quod melius, ſi *cum* tali digeſtivo ☿*tus* ritè paratus, ut fiat indolens, ap-
plicetur; Glandularum ulcus poſtmodum *mundificandum &* denuò *incarnandum*
erit; pro *mundificando* ſufficit *balſamus* ♀*ris*. Si verò glandulæ ſint *pendulæ*, com-
modè filo ſeu ſeta equina pedetentim conſtringendæ ſunt, ut ſenſim marcidæ ſpõ-
tè ſeparentur; Si verò *propriis tunicis* ſint *incluſæ*, ſubinde neceſſe eſt, ut, cùm diſcu-
tientia & ſuppurantia ſint fruſtranea, chirurgi manu curentur, proſpiciendo ut
membrana tota tollatur, quod ſaltem fieri poteſt, ubi non magna vaſa aut nervi ad
glandulas tendunt; Cum his modo *internè* jungenda ſunt *fixa, acidum abſorbentia*,
ut *ſpongia combuſta, oſſa ſepiæ*, remedia *viperina, arcanum duplicatum, pumex* præpara-
tus, *piper, pulvis ſternutator.* cui accedunt *purgantia appropriata*.

Scirrhus: Sic dictus *Tumor durus, renitens tactui*, qui ſenſim utplurimùm ge-
neratur in partibus mollioribus, & indolens eſt, & occupat tam *internas* quàm *ex-*
ternas partes; Nascitur ex *coagulatione aut* ſanguinis, *aut* chyli crudioris, *aut* utri-
uſq; ſimul. Ex *ſanguine coagulato*, quando inflãmationibus malè tractatis ſuperve-
nit, imprimis quando per repellentia malè tractatur, tunc enim talis tumor durus
remanet ſeu ſcirrhus. Ex *chylo crudo*, cum interdum tumoribus, epithematibus ni-
mis validè diſcutientibus tractatis ſuperveniunt, ſicuti mammæ, in quibus lac coa-
gulatum hæret, tandem durum ſcirrhum contrahunt; ut plurimum tamen iſtis ſu-

perveniunt, quibus sanguis in poris viscerum peracidum nimium vel fixius, dictã materiam coagulans congeritur. In his scirrhis probè observanda est *differentia & distinctio*: Scirrhus vel indolens est & legitimus, l. dolens & nothus, qui subinde est cancrosus, unde si curatur, periculum est ne in cancrum degeneret. *Acidum* ergò temperandum & *durities* emollienda. Faciunt hoc *resolventia fortiora* discutientibus moderatis permista: ut resolvatur tumor; Inter hæc eminet *cicuta, mandragor. Nicotian. cucum: asinin.* & similia, in forma empl. succulenti l. cataplasmat. applicata. Juxta hæc est *Gummi* ✱*cum*, sive per se constituat empl. vel cum *empl. de cicuta* mixtum item *empl. diachyl.* cum duabus partibus *Gummi* ✱*ci* mixtum scirrhum emollire solet, his non satisfacientibus ad mercurium recurrendum est, nempe

℞. Empl. de ranis Vigonis cum mercurio duplicat, vel diachyl. cum pinguedin. ℥ß. mercurii cum saliva extincti ʒij. mixta imponantur tumori scirrhoso.

Emplastrum magistrale habet *Agricola in chirurgia parva p. 689.* convenit etiam *laminæ saturni hydrargyro illita* & imposita. His & similibus & imprimis gumm. ammoniaco si non cedat, ad maturationem in pus, quantum possibile, deducendus est, temperatis tamen, nam nimis emollientia, aut nimis suppurantia periculosa sunt, quia scirrhus facilè in gangrænam exulceratam abit: quod observet. imprim. in *Scirrho dolenti*, qui *suppurantib.* tractatus abit in cancrum. Dolens ergò scirrhus si non potest solvi citra suppurationem, aut intactus est relinquendus, aut in duritiem lapideam indurandus, quod fit nitro in aceto soluto. *Hildanus c. 6. obs. 75.* habet unguentũ in tumore scirrhoso ad cancrum inclinante, quod etiam in scirrho mammæ mulieris, ubi metus suberat *cancri*, optimum fuit.

CANCER. CANCER est tumor plane singularis, primò vix ciceris aut pisi aut fabæ magnitudinem ostendit, ita tamen, ut in ipso subinde punctio percipiatur ab ægro, successivè incrementum sumit; Sub isto parvo initio tuberculum est durum nigricans, interdum lividum, punctionibus molestum, ubi verò augmentum recepit, est durum, coloris plumbei, dolet in principio moderatè, in progressu vehementius, tandem exulceratur, ubi dolores sunt miserabiles, & in tali cancri ulceratione carnosarum & vicinarum partium depascentia solet adesse cum insigni ulceris fœtore. In incremento adest ardor pulsatorius, circa tumorem venæ nigro sanguine turgidæ sunt, quæ pedes cancri repræsentant. Hic cancer frequenter occupat mammas, hinc loca glandulosa alia, unde ulcera in locis glandulosis deteriora facta ad 69. degenerant. Si nasũ, os, l. labia occupat, dicitur *noli me tangere*, item *lupus*; subinde enim alterum affligit. *Occasio* hujus interdum ex CAUSA EXTERNA, nempe *contusione* l. *læsione levi*, quâ tunc in parte læsa colligitur tale fermentum malignum, quod 69. infert. Accedunt *occasiones internæ*, ut mensium fluxus suppressus aut hæmorrhoides deficientes, ut ferè in ætate consistente evenire solet; CAUSAM PROXIMAM statuunt *humorem melancholicum adustum*, id est, *acidũ volatile insigniter corrosivũ, sed naturæ arsenicalis*, in quo deprehenditur venenũ putrefactivum

trefactivum

trefactivum & corroſivum. Hoc *acidum* occultum eſt in cancro incipiente, in exulcerato manifeſtius: Latet, quamdiu à novo acido vitioſo, vel à cauſa externa nullum augmentum cepit: Si verò fiat de novo quaſi effervescentia, ferè eſt incurabilis. *De modo curandi* per remedia vide diſcurſ. habit. *in actis Haffn. p. 158.* Cancri ergò occultum eſt acidum nondum manifeſtum, adeoque ſcirrhos & ſcrophulas indolentes melius eſt non attingere, quam attingendo irritare; Si autem tangi debent, palliativè ſaltem tractentur, cujus loco *acidum temperetur & edulcoretur*, quod faciunt in ſpecie *🜔na alcalia:* ſi adminiſtrantur, neceſſe eſt temperata ſint, unde ex iis quæ ad occultum cancrum conveniunt, ſunt *🜔ina ex alcalibus plantis ſolanum, cicuta, plantago, ♋. fluviatiles, ranæ, bufones* & ſimilia; *quædam* internè *quædam* externè conveniunt; *Internè remedia ex ♋. externè ſaturnina*, unde uſurpetur *emplaſtrum de ſaturno*, nempe *ex oleo roſarum*, diutius in mortario plumbeo cum ſaturno calcinato terendo oleum roſarum inter duas laminas plumbeas tamdiu, donec fiat linimentum craſſum & lividum.

℞. Saturni uſti ℥i. olei roſarum ℥iiß. croci ʒvi. M. ducatur in mortario plumbeo calidè cum piſtillo plumbeo. *Empl. ſaturninū Mynſichti* & empl. *de carne bubula Mynſicht.* ſunt in frequenti uſu, *ol. ranarū* duc diu in mortario plumbeo, adde *C. C. uſti & ſaturni calcinat.* q. ſ. Si verò cancer evadat exulceratus, pertinet ad cancroſa ulcera quæ vix niſi ○.○co cedunt. Convenit etiam cancro occulto *amalgama mercurii cum ſaturno.* Tale amalgama & inde paratum empl. eſt optimum. Dictum eſt, quòd gingivarum ♋. occult. niſi ritè tractetur, item ſtrumæ & ſcirrhus facilè exulcerentur, nempe cōmunis eſt affectio in ſcirrhis & crophulis, item quibusdā excreſcentiis, v. gr. polypo narium, verrucis & ſimilibus, ut ſi nigreſcant vel liveſcant, vel ſint doloroſa, degenerent in *cancrum exulceratum:* SIGNUM imprimis eſt *dolor punctorius* & lancinans, *oritur hic*, quia acidum iſtud volatile corroſivum obſcurè mordicat fibrillas quasdā nerveas & partes vicinas *vel* propter exceſſum, quoniam à nullo imbibitur, *vel* in ſpecie, quia infeſtat partes nerveas & fibrillas admodum ſenſiles & facilè irritabiles: *Vel* fit dolor; quia iſtud acidum jam concepit occultam effervescentiā & diſpoſitionem ad ulcerationem. Si tantillum acidi ergò in effervescentiam concitetur, etiam porrò in exulcerationem promovetur. *Hoc fit* imprimis, ſi per propriè dicta emollientia & maturantia ad ſuppurationem producatur tumor, nam ſi ſint paulò acriora, ratione alcali effervescentis cum acido doloroſam inferunt exulcerationem, & cancer manifeſtatur, in ſpecie ſi hæc acriora fuerint *mucilaginoſa* & *humectantia. Illa* poros partis occludunt, & tranſpirationē impediunt, unde retenta, fiunt acriora: *Hæc* reſolvendo acidum occultum iſtud in actum ducunt, quo ſoluto ſupervenit corroſio & exulceratio, hinc dicunt, in ſcirrho dolenti fotus humidi ſunt nocivi, item fotus cum 🜄. ſunt rejiciendi.

GUMMATA GALLICA. Sequitur alterum tumorum genus, & ſunt ex alimenti partis proprii alteratione & corruptione, indeque paulatim facta coacervatione. Ad hoc tumoris genus pertinent imprimis *gummata gallica*, tumores duri, tactui renitentes, interdū dolentes, in oſſium medio enati & im̄ediate incumbunt perioſtio,

 ſubinde

subinde ipsi dolorem nocturnum ostocopum gravissimum inferunt; tandem partes molles subjacentes & ossa subjecta erodunt, & cariosa reddunt, tument. Quando acidum luis venereæ malignum partes nerveas, in specie ossa infestans, in his se firmius implantat, earum alimentum corrumpit, & porro coagulando in talia gummata indurat, atque partes vicinas erodendo adulcera perducit.

CURA. In *mitiori* casu sunt *sudorifera ex lignis*, *in graviori* ☿*rialia.* Præter interna applicanda sunt hîc gummata emollientia & resolventia, antequam ulcera ossium & partium mollium inferant. Conveniunt ergo *emplastra ex Gummi* fortiter penetrantibus, in specie *ol. destillato ligni guajaci* malaxando, quod oleum imprimis *cariem* præservat & curat, iisdem tamen semper *mercurialia* addenda, tanquam specifica alexipharmaca, hinc convenit *lamina saturni cum mercurio vivo illita*, item *mercurius fumo saturni cagulatus*, impositus, item ex *oleo terebinth.* & *oleo destillato guajaci cum mercurio vivo* misto, addito *opio*, quasi pro leniendis nonnihil doloribus: Optimè convenit in tumoribus sanguineis opium, dolorem enim sistit & simul resolvit.

TUMORES RECIDIVANTES. Ad hos pertinent tumores post curatos abscessus & ulcera sæpius recidivantes, nempe sæpius post abscessum induratum non ritè mundificatum, & maturè consolidatum, aut post ulcera partium imprimis nervosarum, non ritè mundificata, & post ulcera, quibus occulta caries ossium subest, etiam carie non ritè sublata consolidata recidivant tumores insignes, qui pedetentim de novo suppurati novos abscessus & ulcera faciunt, quod fit, quando ulceribus non ritè mundificatis alcalibus balsamicis, aliquid de fermento ulceris corruptivo, tantillo licet, adhuc latitat, quod per motum fermenti alimentum partis proximum alteratum, corrumpit, & ejus in novum tumorem collectioni ansam præbet, & faciliùs, si ipsum nutrimentum partis præter naturaliter constitutum sit; his enim ex causis tumor, & inflammatio & irritatio supervenit: In his casibus opera danda est, pro CURA, ut massa sanguinea internis, in specie salibus volatilibus purificetur, & fermentum stomachale in naturali vigore conservetur, & acidi proventus prohibeatur, *externè* verò ulcus vel abscessus de novo factus probè mundificetur, & diutius apertus conservetur; *Mundificatur* vel communibus digestivis, vel balsamo sulphuris ritè præparato, si pertinacius fuerit malum, imprimis si suspicio est latentis forsan materiæ purulentæ, dictis mundificantibus adde mercurialia vel, purum mercur. vel mercur. præcipitat. ossium caries appropriatis debet tolli.

CALLI, GANGLIA & SARCOMATA. Ad hos tumores pertinet etiam, si pars quædam tam carnea quàm nervea, & hæc imprimis ex quacunque causa, imprimis externa, ita lædatur, ut nimia extensio staminum, fibrarum nervearum laceratio, pororum & meatuum ex naturali figuratione confusio & depravatio superveniat. Tunc enim his occasionibus fibrillis partium læsis, alimentum partis proximum ulterius recipitur, diutius retinetur, & magis quàm par est, assimilatur. His occasionibus generantur tumores partium similarium, ut CALLI, interdum GANGLIA; Item SARCOMATA. Sic EXCRESCENTIÆ CARNEÆ CURANTUR, vel emolliendo atque

atq; resolvendo easdem insensibiliter, vel aperiendo & exscindendo radicitus. Prius locum habet
in *Callo,* & *gangliis, posterius* in *sarcomate.* De CALLO ossium emolliendo vide *Hil-*
dan. vel supra. Vel *Ganglia & nodi resolvuntur* insensibiliter, beneficio *laminæ plum-*
beæ, quæ vel sola, vel cum *mercuriovivo illita,* vel oleo destillato Juniperi inuncta, firmi-
ter imposita, sic enim successivè evanescit; conveniunt etiam *folia sempervivi majoris,* cui de-
tracta sit inferior cuticula, quæ imponatur quotidiè, manè & vesperi removendo: vel

℞. Gummi ammoniacum & in forma emplastri impone. Pertinaciori malo convenit
empl. de ranis Vigonis c. mercurio. Vel

℞. lamin. saturni infusa spir. vini & acet. destil. & adsperso euphorbio, hoc applicatum
gangliis successive illa evanescere cogit: SARCOMATA vero abscindenda & exscindenda sunt,
in casu, quando nempe commode exscindi possunt; Si nempe non adhæreant nervis, vel quando
sarcomata non conspirant cum vasis insignioribus arteriosis & nervosis. Si enim hæ duæ circum-
stãntiæ absint, sarcomata exscindantur; heterogenea substantia membranosa vel fibrosa postmo-
dum blandis exedentibus & suppurantibus eradicetur. Separando sufficit unguentum Ægyptia-
cum, vel suppurantia communia, postmodum ordinariis consolidationibus pars læsa consolidetur.

EXCRESCENTIÆ. Simili modo generantur & alii tumores, suis propriis folliculis inclusi,
qui omnes ex eò, quòd forâs adnasci solent, excrescentiæ vocantur, & imprimis peculiares habent
membranas liquore proprio refertas, qui liquor in corpore triplex est, nempe, quando dividuntur
hi tumores in MELICERIDAS, quando tumores in se continent materiam similem melli l. pisis
coctis. Si vero materia sit simplex, appellatur ATHEROMA; quando verò est spis-
sior in forma sevi vel saponis, STEATOMA. FIUNT hi tumores ex nutrimento par-
tis cujusdam nerveæ, speciatim membranæ copiosiori retento, & nonnihil alte-
rato, hincque in aliam substantiam transmutato. CAUSA, propter quam nutri-
mentum uberiùs colligitur & transmutatur, est, quia membrana aut ab *externa*
causa violentius distenta dilatatur aut laceratur, his enim tandem isti tumores su-
perveniunt, vel si à causa *interna,* levi tamen, erodantur loca membranosa. Fit enim
exinde, ut, fibris à se invicem separatis, & poris dilatatis & ampliatis, alimentum
proximũ uberius recipiatur, retineatur & extrorsum versus talem tumorem gene-
ret; Quod vero attinet *folliculum* proprium, videtur fieri ita, nempe fibræ crassæ
aut laceratæ, aut à se invicem separatæ, ut in naturalem unionem non amplius re-
digi queant, à nutrimento distendente ipsæ in longius protenduntur, & augmen-
tantur, & hinc inde emittunt fibras, quæ mutuo concurrentes talem membranam
constituunt, quæ membrana nutrita & dilatata cum tumore incrementum capit.
Quoniam succus nutritivus transudans non naturali situ transponitur, sed con-
glomeratus coacervatur simpliciter, materia aut sevo, aut pulti aut mellisimilis
efformatur. Observatum etiam fuit, quod hi tumores propriis folliculis inclusi,
subinde lunæ phases imitentur, quod videtur commune quibusdam tumoribus
in partibus nerveis radicatis, item quòd hi tumores sæpe & frequẽtius circa caput,
collum, nucham & simil. reperiantur, rarius in aliis locis, etiam carneis sarcoma-
ta protuberant. Facilè patet, an sint proprio folliculo inclusi, qualis autem materia
contineatur, vix potest cognosci, sed hoc parum refert. Hi tumores cystici sunt
sine periculo, attamen, quia interdum enormem excrescentiam, interdum defor-
mitatem important, curandi sunt.

 CURA

CURA. Ergò observandum est, ut materia contenta omnimodè tollatur, sive insensibiliter resoluta discutiatur, quod fit rarius, & saltem in tumoribus recentibus, cujus membranæ firmiter nondum coaluerint, sive sensibiliter evacuetur, dum alteratur & quodammodo in pus mutatur. Materia, aperto tumore, evacuetur, vel integra membrana cystim constituens excisione penitus auferatur. In illo casu vel balsamus ♀ris, item peruvianus, vel gummi ⚹cum sufficit, vel lamina saturnina mercurio illita. Verùm si tumor est confirmatus, & ejus membranæ firmiter coaluerint, sine sectione chirurgica vix tolli solet, unde semper membranæ cystin statuentes, radicitus tollendæ, nam si tantillæ, fibrillæ remanserit, in abscessu consolidato, semper nova materia colligitur, & novus tumore generatur, qui in ulcus diuturnum & fœtidum abit, vel in fistulam degenerat. Hæc *tria* ergo ut *removeantur*, necesse est, ut dicta *cystis radicitus evellatur*, quod fit *vel* cultro, successivè séparando, *vel* unguentis erodentibus. Convenit ergò in hujusmodi tumoribus *empl. ex gummi ammoniaco, pyreth.* & *oleo destill. succini*, quod impositum tumorem maturare & ad suppurationem deducere solet, vide *Barbetti Chirurgiam.*

℞. picis navalis ℥ii. gummi ⚹ci, ♀ris ana ℥ß. m. f. empl. quod imponatur. Hujusmodi tumoribus apertis vel medicamentis vel sectione chirurgica, cystis penitus auferatur, quod fit imprimis per *unguentum Ægyptiacum*, vel solum, vel auctum cum *terra vitrioli dulci & pauco* ⊕, hoc facto & abscessu mundificato caro succrescens tumorem denuò replet. Tumor talis, si, quòd frequentius fit, in capite excrescat, ob densam capitis cutem firmiter cranio circum tensam, non tam extrorsum prominere potest, sed potius latiùs tumor talis sub cute capitis expanditur, unde tunc testudo, item talpa & lupia appellari solet; In hoc tumore materia proprio folliculo contenta diutius retenta, subinde acrior redditur, & ipsum cariosum reddere incipit. Tales tumores si sunt immediatè supra suturas vel alio in loco situatæ, ut ex fibris membranæ duræ meningis per suturam transmissis oriantur, relinquendi sunt intacti, ne periculum inflammationis duræ meningis inferatur; Si verò alio in loco, insensibiliter resolvendi vel suppurandi, vel facta incisione curandi sunt, nempe folliculus vel exscindendus & pulvere contra cariem ossium cranii caries præservanda.

VERRUCÆ fiunt, si fibræ nerveæ (quæ copiosius extremitatibus vasorum capillarium intertextæ sunt:) nunc solitariè nunc cum fibris subjacentibus laceratæ aut evulsæ, nutrimentum foras emittant, quod successivè coagulatur in verrucas; quæ si attritione & laceratione aliquali fibrillarum in digitis pedum fiant à calceis, dicuntur CLAVI. VERRUCÆ hæ pro ratione radicis *sunt nunc* planæ seu sessiles, *nunc* pensiles & ex angusto collo capite ampliore prominentes, quæ priores *Mirmeciæ*, posteriores verò acro chordones; sicuti hujusmodi verrucæ, si altiùs promineant & singularem duritiem habeant, in hominibus *cornua* appellantur, quæ sæpissimè pro fundamento habent os. Observanda autem sunt in

CURA,

CURA, harum verrucarum imprimis in pedibus ratio habenda, *an* scil. solum ex fibris nerveis cutis originem ducant, *an* verò simul subjecti tendines læsi conspirent; Si *prius*, facilè curantur, *si* posterius, difficilius, quia periculum est, ne tendinibus læsis inflammatio & gangræna inferatur. Verrucæ ergò hæ, consideratis his circumstantiis, CURANTUR, eas ABSUMENTIBUS iisque variis; in genere verrucas tollit *succus chelidonii majoris* sæpius crebrius repetitus, item est planta, quæ vocatur *Cieporum* verrucis similis propter figuram, quæ contusa verrucis imposita eas evanescere facit. *Lac tithymali seu Esulæ* verrucis illitum, easdem exedit. Si tensior & tenacior sit, leniter vulneranda est, ut melius pateat introitus lacti esulæ; Item ⚹ cum solvitur in ▽. simplici, hac solutione crebrius tangantur verrucæ, vid. *Borellus c. 2. observ. 46.* item *spir. sulphuris & vitriolisi* subigatur *cum melle* plus minus & fiat linimentum plus minus acre, quòd applicatum verrucis easdem pedetentim erodendo solet mortificare. *Limaces* sunt egregiæ, quæ abstergendæ sunt sale communi, sic produnt salivalem humorem, quo illitæ verrucæ crebrius insensibiliter evanescunt; Item *empl. de galbano Mynsichti* expertum est ad clavos pedum, *Timæus* & *Sennertus* hoc etiam recommendant, sic etiam pars emollita semper potest abscindi. *Empl. ex cera* cum tantillo *☿rii dulcis* absumit verrucas, sicut *empl. Vigonis de ranis cum mercurio* emollit clavos pedum & verrucas. Præ cæteris tamen istæ *verrucæ* merentur considerationem, quæ *in locis pudendorum ex congressu venereo* sunt natæ, ad has Itali utuntur *aqua forti*, sed melius est *pulvis mercur. ⊽ti soluti in ▽. plantaginis cum alumine.* v. gr. ℞. ▽. plantagin. ℔ß. mercur. præcipitati ℈iv. aluminis ℥ß. dissolvantur invicem, & cum penna huic liquori intincta tingantur dictæ verrucæ, sic emarcitæ pedetentim decidunt, vel si sint sitæ ad modum thymiet condylomatum in pudendis curantur, sc. ℞. ▽. calcis vivæ & misceatur cum mercur. ⊽to, hâc ▽. fluida vel linteaminib. huic ▽ intinctis solent exiccari & curari.

FUNGUS. Evenit subinde, ut circa articulos, ex dilatatione aut laceratione membranarum, vel ex tendinibus expansis læsis & violenta laxatione vel casu inductis læsionibus excrescat tumor mollis, pedetentim incrementũ capiens, qui si aperta cute amplius spacium acquirat, incrementum acquirit & acrescit in substantiam carneam & mollem, albicantem, quæ dicitur FUNGUS. Rarissimum est, quòd præter articulos alia loca soleat infestare, semper tamen membranis radicitus inhærere observatur. Post articulos etiam membrana cranii post vulnerationem in talem fungum erumpere solet, vel eidem talis fungus adnasci.

CAUSA autem fungorum est humor nutritivus retentus & collectus, cui cum se jungat circa articulos synovia, exinde substantia mollis, rara & luxurians generatur, simul tamen corruptionem & occultam acescentiam concipit, hinc interdum *fungi* fiunt *cancrosi.* CURA difficilis sæpius nulla, nisi pars affecta extirpetur, & radicitus tollatur, quandoquidem pedetentim corpus ad tabem producit, omni nutrimento in fungo deperdito. Exscindendus ergò est, vel blandis exedentibus tollendus, in casu ubi declinat ad cancrum;

crum: Si & hoc sit periculosum, saltem pulveribus exsiccantibus acidum temperandum & imbibendum, ac in quantum possibile est, majus incrementum præcavendum: Tales pulveres fiunt ex *aristolochia rot.* tutia, *myrrha*, *lapid. calamin. saccharo*, *vitriolo*, *calce viva* & similibus: Fungus mox in principio supprimendus est, ergo mox adspergatur C. C. ustum pulverisatum, myrrha, pomphol. & similia. Si *præcipitat.* nec hæc suffecerint, mature usurpetur mercur. *præcip.* si hic non suffecerit, lethale est malum. vid. *Hildan. in centur. 1. obs. & Scultet. obs. chirurg. observ. 17.*]

ANEVRISMA. Sequuntur tumores, qui vasa sanguiflua occupant, & anevrismatis nomine veniunt: ANEVRISMA est, dum arteria aut rumpitur, aut rupta ex quacunque causa, aut vulnerata loco venæ, aut arteriæ per venam pertusam vulneratæ sanguinem spirituosum in loco læsionis colligit; Hinc ex ista sanguinis collectione successivè talis tumor attollitur, fit pedetentim, si perfecta sit arteria. In hoc tumore sanguis corruptus, aut nonnihil spissior & obscurior observatur, unde tumor mollis, coloris sæpe ejusdem cum partibus vicinis, laxus & interdum pulsatorius esse solet, & quando tumor digito impressus omninò introcedit, remoto verò digito subitò recurrit, atque hæc magis locum habent in anevrismate non adeo ingenti aut inveterato, etiã in inveterato *pulsus* non adeò manifestus percipi solet, in tumore etiam *sanguis semi grumosus* non tam subitò in arteriam potest propelli: In partibus externis facilè patent, in partibus verò internis subindè imperscrutabilia sunt, & rupto anevrismate ad mortem perducitur æger: *Horstius in observ. anatom.* quòd interdum *anevrismata* oriantur *in partibus internis*, lethalia in iis, qui morbo Gallico curari volunt. *Externa* sunt sine periculo, interdum ægri diu possunt esse superstites, quia tamen periculum est, ne sanguis tandem corruptionem vel gangrænam concipiat, subindè necesse est, curentur, vide *Borellium & Horst. de eodem.*

CURA. Cùm *frequentissima causa* sit *pertusio arteriæ loco venæ*, mox forti ligatura ligetur pars læsa, vel lamina saturnea imponatur, & fortiter ligata pars læsa firmetur, in opposita verò parte mox secetur vena; Hoc neglecto, fit anevrisma, quod dum est in principio, necesse est, ut applicentur fortiter *adstringentia* ex *terra sigillata, terra vitrioli dulc. bolo armeno, spermiol. Crollii, coloph. thure* & simil. cum laudano opiato mixtis, sub forma empl. applicentur cum forti ligatura, vel dictis emplastris imponatur lamina plumbea, cum forti ligatura. Curiosum est, quod observat *Horstius & ex eo Hœferus*, quando arteriæ applicaverit *laudanum opiatum*, mox hæmorrhagia steterit; videantur. Non incongruum erit sequens *emplastr.*

℞. pulv. sumach, hypocistid. sangv. dracon. aloës, thuris ana ℥j.
ex his cum albumine ovi f. empl.

add. loco ceræ *empl. contra rupturam.*

Hoc

Hoc applicandum eſt mox loco arteriæ læſæ, cum forti ligatura ſuperjecta, ubi etiam grumus ſanguinis in loco eſt collectus, fruſtra applicatur, alias notum eſt emplaſtrum Galeni ex thure, aloë, pilis leporinis & albumine ovi. Sin his irritis aut neglectis jam factum ſit aneuriſma, ſimilibus adſtringentibus ulterior progreſſus præcavendus, aut per ligaturam & diſſectionem rami arterioſi aneuriſma tollendum, quod periculoſum, ſicut illud palliativum optimum eſt, ut aperiatur tumor, & poſtea arteriæ apertæ applicentur vitriolacea, blandè corrodentia, ut labia craſſa ſucceſſivè coaleſcant & coëant, poſtmodum locus ipſe & foramen conſolidantibus reſtituatur; Hæc methodus eſt nova, & reperitur apud Galenum, qui modus eſt hic: Chirurgi miniſter arripit brachium & fortiter premit, ubi arteriæ ex ramo axillari decurrunt in brachium, tamdiu ut nullus percipiatur pulſus in carpo. Poſtea Chirurgus aperit larga inciſura aneuriſma, & ſanguis ſemigrumoſus evacuatur, poſtea in loco arterioſo mox patet, ubi ſit læſio hæc facta, denuò comprimatur arteria, & Chirurgus accipit globulos ex *vitriolo albo* formatos, eosque bombaci involutos applicat loco læſæ arteriæ, poſtmodum inſpergatur *pulvis* ex *ſarcocoll. colophonio* & *reſina* cum ſtuppis cannabinis hoc pulvere imprægnatis, deſuper applica plumaceolas cum forti ligatura, ſic ſanguis ſucceſſivè tranſudando liquefacit vitriolum, & vitriolum erodit labia vulneris, quo facto denuò coaleſcit; Hi globuli tamdiu relinquantur, usque dum decidant, quod non fit, niſi arteria ſit conſolidata.

VARICES. Juxta aneuriſma in venis obſervantur varices, nempe ſunt nihil aliud, quam venæ laxatæ tunica, ſeu quando venæ tunica laxatur, ut fibræ ejus valde diſtententur, ut poſtmodum in loco venæ diſtento hæreat ſanguis, & ſtagnando tumorem in loco digeſtionis inferat, qualis tumor vocatur varix. Malum hoc grave eſt mulieribus in ultimis à partu menſibus.

CAUSA INTERNA ſæpe eſt *ſanguis craſſus*, qualis dicitur melancholicus, id eſt, qui ab acido occulto craſſiorem obtinet conſiſtentiam, unde in motu impeditus ſanguis, in ſpecie circa venarum valvulas vas continens ex ſuccedente ſanguine novo ita diſtenditur, & talem laxitatem tunicæ venoſæ infert, ut poſtmodum ſanguis uberius collectus talem tumorem inferat: Præter hanc tamen cauſam etiam ſanguis, naturaliter licet conſtitutus, in trunco tamen quodam in motu ſuo impeditus, in iſtius trunci ramis hærens, eosdem diſtendere & varicem inferre poteſt. Hac ratione, propter vaſa iliaca venoſa in mulieribus ab utero tumido compreſſa, videntur originem ducere varices, ſequuntur venarum ductum, & tanquam venæ ampliores, colore ex cœruleo livido conſpiciuntur, preſſusque hic tumor quidem retro cedit, ſed in momento redit. Malum hoc cum ſit minus moleſtum, ſed in quibusdam præſervationis locum habeat, in ſpecie in melancholia hypochondriaca, rarius curari ſolet, niſi vaſorum ruptionem, & propter aciditatem ulcus pravum aut Gangrænam minetur; Nam talia ubi imminent pericula, neceſſe eſt ſub-

inde, ut curentur & removeantur varices. Si ergò nimius fuerit tumor, punctura acus sanguis crassior evacuandus, postmodum laminâ ♄neâ applicatâ tumoris incrementum coërcendum vel in tumoribus varicosis levioribus applicetur *ung.Hartm.ex butyri majalis part.j.& succi 69.fluviatil.p.ij.* quæ coque interius laminæ varicibus illinendæ. *Vel*

℞ farinæ lupinor.℔.j. sterc. caprar. exsiccat.℔.iij. aceti non valde fortis, in quo ♂ ignitus quinquies sit extinctus, q.s. M.& vel in forma empl. spissi applicetur, vel fortiter ligetur aliquamdiu continuando; aut quod optimum in varicibus costarum à *Fernelio* laudat. ℞ aluminis roch.q.v. coque cum aceto acerrimo, hinc spongia tali aceto imbuta, mane & vesperi foveatur locus, & posteà strictissime ligetur, continuando per integrum mensem.

DE GANGRÆNA ET SPHACELO.

Communis affectio omnium affectuum Chirurgorum est, ut superveniat GANGRÆNA aut SPHACELUS. Nihil novi est, ex *luxationibus* per se, ex *inflammatiōe* superveniente corripi partes gāgræna & sphacelo, *vulnera nō ritè curata*; sic facilè gangrænam concipiunt; *Tumores* imprimis *sanguineos* comitari solet gangræna & sphacelus, nempe quando gangræna sit principium mortificationis partis, sphacelus verò perfecta mortificatio partis: *Differunt* ergò saltem *gradualiter*. *Gangræna* est imminens sphacelus, *ita se exhibent*, pars præsertim mutatur in colore, & color nativus floridus, plus minus rubicundus, pallescit & obscurum colorem quasi corneum contrahere solet; hinc ex obscuro isto colore pedetentim liquescit, sub his coloris mutationibus simul partes molles flaccescunt, & fiunt laxæ, molles, velut *in facto ipso sphacelo* cutis spontè à partibus subjectis separari possit. In parte pedetentim sensus imminuitur, & imminente quidē gangræna sensus deficit, qui in incipiente insigniter pulsat. Calor in parte imminuitur, & pars antea calida remittit, sine manifesta causa tandem friget. Hæc manifestò sunt in gangrænâ ut & sphacelo. Et hæc sunt *vel à* CAUSA externa *vel* interna. *Externæ* sunt contusiones, luxationes, lacerationes, morsus animalium venenatorum & simil. *Internæ* verò morbi pestilentiales: Variolæ, morbi chronici cum tumoribus juncti, hujusmodi enim in morbis supervenit gangræna, in specie in pollice pedis, qui non nihil lividus fit, accipit pustulam, sub hac maculam nigricantem, subitò tamen pergit, & integram tibiam occupat. Quoad CAUSAS PROXIMAS, communiter & rectè dicunt Gangrænam & Sphacelum esse partis mortificationem, hujusq; causam esse calidi nativi extinctionē. Calidum verò hoc cōsistit in acido volatili & spirituoso, quod partis peragentis instar se habet in structura & coagulatione partis seu formatione partis. Hoc acidum ergò vitale conservatur & restauratur continuò à sanguine & spiritu vitali influentibus salsis, & occultè acidis. Quæcunq; ergo acidum istud destruunt, vel fomitem ejus impedire valent, omnia gangrænam & hinc sphacelum inferunt, adeò ut exindè sequatur, quòd in gangrænâ & sphacelo peccet

imprimis

inprimis alcali, quatenus propter acidi destructionem emergit, vel quomodo in se genitum acidum destruere valet. Hinc subinde post gangrænam & sphacelum supervenit partis fætor & putredo, signum alcali agentis in acidum, & dissolventis sulphur partis. CAUSÆ REMOTÆ sunt, quæ illud acidum dissolvunt, & ♀ris partes destruunt. Causæ remotæ, quæ ita acidum destruere valent, *agunt* hoc loco *vel* immediatè, *vel* mediatè. *Mediatè*, quæ fomitem ejus, nempe influxum sanguinis & spiritus vitalis impedire solent, ut *ligatura fortis, contusiones, lacerationes, & simil.* quorum occasione propter vasa læsa impeditur influxus sanguinis & spiritus vitalis, & propter hanc causam *partes nerveæ* præ reliquis maximè proclives sunt ad gangrænam & sphacelum, quod minùs sanguine & spiritibus vitalibus irrorari soleant. *Immediatè* verò partem lædunt, inprimis *insensibilis transpiratio prohibita*, quæ retenta acrior redditur, & acidum vitale destruendo partem mortificat. *Venena* & *morbi maligni, morsus animalium venenatorum*, quæ fermento suo maligno alcalinæ prosapiæ acidum destruunt, & sphacelum inferre possunt. Accedit *refrigeratio partium*, inprimis nervearum, quia occlusis poris impeditur transpiratio, & affluxus sanguinis grumescit, unde gangrænam contrahit. Præ cæteris *nota est cautela servanda*, ne decipiantur in cognoscenda gangrænâ & sphacelo: nempe si fiat, ut pars sphaceli interdum motum adhuc habeat, quatenus movetur à tendine oblongo, cujus musculus sit sanus; ne ergò partem mortificatam pro sana habeamus, cautißimè, ut reliqua signa conferamus. *Fermentum* autem istud inquinans sanguinē, & ejusdem sulphur vitale per modū malignitatis destruit, & sic ad mortem producit. De cœtero, gangręna & sphacelus qui oriuntur à causa interna, incurabiles sunt, nam licet integra pars amputetur, in altera tamē parte iterum erumpit. Partes quo magis sunt sanguineæ l. carneæ, eo minùs corripiuntur gangræna & sphacelo, & faciliùs curantur; partes vero nerveæ uti faciliùs corripiuntur his affectibus, ita difficiliùs curantur.

In *Gangræna* ergò ejusmodi progressus est inhibendus; in *sphacelo* verò pars jam mortificata separanda & ulterior mortificatio præcavenda ac sistenda venit. *Præstamus id cum internis & externis.* INTERNA sunt omnia *theriacalia*: eminet tamen *camphora*, quæ interne & externè sunt optima; unde *spir. vini camphoratus, spir. theriacalis camphoratus* detur: ▽ *scordii, C.C. citrata*, cum *camphora* & similibus sunt remedia quæ in morbis malignis usurpantur; Sic possunt administrari: Fuit hæc *mixtura Tilenii:*

℞. Theriac. flor. Sulphuris aa. ℥ß. rad. ireos florent. ʒvi. spir. vini ℥vi. Mixturæ hujus propinētur duo vel tria cochlearia & expectetur sudor. Inter EXTERNA gangrænam & incipientem mortificationem sistunt, varia explicata, eminet spir. vini l. theriacalis vel theriacalis camphoratus, lintea spir. vini probè imprægnata, pulv. aloes & myrrhæ consperſa. Item cùm in gangręna iminet mortificatio acidi, externè vel acida, vel salsa in acidū primatū obtinent.

Hinc *jus braſſicæ acidæ* experimentum eſt elegans ad ſiſtendam gangrænam, *decoctum calcis vivæ*, mirabile in gangræna, ad progreſſum ſiſtendum *vel*, ſolitarium *vel* ſi eodē *decoquatur* ♀. *vel* ſi in decocto calcis vivæ diſſolvatur ☿*rius dulcis* add. ſpir. vini, quod *Galli* vocant ▽. *phagad.* & *decoctum lupinic. vino albo & lixiv.* adde parum *croci. Decoctū ſcoriarum* ♁ in aceto ſiſtit gangrænam, vid. *River. c.4. obſerv. 50.* vel ex *Minderero decoctū* ✱*ci in urina ægri* applicetur. Tandem *fimus equinus* coctus in vino & inſtar cataplaſmatis applicatus, fuit ſecretum *Sylvii atq; Barbett.* imprimis *catapl.* ex *farina lupin. fabarum* & ſimil. cum *oxymell.* paratum gangrænæ impoſitum, ſiſtit eam, It. *caput mortuum aquæ fortis, contuſum & decoctum cum* ▽ *roſarum* in qua ſummitates panni lintei ſint intincti & applicati aliquoties calidè gangrænæ. Si verò gangræna proceſſerit in *ſphacelum, cura eſt hæc* (1.) Separanda eſt pars ægra à ſana, quod fit vel ferro candente, vel candefacto inurendo partem tamdiu, donec ægri percipiant. *Qui horrent ferrum vel ignem*, Ii ℞. *butyrum* ♁*nii*, hôc circulum ducunt circa locum mortificatum, nam mediante butyro ♁nii illito impeditur progreſſus ulterior mortificationis, vel ſi ſphacelus non adeò profundus præceſſerit, neceſſe eſt, ut locus ſcarificetur profundè, locus ſcarificatus eluatur *aceto mixto cum ſpir. vini*, poſtmodum applica *unguent. Ægyptiacum*, vel vulgare, vel *Hildani*, quo loca ſcarificata illine: vel loco hujus ℞. ☿. præc. & miſce cum unguento quocunq; mortificativo, & illine ſcarificatas partes; vel ad imitationem *Hartmann.* eſt *elegans remedium* mercur. præcip. cum oleo nucum coctus in conſiſtentiam linimenti obſcuri, quo illinatur pars vel ſcarificata, vel in qua mediante butyro ♁nii ſeparata pars eſt ſana & ægra. Dum hæc fiunt, ultra talia, quæ hinc inde applicantur ad mortificationem tollendam, *epithema* imponatur v. gr. *Ex ſcordio, ariſtol. rot. rad. hirundinar. abſinth. bacc. juniperi, myrrha, aloe, coque in* ▽. *vel aceto*, it. *vino, lixivio*, adde *alumen vitriol.* ⊖. *marin.* & ſimilia, quæ applicentur; ut impediatur ulterior progreſſus. *Inſtar omnium ſit epithema & cataplaſm. Hoffmanni in method. medendi p. 411.* Si jam verò pars quædam penitus mortificata ſit, ſeparetur à toto, *modus ſeparandi* fit *vel* per ignem, *vel* ferrum; Amputetur cum cultro incurvato pars & poſtmodū cum ſerra pro oſſibus: Per △em, quando habent cultrum planum & candefactum. Magis doloroſa eſt hæc operatio, ſed minus cruenta; *quæſtio* eſt, an debeat fieri ſeparatio in parte præciſè, ubi ceſſat mortificatio, an in parte mortificata, an verò in parte ſana? *Reſpondeo, ſi* gangræna aut ſphacelus eſt ſimpliciter à cauſa externa, ſeparetur pars in vicinia loci ſani, & ægris cutis tam firmiter ducatur deorſum, ut ſic aliquid de parte ſana amputetur. *Si* verò à cauſa interna, melius eſt, ut largiter in parte ſana fiat ſectio, ut nempe ſic poſſit impediri recurſus gangrænæ in aliam partem. *Borellus* habet ſingulare inſtrumentum, cum quo in ictu poſſit ſeparari pars ægra; *Abſceſſus* in parte factus curandus ſuppurantibus & mundificantibus inſtar ulceris recentis.

F I N I S.

I. N. I.

I. N. I.

COLLEGIUM CONSULTATORIUM,

PROLEGOMENA.

IN resolutione casuum quatuor consideranda, *primò subjectum* seu sedes morbi, seu pars affecta, tam per essentiam, quam per consensum. *Secundò, causa* tùm proxima, tùm remota, quæ affectum cum symptomatibus variis producit. *Tertiò, prognosis*; *4. Cura* & methodus medendi.

Dubia sæpe *& difficilis cura est* potissimum [1.] ob complicationem symptomatum, ut si gravida febricitet, mulier variolis laboret, [2.] ob idiosyncrasiam individuorum, quæ est non tantùm in crasi succorum contentorum, sed etiam in partium solidarum mechanica conformatione consistit, quæ in singulis individuis quoad porulos differt.

Caput Primum.

DE APEPSIA.

Mercator Belga tenuioris fortunæ tempore hyberno per Westphaliam peregrinatur, Lipsienses petiturus nundinas, sed negotiorum causa per tres septimanas hinc indè in Westphalia detinetur. Lipsiam veniens, conqueritur de nauseâ & fastidio ciborum, dolore gravativo circa præcordia, sub costis nothis, noctes habet inquietas, manè evigilans ejicit copiosè sputa viscida, percipit ructus insipidos, à pastu, licet mediocri, rubores & æstus faciem occupant, urina turbida, crassa, pallida; virium supervenit imbecillitas.

RESOLUTIO. Ex symptomatum syndrome & causis antecedentibus patet, ægrum apepsia seu digestione stomachi imminuta & vitiata laborare, (Er hat den Magen verderbet.)

CAUSA in ipso stomacho cruditatibus viscidis referto hæret, unde fermentum ejus digestivum partim copia obruitur, partim tenaci visciditate hebetatur. Hinc *dolor gravativus* non tam in regione stomachi ab ægro perceptibilis exoritur, sed orificium potissimum superius sub noctis requie lacessitum,

noctes inquietas & ſomnum turbulentum producit. Manè *ſputa viſcida* ex diſſolutis ſub nocte & attenuatis cruditatibus in œſophagum regurgitantibus, cum per pylorum ob clauſuram ad inteſtina transmitti nequeant. Cumque ſtomachus cruditates dictas, quantum poſſibile, digerere nitatur, iſtæ verò ob viſciditatem ad fermentativam volatiliſationem ineptæ ſint, non mirum, *flatus & ructus inſipidos* eructari, *appetitum proſterni* dejecta activitate fermenti ſtomachalis, quo fit, ut ingeſta in paſtam acidam viſcidamque faceſſant, cujus acoris ratione, & inde pendentis inæqualis ſuccorum in primis viis fermentationis *φλογώσεις & æſtuationes*, *ruboresque faciei* poſt paſtum ſuperveniunt, *urinæ crudæ, pallidæ*, ob errata primæ coctionis, & defectum fermentationis, in ſtatu naturali, intimè ſalina recrementa cum ſeroſo vehiculo jungentis. *Virium ſucceſſivus defectus* ex fruſtranea corporis nutritione.

Induxerunt hoc malum victus inordinatus, & craſſior denſiorque, ob paludes ibidem frequentiores, fermentum digeſtivum ſtomachi hebetans.

PROGNOSIS. Malum etſi caret periculo graviori, neglectum tamen facilè in febrem intermittentem, malum hypochondriacum, vel cachexiam diuturnam præcipitare ægrum potuiſſet, quod non metuendum, ſi lege artis cruditates reſolvantur & attenuentur, hinc evacuentur & poſt modum appropriatis internis & externis ſtomachus roboretur.

CURA. Pro priori ſcopo *vinum abſinthites cum radice helenii infuſum*, vel *extractum abſinthii in vino* manè jejuno ſtomacho & bihorio ante cœnam per aliquot tempus ſumptum egregiè conducit.

℞. Sal. armon. depurati ʒj. ſpec. diagalang. ʒß. M.S. Erweichendes Magen=Pulver. d. in 4. partes æquales mane & veſperi.

2. *evacuant* optimè *vomitoria* v. g. crocus metallorum in vini abſinth. ℥j. per noctem infuſus, manè poſt exactam filtrationem propina. Vel

℞. Tartari emet. gr. iij. ſach. albiſs. gr. vj. ol. menth. deſt. gt. j. M. fiat pulvis S. Brech=Pulver.

Sin horreant vomitum.

℞. Maſſ. pill. de gumm. ammon. Querc. ℈j. extr. abſinth. ℈ß. trochiſc. alhand. gr. ij. vel gr. iij. c. ſ. q. elixir. proprietatis fiant pillulæ pro una doſi.

Inſtaurandus ventriculi vigor internè cum *elixir propr.* ad gutt. 40. mane & veſperi ſub ingreſſum lecti hauriat cochlear unum vel duo *ſpiritus Iuniperi. Externè balſamis ſtomachicis* regioni ſtomachi & ſcorbiculo cordis inunctis.

℞. Aqv. menth. ℥iij. ſpir. Juniperi ʒvj. Elix. Matthioli ℥iij.

Spiritus

Spiritus salis dulcis ℥j. spir. menth. ℥j. M. dosis cochl. j. vel alterum mane & sub ingressum lecti.

℞. ol. stomachal. Cratonis, menthæ aa. ℈i. caryoph. ℈ß.
nuc. mosch. expr. q. s. pro corpore balsami S. Magen Balsam.

Casus II.

INFLATIO STOMACHI CUM ASTHMATE ET CARDIALGIA.

Mulier laudabilis constitutionis conqueritur de appetitu deficiente, superveniente difficili & anhelosa respiratione, quæ ipsa in tantum etiam exaspetatur, ut decumbere amplius nequeat, citra suffocationis periculum, quin semi erecta jacere necesse habeat: adsunt anxietates insignes (grosse Hertzensangst) crebrioribus vicibus repetentes. Accedens Medicus eam singultientem offendit: Interdum ructu, licet magno conatu emisso, levamen percipit quoddam. Dolent hypochondria, omniaque ibidem tensa & plena esse asserit, ut ne digitum sub iis recondere queat. Medicus explorat intumescentiam in regione epigastrica, mollem, cedentem tactui, quem ægra refugit, indeque impense se dolere conqueritur.

RESOLUTIO. Affectus est complicatus: symptoma primarium Inflatio stomachi, secundarium asthma seu levis orthopnœa, cum cardialgia & anxietate.

Pars affecta stomachi tota capacitas, ratione inflationis, ratione vero anxietatis, cardialgiæ, singultus, primario orificium superius.

Causa primaria seu proxima cruditas viscida & pituitosa, fermenti activitatem obtundens. *Difficilis respiratio* ab impedito, propter inflationem ventriculi, diaphragmatis motu, præsertim ægra supina jacente.

Hypochondria dolent, quando tenduntur, id est, quando spasmi oriuntur in partibus membranosis peritonæi. *Singultus* succedit, quando motu constrictivo convellitur orificium superius ventriculi, quod in consensum trahit diaphragma. *Ructus cum molestia emissi*, quia irritatum superius orificium se magis stringit. *Dolor ventriculi & anxietates* proveniunt à constrictione & motu convulsivo ventriculi, & speciatim orificii superioris. *Anxietates* [wann es dem Patienten so weh und bang umbs Hertze ist/] in febribus tàm malignis quam benignis plerumque sunt ex stomacho, rariùs ex corde affecto, ob impeditum sanguinis motum, ubi simul *respiratio anhelosa* observatur.

CURATIO. In cura proinde malignarum febrium potissimum à contagio, quibuscunque in principio morbi vomitorium exhibui, semper quieti & magis pacati fuere, quam qui nullum sumpserunt, hi enim summas perpessi fuerunt angustias.

In puerperis vero *anxietas* observatur, propter rapidum motum sanguinis chylosi circa vasa pulmonaria & vicina.

Hypochondria dolent, tensa & suspensa sunt, non tam ob flatus distendentes, quàm ob partium musculosarum spasmum. In luxationibus vertebrarum dorsalium, nervorum nonnihil translocatorum, fibræ in spasmos crispatæ, variis symptomatibus dant ansam. Inflatio stomachi quò longior, eò magis imminet tympanitis.

Propter dolorem & flatus (1.) flatuum impetus sistendus (2.) pituita viscida evacuanda: (3.) fermenti robur instaurandum. *Pro priori scopo* sequens clyster applicari potest.

℞. decocti chamom. ℥v. urinæ human. ℥iij. M. adde elect. de baccis lauri, de hiera cum agarico aa. ℥ß. ol. dest. tereb. ʒß. M. f. clysma. *decoctum chamomill. & rorismarini in cerevisia, additis sem. carmin. fœnic.* egregium experiment. *Foresti* carminativum. *Castor. ejusque essentia* ad ℈j. egregia, si ferre possit ægra.

Vel ℞. aqv. menth. fœnic. aa. ℥j. ess. castor. ℈ij.
spir. sal. armon. anisat. ℈j. laud. opiat. gr. ij. syrup. cort. aurant. ʒiij.
M. f. potio, dos. 1. vel 2. cochl.

Ubi vero *æstus & phlogoses*, ℞. Aqv. menth. fœnicul. aa. ℥j.
spir. nitri dulc. ℈iß. laud. op. gr. ij. syrup. cort. aur. ʒvj. M.

PURGANTIBUS trochisci alhandali addendi, nam colocynthide mirè dissolvuntur phlegmata viscida.

Externè ut spasmi remittant, si pertinaciter resistant,
℞. Theriacæ q. s. impraegnetur ol. quodam destill. vel. ℞. Empl. ex tacahamaca, malaxetur cum theriaca.

Casus III.

DE PICA à SCABIE RETROPULSA.

Puella procax & vegeta, annorum 14. cujus labra muliebre profluvium nondum polluerant, corripitur ineunte vere, sponte, sua scabie, cujus pertæsa molestiæ & pruritus fastidiosi, nescio quibus linimentis eam curare satagit, corripitur hinc brevi post febri anxiosa, malignæ simili, qua tandem, difficulter licet curata, redeuntibus sensim functionibus naturalibus, redit postliminio etiam appetitus, sed minus consuetus, præ cæteris enim eduliis speciatim cretâ subtilissimè tritâ delectatur, ejusque usu mira voluptate afficitur, palam pariter ac clam eam suffuratam comedendo. Parentes solliciti, ultra minas simul Medicum pro consilio vocant.

RESOLUTIO. *Duo* circa resolutionem hujus casus *ponderanda*: (1.) quæ sit causa proxima scabiei (2.) quomodo scabies retro pulsa febrim & picam intulerit.

Quoad

Quoad prius, *scabiei causa proxima* est acido-acre sub cuticula defixum, natum occasione interclusæ transpirationis. Hinc homines quieti & minus laboriosi, vel nonnihil sordidi solent affici scabie. Halitus naturaliter per cutem transpirantes salsi, sub cuticula coacervati, corrumpuntur, & acorem contrahunt, qui acor alcalinum & roridum nutrimentum partium, cum quo effervescit, similiter corrumpit, ut partim in liquamen acre, salsum degeneret, partim salia hæc in nutrimento hoc irretiantur, & viscositatem contrahant. Cujus viscositatis ratione facilè aliis adhærescit fermentum scabiosum, & fit contagiosum. Acrimonia verò acido-salina parti affixa, incipit corrumpere nutrimentum proximum, & sic corpus inficit. *Patet hoc primò ex pruritu*, omne acidum acre cutim attingens, pruritum, si acrius, rosionem infert. 2. *Ex pustulis*; Acida primò rubedinem, postmodum albedinem inferunt; Alcalia verò primò albedinem, hinc nigredinem: videbis hoc, si fonticulum unum cum butyro antimonii, alterum cum lapide corrosivo excitaveris. 3. *Ex squamis decidentibus*, acidum erodit cuticulam, hæc abit in squamas. 4. *Ex pure*, quod est sanguis fermentando transmutatus, sulphure ejus ab acido præcipitato. *Distinctio scabiei in humidam & siccam non est bona*, nam prout subjectum plus minus est serosum, scabies quoque est vel humida vel sicca.

CURA Scabiei infra cas. 27. tradetur, *fitque per alcalina medicamenta & linimenta, cum ol. tartari per deliquium, aut cum ☿alibus, ☿rius* enim alcalinæ est naturæ, & acidum absorbet. v. g.

℞ Extract. panchymagog. Crollii, mercurii dulcis ana gr. xv.
scammon. 🜍*rat.* q. s. pro stimulo M. f. pillulæ.

Quoad posterius, scabies & aliæ excretiones cutaneæ repelluntur *vel* à pororum occlusione, *vel* à motu sanguinis aliorsum concitato. *Occluduntur pori* (1.) *à frigore, vel* extrinsecus admoto, ut, quando corpus denudatur, post sudorem frigori exponitur, fibræ nerveæ se contrahunt; *vel* intrinsecus recepto: Huc pertinet haustus frigidus, à cujus ingurgitatione cutis se stringit, ob consensum nervorum & panniculi carnosi cum membranis stomachi. (2.) *à viscidis*, unctuosis, pinguibus, oleis expressis, emplastris applicatis, quæ poros illinire solent. Hinc scorbutici, & qui serum habent acrius, à levi emplastri admotione pustulas & herpetem contrahunt, ob coërcitos halitus acres. Ulceribus corrosivis meliori successu pulveres ex lapid. calaminari, cret. cerussa, sacch. ♄*ni* conveniunt, quæ acidum absorbendo saporem salsum acquirunt.

Motus sanguinis aliorsum concitatur à venæsectione, purgatione, vomitu, clysmate, intempestivè applicatis, quibus sæpe motus naturæ expulsorius ad exteriora pervertitur, *In petechiis* hinc *venæsectio* maximè periculosa. *Clysmata* quoque *in variolis* vidi lethalia, deflorescentibus inde variolis, & diarrhœa colliquativa succedente. *In puerperis* si sit suspicio febris malignæ, lochia stringenda potius nonnihil, quàm nimis pellenda suadet *Willis*: Quia tunc serum vitiosum

vitiosum, seu sanguinis vehiculum à partibus exterioribus materiam vitiosam interius, & ad uterum simul rapit.

Repulsa verò *scabies* & aliæ excretiones cutaneæ tam *periculosa inferunt symptomata*, quatenus excrementa cutanea, quacunque occasione vel immediatè cum sanguine mista, vel sero soluta in cruorem reaffusa, sanguinis texturâ naturalem insigniter irritant, quâ vitiatâ depravatur spirituascentia, vitiantur fermenta, sicque à tantillo fermento tota massa sanguinea infici potest.

His ita suppositis in hoc casu pica fit à stomachi fermento inquinato ad modum acri, acido-salso, quod cupit saturari iis, quæ acidum imbibunt, quale *creta*; danda proinde qualia appetunt, modò non nimia quantitate. *Febrius de absinthio* concessit cretam, sed cum mechoacanna mixtam, quibus fermentum destructum saturatur, & simul evacuatur. *Itaq*; (1.) fermentum ventriculi saturandum, hinc 2. per vomitum evacuandum. 3. stomachus roborandus, *ad saturationem* faciunt *♂tialia & alcalia fixa.*

℞ Corall. rubr. præp. cryſtall. præp. ebor. uſt. ſal. abſinth. ana ʒj.
M. detur mane & veſperi.

Quæritur. Quomodo scabies & excretiones cutaneæ retropulsæ iterum expellendæ? *Respondeo*, fermenta salina iterum separanda, ut separata à sero imbibi, & hujus vehiculo in cute rursus defigi queant. *Separatio* instituenda mediante præcipitatione, quà prægressa, serum purum transcolatur, fœcibus præcipitatis circa poros cutis congestis efflorescentibus. Danda igitur *alcalia*, quæ acidum in salsum convertunt, ut *salia fixa & volatilia, card. bened. fumar. absinth. viperar. C.C. fuligin. sanguin. humani*; Si *æstus* urget, *☿ialia fixa, bezoardica, ☿. diaphor. mistura polychresta ex ✠. & lapid. 69.* egregia sudorifera & diaphoretica.

℞ Aq. ſcabioſ. fl. ſambuci. card. bened. ana ℥j. ✠. vini ʒvj.
lapid. *69.* gr. xv. ſyrup. de fumar. ʒiij. M. pro 2bus vel 3bus doſibus.

Pertinet huc etiam *emulsio* ex semine napi, aquileg. card. bened. citri, sub nomine liquoris alexipharmaci à *Zwelffero* correcta. *Fimus equinus* ad purificandam massam sanguineam est egregius. Tandemq; consilium *Zacuti Lus.* non improbandum, qui suadet ut cum alio scabioso concumbat, sic scabies redibit.

Casus IV.

DE CHOLERA BILIOSA.

Juvenis εὔσαρκος & probè sanus exercitiis deditus, cùm gravissima ira excanduisset, ne in vindictâ instituere posset, bibit aliquantum vini cerasci, hinc domum rediens ingruente nocte ex improviso terrore gravi percutitur, unde sequenti die ob languorem universalem & lassitudinem artuum in lecto subsistere cogitur. Mater sollicita propinat dosin tincturæ bezoard. unde sudor sufficiens prolicitur cum aliquali euphoria; Die sequenti atroces anxietates eum corripi-

corripiunt, (Er weiß nicht wo er vor Angst bleiben soll) ut in lecto inquietus ſe jactitet, ſudores copioſi circa caput prorumpunt, flatus abdomen diſtendunt, ſitis urget intenſiſſima, modò calet corpus intenſiſſimè, modò naturaliter tepet. Ex propinato remedio confortante nauſeat ſtomachus, in vomitus erumpit copioſæ materiæ viſcidæ, flavæ, viridis, amariſſimæ, cui & copulantur aliquot dejectiones per inferiora, cum flatuũ emiſſione, hinc levatur malum, æger comodè ſatis ſe habet, die vero 4to eadem recurrunt ſymptomata, anxietates longè crudelius afficientes: adeò ut æger moribundi inſtar jaceat cum facie pallida & quaſi exangui. Cum ad horam & amplius ita afflictus fuiſſet, tandem ſummo vomendi conatu, antea ſæpius irrito, excernit aliquantum materiæ viridiſſimæ & amariſſimæ; vocatus Medicus pulſum validum, magnum, celerem, invenit, rogatur ægro inſtituenda cura.

RESOLUTIO. Eſt affectus choleræ affinis, minùs acutus, per intervalla rediens; *Subjectum* morbi ſeu ratione transmisſionis, ventriculus & inteſtina, ſeu ratione receptionis & excretionis.

Cauſa proxima eſt ſuccorũ acrium (acidi pancreatici & bilioſi corrupti) in primis viis effervescentia. In *ira* turgeſcit bilis & ſanguis. A *terrore* motus ſpirituũ ſupprimitur & augetur acidũ; amarum acre in ſtomacho ingentes creat *anxietates*, quales obſervantur ab aſſumptis vomitoriis, quando ultimò materia amara evomitur, orificia ventriculi tamdiu ſtringuntur, donec prævaleat pylorus & per ſuperius moleſta ejiciantur, *ſudores circa caput* prodromus & effectus ſyncopes. *Sitis* primariò affectus fauciũ, ſecundariò orificii ſuperioris ventriculi, quod ſtimulatum ab acido famem, ab alcali vel ſalino ſitim infert: Omnia amara ex inteſtinis regurgitantia ad ſtomachum, clamoſam ſitim inducunt. *Spiritus vel clyſſus* ♀ in febribus ardentib. optime *ſitim* ſedat, quatenus alcali rodens corrigit; Quando acidum abundat, & membranas primæ regionis vellicat, urget *rigor*, quando verò ſub inæquali iſto concurſu prædominatur pinguedo bilis, oritur *phlogoſis*, unde præcipitantia & fermentationem ſiſtentia conveniunt, *in rigore quidem ſal abſinthii, os ſepiæ cryſtallus; in phlogoſi arcanũ dupl. Mynſ.* ⊕☿*niat. ſpir. nitri dulc.* quando ſubitò *languet corpus*, ſpiritus, ſin ſucceſſivè, maſſa ſanguinea affecta eſt. *Colores humorũ* & excretorũ varii proveniunt à textura, radios lucis vel transmittente, vel reflectente, vid. *Boyle de color. Albedo excretorũ* ut plurimum à commixtione minus exacta aquei & oleoſi oritur, maximè ſi hoc ab illo præcipitatur, ſicuti ſpir. vini rectificatisſimus, cum aqua miſtus lacteſcit; *pus albicat*, ſulphure ſanguinis ab acido in vulnere præcipitato, *lac* eſt album ab acido mam̃is impreſſo. *Semina oleoſa* cũ aqua trita emulſionem lacteam præbent, unde excreta candicantia, præcipitationem quandam prægreſſam arguunt. *Rubedo* oritur ex ſulphure ſeu oleo ſale volatili digeſto & diſſoluto; omne oleum, ⊖. & ſpir. volat. animal. aliquamdiu aſſervatus, tandem rubeſcit, ex diſſolutis particulis oleoſis adhæreſcentibꝰ. Si ✱. calx viva & ſulph. deſtillentur, una ſpir. prodit rutilans

lans à sulphure ab alcali soluto, si huic spiritui aureo affundas aquam, totus liquor lactescit, & sulphur ad fundum secedit,

Rubedo sanguinis ex oritur à sale volatili intimè oleoso, seu sulphure dissolvente. *Vrina quo rubicundior*, eò sulphure ab alcali volatili digesto abundantior: *turbida* contra fit urina , si aliquid aceti admisceatur, non ritè cum partibus reliquis uniti. In morbis acutis dum *urinæ claræ turbantur*, instauratum fermentum stomachicum designant.

Fœtor fæcum fit à putredine, quâ sub solutione concreti alcali liberatum agit in sulphur, illudque dissolvit. Sic sal tartari cum fl. sulphuris in crucibulo fusum immensum spirat fœtorem. A purgantibus fortioribus excreta pessimè fœtent, quatenus istorum alcali acre in sulphur scybalorum agit.

CURA. *Crystallus præparatus* uti bilis æruginosæ alexipharmacum audit *Sennerto & Langio*, ita magnæ in cholera efficaciæ experimento *Heerii*. Spir. vini calidè stomacho applicatus egregius. In cholera biliosa cerevisia secundaria succo citri acidulata porrigenda, vel Julepi blandè aciduli v. g.

℞. flor. papav. err. mj. infund. in 🜄. simpl. ℔iß. spiritus sulphuris q. s. acidulata, stent in digestione ad extrahendam Tincturam: Colaturæ adde syrup. corall. cort. aurant. aa. ℥ß. spiritus nitri dulcis parum M. S. Julep.

Casus V.

DE CHYLIFICATIONE LÆSA EX CRUDITATE NIDOROSA.

Fœmina delicata lautioribus epulis dedita, bonisque fortunæ affluens, conqueritur de vagis, subitò invadentibus & recedentibus æstuationibus corporis aliquot horis à pastu, cum faciei vago rubore, accedunt subinde ructus tetri saporis vix explicabilis, quibus interdum 5. vel 6. noctis hora superveniunt vomitus variorum liquaminum, cibis quibusdam assumptis plus minus permistorum. Manè mediocriter se habet, sed ad jusculi gallinacei, pro consuetudine hauriendi odorem nauseat, & assumptis paucis cochlearibus id seponit, superveniunt solidæ æstuationes, in specie caloris intensioris in regione stomachi, qui gulam flammæ instar urit, unde gravior sitis supervenit, cum appetitu circa prandium prostrato: Vocat Medicum pro Cura.

RESOLUTIO. Digestioni opponitur *cruditas*, quæ *duplex*, acida, quando fermentum ventriculi nimis acidum, nidorosa, quando nimis iners.

Cruditas nidorosa, quâ præsens ægra cum soda laborat, observatur imprimis in febribus acutis, *oritur* sæpissime à pinguibus, ovis frixis, castaneis, butyro, lacte, comestis, fructibus horariis, cucurbitis, melonibus, aliisque facilis corruptionis, potissimum in stomachi cavitate diutius retentis. Hac qui laborant semper habent excrementa alvi liquida impensè fœtentia.

Nausea fit ob spasmum orificii superioris. *Phlogoses* ex inæquali succorum in primis,

primis viis fermentatione, quæ in massa sanguinea usque continuatur, unde hecticis mox à pastu calor & pulsus augetur.

Soda seu sensus rosionis & caloris in gula fit ab effluviis acribus ascendentibus. *Sitis* à sale acri lixivo, orificium superius stimulante, vel ex defectu lymphæ in faucibus.

Affectus non est lethalis, brevi curabilis; neglectus vero diarrhœæ vel febris ardentis superventuræ periculum minatur.

Quod ut evitemus, (1.) stomachus supra vel infra evacuandus (2.) si quid superest excrementi, corrigendum temperatis, v. g. *crem. tartari, arcano dupl. oss. sepiæ &c.* (3.) stomachus *blandis acidis* vigorandus. *Purgantia* in cruditate nidorosa minori danda dosi, quia facilè laxantur. Si *soda* prævaleat, præmittantur *acidum absorbentia.*

In præsenti casu, ratione *cruditatis* nidorosæ, conveniunt *abstersiva*, ratione *sodæ, præcipantia*: utrique scopo satis facit sequens.

℞. arcani duplic. ℈ij. oss. sepiæ præp. ℈j. pulv. nucist. gr. vj. M. pro 2. dos.

℞. cremor. ♀ri ℥j. corall. rubr. ℈j. M. pro 2. dos. in jusculo.

Soda desperata & cardialgia per crem. tartari curata traditur in *Ephem. anno 3. pag. 385.*

Casus VI.

DE CARDIALGIA SEU SPASMO ORIFICII SUPERIORIS VENTRICULI à FUNGIS.

Auri faber ætatis consistentis, cœna peracta, quam sanus & hilaris assumpserat, lectum petit, nocte evigilans acutissimos dolores in regione dorsi circa medias thoracis vertebras percipit, tanquam pugione perforaretur, dolor à parte postica incipiens ad anteriorem partem sterni transit, [der Schmertzen zeucht sich aus dem Rücken biß an die Hertz-Grube] ubi etiam intensè, minus tamen acutè urget, cum insigni anhelitus difficultate, ita ut ex punctione vehementi cum dolore quodammodo suffocari videatur. Pulsus magnus, æqualis, paulò celerior, minimè durus: Medicus investigans causas antegressas, comperit ægrum die prægressa vasa argentea mercurio incrustasse & hinc deaurasse, in prandio quoque illius diei fungos cum butyro frixos, quibus sæpe delectatur, comedisse.

RESOLUTIO. *Affectus est cardialgia*, seu spasmus & constrictio orificii superioris ventriculi, quod maximè sensile & lacessitum sæpè totum nervosum genus in consensum rapit. Sic observata *Epilepsia* à dolore stomachi, quæ post vomitum cessavit. Nec rarò *syncopes vagæ*, potissimum in mulieribus exinde visæ.

Causa proxima est irritatio, quam sequitur spasmus. *Remota fungi & boleti*

boleti comesti, qui rectè à Seneca vocantur venenum voluptuarium; habent acrimoniam occultam causticam, in viscidate admodum tenaci, vid. *Hild. obs.* hujus *antidotum theriaca cum oxymellite*: *Non verò fumi mercuriales*, qui solum tremores aut paralysin inducunt. *Dolor circa vertebras dorsales, cum respiratione difficili* observatur, quia quando orificium stomachi diaphragma perforat, supra vertebras dorsales ascendit. Quando œsophagus aliquid convulsivi patitur, tunc dicunt ægri: [Es ziehet mir den Hals zusamen.]

Pulsus durus, id est, quando arteriæ tenduntur, rigidæ sunt & digito resistunt, nunquam verò observatur, nisi quando membranæ quædam vel inflammatæ vel convulsæ, v.g. in pleuritide, in doloribus nephriticis, colicis, apoplexia forti.

Morbus præsens est acutus, si augeatur, periculum Epilepsiæ l. Syncopes supervenientis.

Proinde materia peccans *per vomitum vel secessum* exturbanda, tum dolor *opiatis* & specificis sistendus. Si dolor intensior, loco vomitus cathartica cum opio, sed in majori dosi offerenda. *Chamæmelum* optimum in cardialgia: *sacculi cum aromaticis*, vino incocti, stomacho applicentur.

Casus VII.

DE CATARRHO EPIDEMIO.

Anno 1675. totam ferè Germaniam pervadens. Quoad morbum, qui hactenus epidemicè grassatus fuer', observatum, quod universi anni tempestas fuerit admodum inæqualis seu inconstans, imprimis æstas pluviosa, indeque aquarum repetitæ inundationes, cum spirantibus crebrioribus zephyris, hinc principio Septembris, circa æquinoctium, nebulæ spissiores auroram obscurabant, circa meridiem claro solis splendore denuò illucescente, utut tandem pluviosum, & humidum tempus superveniret; Hinc sub finem Septembris & mense Octobri ubique grassari incipiebat coryza gravis & diuturna cum copiosa muci rejectione, quam dolor gravativus & tensivus capitis comitabatur. Superveniebat huic post aliquot dies tussis crebra, ferina, (Schaffhusten) profunda, frequentissimè pectus concutiens, inanis & sicca, noctu præsertim affligens, donec transactis aliquot diebus & humida fieret; unde copiosis rejectis viscidis liquaminibus pedetentim cessavit. Quidam subita obmutescebant raucedine, verbum sonorum nullũ proferre poterant, cum tanta respirationis difficultate, ut ferè suffocari viderentur, ex eo, quod pectus ipsis angustissimum & ubiq; repletum appareret, unde & tales nec tussire poterant, donec, cessante pectoris angustia & liberiore facta respiratione, tussis superveniret & raucedo paulatim cessaret. Plures cum dictis symptomatibus, præsertim in principio morbi, frigus vagum spinam dorsi penetrans interdiu affligebat, æstu plus minus vesperi insequente ad mediam usq; noctem, & sic quotidie repetebat. Quidam dolore punctorio in alterutro latere affligebantur, occupante spatium costarum notharum & à regione spinæ dorsi lumbari sursum, anteriora versus ad sternũ usq; ascendente,

dente, respirationem ob gravissimos dolores insigniter impediente. Rejiciebantur in taliter constitutis quibusdam cruenta & viscida glutinosa, non tamen purulenta; aderat tunc simul calor, in principio intensus, cum pulsu crebro, celeri; Omnia tamen cessantibus doloribus cessabant.

Quæritur qualis affectus fuerit; unde ortus; quomodo curandus?

RESOLUTIO. Affectus est catarrhalis, ex lymphæ p.n. effusione per irritationem externam.

Pars affecta in genere glandulosa, speciatim variat pro symptomatum varietate: nunc membranæ narium & vasa glandulosa laryngis, nunc circa corporis peripheriam.

Causa materialis lympha vitiata, acris, acida, plus minus abundans, p.n. mota, vitiata verò ex inæqualitate aëris in casu exposita. Aer pluviosus & nebulosus Massam Sanguineam vitiat, ut spiritus minus volatiles producat, hinc lympha asperior & copiosior, sal universale aëris plus minus enervatum.

Causa efficiens, seu lympham dicto modo vitiatam movens, *proxima* est spir. vitalis & animalis, qui irritatus fibras partiũ variè movet, quib9 comotis etiã partium contenta moventur, unde loca glandulosa lymphã suã effundunt.

Remota, quæ efficientem internam movet, est inclementia aëris autumnalis, nebulosi, qui cum sordibus, quibus scatet, attractus, nares, fauces, irritavit ad effusionem lymphæ; unde coryza, tussis, pleuritis, non secus ac spina infixa dolorem & affluxum facit.

Coryza quidẽ orta ex irritatione membranæ narium internæ & pituitariæ superioris, ab attracto intra nares aëre asperiore, atomis asperiorib. irregularibus stimulantibus referto, sicut effectum similem videmus à pulvere sternutatorio, solutione vitrioli albi, intra nares attracta. Ex irritatione fibrarum & spirituum facta lymphæ effusio.

Tussis successit ex irritatione simili membranarũ fauciũ & laryngis, primũ sicca, à simplici lymphæ effusione, acrimonia sua membranã asperæ arteriæ stimulantis, post humida, succedente excoriatione laryngis, ex qua succus ejus nutritivus exstillat, qui corrupt9 dat mucũ, & tussim humidam. Micula panis intra laryngẽ recepta, ob irritationẽ, primo tussim siccã, si continuetur, & humidã creat.

Raucedo ab humectatione nimia laryngis.

Anxietas & plenitudo pectoris, distensionem pulmonum impediens, à motu convulsivo pulmonũ, qui ob retis fibrosi constrictionem non poterant distendi, unde nec tussire tales poterant. Ab opiatis cessabat, absq; materiæ rejectione.

Febris catarrhalis à lympha nimis acida cum sanguine effervescente.

Rigor ab acore partes membranosas circa præcordia vellicante.

Æstus ex effervescentia lymphæ acidæ cum sale volatili oleoso sanguinis.

Pleuritis notha ex lympha acri, rodente, circa pleuram effusa oriebatur.

Dolor

Dolor tensivus à ſpaſmo membranarum cerebri, ob conſenſum cum natibus: *gravativus* ex ſanguine ſtagnante & turgente.

Mucus non cauſa, ſed productum tuſſis, aſperam arteriam leviter excoriantis, ex qua alimentum proximum tranſudans, cum lympha copioſe affuſa degenerat, in mucum, qui in bronchiis collectus ſucceſſive evacuantur.

Noctu affectus catarrhales exacerbantur, quatenus circa veſperam minor fit inſenſilis tranſpiratio.

Quoad curam, [1.] Ratione cauſarum efficientium ſpirituum impetus ſiſtendus, & nimius irritationis ſenſus tollendus per *opiata*, quæ in principio tuſſis ſiccæ præſentaneè juvant, minùs verò excoriatione jam facta.

[2.] Ratione cauſæ materialis *acrimonia lymphæ* temperanda per *ſalia volatilia, oleoſa, balſamica*; *abundantia, ſudoriferis & diureticis tollenda.*

[3.] Sordes, ſi quæ in naribus & pulmonibus reſtiterint, *incidentibus & reſolventibus* removendæ, aliæque tenſiones partium appropriatis reſtituendæ. Imminente coryzâ, ad præſervationem ſuaſi, ut nares manè & veſperi balſamo apoplectico illinirent, ad aërem & læſionem jam inductam corrigendam.

Coryzam ſemper preſſo pede ſequebatur *tuſſis, quam præcavebam opiatis, ſudoriferis*: v. g. ſeqv. mixtura veſperi, parciſſima cœna prægreſſa, ad eliciendum ſudorem ſumenda.

℞. ▽ ſerpilli ℥j. liqv. C. C. ſuccinat. ʒj. (vel loco hujus ſpir. C. C. eſſenti f. ʒß.) laud. opiat. gr. ij. Syrup. papav. ʒii. l. ʒiii. M. pro una vice. Loco hujus mixturæ

℞. liquoris C. C. ſuccin. ʒii. eſſ. opii ʒß. M. doſ. gutt. 30. l. 40. bis in die;

In principio hujus affectus & febris catarrhalis: Morbo verò aucto & *naribus excoriatis*, conſultum, *oleum deſtillatum aniſi* immittere, vel *ſpir. ſalis* ✻*ci aniſatum vel* ⊖ *vol. urinæ*, C. C. crebrius, præſertim tempore veſpertino, naribus admovere & odorari.

His non ſufficientibus, *pulv. ſternutatorius Helmontii, vel alius probatior* in uſum vocandus. Si *dolor tenſivus capitis* conjunctus, guttæ aliquot *olei deſt. ſuccini* vertici illitæ, vel, ſi oleum acrius, balſ. peruv. conducunt.

Succedente *ſiccâ tuſſi*, adhuc *in principio* talia uſurpanda, quæ lymphæ acrimoniam temperarent, faucium & aſperæ arteriæ irritationem doloroſam ſiſterent & materiam incraſſarent.

℞. ▽. ſcabioſ. ℥ij. aſthmatic. ʒvj. Syr. papav. alb. vel diacod. Mont. ℥j. M. capiat cochlear tempore veſpertino cum opiatis. Vel

℞. ▽. ſcabioſ. ℥iij. aſthm. ʒvj. ſpir. ✻ci aniſ. ʒj. ſyr. viol. papav. alb. aa. ℥ß. M.

Hoc ſæpe tuſſis, ſuperveniente blando ſudore, ſedata, ſin verò *tuſſis ad ſtatum jam*

jam pervenerit, ut materia expectoretur, incidentia & expectorantia profuere v. g.

℞. ▽. hyssopi ℥ij. asthm. ℥ß. spir. ⊕. vel quod melius, spiritus gummi ammoniaci cum ⊕. parat. ʒij. Syrup. Nicot. ℥ß. vel ʒvj. M.

Ut melius fauces & præcordia stimulet, addi potest ʒj. *Syrupi emetici Angeli Salæ.* Loco hujus mixturæ *succus raphani expressus cum pauco saccharo canto* temperatus egregiè incidit mucum: *Si fauces, pharynx & larynx leviter excoriata*, linctus blandi in usu fuerunt, v. g. *looch passul. syrup. diacodii Mont. viol. cū baculo liquiritiæ.*

Asthma opiatis & acredinem temperantibus curatum. *In declinatione morbi*, si læsionis inductæ suspicio esset, ordinavi *balsamum ♀ris anisatum & terebinth.* quotidie ad gutt. 10. l. 12. in haustu jusculi vel cerevisiæ calidæ.

Febris catarrhalis curata fuit per ⊖*lia volatilia oleosa*, imperando sudorem, speciatim mixtura supra de præservativis proposita.

Pleuritis notha salibus volatilibus cum specificis & *opiatis spir.* ⊖. ✳*ci anisat. liqv. C. C. succinat. tinctura ♀ri cum spir.* ✳*ci, dente apri, maxilla lucii piscis.*

℞. ▽. card. bened. pap. err. aa. ℥iß. spir. ✳ci anisat. ℥iß. laudani opiat. gr. iij. Syrup. chærefol. ℥iij. M. sumat cochleatim.

Pro alio ægro, qui prægresso frigore, æstu insolito, pectoris angustia & pungitivo lateris dolore torquebatur, ordinavi seqv.

℞. ▽. fl. sambuci scabios. aa. ℥iß. lapid. 69. dent. apri præp. aa. ℈j. ⊖. vol. maxill. lucii pisc. gr. xij. laud. opiat. per ferm. gr. iij. syrup. card. bened. ℥ß. M. Mixturæ hujus probè agitatæ capiat cochl. ij. expectando sudorem. Cùm *urina* in hoc ægro esset *turbida cum copioso sedimento lateritio*, naturam diureticis juvi, tinctura tartari cum dimidia parte ♎. ✳ci, dos. gutt. 40. propinetur in ▽. menthæ, serpilli cum syrupo hederæ terrestris.

Inter *externa* profuerunt *fotus* calidi sicci, & *frictiones* cum linteis calidis, *sacculi* avenacei calefacti, & *empl.* sequens

℞. ⊖. vol. urinæ ʒiii. terebinth. ℥i. mass. empl. Barbett. ℥ii. M. in mortario marmoreo cum pauco empl. de meliloto, induc super alutam, applica.

Nocent mucilaginosa & unctuosa, propter obstructionem pororum.

Opiata suspecta videri possent, quod motum naturæ & lymphæ excretionem impediant. Verum *conceduntur* solùm in principio, nequaquam in augmento & statu. *Nec senibus opium concedendum*, sed loco hujus *extr. theriacæ. Gravidis quoque interdicendum* planè, quia fœtui nocentissimum; locum supplet Syrup. papav. vel diacodium Montani.

Purgantia in lymphæ vitiis nihil præstant, quia universam massam sanguineā turbant. Ast omnem paginam faciunt *diaphoretica & diuretica*, inter quæ in præsenti excellunt *sal vol. succini*, *essentia myrrhæ cum spir. vini tartarisato, arcanum dupl.* pro corrigendis urinis ad ℈j. bis in die.

Infantibus catarrhosis solus *spir.* ⊖. *ammon. anis.* auxiliatur, si tussis affligat, gr. 1. vel 2.

vel 2. *theriacæ*, adde *senibus* vertex *ol. dest. succini* inungatur, vel applicetur *empl. pro bregmate* malaxetur cum *balsamo Peruv.* & irrorandum pauco *oleo succini*.

Casus VIII. DE DYSENTERIA.

Mulier juvencula εὔσαρκα & succi plena, sed hystericis affectibus levi causa obnoxia, simulque mensium difficultate non raro affecta, capit à Medico pill. seqv. horis matutinis cum regimine debito.

℞. MP. de Hiera cum agarico gr. xv. vitrioli ♂tis ritè præp. ʒß. scammonii ♀rat. gr. ij. extr. troch. alhandal. gr. j. c. s. q. ol. dest. tereb. f. pill. à meridie succedit evacuatio 6. 7. vicibus copiosæ materiæ sordidæ, viscidæ & variæ, cum euphoria, sed nocte sequente evigilans, atrocissima persentit in abdomine tormina, succedunt celerrimæ dejectiones alvi, vomitus; Ipsa doloribus vexata & excretionibus debilitata vocat Medicum, qui reperit eam summè debilem cum pulsu celeri, frequenti, excreta tenuia, rubicunda, instar loturæ carnium, sed intensius tincta, ægra in lecto se circumvolvit, corpus mirè præ dolore incurvat & miserè ejulatur, postulat Medicinam.

Resolutio. Affectus est dysenteria. *Locus affectus* intestina tenuia, quia (1.) tormina sunt atrocissima, (2.) dejectiones tenues (3.) non statim fiunt post tormina. (4.) Adest vomitus.

Causa proxima, Spiritus impetum faciens, irritatus ab objecto molesto. Specialiter, acidum rodens & excorians intestina, quod patet ex prægressis passionibus hystericis, in quibus notoriè peccat acidum plus minus austerum. *Causa remota* purgans datum.

Mulieres hystericæ à levissimis purgantibus maximè purgant, & sæpe sub operatione paroxysmum patiuntur, propter sensile genus nevosum, & quia spasmis intestinorum consuetè sunt obnoxiæ.

Vomitus in præsenti ægra non adeo malus, quia manus moderatè calidæ: Alias in dysenteria maligna vomitus malus, sæpiusque in dysentericis cum vomitu mortuis stomachus eschara obductus, & gangrænosus repertus. *Pulsus auctus* ex dolore, in aliis plerumq; febrim præsagit. *Dolor contorquens* à spasmo intestinorum: (Es wend sich im Leibe) *lacerans* ab excoriatione, quam sequitur *sanguinis dejectio* ex venis capillaribus.

CURA. Pro Cura, acidum acre corrigendum, (2.) massæ sanguineæ reliquorumque humorum & succorum motus sistendus, & dolor mulcendus (3) læsio inducta emendanda.

Opiata in principio possunt adhiberi, minus in progressu vel statu, si metus gangrænæ.

Corrigunt acidum C. C. ustum; *Terra sigillata*, quæ absorbendo acidum abit in naturam aluminosam, unde simul adstringit, v. g. In dysenteria maligna sequens conducit optimè.

℞. Terræ sigill. ʒj. ♁ diaphor. ℈j. laud. opiat. per ferment. gr. iij.

ol. cinam.

ol. cinam. gt. iij. M. f. pulv. pro 4. vel 6. dosibus, capiat cum ∇. cinamomi cydoniata, simul quieta jaceat & si fieri potest, post unam vel alteram dosin blandum expectet sudorem. Abdomini, ut spasmi remittant, opercula calefacta vel seqv. sacculi tepidè applicari & pro usus exigentia reiterari possunt.

℞. herb. chamom. cum fl. miij. fl. verbasc. samb. aa. mij.
fol. quercus menth. aa. miß. Incis. includ. 2. sacculis rot. interpassatis, si hæc non suffecerint, ad specifica accessus fiat.

℞. rasuræ priapi Cervi ʒij. hepat. viperar. exsiccat. ℥ß. mag. Corall. cum succo citri ℈ij. laudani opiat. gr. vj. M. pro 6. dosibus.

Læsiones intestinorum, si quæ supersint, curat *balsam. peruv.* in vitello ovi solutum, (*vitella ovi* enim in dissolvendis resinis, in specie purgantiū præstantissima.) *Tinctura antiphthis. tinct. sulphuris vitrioli, bals. sulph. tereb. essentia balsami peruviani* (quæ hoc modo paratur: ℞. *balsam. peruv. subige terendo cum salis tart. s. q. pro pasta, cui affunde spir. vini tartarisatū, digere in loco calido ad extrahendā essentiā, dos. gutt. 20.* gustu acrior est, sed ructus parit:) Aliis *decocta vulneraria* placent. v. g.

℞. rad. symphyt. maj. tormentill. aa. ʒj. herb. veron. alchymill. aa. mj.
plantag. com. hyperici aa. mß. concis. in s. q. ∇. comm. coqv. colaturæ
℞. ℔j. adde Syrupi de Symphyto Fernelii, corall. aa. ℥ß. M. cuilibet haustui gutta una vel altera balsami ♀ris tereb. vel tinct. antiphtihs. possunt addi.

Si intestina crassa gravius affecta cum tenesmo.

℞. lactis bubuli recent. ℔ß. adde tereb. vitell. ovi sol. ʒiij. & si opus
mell. rutac. ʒvi. M: fiat clysma.

Decoctum cydoniorum aromat. vinum absynthites, Elixir menthæ tonum ventriculi & intestinorum fibrosum restituentia conducunt.

℞. ∇. plantagin. ℥ß. cinam. cydon. ʒvi. ♁nii diaph. gr. xii. diascordii Frac.
ʒj. trochis. de carabe ʒß. lapid. hæmatit. pulv. ℈ii. syrup. plantag. ℥ß. M. detur.

Casus IX. DE COLICA CONVULSIVA.

Juvenis Nobilis, per longum jam tempus, abdominis patitur tormina, quæ vocat (die Colick) ita quidem, ut quoties vel dulcia vel facilè fermentescibilia, tantilla licet quantitate comedat, patiatur Colicam, dicit, (Es reise ihm so sehr um den Nabel/) unde & sæpissimè circa regionem umbilicalem mediam dolorē percipit, cætera licet sanus. Cum dicto malo subindè etiam subitaneis corripitur paroxysmis, in quibus, sensu & motu omni evanescente, corruit, nescius quid secum agitetur. Adstantes tamen tremere eum & oculos hinc inde contorquere dicunt; evanescente hinc pedetētim hoc ipso pathemate, sanus ad se redit; Ingruunt hi paroxysmi cumprimis, quoties terrore aut iracundiâ subitò corripitur. Alvi naturaliter siccioris, & constitutionis scorbuticæ est, circa cubiti articulos pustulas scabiosas & crustosas cum pruritu patitur, sanie manantes. Fit interdum, ut utrumque jungatur malum, ita ut ex dulcium esu patiatur mox colicam, (wann es Ihm dann so reisse im Leibe / so steige

es alles nach gerade höher / und käm Ihm ans Hertz / also daß Er dann nicht wüste / wie Ihm weiter geschehe /) tunc corruit, & supra dicta patitur ; Hæc ipsa propter mala continuò fascia vel zona coriacea firmiter hypochondria cingere solet, ut, quando colicam suam, ut vocat, ingruere persentit, zonam illam firmiter contrahere, & hypochondria arctè stringere queat, eum in finem, ut medio sui quasi impetu coërceatur paroxysmus. Vocat Medicum

RESOLUTIO. Affectus hodie notissimus, (frequentissimus) veteribus, ob neglectum nervorum usum, sub colicæ nothæ nomine absconditus, qui vocatur *Colica convulsiva:* Convulsiones Colicæ, propter intestina, & alias quoque partes convulsas per consensum.

Sicut nimirum punctura nervi in brachio causat convulsionem brachii: Sic nervis intestinorum lacessitis, contractura & spasmi sequuntur. Pari ratione, quando calculus per ureteres vel in pelvim movetur, ob lacessitos & contractos nervos, tormina abdominis, nausea, vomitus, subinde hemicrania istius lateris, cujus ren affectus, succedunt:

Partus dolores cum spasmis uteri, aliarumque membranarum conjuncti. Mulier apud Hœferum dolores nephriticos se pati credens, loco calculi puerum excrevit. *Passiones hystericæ* nil aliud sunt, quàm *convulsiones colicæ*, maribus & fœminis familiares. *Sensus globi in abdomine commoti* fit à motu intestinorum contractivo. *Suffocationis metus* nec semper hystericas urget, & viris quoque non rarò accidit.

Colicæ humorosæ, quales vulgò describuntur, rariores, & tamen cum spasmis intestinorum ut plurimùm conjunctæ, quos produnt dolores contorquentes & lancinantes, via flatibus interclusa, angustatis ob spasmum intestinis.

Tormina infantum conjuncta plerumque cum tensionibus spasmodicis abdominis, ab acido lactis corrupti, nervos vellicante.

CAUSA PROXIMA præsentis casus est *acre scorbuticum*, quod probant ulcera scorbutica, quibus non ritè fluentibus pejus se habebat, urina non rarò signum scorbuti præbet, cui si caudæ pavonis (eine Fettigkeit) supernatet, de præsentia scorbuti testatur.

Inter CAUSAS REMOTAS [1.] *dulcium usus.* Dulcia facillimè fermentantur, & contenta corporis fermentant, ac per fermenti rationem, nunc acescunt, nunc bilescunt; In hoc casu optima *amaricantia, absinthiaca, castorina, myrrhata.* [2.] *Pathematum impetus*; *Ira* Spiritus movendo omnes corporis succos p.n. moveri facit, *terror* Spiritus figit, unde sudor frigidus.

Fermentum acre scorbuticum ascendit ex abdomine, non ad cor, sic enim palpitaret, sed ad orificium ventriculi.

Malum caret periculo, licet propter scorbutum difficilis sit curationis.

CURA

CURA tum ad principium morbi & augmentum, tum ad statum, in quo convulsiones Epilepticæ & lipothymiæ superveniunt, dirigenda. *Respicien-dum* verò *primò*, ad acre scorbuticum, cui *salia volatilia oleosa* (2.) ad spirituum inordinatum motum, *cui opiata & nervina* opponenda.

Initium fiat à *clysmatibus ex lacte*, suasu *Horstii, DraWitz, Bartholini*. *Urina humana*, juxta *Lusitanum*, quibus *castoreum* & *opiata* addit *Deodatus*. *Theriacam* ad ʒij. *Willis*; Alii *philonii Romani* ʒj. vide *Borellum libr. 4. obs. 92.*

Loco *laxantis* passulæ laxativæ, aurum fulminans conducunt. Hinc *sal acre scorbuticum corrigendum* volatilibus & diaphor. v. g. *spir. fuligin. pulv. testic. equin.* ʒj. *suc. stercor. equini, fuligin.* ad ʒß. cum aceto assumpta, vel, ut simul motus sistatur.

℞ ▽. chamomill. ℥ij. spir. cochl. ʒij. *ci ʒj. laud. hysteric. gr. vj. syrup. cort. aurant. ℥ß. M. *Vel*

℞ ▽. menth. fl. chamomill. ana ℥iß. spir. *ci, fuligin. C. C. succin. cinamomis. vel carminativ. de 3bus ana ʒß. laud. opiat. gr. iij. laud. hysteric. gr. vj. syrup. cort. aurant. ʒvj. M.

In *mulieribus* addi potest *essentia castorei, myrrhæ*, cum spir. vini tartarisato; si æger volatilia ferre nequit, vel eadem propter nauseam rejicit, fixiora conveniunt. v. g.

℞ ▽. fœnic. matricar. ana ℥j. specif. cephal. ʒß. pulv. testic. equin. ʒj. laud. opiat. gr. iij. syrup. de alth. *Fernelii* ʒvj. M. detur.

Externè ol. succini, spicæ &c. *stomacho*, & abdomini illinetur, imponendo desuper laterem calefactum, vel *emplastr. de galbano malax. cum oleo dest. succini. Galbanetum Paracelsi* spinæ inunctum. *Pinguedo cati sylvestris* cum pauco *Zibetho* umbilico illita, egregia in colica convulsiva.

In paroxysmo, ubi maxillæ constrictæ, & propter convulsionem laryngis *deglutire nequeunt*, convenit *spiritus *ci* naribus admotus, *suffitus succini, bals. ejusdem* affricetur naribus & temporibus, ultimò ad *sternutatoria* confugiendum.

Extra paroxysmum curatur ad methodum chronicorum, præmissis digestivis detur *vomitorium*, sine quo vix radicitus curatur morbus chronicus, quo facto ad ♂*tialia* accedendum; hinc subjungantur *volatilia* vel generalia, vel specialia *antiscorbutica*.

℞ Aq. antiscorbutic. fl. sambuc. ana ℥iß. spir. cochlear. ʒij. lumbric. terrestr. ʒi. arcani duplicat. Myns. ʒi. syrup. scelotyrb. *Foresti* ℥ß. M.

Casus X.

DE DIARRHOEA BILIOSA.

In gravida, ab esu uvarum & subsecuta consternatione, cum siti intensa, appetitu

appetitu dejecto, doloribus lancinantibus circa lumbos, virium prostratione, & dejectionibus copiosissimis, aliisque symptomatibus, quæ recenset historia.

CAUSA PROXIMA fermentum deses vel deficiens, quamdiu appetitus integer, motus naturæ non turbandus, cum languet, curatio non differenda.

Purgatio artificialis diarrhœa.

Sãguis exsiccatus ardet, nitro in crucibulo fluenti injectus illud figit in alcali.

Diarrhœa ab errore externo intrepidè sisti potest, minus, quæ motu naturæ spontaneo accidit.

Clysmata ex lacte chalybeato cum terebinth. profuisse, vidit Autor.

Vomitoria in diarrhœa contumaci stomachi vitio comẽdat *Riverius*, & Experientia.

Purgantia verò minus conducunt.

Optima theriacalia cum *acidis* atque opiatis, *diascord.* acrimoniam temperat *gelatina* C.C. *in potu dissoluta.*

℞ Aq. plantag. ℥ii. menth. ℥j. cinam. ʒvj. aceti vini vel succi citri ʒvj. diascord. vel theriac. Andr. ʒi. vel ʒii. ♃nii diaphor. ℈i. l. ʒß. syrup. cydon. ʒvj. M. pro 3. l. 4. dos. expectando sudorem.

℞ Conserv. ros. vitriolat. ℥ii. theriac. Andr. ʒii. boli vel terr. sigill. ℈ii. ad ʒi. cum syrupo cydon. fiat electuarium.

Casus XI.

CHLOROSIS INCIPIENS.

Mulier Itala 32. annorum, formæ alias integræ, constitutionis sanæ, succiplena, postquam per 12. annos marito sano ac robusto nupta feliciter cum eodem vixisset, & aliquot liberorum mater facta fuisset; illo per mortem sibi erepto incidit paulò post in vomitus enormes, periodicè singulis diebus, apparente aurora invadentes, perque duas horas durantes, tanto quidem cum impetu, ut hoc cessante cervicis tendines adeo tenderentur, ut quasi tetano correpta, per aliquot horas non sine multo dolore illius partis & totius capitis torqueatur. Ipsa antea floridæ faciei evadit nonnihil pallida, ipsis labiis nativum colorem perdentibus. Mala hæc per integrum annum jam eam mirum in modum excruciarunt, mensibus semper ordinatim, licet nonnihil parcius fluentibus. In abdomine ac circa hypochondria recte se habet. Plures Medicos consulit frustra; Flagitat nihilominus pro suo malo curam.

RESOLUTIO. *Affectus* noster *est chlorosis incipiens. Pars primariò affecta* sunt genitalia, ubi & focus morbi: Est enim ægra vidua, Itala &c. *Symptomatum verò sedes* est stomachus & primæ viæ.

CAUSA PROXIMA est corruptio genituræ muliebris, hinc aura virulenta

lenta exſpirans. Notum quæ aura ejusmodi orgaſmon brutis certo tempore concitet. Hirci niſi crebrius ad venerem admittantur,odorem viroſum ſpirant,ex inchoata ſeminis putredine. Ex odore tali canes ſe invicem cognoſcunt. Odores penetrantiſſimi habent ſe inſtar fermentorum, quorum naturam per odores *Helmont.* explicat, quatenus ſummè ſunt activa & volatilia. Fermentum ſtomachi, renum, ſe habet inſtar odoris. Odor aceti lac coagulat; odor ex chirothecis ſcabioſis expirans manus, ex genitalibus infectis partes ſanas in lue venerea corrumpit,odor ſulphuris vina à corruptione præſervat, odor camphoræ peſtem curat.

CAUSÆ REMOTÆ exercitium veneris deficiens & triſtitia.

Vomitus fit *partim* menſium vitio, *partim* vitio fermenti, ab aura virulenta ex genitalibus, mediante circulatione advecta, corrupti.

Matutino tempore vomit,quatenus cruditates nitroſæ ex ingeſtis non ritè digeſtis noctu coacervatæ,ſtomachum gravant,& ad expulſionem irritant.

Tetanus oritur ex ſpaſmo muſculorum,per conſenſum cũ nervis ſtomachicis.

PROGNOSIS. Malum anceps eſt,& metus Epilepſiæ imminentis, itaque ocyùs curandum.

CURA. (1.) Ut vitium genituræ corrigatur, (2.) Maſſa ſanguinea & lympha vitiata purgantibus, & diaphoreticis blandis purgetur. [3.] Stomacho maturè proſpiciatur.

Quoad prius excellit *camphora*, quæ in ſpecie odores morboſos ex putredine ortos emendat,non tam extinguit,quàm refrænat impetus venereos,figit quadantenus ſpiritus animales, hinc in deliriis prodeſt, & ſomnum inebriando quaſi excitat. Egregiè confert *in potu ordinario* crebrius extincta,quali potu *furorem uterinum* curavit *Bartholinus.* In forma ſicca cum *nitro & ſacharo* ♄*ni.*

℞ Nitri ☿niati vel arcani dupl. *Mynſ.* ℥iii. ſacch. ſaturni, vel potius cryſtall. miner. ſaturni cum ſpir. nitri parat. ℥i. camphor. ʒß. M. pro 6. vel 8. doſibus.

Capiat manè,& ſub introitum lecti cum potu camphorato; cum his in principio larga *venæſectio* inſtituatur,eaque repetatur, vide *Hildan.* & *Foreſt.* in obſ. *Vomitus gravidarum* optimè venæſectione curantur ſecundo vel tertio menſe. Nec inconſuetum,fonticulos coxis ſupra genua inurere, in ſpecie,ſi non amplius nubere velit. In principio curæ corpus purgandum ex hellebor. nigr. mercurio dulci.

℞ Extr.hellebor.nigr.gr.xv.ad ℈i. ☿rii dulcis gr.vij. ad ℈ß. ſcamm. ♀rat.gr.ii. c.ſ.q. olei camphoræ fiant pillulæ.

Remediis ex camphora & nitro addendus eſt *liquor ſalicis* ex his inciſis,verno tempore collectus, impetus venereos in mulieribus ſingulariter refrænans, manè & veſperi pro lubitu propinatus.

Myrrhata ad putredinem, *ſuccinata* ad ſpaſmos adjungenda.

Externè

Externè menſibus remorantibus & ſeminis vitiis ſuccurrendum per *peſſos artificiales*, quales delineat *Rhumelius*. Inſtrumentum *Glauberi*, commodius videtur ſequens : Phialæ longioris colli immittatur ſpiritus ſalis armoniaci, collum linteis involutum mulieribus applicetur; phialæ carbones candentes providè admoveantur, ſic ſpiritus magis penetrabit.

Caſus XII.

DE COLICA HUMOROSA HYPOCHONDRIACA A PEDUM REFRIGERATIONE SUSCITATA.

Ut nihil magis præter naturam eſt, quàm dolor : Sic Medicus dolorum ſublatione facilè famam ſibi parare poteſt. In colica quærendum, an alvus ſit aperta, & fluat.

Cœtera vide in *Caſu 18. pag. 95*. In Collegio caſ. D.D. Wedelii, cùm idem hic caſus ibidem exſtet, præter finem, quem in paginâ ſequenti hîc videre licet, quod ut propediem in lucem edatur, ſperamus & optamus.

Externè olea carminativa egregiè ſe gerunt, *ol. hyoſcyami* ad ℥iß. cum *oleo carminat. Mynſ. ol. Iovis, ſpir. & ol. Iuniper.* Prodeſt etiam tegula calida impoſita; omnia enim calida nervis amica, frigida verò inimica. *Empl. de hyoſcyamo*, item *decoctum hyoſcyami*, quo feliciter uſus *DraWitz.* In infantibus clamantibus aliquid *theriacæ* addi poteſt; *vitandus potus frigidus*, panis calidus; blandus calor eligendus: ſi *acidum viſcidum* firmiter colo agglutinatum, fibras nerveas vellicando, *dolorem colicum producat*, vix aliis evacuari poteſt medicamentis, quàm *gummi v. g. ammoniaco & mercurio dulci* v. g.

℞ Aq. menth. ℥j. Sal. tartar. vitriolat. gr. xv. gummi ammon. aceto ſolut. ʒß. ſcamm. roſ. gr. x. extr. troch. alhandal. gr. j. ſyrup. de pomis ℥ß. M. f. potio.

Hoc colicus dolor cum ſucceſſu mitigatus, aliis purgantibus & clyſmatibus cauſam morbi non attingentibus.

In *alvo pertinaciter obſtructa* cum metu *Ilei*, interna generoſa & externa tentari poſſunt, (1.) Follis ano applicandus, ut inteſtina à ſcybalis ſecedant, vide Amatum Luſitanum, qui modus hodie paulò exoletus. (2.) *Globuli plumbei*, quibus Ileon ex hernia incarcerata imminens curavit *Welſchius*; Si globuli fiant ex ♄*no* & *Mercurio* in minori quantitate, erunt ponderoſiores, vid. *Helm. Henricum ab Heer. obſ. 2.* præmitti poſſunt ℥j. vel ℥ii. *olei amygd. dulc.* ad lubricandas vias. (3.) *Mercurius vivus* ad ℥iv. propinandus, ſi ſucceſſus voto reſpondere debeat.

℞ Aq. menth. ℥i. ol. amygd. dulc. ʒvj. *Merc. viv. depur.* ℥iv. M. f. hauſtus.

D. Ettmüller in obſtructione alvi contumaciſſima à contuſione capitis, *Mercurium* ad ℥24. ſucceſſivè propinavit, die demum 21. incepit prodire Mercurius cum ſcybalis. Ad remanentias & *noxas à Mercurio* exhauriendas ordinavit *bezoardicum ſolare*; item decoctum *ex rad. helenii & fœnicul.* pro ſudore ex *Hœchſtet*.

Caſus

CASUS XIII.

HÆMORRHOIDES COECÆ DOLENTES.

Mulier vegeta & corpulenta, cœtera ſana, indeque luxui dedita, 49. annorum, conqueritur de dolore lumborum lancinante, gravante, diſtendente, ſucceſſivè increſcente, una cum intenſo dolore ardente, rodente, & nonnihil pulſante in interioribus podicis, hinc laborioſam alvi dejectionem patitur, in tantum, ut eam cum ſummis doloribus exoneret. Accedit tunc tremor, φλόγωσις & æſtuatio ex præcordiis caput petens, cum faciei rubore intenſo, & largo ſudoris per frontem & tempora defluxu. Medicus ordinarius varia ordinat interna & externa, venam in brachio ſecat. Levatur his malum, ſed ſupervenit difficilis reſpiratio, ita ut quoties parum ambulat, vel aliquot ſaltem ſcalas aſcendit, ſpiritus nonnihil intercipiantur, & libera reſpiratio impediatur, cum pulſatione ſenſili in temporibus & pedibus. Malum hoc varia Medici opera pedetentim evaneſcit, redeuntibus prioribus in lumbis & regionibus vicinis moleſtiis. Vocatur & alius Medicus pro Cura.

Reſolutio *Affectus eſt hæmorrhoidalis*, *pars affecta* inteſtinum rectum, ubi vaſa hæmorrhoidalia tam interna quam externa inſeruntur.

Cauſa proxima inchoata inflammatio inteſtini recti, circa ſitum vaſorum hæmmorrhoidalium, à ſanguine ob copiam ſtagnante.

Cauſa remota eſt fluxus (1) *menſtrui ceſſatio* (2) In corpore ſano & plethorico. Quod autem omnia hæc pathemata à ceſſante ob ætatem (erat enim 49. annorum) menſtruo fluxu ortum duxerint; Colligitur (1) Cùm non rarum ſit, ceſſantibus naturaliter menſibus in ſubjectis vegetioribus ſupervenire hæmorrhoides. (2) Nec rarum, loco menſtruorum obſtructorum, hæmorrhoides, hæmoptyſin, hæmorrhagiam narium ſupervenire. (3) Habitioribus una cum menſibus hæmorrhoides fluunt. (4) In partu difficili partes genitales vicinæ tumeſcunt, tenduntur vaſa, & ſæpè hæmorrhoidum ſupervenit fluxus.

In præſenti itaque ægra plethorica *Sanguis ſuperfluus*, per Uterum antehac evacuare ſolitus, ob locorum viciniam in vaſis hæmorrhoidalibus reſtagnans, & levem inflammationem pariens, primùm *tenſionem dolorificam lumborum*, hinc *dolorem ardentem*, *rodentem & pulſantem* in interioribus podicis non potuit non producere. *Alvi dejectio laborioſa*, quia pars tumet, dolet, hincque ab egerentibus fœcibus laceſſitur. *Tremor*, *ſudoris eruptio* ab exquiſito dolore, ſicut totum corpus tremit, ſi chirurgus partem aliquam exulceratam tangat. *Æſtuatio*, *φλόγωσις*, à ſubita ſanguinis ſuperiora verſus repulſione. *Difficilis re-*

spiratio à sanguine, ob ineptam in brachio venæ sectionem circa præcordia & vasa pulmonum coacervato, stagnante, & tardiùs per pulmones circulato, factâ nimirum sanguinis ab inferioribus versus superiora revulsione: Sicut enim mensibus erupturis subitò suppressis, vel parcius fluentibus sectio saphenæ in pede conducit, quatenus sanguis, spatio inferius facto, rapidiori motu versus inferiora fertur, ita in superioribus evacuatione instituta, eò motu liberiori ruit Sanguis, nisi forsan pro liberiori Sanguinis circuitu conciliando, instantibus mensibus data opera in brachio aperiatur, quod in suppressione diuturna cum fructu factum fuisse legimus apud *Riverium* in observ. aliosque. In nostra ægra *hirudines* applicari vel *saphena* aperiri debuisset.

Prognosis. Affectus in se caret periculo, nisi forsan ob negligentiam *abscessus*, *fistula vel fluxus nimius* hæmorrhoidum superveniat, vel *asthmatica dispositio* inducatur.

Cura. Itaque quoad *curam* (1) dolor inflammatorius hæmorrhoidum cæcarum tollendus (2) symptomata removenda. (3) Recidiva in corpore plethorico præcavenda.

Dolor Inflammatorius sistitur (1) *Sanguinem stagnantem* circa vasa hæmorrhoidalia vel sensibiliter *evacuando*, *vel*, si hoc non sufficerit, insensibiliter *discutiendo*. (2) *Anodynis* internis & externis ac appropriatis. In nostra ægra necesse est, Sanguinem sensibiliter evacuare; *Quæritur* per quas vias? Ægra est plethorica, cœtera sana, patitur hoc malum à suppressis mensibus. Si venæ sectio in pede instituatur, metus est, ne à nimio Sanguinis versus inferiora impetu dolor augeatur; si in brachio, redibit difficilis respiratio. *Respondeo* hoc in casu suaserim, pro revulsione universali & liberiori sanguinis motu parando, venæ sectionem in brachio instituendam; post unum vel duos dies in pede reiterandam, demum evacuationem per hæmorrhoides tentandam.

Discutientia partim interna, *sudorifera* fortiora, pro liberiori sanguinis motu concitando specificis maritata: *pulv. rad. scrophulariæ*, *chelidon. min. partim* externa, cum anodynis & appropriatis subjungenda: Exempli gratia, *fotus ex linaria, floribus sambuci & verbasci* in lacte coctis; *ungu. de linaria* in mortario ♄eo ductum, *ol. momordicæ*, *asellorum & scarabæorum*, *theriaca* illita, & profundè applicata cum stupa cannabina aut bombace, si internè etiam hæmorrhoides doleant: item *balsam. ♃r.* ad extra cum oleo *papaveris expresso*, quando urget *ardor.*

℞. ▽ rosar. largiter camphorata, vel Spir. Vini camphor: cum linteis triplicibus applica:
item oleum papaveris, hyoscyami expressum.

Nota *opium*, cum ad gangrænam disponat, cautè applicandum. Vasa hæmor-

morrhoidalia per *hirudines* aperienda. *Symptomata*, potissimum dolorosa alvi excretio, *moderanda* continuatis *emollientibus* & blandissimè *lubricantibus*.

Recidiva præcavenda (1) per *cucurbitulas* scarificatas singulis mensibus, partim in dorso, partim in cruribus, vel per *fonticulum* in crure.

(2) per *motum corporis* crebriorem. (3) *vitatis aloeticis, purgantibus aliis resinosis*. Fonticuli non nisi aliis frustra tentatis adhibendi in brachio uno, vel altero, vel utroque.

CASUS XIV.

DE CATARRHO SUFFOCATIVO.

Puer ingenuus, macilentus corpore, facie plena sed pallidiore, annorum 10, solet subinde nocturno tempore, alto oppressus somno, difficillimam respirationem incurrere, ita quidem, ut cum stertore & sonitu (adstantes dicunt es pfeiffet) Spiritum ducendo, expergefactus omni momento suffocandus videatur, facie sub iis angustiis subtumescente, & ex rubro cœrulescente, cum extimorum refrigeratione. Accedit tussis crebra sed difficillima & inanis, cujus impetu nihil nisi tenuis aqua eaque pauca excernitur. Sic pedetentim remittit paroxysmus, superstite febri aliquot dierum lenta, ipse verò æger cum facie subtumida raucus manet, & continuò tussit. Tandem elapsis 2. vel tribus diebus copiosam materiam viscidam rejicit, quo facto totius morbi absolutus est cursus. Redit idem paroxysmus crebrius, ut plurimum mensis spatio omni semel, idque autumnali & hyberno tempore præsertim; Interrogatus, quid patiatur sub paroxysmo, de respirationis difficultate inque larynge titillatione conqueritur. Præcedit interdum dolor capitis, colli aut partium vicinarum; ipse æger subinde etiam dolori & tumori tonsillarum est obnoxius. Occasionem paroxysmo redeunti suggerit nunc auræ frigidæ susceptio, nunc prægresso corporis motu & exercitio, aliqualis extremorum refrigeratio.

Resolutio. *Catarrhus suffocativus* variè quidem accipitur, *propriè* tamen oritur, vel ex sanguine, vel ex lympha; Ex *Sanguine* quando restagnat in pulmonibus, unde subitò imminet suffocatio. Rarior est, veteribus *syncope cardiaca* dictus, vide *Hoffmannum* & *Wepferum de Apoplexia*. *Ex lympha fit duobus modis* (1) quando membranam pituitariam posteriorem affligit, fitque cum continuo screatu lymphæ ex dicta membrana. (2) Quando asperam arteriam, qualis in præsenti casu; vid. *disp. de catarrhis Lipsiæ* sub præsidio Bohnii habitam.

Pars affecta est *aspera arteria*, ejusque cumprimis caput, *larynx*, quæ eadem ratione à lympha afficitur, (als wann einem etwas in die unrechte Kehl kommet.)

Causa proxima, præsupposito Spiritu motore impetum faciente, *est lympha, in substantia & motu peccans. In motu* quatenus quidem motus retrogradus per glandulas conglobatas impeditur. *Substantiâ* verò, quatenus abundans acrimonia salsa laryngem irritat, qui irritatus se stringit atque clauditur, unde tum lymphæ copiosior effusio, tum *difficilis respiratio*, motu pulmonum ob aëris inspirationem denegatam præpedito. *Decoloratio faciei* ab impedito sanguinis circuitu ejusque stagnatione: *Tussis* ab irritato larynge. *Sonitus* ab incarcerato ob clausum laryngem aëre, sc. aëre per angustiam laryngis potissimum inspirato: Aliud verò est *stertor*, qui fit quando reciprocans halitus per materiam viscosam, circa caput laryngis sibi viam quærit, maximè ubi membrana pituitaria posterior, copiosam & tenacem lympham plorat. Hinc infantes sub dentitione ubi magis salivant, stertunt. Stertor sæpius est ex summitate laryngis, rarius ex pulmonibus, nisi in moribundis, phthisicis, & empyemate affectis. Lympha in principio est tenuis, acris, vellicans laryngem, unde *titillatio, tussis*, hinc aliqualis excoriatio, unde exsudat tum proprium nutrimentum laryngem obviscans, quod successivè sub forma muci ejicitur. *Redit malum singulis mensibus*, quatenus (1) larynx semel inæqualis factus & debilitatus facilius afficitur. (2.) Quatenus luna humorum domina sub incremento expandit & turgere facit humores.

Causa remota *refrigeratio humorum* & *auræ frigidæ susceptio*.

Prognosis. Metus est *phthiseos catarrhalis*, oriundæ ex lympha acri & tussi crebriori, quatenus debilitantur & spongiosi fiunt pulmones. Item *hæmoptyseos*, ex ruptura vasorum à tussi.

Cura. *In principio & incremento* quatenus lymphæ vellicatio & symptomata maximè urgent. (1.) Naturalis lymphæ motus concitetur, per *salia volatilia* & *blanda sudorifera*. (2.) Motus præternaturalis lymphæ sistatur per *opiata* (3.) acrimonia vellicans per incrassantia temperetur, v.g. *papaverina, amygd. dulc. tragacanth. glycyrrh. juleb. viol. sperm. ceti* ℨß in vehiculo calido propinatum egregiè acorem lymphæ lenit, & stagnantem sanguinem resolvit, alvum etiam laxat.

In Statu, quando raucedo, tussis humida, & materiæ rejectio adest, *attenuantia incidentia* & *expectorantia* conducunt.

Si plethora adsit, *venæsectio in principio*, in brachio, *frictiones* & *ligaturæ brachiorum* instituendæ, ne sanguis nimis versus pulmones recurrat.

Puerum

Puerum præsentem sic curavi : *In principio paroxysmi*, qui derepente invadebat, mox *inunxi* verticem *ol.dest.succini*, brachiis *ligaturas* strictas admovi, *mixturam sequentem* cochleatim assumendam ordinavi.

℞ ▽ scabios. ℥iij Spir.sal.armon. anisat.ʒiß.Syrup.papav alb.ʒvj.M.

In Incremento ℞ ▽ *scabios.serpill.ana* ℥iß *asthmatic.* ʒvj.*fl* ♀ris ʒj. Syrup.scabios. vel papav.vel de jujubis ana ʒvj ad ℥j.M.probe agitando.

Mixtura hæc crebrius assumpta tussim minuebat, ut lymphæ copiosior affluxus,& manè mucosæ proventus præcaveretur.

In Statu sufficiebat *succus raphani* expressus cum pauco sacch, si quid restaret *febriculæ lentæ*,blando *sudore per liquorem C C. succinatum , vel Spir. sal.* ✳*ci oleos.*vel blandis *diureticis ex succino & lumbricis* removebam.

Extra paroxysmum præservationis gratia plura tentabam , semper tamen voracitas pueri & vita sedentaria cum somnolentia obstabant ; unde *fonticulum* in brachio sinistro inurebam, quo levabatur : fluebat autem tam ubertim, ut manè & vesperi mutandus esset. Immutato habitu corporis , absque periculo poterit claudi ; confer quæ habet *Helm.tract. custos errans* ; quoad theoriam,& *tractat.Ius duumviratus thes.* 62.quoad praxin.

Pertinent huc *tusses siccæ nocturnæ* ominosæ,& *utplurimum prodroma phthiseos.* *Curantur per opiata* & temperantia in *principio.* Si *inveteratæ*, difficulter curantur sine præmisso *Vomitu.*

Diuretica in *declinatione* optima. *Sedes* earum *stomachus.* Corripit sæpe juvenes parcæ diætæ. Post *vomitoria* curantur *terra foliata* ♀*ri.* Egregiè quoque confert sequens *Spiritus Asthmaticus.*

℞ Crystall. æruginis ℥iiij gumm.ammoniaci ℥ij, ♀ris ℥iß, M. destillentur per retortam amplam in excipiens amplum ex arena, prodit simul oleum fœtidissimum,singulare in tumore duro scyrrhoso scrofuloso.Plura vide casu 7.

CASUS XV.

DE TUSSI FERINA HUMIDA.

Vetula pro ætatis ratione adhuc robusta , occasione inclementioris aëris hyberni sensim incidit in ferinam tussim. Primitus sentit vellicationem in faucibus,cum aliquali dolore & copioso sputi salsi mediocris consistentiæ screatu , hinc pedetentim tussire incipit , præsertim cum dorso incumbit , & hinc dum manè evigilat,cum muci viscidi moderata rejectione. Intenditur paulatim malum, ut interdiu graviter ac noctu tussiat, sed cum in summo conatu ac sonitu

ex profundo emergente (wie auß einem holen Topff/) copiosa viscida sed cum summo conatu & crebrius repetito ejicit, in tantum, ut ex laboriosa tussi non rarò superveniat vomitus muci viscidi. Malum pertinaciter durat, appetitus prosternitur, sitis intenditur, febricula supervenit lenta, recumbens insigniter stertit, (sie verhält/) interrogata deinde de novo materiæ tussim excitantis proventu, ostendit regionem epigastricam, speciatim locum quem vulgari etymo scrobiculum cordis appellant.

Resolutio sicut vomitus est morbus convulsivus Stomachi, sic tussis cum motu convulsivo pectoris conjuncta, & velut vomitus pectoris est.

Pars affecta in principio fauces, imprimis *membrana pituitaria* posterior, *in statu* primario affectus *stomachus*, crebriore descensione lymphæ turbatus, *Sedem hanc monstrat* (1) situs vellicationis (2) Materiæ eruptio (3) sonitus inter tussiendum (auß dem Grund auß einem holen Topff/) (4) supervenit subinde vomitus, à quo melius habet, (5) peius habet cum dorso incumbit, quatenus tunc materia peccans magis orificium stomachi affligit.

Lympha acrior primum irritat œsophagum, hinc copiosus mucus, sub noctem cumprimis, in stomacho colligitur, unde manè tussis molestior, & ejectio copiosior. *Tales tusses sunt chronicæ*, propter lympham salsam, digestionem stomachi turbantem, ut vix nisi vomitu curentur. *Stertor* est ex stomacho, *screatus* saltim ex faucibus.

Cura ad sequentia potissimum dirigenda, ut (1) *causa vellicans* in stomacho *removeatur* (2) *Irritatio sistatur*, (3) si quæ in faucibus adsit *asperitas temperanda* & corrigenda.

Prius optimè expediunt *vomitoria, præmisso*, ubi visum fuerit, *digestivo*.

℞ ✱i puri ʒß detur in lacte.

Post vomitorium, nisi faucium urgeat asperitas, sequens præscribendum.

℞ ▽ Scabios. menth. ana ℥j. asthmatic. ʒvj. oxymell. squillitic. ℥j.
Syrup. de nicotian. de erysimo ana ℥ß. M.

Vel *si fauces* simul *leniendæ* & mucus resolvendus, præmissis præmittendis optimum sequens.

℞ spermatis ceti ʒj. florum ♃ris ℈i Croci ℈ß M.
Pro duabus dosibus in cerevisia calida.

Pro leniendis faucibus optima *viscosa, insipido-dulcia*, v.g. *glycyrrh. tragac.* linctus vel *looch passulatum, diacod. Montani* cum *Syrup. scabios.* & *baculo liquiritiæ* sensim deglutiendo.

Si *vagæ* simul urgeant *angustiæ præcordiorum*, ob mucum in flatus resolutum, præter *clysmata carminativa*, optimus *spiritus carminativus de tribus* gutt.

30.vel 40.in cerevis.calida, vel etiam *spir.* ✱*ci anisatus. Gargarismata* saltem in ore tenenda. Egregium est *decoctum raparum.*

CASUS XVI.

DE HERNIA CUM PASSIONE HYSTERICA.

Mulier 34.annorum agilis cœtera & vegeta, queritur de duobus tumoribus ovi gallinacei magnitudine in inguinibus prominentibus, simul etiam insigni molestia, qui, dum supina recubat, disparent, dum tussit, aut erecta incedit, denuò prominent, eos tamen etiam gravida facta optimè perfert sine ulla molestia, post partum dictis tumoribus recurrentibus: Interim cum hæc, quæ suaveolentia, aversetur, fœtidis verò delectetur, frequentes levi de causa patitur paroxysmos, in quibus, prægressa gravi totius corporis refrigeratione, una cum tumultu aliquali in abdomine sentit aliquid sursum tendere, & præcordia occupare, (es wolle nach dem Hertzen zu/) quæ ut impediat, forti ligatura hypochondria cingit, hinc vomitus & repetitæ alvi dejectiones, sub quo statu tumores molles aliâs & indolentes, admodum protuberant, indurantur, dolent, cum gravissimis doloribus & exquisitis torminibus circa regionem tumorum. Assumpto decocto absinthii & matricariæ cum ▽ simplici, & corpore ad sudorem composito, symptomata evanescunt, ipsa vegeta resurgit. Hinc verò aliquando mense Februario linum carminando gravius se exercuisset, redeunt cum paroxysmo prædicta symptomata, sed atrocissima, in specie, præter vomitus, tumor circa inguen sinistrum cum insigni duritie, intolerabili lancinante cruciatu & abdominis borborygmis, alvoque pertinaciter clausa eam affligunt, ægra ad quævis assumpta crebrius singultit, & violenter eructare videtur, sine flatu licet. Tertiâ, cum in hoc statu fuisset constituta, vocat die Medicum.

Resolutio. Affectus complicatus hernia cum passione hysterica. *Caus. buboneceles* fuit ruptio peritonæi à nisu partus. Nota *in herniosis* non solum *intestina*; sed *& omentum potest prolabi*; licet in demortuis ob corrugationem ultra umbilicum non protensum videatur, revera tamen ad inguina usque dependet in vivis.

Ægra nostra extra paroxysmum bene habet, in paroxysmo tumor herniosus indurescit, dolet, & ob spasmum intestinorum cum passione hysterica conjunctum, exasperatur.

Prognosis, metus est, ne ob vomitum hernia major fiat, vel alvo

pertina-

pertinaciter clausâ superveniat *Ileon*. Itaque *Cura*. Quoad curam (1) ante omnia passio hysterica curanda, & *spasmi intestinorum tollendi*, quod fit (1) *antihystericis & aromaticis* (2) *blandis opiatis* (3) *Externis*, inter quæ excellunt *Empl. de galbano*, umbilico impositum ad sistendam passionem hystericam. *Decoctum quoddam paregoricum* cum spongia, vel *Unguentum sequens* cum bombace tepidè locis tumescentibus & dolentibus applicatum.

℞. Ungu. dialth. ℥iij. ol. anethi, hyperic. ana ℥iß ol. anis. ʒß. cumin. ℈j. M.

Cavendi vero *sacculi speciebus repleti*, qui dolorem possunt exasperare, ut & *cataplasmata*, quoniam facile frigefiunt, & poros occludunt.

Nihil vero *herniosis* magis *adversatur* quam *frigus*, his ita actis, (II.) *Alvus laxanda* & blande evacuanda *clysmate* vel *blando laxativo*, ubi tensio, durities & spasmus intestinorum remiserit, in declinatione & principio, *minus in paroxysmo*.

Extra paroxysmum, *cacochymia* hysterica *acida appropriatis & diaphoreticis* corrigatur, *Hernia* reponatur, firmetur & consolidetur, *Alvus* teneatur semper aperta; *Quies* herniosis saluberrima, *vulneraria*, continuato usu adhibeantur, regio lumborum *pinguedine ursina & erynacei* inungenda. Cum *ligatura* applicetur *empl. de tacahamaca & contra rupturam an. q. s.* malaxetur cum *oleo hyperici*.

℞. Cinnabar. ♄nij ʒß ol. dest. anis. gr. iij laud. hysteric. ℈ß. c. s. q. syrup cortic. aurant. f. pill. pro duabus dosibus in paroxysmo.

℞. Extr. castor. gentian. ana ʒß. laudan. hysteric. ℈ß auri fulmin. gr. vj, c. oleo anis. destil. f. pill. pro 2. dosibus.

Ad spasmum intestinorum tollendum & dolorem, sudorem promovendum, alvum provocandam.

Cataplasma ex pomis assis vel putridis cum croco, regioni umbilicali & tumoribus herniosis applicatum, abdomine toto pinguedine humana inuncto, & suppositorio ex melle applicato, profuit præsenti ægræ.

CASUS XVII.

DE ASTHMATE CONVULSIVO.

Stannarius, vir robustus & optimè sanus, ætatis consistentis, incidit in tussim noctu imprimis affligentem, cum excretis viscidis atque cruentis, sed paucis. Inter-

Interdiu mediocriter se habet, nisi quod difficilior sit respiratio. Successivè in tantum increscit morbus, ut noctu gravissimæ anxietates suffocatoriæ eum prehendant, & lecto exilire, fenestram aperire, auram recentem capere necesse habeat, nisi omni momento suffocari velit; adeò, ut subindè noctes integras insomnes sedendo, & anxiè cum alta, crebra & difficillima respiratione, respirando peragere cogatur, inspiratio media quasi via impeditur, cum tussi mediocri & pauca cruentæ mucilaginis rejectione. Accedente manè symptomata pedetentim remittunt, unde lectum & somnum repetit, interdiu mediocriter se habet, alimenta capit, supinus & pro lubitu in utramque aurem dormire potest. Quæsitus de loco affecto, superiora & anteriora pectoris, pulmonum cubilia, ostendit. Causam antecedentem sciebat nullam, nisi forsan, quòd paulò antè, quàm dicto affectu corriperetur, pondus gravius gestaverat. A purgante pessimè se habuit, venæ sectio, pectoralia, incidentia, expectorantia, antiasthmatica, frustra propinata, Ulterius ergò quærit auxilium.

Est *asthma convulsivum* frequens in praxi potissimum in arthriticis, dicunt (das Zipperlein ist in den Leib getretten / und machet kurtzen Athem.)

Causa proxima est nerveus plexus fibrosus se stringens, & impediens expansionem pulmonum, unde difficilis respiratio.

Remota, *fumi ☿riales* metallorum. In ♃ve luxuriat ☿ volatile, hinc cum nitro mixtum fulminat, ☿rius à ♃ve vel ♄ liquefacto facilè coagulatur. Figuli facilè fiunt phthisici & asthmatici (von der Glätte) ponderis gestatio culpa caret.

Cura. Fumis ejusmodi metallicis inspiratis *vomitoria*, ⊖ *volatil.* & *pinguia* conducunt, reliquias *liquor terræ foliatæ ♀ri* absumit. Pro *præservatione* ab ejusmodi fumis, *butyrum, oleum amygd d. lac cum sapone Veneto, quod mirabile.*

Pectori inungatur sequ. spir. ✳ci teratur cum terebinthina, ut fiat massa candida, *optima in affectibus pleuriticis.* Idem Stannarius ante biennium immunis *ab arthritide* factus incidit absque causa *in asthma*, de die bene adhuc se habet, noctu à prima requie expergefactus, sine suffocationis periculo in lecto perdurare nequit, sed accumbit mensæ pronus cum difficillimo anhelitu, durante usque ad mediam noctem, hinc cessat: dicebat, (es seye alles gestremmet / und voll umb die Hypochondria, und wenn es auffhörete / gieng es schwer) fortè à remissione spasmi. Varia frustra tentata, tandem jussi ut *maturè cœnaret*, & lectum petiturus largam dosin *theriacæ* assumeret, cujus remedii ope benè habuit, quoties vero intermisit, solita rediit anxietas nocturna, quæ tandem redeunte podagra penitus cessavit.

CASUS XVIII.

SUBLUXATIO VERTEBRARUM DORSALIUM,

Germanicè. Er hat sich weh gethan.

Juvenis robustus & vegetus evigilans aliquando manè conqueritur de difficili respiratione cum dolore tensivo hypochondriorum, quasi cingulo omnia ibi coercerentur, & ut omnia repleta & turgida (es seye im Weichen alles voll/ und spanne ihm daselbst/) surgens corpus non æquè bene flectere potest; quin palus quasi dorso infixus videatur. Negligit hæc per aliquot dies, sed contumaciter omnia perdurant, alvus constipatur, abdomen murmurat, hypochrondria magis inflari videntur. Tandem phlogoses superveniunt. Interdum extremorum refrigeratio, cum sudore frigido circa frontem & tempora, anxietates præcordiorum insignes, & lypothymiæ subindè imminent, pulsus celer, durus, vehementia & magnitudine moderatus. In malo ita confirmato vocat Medicum pro cura.

Resolutio. Affectus in se levis, qui tamen neglectus gravissima quæque infert symptomata. *Causa proxima* mutatio situs seu *subluxatio vertebrarum inferiorum* thoracis. *Remota conatus ponderis gestandi.*

Symptomata superveniunt sequentia: *Spasmi* circa hypochondria (es spannet und ist alles voll/) ab irritatis, ob dislocationem nervis: *Difficilis adest respiratio. Corpus flectere nequit. Phlogosis vaga* ob succorum diversorum in primis viis effervescentiam. *Refrigeratio extremorum, lypothimiæ, sudores syncoptici,* propter motum Spirituum impeditum. *Pulsus durus* adest, quia spasmo corripiuntur membranæ; Circa locum luxationis, facilè aliquid colligitur Sanguinis, quod successivè corrumpitur, unde sudoriferis discutiendus.

Prognosis; si malum duret diu, *tetanos* vel *opisthotanos*, aut etiam propter lypothimiam repetentem *mors* supervenire potest.

Curatio peragitur repositione & firmatione, de qua vide *Sennertum,* si vero in malo graviori *inflammatio* repositionem impediat, ea prius tollenda, *cancrinis, sanguine hirci, acidis, sanguinem stagnantem resolventibus, ut Spir.* ✳*ci, sperm. ceti* cum pauxillo *croci* in cerevisia calida.

vel ℞. lapid. ♋ præp. ℥j ♁nii diaphor. ℈j M. pro duabus dosibus, capiat primam dosin in duobus cochlearibus aceti, expectando sudorem.

Facta

Facta repositione, in qua partes extendendæ, firmandæ eædem *vino tepido*, vel solo, vel cum *floribus hyperici* decocto, vel *petroleum* spinæ dorsi, præcordiis, & hypochond: calidè inungat vel fiat *empl. ex tacamahaca* malaxetur c. *bals. Peruv.* Pro reliquis symptomatibus & anxietatibus detur *spiritus carminat: de tribus.*

Frequens malum est *infantibus*, qui phlogoses inde patiuntur: si volunt cognoscere, an vertebræ luxatæ, (So legen sie selbige auff den Bauch / und legen den lincken Fuß auff den Steuß / und die rechte Hand dagegen / gehet der Fuß in die Hand / so sind sie nicht gebrochen.)

CASUS XIX.

FEBRIS TERTIANA INTERMITTENS.

Studiosus ad hypochondriacum malum inclinans, corripitur 5. April. cum nox prægressa præter morem fuisset inquieta, præcedente artuum lassitudine & cephalalgia, horrore gravi, in sequente æstu & siti, aliquot horas durantibus. Negligit autem talia, cum post noctis suavem quietem sequenti die melius habebat, nisi quòd appetitus minor urgeat; Excipit vero hunc nox inquieta & anxia; appetente mane 7. April. aliquoties vomit varia liquamina multicolora amaricantia &c. hunc insequitur tussis sicca ultra semihoram graviter affligens, (locum irritationis scrobiculum cordis monstrat) qua evanescente, varia phantasmata mentem perturbant, quæ excipit leve corporis frigus, hinc intensus corporis æstus & ardor, extrema imprimis lancinans, cum efflorescentibus hinc inde maculis rubris & purpureis; comitantur talia insignes anxietates, ut æger hinc inde se miserè jactitet, hypochondria simul tendi videntur. Durat hæc tragœdia successivè remittendo, ultra 9. horas, maculæ etiam pedetentim evanescunt, lassitudine solum & cephalalgia superstite. Nox insequens quieta, altero mane bene habet horis antemeridianis supervenit sudor copiosus universalis, cephalalgiæ reliquias tollens, à meridie optimè habet: vesperi verò conturbari quidem in hypochondriis advertit, lassitudinem redire metuens, novasque turbas, vocat Medicum.

Resolutio. Est tertiana intermittens simplex, pluribus stipata symptomatibus *propter labem hypochondriaco-scorbuticam*; periodica tamen & ordinaria; aliâs in scorbuticis tales febres ut plurimum sunt erraticæ, & mentiuntur malignas, cum tamen non sint.

Pars affecta vel *subjectum inhæsionis* tota *massa sanguinea*, quod testatur æstus, calor &c. *radicationis primæ viæ*, ubi atrocia urgent symptomata.

Causa proxima est *fermentum febrile* salino acidum, ex læsa stomachi digestione productum, magis verò volatile & activum in legitimis, quæ vehementiores & breviores habent paroxysmos; minus volatile, & subjecto viscido irretitum in nothis & lentis, sed diuturniores habent paroxysmos.

Intemperantia plerumque *mater intermittentium*. Convalescentes à febribus acutis, avidius vorantes, incurrunt in intermittentem, unde sæpe sola inedia, interdum largiori potu & subsequente vomitu curantur. Nec tamen semper in saburra excrementorum causa febris consistit, cum post multas purgationes nihilominus subsistat.

Fermentum prædictum febrile in stomacho delitescit, donec acidum se exerat, & partes nerveas primarum viarum vellicando & spasmodicè convellendo, *horrorem, rigorem & frigus* producat. Nec enim positivum frigus requiri manifestum est, cum sub rigore manus, & pedes attacti positivè caleant. Accidit quod frigus plerumque circa regionem hypogastricam incipiat. Porrò spasmodicam fibrarum in primis viis contractionem excipit succorum effusio, unde *anxietas, sitis, vomitus, aliaque symptomata circa præcordia. Vomitus* in principio paroxysmi sunt symptomatici, ex spasmis stomachi & intestinorum, quibus succi tam naturales quam morbosi ejiciuntur, sine levamine; sic & *sudor* statim à paroxysmo est symptomaticus. *Uterque tamen* licet ægrum valde debilitet, *non statim sistendus est*, sunt enim bonum signum malæ causæ, quia semper aliquid de fomite morbi simul evacuatur. *Tussis* est ex stomacho & diaphragmate à febrili fermento irritato. *Appetitus* languet ob fermentum digestivum vitiatum. Si redit denuò sapor & cerevisiam ferre possunt, signum est fermenti instaurati. *Cephalalgia*, quæ est absque pulsatione temporum, ut in nostro ægro, est ex consensu stomachi, quæ vero cum ista, ex orgasmo sanguinis.

Et hæc inter alia sunt symptomata, quæ fermentum febrile in primis viis, fibras nerveas vellicando, producit: Sanguini vero ulterius communicatum, motum ejus naturalem fermentativum pervertit, & infringit, hinc *frigus magis vel minus positivum*. Dum verò à sale volatili sanguinis subjugatur, *incalescit corpus & febriliter æstuat*, donec particulæ istæ acidæ, in salsum mutatæ, mediante *sudore* foras excernantur. *Somni defectus & turbatio* est ex molestia quadam circa præcordia & hypochondria, quando vel circa digestionem, vel circa fœcum separationem fit erratum quoddam, quod confirmant, qui vesperi largius & serius cœnant. Item *hypochondriaci*, quibus proinde consultum, *ad conciliandum somnum ante cœnam exhibere ♂tialia. Ardor lancinans artuum & maculæ purpureæ* sunt à Scorbuto.

Prognosis; Metus est ne fiat chronica, vel propter inordinatam diætam aut acidorum abusum diversimodè mutetur.

Cura:

Cura : Pro cura itaque ſequentes indicationes (1) *Primæ viæ evacuen-*
tur. (2) *Fermentum febrile* acidum volatile *corrigatur.* (3) *Maſſa ſanguinea* ſu-
dore *depuretur.* Prius optimè expedit *vomitorium* aliquot horis ante paro-
xyſmum dandum, vel qui iſtud ferre nequeunt, iis *lenis purgatio abſterſoria* die
intermiſſionis danda, præmiſſo digeſtivo commodo. *Venæ ſectio* nihil valet,
niſi in mulieribus quibus menſtrua fluunt, quæ ſub rigore ſupprimuntur, unde
ante paroxyſmum venæ ſectio in talo inſtituenda.

Hypochondriacis, quando *anxietates ex ſtomacho* patiuntur, etiam in ſta-
tu paroxyſmi utiliter applicantur *clyſmata. Alterum* obtinemus *ſpecificis*, quæ *vel*
deſtruunt fermentum febrile, *terrea alcalina*, *fixa vel volatilia*, *vel abſtergunt*,
& è ſtomacho educunt, *ut nitroſa, nitrum ♁niatum, arcanum duplicatum.* Circa
horum uſum *ſequentia obſervanda*, (1) alcalia *fixa & terrea* optima ſunt *in hor-*
rore & ſymptomatibus circa hypochondria doſ. a ℥ß ad ℥j (2) danda præmiſſis
univerſalibus (3) ante paroxyſmum ſi una vel altera vice non juvet medicamen-
tum, *conſultum erit variare* propter idioſyncraſiam ægrotantium (4) *alcalia vo-*
latilia v.g. *Spir.✳ci*, commodius dantur, *ubi* urgent ſymptomata in maſſa ſan-
guinea, *æſtus* (5) declinante paroxyſmo *julepi aciduli* conveniunt *ad promoven-*
dum, ſi ſupervenire velit, *ſudorem.* (6) Tempore *intermiſſionis* dentur *alteran-*
tia appropriata, *eſſ. abſinthij card. bened. centaur. min. Spir.✳ci* (7) ſublata febri *ad*
roborandum ſtomachum Elixir ſtomach. ⊕latum, item Prop. P. in hypochon-
driacis ♂tialia dentur. Ingruente *horrore & anxietate*, ſcrobiculus cordis *ol.*
deſtill. caryoph. aniſi, macis cum fructu illinitur, impoſito deſuper latere calefa-
cto vel *empl. de tacaham.* Qui cereviſiam faſtidiunt, ſumant vinum cereviſia
2daria largius dilutum.

CASUS XX.

FEBRIS ARDENS BENIGNA EX IRACUNDIA.

Vir vegetus & ſanus, tenuioris licet conſtitutionis, in convivio genio
& baccho plus debito indulget, unde poſt noctem inquietam manè copioſo
vomitu & aliquot ſeceſſibus ſe exonerat. Tertiâ ab hinc die graviſſimâ iracun-
diâ afficitur, unde aliquot interjectis diebus languorem & laſſitudinem artuum
inſolitum percipit, cum aliquali ſiti, donec aliquando ſub medio noctis poſt
mediocrem horrorem gravi æſtu cum cephalalgia intenſa corripitur, junguntur
vires proſtratæ, ſitis clamoſa, inquietudines cum pulſu frequenti molli, magno
& vehementi. Urina intenſè tincta, emiſſa ſucceſſivè turbida per totum &

contentis ſaturata. Medicus præſcribit ♃ Aqu.rub.idæj.acetoſ.ana ℥iß. ♁nii diaphor. ʒj.ſyrup.papav.℥j.Spir.nitri dulcis pro grato ſapore M. jubet cochleatim pro lubitu iſtam mixturam capere. Veſperi rediens offendit ægrum in priori ſtatu,ſed magis anxium, cum fluctuationis ſenſu circa præcordia, conſequente ſimul, quoties de præſcripta mixtura capit inſigni æſtuatione totius corporis. Hinc quærit ex Medico,qualis ſit affectus,& quid porrò agendum.

Annotata. *Febris eſt continua* ardens benigna. *Cauſa proxima fermentum* nidoroſum ſeu corpus heterogeneum,*ſalino oleoſum*,miſſum ex primis viis ad maſſam ſanguineam. Bilis inſpiſſata lardi inſtar ardet.

Cauſa remota digeſtio vitiata ob inordinatam diætam, quæ fomitem ſuggeſſit,quam excitavit *iracundia*, in movendis corporis noſtri contentis efficaciſſima, quæ non raro ex benigna febri facit malignam. Morſus hominis irati eſt venenoſus inſtar viperæ *vide Hild.c.1.obſ.84.* Iracundia verò ut alia externa, facilè movet hominem tenuioris conſtitutionis (der eine ſchwache Natur hat/) ſicut enim in robuſta natura ab acido digeſtivo valido coguntur contenta, & quaſi concentrantur, ut ſub firmiori miſcela minus alterari poſſint, ita contra in conſtitutione tenuiori ſpirituum textura rarefacta eſt, facilè mobilis & diſſipabilis. Hinc à purgantibus facilè moventur,& minus commodè ferunt Opiata.

Vrinarum inſpectio in acutis admodum eſt neceſſaria, quia ſi ſalia volatilia agunt in oleum, emergit *color rubicundus*, vide ſupra caſum de cholera. Si verò acidum inſtilletur, *turbatur urina*, prius rutilans ab acido in urina exiſtente per modum præcipitationis. *Intra corpus turbatur* quando acidum emergens præcipitat alcali oleoſum. *Extra corpus*, quando ſub inchoata corruptione acidum antè occultum fit manifeſtum. Quando *urina incipit turbari eſt ſignum coctionis*, quæ *conſiſtit in ſeparatione* quadam, quam excipit præcipitatio ab acido in ſtomacho inſtaurato. Si major ſit præcipitatio ſeponit ſedimentum.

Prognoſis periculoſus eſt morbus,cum ex iracundia contractus ſit, cœterum minoris momenti,quàm ſi absque cauſa manifeſta ortus fuiſſet.

Cura. In principio ſtatim tentandum,an *vomitu* radix febris evelli poſſit,quod ut plurimum feliciſſimè contingit. In noſtro ægro diſſvadere videtur, (1) quod natura jam dum vomitu ſe exoneravit, (2) quod ſit conſtitutionis tenerioris, (3) quod ſigna coctionis in urina morbum principium tranſcendiſſe oſtendant. Sed urgebit in contrarium (1) Æſtuatio corporis ab aſſumpta miſtura. Dedi ergo vomitorium, unde ſupra & infra copioſa egerebat cum proſtratione virium & refrigeratione extremorum, ſudore frigido circa frontem; unde juſſi vinum generoſum crebrò admovere naribus, ad quietem componi regionem ſtomachalem theriacâ vino generoſo dilutâ crebrius illinire, & ſequ. ſucceſſivè exhibere.

♃ ▽ men-

℞ ▽ menthæ, rubi idæj. ana ℥iß. cinam. ʒvj Spir. theriacal. camphor. ℥iij. succi cydon. ℥j. ess. ambr. ℈ß M. Post mediam noctem jussidare dosin unam, alteram mane, tertiam vesperi sequentis pulveris.

℞ Eboris sine igne præp. ☿nij diaphor. ana ℈j. bezoart. solar. gr. xv. laudani opiat. gr. iij. M. detur sic valde levatus fuit.

Quoad sitim *Julebi* simplicissimi optimi *ex succo acetosellæ, rubi idæj. Cydon. rec.* vel asservatis: *per fumum* ♀*ris cum* ▽ *fontana & paucissimo sacharo. Decoctum Citri Mynf. Gelatina C. C.* egregia in potu ordinario vel Julebo.

℞ ▽ fontan. ℔j. gelatin. C. C. rec. ℥iß. ad ℥ij. Syrup. rub. idæi ℥ii. pap. alb. ℥j. adde pro lubitu tantillum Spiritus nitri dulcis.

Si alvus simul *obstructa* ℞ *Decocti tamarindor. cum passul.* ℔ß. *Syrup. acetosit Citri* ℥iß M. pro Julebo. ⊕☿niatum egregium ad ʒij. vel ʒiij. in mensura potus ordinarii item *nitrum depuratum*, nitrum ebulliat probè in lixivio forti, per blandum calorem inspissetur, & aqua eluatur, *Spiritus nitri dulcis* ob vim diaphoreticam & quatenus figit æstum humorum.

Opiata, evacuatis primis viis, danda *cum bezoarticis, tinctura bezoartica.*

CASUS XXI.

FEBRIS CONTINUA LYMPHATICA JUXTA SYLVIUM.

Virgo annorum 18. cui difficulter fluere solent menses, negotiis domesticis assueta, nec ordinata utens diætâ, conqueritur de lassitudine artuum spontanea, tensiva quasi contundente, cum cephalalgia & siti præsertim aucta. His aliquot diebus ita persistentibus, corripitur aliquando à meridie horrore mediocri per aliquot horas, quem insequitur nox gravis cum æstu mediocriter intenso, cephalalgia gravissima, angustiis præcordiorum gravativis sine somno. Manè melius se habet, cephalalgia tolerabilior; calor præter naturalis quidem, sed moderatus, ut & reliqua symptomata; sed circa vesperam omnia exacerbantur, nox priori similis; mane omnia remissa & mediocria, continuò tamen eadem urgent symptomata, quæ saltim vespertino & nocturno tempore exacerbantur. Medicus à meridie vocatus, præter jam dicta ægram offendit non nihil debilem, sed cephalalgiam & lassitudinem artuum præsertim conquerentem, calor naturalis intensior, isque continuus, non adeò acris, mordax, qui vesperi saltim intenditur, & per noctis medium gravius urget. Pulsus celer, frequens, magnitudine & vehementia moderatus; appetitus nullus, sitis intensa, cerevisiam horret, aquam appetit. Urina turbida, crassa, intensius nonnihil tincta, facies & lingua saliva viscida infestata. Expectatur Cura.

Respo-

Resolutio. Est *febris continua* non admodum acuta, benigna, juxta Sylvium *lymphatica*, ex vitio lymphæ, sanguinis motum fermentativum turbantis.

Fiunt triplici potissimum modo, (1) per se, qualis præsens (2) à voracitate post curatas intermittentes, unde lympha viscida acidior. (3) Accidunt lue venerea correptis, morbo vel ingravescente, vel decoctis sudoriferis excessivè oppugnato. Confer *Sylvium de lue venerea.*

Causa proxima est *fermentum febrile* ex vitio stomachi, præsertim cruditate acida lympham inquinante.

Remota *læsa diæta & menstrua parciora* ex sanguine viscido inepto ad excretionem.

Lassitudo alia positiva, vitio lymphæ acore occulto tinctæ, qualis in præsenti, ubi adest simul contundens lancinatio, *alia privativa*, ex defectu spirituum, (wann alles zu schwär ist.)

Cephalalgia cum sit tensiva & gravativa, est ex consensu primarum viarum, unde propinato vomitorio cessavit. In glutinositate faucium ordinariò *sitis* adest. *Angustia præcordiorum gravativa* ex glutinosa pituita. *Calor remissior* proprius est febribus, quæ vesperi exacerbantur, præsertim lymphaticis, urinæ mox in principio turbidæ, in statu copiosum deponunt sedimentum. Horror in medio cursu subinde ingruit.

Prognosis. Febres hæ non admodum periculosæ sunt, nec curatu difficiles, modò non sub specie harum lateat malignitas. Solvuntur paulatim.

Cura peragitur (1) *si primæ viæ* à fomite morboso *per vomitum* liberentur, (2) *lympha acida* nonnihil glutinosa *corrigatur*, & per *sudorem* vel *urinam*, quo meliùs natura vergit, evacuetur (3) *symptomata* appropriatis *corrigantur*. Ægram sic curavi. Vocatus mox à meridie *sanguinem misi*, propter mensium vitium, postea dedi *alexipharmaca* per biduum, imperando sudorem: Cùm verò morbus in eodem statu permaneret, dedi *vomitorium*, hinc vesperi febris mitior fuit, nox quieta, cephalalgia nulla. Reliquias removi per ⊖ ✳*cum*, quod abstergit primas vias, resolvit lymphæ glutinositatem, & recrementa per urinam & sudorem expurgat.

℞. arcani duplicati, ⊖ ✳ci pur. ana ℥ß M. pro duabus dosibus.

In *fine morbi* ordinavi spiritum salis ✳ci, bis in die, quo convaluit.

Juvenem *à nimia voracitate* in similem febrem delapsum, *præmissis* duobus *vomitoriis* sequ. curavi

℞. ✳ci ℈j, antihectici Poterii gr. xij m. pro duabus dosibus, quod optimum, etiam si post curatas intermittentes hecticæ supersit vestigium.

Opiata nocent, diuturniorem reddendo effectum. Juve-

Juvenis lue venerea inquinatus, protuberantibus in utroque inguine bubo-
nibus, & glande exulcerata cum gonorrhœa virulenta, diæta sudorifera per ali-
quot dies strenuè usus, incidit in febrim cum lassitudine totius & æstu insigni,
quæ vesperi exacerbabatur, & certis paroxysmis recrudescebat. Pulsus frequens,
celer & ferè parvus, os glutinosum, copiosa viscida rejiciebat, anxius erat, calor
extra paroxysmum moderatus, cum pulsu tamen febrili. Propinavi *vomitorium*,
unde copiosa viscida rejecit, postea

♃ ✱ci ʒß arcani duplicati ℈j M. pro duabus dosibus dentur ante paro-
xysmum, *ratione æstus* ♃ ✱ci ʒß nitri ♁niati ℈j quo aliquoties repetito cessavit.

Cum denuo de *glutinositate oris & anxietate* conquereretur, repetito *vo-
mitorio, spir. sal. armon.* ad gutt. 30. quotidie dedi, cujus opera mira erant quæ ex-
cernebantur per urinam cum euphoria. Cum remittentibus aliis, inappetentia
& inquietudo adhuc urgerent, pro absolvenda cura sequentia ordinavi.

♃ rad. chinæ ℥ß rasur. ligni sassafr. ℥j rad. liquir. ʒvj. santal. rubr. ℥iij.
infund. in ℔vj. ▽ communis stent in B M. per noctem, mane adde pas-
sul. minor. conquass. ℥iij. coq. ad remanentiam ℔j. capiat bis de die, adde sin-
gulis vicibus guttas 30. tincturæ ♁nij, qua appetitus rediit, & ad ulteriorem luis
venereæ curam dispositus fuit.

CASUS XXII.

FEBRIS HECTICA LENTÆ SIMILIS OB ABSCESSUM IN MESENTERIO.

Collectanea. *Quæritur* cur à morbo acuto convalescentes, subinde vel
debiles deinde maneant, vel morbos chronicos, cachexiam, hydropem, inter-
mittentes, tumores pedum œdematosos incurrant? *Respondeo*; Fit illud (1) quia
fœculentiæ morbosæ non sufficienter motu naturæ spontaneo, vel medicamen-
torum ope evacuantur, (2) quatenus vel alteratio insignis succo, vel labes visceri
cuidam impressa, unde insignis oritur dyscrasiâ: sic post pleuritidem sæpè ulcus
pulmonum & phthisis oritur, (3) Ab inordinata diæta & voracitate post con-
valescentiam: (4) à perverso quorundam remediorum usu, tum fixorum terreo-
rum, quæ magnam vim fermento stomachi digestivo inferunt, unde tardior re-
convalescentia; tum acidorum ⊖-latorum, quæ sal volatile bilis & massæ san-
guineæ obtundunt, quo facto secretio fœcum à chylo sufflaminatur.

Itaque *quoad prius*, si sudor febrilis non superveniat, & tamen *fæculentiæ*
in urina appareant, *sudorifero vel blandis laxantibus* eliminandæ.

Quoad (2 & 4) *Succis* vel à causa morbifica, vel perverso remediorum usu

 alte-

alteratis, maturè succurrendum, *bili* quidem *amaricantibus & spirituosis* temperatis; *fermento digestivo*, *acidis blandis* cum aliis remixtis succurrendum. *Viscerum labes* potissimum *Vitalibus liquidis* corrigenda.

Quæstio. Quæritur quomodo pus, pituita & semen in Urina secernenda? *Respondeo, pus & pituita fundum petunt; pituita motu* cum urina *circumgyratur, pus* ad levem vitri agitationem *subitò dissilit*, & hinc inde vago motu *urinam* impraegnando *lactescentem reddit. Semen* verò in summitate *natat*, nisi magnam virulentiam nactum sit vide *Hier. observ.* 18.

CASUS XXIII.

FEBRIS MALIGNA PETECHIALIS.

Mulier sana corripitur paulò ante solstitium hybernum per aliquot dies insueto artuum languore, sine causa manifesta, cum insigni extremorum lassitudine, appetitus deficit, sitis intenditur, lingua sicca, fauces glutinosæ fiunt. Cerevisiam horret ceu nimis amaram, aquam frigidam desiderat. Calor insuetus isque continuus corpus occupat, moderatus tamen, & qui interdum, præsertim noctu, ad aliquot horas intenditur. Caput intensè imprimis circa frontem dolet. A pharmacopœio capit pilulas purgantes, nescio quas, quæ quinquies vel sexies eam laxant copiose, sed sine euphoria, quælibet potius symptomata, præsertim virium imbecillitas intenduntur, ob id die martis vesperi, neglectâ cœnâ, capit theriacæ ℨj in cochleari aceti vini cubitum itura, dormit exinde inquieta, sudat insigniter, manè melius habere videtur, extra lectum tamen durare nequit, eadem interea subsistunt symptomata, vires infringuntur, nox altera die denuo inquieta, variis insomniis turbata, adstantes eam crebrò in lecto jectigantem & subindè anxiè respirantem observant. Die Jovis vocatur Medicus, qui mulierem in statu enarrato offendit, calorem persentit obscurum, acriorem tamen & præternaturalem acutum. Pulsus celer, frequens, in magnitudine & vehementia moderatus, ad parvitatem inclinans, mollis, æqualis. Urinæ claræ, intensius tinctæ sine sedimentis. Dejectiones prægressâ nocte habuerat. Fœces obscurè tinctas, insigniter fœtentes & hoc ipso mane (4) frons & tempora crebro sudore madent; Interrogata à Medico de quo queratur? Respondet, (sie befinde sich gar wol/nur daß sie matt/und sehr durstig seye:) Interim subinde se jactitat anhelosa, torvum videt, flagitat curam, & urget imprimis venæ sectionem.

Resolutio. Affectus primarius est *febris maligna* futura *petechialis*, ut ex symptomatibus colligitur, *Symptoma* maximæ *considerationis* est *diarrhœa*, occasione pillularum excitata.

Pars

Pars primariò affecta *massa sanguinea* & *spiritus* tam *vitales*, unde subita virium prostratio, quam *animales*, unde symptomata nervosi generis.

Malignitas ex subita virium prostratione, sudore syncoptico, faucibus aridis & lingua sicca mox in principio colligitur; item ex anxietate insolita, pulsu celeri, debili & formicante, quanquam *non rarò naturali similis dignotionem eludat. Ægra anhelosa & torvum videt*, indicio *convulsionis* musculorum & *delirii imminentis*. Interrogata quid patiatur, de levibus conqueritur.

Causa proxima *fermentum febrile* malignum *in alcali acerrimo*, crasin massæ sanguineæ destruente, *consistens*, quod produnt symptomata circa primas vias, appetitus prostratus, nauseа, sitis clamosa, fauces siccæ, glutinosæ, qualia symptomata etiam excitant purgantia acria, arsenicum ob vim causticam, bilis in stomachum regurgitans. Quin eschara quoque in stomacho febribus malignis extinctorum visa fuit, qualis ab alcalinis causticis induci solet.

Diarrhœa est *symptomatica*, quia fit absque signis coctionis & euphoria. Orgasmum humorum arguunt *murmura in hypochondriis*, *cruditatem* urina clara. *Fœtor in excretis* malum signum ab alcali maligno, ♀ur massæ sanguineæ dissolvente, sicut à purgantibus vegetabilibus acrioribus similis fœtor in excretis advertitur.

Prognosis status est periculosus propter summam malignitatem, atrocia symptomata & diarrhœam colliquativam, quæ ut plurimum lethalis. Si evasura vix motus criticus exspectandus sed paulatina solutio.

Cura. Pro cura (1) *fermentum alcalinum* acre malignum *corrigendum* (2) *correctum* mediante *sudore eliminetur* (3) urgentibus *symptomatibus occuratur*.

Methodum hanc monstrat ipsa natura, quæ, si criticè seu paulatim absque remediorum usu morbum solvat, non in principio, sed in statu secretionem instituit, & venenum jam correctum secretum sub communi vehiculo, sero, quocunque fiat modo, excludit.

Sudorifera sola naturam *turbant*, nisi fermentum alexipharmacis prius correctum.

Correctio verò *consistit in* temperatura quadam & *texturæ mutatione*, ut acre fiat mite & lene, volatile fixius & spissius, alcalinum salsum. Sicut venena fortissima mutatione texturæ mitescunt, & ♁nium per nitrum, ☿rius sublimatus per ☿rium vivum cicurantur, ut fiant remedia. Arsenicum, ☿rius sublimatus assumpti corriguntur butyro, lacte, ☍ ♀ per deliquium.

In præsenti *pro correctione* probatissima *sunt alexipharmaca*, fixiora & acida, ut *acetum* imprimis *camphoratum* in Epidemiis malignis optimum præservativum: *spiritus nitri*, ♀*ris succus citri*, *liquores* ♀*rati* juxta Helm, tam ad præservationem quam ad curationem egregii

℞ liquoris ♀rati ℔ ß. ▽ lactuc. ʒ vj. cichorij, sambuc. an. ʒ vj. succi Citri ℥ ß.
⊕ ♁niat. ʒ iß spir. nitr. gutt. 30. syrup. acetos. Citri, ribium ana ℥ iß. M.

Inter *fixa* sunt ♀*ra mineralium fixata, aquæ minerales, partes animaliū fixiores.*

Alter scopus obtinebitur *sudoriferis* ex regno animali, *modò* volatilibus, si malignitas magis urgeat cum bezoarticis remixtis, *modo* fixioribus, si symptomata febrilia magis urgeant; *sudorifera* in tali casu *cum vehiculis acidis sumta* melius operantur, nec tantum excitant æstum. *Gelatina C.C.* est egregia ad quæcunque symptomata. Item *camphora*, qui ferre possunt, sequentem mixturam in ardentibus malignis usu multiplici comprobatam habeo.

℞ ▽ flor. sambuci ℥ iij. aceti acerrimi ʒ vj. ad ℥ j.
theriac. seu mithridat. ʒ j. l. ʒ ij. ad ℥ iij.
♁nij diaphor. ʒ ß. ad ℥ j. Syrup. rub. idæj. vel acetos. citri ʒ vj. M.
pro duabus vel 3. dosibus.

Sudant hîc ægri, nec debilitantur, quiescunt, & ordinariò melius habent. Dare soleo tam in statu, quam in incremento.

Sudoriferis interponenda acida, ut debita sanguini redeat consistentia, & vires restaurentur, imprimis, si sudor volatilibus elicitus fuerit.

Si post sudorem fiant vegetiores, & *pulsus major*, *bonum* est, & sudoriferis insistendum, sin minus pessimum.

Vinum generosum ob acidum analepticum, optimum confortativum *post sudorem*, tam interius, quam exterius.

Tinctura bezoardica opiatis exaltari potest.

Diarrhœa ob metum graviorum symptomatum *non statim sistenda*, sed *theriacalibus* fomiti morboso obviam eundum, sic sponte cessabit. v. g.

℞ ♁nii diaphor. ℈ ij. terræ sigill. ℈ j. extr. theriac. gr. vj. M. detur in 2. partes.
capiat cum vehiculo calido expectando blandum sudorem. *Exterius theriaca* cum vino generoso fervidè stomacho & hypochondriis sæpius applicari potest.

Quid verò agendum *si menses superveniant? Respondeo* si debita quantitate, absque gravioribus symptomatibus, naturæ linquendum directorium. *Si parcius & tormina abdominis superveniant*, reliquis medicamentis miscenda *myrrhata.* Si *copiosius* & metus sit, ne excretio cutanea impediatur, *acidula cum terreis & opiatis usurpanda.* Si *febris maligna* est *à contagio*, & æger de anxietate præcordiorum conqueratur, quod signum, succos circa primas vias esse corruptos, maturè *vomitus procurandus*, etiamsi tertius dies morbi sit. *Vena sectio nil valet.*

CASUS

CASUS XXIV.
DE VARIOLIS, COLLECTANEA.

Acidum in variolis primariò peccare juxta *Sylvium probant* (1) pustulæ, pruritus, pus, crusta à cuticula ab acido erosa, ossa erosa, & ulcera depascentia ab acido in variolis. Idem quod mulieres lactantes pueros variolis obsessos, ulcera in mammis reportent. (2) Juvantia *alcalina* præsertim *volatilia*, sine quibus rarò curantur variolæ.

Acidum hoc sub fermentatione *massam sanguineam & lympham corrumpit*, ut subinde universum corpus una quasi crusta obducatur.

Lympham verò potissimum *inquinari, patet* ex tussi, affectibus oculorum ab acrimonia lymphæ, faucium & oris vitiis, lui venereæ ferè communibus.

Causa remota aër austrinus fracidus, unde sal ejus nitrosum hebetatur, potissimum verò *contagium*. Mater gravida assidens variolis correpto, infantem variolis obsessum enixa est, ceu refert *Meauriceau*. *Cephalalgia* est ex orgasmo sanguinis. *Sitis, vomitus, anxietas, alvi fluxus spumosus* ex bile, ob admixtum ipsi fermentum acidum variolarum turgescente, & ad stomachum regurgitante; In specie *diarrhœa* insignem humorum arguit corruptionem, & *in statu superveniens plerumq; lethalis.*

Epilepsia oritur à vellicatione nervorum, à fermento acri ante eruptionem, & sub ea non adeò formidabilis, post eruptionem pessima, innuit exclusionem minùs sufficientem.

Hæmorrhagia ante eruptionem fit ab apertione vasorum capillarium ex sanguine turgescente, estque bona, si continua. *Mictio v. Sanguinis & dejectiones cruentæ*, quandoque in statu, separatione jam facta, superveniunt, ob erosionem viscerum & membranarum, quæ non rarò gangrænâ corripiuntur.

Curam sequenti ordine hactenus institui: Vocatus in *principio* primo vel secundo die, quando incipiebant ægrotare, dedi ☿*rium dulcem cum conserva rosarum* in forma boli, pro bimulo gr. ij, & sic consequenter, qui modo per alvum, modo per vomitum, sæpe etiam nihil operatus fuit.

Sin verò statim cum *prostratione virium & jectigatione* ingruerent, dedi *pulverem epilepticum cinnabarinum* cum euphoria.

Si symptomata circa primas vias, *tensio abdominis, murmura.* &c. urgerent, blandum *clysma ex decocto avenæ vel lacte cum melle* injici curavi.

Præterlapso principio ab *alexipharmaca* cum *alcalinis* accessi v. gr.

℞. C. C. sine igne ℈j. myrrh. gr. vj. theriac. gr. ij. M. pro duabus dosibus.

vel ℞. C. C. ſine igne ℈j, myrrh. gr. iv. ⊖ vol. C. C. gr. iv. M.
pro duabus doſibus.

Dentur *in incremento morbi* ſecunda vel tertia die, dum æſtus urget ante eruptionem, quibus inſiſtendum quoque erumpentibus variolis, vel promovenda excretio per *emulſionem ex ſem. expellentibus cum myrrha & unicornu foſſili. Dum jam attollebantur* præſcripſi.

℞. Tincturæ ♀ri ʒj eſſent. myrrh. cum ſpir. ſal. ✳ vinoſi
fact. ʒj. M. detur bis, ter, 4, die & nocte ad gt. 15. 20.
25. pro ratione circumſtantiarum.

In declinatione cum plenè eſſent in ſuppuratione *pulv. lapid: cancr.* cum tantillo ☿rij ſuppurationem promovi & reliqua ſymptomata ſuſtuli.

Cùm cruſtæ decidunt, poſt duas vel tres ſeptimanas à primo morbi inſultu, pro interna mundificatione iterum *purgavi cum ☿rio dulci addito gr. 1, vel iß, 2. l. 3. jalap.* pro ſtimulo in conſerva roſarum. Symptomatibus ſequenti modo obviam itum.

Vomitus in principio compeſcere nolui, ſi verò urgerent *theriacæ optimæ*, vel gr. j. vel gr. jß *laudan. opiati* aliquoties datum, vel *liquor C. C. ſuccinat.* gt. iij ad gt. vj. in potu.

Epilepſia ſi in principio vel incremento ingruat, *internè liquor C. C. ſuccinatus*, vel *pulvis cinnabar. epilept. externè ſi* ſimul *dolor abdominis tenſivus* adſit, *balſ. ex oleo ſuccini ℈j ſpic. gt. v. cum nuce moſch. expreſſ.* regioni umbilicali & ſcrobiculo cordis aliquoties juſſi illiniri.

Diarrhœa in incremento & ſtatu ſæpe funeſta, occaſione potus nimii vel frigidioris, potiſſimùm ſi excreta ſpumoſa & murmura abdominis conjuncta; itaque

℞. Terræ ſigillatæ minutim pulv. ʒj. infundatur potui ordinar. M S. wohl umb zurütteln.

Opiata cautè danda, ne excluſionem remorentur.

Viribus proſtratis ℞. Tincturæ corall. cum ſpiritu cordis Cervi, vel 🜄 typhorum C. C. cum vino. *ſi à ſudore nimio*, panis ſimilagineus, vino generoſo intinctus ſumatur.

Ad præſervandos oculos, ne vel globum, vel palpebras obſideant variolæ, mater & mulier ſana maſticet *allium* jejuno ſtomacho, & halitum oculis crebrius inſpiret: Vel inſtilletur oculis *ſuccus rutæ*. Si *palpebræ* obſeſſæ, *decoctum malvæ & meliloti* cum linteis calidè applicetur. *Si viſus hebetudo* à variolis ſuperſit, *veſicatoriis* in nucha, pone aures aliiſque appropriatis curanda.

Tuſſis & pectoris affectus, ſyrupo ſcabioſæ hederæ terreſtris cum ſpir. ✳ci aniſati curantur. Plerique variolis defuncti *ſuffocatione* intereunt, unde *frequens reſpiratio anheloſa, Stertor &c.* malum.

Si

Si loquela perdatur, vitio nervorum linguæ, præter *volatilia antiparalytica*, curatur *essentia castorei*, linguæ circa frenum crebrius afficata.

Denique sæpe *post variolas morbi chronici*, *ulcera* vel alia symptomata relinquuntur, *curanda per salivationem* vel *☿rio dulci*.

CASUS XXV.

FEBRIS LACTEA.

Mulier juvencula, secundâ vice puellam enixa, optimè à partu se habet, cumque prima vice ipsa fœtum lactasset, altera laboris pertoesa, nutrici negotium committit. Die à partu nono, qui erat ♄ni, media nocte intenso corripitur æstu, cum siti & cephalalgia atque anxietate, mammæ antea lacte moderatè repletæ, immensum tument & turgent, dolent insigniter & indurantur, apparente aurora, prædicta præter mammarum symptomata evanescunt per levem sudorem, superstite saltem insigni virium prostratione appetituque dejecto.

Vocatus Medicus die Solis præter externa mammis imponenda præscribit.

℞. C. C. sine igne ʒß, myrrh. gr. viij, ⊖ absinthi ℈ß, M pro duabus dosibus.

A meridie horâ tertiâ capit unam dosin, unde omnia supradicta redeunt symptomata, cum simili ferocia perdurant ad mediam noctem, quo tempore alteram dosin adsumere debet, dubitat tamen an liceat. In sequenti die lunæ melius habet, mammæ minus dolent, lac per papillas effluit, nox insequens quieta, unde & die ♂tis optimè habet, sed à meridie hora secunda gravi corripitur horrore per horam durante, insequitur æstus gravis per aliquot horas: mamma sinistra intumescit de novo, induratur, dolet insigniter, post mediam noctem remittunt symptomata febrilia, mammæ affectibus eodem tenore durantibus, die ☿rii bene se habet, ut & die Jovis, sed hoc ipso à meridie statâ horâ, rigor & æstus cum reliquis symptomatibus redeunt, dextra simul mamma induratur, tumet, dolet, & speciatim tumor durus ovi gallinacei ferè magnitudine in ima mammæ parte paulò profundius tactu percipitur: post mediam noctem symptomata remittunt; mammarum saltem pathemata affligunt, ægra ipsa fatetur, appropinquante paroxysmo se aliquid prius in mammis percipere, flagitat Curam.

Resolutio. Est *febris lactea* per accidens *typum tertianæ observans*, quia *ob voracitatem* prægressam ad hanc erat disposita.

Non precisè tertio l. 4to die à partu ingruunt hæ febres lacteæ, & septimo mediam-

mediante ſudore finiuntur, ſed *interdum nono* demum die invadunt, præprimis in iis quæ non ipſæ lactat & hæ atrocioribus ut plurimùm ſtipantur ſymptomatibus. *Lochia* ut plurimum *ſupprimuntur*, ſi febris intenſior, nec redeunt, niſi ardore febrili profligato; *ſudore* largius *erumpente* ſponte tandem *evaneſcunt.*

Quoad *Cauſam* febris hujus *referenda vel ad fermentum mammarum* per ſanguinem refluum totam maſſam ſanguineam inquinantem. *Vel* deducenda *à motu ſanguinis fermentativo* ſub partus negotio æque ac menſtruorum fluxu obſervabili. *A qua turgeſcentia partus ipſe, lochiorum fluxus & febris lactea* proveniunt. *Curioſum enim eſt* quod *mulieres ſanæ*, quæ ante imprægnationem ordinarias patiuntur menſtruationes, *ſub decima à conceptione pariunt.* (wann ſie zum letzten ihre Zeit gehabt/zehlen ſie die periodos, wann die 10. kommet / ordinariò pariunt.)

Dolores partus ſunt *à ſpaſmis uteri* firmiter annexi oſſi ſacro.

Tumor & durities in mammis nunc particularis eſt, à lacte in glandulis coagulato; *nunc univerſalis*, quando ob dolorem fibræ mammarum ſpaſmodicè ſtringuntur, vaſa hinc anguſtantur, ſanguis ſtagnat, & ſuccedit inflammatio.

Symptomata febris lacteæ non facilè lacti congrumato ſuperveniunt, niſi dolor & hinc inflammatio ſuccedant.

Coagulant lac frequentiſſimè *ira* & *terror*, non tam in vigilantibus; ſed etiam in ſomnio obveniens.

Lactatio omiſſa, quam in priori puerperio ſuſtinuerat, tubulis laxatis copioſum lac colligentibus, *ad febrim lacteam* noſtram ægram facilè *diſponit.*

Eſt absq; periculo, niſi tardius lactea febris ſuperveniens ob incuriam *abeat in ardentem*, vel tumor mammarum *in abſceſſum.*

Quoad febrim conveniunt *ſudorifera, fixiora & præcipitantia*, non neglectis, quę *lochiorum fluxum ſimul ſtimulent. Volatilia* etſi puerperis maxime proficua, cum tamen æſtum & cephalalgiam intendere poſſint, fixioribus in hoc caſu merito poſtponuntur.

Quoad lactis coagulum, interius *diaphoretica & reſolventia* tam fixa, quam volatilia, *Spir. ✳ci ad* ʒß, imperando ſudorem. Exterius *empl. crocatum Mynſichticum ſaccul. oryzæ* calidè applicentur, impedit lactis coagulum, & faciunt, ut mitius decurrant ſymptomata. In progreſſu vero morbi non ſufficit.

Ægram ſic *curavi*, poſt uſum dicti pulveris repetitum dedi ☿*rium.* Cum mamma ſummè doleret, & dura eſſet; inunxi calide *ſequ. ſpiritu.*

℞. Spir. ⊖ ✳ci cum Ψ ℥iß eſſentiæ croci ℥iij M. applicato deſuper *empl. ſequenti* in medio, ubi papilla eſt, perforato. ℞. Empl. de galbano crocati Myn-

Mynsicht. q. s. Malaxetur cum oleo ♀ri fœtido, vel si fœtorem ferre nequeant, ol. philosoph. vel terebinth. d. st q. s. induc super alutam.

Denique *sacculi ex oryza milio, vel avena*, calide superimponantur, & sæpius removeantur, sicut & inunctio quotidie ter repetenda. Quorum usu egregiè discussus tumor, nec facilè continuatus usus quendam destituit. Si ad suppurationem necessariò tendant grumi indurati, horum usum sines, & empl. erit tolerabilior.

Die Martis ante paroxysmum dedi sequens.

♃. Lapid. ♋ præp. ℈j, ⊖ absinthii gr. xij. capiat hora prima ante paroxysmum, cujus usu repetito convaluit.

CASUS XXVI.

PLEURITIS VERA.

Casum similem vide in disputatione Wesneri sub Præsidio D. D. Wedelii de Pleuritica ægra habita.

Pleuritis vera *cognoscitur* ex his (1) dolore pulsatorio circa costas, febri, respiratione difficili, pulsu duro, ob inflammationem membranarum, celeri, frequenti, non raro intermittente, ob sanguinem certis in locis stagnantem, qui non plus debito formidandus, denique tussi.

Pars affecta non sola *Pleura*, sed *etiam pulmo* illius lateris, ubi pleura inflammata, quod confirmat tussis & materiæ copiosæ ejectio.

Causa proxima acidum dolorificum pleuræ affixum non secus ac spina infixa inflammationem (ob fibrarum nervearum contractionem, hincque ortam angustationem, & consequenter stagnationem cruoris) inducens.

Finitur vel per resolutionem, *vel* per materiæ coctionem, id est attemperationem, unde sputa cocta, alba, levia, æqualia & copiosa cum tussi excernuntur; *vel* per suppurationem, quando sputa vel deficiunt, vel pauca, cruda, inæqualia ultra dies criticos durant.

Itaque *in principio* resolutio & *discussio* insensilis *tentanda diaphoreticis* appropriatis v. gr.

♃. ▽ papav. rhæad. card. bened. ana ℥iß mandib. lucii piscis præp. ʒj. ⊖ volat. cujusdam gr. xij, laud. opiat. ferment. gr. ij. syrup. scabiol. ℥iß. M. capiat cochleatim. Convenit etiam *dens apri*, *lapis* ♋. *Exteriùs ol amygd. dulc. cumin. dest. bals.* ♀*ris*, cum *Ung. dialth.* loco dolenti illita, item *Spir.* ✳*ci*, imposito desuper latere vel linteis calefactis.

2. *Sin hac via non cedat, coctio* seu attemperatio materiæ collectæ *juvanda*, per *temperata* dulcia & incrassantia, *expectoratio* acrioribus & acidiusculis *expectorantibus promovenda.*

(3) *Si vero excretio*, quæ ad 20. dies se extendit, *& tussis non succedat debitè*, sed ob abscessum tendat inflammatio, quod fit ferè post diem 14, *suppuratio emollientibus* & humectantibus *promovenda*; Ut *decocto alth. scabiof. malv. ficu. passul. jujub.* Exterius *terebinth. cum vitello ovorum.*

Deinde quo vergit natura pus evacuandum. Optimè *si sponte rumpat abscessus, quod fit cum* rigore, quem excipit insignis æstus febrilis, tussis &c. Quod si verò symptomatibus remittentibus longiùs protrahatur *apertio*, *juvanda vomitu leni, Sternutatorio etiam.* Rupto abscessu si ad superiora per sputum vergat natura, expectorationem optimè promovet *Syrupus vel decoctum Nicotianæ* ritè paratum. Vel

℞. herb. hyssopi, hord. nostr. ana M j rad. helenii ℥ij, acori nostr. ℥j. coq. in s. q. ▽ f. colatura edulcoretur c. s. q. Syrupi Nicotianæ Querc.

Vomitus quoque moderatus expectorationem promovet. Acrimonia puris *balsamo ♀ris, myrrha aliisq; balsamicis* temperandæ, Si ad inferiora per urinam vel alvum vergat, *diureticis & laxantibus* juvanda. *Clysma* paulo acrius per diarrhœam succedentem egregriè pus evacuabit.

In vomica pulmonum convenit *decoctum radicis chinæ, ligni sassafr. cum vulnerariis & balsam ♀ris* vel *antihectico Poterii.*

CASUS XXVII.

DE CACHEXIA CUM SCABIE.

Ancilla aliàs succi plena & formosa, jam ab aliquot mensibus deformis admodum redditur, dum scabie laborat per contagium contracta. Scabies humida, pustulæ latæ, ingentes, copiosum serum præsertim in artubus, fundentes, crura simul insigni tumore œdematoso ad genua usque turgent, manibus etiam tumidioribus existentibus. Conqueritur simul de sapore dulci nauseolo (sie empfindet immer ein süssen Eckel-Geschmack im Munde) sitis continua, cerevisiam secundariam bibit, quia primaria palato non arridet, bene appetit, probeque comedit, interdum dulcis & calidus halitus ex abdomine ascendere videtur (es kommet zuweilen als ein heisser Qualm auß dem Leibe.) In abdomine subinde varias agitationes percipit, qui exinde nunc insigniter tumet, nunc denuò subsidet, facies est pallida & tumida, urina parcior, quolibet mane vomitum jejuno stomacho patitur, menses ordinatè fluunt, nunc intra 14. dies redeunt, nunc ultra menstruum tempus deficiunt, bene dormit, petit medicamenta.

Resi-

Reſolutio. Affectus primarius eſt cachexia, cui per accidens jungitur *ſcabies* in corpore diſpoſito longè gravior.

Subjectum inhæſionis ſanguis & lympha, quoad ſcabiem cutis; *radicationis ventriculus* & *veſica f llea*.

Cauſa proxima, *acidum viſcidum*, pingue, errore primæ digeſtionis natum.

Remota bilis pinguis nimis, iners & parum volatilis, inde hæmatoſeos defectus & plura phænomena, hepati vulgò adſcribi ſolita.

Sapor dulcis nauſeoſus, frequens eſt chronicis cum colluvie ſeroſa conjunctis affectibus.

Dulcia mediæ ſunt naturæ, inter acida & amara, de utroque ſale participantia, copioſo, pingui oleoſo ſulphure oblita & temperata v. g. mel, Saccharum, paſſulæ, *ſuccus ribium* cum lixivio tartari præcipitatus *abit in paſtam dulcem* blandam. *Amara* de copioſo alcali participant, intimè concentrato cum oleo. Hinc reſinæ plus minus amareſcunt, & ſunt ſalia volatilia oleoſa concentrata ab acido. Hinc olea deſtillata empyreumatica contrahunt propter ſal volatile cum pinguedine colliquatum, amaritiem. Bilis concurrens cum chylo acido volatili dat tertium ſalſum, temperatè dulce. Si ergo bilis iners & pinguior cum acido viſcido concurrat, fit ſapor dulcis nauſeoſus, ſtomacho ingratus. Ex nu lo ſubjecto magis pituita viſcida colligitur, quam ex eſu pinguium, quâ cum bile concurrente, fiunt *inflationes & murmura abdominis*. Et quia cereviſia, ob amaritiem in acidum viſcidum primarum viarum agendo, moleſtiam in ſtomacho excitat, hinc *averſatio cereviſiæ amaræ*.

Parcior urina non renum vitio, ſed hæmatoſeos defectu. Bilis, dum utilem cremorem à fæcibus ſegregat, eo ipſo cremorem quoque diſponit, ut ſuperfluum dimittat: Itaque non mirum, bile inerte utrumque claudicare. Hinc ab uſu alterantium amaricantium, vulgo hepaticorum aperientium, *urina copioſior*, intenſius tincta, & ampliore ſedimento prodit, quod eſt ſpes convaleſcentiæ.

Tumor pedum œdematoſus, aliique ſimiles in affectibus cachecticis commodè quidem à ſero extravaſato deduci poſſunt, non incongruè tamen fermentativa quædam turgeſcentia in partibus carnoſis ſubeſſe videtur, quæ ſub nutritione depravata inflantur. *Triplici potiſſimum modo tumores œdematoſi generantur*; (1) Simpliciter *ex abundantia ſeri*, quæ dum circulari per vaſa ſufficienter nequit, tendit deorſum, & tumorem excitat. (2) *Ex irritatione* quadam *in partibus nerveis*, ſupervenit fibrarum contractio & *ſpaſmus*, unde anguſtatio vaſorum *ſanguinis impedit tranſitum, & tumor*, nunc Sanguineus, nunc ſeroſus *oritur*. Hinc odontalgiæ & podagræ ſupervenit tumor, propter ſpaſmum fibrarum

brarum nervearum, si sanguineus, (die warme) si serosus, (die kalte Gicht.) Tales tumores sæpe oleis destillatis & acrioribus exasperantur, quatenus partes nerveæ vellicantur (3) *Ob vitiosam assimilationem, nutrimentum* partium, quod fit *vel* vitio fermenti localis in parte, quomodo ulceribus, venenis, item in anasarca sub parcissimo potu, jungitur tumor, *vel* vitio nutrimenti, ad assimilationem inepti, quando p. n. fermentatur in parte, non secus ac pasta farinacea successive in tumorem attollitur.

Scabies humida, qualis ordinariò in subjectis cachecticis scorbuticis esse solet, fit ob nutrimentum aquosius & minus temperatum, quam ob rem promptius corrumpitur. Ubi namque nutrimentum proximum est balsamicum, ⊖ lino-volatile oleosum, non facile corrumpitur. Chirurgi dicunt (er hat ein heilsame Haut) contrarium fit in nostro casu.

Prognosis Cachexia utplurimum post se trahit *hydropem*, qui in nostra ægra metuendus, nisi maturè & providè malo opponatur.

Cura præmissâ evacuatione universali ad sequentia potissimum dirigenda, ut (1) *acidum corrigatur*, (2) *viscidum resolvatur*. (3) *bilis acuetur* salibus, his scopis satisfaciunt *amaricantia*.

Hinc nostram ægram beneficio *absinthii* maximam partem restitui. Primum per aliquot dies dedi *liquoris ♂tialis* gt. 20, unde dulcis nauseosus sapor evanuit, & urina liberius profluxit. Hinc singulo mane *Spiritum absinthii Urinosum in decocto absinthii cum ▽ simplici paratum* ad gt. 30. dedi, imperato sudore. Quibus per aliquot septimanas continuatis, melius habere visa; Hinc dedi *vomitorium*, & cum decoctum prius aversaretur, *absinthio affudi* ∀, de quo infuso mane & vesperi cochlear j. instillatis *guttis* 30. *Spiritus* ✳*ci* assumpsit, continuando ad aliquot hebdomadas, absinthium quoque cum pane butyrato sæpius esitavit; Sic integrè convaluit; *Pedes scabiosos* ▽ *Ψæ calida* sæpius abluit, & calido linteo involvit, sic evanuit *Scabies*; *Pro mensibus corrigendis* jussi parare *pulverem ex baccis lauri p. iij. Myrrh. pj.* & omni mane largam dosin in vehiculo calido assumere.

Ad evacuationem universalem & purificationem Massæ sanguineæ in scabie.

℞. Extr. hellebor. nigr. gr. xv. ad ℈j trochis. alhandal. gr. ij. ☿rii dulc. gr. xv. ad ℈j.
cum s. q. essentiæ fumariæ fiant pillulæ pro una dosi.

℞. Conserv. fl. persic. ʒß. extr. hellebor. nigr. ☿rii dulc. ana gr. xv. troch. alhandal. gr. j. f. bolus.

Pro sudore alcalia volatilia pro fixis ad cutis peripheriam penetrant. *Essentia myrrhæ cum* ✳*ci vinos.* Vel ∀ *tartarisato, vel tinct tartari* parata, *Essentia lignorum* à ʒß ad ʒj. Vinum medicamentosum ex *absinth.* & *hepatic. aperientibus.*

℞ C.C.(△ʒß, ⊖ volatil. ejusdem ℈ß.M.pro 1. dosi ad sudorem.
℞ ▽ flor. sambuci,fumar.ana ℥j.Spir ✱ci ℈ß.
Syrup.card.bened.℥ij.M.pro 1.dosi.
℞ ▽ fumar.menthæ ana ℥ij.
Extr. ♂tis cum succo pomor.borsdorf.f.ʒß.M.detur pro cachexia.

Externa ad affectus cutaneos sunt triplicia (1) de genere *alcalium*, *saponariorum* & abstergentium,inter quæ excellit ▽ ♆*væ polychresta* solum modo per repetitam ▽æ infusionem parata. Item *decoctum stercoris gallinæ vel ovilli cum radice lapathi acuti* transcolandum,& calidè applicandum.

In tinea capitis optimum ♂ ♀*ri per deliquium*, cum spongiola crustis applicatum,vel ℞.olei amygdal.q.f.cum oleo tartari terendo f.linimentum , addito si pediculi urgeant,oleum spicæ.

(2) De genere ♀*reorum* v.g.*flor.*♀*ris*. ▽ ♆*æ,in qua* ♀ *tritum* decoctum v. g. in ℔ j ▽ ♆æ ℥ij ♀ris.*solutio scoriarum reguli* ♁*nii* sequ.mihi usitat.

℞. Ungv. alb.camphorat.vel enulat.℥j.flor ♀is ʒij. ⊖ tartari ʒj. c.s.q. ol. nicotianæ F.linimentum,manè & vesperi articulis calide inungendum, & si non sufficiat,decocto ante dicto ♆æ cum ♀ e,vel scoriis reguli ♁nij mane abluendũ.

(3) De genere ☿*rialium*.v.g. *cingulum* ☿*rial.* tutum , si corpus sudoriferis prius purgatum, ab omni frigore externo probè præmuniatur. *Vel*

℞ ☿rii purissim. ℥iij.aquæ communi ℔j.agitentur probè,bulliant,filtrentur,& abluantur partes scabiosæ. ℞ ▽ ♆æ ℔j. ☿rij dulcis ʒj vel ʒij præcipitabitur quidem pulvis albus, sed usus tempore movenda.

CASUS XXVIII.

DE PHTHISI.

Vir ætatis consistentis, conqueritur de tussi continua cum materiæ copiosæ rejectione : Materia quæ per os rejicitur, est quandoque alba, quandoque livida,quandoque viridis absque fœtore,& quæ aquæ injecta , fundum non petit; jungitur raucedo crebrior, subinde tamen remittens. Ad oblata mediocriter se habet, saporem tamen tetrum , nec facilè explorabilem , cinerum aut lignorum putridorum instar mane in ore percipit. Urina boni coloris & consistentiæ,sed intensius tincta , pulsus celeres & frequentes,magnitudine moderati. Noctes propter tussim inquietæ , & somnus admodum interruptus , simul verò ac somno indulgere incipit, copiosis sudoribus diffluit , non leviter eum debilitantibus. Corporis constitutio antea habilior, fit gracilior , partes extremorum carneæ molles & flaccidæ, tempora collapsa. Alvus quotidie respondet officio,

 sed

sed liquidiora & fluidiora solent esse excreta. Ex levi motu virium imbecillitas & respirationis difficultas, utrique lateri commode incumbere potest, nisi quod dextro incumbens, omnia exasperari sentiat. Diu est, quod successivè malum in principio neglectum altius progressum sit, facie quodammodo jam apparente Hippocratica. Originem morbi scit nullam, nisi quod lites continuæ & jurgia domestica uxorem inter & ipsum intercesserint. Flagitat curam.

Resolutio. Affectus est phthisis, ubi auté *alia vera, alia notha*. Sic vir quidam vescitur carne vervecina cum brassica, inde brevi corripitur tussi sicca, crebra & successivè humida, color faciei perit, fitque Hippocratica, durat ad biennium: Omnibus irritis, tandem cum forti tussi, duriusculum quid ex imo pectore sursum movetur, quod erat officulum parvum, cum brassica deglutitum, in aspera arteria defixum, quo rejecto, intra paucas septimanas sanus & floridus evasit. Plura ejusmodi exempla vide apud *Barthol. c. 2. hist. 29.* Keckerm. *observ. 72. Ann. 2. Miscell. curios. p. 58.*

Sudores nocturni dormientibus imprimis erumpunt, quatenus sub somno fibræ relaxantur & flaccescunt, unde sudor sponte emanat, qui cessat, quando evigilant.

Non rarò in ulcere pulmonum *fœtida rejiciuntur*, corpore nihilominus vegeto & florido, ubi nimirum vis stomachi adhuc viget.

Maxilla illius lateris, cujus pulmo exulceratus, *ut plurimum rubet & calet*, altera pallida.

Cura. In Cura sequentes notandæ observationes & indicationes (1) *dyscrasia sanguinis* & *acrimonia* lymphæ *corrigatur*, (2) *sordes* pulmonum per expectorationem *removeantur*. Pro hoc scopo convenit *Nicotiana* in *decocto & syrup. hyssopi, marrubii* &c. v. g.

℞ herb. scordii, hyssop marrubii, ana m ß. pulverisatis adde myrrhæ,
♁nii diaphor. ana ʒ ij.
c. s. q. mellis vel pulpa passularum recenti fiat electuarium asperg.
bals. ♀ris anisat. l. myrrhato.

Mel cum myrrha in sputo fœtido optimum.

(3) *Nocumentum* pulmonum *curetur vulnerariis.*

De Phthisi incipiente curiosum est, quod habet *Riverius cent. 1. obs. 79. decocto lignorum curata.*

℞ rasuræ ligni Juniperini ℥ iij, Gvajac. ℥ ß, macerentur per 24. horas in MB. s. q. ▽ mane ebulliant ad consumptionem medietatis, in fine adde passul. min. conquassatar. ℥ j. trajice per manicam Hippocratis, de hoc aliquoties bonus haustus sed absque sudore sumendus cum ♁*nio diaphor. & antihectico Poterii* vel *balsamo ♀ris*, quibus peractis ad *lac* accedendum, si febris non adsit.

Opiata

Opiata ubi tussis ad huc sicca & erosio nondum facta, lymphæ acrimoniam tẽperando, conducunt, & sensum irritationis sistendo v.g. *pillulæ de styrace Sylvii.*

CASUS XXIX.

DE HÆMOPTYSI.

Historia continet *hæmoptoicum* ab ulcere in tibia clauso. *Vlcera antiqua tibiarum*, crurum, si curanda, fons prius respiciendus, & fomes in corpore auferendus, antequam claudantur, ne *dyspnœa, asthma, hæmoptoe paralysis, apoplexia* superveniant. Ut plurimum à cachexia scorbutica foventur, hinc *amaricantibus* & *hepaticis* interius curanda. Sin verò vitium nequeat à priori cognosci, nec dyscrasia sanguinis corrigi, *fonticulus*, vel etiam quandoque *vesicatorium* excitandum. In infantibus excitati circa annos pubertatis claudi possunt. Vidimus tumorem circa cubitum, ad motum lunæ increscentem vel decrescentem, cum dolore nocturno, inusto in brachio fonticulo evanuisse.

Cura. Primo *in paroxysmo* occupata tam in sanguinis fluxu, ejusque motu ad præcordia sistendo, quæ præstant (1) quæ motum ejus alio deducunt, *venæ sectio, cucurbitulæ scarificatæ*, (2) ejus quæ acrimoniam temperant, & moderate incrassant, v.g.

℞ ▽ portulac. plantag. ana ℥iß. corall. rubr. præp. ℈j. terr. sigill. ℈ß.
Syrup. papav. err. ℥j M. pro duabus dosibus.

Item *opiata, troch. de carabe, &c.* tum si quid grumosi subinde dissolvendo, v.g *lapid. ♋ tinct. vel decoct. fl. bellidis* mirabile resolvens vulnerarium. *Externè centinodium recens cum ✠ vini* contusum axillis applicetur. *Bufo exsiccatus hîc parum valet, sed* ubi hæmorrhagia est ex solo impetu sanguinis & ex candescentia Archei v.g. in febribus tunc convenit.

Extra paroxysmum succi acres in corpore temperandi, quod fit (1) *accurata diæta*, ubi *lacticinia* crebro in usu sint, incoctis prius *vulnerariis*; Vitentur acria, ⊖ sa, vinum, incandescentia, (2) *aucto corporis motu* ad promovendam insensilem transpirationem. Remedia sint *amaricantia aromata.*

Vlcera crurum, cacoëthica & antiqua nunc maturantia, nunc sordida & profundiora curatu satis ardua. Pleraque respuunt emplastra, sed auscultant summe *absorbentibus metallicis, cerussa, aloë, myrrha, croco ♂tis per* ⌣*nem cum alcali ex* ⊕*lo ♂tis in ▽ soluto* & subsequam edulcorationem. Crocus hic inspersus citò & tutò curat etiam absque emplastro. Si *ulcus sordidum*, præ-

præmittatur *digestivum, ex terebinth. vitello ovorum cum melle, myrrha, & extr. rad. aristol. rot.* Si *crura* simul *œdematosa* sint, vel ad *gangrænam* inclinent, occurrendum 🜄 *camphorato.* Interius *amara balsamica, ut myrrhata*, continuò dentur, si hæc non sufficiant, *decocta lignorum sudorifera*, ut rasura *ligni Juniperi cum baccis.* Quod si nec his cedant ad *salivationem* ☿*rialem* accedendum.

CASUS XXX.

STRANGURIA OCCASIONE PODAGRÆ CURATÆ.

Vir ætatis consistentis, nephriticis & podagricis affectibus crebrius obnoxius, urgente intenso hyemis frigore contrahit tussim ingentem & validam crebrius pectus concutientem, ejicit pauca saltem & viscida, locum, ubi tussis excitatur, monstrat caput asperæ arteriæ. Accedit levior invasio podagrica circa manum dextram & cubitum sinistrum. Vocatus Medicus præscribit Spir. ✶ci cum dimidio spir. cochleariæ, ter, mane, meridie & vesperi sub introitum lecti ad guttas 20. sumendum, exinde podagricus affectus cessat. Hinc 2do vel 3tio die gravis dolor in lumbis cum intensissimo vesicæ dolore supervenit, ita ut continuum mingendi conatum admodum dolorosum percipiat, pauca tamen emittit, vocatur pro cura Medicus.

Resolutio. Affectus primarius *stranguria* ad plures dies perdurans.

Pars affecta vesica urinaria, speciatim *spincter* & *urethra.*

Causa proxima acidum vitiosum, in specie arthriticum, quod usu Spir. ✶ci resolutum, & ex sede sua motum, aque sero absorptum, per *renes transiens, dolores* lumborum, ad vesicam delatum, *sphincterem & urethram rodendo, stranguriam* excitavit.

Solet alias in arthritide materia peccans, vel per sudorem, vel per insensilem transpirationem eliminari; Cum v. utrumque ambiens frigus, stringendo poros & densando succos, impediret, per vias urinarias fuit excreta. Notum quippe, quod arthriticis & nephriticis, diaphoresis etiam & diuresis in radice conspirent. Hinc appropriata *diuretica in arthritide*, potissimum *vaga*, tam curanda, quam præservanda, magni sunt momenti, in specie *volatilia, Spir.* ✶*ci. lumbricalia, scarabæi unctuosi*, ex fixis *arcanum duplicatum Mynsichti.*

Causa remota digestio vitiata. Efficiens seu movens fomitem morbosum *aer hybernus* inclementior, qui poros claudendo, & fauces irritando tussim

tussim atq; varias metastases acidi vitiosi induxit, donec tandem ad vias urinarias delatum stranguriam produxerit.

Notum enim *in arthridite* potissimum incipiente *varias* observari *metastases materiæ morbificæ*, potissimum ab usu præpostero topicorum. (Es kan leicht in den Leib getrieben werden.) Sic quidam cessante ab impositione empl. de spermate ranarum podagra, asthmate, hoc vero cessante, rursus podagra corripitur.

Alius instante paroxysmo podagrico dolores exquisitissimos sterni patitur, qui evanescunt, superveniente podagra, hâc verò curatâ, majori cum atrocia redeunt.

Stranguria tolerabilius malum est podagrâ, modo non ob diuturnitatem *exulceratio vesicæ* succedat.

Cum itaque in nostro ægro acidum podagricum laudabili naturæ conatu ad vias urinarias ducatur, sequentes observandæ indicationes. Ut (1) *acidum acre temperetur.* (2) *Motus* iste *ad vias urinarias promoveatur.* (3) *Fomes* morbosus *removeatur, regeneratio* in primis viis *præcaveatur.*

Vocabar ad ægrum, cum urgeret *tussis sicca* ab acrimonia lymphæ cum vestigiis podagræ, hinc ordinavi.

℞. ▽ scabios. menth. ana ℥iß, Spir. ✳ci anis. ʒiij, fl. ♀ris ʒß, Syrup. scabios. ℥vj. M.

Interdum circa vesperam dedi gr. j. vel gr. iß *laud. opiati*, unde evanuit tussis, sed arthridis exasperabatur, unde *Spir. ✳ci ʒij. cum spir. cochl. ar* ʒj. dedi imperato sudore, qui tamen ob clausuram pororum non successit quamquam podagra cessaret; verum supervenit tussis & stranguria, unde pro temperanda lympha acido acri & urina promovenda.

℞. amygd. dulc. ambros. ℥ß sem. violar. ʒiij. papav. alb. ʒiß c. s. q. ▽ alkexengi f. emulsio ad ℥vij. adde lapid. percar. præp. ʒj. edulcoretur parum.

Optimè hæc contulit, tandem ad derivandum serum acrius per alvum.

℞. conserv. rosar. ʒß. tart. ⊖-lat. gr. viij. resin jalap. gr. xv. M. Sic convaluit integrè.

In *stranguria* aliisque vitiis à lympha acri ortis, sequentia etiam commendentur, *succus glycyrrh decoctum ex fol. malvæ* cum *Syr. violarum*, *Conserv. florum malvæ*, *balsam. Indic. alb. in decocto petroselini* juxta *Lindanum*, cujus aliquot guttæ in *gonorrhœa virulenta* egregiæ, potissimum si exulceratio facta. *Borrax* ob alcali temperatum, *cancrina* ut *succus expressus*. *Euporiston* est.

℞. ol. amygd. dulc. cum Syrupo dialth. Fernelii & lapid. ♋ præp.

Item ℞ Cort. aurant. ʒiß lapid. percar. vel testar. ovor. calcin. ʒß. ol. destill. aurant. gt. IX, cum pauco saccharo fiat pulvis pro tribus dosibus.

Semen violarum, *hyperici*, quod tritum odorem & saporem terebinthinæ refert.

Si *vesica* præsumatur *exulcerationem* passa, conveniunt *♀rea balsamica, balsamus ♀ris terebinth. l. succinatus.*

Externè axungia hirci cum oleo terebinthinæ destillato pubis regioni illita.

Ad *præservationem* in affectibus nephriticis & podagricis *Tinctura nephritica, Spir. carminativ. clyssi compositi spir. ✳ci.*

Si malum contumacius *diæta lactea* instituenda, potissimum *ex caprillo.*

Juvenibus *acidulæ* pro potu, senibus *thermæ* pro insessu commendandæ in vitiis urinæ variis.

Fœminina *passionibus hystericis* aliâs obnoxia, quas, irritis aliis, *herba menthæ* contusâ in forma globuli pudendis intrusâ sæpius profligaverat; aliquando subitò dolore gravissimo lancinante in regione pudendi, potissimum in dextro labio vulvæ corripitur, qui subinde sursum versus umbilicum vergit; Pluribus in cassum tentatis, suspicionem spasmi suscepi, unde præscripsi

℞. ♁ ♁nii, lapid. percar. ana ℈j laud. opiat. gr. ij, ad gr. iij. Pro duabus dosibus, capiat ex cerevisia calida.

A prima dosi sensile levamen percepit; post alteram evanuit paroxysmus, levibus superstitibus vestigiis. Unde ordinavi emulsionem nephriticam, sed malè inde habebat. Itaque *Spir. ✳ci & essentiam myrrhæ*, cujus usu jam per annum sana vivit, & quoties aliquid sentit, statim ad spiritum prædictum refugit.

CASUS XXXI.

DE HÆMORRAGIA UTERI.

Mulier Juvenis succi plena, habitus corporis mollioris & carnosi, secundo gestationis mense gravida, occasione terroris patitur abortum, ipsa exinde in omnib⁹ mediocriter se habens, convalescit. Cum vero frigori externo incautius se exposuisset, quarta ab abortu septimana, post graves dolores abdominis lancinantes & ad pudenda evagantes, copiosa supervenit uteri hæmorrhagia, Sanguis qui primò prodit, floridus, post aliquot dies idem fluxus continuat, sed sanguis tenuior & serosior prodit, diu noctuque profluens, ipsa hoc simul patitur incommodi, ut subinde lancinantes graves abdominis adsunt dolores, ad ilia qui protenduntur, quos ordinariò major Sanguinis impetus excipit. Ipsa cum ultra 8 hæc pertulisset septimanas, imbecillis admodum & pallida fit, sitis intenditur, appetitus cessat, varia tendat, sed frustra. Postulat Curam.

Resolutio. Est *hæmorrhagia uteri.* *Pars affecta Uterus, ejusque vasa* ex prægresso abortu insigniter *læsa*, ob violentam placentæ avulsionem.

Causa proxima irritatio Uteri & spirituum, qui copiosiorem inde Sangui-

Sanguinem ad Uterum movent. In uberiori Mensium fluxu semper respiciendum, *vel* ad irritationis sensum, *vel* ad sanguinis qualitatem, ana crior, serosior. Utrumque in nostra ægra concurrit.

Causæ remotæ Uterum irritantes sunt (1) *abortus* vasa dilacerans, hinc (2) *frigus susceptum*, quod anteà uterum læsum facilè irritare potuit, accedente cum primis tempore ordinariæ menstruationis. Hinc *dolores lancinantes abdominis*, ab irritatione spasmodica. Frigus susceptum non raro lochia & menstrua actu fluentia supprimit, Sanguinem coagulando; Hic vero nondum fluentem & serosiorem sanguinem, Uterum lacessendo copiosius evacuat.

Nota fœtus septimestris semper debet habere vestigium imperfectionis, vel circa auriculas vel circa ungues.

In *cura* sequentes observandæ Indicationes, ut

(1mò) *sensus irritationis* circa uterum & partes vicinas *leniatur*; Sublato enim stimulo, velut spina evulsa, cessat effluxus. Præstant id blanda *opiata*.

(2) *Læsiones* ab avulsione placentæ & suscepto frigore utero inductæ *corrigantur*. Quod præstant *partim travmatica* adstringentia, *partim aromatica temperata*, ut ♂lia, cancrina, ▽ *cinam. essentia & spir. melissæ.*

(3) *Sanguis serosior* blanda inspiratione *condensetur*, v. g. *aqueis austeris, incrassantibus, glutinosis.* v. gr.

℞. ▽ typhor. C.C. ℥iij, succi cydon. vel granat. acid ℥j, lapid. hæmatit præp. ℈ij, corall. præp. terræ sigill. ana ℈j, laudani opiat. gr. iß Syrup. portulac. ʒvj M. detur.

Vel si hujusmodi austera minus conveniant, temperata eligenda. v. gr.

℞. ▽ plantag. menth. ana ℥iß, cinamom. spirituos. ʒij. trochisc. de carabe ʒiß M. F. potio dos. cochl. j.

℞. ocul. ♋ præp. ℈ij. terræ sigill. ℈j, laud. opiat. gr. ij. M. F. pulvis pro duabus dosibus, sumatur c. aceto vini temperatiori.

Matribus à partu læsis *lapid.* ♋. mirè recommendat *Helmont.*

Inter ♂*tialia* eminet *tinctura* ♀*ris Vitrioli* & *liquor* ♂*tis solaris*, qui deficientem sanguinem vi martis promovet, nimium vi ⊕-lata sistit, quæ multiplic experientia probata commendo.

Externe ad spasmos dolorificos Uteri & membranarum nec adstringentia, nec refrigerantia, sed potiùs blanda aromatica commendanda v. gr. Empl. de galbano, de tacahamaca, cum oleo anethi, chamomill. malaxatum vel

℞. Galbani, terebinth. ana ℥j, sevi cervini, adipis porcor. ana ʒvj. liquefac invicem; Illine calidè regionem Umbilici & viciniam, imposito desuper latere calefacto, vel locum hujus replet theriaca, simili modo adhibita.

CASUS XXXII.

DE NEPHRITICO DOLORE.

Mulier Juvencula vini potui dedita, post levem horripilationem corripitur crebris vomitibus materiæ variæ, quibus superveniunt tormina abdominis vaga cum alvi occlusione, incalescit sub vesperam cœnâ parcâ per vomitum rejectâ, nox inquieta cum subrepentibus levibus passionibus hystericis, & præcordiorum vagis anxietatibus, quæ omnia matutino sequente exasperantur, ut vix lecto exsurgere audeat, adsunt dolores lancinantes & stimulantes, circa regionem pubis, urinam excernit crebrius, sed parci⁹, naturaliter quidem constitutam, minùs tamen quàm solebat temperatam. A meridie eadem intensè & obscurè tincta sanguine quasi imprægnata observatur.

Crebrior simul urget, frustraneus licet, alvum egerendi conatus. Adsunt dolores dorsi & lumborum partim acuti terebrantes, partim obtusi, gravantes & contundentes quos sensibiliores percipit sub corporis agitatione, aut quando se erigere vult. Intra 3 vel 4 dies menstruam expectat purgationem. Consulitur Medicus, qui accedens pulsum in omnibus moderatum, celerem tamen & durum observat. Curam rogat.

Resolutio. *Nephritis* in genere est affectus renum dolorosus, ut plurimum cum inflammatione.

Estque vel *calculosa*, vel *salina sive notha*, ut plurimùm *scorbutica*, ubi salia corrosiva, circa renes coacervata, lancinant & rodunt partes nerveas membranosas, ac si calculus adesset, vide *Dravvizium*.

Partes affectæ *renes*, speciatim *membrana interna*, quæ pelvim cum tubulis & ureteribus constituunt.

Causa proxima est *contractio spasmodica* ob vellicatas membranas renum.

Causa vellicans potest esse *calculus*, quem simul promovet instans menstruatio, nam mulieres nephriticæ pejus habent circa renes sub menstruationis tempore: *Causa remota acidum* in primis viis.

Symptomata omnia recensita à dolore, indeque orta spasmodica contractione deduci queunt. *Alvus enim clausa* propter spasmum intestinorum, & ab eodem fonte *passiones hystericæ* in mulieribus; in viris nephriticis retracto testiculi musculo cremastere spasmo affecto; *tenesmus* etiam & cumprimis *vomitus*,

mitus, qui licet interdum urgeat, antequam dolor nephriticus in lumbis perci-
piatur, tamen *fit à vellicatione renum*, licet respectu nostri non sit sensilis.
Revera *omnes dolores* nephritici, partus, & qui instantibus mensibus ur-
gent, *sunt à spasmodica contractione.*
In Nephritide notha irritatio fit membranarum interiorum renum *ab acido*
acri scorbutico, sicut etiam in gonorrhœa virulenta confirmata nephritici dolo-
res urgent, ut nec incumbere loco dolenti, nec erecti incedere queant. Si Cal-
culus major, & symptomata diu durant, supervenit *Epilepsia* ob continuatos
spasmos, in gravidis *abortus.* Si calculi inæquales, acuti, *exulceratio renum*,
mictio cruenta;
In Paroxysmo (1) & ante omnia *spasmus* membranarum dolorificus *tol-*
lendus, quod nisi fiat, frustra & cum nocumento adhibentur diuretica. *Id* verò
præstant anodyna tam vegetabilia, *opium*, quam mineralia, ♀ra, v. gr.
🜍 ♁*nii* vel *nativa* vid. in Ludovici pharm. v. g.
℞. 🜍 ♁nii vel nativ. ℈ß, lapid. cancr. ℈j, laud. opiat. gr. ij. M.
(2) *Calculi excretio promovenda* sublatis prius spasmis, *diureticis salinis ni-*
trosis. Inter *lithontriptica* excellunt nitrosa, *Spir.* ⊖ *tri*, ⊖ *volatile armoniacale*,
nempe spiritui nitri instilletur Spir. ✳ci ad punctum saturationis, inspissetur
blanda evaporatione absque crystallisatione, & propinetur. Convenit etiam *Tin-*
ctura Amelungii, lumbricalia, potissimum, *spiritus tartari*, quia suspicio est, quod
calculum ægra contraxerit ab usu vini, ♀*rea enim acidum* vinosum optimè
absorbent.

Vomitoria in paroxysmo nocentissima, extra paroxysmum pro præser-
vatione optima, vid. *Hild. obs. 6. cent. 5.*

Purgantia saltim in principio paroxysmi exulent, cùm tamen alvus
semper servanda sit aperta, id obtinebitur, (1) *per clysmata* ex *de cocto carmin.*
chamæm. cum *urina human.* ℥iij. & *ol. terebinth.* guttis aliquot. (2) per *blanda la-*
xativa v. g. *passulata* vel nephrocatharctica *emulsione semin. violar.* v. gr.
℞. sem. violar. ℥iij. papaveris alb. ʒj. F. emulsio cum 🜄 alkekengi s. q.
adde lap. ♋. percarum ana ʒß. M.
Aurum fulminans à gr. iij. ad vj. laxandi vim habet sine molestia, flatuum impe-
tum sistit, fœcesque nigerrimo colore tingit. Magis mirum est quod *solutio auri*
cum *Spiritu salis* tam insignes habeat effectus instar acidularum. *Nempe*
aurum in 🜆 solutum cum ☿rio vivo præcipitatum, edulcoratum, & hinc ad
evaporationem ☿rii blando igne ustulatum, solvitur à Spiritu salis rectificato in
liquorem aurei coloris, qui liquor propinatus in vehiculo calido â guttis 5, postea,
6. 7. 8. 9. sic gradatim ascendendo vires habet insignes, primum nauseam excitat,
conti-

continuatus mirabiliter primas vias abstergit, mucum tenacissimum dissolvit, & aliquoties instar purgantis alvum laxat, fœcesque tingit nigrè. Sic usurpatus in morbis chronicis idem præstat, quod magna quantitas acidularum. Primus hujus mentionem facit *Glauberus* In dem Trost der See-Fahrenden.

Externè exhibitis priùs *anodynis* ♁*nis* fiat insessus vel *balneum*, hinc regio lumborum *oleo destillato succini vel petroleo*, cum *unguente anodyno* Mynsicht. *diaith. ol. hyoscyami* expr. illinatur, v.gr.

℞. Petrol. alb. ℥iß. ol. papav. express. ℥j. ol. dest. succini ℥ß M.

Mulieribus habitioribus, instantibus mensibus *sanguis mittatur* in brachio; actu fluentibus, sed minus sufficienter, in pede.

Extra paroxysmum à potu vini abstineat, alvus servetur aperta, usurpetur *Tinctura nephritica* vel *succus betulæ*. qui nitrosus est, & fortiori destillatione dat ⊖ volatile nitrosum. Loco diureticorum, quæ rarò satisfaciunt, adhibenda peculiari vi renibus dicata, eorumque fermentum in naturali Statu conservantia *ex terebinth. Junipero*, *succino* v.gr. *malvaticum juniperinum*, *bals.* ♀*ris terebinth.* &c.

CASUS XXXIII.

DE LOCHIORUM RETENTIONE CUM URINÆ SUPPRESSIONE ET DOLORIBUS POST PARTUM.

Mulier partu perquam laborioso, in quo ab Obstetrice rudìter tractata, filium enititur, quem difficilis & tarda secundinarũ earumq; frustulatim discerptarum exclusio sequitur. Hinc lecto imposita, altero manè graves abdominis lancinantes & ad pubem usque protensos dolores patitur, repetitis vicibus recurrentes, similes partus doloribus. Dolet simul acerbissimè circa pubis regionem, ita ut præ dolore tantùm non ejulare conatur. Lochia parcè fluunt, similia loturæ carnium, eaque pauca, urina difficulter redditur, & tandem penitus supprimi videtur. Ponderis sensum in regione abdominis hypogastrica intrinsecus sentit, versùs genitalia prementis. Tertia demum die vocatur Medicus, qui ægram præter enarrata frigidiusculè circa extrema, ac frontem sudantem cum singultu offendit, simulque pulsum celerem, frequentem magnitudine & vehementia moderatum, durum nonnihil deprehendit. Adstantes flagitant Curam.

Resolutio. Affectus est complicatus, consistens primariò in lochiorum retentione, 2dariò in suppressione urinæ & doloribus post partum.

Pars

Pars affecta, *Uterus*, hinc *vesica* & partes membranosæ vicinæ.

Causa proxima *grumi Sanguinis, à quibus* irritatur uterus, unde *dolores spasmodici*, quales sub partus tempore adsunt, ab iisdem grumis *ponderis sensus* in regione hypogastrica.

Causa remota *aer frigidus* sub partu laborioso & tardiore adinatum exclusione admissus, qui puerperis sicut & *potus frigidus*, perniciosissimus, ita hic grumescentiam Sanguinis introduxit, & consequenter lochiorum suppressionem. Quod effluit, est saltem serum, à sanguine grumescente separatum, & pauxillo sanguine tinctum, hinc loturam carnis refert.

Urinæ suppressio est à læsione genitalium circa collum vesicæ, quæ imperita obstetricis manu duriùs tractata tumefiunt, quem tumorem occursus aëris frigidi auxit sæpè collum vesicæ plane laceratur, unde urinæ stillicidium, plane incurabile.

Frustula secundinæ retentæ potius hæmorrhagiam quàm suppressionem lochiorum inducunt. Sicut etiam mola retenta, fœtus mortuus, debilis, ad copiosum Sanguinis fluxum disponunt.

Sæpe à frigore suscepto, vel potu frigido hausto *abdomen à partu tumidum manet*, vix nisi maturè, l. novo partu curabile.

Metus est, ne lochiorum suppressioni *febris acuta*, urinæ retentioni graviora symptomata superveniant.

Excretio loturæ carnium similis innuit orificium apertum adhuc: Dolor spirituum motum ad Uterum, molientem excretionem arguit: neutrum malum.

In **Cura** (1) lochiorum *fluxus promovendus stimulantibus & aromaticis, grumos resolventibus*. Solis stimulantibus nil obtinebis, quam ut dolores intendas. Excellunt *myrrha*, *crocus*, *borrax in ▽ cinamomi*. Item pro grumis resolvendis *lapis* ♋, propter vim travmaticam *decoctum artemisiæ* in cerevisia addito *croco*, *tinct.* ♁*nii ex scoriis reguli* ad ʒß egregia. *Externè suffitus* ex *colocynthide*, vel *scoriis reguli* ♁ *nii*, vel *urina putrefacta*, quæ leni calore ⊖ volatile acerrimum emittit, per infundibulum excipiendum in lochiis & mensibus suppressis. Si ægra habilior, & metus febris ardentis urget, Vena secanda in pede.

Puerperæ nostræ ad lochiorum fluxum promovendum dedi

♃. borrac. venet. ʒß. myrrh. gr. xvij, croci ℈ß, M. pro 2bus dosibus, primam dosin sumpsit manè,

Alteram evomuit, unde præscripsi

♃. ⊖ card. bened. artemis. ana ℈ß borrac. venet. ʒß. M. pro 3 dosibus.

A prima dosi sub vesperam sumpta sat commode fluxêre lochia, in sequente ma-

nè pe-

nè penitus supprimuntur cum ventris tumore, intensoque dolore & sudoribus frigidis, unde cum sanguinis grumos suspicarer.

℞. ▽ cærefol. matric. ana ℥iß, aceti vini accerrimi ℨvj, lapid ♋ præp. ʒj, myrrh. gr. xv,
Syrup. arthemis. ℨvj, laud. opiat. gr. iß M. capiat probè agitatum saltem cochlear,

Hinc sequentes *sacculos* calidè simul abdomini applicandos præscripsi

℞. herb. absinth. chamom. ana miij, Matricar. mij, rad. angelic. ℥ij, sem. 4. calid. maj. ana ℥ij, bacc. Juniper. ℥ß, Concisis & contusis includantur sacculis duobus, repetitis vicibus applicandis.

A mixtura prædicta Sanguis dissolutus fuit & evacuatus, cujus usum etiam in casu ab alto, lochiis à partu restitantibus & læsionibus uteri consolidandis multiplici experientia confirmatus recommendo.

(2) *Urinæ excretio promovenda* leniter *stimulantibus*, potissimum *lapid* ♋. Ægræ dictæ sequens applicatum fuit.

℞. herb. parietar. mij. chærefol. miß incisa coquantur ad consistentiam pultis, adde butyrum recens non salitum ℥j ☍ Scorpion. ʒiij, terebinth. dest. ʒiß, M. F. cataplasma calidè applicandum pectini.

(3) *Doloribus urgentibus* providè obviandum, commendo *decoctum chamom. vulg. cum corticibus aurant.* (quamvis sit nauseosum) addit. ad stimulandum *myrrha & artemisia. Externè sacculi calidi* imponantur, illito prius hypogastrio *oleo destillato succini & juniperi.*

(4) *Virium prostrationi* succurrendum, quod fit, absente febre, *spirituosis*, ▽ *cinamom*, *vino generoso*, cujus odor & potus egregius ad refocillationem, *Tinctura corall.* cum spiritu Cornu Cervi.

CASUS XXXIV.

DE GONORRHOEA VIRULENTA CUM TUMORE TESTIS.

Juvenis veneri subinde indulgens petit consilium propter insignem cruciatum, quem patitur sub urinæ emissione in radice penis, asserit simul continuò, paulatim licet profluere ex membro materiam tenuem flavescentem, interdum simul spissam, dolorem in glande excitantem, quæ glans rubet & tumet, simulque in confiniis ejus & præputii parva hinc inde ulcuscula adsunt. Evanuerunt hæc symptomata aliquandiu, nescio quibus adhibitis, sed ecce recurrunt de novo & comitem sibi ascifcunt, qui præ cæteris nunc urget, testiculi dextri tumorem, quo

quo bis teſticulum ſocium ſuperat, acerbiſſimè dolentem, dolore tamen non pulſatorio, nec pungente, ſed miſere contundente & diſtendente, qui dolor cum acerbo cruciatu ad lumbos uſque protendatur; Scrotum in iſto latere & ipſum tumet, & rubet, ipſa lumborum regio fervere videtur, obnixè auxilium flagitat.

Reſolutio. *Gonorrhœa alia benigna*, quæ non rarò à manuſtupratione, vel cathetere malè immiſſo excitatur, curatu difficilis. Conducunt tamē *tinctura ♀ris ⊕-li, vel antiphthiſica*, omni mane ad gr. 40. in vehiculo calido, & *trochiſci de carabe* veſperi ad ʒ ß. ſumenda, juxta ſtrictam diætam; *Alia maligna*, qualis præſens. In hac *laborant* in genere *partes genitales*, ſpeciatim ratione gonorrhœæ *glandulæ proſtratæ* magis vel minus exulceratæ, ratione tumoris *teſtis* dexter.

Cauſa proxima *acidum virulentum* ♀reum, cujus ſpecificus ſapor à priori nondum cognitus, qui ut plurimum *per contagium communicatur*; *modò congreſſu*, quando genitalia infecta & ulceribus venereis obſeſſa. His enim ſanis, mulieres admodum venereæ non inficiunt; *modo poculis*, *modo in lecto*, ſi nimirum lues venerea eò progreſſa, ut ulcera faucium vel genitalium ſaniem plorent, qui lecto vel poculis adhærens ſanos inficit, non ſecus ac acidum viſcidum ſtabioſum. Nec rarò Parentes ♀rei liberos ſimili labe infectos generant; Nutrices infantes inficiunt. *Acidum hoc virulentum* ſub puris vehiculo eſt fixius & viſcidum, atque nunc in urethram ſe inſinuans, ad proſtratas pergit, quas exulcerat, unde *dolor ab urina præterlabente* ſimulque lympham inquinat, à qua lympha corroſiva *ſymptomata Gonorrhœæ*. Nunc intra glandem & præputium ſe inſinuans; *ulcuſcula dolorem, ruborem*, tandem *inflammationem & gangrænam* glandis introducit. Porro fermentum ♀reum, antea vehiculo lymphæ corruptæ ex proſtratis evacuari ſolitum, retentum, ſucceſſivè ſe multiplicat, & continuato materiæ alterabilis tractu ad teſticulum pergit, & liquorem ſeminalem in vaſis deferentibus inquinat. Hinc *tumor teſticuli & dolor ad lumbos uſque protenſus*, cujus ratio *partim* in vaſis ſpermaticis; *partim* in nervo mox infra renes ad teſtes derivato ex intercoſtalibus, *partim* in productione membranoſa peritonæi, vaſa ſpermatica involvente, & extra abdomen ad teſtes uſque propagata. *Ardor renum* in gonorrhœa confirmata oritur ex acido virulento, membranoſas partes circa renes rodente, cum ſanguine vel lympha ex teſtibus reflua eò delato.

Acidum virulentum ♀reum intacta maſſa ſanguinea (unde plerique lue venerea affecti admodum ſunt vivaces,) potiſſimum ſuccum nutritium & lympham inquinat. Hinc partes nerveas potiſſimum & glandulosas narium, faucium, inguinum afficit. Hinc nocumentum in interioribus maxime percipitur.

Affectus in ſe periculo vitæ caret, ſolùm metus eſt, ne in luem veneream progrediatur. Itaque

Cura non differenda, quam in præsenti sic institui. Interius dedi *pillulas* appropriatas *Ex extracto Hellebori nigr.* cum *trochiscis alhandal*, & ☿*rio dulci*, quod alexipharmacum est luis venereæ. Hinc

℞ balsami 🜍ris terebinthinat. ℥ij, detur quotidie bis ad guttas xij.

Exterius, ℞ farin. fabar. ℥iij, pulv. semin. cumin. ℥iß, coqu. in s. q. aquæ & aceti ad consistentiam cataplasm. adde lythargyr. pulv. ℥j M.

Hoc cataplasma calidè tumori & scroto imponatur, cujus usu aliquot dies continuato, dolor mitigatus, & tumor imminutus fuit. Inde

℞ balsami 🜍ris Rulandi ad extra ʒiij, ol. destill. cumin. ʒj, ungu. dialth. ℥ß M. Illinatur aliquoties de die calidè testibus & scroto.

Cum vero testis adhuc durus & solito paulò major esset, sequens ordinavi.

℞. Gummi ammoniaci aceto soluti, empl. de cicuta ana q. s. malaxetur c. s. q. ol. destill. tart. l. ligni guaiaci.

Inducatur super alutam, applicetur loco affecto, quo per triduum aliquoties renovato penitus disparuit tumor.

Applicassem mox in principio, nisi inflammatio obstitisset. *Empl. Vigonis de ranis cum* ☿*rio*, in bubonibus venereis incipientibus præstantissimum, dubitavi genitalibus immediatè applicare, ob *vim* ☿*rii genitalibus infestam*.

Quidam ad extinguendos pediculos linimento ☿rii genitalia inungendo virilitatem amisit, sed abstinendo à litu, & substituendo oleum spicæ, brevi recuperavit.

In *ulceribus* penis ▽Ψ*væ* cum *Sacccharo* ♄*ni*, & si profundiora ☿*rio dulci* pro injectione commendanda, maximè si φύμωσις adsit.

In *curanda lue* ♀*rea perfecta* quam produnt dolores nocturni, osteocopi, efflorescentia gummatum & pustularum in facie (1) *acidum* venereum *corrigendum*, (2) seu subjectum ipsius acidi dissolvendum.

Præmissa blanda *evacuatione* ☿*riali* per alvum ad *decocta sudorifera* accedendum, crebriori insessu in semicupio *decoctum* poterit esse sequens.

℞ rasur. ligni sancti ℥iij, cort. ejusdem ℥ß, rasur. sassafr. ℥j,
☿rii viv. in petia ligat. ℔ß,
♁nii crud. in petia ligat. ℥vj, infund. in ▽ comm. mensuris vj.
macerentur per 24. horas in BM. coqu. ad remanentiam tertiæ partis.
Coletur.

Residuum decocti hujus in ▽ comm. mens. x. macera per 12. horas, coque ad consumptionem 3tiæ partis, in fine adde passul. min. contus. ℥ij, coriandr. contus. ℥j. cinamom. ʒiij. colatura detur s. **Ordinarie Tranck.**

De *decocto bardanæ* in lue venerea vide *Riverii observ.* & *Simon Pauli quadrip. botan. p. 363.* de priori decocto sudorifero capiat bonum haustum manè ca-

ne calidè, expectato in lecto blando sudore. Hinc surgat, comedat, ab acidis abstinendo, à meridie *balneum* ▽ *dulcis* ad collum usque ingrediatur, quamdiu lubet, hinc sedeat, cænet, sub introitum lecti dosin *decocti sine sudore capiat.* Hoc per 8. dies continuandum, ut mediante sudore & balneo, succi viscidi ac glutinosi dissolvantur, & ad salivationem disponantur. Jungenda potio ordinaria antea dicta, quoties placuerit de die.

His peractis denuo purgetur corpus *pillulis* ☿*rialibus* paulò fortioribus, ut magis extinguatur acidum venereum. Tandem ad *salivationem* accedendum per interna ☿*r. dulcem. arcanum corallinum.* Vel per inunctionem ex *tereb. ol. lauri &* ☿*rio* in mortario lapideo subactis, probè inungendo in loco calido plantas pedum circa talos & genua per 2. vel tres dies, si tardius succedat salivatio in spina dorsi. *A salivatione* dolent fauces, lingua intumescit, gingivæ protuberant, dentes vaccillant, lingua in loco laterali exulceratur, fauces rubent, deglutitio fit difficilis. Unde sedulò fauces inspiciendæ, ne ulcera depascentia subnascantur. Saliva primo tenuis, post viscida, tandem maximè tenax & fœtida prodit; durat ad 8. vel 14. præter propter dies. Ulcera consolidantur, gummata si adsunt, sanantur, pustulæ decidunt, quod signum sufficientis salivationis.

Quo plus comedant ægri, magis salivant, hinc *concedenda solùm juscula avenacea & vitella ovorum: potus* sit cerevisia tepida.

Peracta salivatione, potissimum si remissior fuerit, denuo *purgetur corpus pillulis* ☿*rialibus*, hinc decocto sudorifero alternis diebus usurpato, & sudore vel in lecto vel in conopeo, in quo ferro candefacto, vel lateribus ignitis ▽ calida affundatur, per 8. vel 14. dies procurato, ut penitus eliminetur materia peccans, curæ imponatur finis: Intereà corpus emaciatum, denuo incipiet nutriri, & diæta ordinari uti poterit.

CASUS XXXV.

DE EPILEPSIA.

Puella nobilis decem annorum optimè aliàs constituta jam ab aliquot septimanis, ex hypochondrio sinistro obscurè dolente, subindè præcordia anxiè admodum affici percipit. (Es kommet auß der lincken Seiten / und machet Hertzens-Angst) ita ut hinc subinde sensus & motus voluntarius cesset, membra variè expanduntur, nunc rigidissimè extenduntur, subinde jacent, universum corpus artuatim attollitur. Durant hæc nunc per quadrantem, nunc per dimidiam horam, unde denuò ad se quidem rediens, de nullo nisi artuum lassitudine conqueritur. Sæpius citra manifestam etiam causam tales paroxysmi redeunt, ipsa interea mœsta præter morem & lachrymabunda existente, dormit benè, largiter

comedit , quin & cessante paroxysmo subinde potum & alimenta postulat. In paroxysmo balsamo odorato ad nares admoto sensuum internorum & externorum functiones redeunt, miro istarum partium motu adhuc affligente, simul verò ac removetur balsamum, istæ sensuum functiones iterum cessant. Ingruente paroxysmo, semper motum prævium in hypochondrio sinistro percipit, quo ad anteriora præcordiorum accedente, præfata subitò ingruunt symptomata, ipsa quid secum fiat, nescit.

Resolutio. Est *Epilepsia habitualis* ad differentiam symptomaticæ, qualis variolis, parturientibus, febribus malignis &c. accedit. *Subjectum radicationis seu fomes morbosus* quærendus in *hypochondrio sinistro*, speciatim in *liene*, qui affectus ratione nervorum, reliquum systema nervosum convellit, ob communionem cum stomacho & aliis visceribus per plexum mesentericum lateris sinistri.

Lienem verò potissimum *affici* persuadet (1) situs doloris ante paroxysmum & connexio lienis cum stomacho. (2) Animi pathemata, potissimum tristitia, quæ sola splenis vitio, difficulter curabilia, cum sensu doloris non rarò infert. (3.) Ratio doloris, qui obscurus, cùm contra dolores colici sint punctorii & lancinantes.

Subjectum primarium fibræ nervorum motrices, quæ sunt subjectum morbi. *subjectum* verò *causæ*, *lien.*

Causa primaria materialis est *acidum* in primis viis genitum, inquinans fermentum lienis, & vellicans partes nerveas.

Remota cruditates. *Efficiens proxima impetus spirituum animalium*; *Remota vellicatio partium nervosarum.*

Nota in Epilepsia *habituali*, quamdiu appetitus constat, vel intenditur, tamdiu increscit morbus, & difficulter curatur, quando verò absque gravioribus symptomatibus imminuitur, remittit morbus.

Epilepsia habitualis transit utplurimum in *melancholiam*, quæ tandem abit in *maniam*, quam excipit *fatuitas*. Supervenientibus menstruis non rarò solvitur. Ea verò citra remediorum usum an sint ventura incertum, unde maturè Medicus iis provocandis sit intentus.

Cura sequenti ordine suscipienda. Ut (1.) *Acidum* Nervos vellicans *corrigatur fixis & absorbentibus* potissimum ♂tialibus, quibus *volatilia* subjungi poterunt. (2.) *Correctum evacuetur per vomitum*, aliquoties pro re nata repetitum, potissimum ex antimonio & quidem dosi majori. (3.) *Lienis vitium*

tunc

tunc *internis resolventibus & absorbentibus*, potissimum ♂*libus*, hinc ♀*reis & volatilibus*, tum *externis* itidem *resolventibus* & penetrantibus appropriatis *corrigatur*. Præ omnibus commodè *Empl. de ranis vigonis cum Mercurio*, *duplicata dosi Mercurii* in robustioribus, lieni impositum, sive tumeat sive non. (4.) Quod restat *fomitis Epileptici*, specificis *deleatur*. Inter quæ, in præsenti quidem casu, quando per consensum partis alicujus affligit Epilepsia, præ aliis commendo *viscos*, speciatim *corylinum*, *quercinum*, *tiliaceum*, in magna dosi à ℨß. ad ℨj. in forma pulveris continuato usu. Virgo rustica ab octavo anno paroxysmo Epileptico correpta quotidie, fluentibus ritè mensibus, præmisso vomitorio, usu hujus pulveris repetito rariores patiebatur paroxysmos, quos si recurrere percipiebat, sumebat hunc pulverem (damit fühlete sie / wie wann es wieder truckete) Hujus usu per tres menses sanata fuit, postea febre maligna extincta. Juxta hunc pulverem commendo *stercus pavonis*, ex quo, consilio Willisii præscripto, *vertiginem contumacissimam*, aliis etiam generosissimis remediis frustra tentatis, curavi.

℞. Stercoris pavonis ℥ij. rad. pœon. mar. ℥j. caryophyl. ℨiij. M. F. pulvis, cujus largam dosin, manè & à meridie capiat.

Pro *cephalalgia*, quæ simul affligebat, verticem rasum *oleo dest. succini inunxi*, applicato desuper *Emplastro Vigonis de ranis cum Mercurio*, *cinnabarina* in idiopathica magis & sympathica Epilepsia conducunt, *salibus volatil.* combinata. (5.) Efferus *Spirituum motus compescatur anodynis*, tam vegetabilibus quam mineralibus. De *opiatis* sequens notetur cautio, si paroxysmi periodicè & præviis certis symptomatibus recurrant, commodè instante paroxysmo, cum specificis possunt exhiberi: sin verò vagò & absque speciali symptomatum certorum prænuntio ingruat, tutius omittantur, ne ægri tales ad melancholiam inclinantes, eorum usu stupidi magis reddantur;

In paroxysmo *salia volatilia*. *Clysteres acriores*, de quibus Practici.

CASUS XXXVI.

DE APOPLEXIA.

Vir septuagenarius, aliàs sanus, sed inordinatæ diætæ assuetus, aliquando cum sociis extra urbis portas ambulans subitò corruit, sine sensu & motu, totus pallidus, ab adstantibus denuò excitatus, quid secum actum nescit, debilitatus tamen, & ob anhelitus difficultatem aliquando desidere coactus, denuò intra urbem revertitur. Interjectis aliquot septimanis, cùm intereà commodè se habuisset, templum petens simili ratione ex improviso corruit, sed balsamo apople-

 ctico

ctico refectus domum lento gradu repetit. Aliquoties hoc accidit, donec ingravescente malo, extra parietes vix liceat egredi, quin ex levi corporis motu mox omnimoda anhelitus interceptione & simultanea caligine oculorum affectus, forti impetu non tam corruit, quam prosternitur, sensu & motu carens. Aliquando similiter prostratus naso mensæ alliso mediam ejus osseam substantiam sine perceptione dolorosa perfringit. Hinc consuluit Medicum.

Resolutio. Est *Apoplexia levior Idiopathica* & essentialis conjuncta *cum forti syncope*, qui affectus ferè semper videntur conjuncti. Repentina spirituum vitalium obnubilatio *syncopen*, animalium *apoplexiam* inducit, *Principium mali* interceptus cordis motus & circulatio inhibita videtur esse, hinc spirituum vitalium & consequenter etiam animalium præpeditus influxus. Probatur idipsum, quia ingruente malo respiratio anhelosa, cordis angustia, σκολομία urgeant.

Motus verò cordis, sanguinis & spirituum intercipitur, denegatis spiritibus cor moventibus. Itaque

Subjectum primarium est *Cerebellum*, spiritus pro motu cordis non transmittens, qui *influxus spirituum animalium denegatus* hoc loco videtur esse

Causa proxima tum syncopes, tum consequenter apoplexiæ.

Jam olim *Piso* mentionem fecit syncopes ex nervo cordis affecto. *Syncope cardiaca* cum Apoplexia plurimis convenit.

Causa verò remota spirituum è cerebello irradiationem impediens hoc loco videtur *imperscrutabilis*, potest esse suspicio sanguinis, lymphæ, cerebellum inundantis, sed obstat paroxysmi brevitas. Itaque *videtur aliquid vaporosum*, afflatu cerebellum lædens, & quasi convellens. Motu excitatur paroxysmus, quatenus sanguis & spiritus concitantur.

Prognosis periculosus est status, & metuendum, ne vel ex improviso juguletur, vel in *paralysin* alterius lateris transeat.

Cura. Cùm tempore hyemali de præservatione potissimum esset sollicitus, ordinavi *spir. salis armoniaci* & *C.C. essentificatum ana* ℥ß. de quo capiat quotidie bis guttas 30. ad 40. Item

℞. ol. succini ʒj. caryoph. macis ana ℈j. M. subige cum ol. nucis moschatæ ad consistentiam balsami, quo manè & vesperi tempora, vertex & nucha cum regione stomachi inungatur. His rariores & mitiores fuerunt paroxysmi. Vere, præmisso digestivo, purgavi Extr. panchymagogo Crollii, Mercurio dulci, & ad præservationem ordinavi.

℞. ficuum pingu. min. incis. num. 4. sem. sinapi contus. ℥j. cardamom. pulveris. ʒij. c. s. q. syrup. fl. tunic. & spir. lill. convallium fiat electuarium

rium

rium. de quo omni mane capiat quantitatem nucis juglandis jejuno stomacho, sorbendo desuper jusculum calidum.

Externè cum usu prædicti balsami sequens *Empl.* capiti applicandum.

℞. Empl. de ranis Vigonis cum Mercurio, malaxetur c. f. q. balsami Peruv. cum vitello ovor. solut. induc super alutam.

Horum usu benè se habet hactenus, ut spes sit imminens malum præverti posse.

Si æger fuisset habilior, fonticulum brachiis inusissem, vel vesicatorium nuchæ aut pone aures admovissem.

In paroxysmo præter externa *volatilia*, naribus admovenda, *frictiones* linguæ & palati; si vox amissa, etiam laryngis. (scilicet frictiones) conveniunt. *Spirituosa volatilia* cochleari blandè instillanda, *clysma* fortius applicandum: species residuæ abdomini supersternendæ.

His nihil proficientibus ad *sternutationem* accedendum. *Vomitorium* in declinatione paroxysmi fortius, non est de nihilo, nisi suffocatio immineat.

Paroxysmo declinante vel finito, *sudor* imperandus *spirituosis & volatilibus*, addi possunt *aurum diaphoreticum Poterii*, ♁ ♂ *nii.* ut febris, sic apoplexia, non sine sudore tutò curatur. Vehiculum pro sudorifero potest esse sequens.

℞. aq. salivæ ℥ij. lill. convall. cum vino ℥j. spir. cerasor. nigror. ʒvj. syrup. beton. ʒiij. M. F. potio.

♆ cum *semine sinapi & aq. simpl. destillata* dat spiritum volatilem urinosum, crasin sinapis referentem egregium in soporosis affectibus.

CASUS XXXVII.

DELIRIUM MELANCHOLICUM HYPOCHONDRIACUM.

Mulier mediæ ætatis, aliàs sana & fœcunda, ordinariâ periodo menstrua fundens, ab aliquot mensibus recurrente subinde palpitatione cordis affligi cœpit, enata sine causa manifesta. Tristior quoque præter consuetudinem, anxia subinde & suspiciosa, nescia ob quam causam evadit, solitudinem amat, consortium aliarum fugit, pressius examinata de capite nonnihil conqueritur quasi obnubilato, ita ut sibi quasi semiebria videatur [das Haupt sey so deusserlich und wie dumm] somnus deficit, aut dormire saltem incipiens, ex tetris insomniis, subitò cum terrore expergiscitur. Appetitus mediocris, interdum nullus, sitis nulla, alvus clausa, murmura & rugitus pererrant abdomen, Pulsus vehementes, tardi, rari, magnitudine moderati, subinde inæquales observantur. Aliquando

do præter morem hilarior evadit, ridet, & ancillam suam cimeliis donat, objurgata ob id à marito, mirè contristatur, lachrymatur acerbè, ut vix persuasionibus quibusvis luctus sisti queat. Hinc melius habet, sed nocte & die nonnihil exasperatur affectus.

Resolutio. Est *delirium melancholicum hypochondriacum* in confirmato namque etiam splen afficitur, quod patet ex tumore ejus, dolore, duritie & pulsatione.

Subjectum patiens & simul *causa proxima* sunt *spiritus.*

Temperamentorum diversitas unde? Temperamentum corporis & sanguinis, atque adeò mores hominum à spirituum constitutione dependent, pro diversitate texturæ sanguinis & multiplici inde habitudine spirituum oritur diversitas temperamentorum. Quorum sanguis & reliqui succi sale volatili oleoso uberiùs turgent, *cholerici seu biliosi* dicuntur, & ratione taliter constitutorum spirituum agiles, activi, inconstantes, vagabundi esse solent, quorum sanguis contra & reliqui succi de sale prædicto minus participant, sed densiores, rigidiores, magis aciduli & minus resolubiles existunt, *melancholici* dicuntur, & ratione spirituum & fibrillarum cerebri duriorum & rigidatum, tardi obstinati sunt.

Quorum sanguis temperatus, volatilis, dulcis & oleosus est *sanguinei* dicuntur, suntque carnosi, jucundi, ingeniosi, &c. quorum sanguis magis temperatus ab uberiore chylo dulci & probè digesto, *phlegmatici*, obesi, sed ob molliorem fibrarum cerebri constitutionem, tardioris ingenii sunt. Si chylus aquosior & lymphæ abundantior sero, sic uno verbo: Tot sunt temperamentorum varietates, quot individuorum.

Palpitatio cordis oritur *vel* immediatè ab acido cor vellicante, *vel* ipse sanguis ad grumositatem disponitur, hinc facilè irretitur intra valvulas cordis, quô factô, convulsivè moventur cordis musculi.

Pulsus inæqualis melancholicis tam extra & absque palpitatione cordis frequens, nec admodum formidandus.

Dolor capitis fit ex hypochondriis, ob consensum generis nervosi. Hinc illico alvo solutâ nova serenitas. Qui resinas acres purgantes sumunt, de dolore circa frontem conqueruntur, dum adhuc stomacho adhærent. Melancholici utplurimum *obstinati* circa objectum, quod fit ob fibrillas cerebri rigidiores, duriores, minusque flexiles, hinc spiritus intra semel concepto obstinatè pergunt.

Prognosis. Malum in annosis, & ex gravi animi pathemate profectum, difficillimum est curatu.

Cura. Pro cura inter evacuantia universalia excellunt *vomitoria*, in dupla dosi vel iß, crebrius exhibita. Quo magis deliri & morosi, eo magis conducunt

cunt emetica, præmissis *alterantibus salinis*, v. g. ⊖ *hypochondr.* vel *arcano duplicato.* Inter *cathartica* præstant blandè laxantia & abstergentia v. gr. *decocta passulata, tartarus* ⊕-*latus* cum leni stimulo, ☿*rius dulcis* magis convenit, ubi acidum in viscido hæret, universalibus præmissis ad ♂*tialia* accedendum, v. gr. ♂*tinctura cum succo pomorum* dosis cochlear unum, item. ℞ Cremoris tartari & ⊕-li ♂tis ana, solve in ▽ fervida, coque ad mellaginem, quod rob in loco frigido evadit corpus ⊖ linum flavescens dosis ℈j ad ʒß

Corallia à *Paracelso* ad deliria commendantur. *Alvus* diligenter servanda aperta, quo alvus fluidior, eo minus capite laborant. Melancholicum, qui violentas sibi manus intulerat, curavi sequ.

℞ arcani duplicat. ʒij, corall. rubr, præp. ℨj. camphor. ʒß M. pro 6. dosibus, quotidiè binæ capiantur mane & vesperi.

Hinc exhibui Syrupi emetici ℨvj cum levamine, sed manebat anxius, multum bibebat. Hinc omni mane dedi liquorem ♂tis solarem gutt. 20. ad 30. sub noctem vero.

℞ sacchari ♄ni ℈j, laud. opiat. gr. ij, camphor. gr. iij. M. pro dosi sub introitum lecti.

Post tres dies repetii vomitorium, empl. gr. ex ☿ro emetico cum tartaro ⊕-lato, egregio cum levamine, post continuavit mane liquor. Solarem ♂tem, & à meridie ℞ arcani duplicat. ʒij, Sacchari ♄ni ℈ij, camph. gr. xv. pro 8. dosibus. Alvus semper servata aperta, sic continuando fuit restitutus.

CASUS XXXVIII.

DE ARTHRITIDE VAGA SCORBUTICA.

Mulier floridæ ætatis, corpulenta, succi plena, gulosa, temperamenti sanguineo serosi, conqueritur de lassitudine omnium artuum nonnihil lancinante, quam aliquot ab hinc diebus insequitur tumor cruris dextri, item circa genu dolens & lacerans insigniter, concolor tamen partibus vicinis, motum cruris inhibens. Adest simul calor totius p. n. Moderat⁹ tamen & ut vocant vaporosus, una cum ardore corporis continuo, pulsuque magno, celeri, frequenti, molli quasi undoso. Urinæ crassæ, turbidæ cum sedimento lateritio, sequenti die anxietates superveniunt, tormina & tumultus abdominis, respirationis difficultates, eadem vesperi & alterum crus simili modo similibus in locis cruciari incipit. Nox inquieta, manè pessimè habet, in brachio sinistro vagè seu variis in locis torqueri incipit, manus tumida admodum, digiti inflati, immobiles sine alia sensili alteratione Ægra est anxia, subinde animo deficit, caput admodum dolet, ipsa sudore calido madet,

 det,

det, nullo modo se movere valet, quia quolibet tantillo licet motu dolores exacerbantur, Appetitus nullus, alvus clausa, sitis intensa. Anxia, levamen ex Medicis quærit.

Resolutio. Est arthridis vaga, scorbutica ad arthritidem fixam apparenter inclinans, quia articulos speciatim occupat;

Subjectum radicationis massa sanguinea. Inhæsionis Articuli.

Causa proxima, Acidum nervis inimicissimum, mediante lympha & sanguine serosiore ad loca nervea circa articulos advectum, ibidemque rodendo dolorem, cum nutrimento partis proprio effervescendo, vel etiam fibras stringendo; hinc angustatis vasis & poris stagnationem causando, *tumorem* producit, eumque *vel* frigidum œdematosum partibus vicinis concolorem, (die kalte Gicht) quando acidum est mitius, in specie in subjecto magis succulento, *vel* calidum rubicundum (die hitzige Gicht) quando acidum est acrius & volatilius. Ille minus dolet, sed tardius curatur, hic magis dolet, sed ritè tractatus, citius cessat.

Omnem morbum arthriticum seu fixum, seu vagum, ordinariò præcedunt & concomitant pathemata quædam, circa primas vias, unde si sine causa manifesta appetitus cesset, sudore suppresso, certus fit de paroxysmo instante.

(2) Comitatur *febricula* plus minus intensa, à principio morbi usque ad statum, quæ nunc intermittentes æmulat, nunc continuæ catarrhali similis, omni vespera exacerbatur.

Arthritis vaga scorbuto propria, si confirmata tandem fixa evadit, & quo fixior est, eò facilius irritatur & difficilius curatur.

Fixa etiam non sine scorbuto in principio plus minus vaga observatur. *Nodosa* ubi Synovia in corpus calciforme coagulatur, & *hæreditaria* est incurabilis.

Prognosis. Præsens vaga est absque periculo, si ritè tractetur, sin minus, metus ne *contracturam* inferat.

Cura. Præmissa itaque si opus fuerit, *venæ sectione*, item *clysmate*, quæ hoc in casu valde proficua, addito ℈j, *ol. terebinth.* & si visum fuerit *laxativo ex tartaro* ⊖*-lato* cum *scammonio* ♀*rato* & *trochiscis alhandal.*

In paroxysmo. I. Succorum in primis viis *effervescentia*, indeque natus impetus febrilis, *præcipitantibus* appropriatis, cum *diaphoreticis compescatur*, v.gr. pulv. *ex arcano duplicato*, ♁*io diaphoretico*, ♁ *nativa*, *&c.* quæ continuentur tàmdiu, quamdiu symptomata febrilia adsunt.

(2) *Symptomata* circa præcordia appropriatis *volatilibus tollenda*; v.gr. *Spir.*

Spir.✱ci cum lumbricis terrestribus item *Spiritus tartari, cochleariæ*, cum *clyssi miner.* usu. *volatilia* non usurpentur, nisi præmissis fixis, acidum scorbuticum absorbentibus.

(3) *Dolores leniantur* & *tumores* artuum resolvantur & *discutiantur* tam *internis* quam *externis*, moderatè *anodynis*; *Spirituosa* externè bona quidem sunt, sed non omnes æquè ferunt, quoniam non rarò acidum quietum in motum concitando, paroxysmum vel revocant vel exasperant. Magis conducunt *paregorica blanda & lumbricalia.*

Extra paroxysmum, declinante sic paroxysmo, propinandum *decoctum Strobilorum pini* cum ana cerevis. & ∇ communis additis sub finem passulis, pro dyscrasia scorbutica emendanda, artubus quoque novo balsamo inungendis, àquè Sale scorbutico præmuniendis.

Ad recidivam præcavendam *Cura lactea* ad tempus continuanda. *Nota* lac usurpandum. (1) Non nisi universalibus & specificis præmissis. (2) Extra paroxysmum, quando corpus apparenter in statu sano est. (3) Primis viis mundatis. (4) Stomacho adhuc calido. (5) instillatis aliquot guttis *Spir.✱ci* vel *antiscorbutici.* Hinc singulis mensibus *pillulæ aloeticæ Glassianæ* ex substantia aloes mucilaginosa, separatâ resinosâ usurpandæ ante cœnam, *extracto hellebori* specificatæ, vel si succi viscidiores adsint *Gummi ammoniaco* exaltatæ vide *Ludovicum de vol.♀ri.*

Tandem *diuresis* non negligenda. Copiosior urinæ fluxus & largior sudatio, imprimis mane, præservativa podagricorum.

Ad arthriticam nostram vocatus, cum esset gulosa, eusarca, *venæ sectionem* institui in brachio, cui alias erat adsueta, idque cum levamine.

Qua emissa propter symptomata præcordiorum præscripsi *clysma emolliens* cum ⊖ *le tartari*. sequenti die

♃. arcani duplicati,
♁nii diaphoretici ana ℈j,
laud. opiat. fermentat. gr. ij. M.
pro duabus dosibus.

Hinc sudor copiosius erupit, cumque antea saltem crura dolore & tumore affecta essent, nunc brachia quoque tumere & dolere incipiunt. Continuavi hunc *pulverem* cum *decocto strobilorum* pini cum *passulis.* Superveniebant insignes *passiones hystericæ* hinc ordinavi *clysma*,

♃. Spec. pro decoct. carminativ. Mynf. ⊖ ♀ri ℥j coqu. in ∇ communi colaturæ ℞ ℥ix adde electuar. de baccis lauri ℥j. ol. destill. succini ℈ß, vitell. ovorum no. j. M. applicatum fuit cum levamine.

Internè

Internè omni bihorio accepit guttas 30. *liquoris C. C. succinati*, quorum usu passio hysterica evanuit. Hinc pulveres modo laudatos usurpare jussi, sed ne nauseam excitarent, decoctum strobilorum omisi, & saltem in potu ordinario, cui *Spiritus cochleariæ* instillatus usurpare jussi, item loco prioris sequentem ordinavi.

♃. ♁nii diaphoretici, arcani duplicat. ana ℈j,
♁ ♁nii gr. xv. M. pro duabus dosibus, expectando blandum sudorem.

Pro anxietate præcordiorum & lipothymia usurpavi *Spiritum Carminativum de tribus cum Spiritu cochl. ana mixtum*, dos. gutt. 30. bis, ter in die, & statim levamen circa præcordia percepit.

Externè locis tumentibus imposuit *lumbricos vivos*, donec moriebantur, sensibili cum levamine.

In fine morbi usurpavit crebrò *Spiritu* ✳*ci* & sic convaluit.

Superiori anno cum recidivaret malum post *venæ sectionem*, præmissa *blanda laxatione*, accessum feci ad *Spir.* ✳*ci* quia aberat febris. *Externè* jussi usurpare *Spir.* ✳*ci cum* ♆ *parat. mistum cum* ▽ *articulari*. Sed nihil proderat, potius augebat malum. Hinc

♃. Gummi Tacahamac. ℥ß, Empl. diaphoret. Mynſ. ℥j, malaxetur s. q. olei tartari destillati. induc. super linteum applica articulis circa genu, manus, quod dolorem levabat.

F I N I S.





I. N. J.

Valetudinarium Infantile.

SI quis alius, certè ingenioſus per Ignem Philoſophus & Medicus *Helmont*, *de tenera Infantum Valetudine* eſt ſolicitus, dum nutritionem eorum non ſolum ad *Vitam ſanam*, quin potius ad *Vitam longam* novâ paradoxâque ratione inſtituendam docet. Meritò ſanè. Siquidem mutabilis iſta & inſtabilis Vitæ noſtræ conditio, utut communis ſit omnibus hominibus, inprimis tamen infantibus propria magis eſſe videtur, quatenus ſub tenerâ eorum conſtitutione, minuſque validâ viſcerum ſtructurâ, & fermentorum (ſpeciatim iſtius, quod primæ ceu fundamentali inſervit digeſtioni) nondum ſufficienter exaltato vigore, quoſcunque ſub nutritione commiſſos errores graviter luunt, indeque fœcunda morborum ſuſcipiunt ſemina, quæ per totum ſubinde Vitæ curſum pernitioſos fructus progerminare ſolent. Ut ut enim ſub pubertatis tempore, geniralis vigor, fermenti ad inſtar ſingularis, ſanguineæ maſſe inſpiratus, ſpirituoſiorem in ſanguine excitans fermentationem, & fermenta viſcerum reliqua exaltans, contractas ſub nutritione infantili labes ſubindè auſpicato corrigat, & quaſi abſtergat, ob id namque ſecundum *Hippocr. ſ. 5. aph. 7. Epilepſia quibus ante pubertatem contingit, mutationem recipit*: confer. *Celſus l.3 c.24.* Nihilominus hæc ipſa ſuperveniens alteratio, ad *Vitam ſanam* ſuo modo conferens ad *longam* tamen reddendam hanc ipſam, inefficax & languida planè deprehenditur. Determinatur namque univerſaliter Vita longa aut brevis, ſanaque aut ægra primariò pro *indole ſeminis parentum*, & hinc *ſecundum alimentorum & climatum bonitates*; Ita ut ipſe inevitabilis Vitæ terminus, divinitus pariter ac naturaliter præfixus videatur, qui ex radicali vitæ ſeminalique primordio ſecundum cauſarum naturalium inviolabilem legem, quibuſdam brevius imminet, ab aliis

longius abest, quousque scilicet primordiales in semine radicatæ potestates vitales se extendunt, quem amplificare mediis hactenus quidem cognitis & usitatis *impossibile*, attingere, legitimo causarum effectuumque regimine *proclive*, prævenire ex perverso earundem usu, *facilè* possumus. Huc namque alimentorum & climatum inprimis facit bonitas malitiaque, atterens per morbosos affectus robur potestatum Vitalium, easque plus minus enervans adeoque & brevius & ærumnosius reddens Vitæ curriculum. Horum insultus refrænare quidem nonnihil valent regulæ diæteticæ, & rerum non naturalium rigorosum regimen: sed ad istum vitæ terminum vix exactè sanam conservabunt vitam, nedum ut fines ejus ulterius queant extendere: adeò ut frustra sic Claud. *Deodatus*, dum in suo *Pantheo Hygeast.* ad 120. annos per diætetica media salubriter Vitam producendi rationem docere nititur. Longè alia enim pro Vita longâ indaganda sunt remedia, talia scilicet, quæ vitæ radicem ex seminali primordio oriundam, in sanguine ceu parte primigenia explicatam, & in specie in parte ejus Sulphureâ ceu principio activo, h. e. ut aliàs explicant, in calido nativo & humido radicali fundatam attingant, eam quantum possibile sartam tectamque partim conservent, partim balsamicâ quadam virtute ob omni alteratione destructivâ præservent, adeòque primis nostris constitutivis, ut loquitur *Helmont. Tr. arbor Vitæ* assimilari vel adjungi queant. Quæ inprimis ex Vegetabili regno, ceu medio inter animalia, & ipsa in radice breviter caduca, & mineralia ceu nobis incompatibilia propriè investiganda docet præfatus *Naturæ Consultus*, & ex *cedri* in corruptibili ligno haurienda monet, cui alii balsamicam *juniperi* fruticem, *Therebinthum* alii substituunt. Sed quàm pauci hic desideratam obtinere possunt Phyllidem, cum & ipse *Arcanorum Monarcha Paracelsus* cespitasse in hoc puncto graviter non paucis videatur. Si ergò ad vitam longam pertingere non æque liceat quibusvis, saltem sanam hanc ipsam pro viribus conservare annitamur. Cum verò causas inter, propter quas tam brevi termino circumscribitur nostra vivendi ætas, simulque tot morborum ærumnis continuò comitata decurrit, vix graviores inveniantur, ut ex supra dictis vel sponte patescit, quam *Parentum plus minus morbosorum character hæreditarius*, & hinc *perversa puerorum nutritio*, ita ut hæc posterior unicus ferè sit fons, ex quo tantum non omnes infantiles morbosæ ærumnæ largiter scaturiunt, ac subinde toto vitæ cursu partinaciter ægros affligunt, ob id affe-

V. eleg Epist. de secretis operibus artis & Naturæ, in Naturæ miraculis expertissimi Adeptorum Rog. Baconis, c. 7.

affectuum infantilium ex erroneâ nutritione enaſcentium & cauſas, & curandi pariter ac præcavendi rationes previter hac vice delineare eſt animus, cui cœpto *Divinus Archiater*, clementer aſſiſtere velit.

CAP. I.

Hiſtoriam Nutritionis infantum morborumque eorum tunc temporis frequentium recenſet.

Nutritio fœtus cum Lacte.

§. 1. SImul atque in lucem editus eſt fœtus humanus, ligatoque funiculo umbilicali probè ablutus, lecto reconditur, ut collectis in utero materno recrementis excretis, aptior fiat pro nutrimento Lactis ex mammis vel maternis, vel ad id conductæ nutricis emulgendo. Quo ipſo loco potus ut plurimum ſuſtentatur, eoque ob id frequentius propinato, adeò ut teneriores primis poſt partum menſibus, ſubinde omnibus bihoriis, poſt 3. vel 4. menſes ſexies aut ſepties poſtmodum bis tervè ſub unoquoque ſolis circuitu lactetur. Hoc lactis Potu ſuſtentatur ut plurimum annuo ſpatio, à quibusdam etiam biennio, rarius triennio, ut ut ultimis menſibus etiam potui locis patriis uſitato ſenſim aſſuefieri ſoleat, donec perfectè à lactis uſu removeatur, adeoque ut dicunt ablactetur.

Et cum pulte.

§. 2. Cum hoc lactis liquido, & quaſi Potulento nutrimento ſociare ſolent eſculentas pultes, bis quotidiè ad minimum, etiam ſæpius ſi adoleſcant magis magiſque easdem propinando, ex farinâ ut plurimum triticeâ aut ſecalinâ puriore, & lacte vel aquâ paratas, quas nutrices quædam prius in os proprium ingerunt, cum ſalvâ propriâ colliquefaciunt, poſtmodum in infantum buccas intrudunt, ſub finem mammam præbendo, ut ſuper ventu Lactis diluatur probè, & ità facilius ut ſperant concoquatur.

Morbi infantum præcipui.

§. 3. Sub hoc nutritionis curſu, frequentiſſimis tenelli nobnoxii ſunt ægritudinibus, quæ & ipſæ poſt ablactationem non ſtatim deſinunt, quin interdum factâ ablactatione demum ſe prodant ob errores circa nutritionem commiſſos. Primitus inteſtinorum tormina frequentiſſimè cruciant illos cum quibus excreta

alvi à consuetâ flavedine subinde deflectunt & obscuriori Colore subinde viridi omninò, porraceam vocant Practicibilem, tinctæ apparent: quin & cum hoc peregrino colore (rarius sine eo) eadem ipsa non in debitâ fludia æqualiter permixta consistentiâ cernuntur, sed in parvos quasi grumulos discerpta (mulieres dicunt, **es gehet von ihnen wie gehacktes / oder wie gehackte Eyer /**) procedunt: præter quas vitiosas excretiones, & copiosior alvi fluxus seu diarrhæa non raro eos delassat. Juxta has passiones, & vigiliæ pertinaces maximè necessariam junioribus somnolentam quietem tollunt, aut interrupti pavores eandem turbant, prodromi scilicet gravioris mali Epileptici, cui vel maximè ista ætas est obnoxia, sive interiores abdominis tantum convellantur partes & thoracis, (quod nostrates vocant **die Schwere Noht im Leibe**) sive externa simul concutiantur membra, Hypochondriorum præterea flatulenta intumescentia, tumorque præcordiorum angustat eosdem, non minus quam difficilis respiratio, tussisque perquam vel ex eo molesta, quod aut nesciant aut nequeant rejicere ea, quæ ad tussim proritant, nisi repetitus vomitus spontè natura vitiosa auspicatò eliminet. Ut ut autem viscerum & membrorum mollis extensilitas aptissima sit, pro uberiori augmentante nutritione; crebrò tamen exarescunt potius, aut deficiente nutrimento atrophiâ laborant, aut nutriantur licet, vitio tamen hujus nutritii succi parva non rarò efflorescunt tubercula, in ulcera saniosa & cutaneas partes instar favorum in mellificio exedentia, aut tineæ instar cranii tegmina erodentia: quibus malis nec linguæ artificiosus musculus, nec palati concamerata structura carent, quin ulcusculis aphthis appellatis infestentur. Ut nihil dicam de febribus variis, in specie lentis, item de variolarum & morbillorum contagioso insultu, musteum tenellorum sanguinem non minus quam paulo adultorum magis, febrili turgescentiâ & tantum non effervescentia turbante. Supervenit tandem, & dentitio, dolorosa eadem, & pessimorum symptomatum concitatrix: non secus ac intertrigo, seu cuticulæ tenerrimæ hinc inde facta excoriatio. Ac ne malorum aliquid desit, Lumbricorum incondita turba, quibus non malis mulctat infantes? in intestinis qui hospitantur, dum Crinones seu capillares vermiculi intercutanea loca catervatim inhabitant.

Humanæ Vitæ miseria.

§. 4. Talis tantaque malorum strages imminet pueris, ut rectè cum *Plinio in Proœm. Lib. 7. hist. natural.* dicendum sit, *à suppli-*

ſupplicius vitam auſpicatur homo, unam tantum ob culpam, quia natus eſt: aut aſſerendum cum ſapiente *Solone, homo eſt putredo in exortu, bulla in omni vitâ, eſca vermium in morte.*

CAP. II.

Originem morborum infantilium declarat.

§. I. NOn abſque præmeditatâ ratione miratur *Harveus de Generat. animal. Exerc. de Partu. p. m. 501. quî fiat, quod fœtus non tantum ultimis geſtationis menſibus in utero, ſed etiam tandem extra uterum, dum membranis adhuc integris eſt opertus & etiamnum in aquâ ſua manens, per aliquas horas circa ſuffocationis periculum ſuperſtes ſit, idem tamen ſecundinis exutus, ſi ſemel aerem intra pulmones attraxerit, poſteà ne momentum quidem temporis absq; eo durare poſſit, ſed confeſtim moriatur,* Aſt æque ſi non magis mirabile videri poſſit, quod fœtus ex tam ſubitaneâ, adeoque adparenter periculoſa mutatione, quam ſubit, ſimul atque ex clauſtris vapidis uteri materni in liberum apertumque irrumpit aërem, non ſtatim graviter & ferè lethaliter ægrotet? quidni enim loci calidi cum frigido, humidi anxioſique æſtuarii, cum aurâ ſiccâ patulâque permutatio, & ab aere in pulmones primò irrumpente & inde ſuccedente reciproco reſpirationis negotio, maxima in ſanguine facta mutatio, totius corporis ſenſibiliſſimam inducat alterationem? Tantam ſanè, quantam poſt primam hanc inſpirationem, uſque ad ultimam expirationem per totum vitæ curſum, vix perferre videtur animal. Hæc ipſa tamen, quam tunc ſuſcipiunt corporis mutatio infantes, non ad ejus deſtructionem, ſed perfectionem potius tendit. Plus ſanè in receſſu habet operoſum reſpirationis negotium, quam ut vel fuliginum exploſioni, vel ſanguinis ſimpliciter refrigerationi, vel hujus ſaltem circulationi, vel ſoni formationi inſerviat, modo attendamus mirabilem aeris naturam & effectus, ſimulque nexum reſpirationis cum Vitâ, ita ut quamdiu extra uterum vivimus, tamdiu etiam neceſſariò reſpiremus, & contra. Scilicet ad ſanguinis perfectionem & ſpirituaſcentiam vitalem primariò tendit hic Aeris ſuctus, ita ut hujus medio attenuetur & reſolvatur ſanguis in pulmonibus, & inprimis ejusdem ſulphur hoc modo quo- Prima reſpiratio multum habet in receſſu.

quodammodo reſolvatur & volatiliſetur, quo ſub aucta fermentatione in Corde cum Salibus ſanguinis volatilibus coeat in Gas ſpirituoſum volatile ſeu ſpiritus vitales, calidos & probabiliter lucidos, ac ita ſanguis quaſi accendatur. Quod cum ritè fiat primitus in fœtu, dum utero materno egreditur, non poteſt non ex debitâ perfectione ſanguini tunc primitus inducta, adeoque ejus majori ſpirituaſcentia & intenſiori incaleſcentiâ ex aucta ejusdem fermentatione, cum rapidiori per omnes meatus circulo & uberiori ſpirituum animalium proventu, indeque organorum corporis quorumcunque ad motum ſingulari niſu, fœtus quaſi noviter aut propriè animatus reddi & vita perfecta animali dotari, qui antea in uteri materni clauſtris, ſaltem plantæ cujusdam, aut zoophyti vitam egiſſe videtur. Occultum nempè vitæ cibum in aere contineri, ſublimiorum naturæ ſcrutatorum communis fert ſententia: idque ratione Salis ſui, ut ſic dicam, mirabilis, quæcunque penetrantis, reſolventis & volatiliſantis, atque univerſalis quaſi ſolventis. Unde tanta reſpirationis ad Vitam emergit neceſſitas, ut quecunque animalia, ſimul atque ex ovis ſemel eruperint, aeris per neceſſariô victu nunquam carere poſſint, ipſis etiam inſectis eodem indigentibus, non ſecus ac piſces, aquarum licet incolæ.

Quare infantes omnes non æque lac matris perferre poſſint.

§. 2. Cum E. ad perfectivas potius quam deſtructivas alterationes pertineat, dicta fœtus ſingulariſſima paſſio, quam primò in mundum ingreſſu ſuſcipit, ſaltem hæc ipſa rationem videtur ſubminiſtrare probabilem, qui fiat non raro, quod matres quædam cacochymicæ, & in ſpecie noſtrates ſcorbuticæ, quos in utero feliciter geſtarunt, & optimè lacteo nutrimento aluerunt fœtus, poſtmodum factâ excluſione citra periculum lactare ipſæ nequeant, quin potius ſi eosdem ſanos conſervare velint, conductæ ad id nutrici committere neceſſe habeant, qui aliàs ſub proprio matris lacte eò nempè ex quo ipſæ partes corporis primo coaluerunt, adeoque iisdem appropriatiſſimum ſit, continuo ploratu torminibus, non raro quoque ſupervenientibus Epilepticis inſultibus, aliisque variis pathematicis, non levis ægritudines teſtentur, ſubindè ad mortem terminantes: quæ omnia alieno lactis ſuperveniente ſuctu, ſucceſſivè evaneſcant & non raro cum optimo infantis habitu permutentur. Solutionem hujus dubii ſubminiſtrat præfata ſanguinis & totius corporis per inſpiratum aerem alteratio, ſub qua ipſa ſanguis citatiori fermentatione turgeſcit, & ab inſpirato aere reſolvitur, unde ſimul morboſa ſemina, ſub nutrimento lacteo

in

in utero matris communicata excitantur, & ceu fermenta exotica partim sanguinis Crasin vitiant, partim alios à sanguine dependentes, succos in specie lympham & bilem alterant, aut ipsum stomachi fermentum protopepticum inquinant, unde successive largæ morbosorum affectuum segetes progerminant. Idque eò magis, quo amplius simili, inquinato nempè à morbosa matre lacte nutritur infans, & ita seminibus morbosis, nempè igni oleum, aptissimum se multiplicandi subjectum subministratur. Simile ferè hic evenit atque id, quod tempore verno, sub renovati quasi aeris inspiratione adultis etiam crebrius accidit, ut scil. eodem tempore latentia & anteà sopita morborum semina quasi evigelent, & varios affectus, & corporis passiones, ceu tot flores protrudant. Maturè ergo à mammis propriis abigant necesse est matres tales suos fœtus, & alienis in tali casu tradant, pauperculis licet mulieribus modo sub moderata diæta, & laborum continuato exercito, sanæ magis & vividæ existant, ut temperato & salubri tali lacte opprimantur morbosa fermenta, inprimis salino scorbutica, & corrigantur sanguinis dyscrasiæ, quo constans & firma magis exinde conservetur sanitas. Ex hoc ipso etiam ratio indaganda, quare infantes, speciatim nostrates, recens nati, subinde 3. aut 4. à partu die efflorescentiâ cutis miliari purpurâ, germanis der Frieſel dictâ, affligantur, quatenus scil. ex respiratione factâ Massa sanguinea intensiori fermentationis gradu agitata, Salia heterogenea præcipitando separat, & ceu feculentias non ritè miscibiles ex suo misto extrudit, quæ ipsa seroso latice, ceu communi nutrimenti & excrementi vehiculo imbibita, occasione balnei in recens nato instituti, & promotæ hac ratione liberioris perspirationis, ad corporis peripheriam, in specie glandulas intercutaneas miliares deponuntur, ubi cum rubedine, pruritu & aliquali subsequente excoriatione seu cuticulæ desquamatione pedetentium exhalant. Revera purpuræ nostratis origo, ex scorbuticâ affectione matrum originem ducere videtur, cujus productum inter alia pathemata, & purpurata hæc existit efflorescentia.

§. 3. Monitum fuit, supra §. 1. spirituascentia majori sanguinis ab inspirato aere promota, indeque spirituum vitalium & animalium concitatiori impetu, in organis quibusvis, insignem ad motus nisum excitari. Exinde namque originem ducit, quod fœtus recens editus, non tantum artus validè moveat, & vibret, adeoque digitos variè inflectat, sed quod inspecie urinam brevi post

Excreta infantum naturalia.

post per urethram emittat, crebriori vomitu cruditates stomachi ejiciat, & alvi recrementa varia protrudat. Quæ ipsa in utero nunquam naturaliter excernuntur, adeò, ut certum signum fœtus in partu, ex labore & nimio conatu mortui referatur *Velschio de Ægagrop. Diss. 2. p. 61. cur. 6.* si meconium seu alvi excrementum antequam fœtus prodierit, emittatur: ut ut contrarium huic asserto exemplum reperiatur apud *Rulandum Thes. Curat. Empir. p. 300. s. cent. 3. c. 66.* Sternutare etiam interdum fœdus recens exclusus observatur, dum ex membranâ narium irritatâ, nervis intercostalibus per consensum connexionis effectis, etiam convulsiva partium cui inseruntur sequatur commotio & concussio. Hæc ipsa tamen omnia, cum opera potius sint naturæ, quam morbosa symptomata, ob id propius ad affectus p. n. accedamus.

Capita generalia causarum morborum infantum.

§. 4. Causas E. generales dum evolvimus affectuum infantilium supra enarratorum p. n. duæ principaliores se offerunt, unde omes supra memorati affectus, primam nanciscuntur (excluso tamen semper vel vitio parentium hæreditario, vel aliunde hausto fermento contagioso) originem, nempè obstinata *retentio excernendorum*, & perversa *ingestio nutriendorum*, ibi quidem eminet fecum primarum viarum, & in specie *Meconii suppressio*, & hinc insensibilis *transpirationis occlusio*, hic vero primario se offerunt *Vitia Lactis & Errata Pultis.*

Cap I. retentio meconii.

§. 5. Feces primarum viarum quod attinet, præter ventriculum albicante plus minus, lentaque materia refertum, pituitosa & flava, interdum variegata recrementa intestina tenuia occupant, sic utiin crassioribus excrementa duriora, crassiora & quasi picea, ex viridi nigrescentia, papaverculum seu meconium quibusdam appellata (ut ut meconii vox generaliter *Hippocrati*; *de Vict. acutor. s. 96. no. 9 quod primum natis exit excrementum denotet* (hospitantur & omnia ex nutrimento per os sub formatione & nutritione fœtus in utero, hausto, genita sunt. Hæc ipsa maturè ex corpore infantis expurganda sunt, ne retenta diutius, aut pertinacem alvi obstructionem inferant, aut lactis nutritivi distributionem impediant: aut sub distributione per intestinorum gyros, idem corrumpant, & æruginoso virore tinctum ad corruptionem disponant aut intestinis pertinaciter adhærendo & acrimonia acida rodendo, tormina crudelia inducant. Constans sanè Practicorum est sententia, frequentissimum atrocium torminum, ut & Epilepsiæ esse fomitem, feculentiarum harum diutina minus retentio, & hinc in

deterius

deterius corruptio : ſicut & Icterum 3. aut 4tô die à partu infantibus ſupervenientem , imò ipſis interdum conatum ex harum quisquiliarum fonte non ineptè alii derivant. Ipſa Natura provida , ordinaria lege brevi à partu vomitu pariter & ſeceſſu hæc ipſa feculenta quantocyus ex œconomia animali proſcribit, etiam antequam aliud quid moliatur, præmonſtrans his ipſis viam miniſtro medico, quid ſub tardiori ejus conatu ipſi agendum ſit. Præ cæteris meconium melè audit, idque ſub merito , acidum nempè p. n. eſt, quod in ejus receſſu peccat. Cum enim oriatur ex nutrimento fœtus in utero quaſi lacteo, nil aliud eſſe videtur, quam cruditor caſeus, à reliquâ nutritivâ ſubſtantiâ ſequeſtratus & quaſi præcipitatus: qui ipſe acorem à ſtomacho ſemel conceptum plus minus retinere ſolet: indequo occurrendo bili in inteſtinis cum eâdem in obſcurum ex nigro-virideſcentem colorem coit, & pedetentim morâ in inteſtinorum cellulis diuturniori coagulatur firmius: quæ ipſa mutatis mutandis & reliquis recrementis accomodari poſſunt.

§. 6. Peruo ad inſenſilis tranſpirationis morboſam in infantibus occluſionem , cujus quanta in omni vitæ genere & ſtatu ſit neceſſitas pariter & quantitas, eleganter docuit *Sanctorius* in *Medicinâ Staticâ*, adeo ut corpus noſtrum in continuo fluxu conſtitutum, atmoſphœram certam , ubique in ambitu circumfundat. Præ cæteris infantes, cum copioſo ſuſtententur nutrimento , ob id neceſſe eſt, copioſe quoque tranſpirent, partim ut nutrimenti tam univerſalis ſeu remoti Maſſæ ſanguineæ , quam particularis , ſeu proximi , hinc inde diſtributi puritas ab omni vel heterogeneâ vel effœta feculentia partibus non aſſimilabili ſarta tectaque conſervetur , partim ſi quid feculenti ſub nutritione enatum ipſis commiſtum fuerit, ex partibus ſolidis eliminetur. Jam vero infantum corpora ordinario quaſi cruſta aut lanugine viſcidâ & glutinoſâ obducta eſſe ſolent , ex liquore nutritivo in quo innatant ſucceſſivè cutis extimæ regioni adhærente , à qua ipſa inſenſilis halitus effluxus inſigniter impediri ſolet. Retenta E. talia tranſpirabilia , in maſſa ſanguinea ſi coacerventur hujus æquabilem turbant fermentationem, & ad febres ordinario diſponunt, ſin verò ſub poris cutis depoſita hœreant, corruptionem ſubeunt variam, & cum ſalinæ ſimul eſſe ſoleant proſapiæ, & ſalſo ſapore, adeoque compoſito ſint inſignita, plus minus licet, (vid. *Tachenius Hippoc. Chym. p. 78.*) facilè acrimoniam intenſam, vel ſalſam ſimpliciter, vel, idque utplurimum

Cap. 2. Tranſpirationis occluſio.

rimum, ⊖ſo acidam contrahent, unde digeſtione particulari ſeu privatâ partium ſub cutanearum turbatâ, cutanei affectus eſſloreſcunt, alterato & corrupto ab illis retentis nutrimento earum proximo & peſſumdato plus minus fermento iſtarum partium digeſtivo. Quæ ipſa eò promptius eveniunt ſi & ipſum tranſpirabile ex nutrimento minus temperato oriatur, ſivè propriâ culpâ tali, dum in ſe ipſo acrius ⊖ſius. aut facilè aceſcibile, aut alias plus minus vitioſum extiterit, ſivè digeſtionis primæ errato vel non corrigentis nutrimentum minus adæquatum aſſumtum, vel ipſum acore. p. n. inquinantis, tale redditum fuerit. Quod ſi verò temperata magis, pinguiaque extiterint tranſpirabilia retenta, adeò ut minus, acrimoniam ⊖ſo acidam degenerare queant, cohibita tamen, partim propria naturâ partim tepore loci humido, in infantibus ſemilacteis ad putredimem ruunt, ex emergente tunc alcali deſtruente acidum, quâ occaſione, larga animalculorum variorum ſeges ſucceſſivè emergere ſolet.

Cap. 3. Vita Lactis 1. alieni. §. 7. Erat hæc excernendorum retentio, ad nutriendorum vitioſam pergo ingeſtionem: Ubi primario ſe offerunt *Lactis vitia*, quorum primum eſt, ſi fuerit *alienum*, h. e. dum non à propriâ matre tenellis porrigitur mamma, ſed nutricibus hoc negotium committitur. Quod ut pateat clarius, præſuppono 1. fœtum in utero materno nutriri non ſolum per umbilicum, ſed ſimul etiam per os: vid. *Diſſert. Segeri de Hipp. Orthod. & Democr. Hetorod. in Nutrit. fœtus* it. *Cl. de la Courvèe, tr. de nutrit. fœtus in Utero* it. *Harveus de generat. Animal. Exerc.* 58. *it.* 56. *& Exerc. de humor.* 2. Nutrimentum utrobique non eſſe ſanguinem ſed lac ſeu chylum lacteum, cum ſanguine per arterias (cum aliæ nondum repertæ ſint viæ, in vaccis licet lactantibus inſtituta fuerit inquiſitio anatomica) ad uterum delatum: vid. præter *loc. cit. Needham. tr. de format. fœt. c.* 1. 3. Lac mammarum & ipſum revera eſſe chylum, in mammarum glandulis ſecretum & ductibus particularibus exinde ad papillam delatum: vid. *Deuſing. de Lacte, & Charleton Exercitat. de Galaxia.* Jam verò unicuique mulieri ſuum proprium eſt lac, ſeu ſpecialis lactis proprietas ac idioſyncraſia, (ut taceam Lac diverſum in una mamma obſervatum fuiſſe, ab eo, quod erat in alterâ, *à Lyſero, Obſerv. XI. annex. cultro ſuo anatomico*) oriunda ex ſpeciali fermenti digeſtivi ſtomachalis differentia (nam hoc unaquaque ſpecie magnam ſubit latitudinem) ſecundum quod, ut in unoquoque individuo, tam naturaliter quam p. n. conſtituto diſtin-

ctus

ctus est appetitus ità etiam distincta digestionis est ratio, eorundem licet assumtorum. Diversum ergò lac mammarium nutricis, a lacte uterino matris, in stomacho infantuli, ipsi aliàs non asueti, [cum consueta longo tempore, licet deteriora, insuetis minus molesta esse soleant, *Hippocr. s. 2. aph. 50.* indeque ob intimam symbolizationem assumendorum c fermento] non potest non subire corruptionem & lædere insigniter digestionis primæ arduum negotium, quin & distributum ulterius ad Massam sanguineam, heterogeneitate suâ turbare hujus crasin, & fermentationem Vitalem, antequam successivè stomachi fermento alterato, & sanguinis crasi immutata, conveniens magisque homogenum fiat nutrimentum, cum generalis stomachi digestio præsit quibusque singularum digestionum coquinis. Instituantur licet varia lactis examina bonitatisque ejus scrutinia; fallax tamen est, quod ex consistentiâ, colore, sapore, pinguedine &c. judicare volunt Practici cum insensilia ut plurimum sint vitia, quæ lactis corrumpunt miscelam, [ut non tantum in seminibus morbosis, cum lacte transplantatis, sed in specie vitiis moralibus per lac insensibilirer communicatis est manifestum] adeò ut revera lactis conditiones & vires metiendæ sint ex sanitate bestiæ, vità ejus & Cibis. *Helmont. tr. sextupl. digest.* §. 74. Cum verò nutrices adscititiæ sint utplurimum pauperculæ, & quibuscunque eduliis subinde latranti respondeant stomacho, vix fieri potest quin & Cacochyliâ & inde oriunda cacochymia laborent. Morbosæ hæ proprietates naturales, uti per lac communicântur â nutricibus, itâ non minus etiam morales, de quo meritô conqueritur *Helmont. tr. Infant. nutrit.* p. m. 523. cum legitimo sensu verissimum sit illud *Galeni*, quod mores sequantur temperamentum corporis: sic puella v. g. observata fuit, admodum siticulosa, ex nutrice bibacula *à Deodato, Valetud. p. 26.* Cum & brutales proprietates & mores cum lacte in infantem penetrent ac in vitam perseverent, ut in pueris à Cervæ item à capræ lacte nutricis observatum fuit. Sed hæc cum minus faciant ad scopum nostrum, ob id vel summis labris ea delibasse sufficiat. Quæ ipsa de lacte ex chylo elaborato explicata hactenus, fortius adhuc eos stringunt, qui ex sanguine lacte fontes derivant. Consultissimum ergò fuerit, ut matres sanæ, vel non admodum morbosæ [tali enim in casu observanda venit thes. 2. supra explicata] proprios nutriant fœtus: de quod vid. *Sennertus* Tr. de Morb. infant. p. 1. c. 1. qv.

Vid. Reies campum Elys. quæst. 47. p. 586.

An loco lactis aliud nutrimentum conveniat.

§. 8. Hæc ipsa simul ostendunt quam aliena sit à vero eodem opinio, qui consideratione facilis corruptionis lactis in infantulis, indeque natorum variorum malorum, alio potius nutrimento, quàm lacte tenellos cibare & educare malunt. Adeoque vel hordeata juscula, vel ex Crepatura hordei addito vitello ovorum emulsioni similem misturam, vel juscula avenacea, vel amygdalarum emulctum lacteum succum, aliudve simile substituunt, quo etiam nutrimentum Helmontii pro pueris, *Tr. Instant. nutrit.* pertinet, ex pane tantisper cum tenui cerevisia bullito cum melle. Siquidem nec frustra, nec sine prægnanti ratione, aut ornatus saltim gratia, mammæ mulieribus & in iis mox post partum Lac, non secus ad reliquis brutis terrestribus, uti & quibusdam aquatilibus concessum fuit à Natura, quin hæc ipsa potius digito quasi intento hanc fætuum nutritionem monstraverit. Hinc aves mammis carentes earum defectu, grana deglutita & in ingluvie aliquali morâ maceratâ, ac ita ad fundendum citius lacteum suum nutrimentum prædisposita evomunt denuo pro meliori pullorum sustentatione. Tenerior siquidem infantum est stomachus, minusque exaltatum fermentum eorum digestivum, unde quæcunque fere ingesta, laboriosam saltem, si non & defectuosam penitus redderent digestionem, quæ facillimà, & summè nutritiva erit, dum lac ceu chylus, jam ante in nutrice elaboratur ipsis suggeritur. Talis scilicet succus, ex quo & primitus machina eorum corporea constructa fuit, & ipse fœtus jam in utero sustentatus, & quem ceu jam consuetum facillimè digerere & concoquere potest. Quod si quædam ex lactis alteratione in infantibus metuenda eruut pericula, ea sanè in se, sunt facilè corrigibilia, modò maturè & legitimè iisdem occurrantur. Unde & rarissima eorum observata fuerunt exempla, qui defectu nutricum feciliter adoleverint.

Vitia lactis 2. Morbosi.

§. 9. Nam sivè nutrix sive mater sitienti satisfecerit puerrulo, nisi sana vegetaque gaudeant corporis œconomiâ indubitatum est, morborum semina radicesque firmissimas in eum tanquam per medium fomitem transplantari. Lithiasin per nutricem in puerum derivatam notavit *Helmont. tr. nutrit. infant. ad V. L.* Lue ♀ea per matres infectas puellas inquinatas binas observavi in nosocomio Patavino: nutrices habitus serosioris ad effectus catarrhales proclives reddere, quos nutriunt infantes, compertum est: Scorbuti labes multiformis per mammas propagari in sugentem, nemini mirum, quum contagiosa ejus indoles sit notissima. Sed res ipsa cum loquatur,

loquatur, quid opus ulteriori diductione? Quin etiam ſana licet in proprio corpore deprehendatur nutrix, ſi tamen propriæ conſtitutionis cauſa, idque ex ratione peculiaris in ſtomacho digeſtionis, vel ſeroſioris & ſalſioris ſanguinis conſtitutionis, vel certæ in glandulis mammarum texturæ, ſeroſius, acrius, aut ſalſius aliovè modo minus conducens infanti Lac colligat, etiam citra ſugentis noxam id propinari nequit, quin nutrimentum tale, ipſi minus appropriatum, hoſtile & inimicum, evadat.

Vitia Lactis 3. nimis nutritivi.

§. 10. Sed utut ſaniſſima etiam ſi mater vel nutrix, tamen tenello infantulo ipſum lac probè excoctum, craſſius, ſpiſſius, adeoque uberioris nutrimenti, non æque primo ſtatim hauſtu convenire, vel ex eo fit manifeſtum, quod in utero materno adhuc concluſus fœtus nutrimentum lacteum per os hauriat admodum ſubtile, qerquem duplicem chorii & amnii membranam probè filtratum & depuratum, quo teneriora facilius perluat abdominis viſcera. Ob id provida mater natura, poſt partum, in ſalutem editi fœtus, non ſtatim lac perfectum pinguius & ſpiſſius ſubminiſtrat, ſed præmittit Coloſtrum, h. e. ſeroſiorem tenuioremque Chylum, ut hic ipſe minus ſtomacho faceſſat negotii, quin potius ſeroſitate ſalinâ abſtergat blandè ſtomachi mucum, inteſtinorumque ſub geſtatione collecta recrementa expurget, ac virtute diureticâ, organa urinaria probè eluat, ut ita ſupervenienti ſucceſſivè alimentoſo magis lacti, facilitetur digeſtio, & impediatur facillima ejus corruptio, cum revera tale Coloſtrum ſit alimentum medicamentoſum. Hinc iſtud, quod die primo ſecturit ad mammas, potentius purgat, quod ſecundo & tertio minus, donec ſuccedat purgatrici vis nutrix. Quam peſſimè E. ſuis conſulunt natis, qui robuſtis, aut obeſis, aut qui jam aliquandiu lactarunt, nutricibus mox tradunt eosdem, à quorum lacte butyroſo & caſeoſo nimis gravatur tenellus ſtomachus, & digeſtionis opus inde inſigniter retardatur, ac cruditati acidæ, lactisque coagulo promptiſſima occaſio ſubminiſtratur. Illuſtrat hæc Epilepſiæ exemplum, aliquot filiabus lethale, ex nimiâ lactis, materni licet, butyroſitate & pinguedine, quod recenſet *Hoffmannus Tr. de uſu & abuſ. medic. Chymic. p. 49.* Quod ſi verò matres nutrire intendant ſuos fœtus, quo quæſo conſilio corrigunt naturæ prudentiſſimos conatus, & tam ſtudioſè emulgent, ſalutare hoc coloſtrum, quaſi nocere poſſit infanti, quod ceu divina medicina ipſi propinandum foret. Id quod etiam contra quendam Medicum urſit ſufficienter *Veslingius.*

 obſ. &

obſ. & Epiſt. 28. p. 123. & ante eum *Spigelius* in erudito *ſcripto de formato fœtu, c.13. p.16.*

Vitia Lact. 4. ſuperflue ingeſti.

§. 11. Sed tolerabile adhuc, quia facilè corrigibile eſſet hoc erratum, niſi gravius longè, familiariſſimum licet ſe offerret, nempè ſuperflua & inordinata, & tantum non coacta lactis infuſio, qua matres pueros ſuos, nimis alendo, ſæpè necant, & dum lactant mactant, ut recta obſervat *Kerckringius ſpicleg. anat. obſ.* 40. Dum ad quemlibet ex quacunque cauſa excitatum infantis ejulatum, ipſi renuenti licet, ſubinde de papillis in os intrudunt, ac lac ſugere cogunt, priori, licet crudo adhuc, ſubacido & nondum concocto in ſtomacho hærente, unde novi ſuperingeſti neceſſaria congrumeſcentia, caſeatio, ac utriusque in paſtam acidam, viſcidam, corruptio ſuccedit: unde Pylorus indignatus vel ſe pertinaciter ſtringit, qui aliàs de ſeipſo in pueris arcto munitur ſigillo, obſervante hoc etiam Laud. *Kerckringio c.l.* & planè non aut difficulter ſaltem talia caſeata transmittit, ut ulteriori morâ in loco iſto tepido in deterius, ac ex cruditate acidâ in corruptelam putredinoſam labantur, ac in liquamina putrida, flaveſcentia, nidoroſa &c. tandem degenerent: *vel* graviori furore percitus idem Pylorus ſalutari licet effectu, per gulam omnia iſta vitiata remittit: vid. *Helmont. tr. Infant. Nutr.* qui Tragœdiam hanc graphicè & eleganter delineavit. Præſtat ſanè hic peccare in defectu, quam in exceſſu, cum repletiones ad extremum productæ, graves eſſe ſoleant, teſte *Hippocr. ſ.* 1. *aph.* 4. & ſicut repletio omnis, in ſpecie panis in adultis, itâ ſanè lactis in tenellis eſt peſſima: hinc enim conſequenter impura corpora, quò magis nutriveris eò magis læſeris. *Hippocr. ſ.* 2. *aph.* 10.

Vitia lactis 5. per malâ diætam depravati.

§. 12. Perículoſius jam urget Fatum miſellos lactentes, ex perverſâ & ſæpiſſimè inordinatâ lactantium diætâ, circa quam ſaltem *alimentorum promiſcuam ingluviem, affectuum neglectam refrœnationem, & excernendorum* pariter *ac retinendorum peccata* conſiderabimus.

1. quoad aſſumta.

§. 13. Sanis quidem omnia ſana, modo per internam appetitus dictaturam imperentur, quod enim ſabit, nutrit; adeò ut in ſanis ſcrupuloſus alimentorum delectus, reverà ſit fruſtraneus, quin potius ſi appetitus circa aliquod objectum feratur intenſius, inprimis conſuetum, [nam in inſuetis appetitus ſubinde medicamentum quærit] vix denegandum ſit, quia fermentum digeſtivum potenter quælibet in ſui ditionem trahit & coercet, ut ut talia cum moderamine mediocritatis propinanda ſint, cum ſobrietas rectè cardo totius dicatur diætæ; id quod nutricibus conductitiis in ſpecie

ſpecie obſervandum, utplurimum egenis, adeoque famelicis, & frequenter nimio nutrimentorum exceſſui primitus indulgentibus. Lactantes tamen præ cæteris tenellos reſpicere debent, cum leve illarum erratum, ut ut ipſis innocuum, his graves ſubinde inducat paſſiones, & aſſumtorum plures proprietates in chylo perſiſtentes, ut ut plus minus infractæ aut alteratæ, ſui tamen præſentiam in lacte manifeſtò exerant, & aniſum pro augmentando aut corrigendo lacteo chylo aſſumtum, ſui in eo præſentiam odore teſtetur, non ſecus ac florum ſambuci in lacte decoctorum inſons eſſe ſolet potus, imò admodum proficuus pro lactis augmento, quos tamen obſervavi à nutrice fortius dicto modo decoctos, & liberalius potatos, & ipſi lactenti copioſum excitaſſe alvi profluvium, confer *Bartholin. Cetur.* 2. *hiſt.* 63. *p.* 338. Nil dicam hic de purgantibus, quæ nutricibus propinata, infantes purgant, & omnia inprimis propriè dicta, infantibus ſunt inimiciſſima. Tacebo peculiares idioſyncraſias infantum, quoad certa aſſumta à parentibus transplantatas, quæ à nutricibus neglecta, graviter tenellos lædunt, quam Exempla recenſet *Digby de Natur. Corpor. Tr.* 1. *c.* 38. *p. m.* 424. 436. Verum in ſpecie urgeo acida, quæ ſive ſint condimenta ſive potulenta, etiam Vinum, [in non aſſuetis] ſui veſtigia in dulci Lacte relinquunt, ut ut ſenſibus abſcondita, poſtmodum tamen torminum infantilium ex acido rodente autores. Unde & cautiores matres, dum fœtum in utero incluſum geſtant, acida nimia fugiunt, ne præmaturè inſontes torqueant, aut fomitem Epilepticum ingenerent, id quod ſæpius obſervavit *Celeb. Sylvius*, quod nempe infantes nati à matribus acido non adeo indulgentibus, Epilepſiæ minus ſint obnoxii idque etiam adeò pluribus matribus prædixit. Cum præterea acidorum abuſus ad abortum gravidas diſponere rectè aſſeratur *à Beckio*, *in Medit. & exprim. p.* 214. Quod etiam de Vino, quod nempe fœtum pellat, aſſerit *Hartmannus Prax. Chym. c.* 228. §. 3. Unde etiam *Joh. Ant.* von der Linden/in Comment. ſuper hunc locum, primis geſtationis menſibus Vinum gravidis, in ſpecie, ut vocat, calidioribus prohibet, metu abortus, quibus ultimis 2. vel 3bus menſibus, Creticum aut malvaticum, in parvâ tamen doſi concedit. In quo tamen acido frequentiſſimè peccatur, amicum enim ac gratiſſimum cum ſit ſtomacho, tantum non quotidianum ejus percipimus appetitum. Caſeo itidem non immerito interdicitur nutricibus, ne hoc tanquam præmaturo coagulo ad grumeſcentiam p. n. jam in mammis lac diſponatur. Ce-

reviſia

revisia non ritè fermentata, aut fecibus turbata, ut ut robustiores in nutricibus intestinorum tunicas, minus afficiat, â fermento stomachi ferè subacta, pueris verò quod diarrhæam torminosam excitet, compertum est. Id quod similiter de fructibus horæis succulentis, facilè fermentescentibus manifestum est: sicut aridiores è contrario alvum pertinacius sistunt, quod contigit in infante, cujus nutrix avidius castaneas assumserat, teste *Timæo l. 5. cas. 15. p. 252.* Cautas ergò nutrices esse jubeo, in assumendorum ratione, plus minus tamen, prout nempe aut consuetudinis aut digestionis primæ vel absolutioris vel deficientis adeoque subactorum plus minus & alteratorum â fermento digestivo ingestorum in iis fert ratio.

Quoad 2. animi pathemata.

§. 14. Affectuum exorbitantiæ jam attingendæ sunt, quorum inordinatus insultus, ut generaliter spiritus animales totumque genus nervosum, & in his mediantibus massam sanguineam & reliqua corporis contenta liquida commovendo insigniter alterat, ità specialiter nutientium depravat lac. Præ cæteris iracundia & terror nutricum nimius, nocentissimus est infantibus, & ab utroque, in specie priori Epilepticas excitari convulsiones notissimum est,. Turbant sanè affectus omnes concoctionis primæ negotium, adeò ut ex tristi nuntio esurienti inopinatò allato, adeoque incusso sic terrore, statim pereat omnis appetitus, unde digestionis consequenter impedimenta, & cruditatum acidarum occasiones: qui effectus itidem, ex Iræ furore expectandi sunt, sub cujus fervore vel maximè sanguinis ebullitio & quasi febrilis effervescentia c. bilis orgasmo considerandi veniunt. Ex alterato ergò ac depravato chylo simile generabitur Lac, aut hoc genitum licet in statu peccato, sub intestinâ tamen affectuum rebellione, & inde natâ omnium corporis contentorum â spirituum vario ac p. n. impetu, non potest non insigniter alterari, & variè commotum ac quasi secundum minima concussum in partes secedere, & butyri ac casei ex seroso vehiculo quasi separationem p. n. pati. Vix sanè quicquam frequentius est, ac terrorem, non minus quam iram, lactis inducere coagulum, ac in mammis grumescentiam, unde tandem inflammationes, dolorosissimique abscessus, & in specie Erysipelata superveniunt: sicuti â tali lactis semicaseati suctu, mille malis insons mulctatur infans, & speciatim ad Epilepsiam ordinariò disponitur. Observavi juvenculam primiparam; quæ suum alitura infantem, pro uberiori lactis proventu, & meliori papillarum protuberantia simul catellum subinde mammis admovebat. Evenit casu, ut graviter

perterre

perterre fieret puerpera, unde repente, ad se cum rediisset animus, catellum mammas exsugere permittit, ne alterato isto lacte fœtui noceret: quo facto brevi post gravi Epilepsiâ corripiebatur Catellus, quæ propinatâ Theriacâ & insequente gravi sopore demum evanuit. Sed præter has sensiles coagulationis & grumescentiæ qualitates nocivas, & alias multivarias difformitates induit lac, ex tam variis affectuum fluctibus, quibus sanè non tam matres, quàm specialiter nutrices obnoxiæ succumbunt, quarum singulæ infantis nutrimentum lacteum morbosè disponunt, & ità fœtûs sanitatem graviter labefactant.

§. 15. Excretorum supersunt consideranda in nutricibus errata, quæ inter menstruorum consideratio primatum obtinet. Supprimi hæc ipsa, ut in gravidis, ita & in lactantibus (probabiliter in salutem fœtus) naturæ respondet legibus, in habitioribus tamen, sanguine turgescentiore præditis viraginibus dictis, tam primis gestationis mensibus, quam ipso lactationis tempore eadem ordinariâ erumpere periodo obsevatur crebrius, collectore *Exempl. Schenkio obs. p. 574. & 630.* Quoties vero sanguinis ista contingit excretio, toties sensilis in tenellis observanda venit alteratio, quâ languidi, lachrymosi, ac imbecilles fiunt, donec obturato denuò sanguineo fonte, dicti languores etiam denuò remittant. Id quod itidem observatum à *Paul. Zachiâ Quæst. Med. Legal. l. 7. T. 9. qv. 3. p. 599.* singulari scil. fermentativo motu sanguis sub menstruationis tempore agitatur & turgescit, unde & menstruam febrim, seu omni mense, quum sanguis per genitalia avacueretur recurrentem, ex acriori scil. effervescentia observavit *Lindanus in Coll. M. S. super Hartmann. Prax. Chym.* Quidni ergò lac tunc temporis, & similem fermentativum concipiat motum, qui & turbet infantis primam digestionem, & vitalem sanguinis fermentationem vitiet, forsan simili quodammodò ratione, atque quando adulti cerevisiæ potui vel vini adsueti, ex potu talis liquoris adhuc nonnihil fermentantis ceu extraordinariè affecti subindi non leviter læduntur. Verum enimverò, insignior longè lacti imprimitur alteratio, si per fœcundum coitum nutricis impediatur menstruatio, ad corruptionem exinde lac disponitur, & horridam quodammodò acquirit impressionem, fœtui ferè abominabilem; id quod & in brutis observabile est, ut curioso exemplo observatum à *Grasio de Org. Viror. Genit. pag. 126.* Lac ita depravatum, ne dicam corruptum, ab infante haustum degenerat in ejus stomacho in vitiosum ca-

Quoad excreta. 3.

 sei coa-

coagulum, tenello infantis ſtomacho mirè infeſtum, adeo ut eidem exindè ſtigma, per totam vitam durabile inprimatur, unde caſei averſionem, tam multis familiarem, non abſque ſummâ probabilitate deducunt *Schockius lib. de averſat. caſ. & Ill. Digby de nat. corpore. c.* 38. *pag.* 437. Ob id & Medicorum eſt præceptum, ut toto lactationis tempore nutrices à coitu abſtineant, unde etiam lactantes matres à redditione debiti excuſat, propter inſignia fœtus nocumenta, *Paulus Zacchias loc. ſupr. cit.*

Cap. 4. Vitia pultis 1. in præparatione.

§. 16. Hæc vitia lactis fuere, reſtant adhuc errata Pultis, ceu ſecundum genus errorum in aſſumtis. Deteſtor autem in pulte inprimis farinæ crudæ uſum, quæ cum lacte vel aqua ſubacta & cocta, ac in pulmentum inſtar viſcoſi glutinis redacta, quid aliud dabit, quam paſtam tenaceam, crudam & viſcidam, ulteriorem bibliopegis pro glutinandis chartis, quam infantibus pro nutritione: ſiquidem ob fermentationis farinæ in panificio pro adultis etiam ſummè neceſſariæ defectum difficillimæ eadem exiſtit digeſtionis, quia laborioſæ in ventriculo fermentationis. Panis ex quacunque farinâ confectus, non ritè fermentatus, ac ità pro digeſtione ſtomachali facilius ſuſcipiendâ, & in aliis una aſſumtis promptius adjuvandâ ineptus, ex defectu acidi ſpirituoſi volatilis, crudam farinæ mucaginem reſolventis & volatiliſantis, quantum noceat ſanitati, etiam adultorum, & quam fœcundus ſit genitor morborum chronicorum, præter quotidianam experientiam vel muliebris loquitur ſexus, ex talis panis uſu, menſtruorum patiens defectus, & cachexias, ut pluribus videri poteſt *Kergerus de ferment. ſ.* 3. *c.* 2. *p.* 216. *& Schockius de ferment. c.* 2. *&* 3. Aſt robuſtus eſt adultorum ex ſpirituoſiori ac acriori fermento ſtomachus, debilis è contrà infantilis: ingere tale pulmentum glutinoſum & viſcidum, & ſuperaffunde lac butyro & caſeo pingui turgidum, quid putas futurum exindè in ſtomacho infantili? tenax nempè & glutinoſus, vitioſoque acore intenſè tinctus emerget mucus, mille malorum in junioribus talibus fœcundus parens. Compertum ſanè eſt, ſponte ſuâ & facilè quamlibet farinam liquore ſufficienti ſubactam: & in loco tepido aſſervatam, aceſcere inſigniter, & hinc fermentare & ſpumoſè turgeſcere, etiam citra fermenti additionem: id quod ſi fiat in ſtomacho infantis, ex p. n. & ſtomacho peregrino pultis acore corrumpitur ſuperingeſtum lac, & in grumos caſeoſos denſatur, adeoque tota digeſtio prima exinde depravatur inſigniter. Potius ergò farinæ talis pro meliori digeſtioni fermentativa præparatio extra

extra corpus præmittatur, quam quod cum tanto sanitatis periculo eadem in stomacho demum instituenda supponatur. Perspexerunt hoc, & rejecerunt ob id tales pultes jam olim plures insigniores medici, uti de hoc videri potest *Velschius de Vena Medinens. s. Dracunculis Veter. Exercit. de Verm. Capill. infant. p.* 261. conferatur simul *Hildanus cent. 6. obs. 34.* qui periculosissimam Pylori obstructionem, à tali spissa pulte natam observat.

§. 17. Post pultis præparationem, culpo etiam ejus usurpationem, dum nutrices eandem prius in ore volutant, & salivæ permistione, debitam fluiditatem conciliant, indeque infantis ori intrudunt. Jam vero salivæ singularis est vis fermentativa, à modernis sufficienter declarata, ratione cujus proficua sanè esset ejus cum pulte miscela, si exactè sanâ nutrix eam institueret; Sed cum ratione hujus virtutis fermentativæ, etiam morbosa contagia sub ejus vehiculo promptissimè communicentur, seque multiplicent, ob id minus istam nutricis delibationem permittere possum, cum exinde facilimè ad morbosam corruptelam puls disponatur, inprimis si tantillum scorbutici fermenti gingiuas & salivam inquinaverit. 2. in usurpatione.

§. 18. Detectis ità remotioribus causarum morbificarum fontibus, dum exactius nocendi rationem proximam seu rationem causandi inquirimus, perspicuum evadit, succum vitiosè acidum, nunc viscidum, nunc aqueo serosum defectu primæ *digestionis* in ventriculo, ejusque intestino duodeno *perfectionis*, adeoque ex cruditate acidâ coacervatum, esse causam proximam & radicem, ex quâ tot morbi infantiles frequentissimè propullulare solent. Hunc s. Galenicorum pituitam acidam, seu Paracelsistarum ⊖ acidum seu Tartarum fecalem appellare velis, mihi perinde est, simus namque in verbis faciles, modo in rebus conveniamus. Facilimè scil. Lac, seu sanum seu alteratum in stomacho tepido p. n. acescit, idque eo magis, quo copiosius aut inordinatius ingeritur, hinc spissescit, & factâ per coagulum seri à contentis separatione casei cum butyro perniciosus grumus nunc in stomacho, nunc intestinis subsidet, & plus minus pertinaciter agglutinatus hæret, conferente symbolum pulte farinaceâ crudâ & viscida facilè acescibili, una cum retento & plus minus corrupto meconio, unde ex conditione loci, h. e. stomachi calidi, & ratione contentorum recrementorum, uti & ingestorum lacteorum & pultaceorum intensus acor necessariò & defacili oritur, qui nunc materia viscida irretitus, in Causa proxima affectuum infantilium

primis viis ſuas ludit Tragœdias nunc vehiculo aqueo ſeroſo, & lymphatico ulterius diſtributus etiam aliis & remotis in locis mille malorum exiſtit artifex. Clara hæc evadunt ſponte, modo ſuperioribus theſibus explicata probè conſideremus, in ſpecie in th. 5. 7. 9. 10. 11. 13. 14. 15. 16. &c. ſimulque obſervemus pleraque infantum mala per remedia acidum deſtruentia, de alcalium tam volatilium quam fixorum proſapiâ, uti & per aromatica ⊖nia volatilia Oleoſa optimè percurari.

Variat ſubinde cauſa proxima.

§. 19. Quæ tamen ità intelligenda ſunt, non quaſi alia nulla in corpore tenello ſint errata, quam quæ ex dicto acido oriuntur, ubiquæ enim excipiendi ſunt hæreditarii morbi, uti & à lactantibus transplantata morborum ſeminaria, aut aliorſum hauſta contagia. Præterea mille larvas induit Lac ſub ſui corruptela, mille inde nocendi artes, non tantum dum adhuc in mammis turget, ſed in ſpecie dum infantis in ſtomacho corrumpitur, hinc in inteſtinis tam à bile quam ſucco pancreatio alteratur, ſubinde à reſtitante meconio ſimilibusque excernendis inquinatur, quin & propriâ ſponte, de facili corrumpitur, unde diverſimodè dulceſcit, amareſcit, colliqueſcit, virideſcit, liveſcit, putreſcit, vermineſcit, aliasque quam plures peregrinas aſciſcit ſibi qualitates: nam & jam in tenellis ſexcenta ſeu potius *infinita Hippocratea*, de quibus autor *Libri de Priſc. Medic.* locum inveniunt. Unde tam in abdominis viſceribus, quam maſſâ ſanguinea & inde derivatis reliquis contentis liquoribus activis quamplurima p. n. nocumenta præſtò adſunt. Ut ut ea, quæ ex cruditate acidâ veniunt, ſint frequentiſſima, quia talis corruptela eſt familiariſſima.

Unde acidum adeò vitioſum in infantibus.

§. 20. Paradoxon equidem videri poſſit, quî in ſemilacteis infantibus adeoque dulci rore ubique perfuſis, ex lacte dulci primitus concretis, & eodem cū pulte inſipido dulci enutritis, acor adeo noccivus & ſubindè intenſus oriri poſſit, â quo tam terra ſuperveniant ſymptomata. Sed clarius redditur facilè totum negotium, modo aſpiciantur aſſumpta tam matris utero geſtantis, quam nutricis lactantis. Hæ ipſæ enim præter manifeſta acida, quæ ut ſupra §. 13. monitum fuit, ex dictamine appetitus hauriunt, veſcuntur ſaltem pane & bibunt cereviſias. Panis omnis in ſpecie ſecalinus continet in ſe ſpiritum intenſè acidum, volatilem tamen, adeoque in ſe ſaluberrimum, duriora tamen etiam corpora v. g. Coralia, ferrum, Vitrum ♀ii, aliàque rodentem, qui cum aliis aſſumtis lacti ſimul materiam præbet. Ut ut autem acor hic ipſe, partim ſub ſto-

machi

machi digestione, partim bilis alcalinæ in jejuno permistione alteretur plus minus in salsum volatile, sicque occultetur, nihilominus facilè datâ occasione denuo se exserit, & operatur; hinc enim tam facelis lactis acescentia, & assumta acida matri ac nutrici innocua tamen infantibus per lac revera ad gustum dulce sunt torminosa, & vel maximè hostilia. Cerevisia vero quæcunque facillimæ est acescentiæ, cum modica lupuli pinguis aromatica conditura non sufficiat, quin tandem acescat, ut taceam vel cerevisiam novellam, à fecibus nondum sufficienter depuratam, fermentando in stomacho facilimè acescentem, aut cerevisiam inveteratam jam nonnihil acidulam, à nutricibus subinde haustam. De cœtero his ipsis vix ulla est cura, quantum sua assumta fætum aut infantem afficiant, ut ut earum delicta, diu post demum luant infantes, idque datâ qualibet occasione, utplurimum per Epilepsiam, ut supra §. 13. monitum. Quid fructus horæos memorem, efferviscibiles facilimè, acetaria & similia, gravidis pariter ac lactantibus cita reflexionem in fœtum familiarissima. Adeo ut *acidum* sit, quod morborum infantilium frequentissimus est autor, sicut subjectum ejus *viscidum* eos contumaces subinde reddit, aut crebrius recidivantes, vehiculum verò *aquosum* etiam in remotioribus locis: & extremâ corporis peripheria eosdem propullulare facit.

§. 21. Jactis hisce fundamentis facilis est via, ulterius indagandi supra enarrotorum morborum generationes. Tormina infantibus ferè inevitabilia ab acido oriuntur, quod ex stomacho, sæpissimè ex lactis coagulo & esu acidorum à nutricibus delapsum, intestinorum membranas pungit, rodit & lancinat, unde isti cruciatus, cum convulsivis spasmis juncti, prodromi exinde non rari Epilesiæ, iique eò crudeliores, quo viscidiori glutine se agglutinaverit eorum parietibus. Horum indicia, præter ejulatum sunt utplurimum excreta virida plus minus, seu ut vocant porracea & æruginosa, oriunda ab acido excessivo & vitioso (nam acidum acre odore spirant talia) cum bile ⊖nâ Oleosa volat. permista, ex quorum miscella viriditas ista exsurgit. Equidem viridis color reverà sub concursu plurimum ex miscela *flavi & cœrulei* emergit: flavedo in bile clara est, & conspicua: cœruleus color in nullo succorum corporis unquam nec naturaliter nec p. n. observatus fuit, unde rarissimum; & fere unicum est exemplum, quod recenset *Meara*, de lacte nutricis saphirinum colorem exacte referente *in Exam. Diatribe de Febrib. Willissii p.* 65. Cum tamen cæruleus color

Unde tormimina & varia alvi excreta Infantum.

color ed nigrum accedat propius, adeoque in certâ luminis maximam partem intrò susceptione in porulos, & cum umbrulis mistione consistat, loco hujus in corpore absentis, acidum, perspicuum licet constringendo tamen & angustando aliquali subjecti coagulatione, poros flavi corporis sufficiet, *inprimis si dictum acidum & ipsum in subjecto nonnihil densiore & crassiore hæreat*, ut exinde viridis ceu medius inter cæruleum & flavum color emergat. Comprobat dicta experimentum *Graffii*, de succo pancreatico thes. 145. 147. ubi bilis flava ex miscelâ cum spiritu Vitrioli atrovirescentem induit colorem. Nec est, quod quoad experimenti fidem objicias, id quod alio mihi obtigit tempore, in spiritu Vitrioli adhuc contentas adhuc esse, & sub rigoroso ignis examine c. acido simul elevatas metallicas ♀eas & ♂les particulas, quæ attactu alcali bilis præcipitatæ virorem repræsentent, sicut eædem attactu gallarum in Vitriolo atrum colorem induant: nam idem experimentum tentavi & cum spiritu ⊖lis plurissimo, non secus ac cum spiritu ⦶, & ubique idem fuit successus & eventus, quod nempè istâ misturâ inrensus viror effloruerit, id quod simili ratione de lactis vitioso acore virorem cum bile producente verum erit. Unde subinde etiam grumosa apparent talia, sub infantum torminibus excreta, quia lac à præternaturali acido in grumos caseosos coagulatum, istam larvam induit. Non tamen semper talia grumosa simul sunt viridia, quin subinde sint flava. Scilicet discoloratio horum excrementorum oritur à bile per acidum mutatâ & corruptâ, sæpè tamen evenit, ut feces excernantur flavæ, quæ pauco tempore postmodum colore viridi tinguntur. Causa hujus prænomeni est, 1. quod acidum in bilem, quamdiu in corpore fuit, sufficienter non egerit, propter impedimentum lactis, continuò vel brevibus intervallis tantum assumtum, quippe quod ejus cum temperando infringat. 2. quia non nisi finitis effervescentiis præcipitationibus mutationem rerum accurratam observamus: unde post excretionem, dum aeris accedit adjumentum, finitâ mutuâ actione & reactione permistorum, color tandem tertius emergit. 3. Quia & ipsa commista excreta facilius forsan in aere libro novum coloris schema arripiunt, quam dum intestinis adhuc sunt coercita. Observandum quoque hoc loco atrocissima non raro adesse tormina, excretis alvi aquæ instar leviter flavescentis fluidis, quæ nimis fluida, subinde adeò acria observantur ut & podex excoriari exinde soleat.

§. 22. Quod

§. 22. Quod si copiosius tenaciorque grumus stomacho incumbat, cui per pylorum transitus negetur, non potest non exinde appetitus dejici, & activitate fermenti digestivi à lacte vel copiosiore vel coagulato obrutâ, horror mammæ oriri, cum absolutâ appesiâ, cum quotidiè observemus, istud quod semel stomachum læserit, ceu hostile postmodum, diu ab eodem aversari: quod si gravius exinde oneretur stomachus, vel obstruatur omnino Pylorus, de quo vid. *Hœferus Herc. Med. p.* 149, item *Hildanus cent. 6. obs.* 34. & irritetur quoque, hujus convulsiva contractio, quam vomitus violentus sequitur supervenit tenella corpuscula insigniter quidem lædens, salubris tamen, quatenus excrementa ista removet, & graviorum malorum, jam jam imminentium est medicus. Finge enim hærere talia diutius in Ventriculi bursa, facilè ex acore fermentativo, pastæ instar farinaceæ intumescent, & impetuoso flatuum proventu, intumescentium præcordiorum, hinc diaphragmatis impedito motu difficilem respirationem, & ex horum flatuum in orificium sinistrum impetu, hujusque pertinaci strictura, præcordiorum anxietates, inde inquietudines, somni impedimenta, vigilias inferent. Eadem est origo hypochondriorum inflationis, & totius abdominis tympaniticæ distensionis, nam loco saltem differunt à priori; pasta nempè acida viscida, vitioso acore fermentnta, concurrente simul alcalino bilis stimulo Gas tale flatuosum eructat. Scilicet farinacea plus cruda acescentiam necessariò subit in stomacho, unde cum lacte semicoagulato turgescentia fermentativa, de quo supra, flatuumque & modo dictorum symptomatum in & circa hypochondria & Epigastria fertilis proventus. Cogitemus adultorum hypochondriacum affectum: & in eodem flatuum & borborygmorum impetus, ex acido viscido digestionis primæ relicto p. n. oriundos, & simile ferre in infantibus usu venire perspiciemus: cum sufficienter *Helmont. Tr. de Flat.* horum originem ex acido, stomachali non tamen fermentali ordinario demonstraverit.

Unde Anorexia, Vomitus, Præcordiorum & hypochō driacorum inflatio.

§. 23. Quod si tenacior talis, acidiorque mucus superiori ventriculi orificio firmius adhæserit, per consensum firmissimæ connexionis diaphragmatis simul irritabitur musculus, unde hujus sub inspiratione factâ convulsiva contractio, singultum, subinde contumacissimum, ininfert, sicut ventriculi cavo si magis fluctuent pituitosa talia acida, aut ⊖so acida, eaque successivè irritent orificium superius, vel infensâ & molestâ suâ præsentia, vel saltem halitibus acrioribus, excitabuntur sub expiratione occasione vellicari diaphragma-

Unde singultus, tussis, asthma infantum.

diaphragmatis, ipſique compatientium muſculorum expirationi inſervientium horum convulſivi motus, unde repetentes tuſſes concutient tenella pectora. Revera enim ex ſtomacho, hujusque in ſe ipſo coacervatis cruditatibus infantum exoritur tuſſis, ſubinde tantâ violentiâ repetens, ut non niſi ſuperveniente Vomitu copioſique muci rejectione ad tempus ceſſet. Rara autem infantibus ſicca tuſſis, aut quæ ex Laringis aſperæque arteriæ oriatur irritatione, obvenit, niſi interdum inclementioris aeris afflatus & liberior hauſtus ſuo modo ad hunc diſponat. Idem aſſerendum de tuſſi iſtâ, quæ ſub dentitione laborioſiore frequenter turbat infantes, quam copioſior ſalivæ ſubinde ⊖ſo acrioris defluxus in ſtomachum, & inprimis uberior ejus ex membranâ pituitariâ poſteriori ſeu inferiori trāſſudatio, & inde defectuoſa reddita prima digeſtio, cruditatum accumulatio infert. Idem aſſerendum de infantum aſthmate, quod utplurimum ex ventriculo onerato oritur, dum mucilagines acidæ coacervatæ & flatulentâ turgeſcentiâ tumefactæ, moleſtum tale aſthma producunt: hinc enim etiam provocato Vomitu ſtatim liberantur, autrore *Primeroſio de Pueror. morb. p.73.*

Unde Lumbrici in Infantibus.

§. 24. Quod ſi mucus ſimilis, blandior tamen & dulcior ex alimentorum quocunque modo digeſtorum reliquiis in inteſtinonorum canalibus diutiùs hæſerit occaſione loci caloris & inchoatæ ſucceſſivè putredinis occultata lumbricorum ſemina excitantur, fœtusque vive excluduntur. Semina ſcil. vegetabilium Cerealia, in ſpecie ſecalina & triticea, vel immediatè in pulte farinaceâ vel mediatè cum lacte ex pane comeſto genito ingeſta, ſeminali inſectorum contagio, (quod ſub minimâ etiam mole latere poteſt, utpote conſtituere dicitur ſaltem 2800. partem ſui ſeminalis corporis) quaſi imprægnata, data occaſione hæc excludunt. Accedit, ut monui, tepor loci blandus, vis digeſtiva ventriculi debilior, quà digerendo non ſubiguntur omninò dicta animalculorum ſeminalia primordia, & temperata bilis acrimonia infantum, defendens aliàs ſuccos quos attingit à tam promptâ putredine & verminatione: unde & ibi, quo fermentum fellis non pertingit, lumbricorum eſt Patria, autore *Helmontio tr. 6. pl. digeſt. §. 82.* hinc & Tinearum in adultis cauſam potiſſimum in obſtructionem cyſtis felleæ refert *Hartmann. in Prax. Chym.* c. 156. §. 11. Talibus E. occaſionibus facilè viva iſta putredo excitari poterit.

Unde atrophiæ febres lentæ, Ti-

§. 25. Cum ergò ex ſupra dictis ſubinde mucus crudus acidus & viſcidus loco nutritii ſucci deſtribuendus ſit, non poſſunt

non

non eodem inteſtina aut admodum incruſtari , aut oſcula ductusque lactei eodem obſtrui, aut glandulæ meſaraicæ conſequenter infarciri, unde tumores abdominis protuberant, & denegato nutrimenti tranſitu, inſigni totius corporis atrophiâ contabeſcunt infantuli, accedente ſimul utplurimum alvo laxiore: vid. *Sylvius Prax. l.* 1. *c.* 14. §. 56. *p.* 168. *it.* Prax. *Barbette. l.* 3. *c.* 2. *obſ.* 3. & *Anat. Pract. l.* 1. *c.* 14. *Hœferus Herc. Med. l.* 7. *p.* 649. *Sydenham de febr. p.* 89. Ut taceam hoc loco dyſcraſiam lactis alieni, nempè nutricis, vel inepti pro nutrimento infantis, vel vitiati, unde ibi atrophia, hic cachexia ſupervenit. Quod ſi minus viſcidus, crudus tamen & vitioſo acore, vel ſaltem acri-ſalſo ſapore inquinatus diſtribuatur tandem, pro ſanguine augmentando & corpore nutriendo, neceſſariò depravatur exinde M. S. Craſis, vitiaturque inſigniter ſanguificatio, & oritur p. n. ejus efferveſcentia, unde febres variæ, in ſpecie lentæ, ſub veſperam præcipuè exacerbantes ſuperveniunt. Inquinatur hinc neceſſariò etiam Lymphæ latex nimio acore nimiaque acrimoniâ, ſimulque ſubinde nimis viſcida redditur, unde & circa glandulas tumores, & catharrales affectus infantibus ſuperveniunt, in ſpecie tuſſes ſiccæ nocturnæ, ex lymphæ talis acido acris ad laryngem effuſione: it. per membranam pituitariam inferiorem tranſudatione oriunda. Obtunditur econtrâ bilis ⊖ vol. oleoſ. ſeu balſamicum, unde perfectio digeſtionis primæ in inteſtinis deficit ultima, & ità magis magisque propullulantes jam confirmantur ægritudines. Quod ſi cum tali plus minus intenſâ ſanguinis & lymphæ labe, nutrimentum exindè pro augmentandis & ſuſtentandis partibus confectum, has ipſas ſubintret, & per earum porulos diſtribuatur, nullo modo perfectè ipſis aſſimiliari poteſt, quin potius acore, anteà quidem apparenter occultato, & aliquali ſimul viſciditate ipſis inimicâ, hinc inde in poſtulas congeratur, in quibus acor denuò manifeſtatus cum vicino rore partium acrius efferveſcit, hinc altior tumor, intenſior rubor & ardor ſupervenit, donec mutuâ temperaturâ, nunc in pus, nunc in ſaniem, nunc aliud ſimile liquamen abeant, & per cuticulam prius in ſquamulas & furfures eroſam exeant: relicto adhuc poſt ſe fermento ſubtili, acido viſcido, corrumpente ulterius novum, inculpatæ etiam notæ alimentum iſtudque in ſimiles ſordes transmutante, ſerpente ità ſucceſſivè ipſo malo ulterius, & inquinante & excedente acore ſuo proximam adjacentem partis ſubſtantiam, ut in favis, tineâ, cruſtaque lactea, item furunculis infantum obvium, Quæ omnia, eò facilius

neæ furunculi infantum.

eveniunt, eòque pertinaciores radices figunt, quo minus transpirabiles sunt partes ità affectæ, & quo magis poris earum clausius, dicta excernenda successivè congeruntur.

Crustæ lacteæ origo. §, 26. Facta modò lymphæ p. n. acidæ ac viscidæ, item crustæ lactæ mentio, uberiorem sui explicationem urgent. Siquidem dictas corporis, & inprimis faciei & capitis defœdationes pustulosas crustosas, ulcerosas, quæ crustæ lacteæ, achorum & tineæ non veneri soleut, quarum descriptiones & differentias saltem accidentales, videsis apud Practicos, reverà ex lymphæ nimis, seu p.n. acidæ plus minus simul viscidæ vitio originem ducere arbitror: Lacte vel matris sub gestatione fœtus, vel nutricis sub ejus Lactatione vitioso, causæ remotæ vices obtinente. Semper enim ferè cum hisce defectibus glandularum in Collo & circa caput densè consitarum item parotidum &c. tumores conjuncti esse solent, ita quidem ut vel præcedant, vel simul affligant, vel dictos affectus declinantes subsequantur. Rarissimè hoc posterius observatur, & vel metum recidivæ, vel mutationem defœdationis dictæ in alium affectum p.n. secum trahit: Istud prius frequentissimè accidit, ita ut mulierculæ etiam per experientiam edoctæ, ex conditione dictorum tumorum, quasi scrofulosorum & quos ordinariè Haupt-Drüsen appellare solent, affectuum talium diuturnitatem, vel magnitudinem, aliàsvè circumstantias probabiliter præsagire soleant. Certè observavi tumores tales glandularum, ad parvi ovi gallinacei magnitudinem in collo, mox infra aurem protuberasse, cum crusta lactea caput obducens evanuisset, quo tumore successivè subsidente, & tandem dicta lactumina denuo efflorescebant. Non amplius enim dubitatur, glandularum functiones versari circa lymphæ præparationem, & distributionem: unde sponte patescit lymphæ vitium primarium subesse ità quidem ut ejus consistentiâ materiali obstruantur glandulæ, & inde consequenter intumescant, ejus vero aciditate, obl argiorem in partes inter cutaneas capitis extimas effusionem, ex denegata plus minus debitâ distributione & motu per glandulas, pruritus intensissimus in dictis locis, cum pustulis rubris successivè in pus abeuntibus, & squamis in sequentibus ac furfuribus, ex cutis & cuticulæ erosionibus superveniant: quæ omnia, pruritus, purulenta sanies, crustæ & squamæ, de aciditate agente causæ peccantis manifesta sunt indicia, ut alio loco & ab aliis probatum est. Ut taceam, asperiora facta hæc mala, ad

cranum usque penetrare, iſtudque erodere, pro more acidorum, oſſeas ſubſtantias facilè erodentium, de quo vid. *Sennertus lib. de morb. infant. p. 2. c. 3. p. 28.* Unde & capitis partes extimæ, præ reliquis locis dictis infeſtantur malis, ob copioſiores glandulas, quibus hinc inde ſpeciatim collum ſtipatum eſt. Differentia autem has inter capitis deſœdationes obſervatur, quatenus nunc acrior & acidior eadem fuerit, unde ulcuſcula manantia & copioſam acrem ſaniem fundentia emergunt, vel quatenus eadem minus acris, ſed ferè magis temperata & viſcida extiterit, ſic enim cruſtæ denſiores, & denſè ſubinde compactæ, & ſibi invicem ſuperſtratæ generantur, ſucceſſivè decidentes: ima etiam pro lymphæ ità peccantis ratione, varia glandularum quoque obſervatur conſtitutio, de quo uberior experientia adhuc conſulenda venit. Et ſanè non levis eſt cognatio talium luctuminum, ceu adultorum ſcabie, cum & ſubinde contagioſa deprehendantur, & iisdem remediis, in ſpecie nicotiana, Sulphuræ, ☿ &c. curari ſoleant, & retropulſa ut vocant, paria planè inferant ſymptomata; ità ut quaſi particularis capitis ſit ſcabies. Equidem vulgi fert perſuaſio, ſalubres eſſe infantibus tales defœdationes, quatenus præſervent eos, à gravioribus affectibus, quod negari ſuo modo nequit, quatenus ſunt bonum quidem ſignum, ſed malæ cauſæ, quæ ſi abeſſet, magis conduceret. Quæ hactenus ſunt expoſita, videtur confirmare quem obſervavi puerulus, 9. menſium p. p. vitio nutricis cacochymico-ſcorbuticæ inſigniter, dictâ cruſtâ lacteâ ſuper cranii hemiſphærium, & faciem ferè integram mire deformatus: quæ cum ſponte evanuiſſet ſucceſſit graviſſima tuſſis, tenellum pectus inſigniter & continuò quatiens, cum copioſi muci in ſtomacho & Oeſophago præſentia, una cum diarrhæa ſeroſa adeò acri, ut etiam extrema podicis & vicina loca excoriarentur: totum corpuſculum inſigni æſtu fervebat, & inſultus quidam Epileptici, ſubinde iſtud convellebant. Factam fuiſſe hic arbitror lymphæ peccantis metaſtaſin, præter alia loca in ſpecie ad glandulas ſalivales, & quæ laringem irrorant, ut & ad pancreaticas, per quas lympha iſta acida acris, non adeo viſcida, uberius effuſa, ſpeciatim dictam tuſſim & diarrhœam, alia ut tranſeant ſymptomata, induxerunt. Dicta modò, etiam rationem aurium humiditatis fluentis, excoriationis & exulcerationis, item Labiorum manifeſtam reddunt.

Quæ Variolarum radicara origo.

§. 27. Hæc ipſa vel manu nos ducunt, ad evolvendam morbillorum, & in ſpecie Variolarum abſtruſam aliàs naturam,

cum harum, qua talium, fiendi modus & effectus cum modo dictis affectibus in quamplurimis conspirent, & etiam Tinea Capitis, non rarò post variolas superesse, aut etiam easdem insequi soleat. Torquet inprimis Philiatros, inevitabilis ferè harum insultus omnibus Europæis, ne dicam de aliis quibusdam nationibus. Ex menstrui sanguinis reliquiis multi cum Arabibus earum radicem derivant, alii ex repetità post semel factam conceptionem ♀eâ libidine: neutrum mihi satisfacere videtur. Quin potius si certò statuendum est, quod aliquod nobis quasi implatatum habeant principium, ratione cujus nemo ferè easdem effugere queat, earum radicem ex corruptelâ lactis nutritivi, tam in, quâm extra uterum, & vitioso viscido acore tenellos inde inquinante derivarem, exinde enim & frequentissimè saltem infantes & pueros, rarissimè demum adultos affligere solent. Qui vitiosus acor aliquandiu occultatus, tandem occasione datâ, in specie excitatâ M. S. per fermentum simile extrinsecus inspiratum vel haustum, pernitiosas febriles effervescentias excitat, concurrente acido fermentativo viscido cum ⊖e vol. mass. sanguineæ, donec præcipitato & subjugato acido isto vitioso, & sero involuto, criticâ sanguinis purgatione hinc inde per vasa capillaria in specie beneficio glandularum intercutanearum miliarum excernatur, & sub cuticulâ hærendo, successivè in pustulas coacervetur, quarum contentus salsacidus succus effervescendo ulterius mitescat, donec in pus perfectum abeat, quod cum cuticulâ erosâ tandem in crustam duram & crassam condensetur, erodente intereà sub hac ipsa acido cutim subjectam in foveas plus minus, prout magis vel minus effervescentia febrili temperatum fuerit. Unde & ulcera subinde perniciosa & cacoëthea ex variolarum pustulis tam in partibus externis quam internis, in specie in tenerâ vesiculosa pulmonum substantia oboriuntur, pro conditione acidi plus minus virulenti varia, quod ipsum in dictis Variolis ossa non raró arrodere & corrumpere assolet, id quod expertus testatur *Paræus de Variol. c.* 1. Hinc etiam Liberi à parentibus, morbo gallico laborantibus prognati, omnium gravissimè à Variolis affici solent, observante hoc Horstio. l. 6. obs. append. p.m. 308. quod non ineptè illustrat ☿ius dulcis, ceu singulare alexipharmacum curans pariter & præservans Variolas : confer *Miscell.* Acad. N. C. anni 3. obs. 9. & 56. Ob id & convulsivi motus & Epilepsiæ insultus præcedunt earum eruptionem, mordicante acido vitioso nervos, &

ad crispaturas eorum fibras, & hinc inordinatos ac impetuosos motus spiritus animales irritante. Unde & myrrha, acidum, istud vitiosum mirè temperans, non minus quam castoreum, & ⊖ia Volat. istud per sudorem eliminans, & ♅ fix. ebor. s. Unicornu fossil. istud absorbens, pro harum medelâ utramque faciunt paginam. Non rejicio hoc ipso, vermiculorum exercitum, in singulis pustulis acervatim grassantem, *vid. Borellus centur. 2. observ. 72. & Observ. microcoscop. observ. 31. p. 21. it. Lipsius de Variol. Bartolin. centur. 5. hist. 20. Rhodius cent. 3. observ. 64.* cum nullum pus, absque horum pullulante segete reperiatur, sed hos tanquam effectus, spontè ex ordine causarum morbosarum in pure supervenientes, transmitto.

§. 28. Nec scrupulum injiciat, aut tardior in quibusdam earum insultus, aut repetitus etiam accessus. Nam diutius morbosa fermenta in corpore delitescere possunt, donec sub suâ dierum maturitate tandem evigilent, id quod ex hæreditariis non tantum affectibus, sed etiam ex Canis rabidi salivali fermento, ex febrium petechialum ad aliquot hebdomadas interdum latente contagio, ex Luis ♀eæ coñivente diuti⁹ seminio patet &c. Unde & infantes qui sub nutritione sani erant & vegeti, post ablactationem subinde cutanea contrahunt vitia, achores & similia dũ vitia lactis per consuetudinem sub lactatione quasi appropriata naturæ, citra nocumentum adsunt, quæ mutatâ diætâ per effervescentiæ motum in musteo sanguine separata & instar secum præcipitatâ, hinc inde per sanguinis circulum sub cute defiguntur, & ibidẽ coacervata suas morbosas ludunt Tragœdias, redeuntes subindè pertinaciter, quamdiu tantillum miasmatis morbosi a. seminii fermentativi, nunc sub sanguinis Velamento, nunc sub epidermidis Tegumento latuerit: quod ex materiâ conveniente datâ occasione se multiplicat, & malum renovat, quæ ipsa de variolis & morbillis pariter afferenda videntur. Quare Variolæ interdum tam tarde se ostendunt.

§. 29. Itâ quidem se habent, exulcerationes partium externarum, sed præter has etiam interiores quædam, speciatim partes oris, fauces palatum, lingua, ipseque non rarò Oesophagus, ulcusculis parvis scatet, aphthæ appellatis. Harum origo est acre acidum, excorians & exulcerans plus minus, dictarum partium superficiem. Fons peccantis acidi, potissimum est in stomacho corruptela lactis & pultis, nimiaque ejus acescentia. Ut ut enim aut lactis nutricis aut salivæ ipsius infantis à quibusdam nimia accusetur ecrimonia, vix tamen in infantibus aliam originem agnoscunt, quam acorem vitiosum ex stomacho exhalantem. Nam & in adultis frequenter contingere Unde Aphtæ.

tingere solet, ut correpti febribus, cruditatibus recrementosis, in specie porraceis in stomacho existentibus, aphthis molestè laborent, nisi maturè fomes removeatur à Medio ex Ventriculo.

Pavores infantum & epilepsia unde.

§. 30. Superest funestum adhuc tenellis symptoma, nempe pavor in somno, oriundus ex explosivo ferè impetu spirituum animalium in nervos: qui cum sub somni requie blando tardoque gressu influere debeant impetuosius irruentes inopinam totius corpusculi ex fibrillarum nervearum momentaneo contractivo nisu inferunt concussionem, adeò ut non ineptè mulierculis prodromi habeantur convulsionum Epilepticarum, infantibus admodum familiarium, ex simili inordinato & perverso spirituum animalium motu in cerebro, & violentâ explosione in nervos oriundarum. Frequentissimè v. paris vagi & intercostalis ramificationibus annexæ partes abdominis & Thoracis convulsionibus hujusmodi Epilepticis præ cæteris partibus tentantur admodum torminosis, quas mulierculæ convenienter admodum, **die Schwere Noth im Leibe** appellare solent. Scilicet continuus & nunquam interruptus spirituum animalium in hos nervos est motus & influxus, pro continuando motu Cordis, diaphragmatis & respirationi inservientium musculorum primariorum, ut & Ventriculi & intestinorum motu peristaltico perficiendo, unde consueto quasi tramite longè promptius irruunt in dictarum partium nervos spiritus animales, quam in membra externa in infantibus magis quieta, adeoque dictos spasmos internos frequentius concitant. Quod si. v. crebrius repetant, tandem totum spirituum animalium exercitum integrumque nervorum systema, per consensum & continuitatem motus similiter afficiunt, unde universalis tandem supervenit Epilepsia, de quâ dicunt, **die Schwere Noth bricht auß.** Has & similes passiones, post nervosarum sensilium fibrarum quocuoque in loco irritationem consequentes, unde melius deducemus, quam ex supra sæpius insinuatio acido? per se nervis inimicissimo, multo magis in tenellis, quorum fibrarrum nervearum mollior textura facilimè mobilis, & ità in convulsivos motus ctispabilis ut sic dicam existit. Hinc quæ propiores sunt partes fonti vitiosi acidi, stomacho nempè & intestinis, aut mediantibus nervis connectuntur iisdem, etiam frequentius patiuntur convulsivos spasmos, qui continuati ulterius in tantum, donec totum nervorum systema in cerebri cerebellique confiniis concutiant, universalem tandem Epilepsiam superveniente spirituum impetu inferant: uti in adultis subinde in membro quodam

externo

externo focus latet epilepticus, qui per continuatos spasmos, sub apparente auræ frigidæ sensu sursum delatus ad cerebrum, tandem universum microcosmum concutit, itâ pari ratione ex acido, inprimis viscido in abdomine hærente, tam spasmi leviores interni, quam epilepticus totius corpusculi insultus oriuntur, optimæ ob id per alcalia volatilia, experientia teste curabiles. Adeo, ut rarissimam infantum existimem Epilepsiam cujus focus acidus non in abdomine lateat, aut ex abdomine non derivetur, excepto dentitionis negotio, itâ tamen, ut circa halituum aut fumorum impossibilem ascensum, malum dicto modo explicari queat. Pro quorum confirmatione, quod nempè infantum nocturni pavores & Epileptici insultus ab acido peccante excitentur, annotasse sufficiat: 1. quod graviora tormina cum excretis æruginosis, frequenter comitem asciscant Epilepsiam, teste præter *Quercetan. in Tetr. graviss. c. affect. c. XI. p. m.* 116. *Lindano* super *Hart. Prax. chym.* qui vix virorem æruginis instar intensum in infantum excretis observari asserit, citra Epilepsiam: quod si dicta materia itâ sit acris, ut febris etiam accedat, plerumque interimit pueros, tormina vero & talia excrete, ex acido lactis corrupto, superius derivavimus. 2. *Hippocr. lib. de Morb. sacro* asserit, infantes, si ipsis ulcera in capitibus, vel circa aures, vel in facie, vel in reliquo corpore excitentur, liberari ab Epilepsiâ: vid. *Sennert⁹ de Morb. Inf. p.* 2. *c.* 3. *p.* 28. quas exulcerationes etiã ex acido lymphæ supra deduxim⁹: quibus 3. accedit cura Epilepsiæ infantilis per alcalia volatilia, item per Terrea, acidum absorbentia.

§. 31. Modo insinuatum fuit, Epilepsiam & dentitionem subinde comitari, hujus ergò dentitionis negotium, & symptomata ejus occasione excitata, hic evolvenda erunt. Equidem nil aliud, præterquam gingivarum à dente accrescente perforandarum dolor primariò urget, similis quodammodò illi, dum acido morboso gingivæ in dentium radicibus punguntur, & quasi perforantur. Sed cum sensilis gingivarum, ex interspersis variis nervulis substantia, cum partibus vicinis insignem consensum habere soleat, quod ex odontalgia adultarum, subinde dimidiam Capitis sphæram per consensum afficienre, interdum musculi temporalis aliquem spasmum inferente, notissimum est, de facili evenit, ut atrocioribus sub doloribus tandum universum ferè nervorum systema simul vellicetur, & inde convulsiones Epilepticæ superveniant: idque eò promptius, quò vel per se & in seipsô nervorum systema infantum tenerius & mobilius extiterit, vel ipsum ex perversâ diætâ matris vel nutricis, Dentitio difficilis.

nutricis, acidis abutentibus, de quo supra, in primis suis staminibus debilius & facilius irritabilius redditum vel ex lymphâ vitiosâ commotâ hinc inde irritatum fuerit. Cum verò ex dolore gingivarum, vicina glandularum præprimis salivarium vasa & illas integentes membranæ vellicari soleant simul, hoc ipso uberior salivæ in os effusio, indeque effluxus, quod vocant das Geifern/ ordinariò comitari, interdum aliquandiu præcedere dentitionem molestiorem solet. Quæ lympha si & ipsa minus temparata, sed salso-acida plus minus fuerit præter rosionem faucium & laryngis, indeque excitatam tussim subinde siccam seu inanem, ad stomachum copiosior delata, anoxerias, nunc apepsias, interdum vomitus cum tussi ferinâ, aut certè in intestinis diarrhæam plus minus serosam excitabit, vel nervosum genus hinc inde vellicando ad Epilepsiam disponet: qualia scil. symptomata ordinariò præter vigilias, inquietudines ejulatum, febrilem æstum, dentium eruptionem comitari solent.

Febres. §. 32. Restant adhuc febres, ut ut lentarum jam supra §. 25. rationem deduxerimus, non minus quam variolarum & morbillorum, §. 27. similiumque cum exanthematis se exhibentium. Cæterum præter has & aliæ febres variæ, aut continuis ardentibus similes, aut periodicæ continuæ, aut catarrhales, similesve frequentes sunt infantibus, quarum rationem omnem ex *ex corruptione lactis internâ*, aut ex *pororum cutis occlusione externa*, optimè explicabimus. Præter acidam enim cruditatem, quam puls & lac in stomacho infantuli subeunt, & unde ejus febres frequentissimè, nunc lentæ nunc acutæ scaturiunt, etiam variæ aliæ omninò lactis sunt depravationes, jam supra §. 19. insinuatæ, sive in ventriculo sub digestione, sive in intestinis sub hujus digestionis perfectione & fecum separatione obveniant. In specie cruditas nidorosa appellatur, dum flava copiosa ejiciuntur à tenellis, id quod neutiquam tali in casu bilis tingentis est opificium. unde enim tanta in fœtu juniore bilis abundantia? nisi infantulos ferè omnes primo sui initio biliosiores Viris seipsis dicere velis: neque amarescunt semper hæc ipsa, sed dulcescunt potius subinde, & avidè à canibus amari omnis osoribus comeduntur. Lac potius vitiatâ quacunque ratione digestione ventriculi sponte de facili citrinescere, sufficienter declarat *Helmont. tr. schol. pass. decept. c. 3.* adeò ut hujusmodi digestionis primæ multiplicia errata, ex alimentis & hinc affectibus nutricis primariò oriunda, cum non corrigi possint in secundâ digestione, necessariò sanguineam crasin, in tantum alterabuut, ut hujus p. n. effervescentiæ febriles

febriles variæ inevitabiliter ſuperveniant: id quod pariter in quibus libet infantum, etiam ablactatorum febribus tam lentis quam acutis obſervandum venit, quæ omnes ferè pro cauſâ internâ errata digeſtionis primæ in Ventriculo, & inteſtinis propter ordinariam eorum addiphagiam agnoſcunt. Et quidem eò citius ex enarratis occaſionibus febris accenduntur, quo minus per cutis cribrum inſenſibiliter purificatur ſanguis, id quod vel defectus caloris ambientis, vel crebra linteaminum, non ſufficienter calefactorum mutatio, vel denique balneorum neglectus uſus inducit. Calidi ſanè balnei lotio, ut ſordes cutaneas infantis copioſas abſtergit, & removet, ita & fibras retis Cutanei laxando, pororum apertioni, & copioſiori tranſpirationi amplam occaſionem ſuggerit, cujus intermiſſio & poros conſtipat, & ex heterogeneorum coacervatorum impetu, hujus febrili fermentationi uberrimam occaſionem ſuggerit.

§. 33. Facta ſuperius mentio vermiculorum in purulentis Variolarum puſtulis, atrophia quoque ſuperius conſiderata, didu- cunt nos, ad conſiderationem Vermiculorum Capillarium infantum, quatenus hi ipſi atrophiam ſimul jnnctam ſemper habere ſolent. Proprio nomine *Comedones*, ab abjuncta infantis Tabe, quaſi nutrimentum comedendo largius abſumant, it. *Crinones* à figura, quod Crinium ſ. Pilorum curtorum nigrorum formâ foras interdum prominere per poros Cutis ſoleant, appellantur: Germanis, die Mit-Eſſer/die Zehrwürme. Differunt à Sironibus, vermiculis minutis quaſi pedicularibus in puſtulis purientibus ſub cuticulâ manuum inprimis & pedum enatis: de quibus *vid. Sennertus l. 5. Prax. p. 1. c. 24. p. 118. Langius l. 2. Epiſ. 42. Gœdartius Metamorphoſ. p. 1. p. 126.* Sicuti & Sironum & Crinonum formæ per Microſcopium conſideratæ, differentes planè deprehenduntur. Sunt ergò dicti Crinones vermiculi, Capillorum ſpiſſorum ſeu ſetarum formâ curtarum, nudo oculo aſpicienti ſe exhibentes, quando nempè mellis affricti dulcedine allecti in loco calido foras prorumpere nonnihil, frigoris verò ipſi inimici ſenſu denuò intrò repere obſervantur. Accuratè magis per microſcopii adjumentum iidem obſervari poſſunt, ſic enim Coloris cinerei, cornubus ſeu potius antennis binis longè prominentibus inſtructi, oculis rotundis glandiuſculis, caudâ oblongâ in fine Villoſa uno nomine aſpectu horridi, obſervari ſolent: prout ab amico curioſo & artificioſo, nempè Domino Chriſtiano Schæffero, Sereniſſ. *Dno. Saxon. Mauritii* Appelle Aulico dexterrimè, non ſecus ac alia minutiſſima inſe-

Comedonum Origo.

ctula, in ſpecie Sirones, item Termites ſeu potius lendes caſeorum &c.) hacce ſub formâ accuratè , per microſcopium obſervati & delineati fuerunt: ubi: a. quantitatem & figuram eorum exhibet, prout nudo oculo occurrere ſolent. b. obſtendit Crinonem integrum per Microſcopium accuratè obſervatum & ab ipſo obſervatore dextre delineatum. c. eſt ſimilis Crino ſed cui ſub ſeparatione à Cuticulâ corporis, cauta truncata fuit: d. itidem Crino eſt alius, ſed majorem ſub ſui à cuticulâ ſeparatione noxam paſſus &c. Occupare magis loca muſculoſa, inprimis dorſi, hinc ſcapularum, humeri, it. ſurarum & crurum ſub cuticula aſſolent. Infantes inprimis teneriores, minus robuſtiores affligere ſolent. Originem iis ſubminiſtrat ſuppreſſa inſenſibilis tranſpiratio , ut rectè id ſuſpiciatur *Horſtius l. 4. obſ. 53. p. 254.* quæ temperata ſi fuerit minusque acris, dulcis & pinguis, retenta diutius ad putredinem ruit, unde occultata antea , & oppreſſa penitus principia ſeminalia quæ & minimo ſeu ut vocant in atomo ſenſibus imperceptibili latere poſſunt, ſui juris facta, deſtinationes naturales exequuntur, & in viva animalcula prorunt *V. Velſchius Diſſ. de Vermic. Capill. Inf. p. 363. annexâ Tr. de Vena Medinenſ. it. Borellus 1. Obſ. 80. & Sennertus. l. 2. Prax. p. 2. c. 24. p. 302.* Nempè in Lacte, ratione alimentorum ex quibus generatur, non ſecus ac in pulte , milleformia inſectulorum & vermiculorum latent ſeminia, quæ in tenello infantis ſtomacho, non adeò exactè alterata, facilè data occaſione evigilare, & in actum ſecundum erumpere valent: hinc & quidam Crinones hos, illis vermiculis ſeu aſcaridibus ſimiles aſſerere volunt, qui in antiquis caſeis innaſci obſervantur. Hi ipſi Crinones animati moleſtiam admodum prurientem & continuò laceſſentem plus minus tamen , ſub cuticulâ admodum ſenſili excitant, indeque inquietos, ejulantes, & vigiles reddunt infantes, quibus ut ut ſæpius porrigant mammas nutrices, quas etiam exhauriunt, tamen inquietudine, vigiliis, ploratu confecti, minus dictum alimentum concoquere aut ritè aſſimilare poſſunt, donec emacientur tandem, & ità ſucceſſivè in Tabem proruant: ut ob id exiſtimem, non tamen ratione nutrimenti, à vermibus exhauſti, quam ratione ſymptomatum ab iſtis inductorum, maciem & tabem conſecutivè ſupervenire.

§. 34. Intertrigo denique acerbo dolore excruciat infantes, **Intertriginis ordus.** peccante in ſpecie Urinâ cujus continuâ humectatione, & hinc Salina acrimoniâ, tenerrima epidermis emolliri & relaxari, & pedetentim penitus eroſa ſeparari ſolet, in locis præſertim inter femora & circa

circa clunes sitis. Ecoriationem istam, ulterius si processerit, læsarum partium gravius exulceratio, etiam ad mortificationem partis subinde tendens subsequitur, aliaque pathemata pro partium diversitate, subinde variantia. Præter Urinam & insensibilis transpiratio, aut sensilis transudatio, in locis impeditis, nominatim in articulorum flexuris: & sub axillis modò dicti mali autor esse solet: in multis nempè sudòr & Urina convenit, adeoque affectum identitatem comitem secum trahere solent.

CAP. III.

Præservationem & Curationem Morborum Infanfantilium docet.

§. 1. Cum tanta mala teneros circumdent infantes, perversæ nutritionis causa, maturè iis occurrendum, periculum namque est, ne tam malè stabilitis primis sanitatis fundamentis, inposterum omnis ærumnosè trahatur ætas. Quatuor Universalioribus ut occuramus causis pro meconii purgamento, nil æqè convenit, ac Colostrum infanti propinatum, ut supra §. 10. monitum. *Alimentum namq; est medicamentosum, quod Natura eum in finem generavit, ut modicè nutriendo, leviter pro infantis imbellicitate purget per aliquot dies*, ut rectè asserit *Spigelius tr. de format. fœt. c. 3. p. 17.* Quod si fieri nequat, studiosè in id incumbendum, ut pharmacis nihilominus evacuentur dictæ sordes. In hunc finem propinare solent recens natis Ol. amygdal. dulc. recens expressum c. Sacchar. albiss. quorum ope lubricatis & absterſis stomacho & intestinis, copiosæ impuritates, gestationis tempore collectæ, ejiciuntur, interdum & vomitu auspicatô eliminantur, ut ut soli huic Oleo non fidendum sit, cum vel rancescendo facilimè, infanti propinatum, non leve incommodum in primis viis inferat, vel non rancidum licet, vix tamen omnia tam exactè eliminet, quin subinde aliquod sordium remaneat, Alii in usu positum habent, mell. rosat. solutiv. tantillum propinare, felliciori sanè cum successu. Mihi convenientissimum semper visum, & usu compertum fuit, si pulpa passular. minor. c. ana Syrup. de cichor. rhabarb. mista, addito pauxillo pulv. corall. rubr. præp. & Ocul. ♋ præpar. ana, horum ℈j. l. ℥ß. ad illorum ℥ß. addendo, cum parvo cochleari leniter infundatur. Optatò sic rejiciuntur omnia excrementa, tam per inferiora, quã

Ut meconium removendũ.

& interdum per ſuperiora, & vitioſa meconii aliarumque ſordium aceſcentia, futuro lactis ſuctui perquam nociva optimè ſimul ſic coërcetur. Denique *Syrupus de ſpina cervina ſ. domeſticus*, eſt convenientiſſimum abſtergens omnium ſordium, & laxans infantum, ſpeciatim ſi loco ſacchari cum melle per ſe depurato ſub inſolatione, confectus fuerit, vix unquam fallens & ſine nullo incommodo evacavans, inprimis c. pulv. Ocul. ♋ ſi ſubactus fuerit.

Inſenſilis tranſpiratio ut promovenda. §. 2. Ut verò inſenſibilis promoveatur tranſpiratio, ceu alter fons morborum infantilium, auſpicato ſolent mulierculæ, recens natos infantulos immergere balneo aquæ dulcis tepido, ſ. ſub acido, non, qui aſperrimus & ſanæ rationi pariter ac conſtitutioni ſanæ reluctans erat Veterum Germanorum mos, *V. Sennertus l. de Morb. Infant. part.* 1. *c.* 4. ▽ frigidæ aut flumini, ut hujus medio abluantur ſordes viſcoſæ, lanuginis inſtar inveſtientes teneram epidermidem, & accedente blandâ frictione ita aperiantur & magis patuli reddantur, conniventes aliàs cutis Pori. Non ineptum eſt, quod in more poſitum, ut ſaponis adjumento, removeatur hæc ſordium coacervatio, & hujus alcalinâ lixiviali acrimonia promptius detergantnr iſta caſeoſa quaſi concrementa extracutanea, ſicuti ſi reiterantur crebrius hæc balnea, poſtmodum ipſi ▽æ, qua abluantur, modicum lixivii addere non inconſultum videtur, ut eò melius, tam reſolvantur & detergantur dictæ ſordes, quam hujus alcalini ⊖is beneficio, præcaveantur maturè cutaneæ infantum efflorefcentiæ, ceu quas jam enatas, optimè tollunt talia alcalia, ut infra monebitur. Reiteranda autem ſæpius eſt hæc balneatio, quoties ſanitatis infantis, & in ſpecie Virium permittit ratio, idque in primâ ſeptimanâ quotidiè, reliquis alternas aut tertiis diebus, donec exactè purificatus, glaber, mollis, rubicundus & ubique nitidus appareat fœtus. Non rarum eſt, flavedine quodammodò croceâ, adeoque Icteritià decoloratione tinctos in lucem prodire infantes, quæ extraordinaria Tinctura vix melius dictus Balneis detergi penitus, & deleri poterit, quibus ab aliis ſimul ſuccurri ſolet, gr. i. croci optimè triti in lacte nutricis vel alio conveniente liquore exhibiti, & aliquoties in die propinati, quo ipſo dicta cutis defœdatio promptius extingui poteſt.

quomodò lactis vitioſæ alterationes corrigendæ. §. 3. Lactis denique & Lactationis pernitioſa errata, ex iis, quæ ſupra §. 7. *c.* 10. 11. 13. 14. 15. recenſita fuerunt, facillimè quivis corrigere valet. Ad hoc vero ſemper habeatur reſpectus, ut omnis ejus vitioſa aceſcentia, hincque grumoſa coagulatio, ceu familiariſſima

ma vitia, quantum possibile præcaveatur. Commendatissimus ob id nutrici sit *anisi* & hinc *fœniculi* usus, sive semina eorum post singulos pastus comedantur, sive posterioris saltem radix, herbaque, quacunque ratione usurpetur: præter lactis enim ubertatem, etiam saluberrimam vim ipsi simul conciliant, aromaticâ volat. oleosâ naturâ, & acescentiam ejus præmaturam & coagulationem optimè prohibent, quin & tormina & flatus infantis feciliter tollunt. Caveat simul sedulo nutrix, ne aquæ frigidæ diutius aut crebrius manus immergat, & statim ab hoc lac infanti infundat, nec enim infans tantum, sed & ipsa nutrix ventris torminibus ex tali occasione sæpissimè observatur corripi. Quod si inopinato terrore concussa, vel irà percita nutrix, lactis graviorem alterationem metuat, postquam lac ex uberibus prius emulserit, assumto spermatis Ceti ʒß. ad ʒj. c. ♁ diaphor. gr. XV. ad ℈j. in haustu cerevisiæ calidæ, ad blandum sudorem se componat, quo omnis lactis corruptela sic emendetur: vel recipiat, in tumore, dolore & duritie superveniente, & ita Inflammationis metu, C. C. s. △. ℈j. ♁. diaphor. ℈ß. ⊖ vol. viperar. aut C C. gr. viij. M. aut C. C. s. △. ʒß. ⊖. card. benedict. ℈ß. ad gr. XV. capiat in ▽ flor. sambuc. & pro suderifero resolvente assumat: vel horum loco spiritum ⊖✱ ci à ʒß. ad ʒj. in ▽ card. bened. hauriat, & sudorem plus minns largum expectet: Imponendo simul mammæ, in leviori quidem affectu, Emplastrum *de spermat. Ceti Mynſ.* in graviori vero inducendo mammæ emplastrum *de galbano croatum Mynsicht. cum ana gumm. ammoniat. in ✱ sol. invicem liquefactis* & linteo denso inductis confectum, quam calidè perferre potest: utroque in casu desuper sacculum interpassatum ex oryzâ confectum probè per calefactum imponat desuper, ut per sudorifera ista alcalina, dissolutum lac, horom adjumento promoveatur in motum, & stagnatio ejus ac grumescentia ita corrigantur mature.

§. 4. Pultis denique post Lactis curam, restat correctio, quæ in hoc consistit, ut omissâ farinâ, loco ejus panis triticeus, vel ut vocant similagineus nonnihil exiccatus vel induratus minutim tritus, cum lacte vel cum ▽ in pultis coquatus consistentiam mollem, tantillo seminis anisi pulverisato addito. Experientia me hactenus docuit optimè conducere tenellis tale pulmentum, ubertimque eosdem nutrire. Fermentatus enim panis, adeoque facilè resolubilis, promtiusque in stomacho digestibilis, quidni crudæ farinaceæ pastæ præferendus erit? Pauciores flatus inde elevabuntur, & liqui- *Quomodo puls emendanda.*

dior mucus post ejus usum restabit, faciliusque longè qui abstergi queat, quam è communi pulte fieri solet. Quibus hactenus dictis ritè observatis, nullum dubium, quin infantes vitam sanam sint conservaturi diutius.

In Cura morborum Inf. ⊖ia vol primatum obtinent.

§. 5. Sed quam facilè hæc imperantur, quæ tantum non impossibilia sunt, ut observentur, idque tam à matre, quam à nutrice. Si recolentur superius, cap. 2. dicta, non poterit tam rigorosum regimen institui, quin tandem succus acidus copiosior vel parcior, acidior vel temperatior, viscidior vel serosior colligatur interdum, unde morbi infantiles plerique successive propullulant. In genere E. pro horum Curâ remedia talia conveniunt, quæ acidum destruere, viscidum incidere, seu attenuare, utrumque pro ratione occasionis evacuare valent. Adeoque mox nativitate propinanda sunt, & subinde repetenda remedia temperata, his indicationibus satisfacientia. Quæ inter facilè patet nil æque præstare, quam ⊖ia vol. in specie oleosa, quæ optimè acidum corrigunt, & cum eo ⊖sum tertium blandum componunt, diureticum pariter & diaphoreticum, prætereaque penetrando potentissimè, attenuant, & resolvunt quascunque obvias viscidicates. Unde spiritus ⊖✱ci, inprimis cum aromaticis destillatus, sicque factus oleosus, item spiri- ⊖✱ anis. aut caryophyllatus; & quem mille encomiis ▭ extollo pro curandis infantibus, liquor C. C. succinatus, *à. B. D. Michaelis* primitus in usum vocatus, & hactenus mille experimentis, multis in casibus adultorum pariter ac juniorum utriusque sexus comprobatus, pro infantibus curandis sunt optimi. Paratur modo laudatus liquor, ex spiritu C. C. probè rectificato & ab oleo empyreumatico depurato, qui affunditur ⊖i vol. C. C. & ⊖ vol. succini (ab omni oleositate empyreumaticâ crebrioribus c, Aq. & S. V. solutionibus & inde ♎ationibus purificato) ana. q. s. ut imbibat & solvat intimè dicta ⊖ia, quæ mistura utut effervescat primitus, cum succini ⊖ia vol. acidum suavissimum, admodumque delicatum conjunctum habeat, brevi tamen amici coëunt. & digestione debita ac cohobatione reiteratâ liquorem hunc commendatissimum constituunt. Nec est, quod generosa nimis, nimisque graduata putes ⊖ia vol. pro infantibus, nam cirmcumspectus usus, in Lacte nutricis, vel in Aq. & syrupo menthæ fœnicul &c. & limitata ad guttulas saltim dosis, tenellis pariter lis pariter ac paulo robustioribus infantibus eadem optimè accomcomodare novit. Miratus sum sæpius, à quibusdam vel præcon-

ceptis

ceptis opinionib' ex cæcatis v. experientiâ debita destitutis medicis, cum pavore quasi audiri ⊖ium vol. mentionem, speciatim pro infantum cura, cum tamen sub legitimo & circumspecto usu, Deorum manus eadem vocandi existimem, Volatilibus hisce alcalibus, & fixa per spiritum Vini temperata in solutiones tinctas etiam subjungenda erunt, inprimis Tinctura Tartari & Tinctura scoriarum Reguli ♁ ij.

§. 6. Præter salia hæc volatilia, acriora vel aromatica, etiam alia subjecta aromatica oleosa, suo ⊖e vol. non destituta in genere infantibus ægris fructuosa sunt: quæ inter *anisum* & ejus semen mire convenit, quod ad ℈j. pulv. recens quoque pro levi evacuante commendat *Heurnius method. ad Prax. l. 2. c. 26.* Juxta hæc *Castoreum* benedicta etiam est medicina, temperans mirè acidum austerum, & convulsivos spasmos quoscunque, torminosaque inde pathemata optimè sistens. Quibus meritò annumeratur *myrrha*, omnem corruptivum acorem tollens, & balsamicâ vi, quamcunque corruptionem putredinalem inhibens, indeque ad Vitam Longam ab *Helmontio* commendata. *Tr. Arcan.* Paracelf. p. 626. *Paracelsus* ipse in Consil. Sterzingensibus commun. ceu optimum pestis præservans, myrrham junioribus & infantibus commendat: Tinct. E. salutis *B. D. Langii*, ex myrrhâ c. Spiritu Vini Tartarisato extracta, loco cujus & Spiritus ⊖✱ci c. Spiritu Vini paratus pro menstruo capi potest, salutare erit pueris remedium, corrigens acidum, & resolvens viscidum. Facit huc etiam elixir proprietatis absque acido paratum per alcalia, vel fixa, ut ⊖ Tartari. vel volat. cum spiritu ⊖✱ci, hoc ipsum enim iis, qui adhuc lactis gaudent nutrimento mirificè conducit, sicut post ablactationem, ad quod cum acido consueto modo vulgo conficitur, tutô concedi potest. Hisce denique suo modo Theriacam & Mithridatium annumero, quorũ non est, ut vel caliditatem vel narcosin opiaticam pertimescas, modò à gr. dimid. ad gr. j. l. ij. pro ratione ætatis propines, quæ & acida vitiosa temperent, & inde illatas noxas dolorosas blando sopore fallant.

Deinde aromatica vel oleosa.

§. 7. Hisce acida corrigentibus vol. partim ⊖inis, partim oleosis, adjungenda simul erunt denique concreta quasi terrea, & fixiora paulò, acidum, quod talia rodit, in se absorbentia, qualia sunt ocul. 69. & (his vix nobilioris usus) margaritæ præparatæ, Coralia, C. C. tam communi modo, quam Philosophicè ut vocant ustum, ut & *Ebur*, simili modo tractatum, *lap. bezoar. animalis*, in genere omnes

Deniq; fixa & paulò terrestriora.

omnes animalium partes osseæ, inprimis marinorum seu aquatisium, & dentes, quo & *Unicornu* animale pertinet, it. *dens Hippopotami* & similia, ex quibus etiam pulvis marchionis compositus esse solet ad Tormina & Epilepsiam infantum mulierculis decantatissimus: loco cujus feliciter usurpari potest sequens: Recip. Ocul. 69. pp. ʒß. C. C. s. △. ℈j. Corall. rubr. præp. ℈ß. myrrhæ. el. gr. vj. l. IX. theriac. gr. IV. olei d. anisi gutt. vj. M. fiat pulv. pro puerorum affectibus quamplurimis convenientissimus, qui si acuatur aliquot cranis ⊖ vol. C. C. vel cranij hum. vel viperar. erit usus ejus longè salubrior, magisque præsentaneus.

Quomodò purgandi infantes.

§. 8. Temperatus ità partim, partim resolutus succus acidus, necesse interdum est, ut eliminetur foras, idque per alvum inprimis obstetricante naturæ defectibus arte. Optatam opem hic ferunt Clysmata, cum ⊖ Tart., similivè lixiviali acuata, quæ mucum in crassioribus intestinis resolvunt, optimeque educunt, & stimulo reliquis intestinulis ità injecto, cœtero muco descendenti vias patentiores reddunt. Parentur saltem ex decocto fl. chamomill. ℥j. ad ℥jß. ad ℥ij. pro ratione ætatis, addendo mell. rutac. ℥ß. ⊖ Tart. ℈ß. ad ℈j. ol. d. anis. gutt. iij. l. IV. quæ injecta feliciter operantur: vel loco talium Enematum ex lacte dulci c. therebintinâ in Vitell. ovi dissolut. mista clysmata sunt admodum egregia, idque ubi dolorosa abdominis simul urgent symptomata: quin & fortius per clysmata ubi stimulanda alvus, & detergendus mucus, non rarò vitreus, etiam talibus ex simplici vegetabili decocto paratis, pro fortiori acumine addentus est syrupus emeticus â ʒj ad ʒij pro ætatis ratione, aut etiam infusum quoddam ♀iale, nomine ▽æ benedictæ aliàs cognitum: qualia pertinacioribus in malis, epilepsiam etiam jam minitantibus, quæ ferè semper in infantibus fomitem obtinet in abdomine, convenientissima. Quod si necessitas incumbat, ex lacte farinaque congestum mucum ex superioribus locis potentius eliminare, præter ea, quæ supra §. 1. hujus cap. laudavimus, (quæ inter syrupus de spinâ Cervicâ vel solum, vel cum syrupo de fumar mistus, & subinde exhibitus, omnibus palmam præripit) inprimis jalapæ pulvis, cum triplo C. C. usti l. s. △mistus & ad gr. 2. l. 3. & plura, ætatis habitâ ratione propinatus, elegans est laxans, ordinatum à *Ludovico in accurat. Pharmac. diss. 1. p. 19.* non minus quam dimidia l. unica pilula aloëtica ab eodem c. l. præscripta. Habitioribus paulò eadem mutatâ saltem dosi conveniunt, non minus, quam aliquot gran.

gran. ☿ dulcis, in specie ubi ablactati fuerint, qui & mucum resolvit, & præterea quoque verminationi resistit. *Manna quoq; Calabrina* purior, pulti addita, & tenellis propinata quantitate plus minus, auctâ, ʒij ad ℥ß, pro scopi vel ætatis ratione, suaviter & blandè eosdem laxare solet. Singulare aliàs pro reserandâ alvo infantum quid obtinet Muscerda, non nisi superfluè delicatis horrida, cujus minutarum Pilular. no. j. l. ij. aut iij. pulv. & cum lacte vel pulte potius exhibitæ ad imitationem *Rulandi Thesaur. l.3. p. 220.* vel earum 8. aut x. in lacte maceratæ & per linteum leniter expressæ ac propinatæ, egregiè laxant infantes. Non me latet, esse qui scammonii usum reliquis præferunt, & ejus aliquot granula in emulsionis formam redacta, admodum commendari, vel si ejus gr. i. aut ij. syrupo de cichorio addantur. Sed hæc vix, præterquam in ablactatis & robustioribus locum habent: horreo esulinam vel tithymalinam scammonii virulentiam, adultis & robustis gravem, & subinde nocivam, tantò minus infantibus tolerabilem. Novi etiam per nutrices quosdam purgare velle infantes, quo pertinet aliquo modo, quando Papillis pulv. quidam laxativus inspergitur, de quo *Panarolus Pent. 5. observ. 10.* sed propter summam incertitudinem doseos, quæ in tali casu ad fœtum certò determinari nequit, adeoque ob metum, ne plus debito purgentur tenelli, minus tutum negotium existimo. *V. Bartholinus. 2. hist. anat. 93.* Vomitus si in pusionibus interdum, in specie in asthmatis aut gravioris suffocationis metu provocandus sit, vel per radic. ireos florentinæ, ad gr. aliquot, vel parum *syrupi Antimonialis emetici*, in s. qu. ▽ menth aut fœnicul. dissoluti, etiam infantibus tutissimi, idque repetitis potius vicibus, idque tutius, quam semel pro unâ dosi, idque periculosius propinati, sufficit, suadente hoc itidem experto *Ludovici* c. I. p. 197. Nam Faucium irritatio cum pennâ oleo intincta, molestior est, minusque afficax Vomitorium.

§. 9. Hisce in genere ità prælibatis, facillimè patet, specialium morborum infantilium curatio: quam & ipsam ne aliquid deesse videatur, levi calamo perstringam. Tormina E. quod attinet, cum flatibus, aut viridibus porraceisque aliisve dejectionibus p.n. conjuncta, non crebrò nimis præbenda est mamma, interea verò cum lacte potius pulv. Corollar. & ocul. ♋. præp. additâ semper anaticâ portione pulveris seminis anisi, aut loco talium pulv. marchionis, aut qui præsentanei magis est auxilii, supra §.7. præscriptus pulvis, infundendus: Vel istis acidum absorbentibus, castorei parum addendum, & quacunque ratione fieri potest, propinandum. Theriacæ etiam

Quomodò infantes curandi.

Tormina.

vel mithridatii pisi vel minoris vel majoris quantitas, sub vesperam exhibita, blandam quietem sopiendo tormina præstat. Sin pertinacius malum fuerit, nec talibus crebrius repetitis quiescat, ita ut jam vel Epilepsia metuenda, supra dicti §. 5. spiritus & liquores ⊖ini vol. sacra, erunt anchora: vel fiat mistura, Recip. syrup. de spin. Cervin. ℥ß. spiritus ⊖✳ anis. ℥ß. ocul. ♋. præp. ℈j. ad ℥ß. M. diluantur c. paucâ ▽ fœniculi, & ita cochleatim propinentur. ⊙ fulminans magnæ hoc in casu observatur efficaciæ, ut non immeritò à quibusdam insigniter extollatur, contra tormina Infantum, & pertinacem nimis alvi obstructionem, etiam imminentem exinde Epilepsiam: datur infanti aliquot dierum, aut etiam unius septimanæ, gr. j. cum gr. iij. ⦶ depurati vel ♀iati, datur etiam solum, absque addito, in iis, qui jam sunt aliquot septimanarum ad gr. ij. vel iij. propinatur in lacte, vel quod melius in vehiculo ▽æ destillatæ idoneo, & præter alios affectus, quos aliquoties admiratus fui, tormina sistit, horridas dejectiones alvi promovendo, & insultus epilepticos sopit. Varietas observatur in ejus operatione, nunc citius, nunc tardius operatur, debilius itidem, aut vehementius, prout uti suspicor plus minus in Ventriculo infantis à grumo lactis, vel muco pituitoso irretitur, & quasi inviscatur. Suppetias hisce simul ferant inunctiones externæ, ex oleis destillatis cumini, carvi, anisi, fœniculi, chamomill. cortic. aurant. &c. oleo chamomill. per infus. ceu corpore, a. oleo nucist. express. aut ol. stomachal. Craton. exceptis, ne illorum destillatorum acrimonia dolorem ex excoriatione inferat, & circa umbilicum inunctis. Quod si tenacior mucus dictorum malorum fuerit autor, exterius specialius unguentum conducet, ex gumm. ammoniac. in ✳ sol. ℥ij. therebinth aloës a. ℥j. sevi Cervini & butyri non saliti q. s. pro consistentiâ debitâ, ulterius quoties illiniri debet oleo d. anis. irrorandum, & ita dictis locis umbilicalibus applicandum, quoties opus fuerit, aliquali portione fellis tauri acuendum. Cum vero pathemata hæc insigniter exasperari soleant, alvus si clausa fuerit, ob id studiosissimè proficuus clysmatum supra laudatorum usus observandus erit: attendendo sedulò, magisne acrimonia acida, an visciditas causæ peccantis urgeat, ut ita delectus aliquis instituatur. Speciatim tenuia & liquida, laticis cujusdã instar plus minus flavedine tincta, ut ut acerrima, & præter gravia infantũ tormina, etiam excoriationẽ podicis subinde inferentia observantur, excreta, in quo casu, Clysmate simplici ex Lacte bubulo cum pauco sacchara impregnato, injecto, & dicta acrimonia temperari, & quæ imminet intestinorum crassorum gravis læsio ac excoria-

excoriatio tuto præcaveri poteſt. Recenſita hactenus & ipſa, non abſque felici ſucceſſu, in inflatione hypochondriorum, aut tympanitica quoque abdominis diſtenſione in uſum revocari poſſunt, aniſi præ reliquis proficuus eſt uſus, ſive ejus pulvis cum dimidio Corall. præpar. crebrius infanti propinetur, ſive eleoſacharum aniſatum, aut ſpiritus ⊖✱ci aniſ. ſedulo ingerantur, & extra quoque oleum deſtill. cumini, aniſi, cum oleo chamomill. vulg. calide hypochondriis illinantur. Hypochondr. inflatio.

§. 10. Quod ſi Vomitus turbet infantes, iſque per eſſentiam ut vocant fuerit, ſinendus eſt, donec vitioſus mucus, aut acris latex evacuatus fuerit, & cum moderato lactis uſu interius pulv. ex nuce moſchat. corall. & caryophyll. paucis propinandus, & ſubinde repetendus, vel temperatior cinamomi ▽ ſpirituoſa infundenda, Theriaces etiam externus pariter ac internus uſus in minutâ doſi non negligendus, idque etiamſi per conſenſum fuerit: quod ſi ablactati fuerint infantes, non immeritò decoctum caryophyll. ℥ß. & maſtiches. ℈ij. in Vino commendat *Joel. Prax. l. 9. ſ. 4. mebr. 3. p. 344.* Externe fruſtulum panis Vino malvatico ebrium ſtomacho imponendum: vel aliquot gutt. ol. deſtill. macis, ol. nuciſt. expreſſ. exceptis, ſtomachal. regio inungenda. Quod ſi variegata, multiformia, Vomitu rejiciantur recrementa, cum talia non abſque perverſo regurgitationis motu ex ſuperioribus inteſtinis in Ventriculum, eveniant, clyſmatum modò laudatus uſus non negligendus, perverſum inteſtinorum periſtalticum motum irritando inferiora verſus corrigens, & ita Vomitus Violentiam cohibens. Sed ut ſupra monui, non eſt citò nimis cohibendus vomitus, inprimis quando nauſea urget, aut ſtertor anhelando auditur, quin potius in tuſſi ex ſtomacho, præ cæteris tuſſis ſpeciebus furibunda, difficilique reſpiratione & aſthmatico affectu, ſtudioſe, ni ſponte ſuperveniat Vomitus, provocandus erit, præſens namque levamen affert: Pro reliquiis a. materiæ acidæ mucilaginoſæ reſolvendis, ſyrupus de nicotiana legitimè paratus, ut & de Eryſimo optimè cum ▽ hyſſopi vel menthæ propinati conferunt, non minus, quam raphani ſuccus recens cum ſaccharo depurato temperatus, ingratus licet, efficaciſſimus tamen eſt: in cujus locum, mitior quidem non minus tamen potens, liquor ſacchari ex raphano in taleolas inciſo, ſaccharoque largiter inſperſo defluens, commodè ſubſtituitur. Quod ſi non ex ſtomacho, ſed pectore a. larynge potius affecta & à lymphâ acriori, vel aere inclementiore irritata, tuſſis contumax ſicca, ſæpius nocturna oriatur, ſperma ceti, quacunque ratione

Vomitus. Tuſſis & Aſthma. Catarri.

commodissimè in jusculo vel cerevisia a. lacte probè calido propinandum erit, spiritus quoque ⊖✱ci anisatus, insigni hic meritò extollendus encomio, etiam ubi dentitio difficilior talem tussim, quod interdum contingit excitaverit, quo in casu vomitorium interdum præmittendum erit: sed præ cæteris Liquor. C. C. succinatus, supra pluribus laudatus, in affectibus infantum Catarrhalibus quibuscunque primum meretur locum. Nec contemnendum hic est euporiston muliercularum, ex *Cratonis, trium Imperatorum Archiatri,* experientia ipsis compertum, nempè jusculum decoctionis raporum c. saccharo sedulò infantibus porrectum. Adultioribus paulò, decoctum rad. helenii c. uvis corinthiacis in Vino pauco addito saccharo confert, non minus quam loch de passulis cum mucilagine seminis lini a. cydoniorum permistum est blandum temperans. Externè in tali tussi sicca inunctio plantarum pedis vespertina cum pinguedine lucii piscis est proficua.

Singultus. Quod si verò singultus ex quacunque causa adfuerit, isque paulo pertinacior sit, vomitus inprimis conducit, evellendo acres acidas sordes, stomacho in specie sic dicto adhærentes, propinando postmodum pulv. Joelis in omni singultu ab eodem æstimatum, ex C.C. usto & Corall. præp. an. mistis conflatum, gutt. j.l. alteram Ol. d. cinamomi a. anisi addendo, nec omittendo proficuum Theriaces usu aut quod sæpius jam laudavimus, nostras aroma, anisum nempè, singultui etiam adultorum appropriatum, externo pariter ac interno usu, non minus, quam polychrestum Castoreum.

Lumbrici. §. 11. Vermium otiosa proles, mille incommoda inferens, felicius vix exturbabitur, quam ☿ialibus per os exhibitis, infusis tunc simul clysmatibus ex lactis vaccini vel muliebris ℥ij. ad ℥iij. additâ sacchari s. q. ut illorum hostili impetu, in fugam versi lumbrici, hujus dulcedine allecti, melius decipi queant. Usurpantur ☿ialia vel in formâ △æ ut vocant, Hermeticæ, s. quam ☿ius vivus in eadem bulliendo suo contagio infecerit, vel in formâ pulveris, si nempè ☿ vivum cum certo quodam succo ut inquit *Schrœderus Pharmac. l. 3. c. 5. p. 398.* id est, cum saccharo continuatâ tritura in pulverem redactum propinaveris in cochleari ligneo, loco cujus & in ablactatis ☿ius dulcis cum conservâ fl. persicorum, l. cum saccharo in rotulas redactus commodè usurpatur. Quod si quis horreat ad ☿ii nomen, is gentianæ pulverem cum CC. s. △. & tantillæ myrrhæ, jurato lumbricorum hoste (vel quæ præsentaneam magis fert opem, Tinctura salutis) exhibere poterit; vel saltem spiritum & ⊖ vol. C.C. adeoque & polychrestum

chrestum

chreſtum liquorem C.C. ſuccinatum Applicare poteſt præterea unguentum ex aloe hepaticâ c. felle tauri ſubacta, & cum Ol. colocynthid. acuata, regioni umbilicali, cum portione veſiculæ ſuillæ, ſic namque facilè inviſi hi hoſpites eliminabuntur.

§. 12. Quod ſi denegatus alimenti tranſitus atrophiam inferat, laudata ſæpius volatilia,& alimenti depravationem ejusque viſciditatem corrigent,& forti penetratione reſerabunt obſtructos anteà meatus, præmiſſo & interdum iterato ſub inde blando laxativo, quæ ob id lactationis tempore ſubinde iteranda erunt, ſicut poſt ablactationem liquor Tartari *à Barhette in Prax.l.3.c.2.obſ.3.* commendatus erit proficuus, ut & Tartarus Vitriolatus Tacheniano more paratus, ut & arcanum duplicatum *Mynſichti*, & Tinctura Vitrioli ♂ Tartariſata,erunt utiliſſima. Externè ad reſolvendã ſpiſſiorem mucilaginẽ Linimenta ex gumm.ammon. ſupra §.9.laudata, it.quæ fiunt ex Ung. Martiato,altheæ compoſito,Ol.Philoſ.felle tauri &c.erunt proficua, quorum formulæ,vid.in *Sylvii Prax.li.c.14.p.167. & Barbette c.l.* it. *anat.Pract.l.1.c.14.* Ceu præſentiſſimum, ſæpeq; probatum remedium ab *Hœfero Herc.Med.p.349.* commendatur Pulmentum illud, quod Vertex ferreus rotæ molaris,inter movendum colligit, extra illitum: cum hiſce conferantur *Miſcell. Acad. Nat. Cur.* anno 2. obſ. 152. & ſpeciatim anno 3.obſ.250. Atrophiæ.

§. 12. Quod ſi Cutanea ex vitiata nutritione ſubinde etiam neglectâ balneatione effloreſcant Vitia, in achores, Tineam & cruſtam Lacteam,&c.internè alcalinis Volatilibus ſepè laudatis,in ſpecie viperinis inſiſtendum,tantillum Liquoris C.C. ſuccin. aut ⊖ vol. viper. Pulveris ve cujuſdam Viperini propinando, vel Tincturam ☿ ſupra laudatam crebrius guttatim exhibendo,vel C.C.ſ.△. aut ☿ diaph. aut Ocul.♋. c. paucâ myrrhâ iteratis vicibus uſurpando. Externè ☿ialia,quibus hoc in paſſu ſubindè abutuntur, vitentur, cum Epileptica in tenellis adeò ſubjectis inducant ſymptomata, *Timæo* teſte *Reſpon.43.p.106.* nec lotiones pro curandâ tineâ ex Nicotianâ inſtituendæ,pulveriſvè ejus inſperſiones ebrietatem enim turbulentam,anxietates præcordiorum c. lipothymiis Vomitus, & copioſos, ſeceſſus ſuperveniſſe talibus obſervatum eſt, *à Celeb.Boyle Uſefulneſſ.of.Experim.Philoſ.p.211.*& à *Fehrio tr.d' abſinth.p.90.* Potius Poſtulæ linimentis ſaturninis a. Sulphureis acidum abſorbentib. a. temperantib. blandè inungantur,quib.ſi add ⊖ Tartari modicum,exoptatus habebitur ſucceſſus v.g.pulv.fl.Sulph.excipiatur ungu.de ceruſſ.camphor. vel diapomph. c.ſ.q.Ol.nicotian.vulgar. addendo ⊖ Tartari plus minus, Tineæ & Achores.

nus, prout acrius vel mitius postulamus linimentum, quo ipso illitæ pustulæ optimè exarescent & curabuntur, facit huc etiam unguent. expertum *Panaroll. Pent. 5. obs. 31.* ex Sulph. axungiâ (porcinâ) & succo limonum, quo illitus locus tineâ defœdatus aliquoties, & postmodum decocto malvarum ablutus, optimè restituitur. Vulgaria fugim⁹ meritò Unguenta, & Linimenta, ubi simplicia cerâ, Oleis, therebinth. pinguedinibus, resinis similibusvè permixta, & partim saturata, partim obruta & subacta, nullam operandi vim exserere valent, nisi quod poros cutis densè incrustando malum longè deterius reddant. Merito a. duplex harum in Cute efflorescentiarum status, duplicem medendi rationem Medico insinuat. Interdum enim pustulæ hæ, ex acriori acido in manantia jam degeneraverint ulcuscula, acrem plus minus, tenuemque saniem jugiter plorantia, quibus leviter linteo, vel spongiolâ, ▽ spermatis ranarum turgidâ abstersis, inspergantur pulveres acida absorbentes, viscida modice resolventes, & ità ut vocant exsiccantes, & detergentes, qualia componuntur ex Creta, Lacte Lunæ, Succino C. C. usto cerussa. tutia, myrrha, fl. Sulph. & similibus, præ cæteris crocus ♂ ex ejus ⊕lo per lixivium ⊖ Tartari præcipitatus & probè edulcoratus, ex nodulo leniter inspersus, mirabilis existit, cui tantillum ⊖ Tart. cosmetici summi, quantum nempè sine doloris sensu perferri potest, inprimis si contumaciores fuerint, aut subinde repullularint defœdationes dictæ, consulto permiscetur. His namque absorpto acido, & deterso viscido, sponte successivè coibunt ulcuscula, idque citra ullum recidivæ metum. *Sic enim v. g.* Lactumina, der Ansprung/ faciei si offuscant nitorem, pustulis in specie manantibus inspergendum est: ℞. pulv. Lap. calam. ℥j fl. Sulph. ℈ij. cerussæ. ℨß. ⊖ Tartari gr. xij l. xv. M. f. pulv. subtiliss. inspergendus. Quod si v. mitius in dictis ulcusculis peccaverit acidum, idque jam sub sua ⊖ sedine temperata cum purulentiâ viscidâ coiverit, in tenaces & subindè spissas crustas, sufficiant simpliciter alcalia fixa crustas emollientia, & acidum vitiosum in radice penitus destruentia quem in finem vel lixivio vulgari blandè humectentur, subinde dictæ pustulæ, vel oleo Tartari per deliquium eædem blandè quasi illinantur, vel ex dicto oleo per deliquium cum oleo expresso amygdal. dulc. fiat subtilis litus, dicto modo applicandus; Quod si grandiores tumores glandularum circa capitis protuberent confinia, applicandum est pro eorum dissolutione Empl. de melilot. malax. c. ol. Philosoph. vel fiat composit. ex eodem cũ Emplastr. de galbano Crocato, *Mynf.*

& ita

& ita imponantur, aliquandiu relinquendo. Quæcunque autem modo recensita externa, non nisi præmissis internis, & fomitem morbosum tam in primis viis, speciatim in stomacho, quam in latice lymphæ corrigentibus & delentibus in usum vocanda sunt, ne pallietur morbus externus, & gravior internus inducatur affectus.

§. 13. Variolæ vel morbilli si affligant infantes, expulsionem earum, seu acidi viscidi peccantis ex lympha & sanguine separationem, indeque natæ febrilis effervescentia mitigationem promovent optimè semina ista expulsiva dicta, napi videlic. card. bened. aquileg. nasturt. &c. cum addita myrrha pauca, c. ▽ sambuc. & scabios. in emulsionis formam, ad imitationem *Zvvelferi Phar. reg. p. 209.* redacta, quæ infantibus perquam salutariter porrigitur. De cætero & ♁ diaphor. tam vulgare, quam quod magis appropriatum hic creditur, ex ☿io Vitæ paratum, additis granis aliquot myrrhæ item castorei consulto in ▽. vel vehiculo appropriato iisdem, reiteratis vicibus exhibetur, non secus ac C.C. s. △. simili modo salubriter convenit. Myrrhæ nunquam in Variolis aut morbillis negligendus usus, tot experimentis jam confirmatus, unde & essentia myrrhæ seu salutis supra laudata, comprobatæ hic est efficaciæ, uti & essentia castorei, tam simplex, quam quæ magis est composita ex castoreo & asa fœtida, cum spiritu vini Tartarisato parata, ceu præservativa pariter ac curativa suo modo Variolarum ab aliis est commendatissima. Dictis usibus (nisi superflue delicati in remediorum selectu esse velimus) similiter infusio stercoris equini in potu ordinario mirè conducit, stercoris tamen ovilli usus, huic adhuc præferendus est in Variolis, sicut in Morbillis Caprillum eminet. Promota sic pustularum eruptione & corporis fervore tepescente, id quod deest ad maturationem earundem, pulv. ocul. ♋ c. myrrha crebrius reiteratus absolvit. Quod si gravior acrimonia, sub eruptione horum exanthematum, Epileptica intulerit symptomata, in tenerioribus spiritus C. C. Succin. aut ⊖ vol. Cran hum. par sibi vix inveniet remedium, sicut robustioribus paulo Cinnab. ♁ & super ejus basin constructum specificum Cephalicum, optimè confert, inprimis c. dictis Volat. sociatum. Nutrix intereà in potu quotidiano diligenter gelatinam C.C. dissolvat & hauriat.

Variolæ.

§. 14. Aphtharum molestiæ, quæ ut plurimum lactationem infantum impediunt, ut removeantur, egregiè confert raparum in ▽ cocta-

Aphthæ.

coctarum, ſuccus expreſſus, cui tantillum ſacchari vel mellis additum fuerit, quo eluatur & abſtergatur frequentius os eorum: vel quod aliis perplacet, raparum ſupra △e, tecto vaſe, ſine ▽ aſſatarum ſuccus expreſſus, etiam ſine ſaccharo optimus, dicto modo illitus. Aut horum loco △ extinctionis chalybis, in quo ſalvia & parum mellis bullierint modicè commodè pro eluendo ore adminiſtratur. Decoctum quoq; veronicæ cum melle in ▽ ſimplici factum, pro ore eluendo, eſt uſu frequenti compertiſſimum. Quod ſi maligniora, aut etiam ſerpentia oris fuerint ulcera, idq; in ablactandis imprimis, nam lactentium nutrimentũ lacteũ pro medicina ex parte inſervire poteſt inſtar omniũ ſit linimentum ex melle c. tantillò ſpiritus Vitrioli, vel quod magis placet, c. ſpiritu ⊖is impregnato ſubinde ori illitum.

§. 15. Epilepticos tandem inſultus, eorumq; prodromos ſomnũ turbantes pavores, ut curemus, nobile eſt remedium Sulph. ℥ii, ex hujus ſcoriis ultimà vice certo modo pręcipitatum, gr. j. & in robuſtioribus paulo gr. jß. doſ. Epilepticos inſultus tam imminentes quã præſentes ſiſtens, ſimulq; mineram morbi, ſi quæ reperiatur in primis viis, auſpicatò vomitu exturbans, quibus locis repurgatis, etiam repetitis, vicibus ſine tali effectu tuto propinari poteſt, blandà quiete & diaphoreſi, novercam hanc potius quam matrem puerorum ſopiens. Interim nõ rejiciendum puto, communia euporiſta, qualia ſunt pulvis marchionis, raſur. cran. human. Unicornu marin. & hippopotam vel Unicornu foſſile, bezoar lap. &c. omnia enim hæc acidum nervos infeſtans abſorbent, & ita malum, non mediocriter levant, interdum planè tollunt. Quibuſdam præterea ceu inter ſecretiora ad Epilepſiã Infantum remedia aſſervatur pulvis iſte citrinus, ſeu farina muſco terreſtri clavato, h. e. lycopodio inſidens Sulphureæ proſapiæ, adeoque facilè flammam concipiens, & inſtar pyrii pulveris crepitum edens, qui ad ℈ß. ceu ſummum Epilepticum puerile commendatur: cui tamen adhuc præferendam exiſtimo ſimilem Sulphuream farinam in julis Coryli pro vere reperibilem: cum Coryli lignum mirabile iſtud heraclinum oleum, ſingulare antiepilepticum Rulandi fundat, ritè deſtillatum, ſicut & viſcus Corylinus, nobile euporiſton ad Epilepſias eſſe ſolet. Sed ubi talia non ſufficerint, omnibus præferendus eſt, liquor C. C. ſuccinatus crebriori experientiâ ad pueriles affectus epilepticos comprobatus, ex quacunq; causâ originem traxerint, etiamſi dentitionis difficultas eaſdem excitaverit, ſuo tamen optimè officio ſatisfacit. Externè abdomini cordiſque, ut vocant, ſcrobiculo inunguendum eſt balſamum ſuccini, ceu optimum euporiſton.

§. 16. Den-

§. 16. Dentitionis laboriosum, & tenellis ob symptomatum gravissimorum syndromen subinde mortiferum negotium ut promoveatur, & doloribus leniendis & symptomatis supervenientibus mitigandis, omnis opera impendenda erit. Dolor ergò ut leniatur, & gingivæ minus sensiles, simulque molliores reddantur, eædem crebrius succo Cancr. fluviatilium contus. c. ▽ fl. cyani extracto illinendæ, aut balsamo puerorum dentientium à J. *D. Horstio* in dispens. p. 567. descripto, eædem inungendæ: rad. altheæ frustulum recens, vel aridum in ▽ malvæ maceratum, sæpius masticandum infanti præbeatur, ut hujus mulcilagine à salivâ sub masticatione extractâ, emolliantur gingivæ melius: cujus loco non ineptè alii frustulum corii lardi recentis, substituunt. Sanguis ex crista galli parum incisa recens collectus, & gingivis illitus, ad dentium eruptionem promovendam impensè quibusdam laudatur. Non secus ac leporinum cerebrum coctum & melle permistum, ceu unum ex potentissimis remediis, simili modo applicatum. Aliis irritis, si protuberantia gingivarum, & superior ejus candidior reddita ora, dentis jam proximè absconditi signum exhibeat, scalpello eas incidit *Paræus* l. 23. c. 67. quod ceu tutum sibiq; compertum & summè proficuum commendat *Borellus* 1. obs. 97. Extra maxillæ & regioni temporum loci dolentis pro spasmo doloroso dictorum locorum leniendo illinatur medulla cturum Vituli, oleũ amygdal dulc. chamomill. ungu. d'altheæ: mucilag. rad. altheæ, aut psyllii, Theriaca &c. Ut verò reliqua interea mitigentur supervenientia symptomata, qualia primariò sunt febris & convulsiones, optimum fuerit, si alvus quantum possibile servetur probè fluida, nã *quibus, cum dentes erumpunt, alvus crebro demittit, minus convulsione tentantur* inquit *Hippoc. de dentit. Lib.* hinc vel sponte alvus fluidior servetur talis, vel eadem clysmatis, similibusq; remediis laxior reddatur, conf. *Hæfer.* Herc. med. p. 355. Indeque speciatim in iis, qui ex nutricis cacochymiâ minus laudabilem sanguinis, reliquorumq; cõtentorum crasin obtinent: nam & tales ordinariò gravius sub dentitione laborare assolent. Internè Gelatina C. C. recens, crebrius quocunque vehiculo propinata, & hinc Liqu. C. C. succinatus, ob convulsionum inprimis metum, medicamenta sunt tutissima & utilissima.

§. 17. Ad febres nunc devolvimur, quarum varietas, variam etiam medendi methodum exigit. Intermittentes, ut utrariores, quocunque ætatis tempore affligant pueros, curat præmissis in specie Vomitoriis spiritus ⊖✱ci, aut loco hujus ⊖ absinth. fixum, vel deniq; ⊖ holsaticum dictum aliàs arcanum duplicatum Mynsichti. Continuas

† g verò

verò lentas, ex acido viſcido, hisq; cognatas catharrales, ex lymphâ nimis acidâ, poſt laxativa & clyſmata, vix aliud remedii genus melius, quam ſpiritus ⊖✳ci, ſimplex aut aniſatus aut Liquor C.C. ſuccinatus curabit, in ſpecie poſteriores, ad quas etiam Tinctura myrrhæ ſalutaris exiſtit. Quod ſi verò ablactati ſint, optimè liquor Tartari, ſupra laudatus, it. ⊖✳ cum c. dimidio Ocul. ♋ ſæpius reiteratum, eas profligabit. Continuæ ardentes, hiſq; ſimiles, ut ut raræ affligant tenellos, eos tamen Vomitu, inprimis præmiſſo, aut aliis evacuativis, profligant ♁ diaph. ut & C.C. ſ. △. & cum eodem compoſitus pulvis febrilis Ludovici in pharmacia p. 280. & 282. quin & in potum ordinarium, quem præter lac avide ſubinde appetunt, in nodulo infuſum ſtercus equinum, vile quidē, ſed non niſi delicatis ſuperſtitioſè contemnendum eſt euporiſton, loco cujus tamen & Gelat. C.C. tam infanti, quam in ſpecie etiam Nutrici in potu ordinario frequenter propinetur, inſignis his in affectibus uſus. Aliàs ſi robuſtiores paulò extiterint ⊕♀atum, uti & arcanum dupl. Mynſ. modò laudatum, cū modo dictis exhibita, ſunt egregiè proficua: quin & nil impedit, quò minus etiam miſturæ blandè acidulæ, pro compeſcendo æſtu ſitique moleſta propinentur, ſicut & ſeri lactis cum ſucco Citri acidulari potus eſt non ingratus. Quod ſi malignitas conjuncta fuerit, præter modò enarrata etiam emulſio ſupra de Variolis laudata, c. C.C. ſ. ∇, diaphor. Terra ſigill. & ſimilibus in ſpecie convenit. Miſturæ quoq; cum diaſcordio Fracaſtorii, aut moderatâ Theriacæ doſi impræguatæ in paulo robuſtioribus tuto in uſum revocari poſſunt.

§. 18. Crinones, v. Vermes ſi affligant pueros, poſt Tincturam ♀ii Balnei repetitus uſus, prǫſervative pariter & curativè eosdem removet. Pro maturandâ tamen genitorum remotione, conſultum eſt, ut Balneo ∇æ dulcis, mellis modicum addatur, quo ſub lotione hujus dulcedine allecti vermiculi per poros capitibus ſuis prominentes commodè, vel unguibus acutioribus, vel volſellâ exiguâ ſubtiliter extrahi queant, id quod aliquoties reiterandum erit. Aliis in more poſitum eſt, ut ablutos in Balneo infantes, manu melli intinctâ blandè perfricent, & hinc prolectos Vermiculos vel cruſtâ panis duriore in formam aciei cultri reſciſſa, idque tutius, vel ſcalpello, idq; minus ſecurè abradant & removeant. *Petrus à Caſtro, Tr. de Coloſtro.* mulierum Luſitanarum experimento fuliginem Caminariam cum melle & lacte mixtam, dorſo illitam laudat. Præ cæteris, modò dictorum, uno alterovè præmiſſo convenit ∇ aloëtica *Timæi*, quotidiè aliquādiu inuncta: de cujus uſu; *vid. l. 5. caſ. 23.* deſcript. c. l. cap. 4. quinimò putarim,

putarim, ▽ hermeticam ſ. decoctionis ☿ii vivi, uti Lumbricis & ſcabiei optimè conferre ſolet, etiam eandem in Balneo cutim abluendo uſurpatum, citra ullum periculum dictos Crinones necare & tollere poſſe. Plura de his *vid in Velſch. ſupr. cit. Locis.*

§. 19. Intertrigo, ſi tenellam Cutim cuticulæ tegmine ſpoliaverit, vix citius aut jucundius removetur, quam croco ♂ ex Vitriolo præcipitato ſupra laudato, ſine ullo vel minimo ſenſu excoriata loca reſtituens: cujus defectu & Terra Vitrioli dulcis conſulto ſubſtitui poteſt: Vel ſi macularum in linteis exinde nata flavedo ſit obſtaculo, uſurpetur pulvis ex C. C. uſto, creta, & pauca ceruſſa, quæ ipſa nodulo tenui incluſa ſuſpenſa manu blandè inſperſâ, ſuper impoſito linteolo quicquid fuerit mali, ſiſtunt.

§. 20. *Hæc* ipſa, quæ hactenus tractata fuerunt, uti primariò, de tenerioribus, & quæ nutricis adhuc ſuſtentantur Lacte intelligenda veniunt, infantibus, ità eadem mutatis mutandis de facili quoque ablactatis & vegetiore robore jam jam adoleſcentibus applicari poſſunt. Modò conſideremus, quoſcunque infantes, & ſpeciatim qui lautiori gaudent diœtâ, & à teneris unguiculis luxurioſè magis, quàm ſalubriter educari ſolent, ob communem iis ad diphagiam & quaſi voracitatem obnoxios eſſe cruditati acidæ ex quâ ceu uberrimâ ſcaturigine, ſimilia iis, quibus ſub lactatione, ex lactis p.n. aceſcentia & corruptione &c &c. conflictari ſolent, mala in eoſdem largiter redundare ſolent, quæ ipſa etiam, aut iiſdem ferè aut ſimilibus medicamentorum generibus profliganda erunt, quo tenera hæc proles, in Divini ſui Creatoris Gloriam, & Proximi Salutem benè educari ac inſtitui juſſit. Ipſi Conditori Cœli & Terræ, ſit

SOLI GLORIA.



I. N. S. S. T.

De Virtute Opii Diaphoretica.

STerile, si quoddam aliud, in Scholâ Medica semper extitit dogma illud, à superiorum seculorum in *Galenum* & *Avicennam* Commentatoribus nobis relictum, quo simpliciter ex quatuor sic dictis qualitatibus primis, eorumque absque fundamento, graduationibus multiplicibus, mirabiles corporum vires & præsertim simplicium operandi rationes, tantùm non omnium dilucidare satagunt. Superstructum fuit illud, si primam ejus perscrutemur originem, ruinoso & arbitrario saltem Peripatetico Elementorum quaternioni, qui præter alias turbas, tam in Theoria Physices, quam hujus Praxi, Medicina, huic quoque asserto primas occasiones suggessit: adeò *Dogmata Aristotelis, nullum adjumentum, sed potius multum impedimenti adferunt Medicis studiis, sive tum Theoriæ, tum Praxi*: ut loquitur Eruditiss. *Jungius*, in *Doxosc. Phys. Min. p. 2. S. 1. proœm. Aff. 1. Schol. 3.* Sanè si ritè negotium hoc consideremus, nullas tales in corporibus deprehendere licet, cujusvis generis qualitates, quas ipsis ordinariò affingimus, seducti nimirum per pluralitatem attributorum respectivorum, quorum originem ad tot distinctas entitates qualitatum malè referimus, cum ex pluralitate & diversitate occurrentium saltem objectorum externorum oriantur. Adeò nec Ignis est calidus, calorisvè tantillum possidet, nisi in quantum organa nostri corporis ita sunt fabricata, ut ratione motionis celerrimæ ab acidis ejus particulis in iisdem excitatæ, quam caloris nomine appellamus, illi calorem attribuimus: pariter atque nec ferrum ab eodem calefit, nisi in quantum hoc ab igneis istis particulis in sui miminis motum, nostris sensoriis talem impressionem, caloris notione insignitam facit. Potius qualitatis nomine, (ποιότης à ποιεῖν) cum Curioso isto *Gallo*, facilitatem sive agendi facultatem intelligamus, quæ omnis, cujuscunque fuerit generis, nunc immediatè, nunc mediatè,

diatè,ex corporum eſſentia & conſtitutivis principiis fluunt.Pluribus jam ſuſpecta fuit iſta,per qualitates præſertim primas putatas, Philoſophandi in naturalibus ratio, unde *Fernelius* pariter ac *Sennertus*, inſaniæ opus eſſe dixerunt , ad manifeſtas qualitates omnia reducere velle. Quarum loco , cùm occultas ſubſtituere nitantur , profecto negotium potius implicant , quam explicant, dum manifeſtarum illarum æque abſcondita ſit , quam occultarum qualitatum natura: & nemo Illorum,caloris in Igne Naturam & operandi modum clarius explicare potuit,quam magnetis , ferri vim Locomotivam. Obſervarunt hoc plures,in Theoriâ Phyſica excellentes Medici,unde ſub ætatis ſuæ tenebris, ſi quis alius Lynceus *Fernelius*, hinc inde in eleganti & erudito, *de abdit. rerum cauſis* Tractatu, operationes corporum ſingulariores, à tota eorum ſubſtantiâ oriri ſtatuit, pluribus applaudentibus Naturæ conſultis, id quod reipsà idem ſonat, ac cum Modernorum plurimi , audacis ingenioſique (ut *Boyleo* hactenus incomparabili, in *præfat. introduct. in Chym. Scept.* audit) Helmontii terentes veſtigia , ex ſeminibus & virtute rerum ſeminali,quaslibet concretorum naturalium dotes derivant. Nempè ut illi,in rei ſubſtantiâ , formam in ſpecie conſiderarunt, per materiæ modificationem operantem, ita hi principium ſeminale, mediante ſpeciali materiæ texturâ,ceu quorumvis attributorum & qualitatum fundamento, activam, reſpiciunt. Atque hic terminus eſt ultimus, ultra quem progredi neſcit humana de naturalibus rebus cognitio,ſiquidem tam Tota iſtorum ſubſtantia , quam vis horum ſeminalis à priori nobis Mortalibus planè deliteſcit incognita, quia immediatè fluit ex imperſcrutabili ſapientiâ & omnipotentia Divinâ,cujus revera ſunt characteres, ab aliis Ideæ appellati, materiæ ſub primâ corporum creatione impreſſi, quorum beneficio & adhuc dum fœcunda exiſtunt rerum ſemina, & qui ipſi à priori nullo modo , ſed à poſteriori ſaltem per effectus à nobis cognoſcibiles exiſtunt. Exerunt autem ſe,tam in corporum productione, quam productorum operatione,per multiplices materiæ Schematiſmos,ſive conformationes & permutationes mechanicas,ac propterea ex materiæ ſecundum minima texturà ac modificatione multiplici & inde dependente variâ ad alia concreta habitudine ſive reſpectu,tam activo quam paſſivo,ceu fonte tot attributorum, clare magis, magisque diſtinctè,quam ex qualitatibus, nominetenus ſaltem notis, quibusvis , admirabiles iſtæ operandi rationes explicandæ veniunt. Specialis autem iſta à ſemine imediatè fluens, & in minimorum figurâ, magnitudine, ſitu,ordine, & nexu &c. proximè fundata textura, cum ſub tantâ ſpecierum & individuorum varietate tantum non ſit infinita, pro ſublevando ab infinito abhorrente intellectu humano, in pluribus explicandis corporum Phænomenis , ad bina univerſaliora iſta naturæ inprimis , hinc &

artis, illius imitatricis instrumenta materialia quasi mechanica, minima acidi & alcali confugere omnino necesse habemus. Quæ omnia & isti agendi facultati corporum, horumve partium, respectu cujus in animalium præsertim hominum corporibus, nunc alimentorum, nunc medicamentorum, nunc Venenorum nomine veniunt, applicanda sunt. Quatenus illa, ratione materialis seu mechanicæ secundum minimam texturæ, partium nostri corporis texturam & constitutionem, vel conservare, vel immutare vel destruere valent, quas actiones necessariò nostræ cognitionis sensualis, hinc & intellectualis respectu, varii conceptus & notiones multiplices comitabuntur, quarum occasione tot qualitates in istis objectis vulgò statuuntur, quot attributa respectiva in iis deprehendere licet: quod ut perquam inconveniens est, ita multò magis, multiplici errori ansam subministrare solet, si ex quatuor elementorum horumque primis qualitatibus, earumque Syzygiis particularium istarum qualitatum originem, & operandi modum derivare velimus. Illustrat hæc omnia ut unicum in medium producamus, *Opium*, vi suâ polychresta, nec unquam satis laudatâ, qua & somni nobis dulcedinem conciliat, & doloris suave lenimen præstat, & quævis in Republicâ nostra microcosmicâ turbata pacatiora reddit: cujus singularissimæ dotes, dum ab uno frigori ejus summo adscribuntur, quod tamen calidum intensè ab alio affirmatur, dici nequit, quas lites excitant, de Lanâ caprinâ omnes. Quas ut in præsentiarum missas faciamus, vis ejus diaphoretica nos monet, quam solam considerare est animus cui cœpto supremus annuere velit *Archiater*.

CAP. I.

Effectus Opii in partes contentas considerat.

Thes.

Opium quasvis excretiones sistit, præter sudorem, idque nec in partes solidas nec in partes fluidas agendo, sed saltem spirituum animalium impetum refrænando.

§. I.

GRavissimè licet decumbant ægri, & pessimo versentur in statu modo, somni blandâ frui datum sit illis quiete, præsentissimum solamen, & levamen exoptatissimum ex eo percipere assolent, *adeò ut arcanum in Medicina,*

supra

supra omnes gemmas & Lapides pretiosos, meritò somnus audiat *Crollio: Basil. Chym. c.7.p.198.* Nam præter alios usus, & hoc simul ex eo sperare licet beneficii, quod juxta tritum Practicorum axioma, *somnus omnes fluxiones, excepto sudore sistere soleat.*

§. II. De somno naturali quod hic asseritur, hoc ipsum de eodem, quatenus artis beneficio per soporifera remedia, quorum antesignanum est Opium hujusque nunquam satis laudatum Laudanum, adeòque de ipsis etiam auxiliis somniferis affirmandum pariter venit, quod hæc ipsa præter suavem ad somnum propensionem, quosvis humorum motus cohibere, & specialius quasvis excretiones præter sudorem compescere soleant.

§. III. Quotidianæ hoc debetur experientiæ, quæ tam de naturali contentorum in corporeâ nostrâ machinâ motu, hoc confirmat, quam vel maximè de p. naturali eorum, vel in certa loca intra corpus effusione, vel per certa loca extra corpus excretione idem ostendit. Equidem naturalem contentorum fluxum per alvum & vesicam non solum cohibere aptum natum est opium, sed ipsum etiam sanguinis in orbem reditum sedatiorem suo usu reddit, cum pulsus exindè factus rarior & tardior, quam ante ejus exhibitionem fuerat, quietiorem sanguinis circuitum innuat, & respiratio ipsa quoque minor & minus frequens exinde reddita, moderatæ magis per pulmones sanguinis trajectionis testis adsit. Sub quo sanguinis blandiori fluxu & refluxu, lymphæ quoque tardior necessariò sequitur motus, propterea que ex opiatorum usu subinde faucium ac Linguæ aliqualis siccitas, & sitis urgentia observari solet, minus copiosâ salivali lymphâ illas eluente. Quin imò, in tantum etiam cohibuisse contentorum corporis reciprocos fluxus, ad vitam continuandam summè necessarios, opiata observata fuerunt, ut penitus cessantibus his ipsis, vita cum morte commutata fuerit. Ob id scilicet tam solicitè monent Practici, ne nisi sub aliquali adhuc virium robore, remedia istiusmodi, nec nisi exactissime correcta, propinentur.

§. IV. Evidentiora sunt longè, quæ sub p. n. contentorum corporis motu ab opiatis contingunt. His & vomitus & diarrheæ auspicato supprimuntur, dysenteriæ graviori absque opio succurrere difficile, ne dicam impossibile est, non secus ac Choleræ. Sanguinis quæ fiunt, eò periculosiores effusiones, quo vitæ nectar immediatè magis exhauriunt, per quæcunque loca, sive alvum, sive vesicam, sive nares, sive os, sive uterum, &c. frequenter ab Opii vi compescuntur. Diabeticorum urinarius nimbus per Opiata sistendus venit. Quas lymphæ effusiones catharrales inducunt affectiones, præsertim thoracem cum asperâ arteriâ, (ceu quæ frequentiores magis illius patiuntur inundationes) affligentes, ab opiatorum vi promptè reprimuntur. Ipsa copiosior, etiam à ☿io concitata salivatio per Opium moderamen patitur,

Ut

Ut taceam februum universum exercitum, in corporis fluidis', præsertim sanguine, ferè omnia sursum deorsum miscentem, cujus impetus ferociores & reprimit Opium, ac refrænat in continuis benignis, in malignis verò utramque faciunt in cura paginam, ut *loquitur J. D. Horstius judic. de Chirurg. Infus. p. 47.* Dum intermittentium paroxysmos sensibiliter repellit, rigores potenter minuendo, & cætera symptomata mitigando.

§. V. Sed in omnibus his contentorum ab opio quoad sui motum factis immutationibus sudor superest, qui tantum abest, ut ab Opiatis sufflaminetur, ut potius strenuè & profusè proliciatur, tam ab iisdem solitariè assumtis, quàm aliis præsertim diaphoreticis additis, quorum agendi potentiam, mirum quantum opium intendere satagit, adeò ut inter sudorifera excellere Opium dicatur *Walæo tr. meth. medend. p. 65.* cui constans Practicorum concentus omninò suffragatur, & ante Eum jam notarunt, tam *Germanorum Plinius, Gesnerus, in Epist. l. 2. p. 61. & 69.* quam *Platerus in Obs. l. 2. pag. 491. & l 3. pag. 633. & 727.* Conf. *Hochstettius decad. 3. cas. I. Schol.*

§. VI. Considerandum jam ante omnia, qua ratione priores illos, liquidorum motum sistendi effectus perficiat Opium. Ubi inprimis observandus venit duplex in Medicina corporis nostri hydraulico-pneumatica contentorum sive humorum motus: Localis unus, sive progressivus, alter intestinus sive plus minus fermentativus. Localis, totius molis liquidæ per suos ductus & canales est translatio, respectu cujus in sanguine Cordis musculus antliæ vices subit, transvasando ex venis sanguinem per medios pulmones in arterias, præter quod officium, an aliud prætereà sanguini conferat beneficium, meritò dubitatur, saltem hactenus ignoratur. Intestinus ille secundus, est minutarum illarum contenta nostra liquida sive humores componentium particularum continuus reciprocus motus, ratione cujus non tantum in fluiditate continuâ conservantur eadem, sed etiam fermentationis & turgescentiæ, tam naturalis quam p. naturalis, & inde natæ multiplicis alterationis & immutationis, secundum minutarum istarum particularum Syncrisin, diacrisin & metastasin, subeunt vicissitudines, undecunque etiam, minutiarum illarum continuatus dependeat principaliter motus, ut ut ⊖ium fidictorum varietas, præsertim acidi, instrumentaliter plurimum omninò conferat.

§. VII. Intestinum hunc motum ab Opio supprimi, à nemine hacten⁹ assertum fuit. Ac obstat exilis ista, aliquot saltem granorum dosis, quo minus Crasin materialem illorum immutare, & consequenter dependentem ab illâ intestinum motum sistere plus minus valeat: de quo pluribus infra. Quatenus tamen, ut ex sequentibus patebit, localem humorum motum refrænat, & supprimit plus minus, etiam ad intestinum motum, ab illo certâ ratione, quoad

quoad aliquam modificationem dependentem, nonnihil moderandum conferre poterit: præsertim si ex confluentiâ quorundam liquidorum, hic ipse vel oriatur Primariò, vel ab iis certâ ratione intendatur, qualis est Chyli cum felleis & pancreaticis liquidis, sanguinis cum his ipsis & lymphâ: &c. Hac enim ferè ratione, ex parte & febrium impetum nonnihil compescere, & intermittentium præsertim plura symptomata refrænare, probabile est.

§. VIII. Localis ergò speciatim est motus fluidorum, quem Opium plus minus sistere valet. Ut quando superiori anno, Juveni ex incautius hausto Vino emetico ♁iali. in hypercatharsi ultra 14. dies adeò copiosâ, ut successuum numerum referre, (mendacii suspicionem declinans) non libeat, essentia theriacalis cum dimidio ess. Opii propinata, præsentaneam opem, 40. saltem guttarum dosi attulerit. Circa hunc motum localem tria consideranda veniunt: 1. ipsum fluidum motum: 2. pars Organica, à qua & per quam instrumentaliter movetur: & 3. spiritus impetum faciens, à quo principaliter omnis oritur motus. Unde unius vel alterius horum trium respectu, Opium vim suam exerere, omnino necessarium erit.

§. IX. Humores fluidos quod attinet, horum motum, quà talium cohibere nequit opium. Locali in motu, fluida illa passivè se habent, & quæ naturali impetu, deorsum saltem ruerent, intra certos corporis canales coërcita, secundum horum conformationem, pro moventis impetu undiquaque distribuuntur, adeòque supra & infra nesciunt, suntque tam in fronte, quam in pedibus, ut de sanguine loquitur *Helmont. tr. Terra:* §. 7. cum quo *conf. Eruditiss. olim Patavinorum Sanctorius: in Meth. Vid. Error. p.* 710. *&* 874. Opium ergò talem motum, quomodo in his fluidis inhibebit, dum alieno ipsi subsunt & parent imperio. In quem scopum finge, occasione spiculorum antimonialium, cum Vino infusionis croci metallorum aut Vitr. ♁ haustorum, & Vomitus multiplicis materiæ, & variarum sordium secessus provocari, quibus quocunque modo a. quanto societur opium, quid adjumenti hoc conferet fluido, qua tali, siquidem hujus mole obrutum & abreptum, simul evacuabitur; Nam consistentiam fluidi, ab Opio minutari immediatè, nondum hactenus compertum fuit, Adeò, ut Opium fluidorum motum cohibeat, absque ullâ in fluida ipsa actione.

§. X. Considerandæ jam partes solidæ, quà tales, an harum ex affectione ab Opio susceptâ, illæ in contentorum motu alterationes dependeant, cum ab his moveri liquida, & modo §. 8. dictum sit, & experientia ipsa commonstret. Sed quò minus & harum respectu, Opium sistat contentorum Lationes, patet non solum ex parva istâ dosi, quâ propinantur, (de quo infra), quæ non sufficiens est, ut partes solidas tam notabiliter in suis functionibus

motivis cohibere queat, sed etiam ipsæ solidæ partes instrumentaliter se habent, ad fluidorum motum, quatenus principium movendi ex seipsis non habent, sed ab alienâ potentiâ, ceu organa saltem moveri & ipsæ soleant. Ad hæc, quâ ratione in eas agit Opium, an ratione texturæ illarum materialis, & inde natarum multiplicium proprietatum sensualium sive temperaturæ, an ratione conformationis suæ mathematico-mechanicæ, ratione cujus in esse organico constituitur? Non ratione hujus, cum immutatæ organisationis seu conformationis ab Opio inductæ innotescat vestigium: pariter atque in ipsa texturâ materiali, quà tali, inde natis qualitatibus temperaturaque, ab Opii usu, ulla immediatè facta mutatio haud apparere soleat.

§. XI. Dum ergò Opium proximè, nec in continentes seu solidas, nec in contentas partes seu liquidas, harum motus, & inde natas excretiones sistendo agat, supersunt spiritus, sive impetum faciens Hippocratis, quos consideremus, quid hoc in negotio vel agant, vel patiantur ab Opio. Hi scil. sunt, animales speciatim appellati, qui fibrarum motricium beneficio, omnis in corporis Oeconomia localis motus existunt autores primi. Hi Rota sunt suprema sive magna; quæ alias Rotas in corpore humano (tanquam artificiosissimo automate) circumagit, ut eleganter loquitur *Illustr. B. de Verulamio* : *Inst. V. & M. p. 94. 193.* Horum ergo quamdiu viget impetus elasticus, etiam fibrarum motricium ritè fabricatarum tonus, & inde dependens tam ad externorum objectorum promtissimè recipiendam impressionem sensilē proclivitas, quam continuus ad motum nixus, debito in robore vigebunt, adeoque quamvis partium continentium localis motus, cum contentarum promtissima undiq; distributione, quin &, pro occasionum varietate, in ordinatâ commotione & nonnunquam exclusione continuabit. Sufflaminato autem nonnihil spirituum illorum impetu motivo, & inhibito quadantenus radioso illorum influxu, cessabit etiam proportionaliter fibrarum tonu, remitte unâ sensilium facilis receptio, & languescet fibrarum motivus nixus, adeoque contentorum hinc sedatior longè ac tardior superveniet fluor.

§. XII. Refrænat hunc spirituum impetum, & segniores quasi reddit eosdem Opium, quod notissimi ejus in corporibus nostris effectus, *somnolentiæ* & *indolentiæ* testantur. Ibi languescens Spirituum impetus, minus vigorosè per universum systematis nervosi extenditur, unde præsentes licet undiq;, non æque sufficientes tamen pro sensationum & motionum externarum obeundis muniis esse solent. Hinc flaccescente fibrarum sensilium Tono, haud æque validè ab objecto licet intensiori vibrari poterunt, unde nec spirituum jam in Elatere suo remittentium sufficiens repercussio ad primum commune sensorium fieri, nec fibrarum dolorosè commotarum superveniens spasmus
ordinarius

ordinarius & convulſiva tenſio procedere poterit. Sub quo ſpirituum aliquali quaſi ſtupore per Opium inducto, & ſenſationes externas, & motiones pariter locales, tam partium ſolidarum, quam contentorum in illarum alveis fluidorum remittere inſigniter, neceſſe erit.

§. XIII. Et horum duorum effectuum ratione, *torpeſcentis* nempè *tactus*, & *remittentis* fibrarum motricium *Toni*, accidit, quod Opium quosvis humorum motus ſiſtere, & ſpeciatim quasvis excretiones, ſudore excepto, compeſcere ſoleat. Hæc duo enim ferè in quovis tam naturali, quam p. n. contentorum motu ſunt obvia, partis ſcil. moventis irritatio, & hinc fibrarum ejusdem motricium contractio, indeque fluidorum contentorum multiplex motio. Nempe quotiescunque pars quædam, ſenſu moleſti vel noxii infeſtatur, fibrarum ſenſilium inordinata & vehementiore vibratione, ſpirituum ad eam provocatur impetus, à quibus aucta & plus minus ſpaſmodica earum tenſio perficitur. Contractis ſic fibris, vaſa quoque tam ſanguifera quam lymphatica, aliaque, & quicunque partis meatus ſtringuntur plus minus, indeque vel remorato contentorum tranſitu, horum circa locum ita affectum ſtagnatio, unde ſuperveniens tumor, vel copioſior per vias aut conſuetas, aut inſuetas, apertas tamen vel facilè aperibiles, pro circumſtantiarum ratione, effuſio.

§. XIV. Pro quorum illuſtratione conſidera, acidum illud, mole ſubinde minimum, quod dentis plus minus carioſi radicem nerveam, & fibroſam pungit & rodit, ac doloroſè irritat. Brevi exinde, non faciei ſaltem ex illâ parte, ac temporum, ſed totius capitis hæmiſphœrii tenſionis & plus minus lacerationis ſenſus, ſpaſmi fibrarum manifeſtus index, cum non raro tumore malæ, nunc ſanguineo, nunc lymphatico, h. e. Phlegmonoſo aut œdematoſo ſupervenit, cum copioſiſſimæ ſalivæ limpidæ effluxu, pertinaciori fibrarum nervearum ſtricturâ ex glandulis immediatè, mediatè ex ſauguineis vaſis expreſſâ. Aſt Opium ſi interno uſu, ſomnum provocarit, doloremque levarit, vel loco dolenti applicatione ſenſilitatem ejus ſtupefecerit, vel ſuâ ſponte tandem dolor deſævierit, breviter & hemicraniæ affectio, & externarum partium tumor, & ptyeliſmi profluvium ceſſabunt. Quæ ipſa, & Oculus à tantillo aſperiori pulviſculo læſus, & digitus à parvâ ſpinulâ in ſui extremo infixa moleſtatus, & ſtomachus à ſpiculis ☿libus irritatus, & recti extremitas, à refinâ viſcidiore aloës infeſtata, & aſperæ arteriæ ſenſibiliſſima tunica ab inclementiore aëre læſa, aliaque ſexcenta Corporis Oeconomiâ quotidiè obvia ſufficientiſſimè mutatis mutandis confirmant.

§. XV. Spirituum ergò impetum ſiſtendo, & motum eorum plus minus ſufflaminando, adeoque tam ſenſus in parte acumen hebetando, & motum ejus fibrarum præſertim periſtalticum impediendo, quasvis fluxiones

ſiſtit Opium. Hæc ratione Opiata, v. g. Theriacalia, & Vomitus, & hypercatharſes, & diarrhæas, & dyſenterias ſopiunt. Non ſecus ac hæmorrhagias, ſenſum in parte ex qua effluit vellicantem mitigando & ſanguinis impetum motivum nonnihil cohibendo reprimit. Adeoque illis ſaltem hæmorrhagiis propriè convenit, quæ vol occaſione moleſtæ ſive ſenſilioris irritationis, aut excitantur, a, continuantur, a. ſæpius recidivant; (quas inter occaſiones ipſe ſeroſior & acrior ſanguis non ultimas tenet) vel quæ occaſione inordinatorum ſpaſmorum in vaſis ſanguiferis ſubinde accidunt. Eodem ex fundamento & tenues Catharros ſiſtere partim, partim incraſſare dicuntur papaverina, Opii parentes, dum ſenſum moleſtæ in pharynge pariter ac larynge irritationis levant, & hac occaſione factam lymphæ uberiorem per fibras conſtrictas ex glandulis expreſſionem ſive excretionem ſiſtunt: eo quod de latice iſto jam excretum fuit, exactò ſui cum nutrimento aſperæ arteriæ rorido chyloſo, ante ſui aſſimilationem ſimul tranſudante, miſcelâ & unione, ſpiſſiorem conſiſtentiam, & ex particularum activarum ſubactione debitâ, convenientem & tactui laryngis proportionatam temperaturam intereà acquirente, adeoque coctum & incraſſatum apparente, facilioris ſubtali paulò viſcidiori conſiſtentiâ, ab impetu aëris eliſionis & excretionis. Sanè Phthiſici ex pulmone, ſenſile beneficium ab Opiatis recipiunt, ritè adminiſtratis, nam & ſordium copia exindè minuitur, non ſupprimendo eaſdem, ſed continuam regenerationem præcavendo, & eædem meliorem conſiſtentiam nactæ, faciliori cum conatu expectorantur. Sanè haud ſemel miratus ſum Phthiſicos etiam diutius, ac per aliquot ſeptimanas, continuum Opii uſum, citra ullam ſenſilem vel notabilem noxam aut alterationem ferre poſſe: id quod & olim obſervavit *Crollius: Baſil. ubi de Elect. Laudan. it. Hartman. de Opio. Theor. 8. quæſt. X. pag. 158.*

CAP. II.

Vim Opii ſudoriferam explicat.

Theſ.

Opium per accidens, mediante largiori parorum Cutis hiatu, ſudoris profluvium promovet.

§. I.

Opium ritè paratum, & in laudandum laudanum exaltatum, vi ſudores excitandi, & inſenſilem tranſpirationem, inſenſilem tranſudationem augmentandi

mentandi pollere insigni, docente magistrâ experientiâ, supra insinuatum fuit, ut ut quasvis aliàs liquidorum excretiones inhibeat. Investigatu itaque omninò dignum videtur, ex Theoretico causarum scrutinio, hæc ipsa operatio, pro meliori sui ad praxin applicatione.

§. II. Adhoc, ut ritè extillet ex corpore nostro sudor, 2. exactè distinguenda veniunt: qualis nempe 1. sit sanguinis status, à quo aptus reddatur, dimittendo promptius seroso latici, quibusvis tam ipsius sanguinis, quam solidarum partium à nutritione privatâ, ex materiæ necessitate relictis superfluis aut effœtis, & eatenus excrementitiis particulis imbibitis onerato: hinc 2. qualis cutis ejusque pororum, seu sudoris cribrorum necessaria sit conditio, pro transmittendo ritè sudoris latice, ejusque promovendâ plus minus excretione.

§. III. Prius cognosci haud poterit melius, quam si ratio habeatur attentè eorum, quæ in spontaneo sudoris profluvio, sub exercitiis ac motu corporis, subsistentiâ in loco calidiore, &c. cuivis obvia sunt, & quadruplici Phænomenon non differentiâ terminantur. Pulsus scil. 1. semper celerior & frequentior, repidiorem sanguinis per cor & universum corpus motum ostendit, (sive spirituum corpus musculum moventium imediatè, sive sanguinis cor pro crebriori motu stimulantis occasione eveniat) quibus adjuncta ejus magnituto, intensiorem turgescentiam & fermentativum motum auctum innuit: quæ ipsa necessariò, ex intestino particularum in sangvine motu, præsertim acidarum cum aliis alcalinis & terreis, concitatiore 2. sensilior totius corporis calor ac æstuatio comitatur. 3. Supervenit his habit⁹ corporis exterioris & rubor, & mollities, & aliqualis turgescentia, siquidem sanguis taliter alteratus, undique per quævis capillaria celeriori trajectiori quidem penetrat, sed languescente nonnihil, circa hæc ipsa impellentis impetu, vix tam promtè avenulis excipi poterit, quin ulteriori per arteriosa vasa affluxu, aliquali subsistentiâ copiosius solito partium solidarum poros undique repleat, indeque ista Phænomena exhibeat: unde 4. penetrans undique latex aquosus, sub tali sanguinis alteratione & inprimis intensiori exæstuatione, & ipse rarefactus, & quasi porosiot factus, adeoq; imbibendis ex sanguine & abstergendis ex solidis partibus quibusvis heterogeneis, præsertim Θinis particulis aptior reddit⁹, facilimè qua datâ portâ proruere, & speciatim per cutim transcolari potest. Uterq; ergò motus sanguinis, tam circularis, quam fermentativus, ille quidem celerior, hic intensior, sanguinem sub sudore necessariò attenuatum, resolutum, & quasi liquefactum exhibent, cum non nisi tali sub sanguinis statu, illa ejus Phænomena apparere queant. Unde etiam propriissimè dicta sudorifera, nempe Θia vol. tam manifesta quam occulta, tam libera, & sui quasi juris, quam in ol. concentrata, non nisi tali sanguinis in consistentia suâ & texturâ alteratione sudorem provocare videntur. At-

Attenuatus ita ſanguis, hoc ipſo ſimul diſponitur, ut ſeri, communis iſtius alimenti & excrementi vehiculi, facilem ſeceſſum & promtam ſeparationem patiatur.

§. IV. Cutim quod ſpectat, hujusque ſub ſudore conſtitutionem, obſervanda venit curioſa ejus & artificioſa ſtructura. Eſt hæc rete ſanè mirabile, ex fibris arteriarum, venarum, nervorum & tendinum variè inter ſe complicatis contextum, ita tamen ut nervoſo generi, plusquam venoſo in ſua ſtructura acceptum referat, tanta & nervearum & tendinoſarum fibrarum copia, cum inter textis arteriarum venarumque capillaribus, ut exiliſſimis ſic numeroſiſſimis gaudet. Neceſſario v. in taliter conſtructa corpus inveſtiente tela, foraminula meatusq; complures extabunt ex quibus creberrima duo emergunt corpora: *papillæ* primo loco pyramidales innumeræ, nervorum ſcilicet extremi fines, horumque fibrarum ultimæ portiones cutim perforantes conglobantur, & ita in extimam cuticulam usque deſinunt, genuinum ſcil. tactus organum, quas oculatiſſimo debemus *Malpighio*, *tr. de extern. Tact. Organ.* ſecundo loco obſervanda ſunt *Lymphatica vaſa*, excretoria copioſiſſima, ex glandulis miliaribus, cuti ſive ſubſtratis ſive ſimul intertextis enata, quarum ratione interior cutis ſubſtantia *Lindano* carnea aſſerta, à *Williſio* potius glanduloſa ſtatuitur *Pharm. Rat. Vol.* 2. *ſ.* 3. *c.* 5. *p.* 461. Diſperguntur excretorii hi tubuli in univerſo exteriori corpore, perque eos ſudorum rivuli, quorum fontes illæ ſunt glandulæ intercutaneæ, confertim adeò effluunt. Sanè, non ſenſibilis tantum tranſudationis, ſed etiam inſenſibilis transſpirationis officinas has ipſas eſſe ſunt, qui exiſtimantut, ut triplicem viarum perquas aliquid in ſuperficiem corporis exponitur, differentiam explicet *Pechlinus*: *de habit.* & *color. Æthiop.* p. 87. quod ipſum tamen ulterius rimari, ad præſens minus facit inſtitutum, cum circa ſudoris ſcaturiginem ſaltem occupati ſimus.

§. V. Communis his vaſis excretoriis, eorumq; orificiis, cum aliis in corpore noſtro obviis colatoriis officinis affectio erit, ut & aperiri & claudi queant, adeoque transmittendo humori faciliorem vel difficiliorem tranſitum concedere. Cuivis aſſerti hujus veritas obvia erit, alterationes, quæ peripheriæ corporis cutaneæ ſub tempeſtatum mutationibus accidunt, conſideranti; Æſtivo tempore & hiant apertius meatus iſti, & continuâ laticis transmiſſione, madeſcit ordinariò corpus, hinc vehiculi aquoſi per cutim factâ trajectione rarior & parcior mictus; aſt dum hyberno gelu quælibet rigent, & rigidior, ſaltem aſperior, deplumati anſeris ad inſtar, evadit cutis & concluſis iſtis meatib⁹, copioſior Urina ſecretio ſupervenit. Manifeſtum idem evadit, ex alvi majore lubricitate, occluſione meatuum ſudoriferorum ſupervenienti. Memoranda ob id *Gabelchoveri*, Practici multæ experientiæ, *cent.* 3. *cur.* 73. *annot. p.* 122. eſt

sententia, *qui sunt densæ texturæ, & habent cutim spissam, & poros arctos, sæpius quotidiè egerunt, quam qui poros habent apertos, ex quibus vapores & humiditates possunt resolvi, egestiones exsiccantur, & corpora sunt magis constipata. Hinc ergò colligi potest, quare in fine æstatis, & in principio autumni, fluxus alvi sæpius accidant.* &c. id quod propriâ experientiâ convictus etiam ingenuè fatetur *Malpighius*: c. l. p. 43. & 40. In his casibus, non liquidi quâ talis, secernendi, sed organi secretionis saltem est diversitas, quo in peripheria corporis occluso, per similia in intestinua hiantia, & ipsa glandulosæ texturæ colatoria, quæ eleg. demonstrat *J. J. Peyerus: de gland. intest.* fit excretio. Ob id sedulò in praxi, fluore alvi quæcunque correptorum, dedi semper operam, ut pori meatusque cutis, quantum possibile serventur aperti, & corpus ad diaphoresin blandam continuò sit dispositum, quo ipso non leviter sufflaminantur enormes istæ alvi dejectiones, sed etiam, si quæ successivè effervescat febricula, faustâ istâ contentorum corporis, per poros cutis transpiratione extinguitur. Adeò per plurium seculorum ætatem, hæc foraminum intercutaneorum vel hiscentia, vel conniventia fuit observata à Medicis, ut non ultimam febrium causam, in pororum cutis occlusionem rejecerit *Galenus*; & per experientiam convicti Practici fateri necesse habeant, nullam febrim tutò, & absque recidivæ metu judicari posse, quæ sine sudoris uvacuatione deferbuerit.

§. VI. Urget jam nostram meditationem, unde nunc patentes, nunc conniventes sint isti transudationis meatus excretoriique tubuli. Variæ equidem se offerunt causæ, tam connatæ, quas inter est naturalis cutis textura vel rarior vel densior, quam acquisitæ, partim per consuetudinem, secundum varium rerum non naturalium usum, partim per ægritudinis p. n. alterationem: unde meatus dicti vel ex staminum fibrosorum tensione nimiâ, turbari aut obliterari, vel admotis aut excretis variis constringi, arrodi, vel iisdem viscidioribus aut glutinosioribus obstrui possunt. Præ cæteris, ceu frequentior causa, consideranda venit Tubulorum istorum, imò, ut probaliter arbitror, & ipsarum glandularum, à fibris nerveis contractis, occlusio, vel ab his relaxatis reclusio. Tendinosum nempe maximam partem stamen esse & fibrosum, quod cutim constituit, supra insinuatum fuit: unde pro nervearum & tendinosarum natura, non sensui saltem tactus externo, cui illarum extrema papilliformia sufficiunt, sed etiam motui cuidam dicatæ erunt, eoque pro fibræ motricis naturâ, abbreviationis seu ut vulgò dicunt, contractionis & relaxationis: unde necessariò tubuli isti excretorii, & ipsæ simul glandulæ nunc stringi, adeoque has comprimi, illos coarctari, nunc, nunc relaxari, & has sic porosiores, illos patentiores reddi, necesse erit. Argumentum hujus rei, & externus tactus & interna imaginatio suggerunt. Quoties vel frigoris, vel ingratæ humiditatis occurris

contactus

contactus, mox corrugari cutis, pori claudi, anſerinæ pellis facies, hinc emergere ſolet. Evidentiori exemplo, avium plumæ, feliumque pili hoc repræſentant, dum frigoris occurſu, erectiores ſitu, animalia dicta hiſpidiora apparere faciunt, fibris iſtis inter cutaneis nerveis, cutis poros ſui contractura ſtringentibus, & ſimul plumas ac pilos ex obliquo ſeu declivi ſitu in rectâ magis lineam erigentibus. Imaginationis vis, ut per totum microcoſmi regimen ſe diffundit, ita & extremos ejus limites attingit: tantum tamen non quotidie occurrit, ut ex rei vel horridæ vel terribilis, aliusve ſimilis, vel ſimplici ſaltem narratione, præſertim in delicatioribus, mox cum horroris, aut ſaltem frigoris quodam ſenſu, peripheria corporis undiq; contrahi, pori arcte claudi, cutisq; in anſeris faciem corrugari ſoleat, quaſi omnes, quotquot occurrunt, portas, ab hoſtili inſultu præmunire velit, conſervationis ſuæ provida Natura. Obſervavit ſane *Malpighius* c.l.p.19. *in extremo pigito, cuticulâ per admotum ferrum detractâ, ubi ſudoris iſta vaſa excretoria hiant, covexam quandam pelliculam, interiora verſus, non abſimilem curbitulæ, extendi, ad edendum fortè valvulæ miniſterium, ut interdum tenſa, detineat ſudorem, & relaxata, exitum permittat:* id quod ad præſens negotium illuſtrandum ſimul non parum facit, ut ut clarior & ulterior per experimenta anatomica confirmatio adhuc in hoc paſſu expectanda videatur. Ad hæc modo laudatus Autor, *c. l. p. 39.* ad miliares iſtas ſub cute glandulas, per transverſum excurrentem nervum hiare, aſſerit: præter alios uſus, ob id primariò, excretionem per dictas glandulas, nunc eas ſtringendo, aut laxando, certâ ratione moderari poſſit.

§. VII. Sed in coarctationis vel relaxationis hoc negotio, tam glandularum, quam tubulorum excretoriorum, fibræ iſtæ cutaneæ, non niſi inſtrumentaliter ſe habent, ipſo impetum faciente, ſpiritu ſc. influo, ſpeciatim animali dicto, ceu principali agente, id muneris exequente: unde & vel externam ſenſationem, vel internam imaginationem, utrobique ſpirituum animalium motum prævium, & ad cutim concitatum impetum ſequitur ſaltem talis ſtrictura nimia, aut relaxatio. Nempe uti à ſpiritu animali & ſanguine vitali, tonum debitum ſeu naturalem tenſionem obtinent, indeque & irritari paſſivè ab objectis minus proportionatis, & ſimul iisdem reniti activè valent, ita etiam hujus Toni ratione, & ipſa cutis, ejusque pori: vel arctius ſtringi, vel laxius dilatari poſſunt.

§. VIII. Ex quibus hactenus prolixius declaratis, vel ſuâ ſponte patet, ex parte cutis pro ſudoris transmiſſione, hanc ſaltem neceſſariam eſſe conditionem, ut meatibus quibusvis, & tubulis glandularum potulis, ob fibras nerveas intercutaneas, relaxatas, adeoque cute exiſtente plus minus, molli, rarâ. poroſâ, undique ſudor ceu per cribrum, aut filtrum excerni & transcolari queat.

§. IX. Præ-

§. IX. Præmissis hisce, Opium examinandum, & quid vel sanguinem alterando, vel afficiendo cutim valeat, perpendendum, quod citra ejus materialem texturam, ex seminalibus primordiis natam, & inde varias ortas proprietates, & in alia corpora respectivas actiones, exactè evolutam, fieri haud poterit. Offert se hic inprimis expertus per ignem Philosophus, *Helmontius*, qui tr. *Duumvirat.* §. 8. p. 275. *se in Opio salem acrem sudoriferum, & amarum oleum invenire, longè ab Opii odore recedens, attamen soporiferum.* asserit: quod repetit: tr. *de Lithias.* c. 9. §. 87. p. 728. dum inquit: *quinimò, nec soporiferum in Opio friget, Sulph., sed valdè amaricat, ejusqae* ⊖ *acre est, & sudoriferum:* adeò ut 2. primaria principiata elementaria in Opio consideranda sint, Sulph. soporiferum & ⊖ acre sudoriferum dictum, ex quorum alterutro vis diaphoretica derivanda veniat.

§. X. Sanè Opium pro ratione succorum inspissatorum ex vegetabilibus, gummosum concretum est, sed quod ceu nucleum medicamentosum, resinam in se complectitur. Resina hæc, est proximum virtutis tam somniferæ, quam diaphoreticæ subjectum, unde & S.V. mediante, ex Opio extrahi, & hoc ipso, ceu appropriato in texturâ menstruo simul exaltari solet. Resinæ, concreta sunt, singulariter concentrata, & ex pluribus diversæ naturæ minutis corpusculis invicem actè complicatis contextæ. Nempe quod in sicca consistentia resinam refert, hoc ferè totum, per Ignem liquefactum seu attenuatum & resolutum, ol. Leo existit. Res clara est per experientiam, quæ ex oleis Leo atis, per *spirit.* ⊕i. rectif. vel per ol. Vitrioli, nunc resinam perfectam, ut in ol. L. anisi, aut pinguedinis humanæ, nunc concretum therebinthinatum, ceu resinam liquidam ut in ol. L. therebinth. nucis mosch: juniperi &c. repræsentat. Sicut idem manifestum evadit, si ex lignis medicamentosis per Spiritum Vinum probe rectificatum essentiam extraxeris, quæ facili labore vel cum △ com. præcipitando, vel Spiritum Vinum abstrahendo in resinam redigitur, ipso residuo ligno, per retortam △e aperto, more solito destillato, nullum vel parcum Oleum suppeditante, quod alias copiosum & penetrans admodum fundebat, teste, præter experientiam *Willisio: tr. Pharm. Ration. p. 1. s. 5. c. 2. p. 214. & de ferment. c. 2. p. 16.*. Jam vero oleos. L. ata, quæ mutata consistentiâ per aliqualem coagulationem resinas exhibent, nil aliud esse deprehenduntur, quam ⊖ia vol. à pingui occultè acido concentrata. Comprobant hoc non solum plura (nam de omnibus specialis adeò nondum facta experientia) ol. L. ta, v. g. Tartarisati, therebinthinæ, C. C. &c. quæ mediante cum alcalibus fixis digestione, in ⊖ vol. abeunt, sed etiam fuligo, ex talibus oleosis maximam partem constans, ⊖e vol. oleoso turgida. Nam quod sub clauso vase Leando seu per △m liquescendo, abit in ol. L. empyreumaticum, hoc in aperto △e deflagrando abit in fumum & hinc maximam

 partem

partem fuliginem. Hæc fuligo præter Phlegma acidum ſuggerit ſpiritum urinoſum, & ⊖ vol. acerrimum manifeſtum, & Oleum empyreumaticum, ſimile oleum, ex ligno aliat ♌ando. *Scilicet* quantum pinguedinis, ⊖ vol. in reſinam alias colligantis concremando deſtructum fuit, tantum ⊖ vol. contagio oleoſo adhuc affecti haberi poteſt, quantum v. reſinæ attenuatæ, oleo propter defectum deflagrationis haud liberatum fuit, oleum fuliginis conſtituit. Scilicet ut rectè loquitur *Helmont. tr. Complex. & Miſt. Elem. fig.* §. 33. p. 89. *Fuligo, eſt partim ⊖ vol. concreti, præſervatum ab inflammatione, propter Δæ evolantis commiſtionem, partimque eſt Oleum, quod evolandi celeritate combuſtionem præterfugit.* Tandem compertum eſt, Vegetabilia aromatica, & quæ per veſicam ſimplici ♌atione Oleum ♌ ſuggerunt, eadem fermentata, ſub miniſtrare illorum loco ſpiritus ardentes, ceu olea attenuata & in aſſentiali Phlegmate ſoluta, putrefacta verò, ſuggere ⊖ia vol. urinoſa, ſatis copioſa, iſtis animalium ⊖ibus vol. ſimilima, oleoſæ nempe pinguedinis reſolutæ per putredinẽ, adeoque ſic ſimul acidi enervati, occaſione. Ut adeò ferè concludendum videatur, Reſinas & oleoſa, eſſentialiter non niſi conſiſtentia differre, utraque verò eſſe ⊖ia vol. oleoſa, ſeu olei beneficio, ratione occulti hujus acidi, paulò intimus concentrata.

§. XI. In ſimili concreto reſinoſo, cum conſiſtat vis opii, tam anodyna, quam diaphoretica, dividere illud, & utrique effectui, diſtinctum ſuum efficiens tribuere ſatagit *Helmontius*, ut ex ſupra allegatis manifeſtum eſt, adeoque Sulphuri vim ſomniferam, ⊖i vol. acri ſudoriferam adſcribere. Equidem negari haud poteſt, ⊖ia vol. præſertim oleoſa, potiſſima eſſe, & efficaciſſima diaphoretica, eòque potentiora, quo acriora & penetrantiora, quæ effectivè ſanguinem alterando, & quaſi diſſolvendo, ſudoris rivos profundi faciunt, ut ſupra §. 3. inſinuatum fuit, & per experientiam hactenus confirmatum. Sed pro hoc effectu requiritur omninò determinata, eaq; tanta eorum doſis, quæ univerſæ maſſæ ſanguineæ ad plures libras aſcendenti, vel imẽdiate, vel (ſi hoc minus placeat) mediatè (per præviam fluidorum in primis viis alterationem) alterandæ, plus minus ſufficiens ſit: quæ ad gr. xv & ℈j. ſubinde ad ʒß extenditur; ſed Opii ſive crudi, ſive quocunque modo præparati doſis medicamentoſa (nam de conſuetudinis legibus & alimenta & medicamenta multipliciter determinantibus, non attinet dicere) ultra 2. l. 3 gr. ad ſummum haud extenditur, rarò ſiquidem hanc ſuperare ſolet Medicus, ſæpius infra ſubſiſtere, cum vj. gran funeſta admodum obſervata fuerint. Sanè, ſicut non intelligibile eſſe rectè *Helmontio* dicitur, *tr. Duumviratus* §. 5. *quomodo unicum opii granum, ſat frigoris in ſtomacho cauſetur, ſatque vaporis actualier frigidi in caput egerat:* ut nempe ex Veterum quorundam aſſerto, ſomnum inducat; ita pariter haud

ter haud conceptibile existimo, quomodo unicum alterumve opii granum, etiamsi purum ⊖ vol. esset, sanguineam massam, quocunque modo alterare, & sudorem provocare possit; Nisi continuato diutius opii usu, successive alreratio quædam sanguini, & inde derivatis cæteris succis inducatur, ratione cujus ad sudoris vel urinæ uberiorem dimissionem plus minus disponatur: uti exempla à *Willis.* adducta, *Pharm. Rat. p.* 1. *S.* 7. *c.* 1. ostendunt.

§. XII. Accedit & hoc, quod ipsum propinatum opium necessario quasdam, plus minus tamen in viis primis subeat alterationes, tam in Ventriculo quam duodeno, unde si non infringi, certè non exaltari continget efficacia. Hinc enim quorum stomachus acidum digestivum intensius spirat, minus ab opio alterari solent, quia hoc magis subigitur, vel ab acido quasi castratur. Unde nec adeo commodè Opium, quamvis humorum acrimoniam corrigere vel infringere dicitur à *Sylvio*: l. I. prax. c. 15. §. 26. 27. 37. & 48. obstante exilitate doseos, quo notabili adeò effectu, etiamsi repetitis quoque vicibus propinandum foret. Ut taceam alias rationes à *Willisio* P. R. Vol. I. s. 7. c. 1. p. 291. allatas.

§. XIII. Haud equidem me latet, minima ut plurimum maximorum morborum esse initia, & mole minimum corpusculum, maximos effectus præstare posse: attestantibus id apertè, alia ut taceam, venenis, in minimâ mole pernitiem universo corpori minitantibus: confirmantibus hoc contagiis, sub minimo & nullo perceptibili sensuum miasmate, universam corporis œconomiam turbantibus, tam acutos, quæ excitant morbos, ut febres malignas, quam quæ chronicos, ut in lue ♀eâ & scabie manifestum est. Ita è contrario, & minimum subinde est medicamenti, à quo maximus & insignis effectus pro universi salute dimanat, quod sub reliqui corporis cortice, tanquam exilis, ut ut pretiosissimus nucleus est reconditus. Sed iis remediis, quæ alterando contenta corporis, & sanguineam massam in crasi & consistentia solitâ (saltem ad tempus) immutando: operari debent, idque corporali seu materiali sui miscelâ ac contactu, qualis modus in opio, ⊖ sui volat. acris, putati sudoriferi, omnino requitur, ista minimorum, qua talium, maxima agendi potentia, minus applicari potest. Talia enim minima agentia, operantur saltem, vel quatenus vi alterativa & plus minus fermentativa immutare contenta, vel acutissima sui textura irritare sensibilia solida possunt. Neutrum opio convenit; non irritat, d, irritationis sensum potius tollit; non fermentat, quia nullum talis effectus vestigium in corpore obsetvabile ejusque contentis est. Adeoque ad agentia ista maxima, sub mole minima, referri nequit.

§. XIV. Equidem inanis videri possit ille labor, qui virtutes operandi ex certis ingredientibus seu partibus integralibus concretorum investigare

 satagit,

ſatagit, cum quælibet proprietates rerum, & inde agendi qualitates, tam occultæ dictæ, quam manifeſtæ putatæ, fluere è gremio ſeminum, rectè dicantur ab *Helmontio, tr. progym. meteor.* §. 28. unde etiam non niſi à ſeminali virtute, tam vis ſoporifera, quam diaphoretica opii derivanda erit, unde etiam *ſeminalem dormitivam vim* Opio adſcribit, is ipſe, *tr. Natur. contr. neſc.* §. 37. Sed ut ut agens ſeminale, in minimo fundatum ſit, cum ſui corporis ſaltem 2800. pars eſſe dicatur; tamen cum ens materiale revera exiſtat, adeoque & generaliſſimis materiæ proprietatibus omnino obnoxium ſit, (formali licet agendi poteſtate in concreti generatione inſtructum,) prætereaque corporum genitorum proprietates quæcunque, non niſi materiæ ſpeciatim contextæ beneficio immediatè explicentur, ac ex ſpeciali talis materiæ texturâ immediatè fluant, & non niſi ab illâ proxime dependeant. Pro ipſius quoque principii ſeminalis conſervatione, certa materiæ cui ineſt diſpoſitio, ſeu textura materialis requiratur, quâ deſtructa, & ipſa vis ſeminalis perit, unde △is ſeminum deſtructor dicitur *Helmontio*, forſan quod ſeminale concretorum principium, non niſi ſub Sulphureo deliteſcat tegmine, proxime ab △e quod retexitur. Ipſæ denique rerum multiplices proprietates tam ſpecificæ ſeu ſingulares, quam pluribus aliis communes, pro concreti textura materiali plus minus mutatæ & alteratæ, etiam & ipſæ mutabiles exiſtunt. Sanè ob dictas cauſas, vis corporum operativa, non niſi in certis materiæ, ex quibus conſtant, particulis, & ſpecifica harum textura proxime inveſtiganda venit, ut ut originaliter virtuti ſeminali, omnia iſta adſcribenda veniant. In Opio ergo, ut ut cum tota papaverina planta, & quibusvis ejus partibus, tam ſolitis quam liquidis, & quibusvis earum proprietatibus, à ſeminali potentia vis ſudorifera & ſoporifera omninò dependeat, tanquam à primo efficiente, proxime tamen, in materia ſeminali ſeu formalari per ſeminale ens factâ textura, utraque conſiſtit. Unde etiam pro mutatione texturæ illius Opii ſpecialis materialis, ſecundum ſimplices mechanicas aliasvè communes modificationes, ab aliis agentibus factas, tam vis ſudorifera, quam anodyna v. g. caſtrari per acida, aut nonnihil mitigari & corrigi per alcalia aſſolet.

§. XV. Cum itaque Opio nullum jus ſit alterativum in ſanguinem, pro eliciendo ſudore, proximum eſt, ut conſideremus, quâ ratione cutim pro ſudoris adjuvendâ ex cretione afficere valeat. Quo in negotio alius ſupereſt nullus modus modus, niſi ut tubulorum excretoriorum ac pororum aperturam, glandularum laxitatem, & hinc cutis raritatem promoveat, adeoque nervoſorum ſtaminum relaxationi inſerviat. Jam vero ex ſupra oſtenſi 1 c. §. 10. manifeſtum evadit, opium nullam partem ſolidam qua talem, adeòque nec cutim, in excretionis negotio adeò notabiliter afficere poſſe, adeòque

nec

nec fibrarum laxitatem, nec earundem contracturam efficere, cum huic operandi modo & rationes eædem, quæ modo contra ejus in ſanguinem activitatem allatæ, repugnent. Neceſſariò ergò ſequitur, cum ipſum cutis reticulum afficere nequeat, nec contenta fluida alterare, in ſpiritus animales, fibras cutis vario tono moventes opium ſaltem agere, & horum adeò ratione, ſicque mediante ſaltem fibrarum laxitate, hinc cutis mollitie, laxâ glandularum ſpongioſitate, & tubulorum excretoriorum aperturâ, ſudoris profuſionem præſtare.

§. XVI. Supra ſcil. explicatum fuit, c.1.§.12. Opii uſu, certam ſpiritibus animalibus quaſi ſegnitiem & torporem, indeque in movendis partium organicarum fibris languorem induci, quo ipſo vel ſpontè ſequitur, eodem remedio & fibroſorum cutis ſtaminum tonum & tenſionem adeò relaxari, ut flaccidiore hin redditâ cute, & copioſius emulgere ex M. S. glandulæ, & uberius per tubulos excretorios excernere valeant. Paucis ut rem explicem, Opium per accidens, aperturam pororum ſudatoriorum procurando, uberius ſudoris profluvium emanare adjuvat.

§. XVII. Ut aſſertum hoc noſtrum pateat clarius, ſomnus in confirmationem ejus accedat, qui promtiſſime ſudores profluere facit ſpontaneos, etiam in iis, qui vigilantes tale quid haud ſentiunt, aut interdum non absque labore & difficultate elicere valent, ut ut quasvis alias excretiones ſiſtere ſoleat, ut jam ſupra monitum. Languet in ſomno, ſpiritus impetus visque eorum elaſtica, unde debiliori radio emanando, & ſaltem motibus ſic dictis naturalibus pro neceſſitatis vitalis ſaltem urgentia inſerviendo, minus tendere cæteras motrices fibras pro motu animali in partibus præſertim exterioribus valent, indeque tardiorem fluidorum motum localem hoc ipſo procurant, qui ut ut ceſſet quibusvis aliis in locis, per apertiores tamē nunc cutaneos meatus, ex remittente fibrarum ſtringentium tono, uberius profluit, & ſudoris latice corpus largiter irrorat. Somnum talem arte conciliant opiata, unde clarum erit, quod & ejus conſequens, ſudoris profluvium, modò contenta fluida ritè ad talem excretionem diſpoſita fuerint, parili ex ratione ſuperveniat. Hinc ſcil. opiatorum ex uſu, ſudor emanare vix obſervatur, niſi ſomnus illorum effectu vel obrepat, vel debita ſaltem quies aut indolentia, aut laſſitudo quædam corpori, ejusque partibus concilietur.

§. XVIII. Illuſtrant præſens negotium ſimiles ſpontanei Syncopi Zantium pariter ac agoniſantium ſudores. Ut ut enim ex ſanguineà M. non æque hi elici ſoleant, *cum morientium ſudor*, antore *Helmontio*, *tr. Latex humor neglect. non ſit tam latex in ſui natura, quantum ros alimentarius reſolutus, cui mors imperat, quod patet, nam ſtatim corporis habitus ſidit, prout & in ſyncope.* Quod pariter de pavidorum & perterre factorum frigidiuſculo

diuſculo madore pronuntiandum. Non tamen, niſi ex pororum hiatu, â fibrarum relaxatione nimiâ, ſpirituum moventium, ſive illas tendentium ex defectu, ſpontanei hi ſudores erumpunt. Nempè jam olim *Hippocr. ſ. 5. aph.* 71. annotavit, *quibus arida & dura cutis obtenditur, ſine ſudore moriuntur, quibus v. laxa & rara, cum ſudore* vità defunguntur. Hinc iſtis & urina interdum involuntariè perfluit, aut alvus absque præviâ admonitione ſecedit. Iracundis ex oppoſito, vel furioſis, ſudor nullus, ſpirituum ob concitatiorem impetum, & fortiorem fibrarum tenſionem.

§. XIX. Parili ex ratione, & magnis in doloribus præſertim capitis, aliarũmvè partium vel ſenſilium, vel cum nervoſo ſyſtemata ſingulariter conſentientium, obſervavi, corpore etiam quieto exiſtente nullum ſudorem prolici potuiſſe, niſi forſan pernitioſum, & quaſi ſymptomaticum, eumque vel parcum vel ſaltem particularem. Non ſecus enim, atque talibus occaſionibus, ex continuatâ ſpirituum agitaſione ac motu, ſomnus impeditur, etiam non interrupto eorum in quaslibet partes, adeoque & cutis poroſa ſtamina influxu, fortior horum tenſio, tubulorum ſudatoriorum occluſio, & inde ſudoris ſuppreſſio ſecutæ fuerunt.

§. XX. Ea, quæ nos ambientia ſudoris profluvium evocare ſolent, modò dicta roborant. Eminet hic calor ambiens, tam ſtragulorum, quam hypocauſti, aliove artificio inductus. Fundit equidem hic ipſe rarefecit corporis fluida, & ita ad excretionem ſub ſudoris forma, eadem potenter diſponit. Sed hæc ratio ſola haud ſatisfacit, quin conſiderandum ſimul videatur, caloris titillantem quaſi motum, in tantum ſuavitatis conferre cutaneis fibris, in quantum moleſtiarum à frigore patiuntur: uti itaque hujus occurſu irritatæ fibræ tendi, hinc pori quilibet occludi ſolent, ita illius gratâ applicatione, demulceri ſenſus, indeque relaxari iſtæ, & ita ſudoris portæ aperiri denuò videntur. Madeat enim, & tantum non diffluat ſudore corpus ſub ſtragulo, ſimul atque aëri liberiori hoc ipſum expoſitum fuerit, dictum factum, in naturaliter ſe habentibus obdurari ſudoris fontes videas, ut ut internam ſanguinis fluctuationem, tam fermentativam, quàm progreſſivam pulſus adhuc commonſtret, quam aura ambiens frigidior tam citò alterare non valet. Blanditiæ econtra moderati caloris, uti amicæ ſunt, univerſo ſyſtemati nervoſo, cujus frigus inimiciſſimum exiſtit, ita ejus occaſione minus tendi, potius relaxari plus minus videntur fibræ etiam intercutaneæ, & tali occaſione ſudor promoveri.

§. XXI. Par ratio eſt illius Phœnomeni, ſi ſub ſudorum effluxu, manus vel pes denudetur, & exponatur frigori, non rarò ſudoris rorem breviter evaneſcere obſervamus in reliquo corpore, aut notabiliter ſubinde

inde saltem imminui. Contrarium fit, in difficilius paulo sudantibus, quibus calida, v. g. later calefactus, plantis pedum admotus, mirificè sudorum proventum adjuvat. Scilicet mirabilis est membranarum universi corporis inter se, speciatim cutis cum omnibus suis partibus consensus, continuatam quatenus constituit telam, unde una ejus extremitate affectâ sensilius, & reliquam texturam simul idem quasi sentire & pati observamus. Sanè dum febrilis horror, frigusque universam cutim convelli, aut crispari facit, tamen ol. ℞. caryophyll. epigastricæ saltem regioni illitum, mirum levamen, & in universa corporis peripheria horroris remissionem procurare solet. Aut ergò per consensum partium quarundam circa ista præcordia, universa cutis febrili rigore riget, aut per consensum certè talium partium solum illitarum curatur. Plantarum præsertim pedum miras cum universo systemate nervoso & partibus membranaceis quibusvis notatur consensus, dum pavimento frigido inambulantibus, ut alvum laxari, aut intestina torqueri contingit. Caput etiam cum imis his partibus conspirat, unde & illorum noxam caput sui dolore, quasi lugere videtur, cum pediluvia interdum hujus dolorem leniant, & suavi somno temperent. Prout ergò consensus talis ratione, cum brachio aut pede bene maleve affecto, reliqua cutis vel blando vel molesto sensu afficitur, etiam vel relaxari hinc sudoris tubuli, vel claudi & stringi solent plus minus: accedente tamen simul ipsorum corporis & contentorum sensili plus minus alteratione, & hinc pro transudatione faciliori vel difficiliori dispositione, cum externa ista, æqualiter ferè tam nervosas extremorum partes, quàm qui per eas ex arteriolis in venulas circulatur, sanguinem afficere videantur.

§. XXII. Corporis quies, quantum ad sudoris provocationem per medicamenta instituendam, faciliorem necessaria sit, ex eo patet, quod inquieti, qui sunt ægri, & membra totumque corpus inconditè jactitant, nunquam sudoris effluxum experiantur, etiam post generosissima propinata remedia. Crebriori enim istâ jactatione membrorum, & multiplici ab objectis externis toties mutatis simul impressione, inæqualis spirituum provocatur motus, externam ad corporis peripheriam, quorum impetu stringuntur pori, & clauduntur sudatorii tubuli. Quiete autem ab opiatis conciliatâ, faustus ut plurimum sudoriferorum sequitur effectus. Optimè memini, Expertiss. istum Practicum, *B. D. Michaëlis*, in febribus malignis, si inquieti sint ægri, diaphoreticis, & alexipharmacis Opiata, & addidisse, & ejus imitationem nobis suasisse, quod felicius tunc operari observentur sudorifera. Hinc memoranda est *J. D. Horstii Judic. de Chir. Infus.* §. 17. sententia, *in febribus malignis petechialibus, variolis, &c. Opiata utramque paginam absolvunt, & hinc gravissimorum autorum consensu & experientiâ multiplici constat,*

constat, maximè palmarium Robur Theriacæ &c. accedere Opii miscela. Nempe ut modo laudatus Vir differit, *Opiatorum Sulph., à quo spirituum motus efferos, & concitatioris sanguinis turbas, frenandi, domandi, & sopiendi vim obtinent, feciliter sudorem desideratum conciliat.*

§. XXIII. Negari equidem nequit, sub fortiori corporis motu, vel exercitio, sudare omnes profusissimè: sed dispar planè hujus in sanis, ab illo, qui in lectis ex ægris eliciendus, sudoris est ratio. Ibi rapidissimè circumrapta, & attenuata sanguinea massa, vincit fibrarum cutanearum, intensiore calore suaviter affectarum, & copiosiore humore irroratarum mediocrem resistentiam, spirituum copiis in musculis, tam cordis quàm artuum movendis, magis occupatis, unde nil miri, si copiosius effluat sudor. Aliter longè cum ægris, vel lecto decumbentibus res se se habet, in quibus minor impetus spirituum ad musculos, major ad fibras membranaceas & intercutaneas, in illis præsertim ægris, in quibus systema nervosum magis affectum à fermento febrili v. g. cum inquietudine & jectigatione fibras, undique stringit, de quo infra pluribus.

§. XXIV. Illustrant hactenus dicto non mediocriter ea, quæ circa urinæ eycretionem, & hujus pathemata, quotidiè ferè in praxi observabilia sunt, sicut aliàs urina & sudor in pluribus conspirare, & unius suppressionem excretio alterius, quasi supplemento certo excipere solet. Nempe quod urina interdum supprimitur, aliam nullam ab orationem, nisi quòd pertinacius stingantur renum nervi, & hinc quasi corrugentur eorum fibræ, & occludantur transcolatoria oscula, quo spasmo ex Opiatorum usu remittente, & hiant denuò meatus, & ordinariô tramite transcurrit urina. Notabile hujus rei Phænomenon observari subinde licet in calculosis, quorum altero affecto rene, & à calculo in pelvi hærente interruptâ urinæ viâ, & alter socius ren, benè valens officium negligit, adeò ut penitus hinc sequatur urinæ suppressio: id quod & *Fœstus*: *l. 24. obs. 26.* hujusque *schol.* observavit, pariter ac curiosum occurrit exempl. in *Act. Med. Haf.* Vol. 4. obs. 33. p. 102. Ad sympathiam seu ad consensum partium mutuum referre hoc solent Practici: idque, meo judicio, rectè. Sed quid est *sympathia* Græcorum, Latinorumue *Consensus* inter partes corporis mutuus, quàm quòd parte unâ p. n. quid sentiente, alia idem sentiat: sensationis omnis externæ quidem, qualis hic saltem locum habet, subjectum sunt fibræ nerveæ, harum ergò ratione pars parti consentire, seu idem omninò sentire videtur. Scil. Consensus, seu in sensatione quædam communio, præsupponit sensum; sensus verò præsupponit fibras nerveas ceu organa sensûs: adeoque consensus propriè dictus est simpliciter ratione nervorum, impropriè dictus verò est, qui ex metastasi variâ vel causarum occasionalium vel productorum morbo-

rum

rum oriri solet. Renes ergò, cum nervos, sensationis organa habeant, partim utrinque ex propriis renalibus plexibus, partim verò simul ex plexu mesenterii maximo, Fallopiano aliâs dicto, conf. *Williss. Anat. Cereb. & nervo. Fab. XI. p. 263.* sanè hujus ultimi ratione, facilè unius renis affecti, & hinc irritati nervorum spasmus seu crispatura convulsiva, alterius renis nervulis communicari, & hinc utrinque idem effectus fibrarum & meatuum renalium contracturæ excitari potest. Nam parili ex ratione, & renum calculum Vomitus, & Iliaca convulsiva tormina non rarò comitari solent, ac contra. *conf. Dravviz.* vom Schmertz-machenden Scharbock. *Tit. 9. p. 370.* Sed remoto calculo, & cessante irritatione fibrarum nervearum in renibus, vel sopito aliquandiu per opiata malo, & urinæ redit transitus, & melius hinc habent ægri. Lucem hinc acquirunt observationes istæ, non curiosæ magis, quam elegantes, de usu Opii diuretico in Ascite, aliàs ceu lethali hoc in affectu proscripti, relatæ à *Bartolino cent. 3. epist. 46. p. 192. Et p. 49. 201. cum quibus conf. simul VVilliss. Pharm. Rat. p. 1. s. 7 c. 1 p. 302.* Nempe, talibus in casibus, non aliâ ex ratione urinæ promoverunt fluxũ, quàm vi suâ ut vocant, anodynâ, spirituum sufflaminando impetum, fibrarum nervorumq; renalium spasmum inhibendo, & hinc per apertiores redditos meatus, urinæ fluxum procurando: sicut in ultimo *Willisii* exemplo, (propter internam successivam forsan contẽtorum alterationem sudor & urina in desperato hydropico promanantes ex Opii usu, unam eandem efficientem causam, tàm per se, quàm per accidens talem agnoverunt.

§. XXV. Occurrit pro dictorum confirmatione Phænomenon, quod superioribus annis, in mercatore hujus loci haud ultimæ notæ observare contigit. Laborabat hic ipse gravi dolore lumbari in latere sinistro, ad vicinam regionem se extendente, & protenso simul deorsum ad pubem, rodente, urente, & miserè torquente, interdiu ferè quiescente, noctu verò præsertim à media nocte, crudelius & tantum non intolerabiliter affligente, adeò ut lecto ob id surgere, & deambulando, aliaque ratione insomnes noctes, & dolore molestissimo infensas fallere eogeretur. Hoc inprimis notabatur evidenter, quoties dolores noctu urgerent intensius, toties urina matutina excernebatur tenuis, pallida, seu moderatissimè citrina, eaque parca admodum: quoties verò vel Balnei ▽ dulcis tepidæ, vel anodyni Opiati usu, nox quieta, absque dolorum urgentia procuraretur, urinæ manè insequente intensius tinctæ, rubicundæ, cum copiosis ⊖ibus crystallisatis Urinalis parietes incrustantibus visui occurrebant: sed recrudescentibus doloribus, mox urina pallida, tenuis, pauca manè visebatur. Nullus aderat calculus. Oriebatur saltem malum ex ⊖ibus scorbuticis acido ⊖sis, renes & vicinas membranosas partes rodentibus. Fibræ ob id

vellicatarum ſpaſmo criſpatæ, & contractæ, pororum anguſtiam inferebant, quas non niſi latex urinarius ſolus, absque contentis ſeu imbibitis ⊖ibus pertranſire poterat: aſt ſi Balnei vel Opii uſu laxarentur denuò fibræ, & pateſcerent renales meatus, ⊖ibus ſcorbuticis ſaturata transmittebatur urina. Veriſſimum ſcil. eſt, ex affectu ſpaſmodico à ⊖ibus ſcorbuticis, nervoſo generi infenſiſſimis, adeoque tàm in partium urinariarum, quam abdominis doloribus præter alias occaſiones ſupprimi poſſe urinam,; ut accuratè hoc annotavit *Dravvizius* : *l. ſupr. cit.*

§. XXVI. Videntur ſufficere, pro confirmatione partim, partim pro illuſtratione aſſerti noſtri, Opiata ſudoris profluvia excitare ratione ſpirituum animalium, ſiſtendo illorum impetum, undecunque excitatum, & hinc tollendo ſpaſmum ſeu contracturam fibrarum nervearum curis rete ex parte componentium, adeoque removendo pororum conſtrictionem & vaſorum glandularum intercutanearum excretoriorum occluſionem. Sub quo tranquilliori ſpirituum motu, & pacatior ſtatus in totâ Republicâ microcoſmica obſervabilis eſt. Remittente enim undique fibrarum, ceu ſtaminum partium ſolidarum, aut fundamentalium, iut compoſitionem mechanicam ſaltem firmantium, tenſione fortiori, permeabiliores undique fiunt meatus, etiam alias exiliſſimi, promtius faciliusque quaquaverſum penetrant contenta liquida quælibet, & perſpirabilius univerſum ſic redditur corpus. Ipſum ſanguinis Nectar, vel febrili turgeſcentia & quaſi ebullitione, rapidius per vaſa raptum, aut fomentorum ac ſtragulorum calidorum applicatione notabiliter alteratum, & ad ſudoriferi laticis dimiſſionem diſpoſitum, ſub tali corporis ſtatu (ſub quo & nimia effervescentia acutiori ſub febre, conturbans totam ejus maſſam, moderatior ordinariò obſervatur) liberiori motu undiq; corporis perreptat latebras, ſpeciatim intercutaneas in glandulas ſeroſam ſarcinam, & hujus ſub involucro, quælibet heterogenea ſeparata, & quaſi ex ejus maſſa præcipitata recrementa, copioſè deſponit, quæ ſudoris in rivulos pedetentim concreſcit & effluit.

§. XXVII. Saltem quâ ratione & modo in ſpiritus agant Opiata, ita ut ſub exigua adeò ſui mole, inſignis ſequatur alteratio in toto illorum ſyſtemate, inquirendum ſupereſt. Aſſerta & explicata fuit ſuperius textura Opii pinguis ſeu oleoſa vel Sulphurea, quæ pro more concretorum oleoſorum ſpeciatim oleorum ♌atorum, in minimâ mole latiſſimè diffuſiva exiſtunt: declarat hoc, v. g. ol. ♌. aniſi, ritè cum vitello ovorum ſubactum, cujus quot ſunt guttæ, tot ferè ▽ ſimpl. menſuras, odore, ſapore & nonnihil colore imbuere ſolet. Tale ol. eſt ſaltem reſina vi △is liquefacta, & à craſſiore reliquo corpore ſeparata, qualis reſina condenſata adhuc & ita concentrata viget in Opio,

pio, cujus oleoſæ reſinæ ratione quoque latiſſimè diffuſibiles & explicabiles exiſtunt Opii atomi ſeu minima, quæ dum in minimo undique ſe diffundunt, ferè odorum inſtar latiſſimè explicantium, undique penetrantium, & obvia quæque plus minus afficientium ſe habere videntur. Unde etiam probabile videtur, ab odore tali ſubtiliſſimo, qui ſolidas partes minus tactu, ob ſubtilitatem afficere, liquidas ob perexiguam molem minus alterare valet, ſaltem ſubtilem & delicatam ſpirituum texturam, ab odoriferis omnium maximè alterabilem, affici, & mutua utrorumque, aſſociatione notabiliter immutari. Odorifera hæc Opiatorum vis ſenſibiliter ſe explicare obſervatur, ſub ejuſdem ſecundum *Langelotti* methodum *in Epiſ. ad Curioſ.* præparatione & quaſi fermentatione. Nec ignota fuit veteribus, cum jam olim & *Dioſcorides* illam obſervavit, de Opio referens, odorem ejus toto corpore expandi.

§. XXVIII. Subtiliſſimorum talium odorum vis, tantùm non ſenſibili effectu ſe exſerit, in ſummè debilitatis, & lypothymicis, quos odor vini generoſioris, vel cujuſdam aromatis, v. Cinnamomi penetrantioris, tantum non ad vivos revocare videtur. Pariter atque zibethi, moſchive odor, hypochondriacæ ſuffocationi obnoxias mulieres repentinâ ſyncope exanimat, quas caſtorei plumarumve incenſarum odor volatilis denuò reſtituit, ut ut inſigniter ægrarum idioſyncraſiæ hîc varient. Odor dico, quatenus ſpiritus animales in Odoratus corporeo organo ſenſile afficit, ſtupendia talia concitat ſymptomata. Tantum enim abeſt, ut in ſubſtantiis aſſumta talia hoſtilia ſint iſtiusmodi fœminis, ut etiam paroxiſmos hyſtericos dictos, efficaciter ſiſtant & refrænent. Comprobat hoc Experimentum *Horatii Augenii*, Medici olim Eruditiſſimi, quod refert *l.* 12. *Epiſ.* 7. quodque eum nunquam fefellit: Rec. moſch. optim gr. v. cinamom caryophill. nuc. moſch. ana. ℈j. M. in Vino odorato miſta hauriantur: in quo loco etiam pilulas de moſcho, ceu præſidium efficaciſſimum commendat. Sed cave ſis, ne fortè nares feriat talium Odor. Sanè umbilico illita zibethum vel moſchus Paracelſo ad hyſterica talia mala, laudantur. Plura quoad odorum mirabilem efficaciam vid. ap. *Helmont. tr. imag. ferm. imprægnat.* §. 16. & ſeqq.

§. XXIX. Præſtant tam ſingularia odores, dum per organorum ſenſilium tranſennas ſaltem ſpiritus afficiunt, quid non facient, propiori ſub contractu ac miſcelâ, ſi invicem coire illis datum fuerit. Utroque modo efficaciam ſuam exerit opium. Quoad internum uſum res alias nota eſt; externè turundæ in formâ, granum unum atque alterum laudani naribus inditum, profundiſſimum bidui ſomnum inferunt, teſte *Timæo. caſ. l.* 2. *caſ.* 9. ut taceam poma ſomnifera, ſpongiasque hypnoticas naribus

pro arcendâ agrypmâ identidem admovendas, Practicis quibusdam usitatas. Sub tali Ergò odore subtilissimo Opiata agunt in spiritus animales, quorum materialem texturam seu constitutionem, indeque dependentem impetum elasticum speciali suâ textura, seu seminali dote, ut alii vocant, adeò alterant, & quasi irretiunt, ut à debitis expansionibus remittentes, minus fibras sensorias aut motorias tendere sustineant, quia moderatiori sub motu, somni larvam induunt.

CAP. III.

Dubia nonnulla diluit.

Thes.

Opium subind Vomitum provocare, secessum & Urinam promovere, Lochiorum fluxum adjuvare, sudores supprimere, Crises minus impedire observatur, &c.

§. I.

SOmno tam naturali, quam Opiatorum artificiali, quasvis excretiones, adeòque & vomitus sisti, supra innuimus, experientiâ quotidianâ confirmati. Obstaculum non leve contra assertum hoc se offert ex eo, quod post Opiatorum vespertinum usum, vomitus matutinus, quin & interdum alvi fluxus insecutus fuerit, id quod & *Helmont.* non leviter aliàs Opio favens, observavit, tr. *ius Duumviratus* §. *62.* & crebriori experientiâ in hoc confirmatus fuit *Rolfinkius Chym. l.* 4. *s.* 6. *c.* 6. *p.* 248 *Conf.* simul. eleg. *observ. Celeb. Widelie: Opiolog. l.* 2. *s.* 1. *c.* 5. *p* 92. Sed conciliatio apparebit facilis, modò consideremus, opiata irritationis sensum, in Pyloro præsertim sopiendo, & spirituum animalium motum sistendo, adeoque fibrarum spasmum præcavendo, per se Vomitus compescere, per accidens verò interdum, saltem ubi priores istæ operationes jam cessaverint, eundem stimulare.

§. II. Considerandus hic venit Opii sapor amarissimus, acris, in subjecto viscidissimo hærens, qui ob id non nisi difficulter ex linguâ, post levem etiam gustatum elui potest. Amarities ista singularis & specifica, ut inimica existit Linguæ, ita hostilis admodum est stomacho, alias quævis amara, speciatim viscida horrenti, cum acidis inprimis delectetur. Tetrum illum

illum ſaporem mox horret Ventriculus, & nauſeâ hinc concitatâ ſive guſtatum ſaltem, ſive aſſumtum fuerit Opium, tædium iſtud confitetur. Parili ferè ratione, atque rhabarbari, aut aloës, ſcamoniive odorem & ſaporem amaricantes ſingulariter mox nauſeat ſtomachus, adeò ut quaſi peculiarem tactum ſive guſtatum, ſecundum *VVilliſium. Pharm. Rat. p. 1. ſ. 2. c. 1.* vel odoratum juxta *Helmontium*, *tr. Cuſt. Err.* §. *ult.* habere videatur. Nauſea iſta ſopitur quidem aliquandiu primitus, quousque nempe Opii in ſpiritus viget actio, indeque & ſenſilitas fibrarum ventriculi, & ſpirituum movendi eas nixus aliquantiſper ſufflaminantur. Aſt ni particulæ iſtæ hoſtiles, interea haud correctæ aut ſubactæ fuerint, ſed viſcidiore illa texturâ pertinacius agglutinatæ hæreant adhuc interiori nerveæ ac admodum ſenſili ventriculi tunicæ, facilè moleſtæ iſtius continuæ impreſſionis occaſione provocari ſpirituum impetus, & ſub regimine pylori ſpaſmus ventriculi, adeoque vomitus concitari poteſt. Confirmat hoc meum aſſertum non leviter, quod ab Opio pilulari in formâ exhibitio, & præſertim ab eodem ſpiritu vini ſaltem præparato, vomitum inprimis cieri obſervavit *VVedelius. Opiol. c. l p. 92. & 93.* Viſcidiſſimam enim & amariſſimam ſub hac præparatione opium retinet texturam, & quæ pilulari in formâ diutius in ventriculo hæret, & non niſi ſucceſſivâ diſſolutione corrigitur, adeoque diutius & ſenſilius parietes illius membraneas afficit. His modo dictis, ſocianda ſimul & alia concauſa, qualitas nempe & ſitus recrementorum præter naturalium, circa primas vias plus minus ſtagnantium aut turgeſcentium, qui mediante Opii operatione in ſpiritus, in motu ſuo plus minus oppreſſi, illa ceſſante, denuò & interdum atrocius quam antea, commoti, ſimul vomitum, in ſtomachante jam ventriculo promovere ſolent.

§. III. Sanè non leviter hoſtile videtur ventriculo Opium, cujus ut digeſtionem ordinariò turbare obſervatur, ita etiam gravaminis ac compreſſionis circa ventriculi regimen, ſenſum, & vix explicabilem ab ægris moleſtiam circa præcordia Opiata inducere ſolent, idque præſertim ſiccâ in formâ, omnium maximè Pilulari ſi propinentur. Manu ergò hæc ipſa nos ducunt, ad legitimam Opii, quoad hoc punctum, correctionem, ac præparationem. Textura nempe viſcida & glutinoſa reſolvenda, adeoque quatenus oleoſa ſeu Sulphurea ad faciliorem ſui diffuſionem, ſimulque quaſi promtiorem difflationem redigenda, & liquidæ eſſentiæ ſeu Tincturæ ſub formâ propinanda. Promptioris ſic operationis evadit remedium, & quod ſine diuturniore in ſpiritus actione confortati vi potius, quam ſtupefactivi rationem habebit, ac abſque ſingulari ventriculi, primariarum viarum moleſtiâ, citò tuto, & jucundè curabit. Quas intentiones haud melius aſſequi poſſumus, quam applicando generalia iſta mechanica (ſi non ſemper Naturæ, revera tamen)

tamen (artis instrumenta , acidum & alcali. Illud agendo primario in alcalinas Opii particulas & hinc etiam in oleosas, illarum medio universam ejus texturam alterando , urinosum nempe vol. figendo , ol. sum verò condensando , castrat & plus minus enervat generosam aliàs medicamenti energiam. Idque eò magis, quo potentius acidum fuerit, quale istud minera lium esse solet , unde acetum ♌ saltem in hac præparatione , a. citri succus eligendus, utpote ex eadem cum Opio, vegetabili nempe prosapiâ. Parilis acidorum vis & in purgantia obvia, quæ omnia ab acidis , præsertim intensioribus aut fixioribus castrantur insigniter. Præstat ergò, pro supra insinuato scopo , ad Laudani ex Opio præparationem adhibere alcali quodcunque fixum , v. g. ⊖ Tart. ceu generalem omnium vegetabilium deleteriorum aut Oeconomiæ nostræ hostilium, tam solutivorum, quam stupefactivorum, aliorumvè correctorem. Agit scil. hoc ipsum sive siccâ, sive humidâ in viâ procedatur , in Opii texturam resinosam , attenuat hanc ipsam nonnihil, dissolvit oleosum, viscidum incidit, acidum temperat, hinc nimiam acrimoniam corrigit, ac ita totum concretum promtius solubile & undique diffusibile, uti & cuivis fluido permiscibile reddit. Corrigitur hoc ipso simul acris & nauseosa ejus amarities, mitiorque & minus inimica ventriculo redditur. Adeò ut considerationem ulteriorem mereatur omnino , utrum acrimonia ista resinarum, aromatum, purgantium &c. non secus ac opiatorum, non ex acido potius, quam ex alcali derivanda veniat. Cum quotidie observemus, oleum ♌ta à calcinatis rectificatione mitiora & minus acria evadere. Correctum sit per alcalia Opium , optimè spiritus vini beneficio, in essentiæ Tincturævè consistentiam redigitur, commodè vel sub hac facie propinanda, vel imbibendo eadem pulveres quasvis, in pulveris larvâ obvelanda, aut spiritus dicti abstractione in extractum, redigenda. Sunt nonnulli, qui ulterius ⊖ Tartari, vel ✠ Vini , vel ipsum Vinum addere amant , pro exactiori Opii correctione , methodo omnium certissimâ, quâ optimè præparatum Opium tutissimum evadit remedium. Vereor a. ne nimis cicuratum Opium debilioris aut tardioris pro vehementius interdum urgentibus symptomatis operationis fiat. Dum ergò tam laudabiliter corrigitur Opium à ⊖ Tartari, fixo, quid non sperandum erit , de eodem volatilisato ? penetrantioris omninò & potentioris hinc activitatis. Cujus locum interea suppleat, ⊖ Tartari triplo oleum ♌ therebinthinæ probè imprægnatum, & ita quasi elixiratum ; Præparatio revera, quæ non absque præmeditatâ ratione primitus ordinata fuit à *Starkey* peritissimo Chymiatro Anglo, & crebriori postmodum experientiâ confirmata plus omninò in recessu habet, quàm ut obiter à *Willisio: Pharm. Rat. p.* 1. *s.* 7. *c.* 3. ad empiricorum remedia referenda sit.

§. IV. Quæ

§. IV. Quæ modò de vomitu Opiatorum usui interdum supervenienti explicata fuerunt, eadem pariter excretionibus per inferius guttur, aliquando ab Opii usu observatis mutatis tamen mutandis applicari possunt. Sed præter aliqualem ab acrimoniâ nauseosâ in particulis ejus viscidis intestinorum stimulum, alio modo alvi solutionem promovere potest, quatenus in dolorosis intestinorum pathematis, eorumque fibrarum spasmodicâ contractura, constringi pertinacius solent intestina, & contenta minus, cessante ferè successive eorum peristaltico motu propellere. Frustra sub tali articulo propinantur solventia alvum quæ vel malum exasperant sensili stimulo, absque desiderato effectu, vel inverso penitus superiorum intestinorum motu, vomitum potius provocant. Sin verò Opio leniantur dolores, ut remittat inde fibrarum spasmus & durius antea emolliatur quasi abdomen, facilè solutiva quæcunque, sive junctim sive seorsim modo dicta remedia propinentur, speratum sortiuntur effectum; id quod in Colicis & Iliacis Pathematis probè observandum, docente hoc experto *Wedelio*: Opiolog. p. 2. s. 2. c. 5. p. 120. & praxi idem confirmante, *in Misc. Acad. Nat. Cur.* anni. 2. obs. 238. p. 340.

§. V. Urinæ excretionem, eamque post eam quæ fit per sudorem Opiatorum usui subindè supervenientem, uberiorem, quomodò per accidens promoveat Opium, jam supra §. 32, c. 2. pluribus explicatum fuit.

§. VI. Revocant hæc in mentem istud ad Phœnomenon persæpius in puerperis observare datum fuit, dum nempè primis 2bus vel 3bus diebus liberè fluunt lochia, quæ sub turgescente in mammillis Lacte sponte, absque manifesta causa alia, sive præcesserit lactea febris, sive non, supprimi solent, tunc scil. temporis, dum dolere & tumere, simulque indurescere solent mammæ: sed cessante dolore & vel insensibiliter translato aliorsum lacte, vel sensibiliter per papillas transudante, libere fluunt denuò Lochia. Nempe doloris occasione intensioris, in sensibili illo mammarum globo, & turbatur spirituum ordinatus motus, stringuntur undique in corpore fibræ, & tenduntur simul uteri ejusque membranosæ vaginæ fibrillæ, hinc excernendorum per hæc loca debitus supprimitur fluxus, qui largiter redit, simulac cessante in mammis dolore, cessat etiam fibrarum contractura. Nec est, quod fluidorum istorum impetum ex locis inferioribus ad mammas hic objicere velis, siquidem dum durat adhuc mammarum repletio, aut per papillas etiam lac excernitur, nihilominus, modo dolor illarum remittat, redit lochiorum profluvium. Par nempè hic est ratio, atque intensiorum post partum dolorum, quorum occasione etiam supprimi plus una vice observavi lochia. Unde & memoratis in casibus (nisi in priori Lactea febris obstet) opiata cæteris remediis

speciatim

ſpeciatim miſturæ polychreſtæ ex Lap. *69*. c. aceto additâ myrrha , permiſcere fauſto cum ſucceſſu conſuevi, cujus uſu reſtituto ſpirituũ motu in ordinem, & relaxatis hinc fibris, tantum abfuit, ſuppreſſus exinde fuerit purgamentorum fluxus, ut auſpicato potius redierit.

§. VII. Simile quidem obſervare licet in infantibus achoribus affectis, quibus ſub dentationis doloribus, mox achores diſparere ſolent, superveniente hinc febre continuâ lymphaticâ, plus minus acuta , ſubinde cum gravi tuſſi, aut alvi fluxu comitata: ſicut ceſſantibus doloribus iſtis, efflore-ſcere denuò auſpicatò, cum febris aliorumque ſymptomatum ceſſatione ſolent achores. Nempè doloris occaſione inordinatus ſpirituum redditur motus, & fibræ aliarum quoque partium ſenſilium præſertim inter cutaneæ iſtæ in facie , ceu proxima regione ſtringuntur, indeque achoroſæ materiæ ulterior excretio impeditur , iſto quod jam effloruerit exareſcente penitus & decidente. Hinc turbatur ſimul ſanguinis tàm progreſſivus quam fermentativus Motus , excernendis iſtis per faciei ambitum retentis, febrili ebullitioni occaſionem ſubminiſtrantibus , ac tuſſim vel diarrhæam inducentibus, ubi de acriori illo acido ⊖ſa lympha vel ad tracheam arteriam l. inteſtinorum tubulos aliquantulum excretum fuerit. Donec ceſſante dolore, & æquabilis ſpirituum redeat motus & ordinatâ magis fermentatione ſanguinis mediante particularum iſtarum acido ⊖ſarum plus minus viſcidarum ſecretio & quaſi præcipitatio, ac intra poros cutis per glandulas ob de uno relaxatas fibras ſecretio ſuperveniat.

§. VIII. Tandem Opium egregium eſſe ſudoriferam ſupra pluribus excuſſimus, dubium tamen aſſertum hoc reddere videntur tabeſcentes. Notiſſimum eſt , phtiſicos, vel ad phtiſin declinantes ægros , copioſis ſudoribus nocturnis eſſe obnoxios, ita ut quidem, ut ſimul atque perfecto ſomno corripiantur, mox toti ſudoribus diffluant. Obſervatio autem repetita in Praxi me hactenus docuit, præcaveri optimè poſſe ſudores hujusmodi, revera colliquativos, Opii veſpertino uſu. Aliquot ſaltem exempla recenſere juvat: Mulier plebeja 42. annorum pleuritide graviſſimâ correpta , & jam ferè deplorata ſeptimo ſcilicet demum die opem meam implorans , per Dei gratiam, ſudoriferorum imprimis appropriatorum ope convaluit. Reſtitabant autem adhuc Tuſſis humida , difficilis nonnihil reſpiratio, aliaque ſimilis ſpeciei ſymptomata, Phthiſin minitantia, quæ uſu decocti heder. terreſ. & cherefolii ſublata quoque fuerunt. Saltim ſudores nocturni continui , pleno rivo emanantes, emaciantes inſigniter & debilitantes ſupererant. Pro quibus coërcendis præſentaneam Opem ſenſit ex Laud. Op. gr. iß. cum antihect. Poter gr. XV. miſto, & ſub introitu lecti, poſt moderatam prægreſſam cænam aſſumto, cujus uſu primitus ceſſarunt iſti ſudores eoque continuato

penitus

penitus exaruerunt. Superiori anno Civis Academicus Jurium ſtudioſus, graviſſimâ corripiebatur hæmoptyſi, ipſo ex aliquot annorum tuſſi humida, ſpiritu minus libero, nativa corporis conſtitutione, aliisque ſimilibus ſupervenientibus ad Phthiſin diſpoſito. Uſu convenientium remediorum, contumax malum ſævire deſiit, ipſo ægro cætera commodè habente, ſaltem quod calor quaſi hecticus ab omni paſtu, cum tuſſi moderatà humidà, & copioſiſſimis ſudoribus nocturnis etiam ſub primis ſomni horis, ſupereſſent. Pro quibus coërcendis optimè contulit pulvis, ex arcani duplic. ℈ij. Lap. 69. antihect. Poter. ana. ʒß, Land. opiat. per fermet. gr. IV. ad V. M. pro 4. doſibus horis duabus ante cœnam aſſumendis. Non ſecus ac Viro perfectè Phthiſico, pro tuſſi nocturna aliisque ſymptomatis nonnihil coërcendis præſcriptæ Pilulæ, ex anthiect. Poter. ℈j. ſacch. Saturni ℈ß. extr. croci. gr. vij laud. fermet. gr. iij. cum ſ. q. balſ. peruvian. in debitam conſiſtentiam redactæ, pro 2. doſ. veſpertinis, ante cœnam aſſumendæ, præter alios uſus, & ſudores copioſos noctu promanantes compeſcuerunt. Adeò ut talibus in caſibus reprimat ſudores Opium nimios, quos deficientes, promovere optimè ſolet.

§. IX. Pro hoc Phænomeno, ſanè difficili dilucidando, duo præſupponenda veniunt. 1. Quod Phtiſici omnium optimi, Opiatorum etiam continuatum uſum ferre poſſint, ut ſupra inſinuatum fuit, & cum eadem aliàs aliqualem lauguorem, & notabilem corporis laſſitudinem poſt ſe relinquant ut plurimum, in Phthiſicis contrarium accidat, qui vegetiores exinde, & ut ipſis ſaltem videtur, robuſtiores potius redduntur. Quo ipſo tamen, non illos intelligo, qui jam ad extremum Tabis gradum perducti, ſupremâ ſpiritus difficultate laborant, & ſubinde ſuffocandi videntur talibus enim narcotica, omninò futura eſſent necrotica, d. qui in Chronico & Medicis tædioſiſſimo affectu, medio adhuc ſunt in gradu. Scilicet in præfatis Phthiſicis ſubtilis admodum, ac rara deprehenditur ſpirituum animalium textura, unde & facilè diſſipabiles exiſtunt iidem, (indeque minimis motibus defatigantur tales ægri,) & ſub ſomni præſertim quiete contractiores magis illorum radii, minus extremas partes animant. Mutat autem eosdem Opium, dum condenſando quaſi, aut figendo nonnihil, raram eorum texturam alterat, & facilem diſſipabilitatem coërcet, ut vegetiores hinc reddantur Phthiſici. 2. Quod in genere ad fluidorum corporis noſtri debitam in partes ſolidas receptionem, per easdem transmiſſionem, uti & ex iisdem excretionem, requiratur omninò certus fibrarum nervearum, ceu ſtaminum fundamentalium Tonus, ultra materialis texturæ rationem, à ſpiritibus influis inprimis dependens, qui ſcil. nec ſtrictus ſit nimis, nec anguſtatis aut occluſis plus minus poris intermediis, aut coarctatis præter modum vaſculis tam traje-

ctoriis quam excretoriis, impediatur debitus contentorum tranſitus, nec laxus nimis idem eſſe debet, ne flaccidioribus redditis partibus, aut pori meatusque earum itâ per meabiles fiant, ut non tam transmitti fluida, quam ſpontaneo motu permeare eos undique, & ubique ceu per ſpongias penetrare videantur aut orificiola vaſculorum receptoriorum ex tono illo flaccidiore collabantur, ac itâ debitam transmiſſorum fluidorum trajectionem ſiſtant. Quibus præmiſſis, & ab omnibus facilè concedendis, ſuſpicor, in Phthiſicis tâm copioſos effluere ſudores nocturnos quatenus ſub ſomni quiete, ſpiritus animales, rarioris, ut ſupra dictum, texturæ, minus irradient partes extimas, adeò ut debito fibrarum Tono conſervando minus ſufficiant, unde per patentiores undique meatus, & poros partium intercutanearum, & ſpeciatim glandularum, nutritius ſuccus interdiu ex alimentis congeſtus, ſed ob ſanguinis dyſcraſiam non aſſimilatus, ſponte ſuâ, ſub ſanguinis circulo (ſimili ferè ratione, atque ſupra de ſyncopticis monitum) penetret, & ita nec cum ſanguine untius, nec in meatibus partium ſolidarum debitè coërcitus, promptiſſimè, quâ datâ portâ ruat, & ſub ſudoris facie diffluat. Compeſcit vero hunc Opium in Phthiſicis, corrigendo iſtam ſpirituum texturam, ut Tono fibrarum conſervando melius ſufficiant, quo partim tranſmitti naturaliter queat nutritius ſuccus cum ſanguine per vaſcula intercutanea & meatus ne proprio impetu elabatur, partim retineri diutius intra porulos partium nutriendarum is ipſe, eosdem irrorare & nutritioni deficienti aliquantiſper ſic ſaltem ſuccurrere.

§. X. Dum itaque ſudorem egregriè promoveat, quin & ſecundum ſuperius monita, nimios contentorum tumultus, quibus Naturæ Medicatricis negotium, non raro turbari ſolet, nonnihil refrenet laudandum Opium, ſuſpicio ſuboriri poſſit, an perpetuæ ſit veritatis Practicorum effatum, *Opium inſtante Criſi haud adhibendum, quia Criticum Naturæ motum inhibere aut ſiſtere ſoleat.* Multa equidem de Criſibus, eaque ad pompam magis Theoreticam, quam uſum practicum facientia, hinc inde apud ſcriptores medicos deprehendi ſolent, quæ ad noſtra Climata, eorumque Incolas & horum Diætam, indeque natos affectus minus applicari poſſunt, unde etiam tam rari ſunt veri motus Critici in ægris noſtris, ut taceam incertum admodum dierum Criticorum computum, adeò ut bonus Medicus negligere debeat Criſin, ut loquitur *Helmont.* de febr. c. *XI.* §. 18. ſi ſcil. eam poſſit anticipare, ſeu ante Criſis adventum morbum ſuperare. Nihilominus cum ad quælibet attentum deceat eſſe Medicum, in acutis maximè morbis, quorum incertæ adeò ſunt *Hippocrate* autore, prædictiones, ne in his circa Opiatorum uſum, adeò polychreſtum, nocumenti quid accidat ægris, omnino præcavendum. Diſtinctio autem motuum Criticorum obſervanda eſt, dum quædam excre-

excretiones Criticæ fiunt , mediantibus ſimul partibus organicis, quibus vellicatis, adeoque ſenſu earum affecto, & hinc periſtaltico concitato motu, provocantur partim, partim promoventur per eas excretiones, & tales quas vis Criſes impedit, plus minus ſiſtit Opium, quales ſunt, quæ vomitu, diarrhæâ, hæmorrhagiis quibusvis accidunt, &c. Aliæ Criticæ evacuationes eveniunt ſine tali partium activo & motivo concurſu, per ſimplicem humorum concoctorum ſeu præcipitatorum motum tranſcolatorium, quales per ſudorem, item per urinam obſervantur, & haſce Criſes, minus impedire arbitror Opium, dextrè & circumſpectè adhibitum. Quinimò promovere potius eas, quatenus graviora ſymptomata, motum contentorum Excretorium interdum impedientia, ſaltem plusminus turbantia ſiſtere, & ita tutiorem ad minimum Criſin reddere valet. Idem aſſerendum videtur, de iſtis Criſibus, quæ per transpoſitionem fiunt, & quibus tumores ſuperveniunt, has ipſas, & materiæ ad ſui in certis locis ſecretionem, & inde coacervationem diſpoſitæ decubitum, qui impedire valeat Opium, non video. Circulari enim ſanguinis motu mediante, cum omnes modò memoratæ contingant Criſes, eumque rapidiorem, aut concitatiorem refrænet Opium nonnihil, hoc ipſo ad meliorem cum ſudore & urina excretionem , vel in apoſtema congeſtionem materiæ coctæ non parum conferre veroſimile eſt. Intermittentium febrium quot paroxysmi tot parvi morbi acuti eſſe videntur, ordinariò ferè excretione quaſi Criticâ per ſudorem, interdum verò per urinam finientes, præmiſſum in his ante paroxyſmum Opium, cum ſpecificis antifebrilibus, ut multum minuere ſolet paroxyſmos, interdum penitus profligare, haud tamen ſudorem in ilis coërcere in fine, aut impedire obſervatur.

§. XI. Eo ipſo autem, quod ſudationem ſalten promoveat Opium, rarò illo ſolo pro ſudorifero utendum erit. Haud enim ſufficit , quod Cutis Cribrum ad tranſcolationem per meatuum aperturam & aptam diſpoſitionem ritè ſe habeat , niſi & ſanguinis alteratio ac quaſi fuſio, ambientisque debita temparatura unâ conſpirent. Ob id appropriato ſudorifero, quacunque formâ exhibendo, ſociandum , & ita mutua unione utriusque operatio & effectus eò magis perficiendus. Opii nempe polychreſtus alias uſus ad ſudorem ſic ſpecialius determinatur, ſudoriferorum verò operatio, ne ſit fruſtranea, præcavetur. Obſervavit hoc jam olim feliciſſimus *Platerus*, ob id *in Obſervat. ſuis l*, 3. *p.* 633. & 727. ſudoriferis narcotica ſe addere ait, pro uberioris ſudoris provocatione. Quinimò hoc Veneranda antiquitas, in Theriaces Mithridatiique compoſitione ac præparatione attendiſſe videtur, Opium inſigni in doſi, cæteris quamplurimis ingredientibus, plus minus ſudoriferis addendo, & una fermentando. Sub quo fermentationis motu inteſtino, tam oleoſæ & reſinoſæ, plurium ingredientium ipſiusque adeò etiã

Opii particulæ attenuantur & resolvuntur, ut inde penetrantiores ac magis activæ evadant, (unde & ad decennium fermentationem extendere voluerunt Arabes) quam novum concretum ex mutuæ confermentationis unione, ☉nium vol. ol. sum anodynum & sudoriferum emergit. Quod adeò rigorosè urgent *Platerus in Obs.* & *Walæus in Meth. medend.* ut illæ compositiones absque Opio, ceu sua animâ vi sudorifero carere asserant.

§. XII. Ex hactenus allatis, facilè est intellectu, quibus in casibus Opium sudoriferis sociandum sit, nempe quandocunque symptomata urgentia impedimento sunt, quo minus sudare queant ægri. Nullum enim symptomata urgere solet, quin spirituum animalium p.n. impetus vel causæ efficientis proximæ vel concomitdntis rationem saltem habere soleat, unde de facili, occasione tali contrahi fibræ cutaneæ, & coarctari excretorii pori possunt: ut taceam M. *Sæ* cœterorumque contentorum, vel perturbatos intestinos, vel concitatos nimis locales motus, sub tali statu simul plus minus sudoris dimissioni reluctantes. Frequens scilicet causarum efficientium, ut ut subinde mutuo subordinaratum observatur Circulus in Oeconomiâ animali, adeò ut & contentorum vitia, plus minus vellicent partes solitas, quâ occasione irritantur spiritus, quorum impetus postmodum plus minus modificat illorum motum. Qualis circulus non minus manifestus est, in mutuo partium consensu, dum stomacho frequenter condolet caput, & hoc malè habente stomachus propriam subvertit Oeconomiam. Pariter & frequentissimè quibusvis urgentibus symptomatis, per consensum affecta cutis, claudit poros, sudorisque obdurat fontes.

§. XIII. Varias autem inter partes, quibus consentire solet cutis, specialem sui considerationem merentur præcordia, hoc est ista abdominis pars, quæ extrinsecus quidem regione epigastricâ & ex parte hypochondriacâ circumscribitur, intrinsecus vero stomachum inprimis complectitur, prout hodiè hæc Vox accipi solet: & à *Celso inprimis l. 2. c. 3.* ferè describitur. Ut ut enim Doctissimus *Fernelius* febr. l. 4. c, X. præcordiorum nomine, ventriculum, diaphragma, jecoris Cava, lienem pancreas, Omentum aut mesenterium simul complectatur, tamen Ventriculo ob eximium sensum, manifestum ejus cum cæteris partibus membraneis consensum, primariò præcordiorum appellatio convenit; ipso ejus orificio communiter superiori, dicto, καρδία Veteribus appellato. Unde & *Celsus* præcordiorum dolorem stomachi infirmi indicium asserit; l. 1. c. 8. *Hæc ipsa præcordia*, ut modo laudati *Trium Galliæ Regum Archiatri* verba c. 1. mea faciam, *& partes omnes quæ circa hæc sunt, quia membranis sepiuntur, nervosque sentientes suscipium à sexta* (secundum Veterum Anatomicorum ordinationem) *Cerebri conjugatione, eximio tangendi sensu sunt prædita; Magnâ etiam societate tum principibus,*

bus, tum externis corporis partibus connexæ sunt, iisq; adeò consentiunt, ut affectæ mox principes partes, universumque corpus in consensum trahant. Sic enim Vinum meracius, liberaliusq; sumtum, tametsi Ventriculo nondum elapsum est, mox tamen exulceratæ Vesicæ, aut vulnerati Cruris, aut arthritidis dolorẽ exsperat: Ex hisce autem sedibus febrium horrores rigoresque, in quibus cutis manifesto afficitur, suscitari eleganter idem docet *Fernelius*, dum c. 1. ita pergit: *Sic & frigidæ potus liberalior, corpus universum frigore horrorevè concutit. Bilem Vomiturus rigescit, multoque magis, qui alienum vitiosumque cibum, velut fungos sumsit. Rigescit & cui calidum mordaxque medicamentum ventriculum præcordiaq; ferit, non minus quam si nudam cutem, aut ulcus acrius compungat. &c. &c. Hoc quoque vel inde constat, quod si accessionis initio humidi fotus aptè calentes, pricordiis imponantur, maximè vero Lieni in quartana, jecori in tertianâ, aut cuicunque alii sedi fomes inesse deprehendatur, horrorem rigoremve leniant, quia nimirum ipsi mali fontem demulceant. Jam verò sudores, non è solo corporis habitu, sed & interdum è præcordiis moveri, hinc scioi potest, quod qui vel exercitatione, vel ☉ ardore exæstuant, si frigidam liberalius bibat, mox totus sudore diffluat.* &c. &c. Hæc ipsa sanè, quæ hactenus eleganter disseruit *Fernelius* de præcordiorum cum habitu corporis cutaneo præsertim consensu, quotidiana ubertim confirmat experientia, & quod de fotu calente refert, comptior moderna Praxis per olea ℞ta felicius præstat, quatenus ab his, præsertim penetrantioribus, v. g. caryophyll. aut macis, aut cinamon, præcordiis illitis, fotu lateris calentis desuper admoto, rigores horroresque manifesto imminui, interdum ab iis maturè applicatis penitus præcaveri, observamus. Penetrant enim profundius talia olea ℞ta, & ipsum ventriculum sui quasi afflatu tam sensibiliter afficiunt, ut meminerim, superiori anno crebrius vomentem ægrum, cui ℞ta talia, oleo nucistæ expresso excepta ventriculi seu præcordiorum regioni frequentius illinebantur, sponte sua asseruisse, se inrejectaneis illis per vomitum, linguæ judicio exactè sentire linimentum illud, cujus odorem sub illioitione aliàs perciperet. Jam verò in istis rigoribus horroribusque cutanearum fibrarum contracturam, clausuramque pororum simul contingere, nemò facilè dubitabit.

§. XIV. Prout itaque diversimodè afficiuntur præcordia, etiam ipse habitus corporis cutaneus per consensum multipliciter constitutus. adeoq; ad sudoris transmissionem magis, minusvè dispositus erit. Mirabilis sanè est membranosi generis in universa corporis machinâ connexio & consensus, mutuaq; hinc, quoad tam actiones quam passiones conspiratio & concentus, iis in casibus in quibus anatome nondum lucem subministrat sufficienter, adeò obscura, ut etiam *ignotam actionem regiminis*, ingeniosissimus alias *Helmont.* fingere coactus fuerit. Ex quo consensu etiã nasci videntur horrores isti rigoresve, qui ex partium membranosarum abscessu, fonte suâ rupto, ordinariò ægros affligũt, rupti-

ruptique abſceſſus, haud poſtremi indices ſunt, membranis ſcil. perforatis, pus factum effundentibus, ſicque ſenſibiliter læſis, cætero membranaceo genere conſentiente. Sed ut revertar in viam, illa inter pathemata, quæ ex præcordiorum conſenſu ſudoris effluvia cohibent, eminent vel maximè inexplicabilis illa circa præcordia, ſeu ſtomachi regionem moleſtia, ſeu anxietates, quas *vulgò* Hertzens-Angſt appellitant, quaſi ipſum cor pateretur primario; quæ frequentes videntur occaſiones, pororum contracturæ, ſudoriſque ob id deficientis in morbis præſertim acutis malignis. Sæpius ſcil. in praxi malignarum febrium obſervamus, æſtu ante maximè corpore, ægro ipſo copioſius bibente, ſtragulis etiam cooperto, cum pulſu celeri, frequenti, plus minus vehementi & magno, (ut nihil dicam de illis, qui malignis in febribus, quoad urinam, calorem &c. ſanorum ſimiles apparent) nullum ſudorem, etiam poſt propinata ſudorifera elici poſſe, cute ſemper ſqualidâ & aridâ, ac quaſi nonnihil corrugatâ exiſtente, ægro alias naturali in ſtatu, facillimè ſudante. Jam equidem concedendum eſt, alteratum his in febribus eſſe inſigniter ſanguinis ſtatum, impedientem plus minus laticis pro ſudoris materia ſeceſſum: quod tamen hæc ſola, in tali ægri, præſertim ſiticuloſi ac bibacis, ſtatu, tali cum pulſu &c. cauſa ſit, denegati penitus ſudoris, equidem perſuadere mihi haud poſſum, quin potius arctior fibrarum cutanearum ſtrictura, & hinc pororum clauſura videatur ſudorem impedire. Nempe ventriculo, ejusque ſuperiori orificio malè affectis, ſpeciatim fermento maligno, contagioſo obſeſſis, ut anxii, inquieti, & agrypni, ſine manifeſtâ cauſa redduntur ægri, ita tantum non integrum membranoſum genus conſentire, hinc & cutaneæ fibræ contrahi videntur. Diffuſo verò ulterius maligno fermento, & ſyſtema nervorum plus minus afficiente, eo magis & nervea cutis compati, hinc portas quaſi undique claudere, & ſudore quoque tranſitum pertinacius denegare pergit. Unde fermento maligno, quod acidum ſtatuit, ab ☿ialibus fixioribus abſorpto, relaxari pororum contractura, corpusque denuò tranſpirare, non ineleganter aſſerit. *Tachenius*: H. C. c. 21. p. m. 165. 167.


§. XV. Sed quod de præcordiis, fermento venenoſo in febribus maliginis obſeſſis modò monitum fuit, cujus hoſtili præſentiâ, anxietates ipſis ægris non explicabiles, inquietudines, agrypniæ excitantur, & per conſenſum hinc pororum corporis contractura inducitur, ulteriorem poſtulat explicationem. Nempè præ cæteris affectib⁹, perquam contagioſæ exiſtunt maligniores febres quæ contagia fermentativa, vel fermenta contagioſa, utrumque rectè dici videtur, quæ inſpirationis medio, ut plurimum ſe nobis inſinuant, quascunque etiam alias corporis partes afficiant, ſemper ſimul ventriculo communicantur, indeque nunc citius, nunc tardius, pro circumſtantiarum tam in agente quam patiente differentiâ, nauſea, in explicabilis quædam circa præcordia moleſtia

ſeu

ſeu anxietas, alvi etiam conſtipatio, ſitis intenſa, vagus, ut ut primitus leviuſculus, horror, (ut taceam cephalalgiam & agrypniam, nunc citius, nunc tardius ſupervenientes) ægrum affligere ſolent, horrente univerſo ſyſtemate inimicam impreſſionem, circa ſtomachum factam, & quaſi undique contrahente ope motoris ſpiritus quosvis meatus, quo ab hoſtis peregrini inſultu, eo melius ſe tueatur. Contagiorum hunc afficiendi modum, expertus inſinuat *Lindanus*, *diſc. ſuper Hartm. prax. Chym.* dum inquit. *Ita autem propagari contagium, ego experimentis didici, tam in me ipſo, tam in aliis; Miaſma ſcil. fuiſſe primum attractum in ventriculum, & ſtatim nauſeam ſubſecutam. Nauſeam autem ſupervenire eſt bonum, ſignum enim eſt, non ſtatim tranſire ad maſſam ſanguineam; & in conſtitutionibus epidemicis notandum neminem nauſeare, (niſi forſan ex ingluvie) niſi qui miaſma acceperit, & ſi adeſt nauſea, mox vomitus provocandus.* Hinc etiam febrium malignarum ſedem principalem in ventriculo eſſe, res confeſſa eſt, apud *Bartolinum cent 3. epiſ. 42. p. 156. pariter ac apud Helmontium, Tumul. peſt.* p. m. 843. 967. 891. *conf. Bartolin. cent. 3. hiſt. 68. 80, 50. it. Diemerbrock* de peſt. l. 4. hiſt. 15. adeò ut ſemper ferè in febribus malignis ventriculus vel Eſcharam vel inflammationem, vel alia hujus cenſus contraxiſſe, obſervatus fuerit. Propterea etiam tam in malignioribus, quam peſte ipſâ, ſi contagii ſuſcepti ſuſpicio, ſit, initium curæ à vomitorio optimo cum Conſilio inſtituitur. Sanè ſi ægros tales in morbi progreſſu anxietatibus, inquietudinibus, jectigationibus, cephalalgiis, &c. affectos interroges, in quanam corporis regione ita malè habeant, **wo ihnen denn ſo angſt und bange ſey /** epigaſtrium intento digito monſtrant, & hoc ipſo Medico inſinuant, ventriculum inprimis peſſimè affectum eſſe, per cujus conſenſum & capitis membranæ tendi, caputque hinc diverſimodè dolere videtur: qua occaſione & cutis contrahi pori, ſudorque ſupprimi probabiliſſimum eſt. Exinde enim in variolis, purpuris, petechiis, &c. anxiis & hinc inquietis exiſtentibus ægris, vix ac non niſi imperfectè, cutaneæ excretiones ſuccedunt. Nempe ut membraneæ ſub epigaſtrio partes tendi, ex fibrarum irritatarum ſpaſmo tali ſub ſtatu ſolent, quod ipſi interdum fatentur ægri **es ſey als wenn alles darum voll ſey/ und thone /** ita & per conſenſum cæteræ membraneæ partes tendi, ut ſupra ex *Fernelio* deductum fuit, hinc & cutis pori ſimul pertenſas & contractas fibras coarctari ſolent. Pro quibus ſymptomatis mitigandis Opium optimo cum conſilio ſelectis additur, vel ſudoriferis, vel alexipharmacis, de quo cum ſupra jam actum fuerit, vela hîc contrahimus, & diſſertationi præſenti imponimus

FINEM.

I.N.J.



I. N. J.

De Coraliorum Tinctura.

NOn Thales ſolùm Mileſius, σοφῶν iſte σοφώτατος, firmiter ſibi perſuaſit, ex Aquâ omnia primam ſumſiſſe originem, ſed modernorum quoque quamplurimi, experientiæ adjungentes rationum ſubtilitates, idem adſtruunt, quibus ingens rerum varietas, quâ aquæ Oceani præprimis ſe jactitant, non leviter patrocinatur, quæ ipſa fertilitatis palmam Terræ, ingenti rerum multitudine, quas tanquàm alma parens ſinu ſuo quotidiè excludit fovetque, ſuperbienti ambiguam omninò reddit. Commoti exinde Antiqui Gentiles, Mari quoque Deum ſuum Neptunum tribuerunt, regio Tridentis inſigni eum inſtruentes; innuentes hoc ipſo, latè ejuſdem per omnia 3. Regna. minerale, vegetabile & animale, diffuſam potentiam. Adhæc ſpuma Maris eſt iſta materia, ex quâ amica Venus, omnigenæ fertilitatis parens, enata fingitur. *Nihil enim aqua potentius, & efficacius in rerum naturâ reperiri poteſt, vita & mors ab ipſa dependent, infinitaque ſecreta & arcana ſunt in intimis aquæ, quæ regna omnia pretiô ſuperant & antecellunt.* Nos impræſentiarum ſepoſitis cæteris ramum ſaltim Coraliorum rubrorum è maris fundo decerpamus, eumque, ut Chymicorum hactenus in exuendâ ejuſdem purpurâ induſtriam fatigavit, paulò exactius, aſſiſtente Divini Numinis gratiâ, conſideremus. Neceſſe eſt autem, ut primò

Faber Panchymiæ l.4 c.9.

Statum Controverſiæ.

Legitimum formemus, conſiderando non tantum, quid Tincturæ nomine in ſpecie intelligendum veniat, ſed vel maximè ipſam Coraliorum eſſentiam exactiùs penſitando, quæ cognita fili Ariadnes loco ad ſuperandum præſentis controverſiæ Lebyrinthum nobis inſerviet.

§. I. Ipſum

§. I. Ipsum ergò quod attinet nomen, ex Græcia natales ducit vox Coralii, apud Latinos equidem usu recepta, ut ut Etymi ratio vera adhucdum lateat. Quibusdam enim à Græco κόρη, quod puellam significat, nomen accepisse placet ob Poëtarum fabulas, qui Coralium è virgis, cruore Gorgonis Medusæ perfusis (unde & Gorgonia dicitur) & in lapideam duritiem concretis, enatum narrant. Alii à Corallis, Ponti accolis, nomen inditum putant; de quibus Ovidius.

Hîc mea cui recitem, nisi flavis scripta Corallis.

Alii dictũ existimant Corallium, quasi *cor alens*, non enim postremum esse remediorum cordi robur addentium, de quo posteà: vocatur quibusdam λιθόδενδρον, Latinis, frutex marinus saxeus, (Plinio Dendritis, alia enim synonyma brevitati operam daturi consultò omittimus) quasi saxeam l. lapidem arborem dicere velint, innuentes hoc ipso, ambiguam ejus naturam, quam inter vegetabilia, mineraliaque obtinere vibetur.

§. 2. Nondum enim inter Eruditos lis ista decisa, cui regno, minerali an vegetabili inserenda sint Coralia? & si vegetabili, an plantam sui generis viridem invadendo succus lapidescens in duritiem istam coagulet, an verò jam emortuum lignum in lapidem transformet? Quod prius attinet membrum, (hoc enim decisô posterius per se patebit) ex utrâque parte non contemnenda se sistunt argumenta. Esse enim vegetabile persuadere videtur 1. arbusculæ elegantissima forma, quam sese surrigendo exactissimè repræsentat, hoc uno excepto, quod foliorum ornatu destituta sit, qualem figuram nullum aliud minerale obtinet, sed plantarum generi, tanquàm naturalis quædam dos, propria videtur, sic refert *Matthiolus in Dioscorid.* se habere ejusmodi corallinam plantam, quæ propè radices brachii ferè habeat crassitiem, & è medio trunco in rumos elegantes se diffundat. 2. Quod baccas ferat similes cornis & specie & magnitudine. 3. Ad hæc reperiuntur surculi lignosi, qui ex parte tantum Coraliorum induerunt faciem, ex parte verò ligneam vegetabilem

Gansi9 hist. Coralior. c. 2. p. 23.
Ovidius l. 4 Metam. Itẽ l. 4. de Pon. Synonyma v. ap Gansium c. 2. p. 24. 7. Nard. noct. genial. p. 564 Bauh. Tom. 3 hist. plãtar. l. 39 p. 793. 798.
sic Paracel. Mercuri9 cum Nitro fixat9 dicitur arcan. corallinũ, musc9 quidam Marin9 ob similitudinem corallina appell.
De hac cõtro. v. Plinium l. 23. Hist. natural. c. 2. mathiol. in Dioscor. l. 5. c. 97. Boot. l. 2. de gemm. c. 153. A. Bacc. l. de gem. c. 73. Bauhin. Tom. 3. c. 33. l. 39. Hoffm. de med. officinal. qui ad muscum refert. Eichstad de confect. alkerm. c. 17. Calceolar. in Mus. s. 4. Encel. de re metall. l. 3. c. 3. Tenzel. exeges. Chym. Kircherus Mund. subterran. l. 9. s. 3. c. 6. Gans. de Corall. c. 2. Feburc. Traictè de la Chym. p. 686.

ostenduntformam , sicque ex ligno & lapide compositi & quasi conglutinati videntur. 4. Notum quoque est sagacioribus naturæ scrutatoribus, sæpius in fontibus quibusdam aliisque aquis, ligna à spiritu lapidifico, quo aquæ istæ egregiè impregnatæ sunt, in lapidem converti, quidni idem fiat in mari, tantâ salis copiâ refertô, cum spiritus lapidificus salinæ esse prosapiæ statuatur? sic in vicino Jenensis civitatis territorio ejusmodi reperitur fons intrusum lignum in lapidem convertens; sic in Hiberniâ suprà Armacanum urbem in stagno haud amplo hasta lignea defixa, pars quæ aquis tegitur, vertitur in cotem: (ut ut hoc quidam in dubium vocare ausint) In Boreali Ultoniæ provinciæ parte fons est, qui ligna per septennium immersa indurat in lapidem. In Bohemiâ quoque proprè Thermas Carolinas fons est, in quo lignum diu durans in lapidem convertitur.

§. 3. Esse verò Minerale Coralium, ipsa natura ejusque essentia vel lippientibus monstrat, cum consistentia lapidea ejusque solida durities firmiter hoc ipsum persuadeat, qualem à succo lapidescente, lignum vel plantam impregnante, frustrà exspectas. Ligna enim concreta in lapidem in certis aquis à succo lapidescente diversam planè repræsentant formam à Coraliis; sunt enim plerumque instar cotis, vel lapidis alterius ex granulis multis compactim concreti, & ex arenulis quasi concatenatim conflati; cum econtrà Coralia continuum planè ostendant nexum, sine vestigio concretionis ejusmodi l. granulatæ compactionis: sed quasi cera Hispanica, in varias figuras per liquefactionem extensa, appareant, & non nisi vehementiori triturâ in pulverem vel arenulas redigantur. 2. Minùs rectè accenseri vegetabilibus, sed mineralibus accensendum esse ex eo confirmatur, quod *careat omninò radicibus*, sicque non per alimenti veram introsusceptionem & digestionem, vegetationi plantarum necessariam, sed saltim partium superadditionem crescat: patet hoc ipsum ex experientiâ sagacissimi Naturæ Scrutatoris *Kircheri*, qui rupis integram partem ex profundo maris extractam, totam Coraliis obsitam, inter rariora Musæi sui asservat, cui varia conchyliorum genera annata sunt; in hæc rupe, partim ex concavâ conchyliorum parte, & aliorum convexâ, partim verò ex ipsa soliditate saxeâ erumpunt Coralia, nullis planè suffulta radicibus, utut diligentissimè circa eorum inventionem laudatus autor laboraverit, sed ipsi trunco velut agglutinata sine ullo perfora-

Mund. subterran. l.9.s.3.c.6.

fora-

forationis, vestigio spectata sunt: posito ergo indurari per lapidescentem succum plantam, saltim quoque vestigia radicum relinquerentur, sicut truncus illibatus persistit; ut taceamus, nullum quoque vel fructuum vel foliorum in iis reperiri signum. 3. Adhæc non determinatè rupes in maris fundò protuberantes incolit, sicut plantæ in Terrâ saltim crescunt & adolescunt in eâque radicum agunt fundamenta: sed, ut dictum, non petris tantum & saxis nudè adhærescit conchyliisque adnascitur, sed, ut citatus autor refert, à Piscatoribus una cum stirpibus extracta fuerunt ossa, lateres, saxa, tabulæ ligneæ, ferramenta, omnia Coraliis, quæ in eis excreverant, conferta, quin è duro delphini corio Corallia propullularunt: sic Magnus Dux Hetruriæ, Pisis in suo gazophylacio, habet cranium Humanum, ex quo Corallina planta excrevisse spectatur: sic ex lapide coctili aliquando nascuntur, ob solidam vero firmamque ejus coalescentiam nulla ex eo nasci planta potest. 4. Prætereà consimiles saxeæ concretiones in fundo maris reperiuntur, quas vegetabilium tractabili genti inserere saxea earum barbaries renuit: Cujusmodi sunt Pori, tam magnus, quam ramosus, it. Madreporæ variæ species, planta saxea, Abrotonoides, tubuli marini, aliaque corpora saxea, ut Coraliis affinitate juncta, sic plantarum formam referentia, cum tamen saxeis petrosisque planè assimilentur substantiis. Asserere quidem quispiam possit, esse easdem similiter plantas à lapidifico Spiritu coagulatas, non secus ac Coralium: verum cur quæso hic succus determinatas adeò invadit plantas, & quare non alias, quibus maris fundus abundantissimè consitus est, similiter vegetabilium species saxeâ istâ duritie indurat? Fortè cum *Boëtiô* hoc propter singularem harum dispositionem contingere ais, vel quod succus lapidescens naturâ ipsorum substantiæ insit? sed quoad prius explicanda venit peculiaris ista dispositio, è progenie occultarum qualitatum dubio procul oriunda; quoad posterius, hoc ipso vegetabilium adscribuntur ordini, quo succum Lapidescentem ipsis connatum tribuis, h. e. ex eo oriri asseris. 5. Firmiter admodum astruit naturam mineralem generatio Coralliorum, inest enim Corallinis stirpibus liquor quidam spermaticus, quem per canaliculos, quibus insigniores præsertim ramuli instructi sunt, de se emittunt, qui in quamcunque rem deciderit; ibi statim densatus, novam fundit Coralli propaginem: Hinc, ut suprà relatum, in conchyliis, delphino, &c. Coralii surculus enatus fuit; hinc integræ planè

Bauhin. in hist. Plant T. 3. l. 39. c. 34. 35. 36.

Kireher. c. l. Agricola in Pop. p. 850.

in maris rubri fundo Coraliorum Sylvæ reperiuntur, tantâ earum copiâ condensatæ, ut ne piscibus quidem aditum concedant: sed hæc non conveniunt in plantas, quæ vel per surculos, vel semina vel radices, easque tàm fibrosas, quam bulbosas aut tuberosas sese multiplicant: ut taceamus, aliena hæc planè esse à planta lapidefactâ h. e. à plantâ emortua. Qua enim ratione planta in lapidem concreta generabit succum prolificum & sperma, quod similem plantam producat?

§. 4. Hæc sunt, quæ ex utrâque parte prostant argumenta: ex quibus non immeritò cum Eruditiss. *Kirchero* dicere quispiam possit: *Coralium quo nomine appellem vix dispicio, nec enim plantis vegetabilibus nec lapideis excrescentiis id rectè annumerari potest, satius ita que* λιθόφυτον *h.e. planto lapidem appellandam censemus, dico medium quid inter lapidem & plantam.* Sed cum rerum in Classes distributio non ab accidentali forma externaque earum configuratione, sed speciali potius essentia desumenda sit, Coralium ad mineralium & in specie saxearum propaginum seriem relegamus utut quoad externam faciem, arbusculæ speciem repræsentet, dicimusque Coralium *esse lapidem in fruticis speciem concretionem.*

§. 5. Necesse E. jam est, ut oppositæ partis argumenta diluamus: quod itaque externam fruticis configurationem attinet, non sufficit eadem ut vegetabilibus annumeretur Coralium, ab externa enim formationis similitudine ad ipsius essentiæ indentitatem non valet consequentia: non enim statim Frutex est quod fruticis gerit speciem. Non secus atque *Fructus Medicæ* scutellatæ, orbiculatæ, vel turbinatæ cochlearum minorum referunt testas exactissimè, non tamen pro Cochlearum habentur domiciliis, & *scorpioidis Fructus* (non tantum qui spinis horret, sed præprimis, qui crassior est, colore viridi & sine spinis, longè exactius priori erucam referens) adeò erucæ formam, ejusque in se convolutæ spiras repræsentat, ut ob id Germanis Raupen-Kraut vocitetur, non tamen pro veris habetur erucis: sic *fungus phalloides*, ut ut pudendis humanis utriusque sexus similimus, & boletus Cervinus, licet *Cervi* genitale sæpius exactissimè referat, propterea tamen animalium non annumerantur partibus, cum tamen eadem horum sit proportio ad res repræsentatas, quæ Coralii ad Fruticem quandam vegetabilem. Ut taceamus Coraliorum Fruticem ramorum saltim divaricatione, sine vel foliorum vel florum ornatu

Gansius.c. 2.p.25. Bauh.Tō. 2.l.17.c. 64. Bauh. Tom.2.l.21 c. 23. Taberna.p.2. s.8.c.153.

atque

atque radicis fundamento, plantæ referre imaginem: imò ipsa eorum in ramulos expansio non adeò ordinata & artificiosa est, qualem in vegetabilium conspicimus gente, sed inordinatæ planè & quasi fortuitæ sunt eorum excrescentiæ, protuberantiis verrucosis quandoque similes, quos hinc inde absque consilio ratione-que jactant & exporrigunt, ut non tantum ad vivum depictæ eorum ostendunt imagines, sed vel maximè vera exemplaria ex maritimis asportata locis hoc ipsum confirmant. Cum interim notissimum sit, quam varias formas lapidibus imprimat ludens Natura, ingeniosissimos quoque artifices in stuporem & admirationem quæ rapiunt; sic elegantissima Crystallorum est facies, & polygonæ naturæ geometricantis, topaciorum, amethystorum, aliorumve figuræ, peculiarem ostendunt sapientiam. Sic sylvas, urbes, arbores, humanas figuras, brutorum facies mirabiles, & innumeras piscium ac diversas picturas, integra hominum aliorumque corporum simulacra lapidibus imprimi, hasque in tales statuas elaborari Naturæ curiosorum testantur monumenta: quidni idem Coraliis contingat? cum in illis saltim per accidens, & joco quasi Naturæ tam elegantes exprimantur formæ, in his v. ex primariâ suâ intentione & datâ operâ, ob certam materiæ dispositionem aliasque concurrentes circumstantias in arboris speciem contingat elaboratio. Quod baccas attinet, sunt eæ liquor coraliorum spermaticus, post extractionem sub forma coriandri aut baccæ corni crassæ instar pinguedinis residens: quæ v. in Coraliorum monilibus, cornis & cerasis similes visuntur, ex ipsorum truncis tornô & lyma prius purantur, mox smyridis lapidis pulvere, & terra quadam Tripolitana expoliuntur, & lucidum quendam levorem contrahunt, cum iis diutius fricantur: quod verò 3. reperiantur ligna, quæ ex parte suam obtineant naturam, ex parte sint Coralia, hoc ipsum ostendit, succum spermaticum per Coraliorum canaliculos extrusum, si quando incidat in plantulam veram lignosam, investire ejus corticem, & extraneo quasi amictu indu-re sicut sæpius à piscatoribus ramosa herba una cum Coraliis extracta fuit, quam plerique myricam aut algam è maris fundo extractam dicunt: dum corpora Nitro-Sulphurea, mira quadam amicitiæ lege, hanc plantam appetentes: nam lapidea ista lorica obducunt, sicut in Gazophylacio *Cardina. Barbarini* simile Coralium, tandem in myricæ affinem plantam desinens, invenitur: ubi v. hujusmodi algæ aut myricæ desunt, ibi nihilominus in ramos exten-

Kircherus Mũd. subter. Tom. 2 l. 8. s. 1. c. 8. Boot. l. 2. c. 72. Agricol. de nat. fos. c. 14. 15. Encel. de lap. & gẽ. l. 3. c. 77. variæ saliũm formæ l. 3. c. 30. varia achatis schẽ et. Matth. in Dios. l. 5. c. 7. cũ quo Lam. & Cornarius mirantur Plin. talia proferentẽ. Matthiol. & cl. Wormi in Mus. c. 35. p. 231. Kircher. c. supra p. 160.

extenditur eo modo, quo efflorescentiæ minerales in varios ramusculos continuata partium superadditione panduntur. 4to jam supra satisfactum.

Kircherus Mund. subterr. s. 3. tom. 2. c. 6 Paracelsus de glutin. Aquæ Gansius c. 2. Plateañ rius apud eund. Tenzelius exegef. p. 693.

§. 6. Vindicata hactenus Natura minerali Coraliorum necesse est, ut genesim ejus quantum fieri potest explieemus. Generari ergo dicimus coralia ex succo quodam minerali Salino Nitroso, pinguedine & viscositate quadam Sulph. impraegnato, qui per subterraneum Ignem, per poros fundi maris erumpit, sed ubi attigerit marinas Aquas, protinus tum frigore, tum congelante earum salsedine, subsidet, primaque fundamenta agit futuræ concretionis, ex allabente v. & expirante continuo novo succo, coagulata ista materies sensim distenditur, sensimque in altum elevatur, quæ novo novoque corpusculorum Sulphureo-Salinorum affluxu non tantum condensatur, sed ulterius quoque ascendendo, ob copiam succi turgens, hincinde in ramos erumpit, qui ex novo appulso succo primo quidem verruculas quasi promunt, quas recens salinus liquor ulterius extendendo, in surculorum ex ramulis enatorum speciem expellit; quod si abundantia nimia distendendo arbusculam disrumpat, vel ex ramuli extremitate exsudet, exstillans liquor spermatis naturam assumit, sicque novam coralii propaginem fundat, & quamcunque rem attigerit, tanquam fertile solum osculando, novo superingesto spermate in arbustulæ speciem similiter extollitur: Eodem E. modo celebratur hæc Coraliorum genesis, quo cæteræ Salium efflorescentiæ contingunt, vel quomodo enati sunt silices, aliique lapides, qui ramulis insignes & fruticum speciem gerentes reperiuntur, quales se vidisse ad Albim propè ostium Tangræ memorat *Encelius* de re metall. l. 3. c. 3. Estque hoc idipsum, quod loquitur *Paracelsus tr. de glutine aquæ: Coralia oriuntur ex tenaci resinâ s. glutine, quod ipsorum proprium est, & prima ipsorum materia est quasi forma & liquor alicujus resinæ, quæ lapideam in se proprietatem habet: &c.* Rectè v. materiam Salino-Sulphuream statui patet ex lapideâ duritie Coraliorum, quæ ex Salino principio non tantum dependet, sed in specie quoque spiritum Lapidificum dictum in se continet, qui nil aliud est, quàm Sal universi centrale, l. Sal Naturæ, vel Spiritus Salinus, subtilissimus, qui ut aliis aliisque sibi proportionatis Aquis, salibus & Sulphuribus junctus omnem lapidum atque gemmarum varietatem peperit, ita & Coraliorum materiæ sese insinuando eandem postmodum in lapideam istam duritiem induravit. Sal verò

Cora-

Coraliorum Nitroſum eſſe vel Nitro Sulphureum affirmat Quercetanus, qui ex hoc quoque ſpirituum eorum ardentem in deſtillatione emergentem oriri aſſerit, huic Sali adjunxit ſeſe viſcoſitas ſulphurea, quæ non coloris tantum elegantia decorat Coralia, ſed hæc ipſa quoque ſalina conglutinans corpuſcula, & viſciditate ſuâ conjungens, ſoliditatem iſtam non parum promovet, & excreſcentiam formoſam valdoperè adjuvat. Cauſa itaque materialis Coraliorum eſt ſuccus iſte ſalinus-Sulphureus; efficiens proxima eſt ſpiritus lapidificus ipſi inexiſtens, remota & ſine qua non, eſt Vulcanus ſubterraneus ſ. Ignis ſub Terræ cruſta reconditus activitate ſua ſuccum attenuans, reſolvens & ad poros fundi maris elevans, cauſa adjuvans eſt marinæ Aquæ appulſus & urgens frigus, quod ſucci ulteriorem exhalationem repellens, & ſpiritum inſitum ne exſpiret coërcens, ad congelationem egregie & coagulationem cooperatur.

§. 7, Ex modò deductis mox patet, quid de Coraliorum duritie ſub aquis habendum ſit, non enim adeo eſſe dura, in tenebris maris dum adhuc jacent ſepulta, atque cum liberiori fruuntur Solis aſpectu, facilè ex modo generationis patere poteſt; non enim tantum ſic omni nutritio & ſpermatico deſtituta eſſent, ſucco, ſed ob duritiem nullum illius excurſu concederent tranſitum, omnique proinde artificioſa carerent ſtructurâ, & inſtar maſſæ informis inſiderent rupibus; idem experientia eorum loquitur, qui interfuêre Coraliorum piſcationibus, à quibus dura equidem, non tamen lapidea deprehenſa fuére. Interim tamen mollia quoque ſub aquis exiſtere omninò falſum eſt, qua enim ratione in altum exſurgerent? vel rapido maris motui reſiſterent? vel piſcium tranſeuntium impetum ſuſtinerent? Experientia quoque duram eorum ſoliditatem patefacit, dum extrahuntur, ſimulque piſcatorum retia ab eorum ſurculis dilacerantur: Etſi in Aquis omninò eſſent mollia, unde poſt eorum extractionem durities? à ſolo Aëre ambiente? atqui ſic rurſus ſolverentur in Aquis, quod tamen minimè ita ſe habet. Mollitiei v. quam tribuerunt antiqui ipſis, figmento, occaſionem fortè dederit muſcus iſte villoſus quo non rarò obſita ſunt, ex aquis dum extrahuntur. Duritiem n. ſatis firmam habent ſub aquis, non tamen lapideam, ſed mediam inter fruticeam mollitudinem & ſoliditatem ſaxeam ſortita ſunt: cedunt impellenti ſucco nutritio ex parte, & quidem ita ut in fiſtuloſum canaliculum ſe excavari patiantur, ſenſimque cedendo ex

Deuſing. Vind. fœt. ſ. 8. p. 296. ex Peireskio.
Beguinus tyro. l. 2. c. X. Boot. c. 153. l. 2.
Tencelius exeg p. 695
Kircherus c. l. Deuſing. c. l.

eo ex inferiori parte trunci densitatem respectu gracilitatis ramorum ostendant. Cur verò ex aquis extracta demum lapideam osseamque assumant duritiem, causa primariò in ambientis diversitate consistere videtur, quod succi illius lapidifico spiritu turgidi congelationem nunc promovet, nunc impedit; evulsa Coralia & in liberum aëtem tracta ab ambientis, humidum resolventis aëris, caliditate & siccitate, & detersivâ humiditatis qualitate, intra exiguum tempus in perfectum saxum convertuntur, quod ipsum humiditas maris anteà impediverat; confirmat hoc non

Densing. l.c. tantum firmissima lignorum durities, post humidi resolutionem sese patefaciens, sed vel maximè Peireskii experientia, Coraliorum surculos post extractionem in leni fornacis vel Solis Igne indurantis. Quin tamen in aquis tandem quoque planè lapidescant non adeò dubitandum est, invalescente spiritu labidifico & tandem indurante eadem: ut perfectissimam suam acquirant formam & consistentiam: quod asserit *Paracelsus*, ubi ad justam, inquiens, magnitudinem pervenit, insito spiritu Salis & ætate induratur, id quod accidit vi ipsius propriâ.

tr. de glut. elem. Aqua. Tenc. Exeg. Chym. p. 696. modus elaborandi. Gāsius c. X. Boot. c. 156

§. 8. Hactenus de Naturâ Coraliorum, nunc ex differentiis paucis, quæ præsenti scopo conveniunt, perlustrabimus; Removemus autem hîc omnia factitia eorum & adulterata monstra, eaque solùm recipimus pro eliciendâ Tincturâ, quæ ex benignissimæ Naturæ gremio pronata, sunt, hæc ipsa verò cum sint rursus vel alba, vel rubra, vel nigra, (alias enim differentias, datâ operâ, sicco præterimus pede, utpote quæ pro extrahendâ Tincturâ non sunt usuales) ea tantum nostro inserviunt operi, quæ rutilante minii nativi colore se jactitant, quæque masculorum nomen habent, cum palescentes fœminæ dicantur. Hujusmodi verò coloris incunabula meritò cum Nobilioribus Spagyricis ex Sulph. deducimus, tanquam fonte, ex quo omnis colorum realium varietas in corporibus, spectanda emanat. Prout enim Sulphur â Vulcanô magis minusquè depuratur, & Sal diversimodè exaltatur, non neglecto aliarum partium ad constitutionem corporis proximè concurrentium habitu, varia quoque colorum apparentia in corporibus oritur. Corallia quod attinet, eorum colores similiter ex Sulphure cum Salino principio certo modo misto; hisque ab Igne subterraneo variè concretis & digestis oriri asserimus: in quibus enim succus ille mineralis Coraliorum materies perfectè est coctus & elaboratus, Sulphur ejus optimè depuratum probèq;

vid Kirch Mūd. subterr. l. 9. s. 3 c. 6. Gansi⁹ c. 3. Tencelius. Exeg. chym. p. 693. Faber Panchym. l. 4. c. 25.

â sub-

à ſubterraneo calore digeſtum, Sal quoque ab eodem ſuavi tempore probè exaltatum & reſolutum, nobiliſſima Coralii ſpecies, quæ purpureo ſe oſtendit nitore exinde generatur. Quod ſi nimia ejus ſit cruditas ob defectum debitæ digeſtionis, album emergit Coralium, ſin verò luxurians in ſucco Sulphur ab Ignis nimiâ vel vehementiâ vel propinquitate comburatur & corrumpatur, nigricans exinde, caliginoſum *Paracelſo* dictum Coralium naſcitur; ſicuti ſimiles colorum mutationes beneficio digeſtionis & in Igne coctionis exhibet continuò ſedula Naturæ ſcrutatrix Chymia. Et licet Coralia ex pelago extracta, non ſtatim manifeſtent elegantem ſuam purpuram, hoc tamen exinde provenit, quod muſcus villoſus, quo obſita ſunt, (quem corticem quidem falſò æſtimant, dum non in omnibus reperiatur Coraliis) colorem abſcondit, qui tandem eo detracto emergit. Licet quoque à Viris geſtata diutius ſpendore ſuo radient, à fœminis verò citius pallore inficiantur, & appenſa mulieri hyſtericæ palleſcant, ſed ſi ad carnes mulieris ſanæ affricentur, fulgorem recuperent; ſicut etiam obſervatum eſt, ab inſtante morte morbove eadem maculis liventibus & nigricantibus conſpurcari, hoc tamen ſaltim ob atomorum & effluviorum ex corpore geſtantis emanantium adhæſione & in porulos eorum penetratione contingit: quo ipſo oſtendunt peculiarem quandam cum Tinct. microcoſmi ſ. ſanguine humano ſympathiam; quâ id quod ex maſſa ſanguineâ tanquam heterogeneum, præternaturale & excrementitium excernitur, ipſis quoque infeſtum & hoſtile eſt, effluviis ex ſanguine naturaliter conſtituto minimè ipſis oſtenſis: pateſcit hoc præprimis in febribus malignis, in quibus ut ſanguinea maſſa toto genere in ſenſo obſidetur hoſte (dum minutiſſimis tunc ſcatet vermiculis) ita & tunc Coralia magis quam aliâs ſplendorem deponunt ſuum. Et in hujusmodi caſibus inprimis ſtatuenda videtur ſimul actio quædam irradiativa Helmontio dicta, quâ etiam fit, ut rubra appenſa Coralia hilaritatem & lætitiam, nigra triſtitiam & mœrorem inducant, imò quâ illa affectibus melancholicis in ſpecie ſic dictis & Epilepſiæ egregiè opitulantur, hæc verò phrenitides & furioſas Manias ſedant, pro vario ſcil. modo, quo *Archeus* ab ipſis afficitur.

§. 9. Ex hoc rubro Coralio, Tincturam elicere geſtiunt Spagyrici, quo colorem ſimul, cum nobiliori Coraliorum eſſentia pro uſu medico, rejectis Terreſtribus aliisque inutilibus fecibus adi- *Tencelius Exeg. p. 696. Libarius Gan-*

sius c.8 Paracelsus de 1. Q. E.

piscantur. Est n. vera & propriè sic dicta Tinctura portio aliqua substantiæ propriæ corporis ex quo extrahitur, cum concentratione coloris & virtutis, idoneo menstruo extracta & exaltata: sicque Coraliorum Tinctura habebit ipsum in se esse formale Coraliorum. Quod verò extra ipsam datur, pro rejectamento habendum, non secus ac in Moscho, demto odore, nihil aliud reliquum est, quàm Cadaver; ita Coraliorum Tinctura est totum ipsorum esse formale, quo habito cœtera susque deque habenda. Ex quibus non difficile erit, Tincturæ veræ naturam ab apparente discernere, quæ solum scilicet colorem sine essentiæ extractione obtinet. Licet enim Tinctura in specie quidem colorem vel ejus saltim inductionem notet, dum à tingendo derivata sit, usus tamen obtinuit, ut colori juncta nobilior Essentia Tincturam constituat, sicque nec color sine essentiâ nec hæc sine illo Tincturæ laudem mereatur.

Zwolfer9 app. animadv. p.59.

Veræ E. legitimæque Tincturæ hæ requiruntur conditiones: *I. ut per extractionem, non v. Coralii corporis meram solutionem parata sit:* ut enim illâ operatione essentia rei intima exhauritur, sic hac saltim res in calcem redigitur: ut in illâ purum ab impuro, essentia ab excrementis segregatur, ita hac eâdem junctâ, statim discontinuantur. Ex hoc sequitur. 2. Veram Tincturam *eam non esse, quæ non remaneat abstracto suo menstruo* sub colore suo proprio, sed vel Salis vel Calcis specie resideat, illud enim genuinus extractionis effectus, hoc v. corrosionis est, & illa Tinctura ex partibus Sulphureis & coloratis à toto oritur separatis, hæc verò ex menstrui cum atomis corrosis conjunctione. 3. Necesse est etiam *ne Tinctura, si debet esse vera, præcipitari possit*, sive contingat per infusionem Spirituum vel Salium acidorum, in magisteria sic dicta, sive per menstruorum abstractionem & evaporationem in pulveres Salinos albos, sic enim nil aliud quam subtilissimos pulveres menstruo corrodenti inexistentes Tincturam dedisse manifestatur. 4. Vera Tinctura rubra *non nisi ex rubris Coraliis parari potest* & debet, quod si enim similis operationis beneficio, ex nigris vel albis quoque eliciatur Tinctura rubra, vel lippientibus perspicuum fit, non à Coraliis, sed menstruis, per eorum vel longam digestionem, vel certam à corpore subjecto dispositionem eandem oriri. 5. *Ut corpus Coraliorum album & purpureo suo ornatu spoliatum post extractionem remaneat;* hoc ipsum enim ut realem Tincturæ ex corpore extrahendo in menstruum transitum notat, ita ejusdem coloris post extractionem remanentia quid

Sennertus de cons. & diss. c.10. p.391.

Zwolfer9 animad in pharm. Aug p.438

Febuere Traicté de la Chym. p.687.

quid aliud, niſi fucatam & apparentem oſtendit Tincturam? 6. *Ut Tinctura non ſit adeo copioſa:* non enim adeò copioſè in Coraliis luxuriat Sulphur & abundat, ſed ejus potius parciſſima ineſt copia, ita ut ex Librâ vix Unica una veræ Tincturæ parari poſſit, imò adeò parvam ſtatuit *Laurenberg. c. l.* adeoque parciſſimè & leviter corpori permiſtam, ut per centenas Coraliorum Libras vix paucæ ejus Unciæ diſſeminentur. Hæc requiſita nobis inſervient poſtea tanquam Regula, ad quam proceſſuum pro eliciendâ Tinctura veritas judicabitur.

Ganſius c. 7. Laurem in aph Sala aph. 13. ſec. 1. Agricol. in Popp de Sole p. 7.

Et hæc de Coraliis eorumque Tinctura in genere dicta ſufficiant, ſequitur jam

Deciſio Controverſiæ.

§. 1. An vera genuina & legitima detur Coraliorum Tinctura, ex ſolo principio ejus Sulphureo oriunda, valde diſcrepantes Chymicorum ſunt opiniones, in genere tamen *quidam* omninò negant, veram dari, ſed omnem eſſe vel nudam Coraliorum corroſionem, vel menſtrui ſaltim talem colorationem: alii econtra hoſce audacter mendacii accuſant, & nimis prompte in affirmarivam propenſi multas Tincturas, quæ non omne examen ſuſtinent, pro veris venditant: alii mediam terunt viam: non negantes poſſibilem eſſe Tincturam veram, & ſecundum omnia requiſita paratam, ſed valdè eam paratu eſſe difficilem, valdèque parcam, ita ut nondum vera & ſtricte ſic dicta à Spagyricis literis hactenus prodita ſit, Oſſea enim & lapidea eorum compages, utut facilè per corroſiva diſſolvi poſſit, principia tamen Sulphur cum Sale & hoc cum Terreſtreitatibus adeò eſſe firmiter connexa, ut vix ac ne vix quidem poſtea unum ab altero ſeparari poſſit, niſi fortè per Ignem, qui tamen volatiliſando & deſtruendo Tincturam omnem ſpem eludat.

§. 2. Poſteriorem eamque veriorem ſententiam noſtram facimus. Compoſitum enim quoddam ſunt Coralia & ſimul ſuo Sulphure, à quo Tinctura dependet, debitè imprægnata, hinc extrahi poſſe per conveniens menſtruum quis dubitet? & ſi nullum hactenus inventum ſit, quod huic ſatisfacere queat ſcopo, ſaltim menſtruum illud univerſale, Mercurius benedictus Philoſophorum, acetum eorum acerrimum, & Avicula Hermetis, efficaciam ſuam oſtendet, modo uberior paulò ejuſdem apud Spagyricos ſit proventus. Sicut *Rhumelius in Compend. Hermet.* per Aquam ſuam acerrimam ſ. menſtruum ſuum Univerſale eadem reſolvit, poſteaq;

Vid. Ang. Sala. aph. Chym. ſ. 1. aph 42 Teceli⁹ in Ex eg. 2 p. 689 Sennert de conſ & diſſ c. 19. & pro œm. in Inſt t. 2. Croll⁹ Baſilchym Zwelfer⁹ Animad. in pharmp 438. & ap. 59. Hartm in Crol. p. 291. Ganſius. c. 7. Rolfink. in Ch. p. 227. Laurĕb. in Sal par. 13

Eichst. de confect. alk. c.17. Agr. in Popp. de Sole p. 7. Rhumeli⁹ in Antidot

cum Spiritu Vini extrahit. Et posito paucissimum inesse Sulphur & inde oriundæ Tincturæ in Coraliis, hoc tamen una cum defectu menstrui convenientis saltim summam difficultatem, non verò omnimodam impossibilitatem declarat: & pauca licet extrahatur Tinctura, non tamen eadem est nulla: licetque sit ardua ejusdem acquisitio, ob arctam principiorum unionem, non tamen supra Chymicæ artis vires ejusdem possessio. Vulgares verò Pharmacopœorum Tincturæ, vel aliæ etiam, quas elegantiores Spagyrici literis posteritati prodiderunt, non sunt veræ propriéque dictæ Tincturæ, neque rigorosum requisitorum examen sustinent, *sed vel colorata tantum sunt menstrua, vel tinctæ eleganter Solutiones.*

Hartmã. in Croll. p. 293 Gansi⁹ c.8. §.5. p. 71 Zvvolf Mantiss. p 450 Señer Instit. l.5. p 3. S.3. c.9. p 1395 Hofer Herc. Medic. l. 8. p. 1395. Grülling Florileg Part 19 c.2. p. 366. Crygner in Frting *c. 5. p. 161. Faber. Myroth. Spagy. l.3. c.22 Joh Alphõsus in Speculo Med. Chistalum optim. p38*

§. 3. Quod itaque attinet primò Tincturas à menstruo oriundas, hæ sunt omnes eæ, quæ ex Coraliis Igne actuali ante calcinatis oriuntur, & licet hæc menstrua aliquid solvant de Coraliis, exinde tamen Tincturæ non est origo. Calcinatio autem ista fit vel cum Igne solo l. adjuncto unà aut pumice, aut Sulphure aut Nitro. Quæ cum Igne fit solo, in eâ Coralia obsertis reverberationis gradibus, per biduum l. triduum calcinata, deponunt in Spiritum V. vel roris majalis suam Tincturam, falsam scilicet non veram: diuturnâ enim & violentissimâ istâ Coraliorum torturâ, quid aliud nisi Sal quoddam fixum alkali (de quo quidam dubitant) cum Terrâ mortuâ conjunctum acquirimus, vel calcem quandam vivam acerrimam, destructa omni Coraliorum essentia, omni eorum exhausta virtute, & expulsa Tinctura? Quod verò per vim Ignis expellatur omninò Tinctura, patet ex eo, quod non tantum ab albis Aquilæ Cœlestis alis s. Sale Armoniaco unà elevetur, sed cum Sulphuris quoque floribus unà ascendat & utrosque flores calore sanguineo ut imbuit, ita viribus nobilioribus longè imprægnat, Coraliorum corpore, tanquam cadavere emortuo, ut in aliis contingit calcinationibus restitante. Nobilior E. & spirituosior eorum essentia, in qua vera Tinctura sepulta jacet, calcinationibus istis omninò perit & evaporat; non secus ac Magnes valdè calcinatus vim attractoriam omninò perdit, succinumque ustum vim trahendi paleas. Non ignotum hoc fuit Aromatario illi Neapolitano, qui cum electuario cordiali Regi Aragoniæ præscripto Coralia alba immiscere deberet, in defectu eorum, calcinando rubra, continuò alba nactus est Coralia, ob quam fraudem à Rege 9000. Ducato-

rum

rum pœna affectus, Aromatarii dignitate privatus fuit. Calcibus E. istis superfusa menstrua tinguntur ab iisdem, mediante inprimis digestione, non secus ac super aliis Salibus alkalibus idem fieri solet: qua ratione ex calce viva cum Modico Tartari vel etiam Nitr. certo modo conjuncta cum Spir. Vini Tinctura quoad colorem elegantissima extrahitur, vel (ut maneamus in materia proposita) ex calce Coraliorum affusa Aquâ calidâ extrahe Sal, huic per repetitas solutiones & coagulationes purificato affusus S. V. Tincturam sanguinei coloris similiter extrahit cum tamen veræ Tincturæ nihil sit in Sale isto, quæ calcinando jam longe evanuerit. Nec quemquam ambiguum reddat transitus coloris in calcinatione ista, ex albedine in flavedinem, ex hac in rubedinem, apparens enim tantum est, & Ignis violentia succo tali pinguntur Coralia; cur enim primô gradu sese absconderet nativus eorum rubor, & postea per gradus rursus emergeret? siquidem & similes fucos in aliis quoque videmus calcinationibus, nam Vitriolum viride primo leni Igne in albedinem; mediocri in bruneum colorem; fortiori in intensam rubedinem, fortissimo in nigerrimam abit calcem: & Tartarus similiter, dum calcinatur, in varias ad instar Prothei se transformat facies. Ex hisce simili modo judicandum de Tinctura illa putatitia per Spiritum Coraliorum proprium acidulum ex iis immediatè per Retort. prolectum parata, posito enim elici ejusmodi spiritum acidum ex iis, (obstinatè enim hoc affirmare nolumus, cum nulla hujus à nobis facta sit experientia) vera tamen Tinctura extrahi cum eo nulla poterit: in Coraliis enim per Ignis istam violentiam jam omnis evanuit rubedo, & ipsa sanguine omni exhausta ex Retort. eximuntur: qualem E. ex hoc Coraliorum cadavere iste spiritus eorum proprius extrahet Tincturam? seipsùm potius tinget, qualis mos acidorum alias esse solet, quemadmodum Acet. destill. super Coralia ad albedinem calcinata fusum, rubro quoque tingitur colore, non secus ac super pumice calcinato, unde fictitia ista Tinctura. Sed quid sentiendum de hac cum pumice calcinatione, & unde parata Tinctura satis à quamplurimis celebrata? Falsissima hæc est, ne micam quidem in se continens vel substantiæ vel Tincturæ coraliorum: nam 1. per vim Ignis omnis periit Tinctura; ut jam demonstratum. 2. pumex de eadem calcinatione ista nihil assumit, licet enim albescentibus in principio Coraliis, pumex quodammodò

Gansi⁹ §.9 p.73 Schr. l.3.c.6. dubia tamen valde res videtur.

Schrod. pha. l. 3. p. 339. Gansius parag. 291. p. 91. Agric. in Pop. p. 852. part. 2. Boot. c. 154 Schr. p. 335 Gansi⁹ par 26. Poppi⁹ Agr. in eũ p858 Laur in aph. sal. par. 13. p. 9. Tenzel. p. 697. Tẽzelius. p. 699

modo rubescat, postea tamen iisdem propemodum nigrescentibus, & tandem planè albo colore suffusis, nihilo magis, tingitur pumex, cum tamen quanto magis Coralia exuerentur rubedine, tanto magis eum indueret pumex, quod tamen contrariatur experientiæ. 3. Coraliis, quibus sic Tinctura à pumice extracta est, affunde spiritum mellis vel Urinæ & acquires etiam Tincturam, quæ e. est vera? nulla sanè. In hac enim ex Coraliis Sulphure suo exhaustis paratur, & in illâ ex pumice, qui nihil ejusdem Sulphur. Corallini in se continet. 4. Tinctura ex solo est pumice, qui per diuturnam calcinationem vi empyreumatis & cujusdam alkalisationis ab Igne contractæ, Acet. destill. I. Spir. Vin. superfusum, mediante longiore digestione tingit non secus ac idem lapis autore Libavio, crematus, Aquâ affusa simplici, simili modo tingitur, vel ut idem pumex nimis calcinatus, Tinctura Smaragdina imprægnat Acet. destill. affusum autore *Agricola.* Adhæc cum Sulphure quoque calcinantur Coralia, horum p. j. illius p. iij. per horas 2. vel 4. & sic calida injiciuntur Acet. destill. quod per digestionem, cum calce illa Coraliorum, eam solvit, sicque seipsum tingit: vel cum S. V. tandem Tinctura extrahitur; idque facilè mediante digestione. Par ratio est cum Nit. cum quo fusa Coralia & probè calcinata, de se in auras transmittunt Tincturam, Salv. Nitr. fixum, cum calce Coraliorum alkalisatò relictum facilè beneficio digestionis S. V. tinget: quod patet vel maximè ex eo, quod restitans Coraliorum pulvis similiter rursus cum Nit. calcinatus, eodem modo iterum S. V. tinget. Alii hoc ipsum exactius perspicientes, Nitr. jam satis fuso, injiciunt pulverem Coraliorum, agitando continuo spatulâ, sic enim Nitr. Coral. Sulphur assumere creditur, ne evanescat materiæ postmodum calidæ Sp. V. affusus facilè hinc se tingere poterit. Sunt alii qui cum Nitr. pulver. Coraliorum ana in Retor. tubulatam injiciunt, propellendo sic Sp. Nitri & simul calcinando Coralia, ex qua calce Salinâ Spir. V. luteo colore tingitur, abstracto eo, pulverem in Aqua solvunt, in qua rubedinem sese prodere ajunt, pulverem rursus coagulatum in Oleum rubrum per deliquium solvunt super quo fusus S. V. statim rubescit &c. Sed quis putet aliquid remansisse Tincturæ in Coraliis, cum post omnem materiæ injectionem ad 12. horas Coralia Vulcani vim sentiant, & cur in Specie vinum primo luteo tantum colore, tandem vero rubeo tingitur, pulvere sponte in Oleum rubrum fatiscente; profecto cum

Hartmañ in Croll. p. 292. Gruli Florilpart 19. c. 2. Senner. l. 5 Inst. p. 3 s. 3 c. 9. Gansi⁹ par. 12. 24. Gansi⁹ par 30. p92. par 13. pag. 76. Zwolfer⁹ Mantiss. p 437 kesler⁹ Cent. 1 Processß. 85.

Gansius & Hartmañ in Croll. l. c

cum Chymicorum manus oculatæ ſint, non prius huic Tincturæ adhibebimus fidem, antequam eam ſecundum præſcriptionem elaboratam intueamur. Sunt qui cum Nitr. Coralia calcinant adjecto Sulphur. momento, mox terunt & cum Sp. V. Tincturam eliciunt, præcipitato Nitr. cum Oleo Tartari: Sed Tinctura hæc ſaltim à Sulphure oritur, nam poſt S. V. evaporationem pulvis remanens planè eſt Sulphureus, & croceam Tincturam tradit, Spiritui Therebinthinæ, qui ex fl. Sulphur. ſimilem Tincturam extrahere aſſolet.

Lauremberg. in Sal. aph. par. 13. p. 9

§. 4. Similia Tincta menſtrua, cum pulvere ſubtili Coraliorum interdum imprægnata ſunt etiam ſequentes Tincturæ: Primò quidem ea, quæ cum ſuccino deſtillando paratur, dum putant ſuccinum eſſe magnetem Tincturæ, ſed rubedo, inde emanans, obſcura nimis, ſuccini eſt, non Coraliorum. Ejusdem valoris eſt quæ cum Spiritu Vini ſolo paratur, vel per digeſtionem, vel per crebrius repetitam deſtillationem, qua tandem Tinctura per alembicum prodeat, (ut ajunt, de quo dubitamus utut *Ganſius* hoc oriri aſſerat. à Sp. V. per crebriorem deſtillationem exaltato) Nam notum eſt, quod S. V. in loco calido ſuper ſubjecto idoneo, colore purpurâ nitidiore ſeipſum tingat, non ſecus ac Spiritus Terebinthinæ per levem digeſtionem ſeipſum rubrâ induit veſte. Sic idem Sp. V. ex Coraliis calcinatis, h. e. ex quibus jam omnis exhauſta eſt Tinctura, tamen colorem rubrum extrahit & quidem facilius ex his, quam crudis, quod forte ex illis in poroſitatem ab Igne redactis particulæ quædam à S. V. imbibuntur, qui colorationem promovent, vel ſi S. V. affundatur Coraliis per Oleum Citri jam ſuâ Tincturâ privatis, nihilominus colore rubicundo tingitur, ut taceam S. V. planè imbecilem eſſe pro extrahendâ Tincturâ ex Coraliis, niſi antea debite ſint recluſa. Hinc loco Sp. V. ſimplicis, S. V. Tartariſatum quidam aſſumunt, ſed quidni hîc Sal Tartari in digeſtione acceleret Tincturam, cum non dubium, quin ſimul partes quædam coralliorum ſolvantur: cæterum Tinctura, quæ hac methodo paratur, copioſior eſt, quam ut ex Coraliis ſic extrahi poſſit. Alii per liquorem Alcaheſticum lapidum ex ſilicibus & Tartaro paratum, Coraliis affuſum, eorum Tincturam extrahere, eamque poſtea S. V. affuſo communicare volunt, ſed nulli ignotum, quod ſuper iſtiusmodi alkalia S. V. ſeipſum facilè tingat: forte alio modo per eandem materiam, ſi cum eâdem fundantur Coralia in crucibulo per præcipitationem

Schrodor. pharm. l. 3. c. 6. p341 Tenzeli[9] p 696 Kirch c. l. p. 161. Ganſi[9] c. 7 par6. 7. 8 9 Schr. c. l. pro 6 Hart in Croll. p. 293 Phœd. in fur. Ch. p 87 Fiſcherus in Corpor Med. I 3 Tit5. p. 65

S. V. ſeipſũ ting. Agr. in P. de Salep. 55. de Tart. p709 Haupt. ſcr Colliſ. p 26 Grül. Florileg. part. 19. p. 367. Celeb Rol. Ch. p. 303.

Sal-

Sulphur Coraliorum per acidum quoddam separare & exinde Tincturam parare quis speraret? sed sicut ista præcipitatione, non solum acquiritur Sulphur, â cætero corpore solutum omnino, sed simul minutissimus Coraliorum pulvis, ita eundem quoque insimul S. V. imbibere poterit, sicque habebit non extractionem Coraliorum, sed elegantem eorum solutionem. Similem menstrui Tincturam præbet Spiritus roris majalis, qui Coraliorum calci per Ignitionem paratæ affusus ex iis Tincturam extrahere videtur, vel si secundum *Quercetanum* Coralia Igne reverberata cum menstruo cœlesti destillato, cum proprio suo saccharo, (h.e. cum Spiritu roris majalis cum manna parato) extrahantur. Non equidem rori majali suam in extrahendis Tincturis negamus efficaciam, utpote qui Sale Naturæ & Aëris omnia vegetante & vivificante egregiè imprægnatus est, sed quid extrahet ex Coraliis calcinatis? Verum quid dicamus de spiritu ardente Saturni (quem multi vel omnino pro non Ente, vel saltem pro Spiritu V. regenerato habent) cum quo ex Coraliis Tincturam parare docent Chymiatri? ut & de Spiritu ardente Coraliorum, quem similiter pro S. V. ex aceto resuscitato habere possis,) utut *Laurembergius* hos Spiritus compositos asserat ex Spiritu aceti & parte ardente Saturni vel Coraliorum, quæ pars ardens, separato aceti spiritu, remaneat) nisi quidam etiam sine aceto & non ex Sale tantum Coraliorum, sed ex ipsis immediatè Coraliis certo modo destructis parare velint? Res sanè ut adhuc incerta, ita & difficultatis plenissima. Quicquid sit, quæ cum Spiritu Coraliorum paratur, eam ipse rejicit *Hartmannus* ejus autor, eamque à menstruo oriri vult & *Sennertus*, qui simili modo ex albis Coraliis Tincturam rubram elici affirmat; quod si verum est, verum etiam erit de Spiritu Saturni, cum de similibus idem sit judicium.

Gansius. c. I. par. 28. Schrod. I. 3. p. 238.

agr. in Pop de sat p207 Schr. p. 339 in Sal. par. XI Hartm in Crol. l. c. horst. in dispen. p. 2. l. 4. p. 96. Gansius paragr. 23. Schr. p 3. p 338 Schneiderus de Catharr. l. 4. c. 6. p. 499.

§. 5. Promovendus jam gradus ad tinctas Coraliorum corrosiones, easque imprimis per acida paratas menstrua, quæ subtilissimum coraliotum pulverem imbiberunt & accedente digestione, aliusve principii conjunctione, Tincturam prodiderunt. Vulgaris inter has est notitiæ, distillatio Coraliorum cum saccharo, sic per Retort. prodit liquor rubicundus, non secus ac saccharum cum Antimonio destillatum simili prorepit colore, particulas tamen quasdam Coraliorum Spiritus acidus simul elevat corrodendo, per Oleum Tartari beneficio præcipitationis facilè separandas. Alii solutionem Coraliorum cum succo limonum

Exc. Rolfi. Chym. p. 227 l. 4 s. 1 art. 5. c. 3. Glauberus p 2. furner Philos. c. 105. p. 151. Tenzel p. 696. Rol. c. l. Beguinus

num

num, vel berberum, vel citri pro eorum Tinctura venditant, acquirentes sic loco Tincturæ magisterium non inelegans. Alii succum citri ad consistentiam mellis abstrahunt, posteaque cum Spiritu Vini Tincturam extrahunt, non minus pulchram solutionem ostendentes. vid. *Rolfinck.* c. l. *Boot.* l. 2. c. 154. p. 310. Cum Oleo corticum citri alii rubedinem Coraliis exuunt, hisce integris, sed albis in fundo relictis (& hoc Oleum citri corallatum calci Sol affusum egregiam Tincturam extrahere, sunt qui asserunt) sed subtilis hujus Olei acrimonia, subtilissimas Coralliorum partes Tinctura tamen sua non destitutas, corrodet & recipiet, cumque ipsum sit colore aureo, facilè accedente ad solutionem istam debita digestione, nitidiore purpurâ renitebit. Fuit aliquando Pharmacopœus quidam, qui Coralia cum Aqua Cæsareâ ipsum Martem dissolvente corrosit, sicque Tincturam paravit, eamque Podagrico, ob assumtum arcanum Corallinum graviter decumbenti pro viribus reficiendis propinavit. Sunt, qui cum Spir. Vitrioli Coralia subtiliss. pulveris. dissolvunt, & digerendo in Tincturam elegantis coloris redigunt, quæ non à solis corrosis est Coraliis, sed maximâ ex parte à solo Spiritu Vitrioli, qui vel ex levi pulvisculo, vel alio quodam incidente, rubro se colore tingit. Vel Spiritum Vini & Spiritum Vitrioli per frequentes cohobationes firmiter jungunt, eosque loco menstrui adhibent, sed Spir. Vitrioli dum corrodit eadem, pulvisculum recipit & S. V. implantant, hinc facilè rubescunt. Alii Recip. Corall. Libr. Vitrioli & Sal. gem. Ana. Uncias ij & affusa Aqua levistici per Mensem digerunt, sicque corrosione Caraliorum Tinctura rubra exurgit. Solvit quoque Coralia Spiritus Mellis acidus, & color rubicundus ex solutione ista oriundus ex Spiritu est, ingenuè hoc fatente *Crollio*, p. 288. qui nunquam etiam genuinam se vidisse Tincturam apertè affirmat: facilè enim Spiritus Mellis per se Tincturam assumit purpuream: sic si cum S. V. adjectis larenis Mel digeratur, dat Tincturam omninò sanguineam, & si jungatur cum Sale Tartari instar sanguinis mel rubescit, facilè super Coraliis calcinatis, aliquas eorum particulas imbibendo, Tincturam rubicundam in leni calore induet, minimè verò à Coraliis oriundam, nam Spiritu hoc abstracto, ex pulvere rursus per S.V:

l. 2. c. X. p. 255. Glükrad in Beg. cum succo lim. ex secr. est Cardinal. Farnesii & Tinct. P. Cavalcanti Gansius par 21. Schrod. p. 340. Alii cum oleo nisi eliciunt TRam. ita tamen ut posteà affusa Aqua fontana oleum per destilationem abstrahatur & deinde S. V. extrah. TRa Hofm. de us. & abus. E. med. Chym. p. 20. Conr. Med. destill p. 1. p. 136.

† o

Gansius par. 18. Conradus Med. destill. p. 1. p. 137. Boot. c. 154. Hartmannus in Croll. p. 291. Agricol. in Popp. p. 2. p. 855. Gans. parag. 10. Schrod. c. l. Grüling. floril. c. 2. part. 19. p. 365. Horstius l. 4. p. 2. p. 96.

S. V. Tinctura evocanda, repetitâ digeſtione: prætereàque tam copioſa ſic paratur Tinctura, reſpectu Sulphur. Coraliorum, ut nullo modo ex his ſolis eadem oriri poſſit: Et idem copioſus Tincturæ proventus, ſuſpectum redit Locatelli proceſſum, qui ex Sale Coraliorum cum Spiritu acido aceti ad abundantiam uſque inebriato, per affuſionem Spiritus mellis, Tincturam extrahit: & nulli dubitamus, quin hoc modo, & fortè etiam priori, ex albis Coraliis rubra Tinctura elici poſſit. Quod attinet Tincturam *Mynſichci*, cum Spiritu Mellis etiam paratam, ea non facilè limam ſubire poteſt, cum occultè & philoſophicè admodum deſcripta ſit, ſatis tamen accurata videtur, & ſi iſtis paratur circumſtantiis, quales Autor conſignavit, non adeò longè à verâ Tincturâ abeſſe videtur. Sunt porro alii qui admodum ſuperiorem iſtum primum *Hartmanni*, loco Spiritus Mellis, Spiritum Urinæ adhibent, extrahendo ſic rubedinem: Sed fraudulentum quid ſubeſſe videtur, ex eo, quod Sal Armoniacum, cujus potiſſima pars eſt Sal Urinæ volatile (ratione vero hujus Salis Spiritus Urinæ agit, quicquid agit) ſolutus in aqua comm. & affuſ. Coraliis rubris, cæruleum impensè colorem extrahat, ſed unde hæc Tinctura? ut E. hæc eſt apparens, ſane & illa cum Spiritu Urinæ ejusdem erit valoris, ibi enim per Sal Armeniac. ex Coraliis illibatis educitur Tinctura cærulea, hîc v. cum Spiritu Urinæ ex Coraliis calcinatis, & cum Sale fixo Nitr. conjuctis, facilè ſimilis ſpuria Tinctura exſurgere poteſt: Cum ſimiliter Spiritus Urinæ Coraliis cum pumice calcinatis (hoc eſt è quibus à pumice omnis Tinctura extracta eſt, ut putant, vel potius è quibus omnis per Ignis volatilitatem ſimul exhauſta eſt Tinctura) & plane dealbatis affuſus, Tincturam rubram extrahat: quod ipſum de Spiritu Mellis non minus verum: Sal enim Urina mirificam colorum poteſtatem potentia in ſe continet, ſecundum quam ad variam ſubjectæ materiæ diatheſin, modo hunc, modo alium colorem exhibet. Solutiones elegantes ſunt etiam, quæ fiunt per ſpiritus vegetabilium acidos, quales ſunt, qui ex ligno quercino, juniperino, corylino, quajacino, ſaſſafras, ſorbo ſilveſtri, fraxino &c. per artem Spagyricam deſtillantur, quos aptiſſimos cenſet Spiritus Kircherus pro parandâ Tincturâ, ut & Tenzelius; non tamen uniformis eſt proceſſus. Quidam Coralia Ignita iſtis injiciunt ſpiritus, alii prius cum Oleo Sal. vel ſucco citri ſolutis Coraliis, alii cum Nitr. prius calcinati, hoc ſpiritus affundunt &c. ſed in genere non ſunt veræ Tincturæ, ſed ſubtiles ſaltim ſolutiones, vel abſtractione menſtrui, vel facili præcipitatione in pulverem rurſus

Theatro, d'arcani. arc. 45. p. 218.

ſ. 2. p. 24.

Agricol. de cor in Popp. p. 855.

Tenzel. exeg. p. 698.

Agricol. in Pop. p. 858.

Kircherus l. 9. Műd. ſubterra ſ. 3. c. 6. p. 161.

Tenzelius p. 697.

Conrad. medul. deſt. p. 1.

rursus redigendæ. *Solutio* quoque est Tinctura, quæ paratur per Spiritum panis triticei peculiari enchirisi ab empyreumate liberati, facilè enim præcipitari potest; simile judicium de reliquis cum acidis menstruis præparationibus ferendum est, quæ non tantùm facilè percipitantur, sed copiosior Tinctura per ea elicitur ex Coraliis, quam ea revera in se contineant, & simili modo ut plurimum ex albis quoque Coraliis Tinctura parari potest. Pertinet huc, quando Coralia cum Acet. destill. soluta & abluta, seu Sal Coraliorum, quidam etiam adhibent eorum magisterium, cum S. V. in Tincturam rediguntur, quo sexies abstracto, eâdem instar mellis spissi in fundo Retort. remanent, vel quando pulveris corall. p. j. Sal. comm. p. ij. funduntur simul in anemio his frigefactis acetum affundunt, quod extrahit Tincturam: sed nemінem fallat color rubicundus, qui acidis ejusmodi solâ digestione parari potest, autore *Sennerto*. Quod de acedo jam dictum, dictum etiam sit de Spiritu Vitrioli, vel Spiritu Salis tàm communis, quàm ex Salibus fixis vegetabilium, ut vult *Gansius* (de quorum spirituum tamen existentiâ non adeo est certa) paratis, quibus soluta Coralia, postea S. V. tingunt. Vel quando pulvis Coraliorum solutus in Spiritu Sal. & optimè edulcoratus extrehitur cum Spiritu Vini: quæ extractiones per repetitas digestiones, & aliquoties iteratas cohobationes, quintâ destillatione, promunt Spiritum rubeum, (ut volunt) sexta v. cohobat. in Retortâ pulvis hujusce coloris in fundo manet. Sed ut optimum est *Gansii* judicium, rubedo illa Coraliis accedere videtur, vel à reliquiis Spiritus Salini, vel à menstruo sæpius affuso & multum digesto. Hisce annumeranda etiam Tinctura *Frat. Basilii Valentini*, in qua Coralia cum Spiritu Sal. soluta, postmodum cum Sulphur. camphora & calcinata, Spiritum Vini rubro colore tingunt. Ex hujusmodi solutionum censu est etiam ea Tinctura quæ per menstruum compositum ex Tartaro & Vitriolo paratur, (quamquam pro varia præparatione modo plus, modo minus participet de Vitriolo) sive hoc sic simpliciter paratum assumatur, sive ab ossibus calcinatis prius quater cohobetur, menstruo hoc super Coraliis rubefacto, ab iis decantato & abstracto, materia restitans affusum S. V. vel Aquam temperatam, vel Spiri-

tr. 10. p. 137. Bott. l. 2. c. 154. Schr ex commen. Closs. p. 340. Deodatus in panath. hyg. Conrad. p. 1. Medull. destillat. p. 135. & p. 2. p. 262. Gansius par. 17. Boo. c. 154. Instit. l. 5. p. 3. s. 3. c. 9. Gansius par. 1. & 2. ac 3. Croll. p. 289. Gansius parag. 25. Sch. p. 337. Schröd. sub nomine Tinctur. Hollat. p. 339.

 tum *Horst. D. p. 2. l. 4. p. 69. Davids. in prodrom. comment. in Pet. Severin Danum. Febure Traict. de la Ch. p. 688. qui post corrosionem cùm hoc menstruo ultimo per Aquam suam temperatam ex S. V. & Spru. Salis Tinct. extrahit. peculiarẽ modum vid. ap.*

Glauberum p. 6. pharm. spagy. c. 28. per albas alas colum i. e. distiliando cū magist Lunæ. Helm. tr. Ignot. actio regim. mentionem facit Tincturæ cujusdam volatilis, quâ mira se præstitisse asserit, non tamen ejusdem præparationem annotat.

tum Rosatum Tinctura rubicunda imprægnat. Nulli vero dubitamus quin simili modo ex albis quoque Coraliis eadem parari possit: & ipse Dominus *D. Langelot.* qui primus eam communicavit *D. Schrödero*, aliisque non pro sincerâ eandem habet, sed eam potius, quæ cum Spiritu vel Sale Aeris paratur, eidem præfert.

§. 6. Examinatis hactenus Tincturis, quarum nobiliorum Chymicorum ingenuitas & candor, nos participes reddidit, iisque sub apparentium classem redactis, restat ut selectiores quasdam præparationes ejusdem apponamus; quæ utut verarum Tincturarum non merentur titulum, elegantioris tamen & efficacioris Coraliorum solutionis nomine meritò gaudent: 1. Recip. pulverem Corall. rubr. solve in s. q. succi citri in digestione, filtrenturque, filtratus liquor includatur Retortæ, vel cucurbitæ, omnisque humiditas abstrahatur & coaguletur lento Igne, affunde super materiam in fundo relictam S. V. vel quod melius Spiritum quendam appropriatum, ad 2. digit. eminent. & tridui spacio, beneficio digestionis, habebis spiritum rubicundissimum, qui Tincturam citri & Coraliorum in se continet. Elegantiores longè sunt Tincturarum Coral. præparationes, quas Magnificus noster Decanus, *Dominus D. Michaelis*, parare solet, easque vel cum Spiritu Ligni sassafras, vel cum Spiritu Antiscorbutico, composito, unde Tinctura Coraliorum Antiscorbutica, vel cum Spiritu Cord. Cervi, quarum felicem energiam quotidiana experientia comprobat. Elegantis quoque Tincturæ nomine venire potest extractio Coraliorum secundum ductum Q. E. Coraliorum Fabri parata, in *Myrothec.* Spagyr. l. 3. c. 22. Recip. pulv. Corall. eleganter rutilant. Sal, Armoniaci Ana. sublima, & sic Sal Armoniacu corrodet subtilissimas earum partes, floresque rubicundissimi ascendent, attracta secum Coraliorum Tinctura, quam à Sale Armoniaco, cum Spiritu Vini aliove appropriato optimè rectificato separare & per lenem abstractionem ejusdem ad Tincturæ debitam consistentiam redigere poteris. Vel curiosiori modo hisce floribus Corallatis solutis in Aqua calidâ spiritum quendam acidum infunde, sicque præcipitando separabis Sulphur quoddam Coraliorum ardens, ex quo per S. V. quin Tincturam elicere queas nulli dubitamus: sicut hoc ipsum ab *Amico quodam singulari* bona fide nobis communicatum fuit. Sic ex floribus Sulphuris corallatis, s. cum Coraliis sublimatis colore citrino, & intenso præditis, vel per S. V. optimè alko-

alkoholisatum, vel Spiritu Terebinthinæ Tincturam parare poteris. Sulphur enim per se vires possidet egregias medicas, quas congugium subtilissimæ Coraliorum partis, non parum exaltabit. Non inelegans quoque & hic est processus, ab Italiæ quodam Principe in Secretis habitus, Tincturæ pretiosæ nomine appellatus. E. Coraliis super prophyrite pulverisatis cum Terra Sigill. vel alia, & Aqua fiant globuli, exsiccentur & destillentur per Retort. per gradûs, postremo fortissimus prodibit liquor brunei coloris vel nigro-rubicundi, qui rectificatus, super frusta aliquot Coraliorum stet in leni calore & eliceatur Tinctura, repetatur injectio donec acquiratur sufficiens rubedo, depleatur & filtretur cum S. V. circuletur per menses, postea lento Igne abstrahatur ad debitam consistentiam; parcus autem est Tincturæ proventus. Sed novissimè egregius quidam Chymiater, Parisiis novo & antea inaudito modo Tincturæ præparationem aggressus est. Certò scil. tempore colligit Aquam Aëris, utpote Sale universali Naturæ insigniter acuatam, ex eaque, præmissa debita digestione destillat primò phlegma, hic Spiritum &c. phlegma illud primò prodiens, ut diaphanes est & planè perspicuum, ita omnis omninò saporis expers, & non secus ac vulgaris Aqua omninò insipida, ita ut vix ab eadem discerni queat, & tamen hoc ipso menstruo insipido extrahit ex Coraliis Tincturam rubicundam ipsumque eorum Sal: evaporata enim in Solis radiis Tinctura, Sal in cubica formâ residet, reriqua materia instar succi Berberum supernatante &c. &c. Hæc de præparatiore Tincturæ Coraliorum dicta sufficiant; considerandus jam ultimò paucissimis ipse

Usus Tincturæ.

Communis Autorum ferè omnium & Chymiatrorum est sententia, vicordiali egregia instructa esse Coralia rubra, atque imprimis legitimam ex iis paratam Tincturam; prætereà quoque peculiarem cum sanguine humano sympathiam & intimam amicitiam fovere, eamque ab omnium heterogeneorum excrementorum sordibus repurgare: unde in morbis venenatis, febribus malignis, ipsaque adeò atrocissimâ peste, non vulgariter commentatur: adstipulari hisce videtur signatura rubedinis Coraliorum, qua nectaris microcosmici Tincturam exactè repræsentat; imò *Gansio* judice,

Conrad. Medul. destillat. p.132. Boot. c.154. Bernard. G. Penatus à Port. S. Mariæ de Præp. & us. mod. Chym Il-Unzer de Epil. Gruling. in Florileg. p.19. c. 2. p. 368. Febure Traic de la Chym. p. 694.

judice, Coralium viribus propè divinis omnes gemmas ſuperat, nec gemmis tantum, ſed cunctis etiam herbis præferendum videtur. Sed ne quid nimis. Egregias largimur Coraliis vires, Panaceæ tamen titulo ea indigna cenſemus: habentque eſſentiales ſuas dotes à divino Thaumaturgo in primâ rerum origine ſeminali ſuo principio implantatas, determinatas tamen & ad certos effectus reſtrictas: participem earum inprimis dicimus Tincturam veram, modo lucem liberiorem aliquando ea aſpiciat, eamque inſigniter in ſupra nominatis affectibus commendatam volumus. Origo harum virium ex Sulphure cum Spiritibus Salinis, fixatis conjuncto, optimè digeſto, concocto, & exaltato originem habere putamus, pro varia enim horum miſcella, ut lapides gemmæque reliquæ virtutum ſuarum nobilitatem nanciſcuntur, ita & Coralia. Sulphur enim tanquam totius Univerſi calidum nativum & inſitum, miris ſplendidiſque virtutibus præditum, ut pro varia rerum, præſertim Salium, ſecum combinatione varias & diverſas induit virtutes, ita in primis in Coraliis, ob peculiarem ſuam nobilitatem, in quam ob ſummam coctionem & digeſtionem exaltatum eſt, arctumque cum Spiritibus Salino-Nitroſis connubium, non poteſt non longè efficaciſſimum & ſaluberrimum toti Microcoſmo reddi, cumque in vera Tinctura, à reliquis principiis tanquam recrementis ſecretum exiſtat, ſtatim hujus divina energia pateſcit. Interim tamen cum nondum licuerit adire Corinthum, in locum ejusdem tinctas artificiosè ſolutiones recipere cogimur, quæ ipſæ, utut ſupra enarratas virtutes in inferiore poſſideant gradu, non tamen omninò rejiciendæ veniunt, firmante earum ſtationem,
c. 154. non Boëtii tantum, ſed quotidianâ quoque experientiâ: & cum
p. 312. præterea minutiſſimas Coraliorum ſubſtantiæ contineant partes, easque ex parte Terreſtres, blandâ quadam adſtrictoriâ facultate ſimul pollebunt, quâ non tantum egregiè partium internarum conſervando tonum, & robur earum firmando eas recreabunt, ſed omnibus quoque fluxionibus quarumcunque partium & in ſpecie cruentis hæmorragiis maſculè reſiſtent, ſimulque præcipitatoria quadam facultate, nimias ſanguinis efferveſcentias & indè ortos anxioſos ardores, ſuaviter compeſcent. Quæ ipſæ virtutes à menſtruo magis adhuc determinabuntur, magisque appropriabuntur p. n. affectibus. Hinc quæ cum S. V. paratur ultimò inſigne erit Spirituum confortativum, & totius Microcoſmi à venenis præſervativum, cum hic ipſe ſpiritus ſic elegantiſſimum Aurum potabile,

efﬁca-

efficacissimumque simul alexipharmacum: quas dotes eminentius inveniemus in ista solutione, quæ cum succo citri primitus instituta fuit, sic quæ cum Spiritu ligni sudoriferi est extracta, divinum contra Veneream fœditatem est auxilium, non secus ac Tinctura Antiscorbutica miracula in hoc morbo præstare certissimum est. Familiarissimo quoque in usu *Excell. D. Langelot.* est Tinctura Holsatica adhibetque in omni impuritate sanguinis. Quæ v. ab Armoniaci subtilitate elevata fuit, si cum eodem conjuncta maneat, excellentissimum meritò nominabitur Diaphoreticum, omnes peregrinos hostes sub fuliginum specie ex Microcosmi expellentis territorio; qualem usum fortè sola habebit Tinctura, quæ ex præcipitatione cum appropriato quodam spiritu fuerit. Sed quæ cum Sulphuris floribus concinnatur, in peste inprimis, morbisque aliis veninatis & pestiferis strenuam se ostendet. Sicut & ea, quæ cum alexipharmaco Solaris Terræ Spiritu paratur. Cum Aqua Aëris quæ extracta est, cum tanquam recens editus fœtus, nondum indolis suæ ediderit specimina, de eadem adhuc experientiæ testimonia inquirenda veniunt. Quibus abrumpimus & facimus,

F I N E M.



De



De Præſcriptione Formularum in Genere.

CAP. I.

§. I.

AUxilia Pharmaceutica ſ. Remedia, ſunt vel ſimplicia, vel compoſita: utraque rarius hodiè cruda, potius plus minus diverſimode tamen præparata adhibentur. Exemplo ſit *Theriaces*, Compoſitorum Anteſignani, *fermentatio*, antè ſui diſpenſationem, neceſſaria æque ac proficua: illius enim ope mirabilis iſta ac diſcors ſimplicium farrago, mutuo quaſi attritu & ſubactione accurata in concretum concors, *texturæ* ⊖ in Oleum ſæ vol effectus anodyno-ſudoriferi nonnihil analeptici, abit, & ingredientium quorundam activæ magis particulæ, reſinoſæ præcipuè reſolutæ, hincque diffuſibiliores, indeque penetrantiores redditæ, partim exaltantur, partim corriguntur: ob id x. annos juxta *Arabes* fermentare debuit, & etiamnum hodiè longè diutiùs juxta *Perſas*, quorum quidam xii. alii xxx. annos ipſi pro fermentat: aſſignarunt. *Pharmac. Perſic, Fr. Angel. à S.* Joſ. p. 26. Sulphur, naturæ quibusdam dictum balſamum, crudum, tardiſſimæ & difficillimæ in nobis alterationis ac appropriationis eſt, quod tamen à ⊖ Tart. recluſum, & Oleum Deſtil. ſolutum, proparanda exinde vel Tinctura ſummè activo, vel extracto, longè magis medicamentoſo, quia magis reſolubile, & undique per corpus mediante quovis fluido diffuſibile, reddi ſolet. Attenuativa, & inciſiva, Gumm. ammoniac. polychreſta ſubſtantia, potius in eſſentia c. ſpiritu V. Tartaris: adhibetur, quam integrum ejus concretum, licet ⚹ ſolutum, ſiquidem ſociata in hoc acri illæ attenuativæ reſinæ mucilagô temperata & inſpiſſans, non poteſt non illius motum alterativum remorari: niſi veterum, & hos inter *Dioſcorid*. l. 3. c. 98. ex præcepto, ad ℥ j c, ✠ ſol. propinare velis. Extractum gentianæ ſuccoſum, præ crudo illius pulvere, febrientibus ſanè accommodatius exiſtit. Eò ſcilicet quævis præparatio reſpicere debet primariò, ut *remedii* reſpectu, vel vis plus minus recondita,

ceu

ceu perla ex stercore eliciatur, vel virulentia castretur, aut potius quasi invertendo corrigatur: *Ægri* v. intuitu, ut commodius assumi, quam crudum & ita melius ipsi applicari possit.

§. 2. Simplicibus verò aut compositis jam in officina quæ prostant tam Medici intentioni, quam ægri saluti sufficientibus, artifici osa inprimis præparatione exaltatis, haud opus erit novâ compositione: quin simplicissimè à Medico. in schedulâ præscribuntur, & signaturâ vel generali, vel in gratiam ægri, interdum speciali, subscribuntur. Quid opus est Mistura ex S. V. camphor. essent theriacal. spiritu C. C. Nitr. &c. nova diaphoresin ægri pracurare, ubi Misturâ simplex, aut genuina ejus proles, Tinctura bezoardica, rite tamen, quod rarum est, paratæ satisfaciunt? quid compositionibus novis theriacalibus, quas ordinariò theriaca ipsa simul ingrediamat, fatigare ministros? ubi theriaca sola ritè administrata, aut Diascordium Fracastorii sufficiunt. Pulv. Card.benedict. crebriori usu se curant febricitantes plebei, citra tot pulv. aut composit. febrifugarum abusum. Balsamus Copayvæ quatenus interno sui usu gonorrhœæ resistere tam appropriatè valet, eo ipso tot aquarum & essent. castitat: syruporum, decoctorum, pulverum & emulsionum compositiones superfluas reddit: sicuti externè, quodvis vulnus, citò tutò, & jucundè curando, non secus ac Ol. mommord. infus. aut Ol. sem. hyperici express. & cum eo concinnatus bals. Sulphuris, nos tot balsamis vulnerariis, Ol. balsamicis emplastris & misturis interdum monstrosis, supersedere posse, ostendit. Talia itaque selecta, vel simplicia vel composita, facile ordinari à medico, ac præscribi, citra alias insigniores cautelas, poterunt.

§. 3. Si verò circumstantiarum plurium, ac præ cæteris symptomatum urgentium syndrome, in nostris morbis, ut plurimum complicatis, & ex intemperantia otiosa ferè anomalis, adeò urgeant, ut consuetis istis *officinialibus* consulere ægro nequeat Medicus, necesse est sæpius, extemporaneas ut ordinet compositiones, & schedulæ inscriptas Pharmacopœo miscendas transmittat, quæ *magistrales* alias, (ad modò dicturam differentiam) dicuntur. Siquidem *officinales*, ferè majoris apparatus esse solent, præ *magistralibus*, ob extemporaneam, compositionum, necessariò promptius commiscibilibus. Ordinata talis remedia ac circumspecta præscriptio, *FORMULA* alias dicitur, de *cujus genuino tantum præscribendi modo*, usum, applicationem cautelas, &c. practicis specialibus remittendo, hoc loco agimus.

IV. In his ergò præscribendis Philiatro 2. consideranda. 1. *Materia* ejusque debimus inprimus selectus 2. *Forma*: externa scil. seu materiæ istius concinna ad se invicem adaptatio, ut ægro, melius & jucundius applicari, sivè internè s. externè, queat, in quo *Finis* consistit. *Materiam* consistuunt ipsa ingredientia, qualiacunque fuerint, ex penu 3. Regnorum depromta, simplicia l.

compoſita. *Formam* v. abſolvunt horum ſub præſcriptione ſitus ſ. ordo, reſpectavia proportio, præſcribendi modus, & deinque in certam texturam, à Medico intentam coaleſcentia, quarum hæc *principalis* illæ *ſubordinata* dicendæ ſunt.

V. *Ingredientia*, non corpora elementaria aut omnium prima, ſed jam plus minus (ſub tali reſpectu) compoſita, adeoque formis ſuis ſpecificis & dependentibus inde qualitatibus & ptoprietatibus reſpectivis inſtructa ſunt. Unde in iisdem conſideranda 1. *quantitas* 2. *qualitas*. Circa *quantitatem* 3. materie dimenſiones & hic ſuo modo attendendæ: *longitudo*, ſecundum illorum multitudinem, *latitudo*, ſecundum doſin, *profunditas*, ſ. conſiſtentia, h. e. ex miſtis illis coaleſcens moles, & ejusdem color, ſapor, odor. &c. Circa *qualitatem* v. conſideranda in ſpecie (apparens licet tantum nobis) *ſimilitudo* & *contrarietas*: tam reſpectu ſui ipſius in genere quam reſpectu ad corpus œgrum in ſpecie. Atque his *Materiæ* habitus eſt expoſitus: *Formæ* ratio jam præcedenti §. ferè fuit declarata, & hujus in reſpectu, in materia iſta, ratione longitudinis, debitus *Ordo*, ratione latitudinis, *concinna proportio*, & ratione profunditatis debitus *præſcribendi miſcendique modus* conſiderandus. Ex quibus tanden eſſentiale Formulæ, quaſi mechanicum concretum coaleſcit.

VI. Pateſcit ex dictis ſimul, neminem concinnam, & quæ Medicum decet formulam compoſiturum, niſi: 1. *exactam Materiæ Medicæ ſibi comparaverit notitiam*, ſecundum omnia 3. regna: eamque tam *externam*, ſivè quoad attributa à priori ſenſualia, qualis in officinis Pharmaceuticis & Mercatoriis, comparanda, quam *internam*, ſ. quoda attribuat à poſteriori cognoſcibilia, h. e. operandi vires vel facultates non niſi per experientiam vel propriam vel alienam (ſcriptorum Medicorum) cognoſcibilem. In hunc finem vel ineptè etiam curioſum præſtat eſſe Philiatrum ſub ſtudii Medici curſu, ut in omnia ubicunque obvia minutiſſima, quæ, qualia, quanta &c. ſint, unde nata, cujus uſus, vel mechanici vel naturalis &c. ſive intelligat, ſivè non intelligat inquirat ſedulò, etiamſi riſu etiam interdum excipiantur talia quæſita: dici non poteſt, quanta copia rerum, in occultò, & non ſentientibus colligatur hoc pacto, quanta experientia, & denique quantus, uſus, poſtmodum indè emergat. 2. *Præparationem ſimplicium ſaltem planiorem, exactè calleat*, quod ſine operationibus chymico-mechanicis, fieri nequit: harum enim medio aperitur plus minus, alteratur, concentratur, reſpectu aliorum varia Phœnomena exhibet idem ſimplex &c. Propterea Laboratoria, Chymicorum, Medicorum, Pharmacopœorum, quin imò juvat & mechanicorum, quicunque ſubjecta quædam ad materiam mediam ſpectantia tractant viſitare, attentus ſi ſit, numquam ſine nova præparationis cujusdam vel enchiriſeos &c. obſervatione diſca-

discedat, nam & sic apud Oenopolas, zythopeptas, pistores, que menti curiosæ satisfaciunt reperiri licebit: non secus ac apud aurisabros, claustrarios, stannarios &c. quin & proprias manus adhibeat & carbones tractet ad Helmontii imitationem, nec deterreatur à crebriori infausto successu, sive enim procedat ex Voto, sive reluctetur tentamen, semper aliquid observare contingit, alibi quod proficuum esse potest, & hoc medio optima remedia, elegantissima artis opera &c. inventa fuerunt. Modo non saltum faciat, ac mox prolixos, aut laboriosos, aut non nisi exercitatis imitabiles processus inchoet, tales enim nihil commodi, saltem sumtuum perditionem & in capite confusum Chaos Chymicum reportant. 3. *Compositionum officinalium* optimè gnarus sit: partim ut adhibere debitè easdem, partim aliis associare aptè queat: alias metuendum omninò, ne cœco impetu, quid pro quo interdum arripiendo empiricum temerarium, non circumspectum agat Medicum. His ita primò observatis, certus sum, quod facillima erit quævis formulas præscribendi ratio: sub quorum ignorantia, non nisi trepidante corde & manu, vel ob sanitatem in ægro, vel ob famam in Medico, utrumque ex inepta formula, periclitantem, aliquid in schedula consignari poterit. Quod si nimis latè extendi requisita talia videantur, restringi possunt ad ea, quibus in præscriptione sæpius & frequentius utitur, ut hæc saltem juxta supposita bene calleat, pro ulteriori vero artis incremento & aliis pro viribus incumbat.

§. 7. Jam ut specialius ista tam Mat. quam Form. requisita consideremus, se offert quoad materiam, 1. ejus *multitudo*. Equidem felicem istum ægrum prædicat, *Helmont*, cujus Medicus novit curare simplicibus, & dolus est, secundum *Arnold. de Vill. Nov.* compositis uti, ubi simplicia sufficiunt: scil. ut simplex victus saluberrimus & Naturæ convenientissimus, ita pariter Pharmacia: Natura utroque paucis contenta est. Quod si ex §. 3. compositis utendum sit formulis, quævis vitanda multitudo: quæ nec *Medico*, nec *Remedio* nec *Ægro* conveniens videtur. Non *Medico*, cum semper ignorantiæ cujusdam videatur indicium, tanta sub magistralibus compositionibus farrago: quasi inter tot ac tanta, simplicia aut composita, plus minus homogenea aut heterogenea pro præsenti casu debitum delectum instituere nesciat, id quod materiæ Medicæ superficialem ferè cognitionem innuit. Laboramus abundantia potius & luxuriâ remediorum, quam penuriâ, selectu saltem opus est, qui vix quam per experientiam, ac per cognitionem texturæ materialis secundum minima ex vi seminis nata, ceu operationum instrumenti, obtineri potest: Præsertim ubi non tam universalibus, sed quod magis expetendum, particularibus sine appropriatis ac specificis ægro succurrere est animus. Symptomatum (quam alii urgent) atrocitas & pluralitas, ex unâ ferè vel immediatè vel mediatè propullulant radice morbosa, quâ plus minus correctâ,

fructus isti morbosi marcescunt : sin atrocius urgeant, en Opium ritè præparatum, infracta dosi cæteris sociatum, tantum non omnibus succurrere solet, externa ut taceam delinimenta. Nec rarum est, quod Naturæ motum, nimium dum damnus operam corrigendis symptomatis, vel impedianus vel turbemus. Nec minus adversatur *Remedio* ex pluribus compositio, siquidem horum genericæ saltem dotes, neglectis ut plurimum specificis considerari solent, utrobique superfluo labore facultates generales enim carminativæ, aperitivæ, absorptivæ, tribus l. 4. selectis simplicibus, aut uno concinno composito obtineri possunt. Specifica pauca sunt, quæ paucioribus istis universalibus sociata, scopo satisfaciunt. Quod si sub plurium coacervatione, neglecta specifica, appropriatum activitatis suæ objectum, (ne per somnium quidem id cogitante medico) inveniant, necessariò provocato hinc spirituum impetu, ex symptomatum novitare nova ægro turba, medico solicitudo excitatur. Imò attendendum & hoc, ne talibus compositis vel ex simplici mistione, vel ex arctiori per determinatam præparationem in novam texturam unione, novæ vires medicamentosæ, pristinis vel deletis vel infractis emergant. Simili ratione, ac simplici ex mistione pulv. pyrius, aut sclopetans vim fulminantem acquirunt, qui strepitus in ☉ fulminante simplici acidi intensioris additione, obmutescit, non sine virium detrimento. ☿ius 🝞tus simplici saltem cum ☿io vivo mistione, diutiusque continuata trituratione, juncta repetita edulco ratione, draco mitigatus sive dulcis evadit, de cujus usu tuto si dubites, saltim Docimasiam *Davisonii Philos. Pyroth. part. 4. c. 22. p.* 178. instituere licet. Jalapa ac colocynthis, simplici cum ⊖ Tartari (hic quidem addito sacharo) miscela & tritura cicurescunt ferè penitus. Quid fieri jam putandum est, ubi præter mistionem, infusiones, decoctiones &c. quibus vel exaltantur, vel castrantur, vel immutantur simplicium Vires, accesserit. Minus denique *Ægro* proficua est ista multitudo, cum perlæ c. stercore simul ingerantur Ventriculo : cui tum demum hic labor incumbit, ut digestioni simili labore, concreta medicamentosa dissolvat, donec activæ & medicamentosæ particulæ resolutæ, id quod possunt, operentur ; sub quo actu ut non tantum immutantur plus minus ingesta medicamenta, ita ex opposito ipse ventriculus à tot diversis ingestis non nisi p. n. patietur impressionem : qui dum in ægris languet & consueta horret, multò magis insueta medicamentosa nauseabit.

§. 8. Ut itaque debitis suis cancellis eo melius circumscribatur quævis compositio *magistralis*; omnia ingredientia, ad 4. hæc *puncta cardinalia*, quæ sunt 1. *Basis*, 2. *Adjuvans* 3. *corrigens* : 4. *constituens* derigenda veriunt. *De Dirigente* taceo, lite nondum decisâ. *Basis* est præcipuum medicamentum, cui ceu fundamento compositionis, ac principali ingredienti, sive simplex & ipsa sive ex aliquibus composita fuerit, reliqua tantum adjunguntur.

Cætera

Cætera inter ingredientia minus principalia eminet *adjuvans*, quod effectuum baseos, ut *citius* & *melius* se exerat, promovere debet. In quem finem, cum interdum sensibiliot quidam requiratur stimulus, præsertim in purgantibus, etiam *stimulans* interdum audit, v. g. ☿ dulc. optimus stimulus est scammon. more *Brendeliano* præparatum. Quo verò *tutius*, ac simul jucundius operentur ista, *Corrigens* subinde addendum: Nec enim tam benigna aut correcta semper sunt remedia, quin aliqualem, plus minus notabilem noxiam impressionem, vel ventriculo & intestinis, nervoso generi, ut purgantia, vel aliis partibus hostilen alterationem inferre valeant: corrigentia E. subinde permiscenda. *Sennæ* operatio Tartaro, cremore in decocto, ⊖e in infuso, corrigitur, Opii malignit. pipere & castoreo emendatur, ut horum ope illius in spiritus impressio eò melius deleatur. Quin cum & ingrata subinde sint ægris, certo ex puncto, vel odoris vel saporis &c. Remedia, pro infrigendis hujusmodi nauseosis qualitatibus subinde quædam, succus citri, ✠, ▽ cinamom. syr. sach. &c. addenda veniunt. Cum denique pluribus modis remedia propinari ægro possint, & ita ex iisdem ferè ingredientibus plures formularum modi conscribi, determinat hanc indifferentiam, *Constituens*, à qua reliqua, mutua subactione, certum consistentiæ modum acquirunt ut vel solidum, vel fluidum, vel medii modi, evadat medicamentum.

§. 9. Exemplis binis negotium hoc declarare juvat: sit v. g. præscribendus pulv. vel bolus mediocriter laxans: *basis* sit *Jalap. adjuvans*, (quod simul baseos dosin plus minus limitat) crem. Tartari *corrigens* Ol. Destill. macis: *constituens*, requiritur nullum in pulvere, cum hic per se ex mistura emergat: in bolo verò conserva sumar. aut fl. tunic. adhibeatur:

und talel fiunt formulæ.

℞. *Crem. Tartari gr.* xv.
pulv. jalap. ℈ß.
Ol. Destill. macis. gutt. ij.
M. f. pulv. D. S.
Purgier Pulver.

℞ *Conf. fl. tunic.* ℥ß.
Crem. Tart. gr. xv.
jalap. ℈ß.
Ol. Destill. macis. gutt. ij
c. s. q. syros. sol. F. Bolus D. S.
Purgier Zucker.

Vel sit ordinanda potio antihypochondriaco-sive hysterico diaphoretica, repetitis vicibus capienda. *Basis* sit vol composita, ex Ess. castor, & Liquor. C. C. succin. vel simplex, Ess. Castor. c. spiritu ⊖ ✳ vinoso parata; *adjuvante* opus est nullo, aut si pro scopo absorbendi vitiosos sapores in primis viis addendum aliquid foret, Lap. 69. Unicorn. verum sufficiunt. *Corrigens* saporis ratione sit *succus Chermes* vel syrup. borragin. vel. syr. cortic. aurant. Denique ▽ Destillata vel qualiscunque, vel aromatica, vel appropriata, ut interdum dicuntur, pulegii, fœniculi, fl. sambuc. omnia ista sinu suo excipiat, & ita potionem *constituat*. h. m.

℞ ▽ *fl. sambuc.* ℥ij.
fœniculi ℥j
essent castor Tartaris. ʒiß ---- *ad* ʒiij
Liquor. C. C. succin. ʒß *ad* ʒj
Lap. ♋. *præp. gr.* xv. *ad gr.* xxiv.
Syr. corrag. ℥ß *ad* ʒvj.
M. F. potio. D. S.

Zertheilende Schweiß-Mistur, auff etliche mal.

§. 10. Consideranda jam materiæ *latitudo*, sive præsenti in negotio *Dosis*, h.e. quanto pondere ac mensura ingredientia præscribenda, sive *explicitè* istud, idque frequentius, secundum gr. scrup. drachm. uncias, & libras, sive *implicitè*, idque rarius, tantum in vegetabilium quorundam partibus aridis, ab faciliorem dispensationem, secundum pugillos, manipulos, fasciculos, numerum parem vel imparem determinetur. Cum vero omne remedium, non nisi respectu hominis sit tale, cui alteratio certa illius occasione inducenda, sive activè sivè passivè remedium ad hoc contribuat, ipsi vero homines multum inter se differant, tam habitualiter ex Idiosyncrasia seminali, quam accidentaliter, ex climatis, vitæ generis, consuetudinis varietate, nullius remedii dosis absolutè determinari poterit, quin, respectu vel *primariò*, ad individuum patiens, vel *secundariò*, ad cætera associata ingredientia habito, eadem demum limitanda. *Subjectum patiens* quod attinet, in eodem remedium vel facilius aut difficilius, vel fortius aut debilius &c. effectum suum exserit. Siquidem pro partium solidarum majori vel minori Eutonia ac robore, fluidarum texturâ concentrata magis & firmiori aut attenuata & subtiliori, acrimoniâ in specie volatiliori magis resolvente & remedium actuante, aut fixiori concentrante & remedium enervante, spirituum denique systasi rariori ac magis elastica, vel densiori, ejusdem remedii, etiam in eodem subjecto variat effectus. Qui alios fortiter exagitat Tartarus *Emeticus* Mynf. in gr. iij, hypochondriacomelancholicos vix tantillum etiam sub triplâ movet dosi: Dum ☉ fulminans infanti lactanti tutò ad gr. j. porrigitur, ceu polychrestum iisdem auxilium, ultra gr. ß. unâ vice vix dare poteris eidem, non ità diu ablactato: illud ipsum ad gr. IV. c. pauco arcano duplic: Tertianario ultra X. secessus provocaverat, quod alia occasione in quartanarino ad gr. IX. c. quibusdam absorbentibus ne minimum commotionis sensum induxerat. Mirum quantas doses, repetito etiam usu, opiatorum, optime ferant phthisici ac Dysenterici? Apoplecticum vix potentissimus naribus insufflatus excitat helleborismus. Adeoque in quovis remedio, toties variat dosis, quoties, individuum vel numero diversum, vel numero idem, secundum 3. Res Medicas diversimodè alteratum occurrit. Ne tamen in suspenso penitus maneat hoc nego-

negotium, nec nisi per experimenta dubia, adeoque suspecta, modo non periculosa, dosis remedii unicuique individuo conveniens expiscanda sit, ob id sicut rectum norma curvi, & juxta, statum naturalem mensurandus quasi est præternaturalis, ad adultum, sanum, vel saltem neutrum respicere, & quæ alterationes insequantur certam remedii dosin attendere, eandemque in aliis similiter circumspectè observare convenit, & ista, quam ut plurimum (quod in contingentibus necessarii locum supplet) idem ac eodem ferè modo desideratus insecutus fuit effectus, *ceu media ordinariaque* dosis statuenda venit, juxta quam postmodum pro individuorum conditionibus *summa* ac *infima* & ita pariter *extraordinaria* determinandæ. Sic enim Jalappæ dosis media est ℈j. summa ʒß. infima ℈ß. sed extraordinariè nec ʒj quendam movere observatur, dum alium gr. IV. l. VI. sufficienter exagitant. conf. *Barthol. Cent. hist. 69 Epist. cent. 3. p. 130. 133.* Ac in hoc sensu apud Materiæ Medicæ scriptores doses speciales ubivis consignatæ observantur. Ast præter individuum recipiens, & alia *ingredientia* pro determinando dosi remediorum simul conferenda: ab his enim impediri ac promoveri effectus medicamentosus assolet. Prout adjuvantia basin plus minus acuunt, corrigentia hanc infringunt, aut ræfrenant, constituentia concentrant aut diluunt &c. Jalap. ℈ß. pro dosi sufficit si crem. Tart. gr. XV. eam adjuvent, idque eò magis, si præterea scammon: pp. gr. I. eam stimulet. Theriaca longè potentius sudorem movet ✠o juncta: Opiata, quorumvis evacuantium, præter diaphoreticorum, effectus imminuunt: ∇ medicatæ efficatius adstringunt, ✠i consortio, quasi Ossæ factæ Hisce ergo ingredientibus cæteris, baseos dosis absoluta, subinde varainda ac determinanda venit.

§. II. Superest materiæ profunditas sive crassities, hoc est, sub compositione exsurgens moles, & hujus qualitates sensibus gratæ vel molestæ. Harum quædam ante mistionem jam partibus insunt & compositione vel exaltantur vel infringuntur: vel non insunt, sed in composito demum ex hujus nova texturâ emergunt. Essentiæ resinos. rubin. in aqueis vehiculis vel lacteum turbidum, minus gratum, vel lividum liquorem exhibent: quod non æque contingit, S.V. Tartaris. vel Tinctura Tartari si præparatæ fuerint, ut ut aliquali texturæ & virium alteratione. ✠, succus citri, spiritus ⊖, qui gratiam de cætero multis medicamentis conciliant, absorbentibus marinis ac Ostracodermis copulata, ex dulci, salsissimum, quibusdam nauseosum reddunt saporem. Sulphurea ala califatis in via humida sociata, ingratissimum fœtorum contrahunt. Sin electuariis spiritum Vitrioli in conservis aut O crud. recipientibus Aërea absorbentia misceantur, super vasis ora motu fermentativo prorumpentia, vel visum, vel tædium ægro conciliant. Tincturæ, syrupi, pro acidorum vel alcalium commercio, varias Tincturæ mutationes exhibent.

Nauseose

Nauseose dulce & adstringens ♂ Vitriolum, Tartari Aëræ fol. junctum vel via siccâ, secundum Zwölferum, vel via humidâ in liquore ♂ ☉ c. Aëræ hujus certo connubio, concretum tertium novarum planè tam exernarum quàm internarum proprietatum subministrat. In qualitatibus adeòque talibus sensualibus quantum citra ægri incommodum fieri potest, gratia aucupanda venit sub materiæ miscendæ selectu. Horre decumbentium ventriculus consuetorum alioquin alimentorum odorem & saporem, quidni insuetorum remedoirum? & multo magis sensuum cæteris quoque Organis horrorem incutientium. Arte Marteque tandem ubi ingesta fuerint, vel cardialgias, vel præcordiorum anxietates, vel post nauseas Vomitus expectandi. Minus metuenda talia, ægri palato hinc & naribus accommodata melius si fuerint. Quod & de aliarum partium sensu quasi particulari non minus interpretandum, oculis scil. propterea, præ aliis quibusdam partibus, minus acria administranda. Ad hæc multum in recessu omninò habet imaginatio, pro cujus ductu & hinc spirituum influorum modificato motu, gratius quod est palato remedium, propensionem majorem & quasi amicitiam erga illud in ægro excitabit, ut & assumatur lubentius, facilius retineatur & suavius operetur. Quoties enim imaginationis ex jussu, res alienæ & insuetæ quia singulari appetitu, atque adeo voluptate assumptæ, remedii appropriatissimi instar aut diuturnas febres, aut chronicos Ventriculi languores tollunt. Licito itaque stratagemata & hinc fallere interdum ægrum juvabit, ut sub fide desiderati à se remedii, aliud ipsi simile, sed magis proficuum propinetur, sane consensus hic, & imaginationis motus an quies, multum ad remedii effectum promovendum aut modificandum facient. Sequiori in specie sexui, crebrius se gratiosum his in punctis se exhibeat necesse est, ob hystericas passiones, aut cardialgias his non rarò simillimas, quæ uti per dulcia aut suavius odorata provocari subinde (idiosyncrasia summoperé hic attendenda) solent, ita per ingratiora pariter medicamina, ob nauseam & ventriculi subversionem, quam sæpius concitant, paroxysmos istos vel revocant vel exasperant.

§. 12. Post quantitatem materiæ formularum, consideranda ejus *qualitas*, circa quam ante omnia vitanda *Contrarietas*, quin elingantur *tam sibi, quam ægro Compatibilia*. Contrarietas *formalis* equidem nulla in naturalibus, aut saltem nullibi, præterquam in animali regno idque ferè quoque sub latiori acceptione, sed saltem *effectiva* & quæ respectu nostri ita dicitur, quatenus quædam ex necessitate aut naturali, aut artificiali nobis adversantur, vel quatenus sub unione se ita alterant, ut depositis pristinis proprietatibus sensuum ex judicio se destruxisse videantur. Contrarietas hæc effectiva est, quæ in materia miscenda juxta formulæ præscriptum attendenda venit, tam respectu habito, ad *matetiam* miscendam, quam ad *ægrum* sanandum. In

Materia

Materia non superficialis illa, qua quædam non bene miscibilia sunt intelligenda, ut Oleosa v. g. Ol. amygd. dulc. c. ▽. aut Vino, sperma ceti &c. Sed quæ magis interius penetrat, & ipsam texturæ mutationem junctam habet, qualis in specie universalia inter ista duo Naturæ & Artis mechanica instrumenta, acidum & alcali, hisque cognata subjecta alia, notari solet. Ex nova enim in ⊖sum textura. neutrum propriæ satisfacit destinationi: idque eò minus, si simultanea particularum aliarum syncrisi vel diacrisi novum concretum emergat. ⊖ia alcalisata hinc non præscribenda, cum ⊖ ✱., pro febrium cura, ⊖ vol. Urinos. avolat, concreto ⊖e commun. æmulo relicto. Eadem sive fixa sive vol. alcalia, Ois societatem citra sui notabilem alterationem non ferunt. Nec Lixivialia eadem ♂ialibus præsertim Vitriolaceis jungenda, illorum enim in Tartarum Vitriolat. saturatio, hujus in crocum, ferè adstringentem fit præcipitatio. Nec acida, præsertim mineralia, ac ✠sa, fixatis metallicis aut mineralibus facile socianda, promptissimè aliud inde concretum emergit pristinis simul utrinque exutis potentiis. Elix. propriet. vulg. minus cum spiritu ⊖ ✱ miscendum, cum novum exinde, mirabiliter alteratum sub præcipitatione emergat concretum. Nisi interdum Medicus, ex instituto, compositionem talem ex contrariis componat pro obtinendo quodam tertio: id quod optinet v. g. in potione febrifuga *Crolliana Basil. p.* 298. ubi extemporaneus Tart. Vitriolatus ceu conveniens digestivum, ante paroxysmum propinatur: pertinent pariter huc Misturæ versatissimi in felici praxi, *Sylvii*, passim in Lib. Ejus Pract. annatotat. ex ✱ Lap. 69. l. corall. & Diascord. &c. combinatæ: mens scil. in talibus formulis non est saturare acidum, & ita aliud intra corpus absorbendi vim in Terr. destruere: sed arrodere saltem superficiali attactu ista objecta, quo intra corpus à potentiori acido promptius arripiantur ac ex ✱ præcipitentur, seu quod dum in istis concentratur, seu ab iis absorbetur, ✱ quasi regeneratū, in corpore in ⊖s. mutatum, abstergendo & resolvendo, & blande stimulando sui quod erat, faciat officii. Exemplo Tart. & ♂ hęc illustrare placet. Decoctio ♂ c. crem. Tart. solut. mediocris (in qua superficiali attacta Tart. sibi ♂ jungebat) coloris citrini dulcoris ♂ specifici nō adeò intensi, inspissata, donec intense ☉rei esset coloris, instillato, spiritu ⊖ ✱ simpl. aut Lixivio ⊖ Tart. vix sensibiliter alterabatur: ab ✱ vero, spiritu ⊖ - spiritu Nitri, turbabantur liquor Tartareo ♂ialis, & copiosum ponebat sedimentum, non Aëreum, ♂iale, sed ⊖inum, quasi granulosum, gustu subacidum, hoc est, perfectus Tartarus regeneratus, qui per præcipitationem per potentius acidum liberatus à ♂ nativa in formâ se repræsentabat. Hinc enim, si modo dictis cum acidis intensioribus in prægnatis liquoribus filtro à Tart. separatis, lixivium ⊖ Tartar. instilletur, veri ♂ fit præcipitatio, sub formâ sedimenti obscuri nonnihil viridescentis, quod tamen in aëre libero in crocum flavum fatiscit. Simili modo suspicari licet, ♂em in liquore ♂ Tartarisati præfato intra corpus à potentiori acido saturari, Tartarum v præcipitando regenerari, ac dum consuetis muniis fungi.

Ex Opposito, Crem. Tart. & ♂ ana decoctio fortis & multum impraegnata, non tamen potenter adeò Martialis quam Tartarei saporis decantabatur, & magma residuum cum nova ▽ diu beneque agitatum & decoctum liquorem aurei coloris, ad nigredinem vergentis, saporis intensius Martialis reddidit: quem ob fortiorem Mart. & Tart. amplexum, sive potius intimum congressum, nec ⚹, nec spiritus ⊖, nec spiritus ⊕, nec spiritu, Vitrioli tantillum immutabant quin omnia hæc acida, citra sensibilem alterationem ipsi se permiscebant: par ratio c. alcalibus, siquidem nec à spiritu ⊖ ⚹, nec à lixivio ⊖ Tart. ulla mutatio, adeo pefectum ⊖sum, ex ♂ & Tart. concreverat. Quod si liquori dicto, jam acidis impraegnato, alcalia instillarentur, post levem effervescentiam, præcipitabatur materia grumosa, & grossa, analoga quodammodo ♂ ex Vitriolo præcipitato. Sane suspicari licet, ♂ extra corpus jam plus minus ita saturatum, minoris usus futurum pro Cacheticorum acidis imbibendis, sicuti ex opposito, Tartari acidum, appropriato suo compari alcali Olioso, per istam in ♂ concentrationem & diturnam coctionem spoliatum, minus regeneratum iri, sed odore saltem acido, si adhuc separabilis esset, parum vel nihil effecturum.

§. 13. Contrarietatem remediorum extemporaneè componendorum cum *Ægro* quod attinet, Idiosyncrasia hujus inprimis observanda, à priori licet non cognoscibilis, sive nativa, sive adscititia fuerit. Sanè ut sensibus grata, & alias consueta, licet deteriora, in *Hygiastico usu* reliquis omnibus præferenda, teste *Hippocrate*, cum tantilium Casei aversati frustulum, clam licet ingestum, totam ex opposito digestionem turbet, ita in *Therapeutico* negotio, quæ ægro accepta & compatibilia, nec hostilia, forsan melioribus præferenda erunt. Idiosyncrosia ista, tam quoad sensiles immediatè, alias *manifestas* remediorum qualitates, quam quoad non sensiles, sed *occultas* perpendenda. Istæ ex Ægri patent relatu, hunc enim amara, alium acida, dulcia, ⊖sa &c. delectant, nunc, pilulæ pulveres, potiones &c. appetuntur. Sed circa occulta illa, quæ nulli sensuum patent, major omninò difficultas, neque enim nisi per experientiam, adeoque repetitas observationes cognosci possunt: nisi forsan vel ex hæreditario charactere per plures successiones innotuerint, aut ex ægri prævia observatione pateant. Sunt quos castorei sapor aut odor offendit plurimum, alios qui delectat: hi benè anisum, aut cinamomum ferunt, quod aliis fastidiosum est: ✠ quamplurimis in summis est deliciis, cujus tamen vel solo odore lypothymiam incurrit Mulier apud *Horstium ex Fabricio append. ad decad.* 5. *quest.* 1. *p.* 117. Sassafras lignum præ aliis suave summè tamen abhorruit Vestalis apud *Panarolum pent.* 5. *obs.* 22. Sunt qui gammaros coctos, absque perturbatione insigni ne aspicere possunt, in *M. A. N. C. anno* 1. *p.* 299. quomodo eosdem in potionibus vulnerariis sustinebunt? Quicquid ergo

ergo Ægro haud compatibile & primario quod ex Idiosyncrasia repugnat, ex formulis simpliciter exulet.

§. 14. Materia hæc fuit formularum, sequitur Forma, in hac se primò offert *Ordo*, quo situanda sint ingredientia. Libertate hic gaudet Medicus, & pro lubitu ferè eandem instituere valet. Concinnior tamen ferè emergit formula, si quæ copiosius ingrediuntur, cœteris anteponantur, ut & ea, quæ prius dispensando aut præparanda, ut in decoctis, misturis &c. Baseos locus simpliciter in Arbitrio est præscribentis: non secus ac Constituentia nunc præponuntur, ut in misturis, nunc postponuntur, ut in morsulis: uno nomine, formularum crebrioris inspectio, & præscriptarum præparationis observatio, omnia hæc facillima reddunt.

§. 15. In Formâ sequitur ingredientium debita *proportio*, quâ dosis tam *generalis* eorundem, quam *specialis* aptè limitatur. *Generalis* dosis est ista, quâ ▽, syrup. ✠, succus pul. flor: folia. Fructus &c. pro hac ista formula ordinariè & aptè præscribuntur, quam Vide definitam in *Erudit. Wedelio, de compos. Med. Extemp. s. c.12.* &c. *Specialis* est, quam cujusvis remedii usus & effectus particularis circumscribit, nam alia dos. est C. C. s. △, alia ⊖ vol. C. C. alia Mercurij dulcis, alia turbith. mineral. alia rhabarbari, alia Lap. 69. &c. In utraque *debita proportio* observanda. In *speciali* est proportio inter basin, ejusque adjuvans, ac corrigens, ne nimis exaltetur potentia baseos, nec infringatur ab iisdem, sed omnia pro effectu intento obtinendo, mutuò conspirent, & junctim Dosin legitimam constituant. conf. §. 10. circa finem. Ex hoc enim de judicio Medici præscribentis ferè judicari potest. Ob id in pulv. §. 9. jalap. una dos. sufficit, ob adjuvans egregium Tartareum: quibus forsan debilioribus gr. 1. Scammon. additum integram dosin proportione debita compleret. Quoad *generalem* dosin, ingredientium mutuus ad se invicem quasi sit respectus, ita ut eadem proportione dupla, tripla, 4pla, 6pla, 12pla &c. aut quocunque alio modo his plus minus analogo, sibi invicem aptè respondeant, quo æqualis quasi, ac elegans, non v. hiulca aut aspera fiat præscriptio. Non equidem de necessitate hæc sunt, cum ad ornatum tantum faciant, tamen de majori Medici præscribentis attentione loquuntur. Sic enim in mistura supra §. 9. præposita ▽æ ℥j respondet Tincturæ s. Essent. ʒß, spiritus ℈j, pulv. gr. IV. syr. ʒj ad ℥iß. dant hæc dosin integram specialem, triplicata mutuo, pro repetito usu formulam istam subministrant: id quod majori omninò fit ornatu quam si ▽ ℥iv, Essent. ʒiij spiritus ℈iiiß. pulv. xvij. syr. ʒv. l. VII. invicem confunderentur.

§. 16. Restat adhuc, ut formæ ratione *præscribendi miscendique modum* consideremus, qui vel materiam, vel formam præscriptionis respicit: Materia quidem præscribitur vel *simpliciter*, vel *modificate*: *ibi* generaliter

herb. malv. rad. gentian. ⊖ abſinth. Mercur. dulc. ſpiritus ⊖ ✱, *hic* v. ſpecialiter com. abſinth. rad. helleb. nigr. præp. rad. chin. non carioſ. Mercur. dulc. ad extra, ad intra, ſpiritus ⊖ ✱ ſuccin. ⊖ vol. Viperar. camphor &c. quæ tamen præſcriptionum inſpectio ſpontè docet. Formam denique, quæ reſpicit præſcribendi ratio, eſt hæc vel *univerſalis*, quibus ferè formulis communis, vel *particularis* certis quibusdam propria. *Illa* in antepoſito conſueto R. ſive recipe, quod quare quidam adeò horreant, niſi forſan, quod in Veterum ſcriptis non æque reperiatur, ſanè non videò: & in poſtpoſitis M. F. l. a. D. S. hoc eſt, Miſceantur, Fiat lege artis, dentur, ſignentur, ferè conſiſtit, quibus & illud ana ſub æquali ingredientium doſi accenſendum: Hæc in qualibet ferè formulâ aliquid peculiare obtinet quando in pulveribus præcipitur redigantur in alcool, in quibusdam liquoribus filtrentur, colentur, ſtent in MB. per 12. l. 24. horas, hoc eſt, per ℘σ, & quæ ſunt aliæ ſimiles præſcribendi rationes non niſi ſub ſpeciali formularum tractatione exacte dignoſcendæ.

§. 17. His omnibus ita obſervatis ſub ipſa præſcriptione emergit ſpontè ſua ipſum Medicamentum ſive quaſi novum concretum remedii eſſentiale, magiſtraliter quidem ſivè extemporaneè, artificiosè tamen compoſitum, juxta Medici privatam ordinationem, ulterius adhibendum.

CAP. II.

De Præſcriptione Formularum in ſpecie.

§. I.

FAcimus jam acceſſus ad ipſas præſcribendarum formularum differentias & diſtinctos modos, iſtos ſcilicet qui hodiernæ comptiori praxi accommodati, relictis jam antiquatis ac inuſitatis, & qui pro magiſtrali compoſitione dirigenda, ex tempore à Medico præſcribuntur. Applicatio præſcriptorum per formulas remediorum, eorumque uſus varius Practicis demandanda venit. Vitabimus enim quantum poſſibile *confuſionem* & *prolixitatem*, illa errorum, hæc tædii in Philiatro genetrix. Nihil ergò ſumus acturi de *ſyrupis*, *qui* pro diſpenſatione ſui ſemper parati proſtant, nec magiſtraliter præſcribuntur. *Vina Medicata* ad infuſa pertinent, nec peculiarem præſcribendi modum exigunt. *Ptiſana* pariter, ſive *Hordeatum*, *Hydromel*, *Oxymel* decoctionum ſpeciales quidem modi, non ſecus ac *Diæta ſudorifera*, ſive lignorum decocta, *tam* primaria, quam ſecundaria. *Deſtillatum inſtaurans* eſt non ens, etiamſi ▽ impinguans *Epiphan. Ferdinand. in Hiſt. Med.* foret, nudum nempè Phlegma

quod

quod ſine ullo uſu hauritur. *Decoctum Galli* ſive junioris ſive ſenioris, jam rariſſimi uſus Pharmaceutici, ad culinas relegandum, unà cum *juſculis medicatis* ac reſtaurantibus, quorum omnium odor ægris vix tolerabilis, nedũ ut ventriculus debilis, ſub appetitu proſtrato, eadem digerat, quin dum calore febrili interiora plus minus æſtuant, cadaveriſantur talia digeſtionis defectu, putreſcunt, aut ſaltem in nidorem abeunt. *Conditum* idem cum Electuario. *Eclegmata* ferè inuſitata, quorum locum ſyrupus quidam gratior, v.g. diacod. Mont. ſcabioſ. vel miſti, vel cum Rob. paſſul. min. ſubacti, cum baculo liquiritiæ pro ſcopo temperandi ſive demulcendi aut incraſſandi ſupplebunt, ſicut pro ſcopo attenuandi ſive demulcendi aut incraſſandi ſupplebunt, ſicut pro ſcopo attenuandi & reſolvendi iſti de praſſio, de nicotianâ emeticus ſalæ c. ſpiritus Sulph. paucis gutt. ſufficient. *Pandaleon Paſta Regia*, *Maſſa Panis*, *pineolatum*, cupediariis relinquendi, & quantum nutritii vel temperantis roris languidus tabeſcentium Ventriculus ex iſtis hauriet ? dum in paſtam tenacem viſcidam acidam in eodem abeunt. *Trochiſci* magiſtrales vix præſcribuntur ulli, cum ipſi officinales videantur quibusdam ſuperflui. *Epithema* peculiarem haut exigit formulam, cum fluidi cujusdã, vel liquoris, vel miſturæ, vel decocti, vel emulſionis determinatam ſaltem externam applicandi rationem denotet. Idem dicendum de *Clyſmatis* ac *Gargarismatis*, quæ ſaltem in medicamentorum liquidorum, variâ forma adſcriptorum, ſpeciali utendi modo conſiſtunt. *Fotus humidi*, & quæ huc pertinent, *Lotiones*, *Balnea*, *Inſeſſus*, ad decoctorum ſpeciales modos, ex applicandi varietate natos pertinent, nam ſimili ac decocta modo præſcribuntur: etiamſi etiam ſicca, *ſacculorum* formâ adhibeantur, eadem tamen præſcribendi, alia ſaltem applicandi ratio. Nec *ſcutum* differt à ſacculo vel emplaſtro, dum ventriculo admoventur. *Frontale* nunc ſacculus, nunc Epithema, nunc linimentum eſt. *Cucupha* eſt ſpecialis ſaltem pulverum applicatio *Collyria*, oculorum ſunt remedia, multiplici formulâ præſcribenda. Idem de *Errhynis* valet, *Sternutatoriis*, *apophlegmatiſmis*, & *dentifritiis*. *Cataplaſmata* ad decoctionum ſpeciales modos reducenda, ſicut interdum ad miſturas ſpiſſiores. *Veſicatoria* peculiarem non conſtituunt formulam, quin prout pulveriſati cantharides vel fermento pro cataplaſmate, vel emplaſtro magiſtrali aut officinali includuntur, ſuum quod eſt faciunt, quid ? quod eorum eſſentia, cuti impoſita, veſicas excitet. *Suppoſitoria* non præſcribuntur, ſed officinalia ordinantur: ut taceam loco illorum globulos die Bieſem Kugeln/ commodius ſi non ut plurimum felicius applicari poſſe. Quod ſi extemporaneum deſideres, prompte illud ex O, ad imitationem *Salæ append. Myroth. ſ. 4. §. 13. p. 840. vel Sylvii. l. 1. prax. c. XI. & XII. p. 119. 123.* concinnabitur. Quæ & qualia denique præſcribuntur hodie *peſſaria*, quin loco eorundem vel injectiones per metrenchytem, vel ſuffitus per inſtrumentum *Glauberi* ligneum, vel *optimè*

par parvam aut Phiolam aut retortulam vitream, longioris pauló colli uſurpantur, dum harum in ſpecie orificium linteis tenerioribus munitum, ſinui pudoris applicatur, fundus v. vaſis, cum remedio vel ſolido vel fluido △i carbonum leni proprius admovetur, ut concitatis hinc effluviis, uterus locaque vicina diverſimodè alterentur. His ergò partim rejectis, partim ad ſtationes debitas relegatis, *formularum quamvis differentiam 5. Claſſibus generalibus includemus, & ſpecialius pertractabimus.*

ſit ergò.

CLASSIS PRIMA.

Pulveres & iisdem ſubordinatas formulas ſiſtit.

§. I.

SImpliciter in his arida ſive ſicca, in minutiores ſui partes contundendo aut terendo redacta, ſivè jam pulveriſata proſtent, ſimplicia ac compoſita, ſive demum pulveriſanda ſint, præſcribuntur. Doſ. general. pro una vice ſit ℈j ad ʒß. raró ℈ij. rariſſimè ad ʒj niſi in doſi quorundam ſpeciali v. g. rad. Aſari ad ʒj aſcendere neceſſe ſit. Uſus eorum eſt tam *internus*, quam *externus*. *Internus*, ceu potior, (de quo modo dicta ferè intelligenda) eſt, dum capitur in vehiculo convenienti, aut *domeſtico*, quod privatim ægro Medicus denunciat, aut *officinali*, miſtura ſcil. quadam tenuiori, à Medico ſimul præſcripta,

Pulvis abſorbens acidum.

℞ *Lap. 69. præp.* ʒiß
Unicorn. foſſil.
Corall. rubr. pp.
C. C. uſt ana ʒß.
⊖ *abſinth.* ʒj.
Nuc. moſch. ℈ij.
M. F. pulv. D. S.

Dempfend Pulver auff etlich mal.

Pulvis abſque torminibus blandiſſimè purgans.

℞ *jalap.* ℈ß *ad gr.* xv.
Nit. puriſſimi. ℈ß.
ſcamnum pp. gr. ij.
Ol. Deſtill. aniſ. gutt. ij.
M. F. pulvis. D. S.

Laxier Pulver auff einmal.

loco ſolius Nitri etiam Nitri gr. VI. *Nit. Tartari gr.* IV. *recipi poſſunt.*

doſ.

dos. quantum largior cultri, cuspis capere potest.

Pulvis laxativus antihypochondriacus.

℞. *Crem. Tart.*
fol. senn. s. st. ana ℥ß.
zingib. anis.
cinamom. cubebar. ana ℈j
M. capiatur in jusculo calido l. in principio prandii vel hora 1. ante prandium : dos. largior cultri cuspis.
Cran. human. viol. occis.
ana gr. v.
☉ *fulmin. pr.* j.
M. detur in 2plo. S.
Sonderlich Pulver.

℞ ▽ *pœoniæ.* ℥ß.
cinamon. spirituos. ʒj.
syr. fl. tunic. ℥ß.
M. D. S.
Wässerlein zum Pulver.

Pulvis febrilis laxativ : ante Paroxysmum.

℞ *Corall. rubr. pp.*
Nit. absinth. ana gr. xv.
scammon. pp. gr. iv.
M. D. S.
Eröffnend Fieber Pulver.

Pulvis Contra Epilepsiam infantum : ex consensu abdom :

℞ *ras. unicorn. ver.*

Pulvis contra Variolas & morbillos, præsertim in incremento.

℞ *C. C. s.* △. ℈ij.
Unicornu fossil. ℈j.
⊖ *card. bened. gr.* xv.
myrrhæ el. gr. xii.
M divid. in. 3. p. aq. D. S.
Außtreibend Pulver.

Siccis hujusmodi, interdum & consistentiæ vel fluidæ, ut Ol. Destill. vel mediæ, ut theriac. extract. in dosi tamen exigua, sive infracta, addi solent : verb. gr.

Pulvis Puerilis, in Torminibus c. alvi fluxu.

℞. *C. C. ust.* ℈ij. *unicorn. fossil.* ℈j. Terr. *sigill.* ℈ß.
theriac. gr. iv. *extr. castor. gr.* iij. Ol. Destill. *macis gutt.* ij.
M. f. pulvis. D. S. Anhaltend Ruhe-Pulver.

§. 2. Subtilissimè tritus pulv. *alcool.* aliàs dicitur, grossior verò ex aromatibus & analogis subjectis, non adeò exactè tritis, cum saccharo mistis *Tragea* vocatur. Hujus secundum praxin olim usitatum cochlear semis vel integrum, aut ita in formâ siccâ, aut pani Vino malvatico imprægnato inspersæ, masti-

masticando successivè assumebatur præsertim à pastu, pro corrigenda digestione primâ, inflatione ventriculi, flatibus hinc crebrioribus, & in genere, quibusvis malis chronicis, in quibus ventriculus frigidus, & hepar calidum, passim incusari solent, & exinde alias quoque *peptici* dicuntur: exempla vid. *in Horst. Observ. l. 4. obs. 38. p. 210. it. lib. 5. obs. 3. p. 266. & obs. 4. p. 268. it. Sennert. Instit. l. 5. p. 3. s. 3. c. 14. p. 1415. 1417. & lib. 3. prax. p. 1. s. 1. c. 5. p. 24.* Sed comptior hodierna praxis, pro puerorum potius delectamentis, præsertim dum confectiones saccharatæ subinde permiscentur, talia destinat. Loco eorum enim, ex quibus necesse est ut subdigestione prius ventriculus medicinam præparet, potius spiritus aut ⊖ia vol. aromatica sive Oleosa in usu sunt, sive quovis in pastu, sive brevi post eum absolutum assumantur: in quem finem aptissima eorum videtur præparatio, si aromata selecta, præsertim simul carminantia, cum s. q. ⊖ ✱ & Calx viv. mista, hinc ▽ commun. humectata, mediocri △ rigore per Retort. destillentur, acquiritur sic spiritus sive ⊖ vol. Oleos. in formâ humida, quod dos. gutt. 20. l. 30. ab istis trageis sperata auxilia multum si non superabit, certè æquè præstabit. Quod si tragea quædam delicata, variis condimenti loco inspergenda aut addenda, desideretur: præscribatur talis perquam grata:

℞ *Cinamom. p. iij. Cardamom. p. ij. carypoh. p. j.*
Sacchari q. pl. M. asservetur usui.

§. 3. Externum quod attinet pulverum usum, varius equidem & multiplex est, pro partis affectæ, & usus differentiis, ast præscribendi modus ubique est idem:

Pulvis ad Intertriginem: & similes externas excoriationes.

℞ *C. C. ust.* ℥ij.
Cretæ alibi. ℥jß.
ceruss. ℥ß.
pulv. ros. rubr. exsicc.
q. s. pro gratiâ coloris.
M. f. pulvis. D. S.
Ein streu Pulver.
nodulo raro includitur & ita inspergitur.

Pulvis ad ulcera Inveterata.

℞ *Croci ♂ ex Vitriolo præcip.* ℥iij.
Lact. Lun. ℥jß.
Terr. sigill. ℥j
myrrhæ.
aloës.
macis. ana ℈j.
camphor. ℈ß.
M. f. p. D. S.
Euserlich reinigend Pulver.

Conf.

Conf. Major. Diss. de Lact. Lun. c. XI. §. 2. & 6. pertinet huc etiam pulv. erysipelatodes Mynsichti: Armament. sect. 5. p. 436.
Pro oculorum usibus pariter pulveres externi adhibentur, sed subtilissimi, & speciatim Arabico nomine, *Sief*, appellantur, & modestè oculis in sufflantur.

Ad oculum Ungue laborantem.

℞. *oss. sep. pulv.* ℈j.
sacch. cand: ʒj.
Vitrioli alb. ℈ß.
Tutiæ pp. ℥ß.
M. f. pulv. subtitissimus. D.
Augen-Pulver.

Pulvis sternutatorius.

ad imitat. *Helmont.*

℞. *rad. helleb. nigr. non præpar.*
sacch. albiss. ana. ʒj.
Ol. Destill. majoran;
anis. anagutt. ij.
M. D. S.
Niese-Pulver.

Pulvis dentrificius, ad Mobilitatem, Putredinem, cruentationem, gingivarum.

℞ *fl. rubr. malv. arbor.* ℥ß.
C. C. ust. ʒij.
Ossi.
nuc. mosch. ana. ʒj.
M. f. pulvis subtil. D. S.
Zahn Pulver.

quo post oris collotionem & dentium purificationem, bene fricentur gingivæ:

Vid. Poterius, felix Practicus Cent. 2. cap. 8. p. 16. ex quo suppresso Autòris nomine abstulit Riverius Prax. l. 2. c. 18. p. 184.

vel ad hodiernum morem

℞. *pulv. tabac. Indic. Virgin.* ℥ß.
majoran. ʒij.
Ol. Destill. lavendul.
anis. ana gutt. VI.
ambræ. gr. V.
mosch. gr. X.
M. F. pulv. S. D.
Haupt und Niese-Pulver.

Pulvis pro suffimigio.

℞. *Sandarach. s. gumm.*
junip. ʒvj.
Succini ℥ß.
styrac. calamit. ʒiij.
thuris.
mastich.
benzoës ana ʒij.
M. f. pulv. grossus. D. S.
Reucher Pulver.

§. 4. Pulveres si excipiantur Conserva, & cum fluido quodam maximam partem, syrupo, pro meliori miscela subigantur, pro una dosi, internè saltem usurpanda, dant

Bolos.

qui cum ità ſimpliciter ſaltem deglutiendi ſint, & quantitate quantum fieri poteſt exigua. ʒß. ad ʒj. raro ad ʒij, gratia vero majori præſcribendi.

Bolus Emeticus.

℞ *Conſ. fl. tunic.* ℈j. *ad* ʒß.
Sulp. ♁, *c. lixiv. detonat.*
Tart. & ⊕ *per decoct.*
parat. gr. VI.
Crem. Tart. gr. V.
M. f. Bolus D. S.
Brech-Zucker.

Bolus Laxativus contra vermes.

℞. *Conſ. fl. perſic.* ℈ij *ad* ʒj.
☿ *dulc. gr.* XV. *ad* ℈j.
pulv. jalap. gr. VIII.
vel
Scammon. pp. gr. ij.
c. ſ. q. ſyr. fl. perſicor.
F. Bolus D. S.
Laxier Zucker gegen die Würmen.

Bolus in Vomitu nimio.

℞. *Conſerv. roſ. Vitriolat.* ʒj.
Terr. ſigill. ℈j.
laud. opiat. gr. I. *ad* ij.
Ol. Deſtill. Cinamon. gutt. j.
c. ſ. q. miv. cydonior.
F. l. a. Bolus miſcendo & expectando, donec aliqualis turgeſcentia ceſſaverit. D. S.
Magen ſtärckender Zucker.

Bolus Diaphoreticus febrilis expertus, ſed nonnihil ingratus.

℞ *Theriac.* ℈ij. *ad* ʒj.
ſpecif. febril. Strobelb. ʒß.
Ol. Deſtill. caryophyll. gutt. ij.
M. c. ſ. q. ſyr. card. bened.
F. l. a. Bolus. S. D.
Fieber Latwerge.

Nempe uſitatiſſimè iſtis modis præſcribuntur boli, loco tamen Conſervæ, etiam Pulpæ quædam ſpiſſiores, ut *tamarind.* it. Electuar. gratior. *ut Roſat.* quin & *Theriaca*, ut in poſtremo exemplo, ſed hæc rarius ſolent recipi. Dum enim vulgus inter euporiſta ſua Rob. Sambuci, vel juniperi cum C. C. ſ. △ aut uſto, pro ſcopo diaphoretico, in Eryſipelate & ſimilibus malis porrigit, quid aliud, quam bolum ordinat? Sicuti ex oppoſito Confectiones, extract. gratiora aliave, conjungi aptè in boli formam poſſunt.

Bolus

Bolus alterans, in æstu Ventriculi & hypochondr.

℞ *Pulp. tamarind.* ℥ij.
Tart. Vitr. Tachen gr. xv.
bezoard. min. simpl, ℈ß.
c. s. syr. violar. F. Bolus D. S.
Kühl Latwerge.

Bolus Analepticus Hypnoticus.

℞ *Conf. fl. borrag.* ℥j.
Conf. alkerm. ℥ß.
Laud. opiat gr. j. *ad* iß.
M. f. bolus. D. S.
Sterckender Ruhe-Zucker.

quin & si copiosior paulo pulvis fuerit, Conservæ Constituentis loco solus syrupus recipi potest, q. s. pro consistentia debita.

Bolus Purgans.

℞ *pulv. hypochondr. laxativ. supra. §. 1. descr.* ℥j.
scammon. pp. gr. j. *ad* ij. *c. s. q. syrup. ros. solutiv. s. mucharros. F. l. a. Bolus,*
D. S. Purgier Zucker.

§. j. Quod si simili modo, sub mole tamen majori, tractentur pulveres, hoc est si formetur bolus pro pluribus dosibus, erit

Electuarium.

quod modernis subinde *Conditum*, veteribus verò *Opiatum* audit, & hoc ab opio, vel principali vel universali eorum ingrediente. Veterum ista Opiata, aut ad eorum similitudinem confecta alia, v.g. Diascordium Fracast. Antitod. *Matthiol.* aut Orvietana, Theriaca cœlestis *Greiffii* &c. ceu officinalia transeant. Quoad Electuaria *magistralia*, proportio ingredientium ad constituentia est in genere vel 8pla, vel 6pla, 4pla: &c. prout potentius vel debilius remedium, dosi majori aut minori, idque crebrius aut rarius, capiendum volumus. Usus est tantum internus, isque alterativus, solutiva Electuaria haud amplius in usu, idque ob purgantium partim horridum saporem, partim ob incertitudinem doseos, & consequenter operationis, siquidem nec subigi æqualiter per totum purgantia, nec Electuarii dosis tam accuratè observari potest. Quin talium loco in officinis vel Passularum laxativarum, vel prunorum, præsertim ad Timæi imitationem præparatorum, it. Cydoniati laxativi, Conserv. ros. vel violar. laxativ. c. mannâ. Timæi, & similis compositionum usus invaluit, quæ pro unà vice determinata dosi optimè assumuntur. Pertinent huc elegantis compositionis electuaria purgantia, tam cholagogum, quam hydrago-

hydragogum *Sylvii l. 1. prax. c. 2. §. 46. & c. 7. §. 55.* quæ facilè pro dispensatione ordinaria in officinis præparari possint.

§. 6. Quoad Electuaria Alterantia ergò:

Electuar. Antihypochondr.

℞. Conf. cochl.
fumar. ana. ℥ij.
Ebor. s. △. ʒij.
Lap. 69. pp.
Corall. rubr. pp. ana. ʒj.
Vitrioli ♂ ℈iv. *ad* ʒij.
c. s. q. syr. borrag. F.
l. a. Elect. D. S.
Alterativ Latwerge.

Elect. ad fluorem album.

℞. Conf. fl. anthos. ℥iij.
Ebor. crud. ras. pulv.
magist. succin. c. S. V. ana ʒiij.
lap. osteocoll. ʒiß.
putamin. avellanar.
pulv. ℥ß.
c. s. q. syr. ros. rubr.
F. Electuar. D. S.
Dämpffende Latwerge.

Loco Vitrioli ♂, etiam extractum ♂ cum succo vel pomorum, vel acetosell, vel tamarindorum ad ʒij. *vel* ℥ß. *recipi potest.*

De his electuariis, bis l. 3. de die capitur, magnitudin. castaneæ vel nuc: jugland. & amplius, aut quantum binis ternisve cultri latioris cuspidibus capi potest.

Interdum sive conservis, solo syrupo convenienti excipiuntur, aut c. Rob. sambuc. subiguntur, & hoc in compositionibus quasi theriacalibus, loco Veterum mellis, quibus tamen aliquid fluidi pro meliori miscelâ affundendum.

Electuar. contra Nimium Mensium fluxum.

℞. Corall. rubr. pp. lap. hœmatit. pp. boli armen.
Unicornu ver. pp. ana. ʒiß.
sem. plantag. ʒiij. *☉ crud.* ℈ij.
laud. opiat. gr. v. *c. s. q. syr. plantag. F. Elect.*
D. S. Anhaltende Latwerge.

Hisce ceu ordinariis Elect. ingredientibus, interdum etiam rad. conditæ, confectiones, extracta, succi inspiss. it. spiritus &c. pro circumstantiarum ratione & respectu baseos, item constituentis, infractâ, proportionatâ tamen dosi commiscentur.

Electuar. stomachale.

℞ Conserv. menth. crisp. ℥ij.
anthos.
meliss. ana ℥j.
rad. zingib. in Ind. condit. ℥ß.

Electuar. pro senibus ab Apoplex. metuentibus.

℞. Conf. fl. anthos.
menth. ana. ℥j.
fl. tunic. ℥ij.

pulv. Zedoar. ℥ß.
cinamom.
caryophill. ana. ʒj.
Theriac. Andr. ʒij.
c. s. q. syr. menth. F.
Elect. D. S.
Erwermende Magen-Latwerge.

Electuarium contra Dysenteriam.

℞. Conserv. ros. rubr. ℥iij.
Diascord. Frac. ʒvj.
Ticturæ s. Ess. Cinamom. c. S. V.
Tartis. ʒiij.
ras. priapi Ceti subtiliss.
pulv. ℥ß.
troch. de carab. ʒij.
Corall. rubr. pp.
Oss. sepiæ pulv. ana. ʒj.
Extr. tormentill. rit. parat. ʒiß.
c. s. q. succi cydonior. vel mivæ cydonior: aromatic. F. electuar. D. S.
Anhaltende- und Schmertzstillende Latwerge.
de quo creberrimè pro lubitu æger capiat.

zingib. in Ind. condit. ℥ß.
sem. sinapi.
Erucæ. ana. ʒij.
Corall. rubr. pp.
succini. pp. ana. ʒß.
cardamom. ℈ij.
cinamom.
caryophill. ana. ℈j.
⊖ vol. succini. ʒj.
c. s. q. spiritus ceras. ingr.
F. Electuar. D. S.

B. D. Michaelis, aliquando seni cuidam non sine judicio pro analepsi præscripsit.

℞. Cons. anthos.
salv.
tunic. ana. ℥ß.
Conf. alkerm. ʒiß.
ambræ. gr. V.
mosch. gr. iij.
laud. opiat. gr. issad. ij
c: s. q. syr. fl. tunic.
F. Electuar.
irroretur ▽ cinamom. spirituos.
D. S.
Stärckende Mistur.

In Hæmorhagia narium habituali, juniorum, ex hypochondriis, &c.

℞. Pulp. passul. min. vel Cons. ros. rubr. ℥iij.
rhabarb. el. Corall. rubr. pp. ana ʒiß.
Ebor. s. ▽. ʒj. Dent. equi marin. ʒß.
M. c. s. q. extr. ♂ c. s. pomor. ʒiß. ad ʒiij.
M. c. s. q. syr. ros. rubr. F. Elect. D. S.
Stillende Latwerge.

§. 7. Quod si pulveres, loco constituentis consistentiæ mediæ, excipiantur saccharo, in liquore conveniente soluto & denuò inspissato & in planum per vasculum ad instar infundibuli cum parvo quasi pistillo in medio projecto, emergunt.

Rotulæ.

seu ut aliis audiunt, *Orbiculi*, it. *tessellæ*: tali ferè proportione, ut pulverum sit p. I. sacch. excipient. p. III, IV, ad VI. prout potentiores aut mitiores, effectu medico easdem expetimus: quibus jam confectis subinde una, alterave Olei cujusdam Destillati aut suavioris essentiæ aromaticæ gutta inspergi potest. Usus tantum est internus, isque alterativus, solutivus ferè in desuetudinem abiit: quin usitatissimè in faucium à lympha acriori quacunque occasione læsarum affectibus præscribi solent, ut demulceant istas, dum in ore detentæ successivè liquescunt. Quod si præterea in aliis usibus ordinentur, crebrius masticandæ & deglutiendæ veniunt v. g.

Rotulæ contra tussim siccam, nocturnam, faucium asperitatem, conceptam earum Phlogosin: &c.

℞ *Spec. Diaireos ust.* ℥iij.
boli armen. pp. ʒj.
Succ. glyzyrrh. hisp. ʒß.
c. s. q. sacchari, vel hujus ℥iij. *ad* ℥iiij. *in* ▽ *papav. rhead. solut. F. Rotulæ. D. S.*

Hust-Küchlein.

confer. hic Rotul. Sylvii l. 1. prax. c. 20. §. 37.

Rotulæ bibitoriæ quibusdam dictæ.

℞. *sem. coriandr. pp.* ʒß.
fænicul. anis.
carvi. petros. ana. ℥ij.
nuc. mosc. ℈IV.

Rotulæ contra inflationem ventriculi, ructus, it. Colicam, &c.

℞ *Ebor. ust.*
Corall. rubr. pp. ana ʒß.
Spec. diatr. pipereon. ʒj.
Extr. Zedoar.
cortic aurant. ana ℈ß.
c. s. q. sacchari in ▽ *fænic. solut. F. Rotulæ aspergendæ in fine Ol. Destill. fæniculi, macis ana gutt.* IV.
D. S.

Zertheilende Küchlein.

Rotulæ Confortantes.

℞ *Spec. diambr.*
diamosch. d. ana ℥iß.
macis

macis. ℈ij.
zingib. cardamom.
cubebar. cariophyll. ana ℈ij.
piper. alb. long. ana. ʒß.
c.s.q. sacchar. in ▽ *carminativ. Dorncrell. soluti F. Rotul. S.*

Magen-Küchlein.

c.s.q. sacchari ad ℥iij. *in* ▽ *ros. solut. F. Rotulæ: sub. finem mixtionis addendo, confect. alkerm.* ʒß. *vel quantum potest, irroretur Ol. Destill. cinamom. D. S.*

Sterckende Küchlein.

Nempe interdum præter pulveres, & extracta gratiora, confect. Ol. Destill. & similia, proportionata dosi recipi possunt. Sic ex solis Oleis cum sacharo, loco Eleosacharorum, quibusdam usitatorum, rotulas carminativas præparat. *Mynsicht. Armam. s. 7. p. 163.*

Quod si denique delicatis admodum l. pro Pueris, orbiculi purgantes præscribendi sint, hi methodo vel *Sylvii: prax. l. 1. c. 2. §. 44.* vel *Timai cas. p. 427.* præscribi poterunt.

§. 8. Quod si præter Pulveres & alia, ad Electuaria recipi solita, dosi quam in his minore, simili modo saccharo inspissato excipiantur, & in formam oblongam, quadratam, planam, (in quem finem jam certi moduli lignei aliive fabricati sunt) redigantur, communiter.

Morsuli.

quia mordendo quasi assumantur, it. ob ingredientium identitatem, *Electuar. solida*, aut *confectio solida* it. à figura *Tabellæ* appellantur. De cætero ut Boli cognati sunt Electuariis, ità Rotulæ Morsulis & contra, item, ut Boli se habent ad Rotulas, ità Electuaria ad Morsulos, & contra. Res in fundamento quasi eadem. In horum adeoque Morsulorum præscriptione, proportio observanda ea, ut pulv. p. 1. ana vel duplum reliquorum, conserv. condit. confect. respondeant simul, ad 5plum, 6plum, imò 8plum sacchari. Pro usu saltem interno, eoque alterativo, & potissimum confortativo, rarissimè aut nunquam hodiê solutivo, & rationes supra §. 5. allegatas.

Morsuli contra sodam.

℞ *spec. Diacret. Myns.* ʒvj.
vel loc. harum
℞. *Cretæ.* ʒij.
ebur usti. ʒj.
lap. ♋. *pp.*
Unicorn. fossil.
corall. rubr. pp. ana ℈ij.

Morsuli stomachal.

℞ *Cons. anth. l. menth.* ʒß.
rad. zingib. in Ind. condit. ʒij.
Spec. Imperat. ʒiij.
extr. zedoar. ʒß.
c. sacchari ℥viij. *in* ▽ *fœniculi soluti; F.*

nuc.

nuc. moſch. ℨj.
c. ſ. q. ſacchari, h. e.
℥jv. *vel* ℥vj *in* ▽ *portulac. ſolut.*
F. Morſuli. D. S.
Dämpffende und kühlende Morſellen.

l. a Morſuli. D. S.
Magen Morſellen.

Quod hos diacretæ Morſulos annoto, quod pulv. ex latere cocto, intenſius rubeſcente, c. ſ. q. ſacchari in morſulos redactus præſtantiſſimum ſodæ ſit remedium: poſſit & nucis moſchatæ aut macis aliquantulum addi. Vis hæc conſiſtit in ſubſtantia Marciali, unde color, (etiam quando ab illo ſebarabilis) in crocum potenter abſorbentem per calcinationem ignis mutatâ.

Morſuli Præſervativi in Malignis.

℞ *Conſerv. pulp. Citri.* ℨj. *theriac.* ℨiij.
C. C. ſ. △. ♁ *diaphor. Terr. ſigill. ana.* ℨij.
c. ſ. q. ſacchar. in ▽ *ſcord. ſolut. F. Morſuli. irrorentur tempore uſus, aliquot gutt. Ol. Deſtill. Henſ. & uſurpentur.*

§. 9. Cæterum hæ & ſimiles formulæ, ſub hodiernâ praxi, multis ſuſpectæ ſunt medentum, quia hoſtiles manifeſtô pluribus ægrorum, idque ob ſacchari abundantiam, pauciſſimis noſtrorum ægrotum, aliquid hypochondriaci ut plurimum patientium, cujuscunque fuerint ſexus, aut ætatis, tolerabilem, quin fermentando & aceſcendo, mucaginisque tenacioris forma adhærendo, quibusvis ita chronicis morbis ſymptomata aut exacerbare, aut magis complicare, aut morbum ipſum procraſtinare ſolent. Crebrior adeoque ſach. uſus, ut non convenit Ventriculo, autore *Helmont. Diſpenſ. Mod.* §. *30.* & *57.* Ita ceu perquam noxium pulmoni notatur à *Garenzier de Tab. Anglin. p. 98.* & *95.* adeoque â crebriori ejus uſu, & præſcriptione, in Climate ægriſque noſtris, merito abſtinendum. Accedit & hoc, quod hæ remediorum formulæ, ſub tenebris ignoratæ Pyrotechniæ natæ, blandimento potius palati ægrorum, aut aliquali remedii varietate, quam efficacis medicinæ intentione, ordinatæ primitus videantur. Quin potius concinniores pulveres, eſſentiæ, extractavè, ſpiritus, ⊖ iaque vol. tam minori ægri ventriculi labore ac tædio, majori verò cum euphoriâ pro praxi elegantiori adhibeantur.

CLAS-

CLASSIS II.

Pilulas exhibet.

§. I.

A Parvæ pilæ similitudine, aliàs *Catapotia*, ab assumendi modo, dictas. Veterum inventum, quo amarissima sua purgantia, ut aloën (apud illos quarumvis pilularum basin) scammonium & colocynthidem propinando, eaque cruda, mellis ope palliata, palatum melius fallerent. Massam ita concinnatam ad ℥j. ferè præscribebant, eamque in majores aliquot gr. V. l. VI. l. VII. redactam, quales apud Belgas fere adhuc in usu sunt, deglutienda offerebant. Concinnior hodierna praxis, sub frequenti Pilularum usu, ℈j. in præscriptione totius molis vix excedit, adeò ut vix gr. I. attingant singulæ Pilulæ, siquidem quò minores, eò gratiores. Nisi ingredientia, sub parvâ mole ponderosiora, ut ☿i, alia majorem dosin admittant. Usus nobis est tam *alterativus*, quam *laxativus*: & hujus quidem respectu Pilulæ vel *extraordinariæ* vel *ordinariæ* s. *usuales* dicuntur. Purgantes *Extraordinariæ* vel I. ex officinalibus Veterum cum recentiorum massis additis consuetis stimulis scammonii & troch. alhandal, interdum & aliis appropriatis, mediante liquido, ▽, spirituoso, Olioso &c. præparandæ ordinantur: vel 2. ex Extractis purgantibus, additis iisdem præscribuntur. Idque pro una vel pluribus dosibus, ibi numero indefinito, hic verò pro dividendis dosibus, bene determinato. Capiantur manè, quacumq; ratione fieri potest, jejuno ventriculo, vel post haustum jusculum tenue.

Pilulæ Purg. Cathol.

℞ *MP. de hier. c. agar.*
ammoniac. Qu.
ana ℈ß.
scammon. pp. gr. ij.
troch. alb. gr. j.
c. s. q. Ol. Destill. macis.
F. Pilul. D. S.
Purgier-Pillen auff einmahl.

Pilul. Emetico-Catharcticæ antè Paroxys. intermittentium.

℞ *MP. de ʒb. Ruff. gr.* XV.
Tart. Emetic. gr. j.

Pilulæ ad Luem Veneream.

℞ *Extr. panchym. Croll.*
gr. XII. *ad* XV.
☿ *dulc.* ℈j.
Extr. troch. alb. gr. ij.
c. s. q. Ess. lignor.
F. Pilul. D. S.
Pillen.

Pilul. Anti-hypochondriac.

℞ *MP. Tart. Querc.* ℈j
Vitrioli ♂ *ad albed.*
lenit. calcin. gr. V.
scam-

ſcammon. pp. gr. j.
c. ſ. q. Eſſ. cent. min.
F. Pilul. S.
Eröffnende Fieber-Pillen.

ſcammon. pp. gr. j.
c. ſ. q. Eſſ. gumm. ammon.
F. Pilul. capiantur.
bibendo deſuper largum hauſtum calidum.

Pilulæ Hydropicæ.

℞ *Extr. Elater. rit. parat. gr.* xv. ☿. *vit. gr.* ij. *ad* iij.
vel hujus loco
☿ *dulc. cum.* ☿*io Vit. ad imit. Hartmann. gr.* x.
extract. troch. alhand. gr. j.
c. ſ. q. Eſſ. abſinth. F. Pilul. D. S. Pillen.

Interdum ſoli pulveres, vel aſſumtu ingratiores, vel periculoſiores, debito corpore excepti, in Pilulas compingi poſſunt: v. g.

Pilul. contra gonorrhœam inveterat. malignam. Scabiem ferinam, guttam roſac. contumac. &c.

℞. *Thurbith. minerale Croll. gr.* v. *ad* vi.
c. ſ. q. theriac. F. Pilul. D. S.
Sonderliche Pillen: *ſed vix, niſi pro robuſtioribus.*

Pilulæ in deſperatâ alvi obſtructione.

℞ ☉ *fulmin. c. ſpiritu* ⊖ ✱ *pp. gr.* vi. *ad* ℈ß.
c. ſ. q. extr. helleb. nigr. F. Pilul. D. S.
Eröffnende Pillen.

§. 2. Atque tales ſunt pilulæ, quas pro ſcopo ſenſilius commovendi corpus, & repetitis evacuandi vicibus, ſubinde ſub morborum curſu, præſcribere cogitur Medicus. Cogitur dico cum ſpecioſus purgationis titulus, ingentem tegat impoſturam, cum quævis, præſertim fortior purgatio, tantum noceat, quantum proſit. Cum vero in plurimis morbis chronicis, generali Cachexiæ & affect. hypochondr. & ſcorbuti titulo comprehenſis, copioſior talis evacuatio ferè nociva manifeſtò eſſe ſoleat, cum talia ſubjecta, à leniori etiam evacuante facilè exolvantur, ut loquuntur Practici: ob id ut ſaltem primæ viæ, quaſi per epicraſin, à muco vel pituita plus minus viſcidâ, ac acida liberentur, & ità producta morboſa, ſi non æquè ſemper radix morbi (h. eſt à poſte-

posteriori, si non à priori) removeantur, lenioribus, sive quorumvis pimas vias non transcendit, ex evacuantibus, nunc solis, nunc appropriatis vel absorbentibus, præsertim ♂ialibus, vel incidentibus præsertim gummatibus, sociatis, præscribuntur, pilulæ vel quavis septimanâ vel quovis interlunio semel, atque vesperi, unâ alteravè horâ ante cœnam, unde & Pilulæ ante cibum quibusdam audiunt, assumendæ, ut ita sub chyli vehiculo innoxiè distribui, & circa primas vias saltem suo officio fungi queant. Cum verò aloës parte sui gummosâ in exili licet dosi, leniendi tamen huic scopo, dicto modo usurpata, optimè inserviat, hinc crebrius ex hac solâ, ita tamen præparata, ut pars ejus gummosa magis quasi extravertatur, resinosa v. infringatur, vel separetur, tales pilulæ usuales, parari solent: quales sunt v. g. *Angelic.* Francofurt. *Glassiana*, vid. *Hoffman. Clav. Schröder. l. 2. c. 73. p. 105. & l. 4. s. 4. p. 635. it. Ludoviciana:* Pharmacia: *p. 179. it. de* ⊕ *Tartari. p. 79. Tilemanniana. Mater. Med. p. 214.* it. majoris apparatus istæ de aloë violata, de aloë rosata, *de quibus Schröderus, Pharmac. c. 4. cl. 3. p. 253.* ut nihil dicam de aliis huc suo modo revocandis, ut de ammon. it. Tartar. Querc. *aloë phangin* c. scammon. *de tribus* Ruffi, & ex his constructis *Pilul. Balsamicis Cnöffelii, Misc. A. N. C. anno 6. & 7. app. p. 19.* Verum hæ omnes, sive ex aloë solâ, sive ex aliis magistrali compositione natis, constent, ferè ceu officinales vel pluribus in locis introductæ sunt, vel à Medico privatim dispensantur, adeoque ad magistraliter præscribendas minus pertinent. v. g.

℞ *MP. de aloë rosat. gr.* VI.
F. Pilul. minim. D. S. Eröffnende Pillen.

Quod si v. paulo efficaciores, tam pro alterandi, quam pro abstergendi scopo pilulæ usuales ordinandæ, quales ferè omni menstruo spatio sub ultimâ ☾æ quadrâ, in hodiernâ luxuriosâ diætâ, dicto modo ante Cœnam capiendæ: hiscè ferè modis præscribi solent.

℞ *Aloës succotrin. lucid.* ℥ß. *gumm. ammon. c.* ✠ *scyll. emollit.* ʒij. *Tart. Vitriolat.* ʒiß. *c. q. Ess.* ♂ *F. Pilul. minores, aut saltem mediocres, quarum no.* IX. XI. *ad* XIII. *numero scil. ex vulgi superstitione, impari, capiantur.*

Vel sine aloë, ex solis alterantibus cum stimulo sensiliore ad imitationem Praxeos Sylvianæ præscribuntur:

℞ *Galban. c.* ✠ *depur.* ℥ß.
troch. alhand. gr. IV.
scammon. pp. gr. III.
s. c. q. Ol. Destill. carvi F. Pillul. unc. XXXXV.
pro 3. dos. vespertinis.

℞ *gumm. ammon. c.* ✠ *dep.* ℈j.
Vitrioli ♂ *ad albed. calcin. gr.* V.
troch. alh. gr. ß.
scammon. pp. gr. I.
c. s. q. Ol. Destill. fœnicul.
F. Pilul. minor. pro una dosi: quovis mense capiendæ.

vel ad imitationem Cnöffelianarum supra allegatarum.

℞. *MP. de 3b. Ruffi. Extr. helleb. nigr. ana* ℈ß.
Vitrioli ♂ ad albed. calcin. gr. v. *ſcammon. pp. gr.* j.
c. ſ. q. Eſſ. gumm. ammon. F. Pilul.

Atque tales hypochondriacis noſtratibus ferè proficuæ exiſtunt: quibus tamen & pulvis ſupra præſcriptus multum conferre ſolet, ſiccioribus nempe iſtis, magisque exhauſtis.

§. 3. Pro alterandi denique ſcopo, pilulæ præſcribi ferè ſolent ex extractis, it. ex pulveribus ſolis, ſyrupo vel alio corpore in conſiſtentiam debitam redactis, vel ex utrisque ſimul, pro varia intentione

Pilulæ febriles in chronicis pro infringendo rigore & intendendo æſtu.

℞ *Extr. gentian. imperat.*
cent. min. abſinth.
ana gr. v.
c. ſ. q. Ol. Deſtill. caryophill.
F. Pilul. capiendæ
Ante Paroxyſmum.

Pilulæ ſudorif. anodynæ.

℞. *Extr. card. bend.* ℈j.
lignor. gr. v.
theriacal. gr. ij.
laud. opiat. gr. ij.
c. Eſſ. lignor. F.
Pilul. D. S.
Schweiß-Pillen.

Commodè etiam hiſce febrilibus Extr. troch. alhand. gr. ij. *ad* iij. *tam pro alterandi, quam laxandi ſcopo addi poſſunt: ut ut ſub debita diaphoreſi levior laxatio accidere ſoleat.*

In Phthiſi confirmatâ pro tuſſi, ſudore &c. nocturnis inhibendis.

℞ *antihect. Poter.* ℈j.
ſacch. ♄*ni* ℈ß.
extr. Croci gr. v.
laud. opiat. ferm. gr. ij. ad iii.
c. ſ. q. balſ. copayv. F. Pilul pro 2. *doſibus: bihorio ante cœnum ſumendis.*

In Tuſſi ferina nocturnâ ex lymphâ acriori.

℞ *Extr. Sulp. pulv. gr.* XVII.
myrrhæ gr. IV.
Extr. croci gr. ij.
laud. op. gr. j.
c. ſ. q. papav. rhcad. ſyrup.
F. Pilul. veſperi capiendæ.
conf. Pilul. de ſtyrac. it. ad Tuſſin. Schröder. *Pharmac. l. 2. c. 73. p. 252. vel de ſtyrace* Sylvii: *l. 1. prax. c. 20. §. 36.*

§. 4. Internus hic fuit Pilularum uſus; modernj enim quidam easdem etiam uſu externo, loco ferè trochiſcorum Veteribus uſitatorum, adhibere amant,

amant, ſed rarius hoc, nec niſi ſpecialibus quibusdam in caſibus: v.g. in odontalgia, ex extr. ligni quajac. & laud. opiat c. Ol. Deſtill. origan. Cretici formantur pilulæ, denti dolenti l. cavæ applicandæ: quo etiam pertinent Pilulæ, denti dolenti l. cavæ applicandæ: quo etiam pertinent Pilul. de Cal. viv. it. odoriferæ *Mynſ. Armament.* ſ. 7. p. 145. Sic apophlegmatizantes ex Extract. nicocian. c. pauco ☿ dulci, e. ſyr. nicotianæ it. ex ☿ dulc. c. ſ.q. gumm. tragac. ▽ roſ. ſolutæ, pro juvante ſalivatione ſub ptyeliſmo ♀ eo, &c.

CLASSIS III.

Miſturas Varias depromit.

§. I.

TErtia Claſſis Miſturas varias ſub ſe complectitur, ex liquidis primariò & fluidis, ſecundariò etiam minus fluidis & aridis quoque, omnibus multivariis concinnatas, & artificiosè compoſitas, uſui tam interno, quàm externo inſervientes. Internè quæ uſurpantur, ordinario ab aſſumendi modo *potiones* appellantur, externæ v. potiſſimum Epithemata audiunt. Internè latiſſimè patet earum uſus, cum quovis fere in morbo adhiberi pro quovis ſcopo poſſint, niſi interdum atonia Ventriculi ac inteſtinorum moderatum earum uſum ſuadeat: Uſurpantur vel determinatis vicibus, auff 2. oder 3. mal / interjectis ſemper debitis intervallis, vel indeterminate, pro lubitu, cochlearia aliquot capiendo: illud ubi ſubitanea magis alteratio per ſenſiliorem operationem procuranda, viribus utcunque conſtantibus, hoc v. ubi ſucceſſiva mutatio, præſertim in debilioribus, aut in caſibus, in quibus cautius nonnihil procedendum, magis locum invenit. Duo in Miſtura a. diſtinguenda 1. ipſa ingredientia multiplicia 2. conſtituens fluidum qualecunque fuerit: proportio horum obſervatur p. p. talis, ratione ſc. doſeos generalis, quæ tamen per ſpecialem cujusvis ingredientis doſin, ratione facultatis ſpecificæ, huiusque ſub præparatione magis vel minus concentratæ, determinanda ulterius venit. Compoſitio potionis ordinariæ ℥iv. ad v. vel. ℥vi. ad ſummum vix excedere ſolet: cui ſi arida & facilè ſubſidentia ſimul permiſceantur, ſub uſu probè agitanda imperatur.

△ *ſimpl. Deſtill.* ℥j
▽ *ſpuoſ.* ʒ. *ad* ʒij.
ſucci. ʒij.
Elix. ʒj
♎ *Vol. inflam.* ʒj. *ad* ʒij.
Urinoſi ʒß.
acidi. gutt. iv. *ad* v.
ſyrup. ʒj. *ad* ʒij. *l.* iii.
Extract. ℈j. *ad* ʒß.
pulv. ℈j.

Essen. ʒß. *ad* ʒj.
Tincturæ. ʒß. *ad* ʒj.
⊖ *vol.* ℈ß. *ad gr.* XII.
Ol. Destill. gutt. ij. *&c.*

Potio Antipleuritica.

℞ ▽ *card. bened.*
papav. rhœad. ana. ℥iß.
∽ *V. benè camphor.* ʒiß.
mandib. luc. pis.
dent. apri pp. ana. ʒß.
⊖ *vol. cujus vis: v. g.*
mandib. Luc. pisc. gr. XV.
Laud. opiat. gr. issadii.
syr. papav. rhead. ʒVI. *ad* ℥j.
M. F. l. a. Potio. D. S.

Zertheilend Tränckleín auff etliche mal
capiatur prolubitu cochleatim semper benè agitando.

Potio Antidysenterica.

℞ ▽ *scordii.*
plantag. ana ℥j.
Cinamom. ʒß.
✱ *Vini.* ʒß.
Diascord. Frac. ʒij.
Extr. tormentill. ʒß.
Corall. rubr. pp. gr. XV.
syr. cydon, aromat. ʒij.
M. F. l. a. Potio. D. S.

Anhaltende Stärck-*Mistur.*
capiatur cochleatim crebrius, bene agitando.

Potio febrifuga intermitt.

℞. ▽. *card. bened.* ℥j. *ad* iß.
Cinamom. ʒi. *ad* ʒiß.
Extr. gentian. ℈ij.
∽ ⊖ ✱ *simpl.* ʒß.
syr. card. bened. ʒiß. *ad* iij.
M. f. Potio. D. S.

Tränckleín auff einmal.
Liborio ante paroxysmum, moderatè tegendo corpus: urgente magis frigore, ut in 4tanis, extracti dosis augeri, it. c. extracti theriacali acui potest: magis v. torrente æstu, ut in 3tianis ordinariis, spiritus ⊖ ✱ aucta dosi permisceatur.

Mistura alterans, in incremento & statu, febrium continuarum, plus minus malignarum.

℞ ▽ *scordii* ℥iij.
∽ *theriacal. l. simpl.*
l. moder. camphor. ʒiij.
C. C. s. △, ℈ij.
bezoard. min. ℈j
⊖ *vol. C. C. vel viperar. gr.* XV.
conf. alkerm. ʒiß.
M f. potio capienda cochleatim.
D. S.

Stärck-Tränckleín.

Prout aut. specialis dosis ingredientium subinde attendenda venit, etiam potionis particularis formula subinde variat.

Potio

Potio Emetica.

℞ Julap. rosf.
syr. Emetic. sal.
ana ℥ß.
▽ Cinamom. ʒj.
M. D. S.
Brech-Tränckleín.
loco talium tamen vina infusionis præparatorum ♁ialium, æque commoda videntur.

Potio diuretica.

℞ ▽ alkekeng:
petroselin. ana. ʒiß.
Malvatic. juniper. ʒvj.
spiritus lumbric. Terrest. per putr. ʒj. ad ʒß.
Ol. Destill. therbinth. gutt. iij
syr. heder. Terrest. ʒiij. ad vi.
M. S.
Eröffnender Tranck.

Pro temperandâ acrimoniâ bilis, h. est corrigendo acido volatili plus minus Oleoso in sanguine.

℞ ▽ portulac.
acetos.
fl. papav. rhæad. ana. ℥j.
Diascord. Frac. ʒiß.
spiritus ⊕ dulc. l. ⊖ dulc.
ʒß. ad ʒj.
syr. portulac. ʒiij.
M. D. S. Alterativ
Tränckleín auff etliche mal.

Potio Catharctica.

℞ resin. jalap. gr. IX. ad ℈ß.
⊖ Tartari. gr. V. ad VI.
syr. ros. solutiv. ℥ß.
vel. q. s. M. S.
Laxier Säfftlein.
vel
℞ resin. scammon. ℈ß.
sacch. cand. ʒj.
pulveris. exactè paulatim affundendo succi citri ℥j.
M. F. Potio grata. S.
Purgier Säfftlein.

Mistura Theriacal. sudorifera.

℞. ▽ fl. sambuc. ℥j.
✠ sambuc. ʒij.
Theriac. ʒj.
ras. Unicorn. ver. gr. XV.
bezoard. min. ℈ß.
camphor. gr. iij.
M. f. potio pro dosi una.

Potio digestiva præmittenda purgationi in aff. hypochondr. & melanchol. in subjectis præsertim siccioris & squalidi magis habitus.

℞ Seri lactis ben. depur. ℥iv.
Ess. fumar. ʒij.
solut. ♂ c. s. pom. ʒj. ad ʒiß.
syr. fumar. simpl. ʒvj.
M. S.
Digestiv Tranck: pro 4. vicibus, dosin unam manè, alteram vesperi per biduum capiendo.

Mistu-

Mistura s. potio Analeptica, sub & post sudorem in febribus acutis.

℞ ▽ borrag.
buglosʃ.
rub. idei ana ℥j.
Cinamom. ℥iii.
succ. citri. rec. ℥vi.
ad ℥i.
Conf. alkerm. ℈iß.
M. S. Sterck-Tranck.

pertinent huc inprimis misturæ Sylvii ex ✻ c. lap. ♋ corall. pp. &c. revera in Praxi polychrestæ; quæ videantur in ejus Prax. l. 1. c. 9. §. 20. c. 13. §. 53. & c. 7. §. 13. c. 30. §. 135. & 182. & passim alibi.

Mistura Antiscorbutica.

℞ Lactis caprill. vel
seri lactis depur. ℔ij.
adde.
succi cochlear.
nasturt.
fumar. expresʃ.
& depur. ad ℥ij.
M. D. S.
Schorbutische Milch / auff etliche mal. dos. ℥iij.

ad v. edulcorari potest saccharo pro lubitu, & melioris penetrationis ergo, cuilibet dosi Ess. fumar. compos. c. ♎ cochlear. parat. gutt. 30. instillari.

Vel in formâ infusi.

℞. H. masturt aquatic. m. IV.
acetosell. c. flor. m. ii.
contund. in mortario c. s. q. seri lactis, stent in loco tepid. vel in MB. per noct. Colat. manè.

℞. ℔ii. D. S.
dos. ℥iij. l. IV. quælibet dosis prolubitu edulcorari potest.

Vel in decocti formâ.

℞ Lactis caprill. ℔ i. ad iß.
fol. cochlear. m. j.
nasturtii m. j.
contusa & mista parum ebulliant in olla clausa, exprimantur & colentur D. S. in scorbuto admodum proficuum Colat. ℥iv. ad VI. bibat æger calidè manè, & bihorio ante cænam: quod si juncta sit febris potius serum lactis recipiatur.

§. 7. Pro usu externo, non minus variæ quoque sunt misturæ ex iisdem quidem ingredientibus pariter compositæ, sed pro varietate partium & usus subinde variandæ, in quo post experientiam judicium Medici omne fert punctum. Si externæ saltem corporis partium superficiei, mediante linteamine vel simplici vel multiplicato, aut panno scarlatino, calidè, tepidè, frigidè, repetitis vicibus applicantur, in genere.

Epithe-

Epithemata.

vocantur: quæ ſubinde pro ſpecialium quarundam partium varietate etiam ſpecialibus inſigniuntur nominibus: ut pro Fronte, *Frontale*, pro oculis, *Collyria humida*, pro naribus *Errhina liquida*, pro dentibus & gingivis *Liquores dentifricii*, *&c. &c.*

Epithema refrigerans æſtum ſanguinis, polychreſtum.

℞ *ſucci ſemperviv. major.* ℥I.
✚ *Vini acerr.* ℥j.
⦶ *i depur.* ʒij.
M. D. S.

Euſſerlicher Umbſchlag.

applic. v.g. ſcroto in æſtu corporis minio, it. in Ebrietate, it. in hæmorrhagia narium: addita præſertim camphorâ: vel mammis, in hæmorrhagia uteri, item regioni pubis: vel plantis pedum, vel fronti &c. frigidè cum linteis multiplicatis.

Epithema pro ventriculo in Cholera.

℞. *S. V. camphor.* ℥iii.
Theriac. ʒiß. *ad.* iii.
M. pro Epithemate,

vel.

Epithema contra dolorem capitis, in febrium æſtu ſ. Frontale.

℞ *ſucci* ♋ *fluviatil. rec.* ℥iii.
▽ *fl. ſambuc.*
betonic.
fl. papav. chæad. ana. ℥i.
S. V. Camphor. ʒiii.
M. D. S.

Umbſchlag zum Haupt.

applicentur cum linteis multiplicatis tepidè fronti & temporibus: ſed à nimio camphoræ uſu in agrypniis abſtinendum, ne ſomnus magis odoris penetrantia impediatur.

vel *aliud* contra.

Cephalalgiam c. Agripina in febribus contin.

℞. ▽ *fl. ſambuc.* ℥iii.
apoplect. uſit. ʒvi.
Philon. Roman. ʒiß.
M. D. S.

Euſerliche *Miſtur* zum Haupt.

In Vomitu febrium malignarum & Pestilential.

℞ S. V. rectif. vel ▽ apoplect. ℥iii.
Theriac. ʒiß.
camphor. ʒß.
M. D. S.
Eusserlich Wasser zum Magen.
calefiant in Vasculo clauso & intincta lintea celeri manu applicentur: idque crebrius.

Epithema in Caphalalgia ex causa frigidâ: &c. hemicrania. verticis pertinaci dolore, &c.

℞. ▽ serpill.
rosmarin.
salviæ ana. ℥ij.
♎ theriacal. simpl. ℥j.
♎ C. C. l. ⊖ ✱ c. Cal. viv. à. ℥ß.
M. S.
Stillend Wasser zum Haupt.

Frontale contra Hœmorrhagiam narium nimiam.

℞. ▽ papav. rhead. vel
spermat. ranar. ℥iv.
✠ rosac. ℥j.
Boli com. prob. exsicc.
pulv. ℈iv.
Opii ✠ sol. ℈j.
M. pro Epithemate.

℞ spermat. ranar. c. ☽ & ☉ asserv. ℔ß.
sacch. ♄ni. ad ℥ii.
Camphor. ℈j. ʒj. ad ʒß.
M. pro Epithemate. D. S.
Anhaldenter Umbschlag.

collo, item fronti, nec non testibus in nimia narium hæmorrhagia applicabilia, it. mammis in hæmorrhagia uteri, ac regioni pubis: Hepatis pariter regioni talia frigidè applicari jubent, sed præter alterationem sanguinis subitaneam, forsan & nimiam, visceris læsio, experientia hoc ferè comfirmante, metuenda, ne tali occasione diarrhœa quibusdam superveniat, vel in aliis dispositio p. n. hepatis scirrhosa, aliave chronica inducatur; haud ergo, quam casu ferè extremo huc recurrendum.

Epithema contra tumorem testis inflammatorium c. insigni dolore ac ardore.

Non rarum est, ex perverso ☿ii ♎ externo usu, sub cosmetici titulo, phlogosin, tumorem, dolorem, cum summo cruciatu, interdum & periculo partibus

℞ ▽

℞ ∇ *Cal. viv. rec.* ℔i. *ad* ℔iß.
S. V. camphor. ℥ß. *ad* ℥j.
ceruss. ʒiß. *l. sacch.* ♄*ni.*
M. F. Epithema D.
urgente dolore etiam Opii
✠ *sol.* ℈j. *addi possit.*

externis induci: optimum hic epithema, lac tepidum, *crebrius, applicatum, post cujus usum, vel etiam sub illius defectu mox in principio.*

℞. ∇ *Cal. viv. rec.* ℔j.
—. *V.* ℥j.
ceruss. ℥iii. *M. applicentur calidè*
D. S.

Linderender Umbschlag.

Occasione ∇*æ Cal. viv. non omittendum Epithema polychrestum, ad ulcera quævis, dysepulota, ad scabiem ferinam, herpetes excedentes, imminentem plus minus gangrænam, &c.*

℞. ∇ *Cal. viv. s. decoct. rec.* ℔j. ☿ *dulc.* ʒj. *M.*
vel magis compositum
℞. ∇ *Cal. viv. recent.* ℔iß. *S. theriacal. camphor.* ℥iii.
sacch. ♄*ni.* ℥i. ♀ *dulc.* ℥ß. *M. probè c. l. sine ebullitione:*
D. sine l. c. Colatura laxiore. S.

Sic pariter ∇ *Destillata ex pomis putridis, cui l.* ☿ *dulcis, l. sacch.* ♄*ni pro circumstant: ratione permistum. in casibus chirurgicis plurimis, speciatim ulceribus telephiis, ambustis, &c. remedium multi usus existit.*

§. 3. Quod si Epithemati immediatus c. parte affectâ concedatur contactus, ut in scabie, ulceribus &c. misturæ, pro indicationum ratione componi poterunt. Ast si pro commodo partium internarum, & principaliter viscerum, hepatis, lienis, Ventriculi, cordis &c: adhibenda veniunt obs. 1. cum alius penetrare seque insinuare debeant, non nisi ex subtilioribus, aut similibus particulis, quæ vehementiori paulo motu operationes suas exerant, constantibus ingredientibus, non vero adstringentibus, Aeris, fixioribus &c. componenda eadem esse. 2. Cum applicata pro partium internarum commodo, ferè aut sanè ut plurimum calide, minus diu calorem ascititium conservent, quin facilè intepescant, ne dicam refrigerentur, verendum omninò ne cutis contactu humido tepido aut subfrigido offendatur, quod quilibet in se experiri potest, unde fibrarum strictura, pororum contractura, interdum per consensum totius quasi horripilatio; adeoque non solum insensilis transspirationis notabilis imminutio, quin & metastaseos, quam Natura in acutis subinde intendit, ex universo ad membra particularia cohibitio.

Unde in malignis, cum excretione cutanea conjunctis, Epithemata præcordiis applicanda, meritò hodie suspecta, imò rejecta sunt. Conf. quæ §.2. de Epithemate Hepati applicando, in alio sensu locuti sumus. Missis itaque epithematis, alias misturas externas consideremus. v.g.

Collyrium pro Oculo polychrestum.

℞. ▽ solani
Cyani.
calcatrippæ ana ℥i.
Vitrioli alb. ℈ß. ad. gr. XII.
solut. filtretur per chartam.
adde
Tutiæ pp. ℈ß. ad gr. XII.
M. D. S.
Eusserliche Augen *Mistur.*
applicatur tepidè cū linteolis, vel resupinato corpore canthis oculi instillatur.

Collyrium contra Inflammat. Oculorum.

℞. ▽ plantag.
fl. Cyani. ana ℥i.
album. ovor. no. I.
O. gr. V. *ad* VIII. *l.* X.
(modo non spissior paulo ex coagulo nascatur consistentia) conquassentur & agitentur invicem, & hinc linteis duplic. applicentur oculis. D. S.

Mistura Pharmica.

℞. ▽ majoran. ℥ii.
Vitrioli alb. gr. XV. *ad ℈i.*
solut. filtretur. D. S.
Abziehend Wässerlein.
vel guttatim in nares, in sufflando, ut vocant, ex volâ manus recipitur: vel linteum eo leniter madefactum, contortum, naribus immittitur.

Mistura contra Ozænam.

℞. ▽ majoran.
plantag. ana ℥iß.
*mell. rosat. ℥*VI.
♌. V. rectif. ℥iii.
M. & applicentur, vel modo dictis modis vel etiam cum parva syringâ: in deterioris conditionis malo, aliquantulum ☿ ♎ti, gr. VI. *ad* IX. *℈ß. addi potest.*

Mistura contra Prunellam febrium acutarum.

℞. ▽ semperviv. maj. ℔iß.
*succi ♋ fluviatil. rec. ℥*IV.

Alia magis composita.

℞. ▽ ♋ fluviat contus. aliquamdiu,
Destill. at ℥iii.

⊖ ✱ depur. ℥iß.
M. D. S.
Wasser zum Munde.
Colluitur crebrius eodem os, quin & interdum gargarisantur fauces, aut tepidiusculè in ore aliquamdiu saltem detineatur.

spermat. ranar. ℥ii.
semperviv. maj. ℥i.
Phlegm. Vitrioli rorid. ℥iß. ad ℥ij.
syr. violar. ℥i.
ros. rubr. ℥ß.
⦶ c. alcali depur. ℥iß. ad ℥ij.
M. D.

Ubi rejectæ denuò misturæ tales fuerint, lingua palatumque blande illinantur butyro, recenti non salito, spermate ranar. aut ejus ▽ crebrius lota: quod si crusta lividonigricans illam simul obduxerit, aliquantulum sacchari albiss. butyro addi potest: lardum pariter non salitum, quin & salitum, sed utrumque in sperniola ista, probè diuque maceratum, butyri loco recipi potest.

Mistura pro dentibus & gingivis, à variis affectibus præservativa.

℞. ▽ plantag.
sedi min. ana. ℥ii.
⊖ ✱ci. ⊖ Tartar. ana ʒß. ad ʒi.
M. filtra. D. S.
Zahn Wässerlein.

hâc ipsâ dentes ab omni pastu abluantur & gingivæ blandè fricentur: Sanè ⊖ ✱ in ▽ solut. pro dentium ab omni pastu abluitione, fœtorem eorum imprimis tollit: sicuti matutina mundificatio c. Urin. human. dentes & gingivas à quamplurimis malis præservat.

Misturæ contra Stomakacens. scorbutum oris.

℞. ▽ sedi minor.
prunell. ana. ℥i.
spiritus Cochl. ʒii.
mell. rosat. ʒvi.
spiritus ⊖ q. s. pro grato acidulo sapore M. D. S.
Mistur **zum Scharbock des Mundes.**

℞. ▽ prunell.
salviæ. ana ℥i.
mell. rosat. ʒvi.
O usti ʒß.
spirius Cochlear. ʒi.
M. D. S.

His ipsis humectetur linteum, & fricentur eodem gingivæ ac aliæ oris partes, ex scorbuto malè habentes.

§. 4. Superest specialis, eaque duplex Misturarum differentia, ulterius consideranda, quorum prior diffusior, adeoque majori in quantitate præscribi solita pro pluribus dosibus, unde & potando crebrius assumi solet, est

Julapium.

Arabum inventum. Potissimum v. in febribus, pro compescendà clamosà siti, temperando præcordiorum æstu ac ardore, & mitiganda eorundem anxià molestià, ipsis ægris non satis explicabili, potiones tales ordinari solent, unde ob crebriorem usum, præ aliis, *coloris*, inprimis rubelli, *saporis*, suaviter aciduli & leniter in recessu quasi pungentis & *odoris* jucundioris, gratia, in iis attendi debet. De cætero quo simpliciora, eo meliora talia sunt julapia: adeò ut in eorum locum, vel ▽ simpl. aut Cerevisia secundaria, cum 3ia vel quarta Vini parte diluta, cum infusione cortic: aut tale olorum citri, quibus & sacchari parum pro lubitu addi potest, subinde substitui queant. Cum enim quavis in febre humorum quorumvis p. n. commotio perturbatusque in iisdem, in specie sanguine observetur motus intestinus, vitiari hi ulterius à Julapiis magis compositis, & ita facilè fermentantibus, sicque vim digestivam debilem eludentibus, syrupis præsertim aut saccharo copiosius impraegnatis, poterunt. Undè si corpus julebi decoctum vel infusum quoddam constituat, cætera addenda & pauciora & diluta magis esse debent. Quo simplicior ex opposito fuerit, minus ventriculum gravat, nec præcordia inflat, facile transit, primas vias diluit & abstergit, acriora contenta temperat, & diureseos ac diaphoreseos negotium facilitat. Præscribuntur eodem modo, ac aliæ potiones, saltem quod tenuioris debeant esse consistentiæ.

Julebus in nimio siti & æstu Tertianæ cujusvis.

℞. ▽ *fontan.* ℔ii.
Cinamom. ℥ß.
succi citri rec. ℥iß.
spiritus ⊖ *parum. q. s.*
pro grato sapore. D. S.
Kühl und stärck-Julep.

vel

℞. ▽ *endiu.*
acetos.
cichor. ana. ℥vj.
succi cydon. ℥iß. *ad* ℥iii.
Tincturæ fl. bellid ℥iii.
Syr. violar. q. s.
pro sapore.
M. D. S.

Ju-

Julepus in Causo.

℞. *Decoct. rad. scorzon.* ℔iß.
Tincturæ ros.
violar.
bellid. ana ʒi.
syr. ros. rubr. ℥iii.
♎ *Vitrioli q. s. pro grato*
sapore M. F. Julapium. D. S.
Kühl-Julep gegen die Hitze.

Julepus in Febr. Maligna.

℞. *decoct. C. C.* ℔iß.
▽ *Cinamom.* ʒvi.
Gelatin. C. C. rec. ℥iß.
succi citri.
rub. idei.
ribium. ana. ℥i.
syr. papav. alb. vel rhead.
vel berberum. q. s.
pro gratiâ.
M. D. S.
Stärck-Julep.

Julebus in Febre scorbutica, quæ alvum simul apertam servat.

℞ *seri lact. depurat.* ℔i.
decoct. Tamarind. ℔ß.
succ. citri rec. ʒvi. *l.* ℥i.
syr. de toto citro. q. s. M. F. julebus.

Interdum etiam per modum *infusi magistralis* præscribuntur Julapia non ingrata v. g.

℞. *fl. papav. rhead. rosár. ana. mß.*
Infund. in s. q. vel. ℔iß. ▽ *comm. aut*
▽ *fl. papav. rhead. aut seri lact. depur.*
acidulatæ leniter c. spiritu Sulph. per campan.
stent. in loco calido, in MB. ad extract. Tincturæ.
Colat. ℞. *adde*
syr. jujubin. ℥ii.
Violar. ℥j.
M. pro Julebo D.

Item

Item secundum alios ex Conservis.

℞. *Conf. fl. tunic. rosar. violar. ana.* ℥ß. *ad* ℥i.
succi ribium. ℥vi. *ad* ℥i.
affund. s. q. ▽ *commun. l. Destillat. cujus vis: dissolvantur in mortario c. pistillo, clausoque vase leniter ebulliant. Colat.* ℔iß. *adde,*
Tincturæ fl. bellid. q. s. pro grato sapore
F. Julapium. D. S.

Stärck und kühl Julep.

§. 5. Cæterum duo monenda hic restant. 1. potius ▽ fontanâ vel decocto quòdam C.C. eàdem parato, pro corpore juleporum, quam ▽ is tis utendum esse, cum hæ pluribus ferè nauseosæ sint, quin & crebriori usu, manifestam Ventriculi atoniam inducant. 2. Acidula Julebis commiscenda, vel esse succos vegetabilium, vel spiritus mineralium. Spiritus hi texturæ sunt firmioris, minus & tardius ob id in nobis alterabiles, potentius tamen resolvunt, & abstergunt, magis diuretici sunt. Ast nimis à constitutivis nostris aliena sunt, vix citra ventriculi laborem & primarum viarum alterationes, nisi cautè administrentur, ferri possunt, adeò temperata in praxi semper sunt optima. Succi *v.* isti Vegetabilium, Sulph. medicati, ac ita ab alteratione quavis præservati, & qui sponte sua, quicquid est contentorum fermentescibilium seposuerunt, adeò ut saltem acor nativus, Phlegmate sufficienti dilutis supersit, longè suavius & blandius, absque mali cujusvis suspicione ferri à nobis possunt, unde horum potius, quam illorum, sub frequentiori Julapiorum repetitione rationem habendam existimo.

§. *6.* Altera specialis misturæ differentia est contractior, & quæ pro aliquot saltem dosibus, ad ℥iv, vi, vel ad summum ℥viii. præscribi solet: & à colore albo opaco, sapore subdulci aut saltem insipido dulci, substantiâ ingredientium pingui & Oleosa, & usu temperandi, potissimum acrimoniam ⊖sam, Lacti similis cum sit,

Emulsio.

dicitur. Scil. semina & nuclei, pulpa candida ac Oleosa turgida, mediante tritu subiguntur c. ▽. appropriatis, illorum ℥i. pro harum ℥i: edulcòratur mistura pauco sacharo & ita administratur, usu & interno & externo: illo ad Potiones, hoc ad Epithemata refertur v. g.

Emulsio

Emulsio Analeptica & Hypnotica.

℞. *amygd. d. ambros.* ℥ij.
sem. papav. alb. ℥ß.
melon. ℥i.
c. ▽ *fl. sambuc. fl. acac. & nymph. ana*, ℥ii. *F.* Emulsio *edulcoretur parum rotulis* manus Christ. *perlat.*
D. S.
Stärckende Ruhe-Milch.

Emulsio nephritico-Cathartica: it. in suppress. Urin.

℞. *sem. violar.* ℥ß.
lithosperm. contus. ʒii.
c. s. q. ▽ *fragor. F.*
Emuls. ad. ℥iv.
edulcoretur pauco sacchar.
D. S.
Eröffnende und Harrn-treibende Milch.

Emulsio Epithematis modo, ad agrypniam & Cephalalgiam applicanda.

℞. *sem. papav. alb.* ʒiii. *ad* ʒvi.
c. s. q. ▽ *Hypnotic. Dorncrell. F. Emulsio.*
D. S.
Eusserlicher Umbschlag.

præstantior erit, si solutionis opii c. S. V. ℈i. *ad* ℥ß. *addatur, & ita tepidè applicetur: sicut omisso opio, addito v. S. V. camphorato*, ℥ß. *l. camphora ipsâ ad gr.* IX. *ad maniam magis accommodata foret.*

§. 7. Manifestum ex dictis est, impropriissimè emulsionis appellationem illis tribui misturis, quas soli pulveres candidi ingrediuntur, cum præter succum nil emulsionis adsit: quo pertinent superstitionis basi superstructæ die Perlmilche: Talis emulsio impropria est.

In statu variolar: & Morbillorum.

℞. ▽ *napi. aquileg card. benedict. ana.* ℥i.
Cinamom. spirituos. ʒiß.
C. C. s. △ ʒß. *bezoard. min.* ℈j.
Unicorn. fossil. ℈ß. *sacchari albiss. q. s.*
M. D. S. Stärck-Milch.

Cum vero suo usu non careant hujusmodi misturæ, hinc hodiernâ consuetudine, quæ legis vice fungitur, uterque modus commodè jungitur, adeoque emulsioni propriè dictæ jam paratæ, isti pulveres pro efficaciori medicinâ adduntur: sic si in dato exemplo ex sem. aquileg. ℥iii. napi, card. bened. papav. alb. ana ℥i. c. istis ▽ in duplo assumtis fiat emulsio, & ist. pulv. proportione ℈ß. ad ℈i, cuivis ℥ emulsionis addantur, foret formula ad variolas hodiè usitatissima.

Emulsio ad Gonorrhœam benignam.

℞. *sem. agni casti.* ℥ß.
cannab. ℥ii.
c. s. q. ▽. *nymphea. F.*
Emuls. adde
Oss. sepiæ pp.
succin. pp. alb. ana ℥ß.
ad ℈ii.
edulcorentur parum c. sacch.
D. S.
Anhaltende *Alterativ-* Milch.

Emulsio temperans lympham ⊖sam acrem, pectus affligentem, c. natâ inde febre symptomatica.

℞. *amygd. dulc. ambrosin.* ℥iii.
sem. melon. ℥iß.
c. s. q. ▽ *scabios. F.*
Emuls. adde
mandibul. luc. pisc. ℥ß.
antihect. Poter. rit. par. ℈i.
Unicorn. fossil. ℈ß.
edulcorentur parum. M.
D. S.

pertinet huc liquor alexipharmacus Zvvelferi in Pharmacop. Reg. p. 209. sanè in variolis egregius: ad cujus imitationem & alii similes præscribi possunt, ut ut saporis ratione ad strictè dictas emulsiones minus pertineat.

§. 8. Observandum autem sub Emulsionum usu, 1. quod facillimè alterentur, corruptionem ac acescentiam incurrant; unde minori quantitate præscribendæ, & loco minus calido asservandæ, 2. quod ventriculi tonum multum resolvant, & facili rancescentia multum ejus functionibus noceant.

§. 9. Adjungendæ his quædam misturæ emulsionibus cognatæ, ex resinosis inprimis constantes, & ferè laxantes: Præter emulsionem seminis *Carthami*, additione vel rad. mechoacannæ, vel resin. scammon. aut jalap. acuendam, passim notam, resinæ c. ▽. artificiosè sociatæ, & ita resolutæ emulsioni conformes potiones potenter laxativas reddunt.

℞. *sem.*

℞. *ſem. melon. excortic.* ʒß. *ad* ʒj.
reſin. jalap. gr. VII. *ad* ℈ß.
ſcammon. pp. gr. i.
miſce in mortario marmoreo, *ſenſim.*
affundendo Julep. Roſat. ℥i.
F. Emulſio. D. S.
Purgier-Milch.

℞. *Reſin. jalap.* ℈ß.
diſſolv. in ſ. q. Vitell.
ovor : &c. ∇ *fœnicul.*
F. Emulſio : adde
∇ *Cinnamom.* ʒii.
edulcorentur pauco ſacchareo.
D. S.
Laxier-Milch.

Potentius operatur, quam ejusdem reſinœ eadem doſis alia ſub forma, diſſolvente illius texturam Vitellio ovi, cujus medio minutis ſub particulis, undique fluidis corporis permiſcetur & aſſociatur.

Emulſio Coſmetica.

℞ ∇ *roſar. vel ſpermat. ranar.* ℥iß. *aut q. V.*
inſtilla Eſſent. benzoës q. v. F. Miſtura lactea :
quam pro faciei ac manuum leni ablutione cum ſpontaneâ exſiccatione adhibere poteris : quin & præterea de Coſmetico ex marcaſita aliquid addere.

CLASSIS IV.

Infuſa & decocta comprehendit.

§. I.

QUarta ſpecialis formularum differentia Infuſa & Decocta, quæ Græci, *Apozemata*, complectitur, quorum latè admodum patens eſt uſus, internus pariter ac externus. Nempe ut purum impuro, reſpectu noſtri, ubique junctum, tam in alimentis, quam medicamentis : ita, quod hodiernæ *Artis Spagyricæ* primarius ferè finis eſt, purum ab impuro in medicamento ſeparare, nucleum à corticibus Q. E. ab involucris elementalibus ſive materialibus, idque Tincturarum, Eſſentiarum, Extractorumque ferè ſub titulo, ita jam Veteres idem, rudi licet Minerva per infuſiones & decoctiones tentarunt, medi-antibus quibus vim rerum medicamentoſam & in apto liquore, ſive menſtruo extrahente & ſolvente, loco crudorum ſimplicium acquirerent. Adeoque in Infuſis ac Decoctis, ſive ſeorſim, ſivè conjunctim, ita ut altera alteram

excipiat,instituuntur, (differunt enim saltem in eo, quod pro infusione, sufficiat specierum incisione,rasione, contusione, pulverisatione præparatarum, *maceratio* sive *digestio* in loco tepido,vel speciatim MB. cui in decoctione ulterius supervenit super ignem actualem concitatior omnium *agitatio* & *ebullitio*, & penetrantior solutio) ad duo semper attendendum, 1. ad *Objecta* infundenda, 2. ad *Subjecta s. menstrua*,cum quibus fit infusio ac decoctio. Mutuus omnino requiritur hic respectus, tam *quantitatis*,quàm *qualitatis*; quantitatis quidem, ut sibi mutuò sufficiant, qualitatis v. ut invicem appropriata sint: *In his duobus enim primarium decocta & infusa medicata præscribendi, consistit artificium conf. Zvvelferus pharm. R. p. 31. & 84. it. animadv. in Pharmac. August. p. 146.*

§. 2. *Objecta* ergo quod attinet, ex omnibus hæc desumuntur regnis 1. *ex animali*: partes solidæ duræ &ácciores quævis v.g. C.C. Ebor. priapus C. Ceti, splen bovis, Viperæ, stercus equinum: ex quibus omnibus (exceptis excrementis) elicitur gelatina, quæ præter generalem nutriendi ac temperandi, adeoque confortandi & blandè refrigerandi usum, de vi specificâ sui concreti omnino participare videtur, cum magnam illius substantiæ partem contineat, quæ sub rigorosiore △e. in ⊖ vol. & Ol. larva se sistunt. 2. *Ex Vegetabili*, quævis plantarum partes & fructus, ut plurimum siccatæ. Resinæ saltim ac gummata minus his præparationibus, præsertim sub magistrali præscriptione, inserviunt. Elicitur sic ex Vegetabilibus, gummeo-in recessu,resinosa substantia, in cujus complexibus potissima vis medicamentosa, quasi concentrata est,ut ex decocto lignorum vel absynthii inspissato, manifestum 3. *Ex Regno Minerali* varia desumi solent. ☉ candefacti in Vino vel ▽ extinctionem magnifacit *Burrhus*. ♂em Vino infundimus & decoquimus salubriter, eodem candefacto Lac dysentericis appropriatum reddimus, ♀is infusio pro oculorum vitiis laudatissima. ♄ni infusio aut decoctio,usui Chirurgico multum inservit, & in qua crebrius ♄ fusum extinctum fuit, alvum laxare solet,aqua ♁ non solum præparatum,sub Vitri,reguli,croci &c: formâ, infusioni apprimè inservit,sed vel crudum idem hodie decoctis pro diæta sudorifera additur: quin & ejusdem crudi subtiliss. triti ℥ß. macerata per noctem in ℥iij. l.iv. Vini aut aquæ pro dosi una,supra & infra purgare, asserit Poterius. De Mercurio res nota,quoad ▽m sic dictam Hermeticam,it. decocta lignorum antivenerea. Vitrioli, O. ⊖✳, Calcis vivæ,pro usu externo decoctiones & infusiones,in decocto nigro Mynf. &c. it Sulphuris in ▽ Calc. vivæ vel lixiviis,passim pariter notæ sunt.

§. 3. Circa hæc v. ingredientia, præter superius §.1. monita, in specie attendendum 1. ad texturam eorum specificam: quæ volatilioris sunt naturæ, infusioni saltem: aut cum juncta Destillatione decoctionibus inserviunt: ut antiscor-

antiſcorbutica acria, aromatica, ſaſſafras lignum &c: nullam vel mediocrem decoctionem ferunt. Unde ſub Volatiliorum cum fixioribus miſtura, horum maceratio & hinc decoctio vel ad medias vel ad finem ferè præcipitur, donec cætera illa ſimul adjiciantur. 2. quæ ſunt ſolubiliora, molliora, poroſiora &c: minus diu infundenda, parcius coquenda, cum alias ingratum, quia ſpiſſius, & facile alterabile, quia denſius imprægnatum & ventriculo hoſtile, quia digeſtioni ejus proprio motu magis reluctans, reddunt medicamentum. Contra atque in durioribus, & macerandis & diutius coquendis, accidit. 3. Quæ denique vi medicamentoſa ſunt ditiora parcius, quæ v. pauperiora copioſius &c. recipiuntur, & paratum ſic remedium, nunc cum, nunc ſine expreſſione colandum præcipitur: Et ſic ſpecialis doſis, ut ubique, ità & hic generalem determinat: obſervandum v. quoad ſpecialem doſin, fere duplum, interdum 3plum hic pro decoctione aut infuſione recipi, reſpectu ejus, ſi in ſubſtantia propinaretur.

§. 4. *Subjectum ſive Menſtruum* Infuſionum & decoctionum, pro ingredientium Natura & Medici intentione variat. Communiſſimum eſt, ▽ ſimplex, hinc Vinum, ✠, ſerum lactis &c. Idem vel ſimplex, vel compoſitum, hydromel, poſca, cereviſia, juſcula, Urin. lac: it. infuſa & decocta jam præparata &c. Circa hoc obſervandum: 1. ſi menſtruum eſt Volatile, minus decoctioni, infuſioni ſaltem, & huic circumſpectæ inſervit: ut Vinum S. V. 2. quo tenuius & dilutius fuerit menſtruum; eò cæteris paribus plus imbibendo, potentius & ſubſtantia medicamentoſa ſaturatius ſubminiſtrabit remedium. Hinc Cereviſia præ aqua, decoctum vel infuſum pro ▽ ſimplici minus huic negotio apta exiſtunt. 3. quo denique interioris & minus penetrantis erit texturæ, eò debilius fiet, minusque medicamentoſum remedium: Hinc enim Vinum præ ▽, ex quamplurimis longè plus elicit. Conſultum ob id acuere interdum menſtruum, pro meliori penetratione & extractione, quin & interdum aliquali ingredientium correctione: quibus uſibus Tart. præ aliis inſervit, ejusdem cryſtalli, ⊖ & ⊖ eſſentiale. Cryſtalli decoctionibus inſerviunt, cum ſine ebullitione non ſolvantur, ut ut poſt refrigerationẽ denuò coagulentur, ⊖ Tartari magis in infuſis convenit, ⊖ v. eſſentiale in doſi paulò largiori utrique aptiſſimè jungitur.

§. 5. Proportio ingredientium, ad menſtruum, ob circumſtantias hactenus inſinuatas, & alias plures tantum non infinitas, vix determinari poteſt. Pro aliquali tamen Ideâ, tali proportione ſibi invicem reſpondere poſſunt. Liquoris quantitas, 4pla, 6pla, in mollioribus, aut volatilioribus, in denſioribus aut fixioribus, 8pla & 12pla, eſſe poteſt. Dum totius remedii moles, ordinario ℔ iß.

lignor.	℥i.
cortic.	℥ß.
rad.	ʒvi. *ad* ℥j.
herb.	*m.* i. *ad* ii.

flor.	*p.* ii.
bacc.	℥ß.
ſem.	ℨ ii. *ad* ii.
aromat.	ℨi.

℔ij. vix excedit. Abſumtio in decocto ad medias, vel ad 3as h. e. partes menſtrui reſiduas, interdum ſaltem ad 4tæ partis conſumtionem præcipitur, aut poſt colaturam demum ejus quantitas determinatur, modo tamen non adeò certo, niſi prius menſtrui quantum determinatum fuerit, ſiquidem ad medias, item ad 3as decoctio inſtituta eſſe potuerit, & ita nunc debilius, nunc potentius remedium obtineri.

§. 6. *Infuſa* ergo, *vel* ſimpliciter menſtruo infunduntur, & ita pulveris formâ c. liquore hauriuntur, *vel* nodulis linteis raris includuntur, à quo ſucceſſivè, cum aut ſine expreſſione liquor hauritur: *vel* infuſum paratum à ſpeciebus colando ſeparatur, & nunc ita ſolitarium, nunc ſociatis iis, quæ decoctis addi ſolent, propinantur. *Decocta* verò ebullitione abſolutâ colantur per pannum vel linteum, & quia ingratiora ferè, quin & interdum incompleta ſunt medicamenta, tam pro *efficacia*, quam pro *gratia* addenda ſubinde quædam veniunt: pro *efficacia* quidem, Electuarium, ſpiritus, extractum, ſyrupus, aut aliud quid, à Medico pro intentionis ratione ordinandum, proportione ferè illa, quæ ſupra de potionibus monita fuit. *Pro gratiâ*, præter colaturam ſubinde *clarificatio* cum albumine ovi inſtituitur, ut oculis, quin & ventriculo magis arrideat: ſicut pro eodem ſcopo & *aromatiſatio* ſuperadditur, adjectis aromatis ventriculo gratis & medicamenta plus minus, corrigentibus: Ut nihil dicam de addendis dulcibus aut dulcoacidulis, pro guſtus ſuaviori alteratione, ſimili ratione ac ſupra in julepis vel miſturis factum. Sed omnia hæc diſtinctius ex particularibus conſtabunt exemplis, per quæ breviſſimum iter, præſertim cum totum hoc negotium & minus *difficultatis* hodie ac olim habeat, præſuppoſitâ ſolutionum & extractionum doctrinâ ſpargyricâ, & minus etiam *utilitatis*, ſiquidem decoctis rarius præ quotidiano veterum abuſu, internè uti ſoleamus.

Infuſa Antifebrilia, in ſpecie contra Quartanas.

℞. *pulv. Chin. Chin.* ℨvi. *ad* ℥i.
rad. gentian. ℨiii.
fl. cent. min. p. IV.
piper. long. ℨi.
⊖ *Tartari.* ℥ß.
M. f. pulv. D. S.
Species in Wein.

℞. *Cortic. chin. chin.* ℨvi.
quajac. ℨii. *l.* iii.
Comar. Cent. min. m. i.
cinamom. ℨii.
caryophyll. ℨi.
Lap. ♋ *pp.* ℨi.
⊖ *Tart.* ℨiii.
M. F. pulv. D.

Infun-

Infundatur in Vini vel absinthitis, vel gallici, vel Rhenani, m. iß. subinde agitando. Tempore usus omnibus benè commixtis, capiatur bonus haustus idque ad imitationem Gallorum præsertim D. Monginot. Tr. de Cura Febr. per Chin. Chin. Ritè usurpata, raro fallunt, signa coctionis ubi præcesserunt. Loco Cortic. peruvian. & lignum Colubrin. amariss. præsertim in Tertianis recipi potest. Delicatioribus inclusus nodulo pulvis ità infundi, & prævia expressione infusum hauriri potest.

Nodulus alterativus & laxativus, in morbis chronicis vernali tempore usurpandus.

℞. *Comar. absinth. fl. cent. min. h. cochl. rec. ana m. ß. ad m.* i.
rad. armorac. rec. ℥i. *gentian.* ℥ß. *tarax.* ʒii.
fol. senn. s. st. ʒvi. *ad* ℥i.
rad. helleb. nigr. non pp. ℥ß. *esul. non pp.* ʒiß.
sem. fœnicul. ʒiij. *anis.* ʒiß.
cinnamom. Zingib. caryophill. ana. ʒi.
⊖ *Tartar.* ʒiii. *incis. & contus. includantur.*
Nodulo. D. S. Püschel in Wein.

Infund. Vini Rhenani mens. iß. capiatur omni manè bonus haustus c, vel sine expressione, prout fortius vel debilius se exserit: isque vel calidus, vel præmisso tantillo jusculo frigidus. Jalapa, quæ ordinariò aliàs una infundi solet omittenda, hæc enim & alia resinosa, ceu non appropriata menstruo, nullam extractionem patiuntur. ⊖ Tart. partim pro usu proprio, dum c. acido Vini in ⊖ essentiale abit, partim pro scopo corrigendi solutiva, ac simul promovendi solutionem additur. Loco ejus in hypochondriacis interdum Limatura ♂ additur, quicquid dicat *Geigerus in Kelegraphia*, acidum enim Vini hanc sufficienter rodit: sed nunquam simul, ⊖ Tart. enim ♂ alioquin præcipitat.

Infusum Antiscorbuticum.

℞. *H. rec. nasturtii aquatic. cochlear.* *ana m.* ii.
rad. raphan. rustic. ℥i.
contus. & conquass. in mortario lapideo infundantur in s. q. hoc. est ℔ii. *l.* iii. *seri lactis depurat: stent in loco*

vel
℞. *H. cochlear. m.* ii.
rad. helen.
armorac. ana. ℥i.
bacc. juniper. ʒvi.
passul. min. ℥i. *M.*

tepid.

tepid. per noct. in vase clauso. mane ℞.
Colatur. adde
▽ Cinamom. ℥ß. ad ℨvi.
M. D. S.
Scharbocks-Tranck.
aut hujus loco lac antiscorbuticum vid. supra §. I. Class. III. Addi potest pro lubitu vel de saccharo, l. syrup. de succo Citri, vel scelotyrb. Foresti, non tamen copiosa, ob facilem alterationem dos. ℥iii. l. IV.

infund. in Vinum vel serum Lactis.

Potentior est succus, si speciebus istis prioribus sub contusione affundatur seri lactis saltem q. s. pro meliori conquassatione, & ita succus exprimatur, qui vel ita c. pauco saccharo edulcoratus, absorbeatur: vel illius ℥iß. sub usu seri lactis q. s. addatur, & ita hauriatur.

Infusum Purgans pro unâ dosi.

℞. fol. senn. s. st. ℥ii.
rad. helleb. nigr. non pp. ℈ii.
zingib. ℈ß.
⊖ Tart. ℨi.
Infund. in s. q. ▽ com. l. fumar. stent in loco tepido per noct. manè.

℞. Colat. ℥iii.
adde.
▽ Cinnamom. ℨiß.
syr. de pom. ℨiii.
M. D. S.
Purgier-Tränckleín.

Infusum Emeticum.

℞. ☿ii Vitæ.
vel.
Croci metall. absinth. q. v.
Infund. in Vinum Rhenanum: stent in loco tepid. per noct. manè.

℞. filtrati liquoris per chartam emporetic. ℥ß. ℨi. ad ℥. iß.
pro consideratione ægri.
D. S.
Brech-Wein.
Nempe quantum Menstrui sive Vini hic ante omnia attendendum, ut rectè monet Walæus. Meth. Med. p. 59.

Infusa Emetica.

℞. fol. asari rec. no. VIII. ad X. minutim incisa infundantur per noct. in ▽ card. benedict. ℥IV.
manè ℞. Colat. add.
M. D. S. Brech-Tränckleín.

fortius.

℞ fol. asari rec. no. IX. conterantur in mortario lapid. c. pistillo ligneo, affundendo sensim oxymell. simpl. ℥ß. ad ℥i. tamdiu terendo, donec in potabilem succum sint contrita: tunc adde ▽ card. benedict. ℥ii. ad ℥IV. M. F. haustus. D. S.

Infu-

Infusum passulatum laxativum, pro hypochondriacis, aliisque qui ſiccioris ſunt alvi.

℞. *paſſul. min.* ℥ii. *ad* iii. *fol. ſenn. ſ. ſt.* ʒvi.
cinamom. ʒiß. *caryophill.* ʒj. *Crem. Tart.* ʒiß.
conciſa & conquaſſ. infund. in ſ. q. ▽ *com. v. g.* ℔ii. *ad* iii. *ſtent in loco calid. per noct. l. per 24. horas, vaſe clauſo: ubi omnia refrixerint colentur per linteum denſum. D. S.*

Eröffnender Tranck.

Pertinet huc infuſum purgans ex ſennâ pro delicatulis, à D. Michaele olim laudatum.

℞. *fol. ſenn. ſ. ſt. pulv.* ℥i. *paſſul. min. lotar.* ℥ii.
Contunde omnia in mortario lapideo, ut fiat paſta, adde Cinamom. ʒiii. *caryophill.* ʒiß. *hinc in vaſe fictili affund.* ▽ *ferventiſſ.* ℥xv. *miſceantur optimè, & aſſerventur vaſe clauſo in loco tepid. vel in MB. per 6. l. 8. horas (alias ſapor ingratior redditur) liquor filtretur & leni digeſtione feces ſeparentur, & clarus liquor per declinationem decantetur & uſui aſſervetur: doſ. infant.* ʒiii. *ad* ℥ß. *adult.* ℥iii. *robuſto.* ℥v. *quin & alia minus nauſeoſa purgantia una infundi poterunt, pro ſubjectorum ratione: ſicuti & de Tart. puro aliquid ſimul propter ſennam addi poſſit.*

Pertinent huc Vina infuſione aromatum & ſacchari medicata, *Clareta* it. à repetita per manicam Hippocratis ſive marſupium laneum colatura, *Vina Hippocratica* dicta, apud nos ferè rariora, pro ſcopo l. analeptico, vel alterativo, vel ſimul laxativo.

Vinum Hippocraticum ſive Claretum laxativum pro ſene.

℞. *Bacc. juniper. rec.* ʒvi. *rad. acori ver.* ℥ß.
fol. ſenn. ſ. ſt. ʒiii. *rad. helleb. nigr.* ʒß.
Cinnamom. galang. cubeb. Zingib. ana. ʒi.

† *x* *Crem.*

Crem. Tart. ℥ii. *Infund. in Vini rhenani optim. q. s. v. g.* ℔i. *stent in loco tepid. per triduum colentur, edulcorentur c. s. q.* ℥iß. *ad* ℥ii. *sacchari: Coletur iterum bis vel ter per manicam Hippocratis. D. S.*

Stärckend Laxier-Claret.

§. 7. Hisce modis simplici specierum per menstruum, extractione præscribuntur infusa: est tamen, quando præterea fermentatio intercedit, quâ mediante in textura gummeo-resinosa melius recluduntur species, ac ita exactius menstruo uniuntur, & sub minori digestionis primæ labore, altius partes corporis subeunt & alterativas impressiones undique exserunt. Species infundendæ, saltem in majori quanto, habitâ ratione liquoris in quem fit infusio, præscribuntur, & hinc v. g. Cervisiæ recenti & à coctura ferventi, vel musto recenter expresso, infunduntur, vel ita nuda, vel nodulo raro inclusa, ut & in medio liquoris suspensa, ut sub alterutrius fermentativo motu, potus medicamentosus emergat. v. g. talis est Cerevisia antiscorbutica *Timæi: in Epist. l. 6. epist. 14. p. 428.*

Cerevisia Medicata, anti-cachectica & antihypochondr.

℞. *rad. Cichor. rec.* ℔ß.
helen. rec. ℥iii.
h. scolopendr. ℔ß.
card bened m. iii.
bacc. juniper. rec. ℔iii.
Incis. & contus. D. S.
Species **zum Kräuter-Bier.**

Mens. 30 ad 40. quorum quælibet ℔iii. *Medicas constituit, infundendæ ante fermentationem, & ita in liquore relinquendæ, donec liquoris peracta fermentatione fiat transvasatio.*

Vinum medicatum absinthiacum.

℞. *h. absinth.* ℔iiß.
card. benedict.
rosmarin. ana. ℔ß.
Com. cent. min. ℥iii.
rad. caryophyll. ℔ß.
fl. sambuc.
Cortic. citri.
aurant. ana ℥iii.
Incisa & contus. D. S.
Species **zum bittern Wein.**

pro amphora, (60. mensurarum) una, vel cum semiss. Musti, in quem debet fieri infusio.

§. 8. Differendi hinc prolixius daretur occasio de potibus medicatis fermentatis, ex succis & liquoribus vegetabilium parandis, in quo artificio Angli excellunt: sed quia ad officinales potius labores, quam magistrales præscriptiones pertinent dimittimus. Unicum saltem potum medicamentosum

tosum fermentatum, Viennæ & Austriæ quibusdam in locis usitatum, hypochondriacis inprimis ac lumborum renumque phlogosi & æstu correptis, crebrius l. loco potus ordinarii hauriendum.

℞. *bacc. juniper.* ℔i. *passul. min.* ℔i. ℥iii. *Tartar. Venet.* ℥ß. *ad.* ℥i.
fruct. cynosbat. c. arill. m. i. *fruct. acaciæ. c. nucl. m.* i.
infund. in ▽ *commun.* ℥xvi. *in vase apto ligneo & prope fornacem, l. loco quodam in calido fermentare permittuntur, hinc transvasantur, & pro potu non ingrato asservantur.*

§. 9. Simili modo ac infusa præscribuntur etiam decocta, differentia enim saltem in præparat. accidentalis. Usus est ferè Alterativus, adeò rarò hodiè, ob ingratas proprietates, doses incertas, & operationes diversas, pro scopo solutivo ordinantur: nisi mitius quoddam sennatum aut helleborinum, pro una dosi capiendum, &c.

℞. *Rap. polypod.* ℥iii.
helleb. nigr. ℥ii.
fol. senn. s. st. ℥i.
⊖ *Tartar.* ℈i. *ad* ʒß.
Coq. s. q. ▽ *comm. leniter.*
Colat. ℞. ℥iii.
adde
syr. de fumar. comp. ℥iii.
♎ *Cochlear.* ℈i.
M. S.
Purgier Tranck wieder den Scharbock.

℞. *rad. polypod.* ℥ß.
fol. senn. s. st. ℥ii.
ad iii.
Crem. Tartar. ʒß. *ad* ℈ii.
c. s. q. ▽ *com. l. seri lactis depurati leniter ebulliant ad dissol. Tartari.*
Colat. ℞. ℥iii.
adde
▽ *Cinamom.* ℥iß.
syr. de pom. ℥iii.
M. D. S.

Cum tamen Clinico volupe fuerit, adhuc decoctum purgans pro pluribus dosibus, ad Imitationem Veterum abligurire, tale præscribi poterit. Decoctum purgans in scabie.

℞. *rad. lapath. acut.* ℥i. *helen. polypod. ana* ʒß.
h. fumar. m. ii. *scabios. m.* i.
fol. sen. s. st. ℥i. *rad. helleb. nigr. non. pp.* ʒß.
Crem. Tartari ʒi. ⊖ *Tartari* ℈i.

† x 2 *Coq.*

Coq. in ▽ com. ℔ii. *ad* ℔iiß. *clauso vase leniter, Colat.* ℞. ℔iß. *clarif. & aromatis. c. cinamom. addendo*

syr. violar. solutiv. ℥i. *de fumar. compos.* ℥ß.
M. D. S.
Purgier Tranck auff etliche mal.
de quo capiat omni manè haustum ad ℥iv. *l.* v. *calidè*

vel.

℞. *decoct. aperitiv.* ℥iii. *l. q. s.*
in quibus dissolv. Elect. catholic. l. diaphœn. ℥i.
vel Elect. de succo rof. ʒvi.
vel Conf. Hamech. ℥ß.

Colat. ℞. *adde syr. rof. solut.* ʒvi. *ad* ℥i. *M. Dum colantur post dissolutionem, in paulò majori dosi præscribenda electuar: cum multum residui post se relinquant.*

§. 10. Alterantia ergò sunt decocta, quæ ordinario præscribenda veniunt.

Decoctum ad Dysenteriam.

℞. *rad. tormentill.* ℥iß.
fol. plantag.
h. heder. Terrestr.
sanguisorb. ana. m. i.
fl. rof. rubr. p. iii.
Ras. priap. Cervi vel. ceti. ℥iii.
incis. & contus. coquantur in ▽ *com.* ℔iii. *l.* iv. *ad medias*
Colat. ℞. *adde*
syrup. cydon. aromat. ℥ii. *ad* ℥iii.
▽ *Cinamom.* ℥i.
M. D. S.
Anhaltender Sterck-Tranck.

Decoctum adstringens ad hæmorrhagiam uteri, ex vasorum laxitate.

℞. *rad. tormentill.*
Bistort. ana. ℥ß.
h. consolid. maj.
sannicul.
pyrol.
summit. hyperic. ana. m. i.
Coq. in ▽ *châlybeat. q. s.*
Colat. ℞. ℥xv. *ad* ℔iß.
adde
syr. de symphyt. Fernel. ℥iii.
▽ *Cinamom.* ℥ß.
M. D. S.
capiantur ad ℥iii. *tepid. sæpius de die.*

Deco-

Decoctum Vulnerarium internè & externè usurpandum.

℞. astacor. fluviatil. no. xx.
rad. aristoloch. rotund. ℥i.
h. bugul.
alchimill.
sannicul.
betonic. ana. m. i.
Coq. in s. ▽ comm. & Vini. Colat.
D. hoc externè vulnera & ulcera eluuntur, l. etiam plagulæ in eo madefactæ imponuntur: internè adduntur, syr. de symphyt. Fernel. ℥iv. & hauriuntur bis in die ℥iii. ad iv. horis aliquot ante pastum.

Decoctum refrigerans, sive temperans bilem, ut vocant effervescentem.

℞. rad. Cichor. rec. ℥iii.
fl. ros. rubr. m. iß.
santal. rubr. ʒiji.
succi Citri rec. ℥i.
Coq. in s. q. ▽ comm.
Colat. ℞. edulcoretur pauco saccharo D. S.
Kühlender Alterativ. Tranck.
Coqui etiam possunt in sero lactis, & si succus Citri omissus fuerit, accipi potest serum lactis, cum Plegmate Vitrioli acidulo.

Decoctum Vulnerarium in Renum exulceratione, &c.

℞. rad. Consolid. sarac. c. tot. m. ii.
fol. vincæ pervincæ.
alchymill.
heder. Terrestr. ana. m. i.
summit. hyperic. m. ß.
ras. glyzyrrhiz. ℥iß.
Coq. in s. q. ▽ simpl.
Colat. ℞. ℔iß. ad ii.
adde
syr. de symphyt. Fernel. ℥iß.
♎ theriacal. simpl. ℥i.
M. D. S.
Heilender Tranck auff etliche mal.

Aliud simplicius.

℞. seri lactis ℔ii.
succi citri rec. express. ℥ii. ad iii.
ebulliant parum: &c. album.
ovi clarificata & pauco saccharo edulcorata Colentur:
D. S. prodest in febribus pro alteratione, sicuti simili modo, cum succo pomor. bursdorf. maturor. ad ℥iv. l. vi. tractatum, convenit hypochondriacis æstuantibus, obstructis, melancholiâ affectis, &c.

§. xi. Interdum Infusa & decocta simul eandem formulam ingrediuntur.

Decoctum alterans & laxans, quod etiam loco Julepi usurpari potest.

℞. fl. ros. rubr.
bellid.
papav. rhead.
ana. m. ß.
Tamarind. rec. ℥iß.
▽ comm. l. seri lactis depurat. ℔iii. ad. IV. Ebulliant invicem: decocto ferventi infunde
Conf. ros. rubr. rec.
violar.
papav. rhead. ana. ℥vi.
factâ digestione in loco tepid.
Colentur. D. S.
Eröffnender alterativ-Tranck auff etliche mahl.
de quo bibat æger vel pro lubitu, vel quotidie bis manè, & bihorio ante cœnam.

Decoctum Diureticum.

℞. ras. ligni juniperin. ℥iii.
macerentur per noctem in MB. in ℔iii. ▽ comm.
manè ebulliat ad 3iæ partis consumtionem: decocto ferventi infunde
bcac. juniper. rec. ℥iii.
rad. fænicul. ℥iß.
stent in infuso in loco tepid. per 24. horas, manè factâ leni ebullitione
℞. Colat. ℔ii.
adde.
syr. de 5. radic. ℥iii. l. IV.
-⌒ ⊖ dulc. ℨi. ad ℨiß.
vel hujus loco potius -⌒ acidi ex nucleis persicorum & dactilor. Destillat. ℨi. ad ℨii.
M. D. S.
Harntreibender Tranck.

§. 12. Volatilia ubi decoquenda sunt, jungatur destillatio, sicuti hoc imprimis urget, quoad aromatica carminantia *Zvvelferus Pharmac. Reg. p. 87.*

Decoct. antiscorbut.

℞. Rad. raph. rustic. rec. ℥iß.
H. cochlear.
nasturt.
piperitid. rec. ana. m. i.
conquass. in mortario lapid. c. ▽ com. vel seri lact. caprill. ℔ii. decoquantur in cucurbita suo alemb. munita, & destillentur simul ad medias:
Colat. clarificat. ℞. ℔i.
adde ▽ m. simul Destillatam
in quibus dissolve

Decoctum in affect. chronicis capit: & pector. catharral. c. tumoribus glandularum colli & faucium insignibus, ex lymphæ motu & crasi vitiatis.

℞. ras. ligni juniper. ℥ii.
sassafr. ℥iß.
cortic. lign. guajac. ℥i.
h. rosmarin. m. iii.
Bacc. juniper. ℥iß.

solut.

solut. ♂ *c. s. pom.* ℥vi.
sacchari albiss. parum.
M. D. S.
Scharbocks-Tranck.

Infund. in ▽ *& V. ana.* ℔ii. *ad iß. macerentur per. 24. horas in MB. vase suo alemb. munito, & decoquantur & Destillentur ad medias : Colat. & Destillat.* ℞. *adde*
♎ ⊖ ✱ *simpl.* ʒiii.
syr. fl. calendul. ℥iii.
M. D. S.
Zertheilender Tranck auff etliche mal.

Decoctum Paralysi.

℞. *ras. ligni sassafr.* ℥ii.
h. rosmarin. rec. m. ii.
Bacc. juniper.
lauri. ana. ℥i.
Coq. in ▽ *& V. ana.* ℔ii. *in Cucurb. c. alembic. operta : ad medias.*
℞. *Colat. & Destillat. adde*
♎ *bacc. juniper. ferm.* ʒiv.
⊖ ✱ *simpl.* ʒß.
syr. fl. Tunic. ℥iv.
M. D. S de quo bis l. ter manè, vesperi, & sub introitu lecti capiatur bonus haustus.

Decoctum pectorale, ad tussim à frigore externo natam, it. restituens læsiones pulmonum, &c.

℞. *ras. lign. sassafr,* ℥i.
macerentur in ▽ *com. mens.* ii. *s.* ℔ vi.
adde
rad. levistic. ʒß.
helen. ʒiii.
h. heder. Terrestr.
scabios.
pulmonar. ana m. ii.
sem. anis.
fœnicul. ana. ʒiii.
Coq. ad tertias, addendo circa finem ras. glyzyrrhiz. ʒß.
passul. min. conquass. ʒvi.
Colat. D. S. Brust-Tranck.

§. 13. Pertinent ad Infusa & decocta etiam *Hydromelita*, it. *Oxymelita*, à menstruo ita dicta, in affectibus pituitosis, vel pectoris vel senum proficua &c. Propriè autē dicta *Mulsa medicata* fiunt, dum melli c. ▽ fermentanti, infunduntur simplicia medicamentosa, ad instar Vinorum medicatorū, de quibus supra.

Hydromel resolvens & incidens pectorale.

℞. *h. marrub.*
hyssopi ana m. i.
rad. helenii. ℥iß.
sem. fœnicul.

Hydromel. Paralyticum.

℞. ▽ *com.* ℔vi.
mell. optim. ℔ß.
despumentur sedulò, coquendo leniter ad 4ta part. consumtionem :

Colat.

anis. ana. ℨiß.
Terr. fol. Tart. ℨii.
Coq. in ▽ *simpl. p.* VI. *s.* ℔iii. *mell. despum. p.* I. *s.* ℔ß. *bulliant simul ad consumt. 3iæ l. 4tæ partis: in fine infund.*
pulv. Cinamom. ℨi.
Croci gr. XV.
Colat. ℞. *D. S.*
Lösender Brust-Tranck.

Colat. ℞. *adde*
h hyssopi.
puleg.
salviæ. ana. m. i.
fl. anthos. m. ß.
stent in infus. per 12. horas, manè ebulliant leniter, addendo
Cinamom. ℨiii.
cardamom. ℨß.
cubebar. ℨß.
Colat. D. S.
Glieder-Tranck.

Oxymel Diureticum Laxativum.

℞. *Rad. vincetox.* ℥i. *helleb. nigr.* ℥ß. *ad* ℨvi.
H. heder. Terrest. parietar. ver. ana. m. I.
bacc. juniper. ℨvi. *ad* ℥i. *gran. alkekeng.* ℥ß. *ad* ℨvi.
concis. & contus. infundantur. in
▽ *com.* ℔IV. *mell. colat.* ℔i. ⚹ *Vini* ℔ß.
stent in infuso in Vitro clauso per aliquot horas,
manè ebulliant leniter: Colat. clarificetur: aromatis. D, S.
Eröffnender-Meth.

pertinet huc Oxymel de Peto Quercet. quod & pectorale est egregium & simul vim purgandi appropriatam in hydrope obtinet: it. Oxymel absinthites: Euporiston Prævotii in morbis chronicis. Fehr. de absinth. p. 40. it. Oxymel ad Asthma Poterii: Cent. 2. c. 44. p. 50.

§. 14. Referenda & huc *hordeata*, sive ut alias audiunt *Ptisanæ*, quæ tamen aliæ apud Veteres, aliæ apud Modernos: ibi partim alimentum, partim potus: hic ut plurimum corpus pro Julebis, interdum, sed rarius ex hordeo ad crepaturam cocto, emulsio paratur, cujus paradigma exhibet *Syvius*: l. I. prax. c. 14. p. 157. Ast hordeata hæc non adeò frequenti hodiè apud cultiores Practicos sunt in usu: 1. quia cruda sunt & ventriculum crudum reddunt. 2. fermentando flatulenta sunt: unde nunquam sine sem. anis. aut cortic. citri decoquenda. 3. primis viis & hypochondriis utroq; modò inimica: si tamen pro *Julebo alterante* expetatur *Hordeatum*.

℞. *Hord.*

℞. *Hord. mund. m.* i. *rad. scorzoner.* ℥iß.
rasur. C. C. ℥i. *cortic.* ☉*rant.* ʒiß.
Coq. lento △ *ad crepaturam hordei : edulcor. pauco sach.*
D. *S.*
Alterativ-Tranck.

§. 15. Quæ frequentissimè adhuc sub hodiernâ praxi usurpantur decocta, sunt sudorifera, pro chronicorum morborum curâ ferè in usu, quæ cum ex subjectis fixioribus ferè præparanda, diutiusque continuanda veniant, omninò & fortius decoquenda, & majori quanto ordinanda. Cum verò sub usu illorum strictum diætæ regimen observandum omninò sit, in specie *Diæta*, apud nos *sudorifera*, dicitur, idque ad differentiam *Lacteæ*, sub cura scorbuti interdum necessariæ. Veteribus ex uno vel pluribus 4. famosiorum hydroticorum parabantur, quæ sunt *lignum guajac. s. sanct.* ejusque *cortex*, *saffafras* c. cortice, rad. *Chin.* & *sarsaparil.* quibus in cura luis ♀eæ, isti principaliter usu fuerunt. His vero ceu exoticis, & ob id subinde suspectis, ligna nostratia, radicesque commodè à modernis adjunguntur : v. g. *lignum juniperinum*, *buxeum*, simul anodynum *sarmenta periclymeni, rad. tormentill. bardan maj. &c.* ex quibus nunc solitariis, nunc aliis additis, decocta primaria pro eliciendo sudore, & 2daria s. bocheta, pro potu ordinario ordinantur. Præscribendi rationes tam Veterum, quam modernorum, præter *Morellum de formul. Remed.* hic & prolixum & accuratum, apud luis ♀eæ scriptores imprimis videatur : sufficiat saltem in præsenti Idea, formam præscribendi recentiorum, quibus ♁ & ☿ superaddere placuit, subjungere.

Decoctum sudoriferum primarium, Zwelfero communiter adscriptum.

℞. *Ras. ligni sanct.* ʒvi. *cortic. ejusdem,* ℥ii. *ad* iii.
rad. sarsaparill. ℥ii. *ad* iii. *lign. sassafr.* ℥i. *ad* ℥iß.
☿ *vivi per alcali depur. & in pet. ligat.* ℔i.
♁ *crud. gr. mod. contus. in pet. ligat.* ℔i.
incisa & contus. macerentur in ▽ *comm. mens.* XII. *per* ☌ ☍. *hinc. coquantur ad* ʒias *Colat.* ℞. *D. S.*
Schweiß-Tranck.

de quo ℥iv. *ad* ʒvi. : *capiantur manè, & unâ alterâve horâ proliciatur sudor, &c.*

Decoctum secundarium.

℞. Resident. decoct. prior. totam. l. ubi aliud quid addendum, mediam:
affund. ▽ comm. mens. XVIII. macerentur per 12. horas, coq. ad consumt. 3tiæ partis.
adde
Passul. minor. major. enucleat. contus. ana ℥i. ad ℥iß.
rad. glyzyrrhiz. polypod. ana. ʒVI.
coriandr. pp. ℥ß.
Colentur per manicam Hippocr, aut aromatizentur c. cinamom. F. Decoctum 2darium. D. S.
Ordinari Tranck.

§. 18. Verum præter Luis ♀eæ curam, quibusdam in locis hodierno more receptum est, ut, qui corpora habent impuriora, ut vocant, & variis inde pathematis obnoxia, aut qui chronicis ac lentis, plus minus complicatis affectibus conflictantur, viribus tamen utcunque constantibus, item qui luxuriosa inordinatâque, cum effreni potandi libidine, utuntur diæta, & succulentioris hinc fiunt habitus Diæta hujusmodi sudorifera quotannis verno, (vocatur eine Frühlings Schweiß Cur) interdum & autumnali utantur tempore, pro digerendis congestis cruditatibus, excernendis heterogeneis impuritatibus, firmando tono viscerum, & mundificando ac roborando universo corporis habitu. In quem finem, præmissa primarum viarum abstersione, omni manè decocto primario utuntur, exspectantes in Conopeo largum sudorem, quem in lecto calefacto decumbentes sensim exsiccare permittunt: Decocto 2dario loco potus consueti utuntur: Vesperi ante pastum, aut saltem sub introitu lecti repetentes decoctum primarium, citra sudoris tamen profluvium. Alimenta sint moderata: aërem externum vitent. Continuatur hoc per aliquot septimanas, & vegeti inde ac alacres ferè redduntur. Præscribendi modus hæc decocta, coincidit cum prioribus.

Decoctum Primarium.

℞. Ras. lig. sanct. ℥i.
sassafras. ʒVI.
rad. Chin. ponderos.
scorzoner. ana ℥i.
Ering. ℥ß.

Decoctum Secundarium.

℞. Rad. Chin. ponderos.
scorzon. ana. ℥iß.
Cinnamom. acut. ʒiii.
passul. min. ℥iii.
sem. fœnicul. ℥ß.

sarsa-

sarsaparill. ℥iii.
sem. fœnicul. ℥ii.
Præparat. l. a. coq. in ℔xii.
▽ *comm. ad medias.*
Colat. D. S.
Schwitz-Tranck.

resid. decoct. superior.
Coq. in ℔xxv. ▽ *simp.*
ad remanent. ℔.xvi.
Colat. D. S.
Tisch-Tranck.

§. 17. Sed præter usum per diaphoresin evacuatorium, etiam pro scopo alterativo, in affect. Chronicis, ex visceris cujusdam interioris læsione, præsertim exulceratoria dispositione natis, v.g. in Phthisi pulmonali, ex sanguine aut lympha acrioribus nata, quàm alias defluxionibus à capite catarrhalibus tribuunt, it. exulceratione renum, abscessu mesenterii, aliorumve viscerum mundificandis & consolidandis, & similibus, non nimis confirmatis malis, decocta similia ex iisdem lignis & radicibus, potissimum radice Chinæ, additis aliis vel vulnerariis, vel abstergentibus more & methodo hactenus insinuata præscribuntur, & quotidie bis l. 3. haustus bonus ut capiatur, ordinatur v.g.

Decoctum alterans, exsiccans & putredinem inhibens.

℞. *Ras. lign. sanct.* ℥iii.
rad. sarsaparill. ℥ii.
scorzoner. ℥iß.
fragar.
consolid. maj.
min.
glyzyrrhi. ana. ʒvi.
h. Veronic. m. ii.
coriandr. pp. ʒii.
passul. min. ℥iv.
præparat. l. a. Coq. in s. q.
▽ *simpl. l. mens. V.*
s. ℔xv. *ad medias s. Colat.*
D. S.
Alterativ-Tranck.
dos. ℥iv. *l.* v.

Aliud magis temperatum & consolidativum, &c.

℞. *Rad. chin. gumm. ponderos. non carios.* ℥iii.
sarsaparill. ℥iß.
scorzoner. ℥ii.
caryophyllat. ℥i.
macerata per noct. in s. q.
▽ *simplic. ebulliant manè, addendo*
h. scabios.
alchimill.
heder. Terrest. ana. m. i.
fl. ros. rubr. m. i.
violar. mß.
sem. fœnicul. ℥i.
passul. min. ℥ji.
decoct. trajiciatur per Manicam Hippocr. Colat.
Sterck- und heilender Tranck.

§. 18. Pertinent huc denique decocta ex Cymis, it. ex cortice abietis, contra affectus nervorum scorbuticos, speciatim athritidem vagam, paresin, stuporem: v.g.

℞. *Cymarum s. turionum pingv. ac resinos. pinastri it. Abietis.* ℥iii.
rad. Chin. in tal. incis. ℥iß.
bacc. juniper. ℥i.
incis. & contus. coq. in ▽ *comm.* ℔viii. *ad 3iæ partis consumtionem l. ubi fortius desideratur, ad medias:*
Colat. D. S.

Capiatur bis, manè in lecto, expectando blandum sudorem: & vesperi l. sub introitu lecti citra sudorem. Si subjectum patiens constitutionis sit humidioris ac serosioris vel succulentioris, loco Chin. radic. ras. lign. sassafras ℥i. *ad* ℥iß. *recipi potest. Quod si ingratior sit decocti sapor, nam therebinthinæ proprietates, nonnihil repræsentat, in fine decoctionis aliquid passul. min. conquassat. addi potest.*

§. 19. Fuerunt hæc decocta & Infusa, prout usui interno inserviunt, consideranda jam pariter earum præscriptio, pro usu externo: circa quam quidem nulla essentialis occurrit differentia, ut ut ex partium affectarum, ipsorumque affectuum varietate, accidentalis quædam diversitas subinde occurrat.

Infus. ad aff. Paralyticos, aut dolores fixos scorbut. artuum.

℞. *Fol. Nicotian. H. salviæ, ana. m.* i.
rad. angel. ℨß. *Aron. pyrethr. ana.* ℨii.
fl. anthos. lavendul. stœchad. arab. ana. p. ii.
sem. Eruc. ℨvi. *castor.* ℨiii.
contus. & concis. infund. in 🜂 *V. p.* 2. *&* 🜂 *lumbric. Terrest. p.* 1 *stent in loco tepido, vase probè clauso per aliquot dies, liqv. filtratus*
D. S.

Euserlicher Glieder. *Spiritus.*
quo ipso tepido aut moderatè calefacto artus, vel loca dolentia benè fricanda & illinenda veniunt: vel idem infusum cum vel sine spiritu lumbricorum, pro scopo discutiendi, resolvendi, attenuandi vario, instar fotus humidi *tepidi crebrius usurpari & reiterari poterit.*

Deco-

Decoctum discutiens & Resolvens ad Cephalalg. accident:

℞. *Rad. rhodiæ* ℥*iß.*
fl. papav. rhead. rosar. ana. mß.
capit. papav. no. iii.
præpar. coq. in s. q. ▽ *simpl.* Colat. D. S.
Eusserlicher Umbschlag.

Epithematis instar tepidè fronti ac temporibus applicatur.

Infusum pro Oculo, sive Collyrium multi usus, ad rubedinem, maculas, albugines, nebulas, ulcera, pustulas, scabiem oculorum, &c.

℞. *decoct. Cal. vivæ c.* ▽ *calcatripp. parat.* ℔*ß.*
⊖ ✱ *depur.* ʒ*ß. mittantur in pelvim æneam per noctem vel ipsi misturæ parum limat. aurichalci immitatur, donec saphirinum ex cupro colorem contraxerint, filtrentur celeri manu.*
Augen-Wasser.

vel instillatur oculo, vel cum linteo tepidiusculè applicatur: nunc ubi acrior fuerit, pauca ▽ *fœniculi diluta, &c. Sanè solum* ⊖ ✱ *c.* ▽ *appropriata solutum, ita ut citra insignem sensum oculi illud ferre queant, ad maculas & albugines oculorum delendas, etiamsi à Variolis relictæ fuerint, multum confert.*

Infusum ad oculos à causa externa, v. g. Aere pluvioso ac ventoso læsos, &c.

℞. *mucilag. sem. cydonior.*
fœnugr.
hormini.
per infus. in ▽ *fl. cyani extractæ ana.* ʒiii.
sacch. ♄*ni. gr.* ix.
diluantur. c. s. q. ▽ *euphrasiæ*
D. S.
Augen *Mistur.*

Infusum ad Oculorum Epiphoram, Lippitud. &c.

℞. *Tormentill. rad. ros. mod. pulv.* ʒi.
O. *gr.* v.
▽ *plantag.*
cyani ana. ℥i.
stent. in loco calid. per 24. hor. filtrentur. D. S.
Augen-Wässerlein.

Deco-

Decoctum Polychreſtum, ad Eryſipelata, Inflammationes, Exulcerat. humid. in metu gangrænæ, &c.

℞. *Lythargyr.* ℔ß. *fl. roſ. rubr. m.* ii.
Oliban. myrrhæ. maſtich. ana. ℥ß.
Decoct. ſ. ▽ *Cal. vivæ rec.* ℔IV. ✳ ℔iß.
Coq. ſimul, uſque dum lythargyrium ferè ſit ſolutum, in fine addendo camphor. ℥ß. *Colat. D. S.*

Euſſerlicher Umbſchlag.

calidè cum linteis multiplic. bis l. 3. & crebrius applicetur in die. Conf. Zvvelfer. Pharm. Reg. p. 91.

§. 20. Sed hujusmodi infuſa & decocta externa, quæ ad Epithemata revera pertinent, alias proprio nomine

Fotus,

appellantur, quia eisdem pars affecta ſuaviter afficitur & blandè quaſi fovetur. Idem horum, ac internorum decoctorum præſcribendi ratio, ſaltem quæ ad gratiam his adduntur, in illis omittantur. Triplici modo adhibentur: cum enim ſpecies decoquuntur, decoctum cum linteis, ſpongia (non cum veſicâ, nihil enim ſubſtantiæ medicamentoſæ hanc penetrat) applicatur, & dicitur *Fotus humidus*, vel decocti ſaltem vapor ac ſuffitus parte affecta excipitur, & dicitur *Fotus Vaporoſus*: ſpecies ſacculo lineo interpaſſato includuntur, uno vel pluribus, qui nunc itâ ſiccus, aut ſaltem ſpiritu quodam penetrantiori irroratus, probe tamen calefactus, nunc in liquore convenienti coctus & itâ humidus applicatur, & in genere *Fotus Siccus* it. *Sacculus* appellatur. quantitas liquorum pro fotu humido, item ſpecierum pro fotu ſicco, ex partis & uſus ratione variat: v. g. pro oculo: liquor. ℥IV. ad VI. pro ventric. ℔j Species v. pro Capite, in *Cucupha*, ℥ii. pro ſtomach. ℥iii. ad IV. & amplius pro abdomine.

Fotus contra Teneſmum.

℞. *fl. chamomill. verbaſci ana. m.* ii.
H. verbaſci, linariæ. ana. m. j.
Inciſa Dentur ad Chartam. S.
Species **zur Behung.**

Coquun-

Coquuntur in lacte & æger in sella perforata decocto ferventi insideat, & fumum exsurgentem ita excipiat.

vel

Incis. Coq. in s. q. lactis Chalybeati.
Colat. ℞. ℔iii. D. S.

Euſerliche Behung.

Decoctum hoc calefactum, cum linteis multiplicatis eidem immersis, & leniter expressis, frequenti repetitione parti affectæ applicatur.

vel

Incis. includantur sacculo interpassato laxiori.
D. S.

Säcklein zur Behung.

hic l. calefactus, ita siccus applicatur, unde tamen in hoc casu parum alleviamenti sperandum, vel lacti incoctus, & leniter expressus, calidè admovetur, aliquoties hoc ipsum reiterando.

Fotus Vaporosus ad promovendos menses, lochia, fœtum mortuum. &c.

℞. *H. matricar.*
puleg. ana m. i.
sabin. m. ii.
bacc. lauri.
juniper. ana ℥i.
pom. Colocynth.
℥i. ad. ℥iß.
incidantur gr. mod. D. ad chartam. S.

Species **zur Behung.** *hæc ipsa ebulliant in ▽ comm. cujus vapor fervidus excipiatur per infundibulum in sellâ undique clausa, idque ita aliquamdiu continuando, & crebrius repetendo: sin citius deferveat liquor injectione silicum candefactorum, vel chalybis igniti intrusione denuò calefieri potest: eædem species etiam sacculo inclusæ, post fotum hunc vaporosum, vel in formâ sicca, vel (in decocto*

Fotus humidus In contus. oculorum: aut Livore.

℞. *Fl. cyani.*
calcatrip. ana. m. ß.
summit. hyssop flor. m. i.
rad. symphyt. maj. ℥vi.
sigill. Salomon. ℥iii.
Coq. in s. q. Vini Colat. ℞. ℥iv. l. vi.
adde
S. V. camphor. ℈ß. ad ℥vi.
M. D. S.

Euſſerliches Waſſer.

applicetur calidè c. linteis multiplicatis.

Fotus humidus pro membro fracto, luxato, distorto, ante & post repositionem.

℞. *H. betonic.*
chamomill.
rosmarin. ana. m. i.
summit. hyperic. flor. m. iß.

acem-

macerata & expressa,) humidâ regioni hypogastricæ appellicari possunt.

Fotus pro scroto, intestinis repleto in Herniá.

℞. *Stercoris Ovilli q. v. coq. in s. q. lactis vaccini:*
Colat. ℞. *&c. linteis eidem immersis fomentetur scrotum aliquamdiu subcalide: remanentia postmodum cataplasmatis formâ desuper imponi potest. Sicuti alias sacculus, ex stercore asinino c. ✠ subacto pubi impositus, crebrius reiteratus, in hæmorrhagia uteri nimia egregius est.*

Sacculus contra dolorem capitis à causa externâ, in specie à frigore.

℞. *milii* ℔ ß.
⊖ *comm.* ℥iv.
h. verben.
fl. chamomill. ana. m. i.
rad. rhod. ℥i.

M. ⊖. *& milium primum torrefiant in sartagine, & protinus calidè sacculo cum aliis præpar. induntur: F. sacculi interpassati nro. 2. & ita calidi capiti imponuntur. S.*

Säcklein zum Haupt.

rad. aristoloch. rotund. ʒvi.
symphyt. maj. ʒß.
sem. 4. calid. maj. ana ʒiß.
Coq. in ∇ *simplic.*
Colat. ℞. ℔ iß. *adde*
Vini infus fl. hyperic. ℔ ß.
M. D. S.

Glieder Behung.

Sacculi contra Dysenteriam.

℞. *Fol. quercus.*
furfurum ana. m. iii.
includ. sacculis no. ii.
uno rotundo majori, & quadrato, alteri minori:
D. S.

Stillende Säcklein.

Sacculi hi ✠ Vini incocti applicantur, major quidem umbilico, minor verò podici.

Sacculus pro Ventriculo.

℞. *H. menth. crisp. m.* ii.
nuc. mosch. ʒß.
macis,
Cinamom. ana. ʒi.
caryophyll. ʒii.

F. pulv. qui excipiatur Cotone *& includatur sacculo interpassato rotundo: irroretur largiter S. V. theriacali. ol. destill. menth. ac juniper. &c. D. S.*

Magen Säcklein.

Pertinent huc *Cucuphæ*, h. e. pulv. aromatici Cotone excepti & mitræ capiti imponendæ ita insutæ, præsertim pro senibus, sed quia in desuetudinem ferè abierunt ob levia & brevia emolumenta, cum præterea in præscribendi ratione nil peculiare occurrat, præstat de iis tacere,

§. 21. Major fotus dicitur *Balneum*, quod corporis partium respectu l. *Universale* vel *particulare*: illud vel simpliciter tale, cui totum corpus *ad collum* usque immergitur; vel secundum quid, respectu medietatis saltem corporis inferioris, & *Insessus* vel *Semicupium* alias vocatur, quia ad umbilicum saltem aut regionem hypochondriacam eidem insideri solet. Particulare est vel Capitis, vel manuum, vel pedum, quod propriè *Lotio* appellatur. Nulla hic nisi in quantitate ab aliis fotibus aut decoctis præscribendi est differentia.

Balneum in scabie.

℞. rad. lapath. acut. ℔ß.
bryon. ℥iii.
h. parietar.
saponar. ana. m. ii.
lapath. acut. m. iv.
Sulph. pulv. ℥ij.
C. v. rec. ℔ii.
Incisa & contus. D. ad Chartam. S.
Species zum Bade.
Coq. in s. q. ▽ *dulc. addendo parum lixivii: huic decocto moderatè calenti insideat æger, vacuo ventriculo: possunt ante ingressum capi sudorifera, ut Ess. lignor. Tinctura Tart.* ℥*iata, Tinctura Sulph. &c: sub egressu v. illiniri blandè corpus linimento appropriato, minus viscido aut glutinoso.*

In Ictero.

℞. H. saponar.
parietar. ana. m. iij.
rad. bryoniæ ℔ß.
sigill. Salom. ℥iv.
pulv. pisorum. ℔ß.
Incisa. D. S.
Balnea hujus decoctionis aliquoties æger insidere poterit, novam semper ▽*m recipiendo: tunc pisorum pulvis nodulo laxiori inclusus esse debet.*

Insessus s. Semicupium pro gravida, ad facilitandum partum.

℞. H. malv. alth. meliss. fl. chamomill. ana. m. iii.
fl. malv. melilot. ana. m. i.
sem. lini. fœnugræci. ana. ℥iii.
rad. alth. ℥iv.

Incisa D. ad Chartam. S. Species zum Bade.
decocto harum gravida insideat, quamdiu c. euphoria fieri potest, idque ferè alternis diebus, imminente partu: deterso madore in lectum se componat, illinendo postmodum lumbos, regiones umbilici & lumborum, Linimento ex mucilag. sem. lini. fœnugræc. alth. ol. amygd. d. lil. albor. &c. Hæ ipsæ species, modo additione bacc. juniper. magis quasi appropriatæ reddantur, pro semicupio in quibusvis doloribus nephriticis commodè eodem modo adhiberi possunt: ungendo postmodum partes dolentes ungv. de althæa: ol. scorpion. ol. destil. therebinth. &c.

Pertinet huc etiam insessus Vinaceorum, vel per se ex fermentationis motu, vel inspersa C. vivâ sensilius incalescentium, in malo Ischiadico, doloribus crurum scorbuticis præsertim nocturnis, aliisque contumacioribus, & inde paralytica dependente dispositióne, perquam proficuus.

§. 22. Quoad Balnea particularia s. Lotiones, nulla & hic ab aliis præscribendi modis differentia.

Pediluvium ad firmandos articulos, podagrâ debilitatos: simul à crebriori recidivâ præservans.

℞. bacc. juniper ℔ß.
b. rosmarin. m. VI.
serpill.
salviæ ana. m. ii.
D. S.
Species zum Fußbad.
Coq. in s. q. Lixivii comm. non adeò acris, decocto decantato, cum vel sine colatura immittuntur pedes, coëreendo halitus, integumento, vasi super imposito: conservando æstum, vel novum decoctum fervidum, vel silicem candefactum supperaddendo: pedes extracti probè abluti, calidis linteis involvantur & quies ipsis concedatur. Species hæ 3. l. 4. coqui dicto modo & adhiberi possunt.

Lotio Manuum contra Maculas & pustulas, à scabie, variolis &c. relictas.

℞. ▽. C. vivæ. ℔ii.
Sulph. pul. ℥i.
ebulliant invicem
Colat: adde ▽ rosar. ℥i.
M. D. S.
Reinigend Wasser.
additione & mistione simplici sacchari ♄*ni.* ℥ii. *ad* iii. *: erit lotio appropriata ad* maculas hepaticas.

Lotio

Lotio contra fœtorem axillarum, pedum, aliorumve locorum.

℞. H. ſcordii.
plantag.
fol. quercus ana. m. i.
Coq. in ſ. q. ▽ *comm.*
Colat. ℞. ℔ iß.
adde
ſolut. lytkargyr. ☉ *ei c.*
⚹ *fact.* ʒ iii.
M. pro Lotione. D.

℞. *Fol. quercus m.* iii.
ſummit. origan. m. ii.
fl. roſ. rubr. m. i.
Ois ℥ iß.
D. S. Species.
coquantur in ▽ *comm. adhibeantur pro lotione, ſed ſemper cautè.*

Lotio Capitis in Caſu Capillorum.

℞. *Abrotan. mar. capill* ♀ *maj. ana. m.* i.
fl. roſmarin. lavendul. ana. p. iii.
rad. lapath. maj. peucedan. ana. ℥ i.
urtic. maj ſem. fœnugræc. ana. ʒ ß.
ladan. el. ℥ iii.

affund. ſ. q. lixivii, ſtent in digeſt. per aliquot dies ebulliant leniter & exprimantur: hoc ipſo caput abluatur & linteis tepidis detergatur: illinatur poſtmodum Ungu. Bucretii experto: &c. Dum vero horum beneficio denuo creſcunt pili, loco lixivii in Vino dilutiori vel modice adſtringente ſpecies pro lotione capitis coquendæ. Facit huc decoct. h. & rad. malvæ c. piſis in Urina humana, quod pro lotione capitis infantum in tinea, etiam graviſſimâ: it. furfuratione capitis multum valet.

§. 22. Hæc ſunt balnea propriè dicta, humida ſcilicet, ſunt & impropriè dicta, fotuum vaporoſorum inſtar, quæ ſpeciali nominè *Balnea Laconica*; it. *Stufæ*, it. *Sudatoria*, appellantur. In his Vapor ſaltem calidus plus minus medicatus, vel univerſaliter vel particulariter corpus aut partes quasdam afficit: idque pro ſcopo vel ſudandi univerſaliter, vel diſcutiendi & leniendi particulariter. Vapor uſitatiſſimè hodie in Laconico excitatur, vel ex ▽ fervente ſimplici aut decoctione certâ medicata, vel ex Sp. V. incenſo, quorum hoc præferendum illi: mirum qantum penetret univerſum corporis habitum Sp. V. calor, d. ſubjectis humidioribus & ſucculentioribus, item quæ atonia Viſcerum laborant magis, quam qui ſiccioris ſunt habitus con-

venit, his enim prior modus magis aopropriatus : perficitur utrumque in domunculo peculiari ligneo, notæ jam passim formæ, in qua æger ad collum usque erectus sedeat, dum ex fundo vapor exsurgens totum alterat. Eminet hæc inter balnea sicca medicata in specie balneum ex suffitu decocti *cubilis formicarum*, in artuum dolore, paralysi, rigiditate & similibus malis : scorbuti apud nos familiari progenie, admodum laudatum : præter hoc v. cum rara sint balnea sicca Universalia medicata, saltem particularia interdum vapore medicato instrui solent ; Sed nil à fotuum præscriptione differente. Saltem exempli gratia quoddam peculiare addam :

Laconicum particulare, Cruribus dolore padagrico affectis : it. in doloribus illorum scorbuticis fixioribus.

℞. *Lixivii Coriariorum, jam ab ipsis usurpati* ℔ii.
Ur. human. ℔iii, *M. D. S.*
Euserliche Behung.

Ebulliant, & fiat inde suffitus pro membris dolentibus desuper situatis, & fornicatim integumentis aptis munitis.

§. 23. Efficacioris fotus species est.

Cataplasma,

dum massa medicamentosa pultiformis parti cuidam applicatur pro usu multiplici. Siquidem non rarum, ut post præmissum fotum humidum, Cataplasma applicetur, imò ipsa decoctionis pro fotu remanentia, non raro capitur, & l. a. tractata, ut Cataplasma applicatur. Ordinario nempè fiunt cataplasmata, dum subjecta appropriata, mediante lacte & oleo, ubi emolliendum, Vino & Aceto; ubi discutiendum & attenuandum, Urina, lixivio, ubi resolvendum : &c. Ad talem rediguntur consistentiam, ut per setaceum, pulpæ aut pultis forma trajici possint, quæ puls Cataplasmatis corpus, majus vel minus, pro partis affectæ & applicationis ratione, constituit, cui pro re natà interdum & alia desuper addi solent, oleum, mel, pulveres, Electuar : &c. eorumque plus minus, prout vel baseos vel adjuvantis locum obtinent.

Cataplasma

Cataplasma emolliens & suppurans abscessus & inflamm.

℞. Nidi hirundinum interior c. excrement: abjectis stramine; paleis, & cæteris quisquiliis, no, i.
albi græci. ℥i.
rad. lil. albor.
althea ana ℥ii.
fl. chamomill.
melilot. ana. m. i.
sem. fœnugræc.
psyllii ana. ℥ii.
altheæ. ℥ß.
ficuum. pingu. no. IV.
cepar. ℥ß. ad ℥VI.
incis. & contus. coq. in s. q. ▽ com. l. ▽ hordei vel cerevis. vel lactis vel seri lactis (pro indicationum ratione) ad consistentiam pultis: pulpæ per setaceum trajectæ: adde
ol. lil. albor. ℥ii.
chamomill. ℥i.
Croci Orient. ℥iß. ad ℥ii.
Vitell. ovor. no. iii.
M. f. Cataplasma:
D. S.
Erweichender Brey: de quo q. s. calidè applicetur & quoties opus reiteretur.
NB. semina ista decoctioni addita omitti, & illorum loco pulti traject. farin: sem. lini. fœnugræc. ana. ℥ß. rad. altheæ. ℥i. adi possunt.

Cataplasma contra tumorem bracchii, expertusa in V. S. venâ & læso nervo.

℞. H. agrimon.
chærefol.
chamomill. ana. m. i.
rad symphyt. mal. ℥iii.
sigill. Salomon. ℥i.
sem. lini.
fœnugr. ana. ℥ß.
Coq. in s. q. ▽ ad consist. pultis: trajiciatur per setaceum. D. S.
Brey wider die Geschwulst.
Instillato prius ol. destil. terebinthinæ vulnusculo, applicatur calidè, addendo cuilibet portioni sub applicatione ♌ theriacali. vel. simpl. vel camphor. ℥i a. q. s.

Cataplasma ad suppressionem Urinæ, in puerperâ, ob admissum incautius frigus externum à partu.

℞. H. parietar. m. ii.
cherefol. m. iß.
Coq. ad mollit. pulpæ per setac. trajectæ, adde butyri rec. ℥ii.
oleum scorpionum. ℥iß.
M. pro Cataplasmate: calidè regioni pubis admovendo.

Subinde pulpa fructuum coctione emollita, ceu cataplasma applicatur, cui & alia addi possunt v. g.

Cataplaſma ad Bubones Peſtilentiales.

℞. H. parid. m. iii.
rad.lil.albor.℥iß.
ficuum pingv. no. iii.
Coq. in ſ. q. ▽ *comm.*
pulpæ trajectæ
adde
Theriac.℥ii.
pulv. bufonum.℥iß.
fuligin. Camin.℥i.
*ſaponis Venet.*ʒvi.
c. ſ. q. ol. aranear. F.
Cataplaſma.
D. S.

Cataplaſma contra vulnera, dolorem, percuſſionem oculorum.

℞. pulp. pomor. dulc. ad mollit. coctor. ℥iv.
mucilag. ſem. cydon. c.
ſpermat. ranar. extr.℥i.℥iß.
*ſacchar. albiſſ.*ʒiß.
camphor. parum.
M. D. pro Cataplaſmate conf. Timæus in Caſ. l. 1. *caſ.* 21. *p.* 48.

Interdum ſoli pulveres liquore conveniente excepti, cataplaſma formant: v. g.

Cataplaſma ad tumorem teſtium ex contuſione.

℞. farin. fabar.℥iii.
pulv. ſem. cumin.℥ii.
Coq. in poſca ſ. oxycrato q. ſ. ad conſiſt. pultis.
D. S.

Zertheylender Brey.

ſin ſcrotum ab aceto pruritum aut roſionem ſenſiliorem incurrat, partum lythargyrii ſub decoctione addi poteſt.

Cataplaſma ad hæmorrhag. Narium.

℞. argillæ uſtæ ſive calcinat. ex furno piſtorio v. g. extract. m. ii.
✠ *acerrimi q. ſ. commixta redigantur in form. Cataplaſm.*
D. S.

Euſerlicher Umſchlag.

frigidè immediatè fronti c. temporibus, ac nuchæ cum linteo applicatur.

Imo ipſa interdum ingredientia, propria ſub conſiſtentià aut miſtione mutuâ in Cataplaſmatis formam coëunt, citra aliud artificium, ſucculenta ſcil. plus minus ſi fuerint

Cataplaſma contra tumores ſeroſos, & hydropes particulares.

℞. Cochlear. c. ſuis teſt. contuſ. ℔i. *pulv. ſem. carvi.*℥ii.
ſtercor. caprill.℥iv. *M. & ſi opus c. ſ. q. Vini aut poſcæ redigantur ad Conſiſt. Cataplaſmatis.*

Per-

Pertinet huc stercus vaccinum, quod recens, ceu singulare anodynum cataplasmatis forma imponitur, v. gr. podagrâ dolentibus: succurrit pariter aliis doloribus ac tumoribus, præsertim cuivis dolori inflammatorio, vel solū c. ol. rosar. impositum: Sic stercus suillum, cum ▽ fervid. subactum, & abdomini instar Cataplasmatis insternitur, egregio successu, sub nimio mensium fluxu. Cataplasma ex fimo equino in Vinococto, vel succus ejus c. micâ panis, secretum est contra Gangrænam: conf. Cataplasm. compos. Barbette: Chir. l. 1. c. 14.

Ex fermento pariter solo, additis aliis quibusdam extemporanea fiunt Cataplasmata, eaque propter acrimoniam vel vesicantia, vel rubificantia, adeoque ut vocant attrahentia & derivantia.

Cataplasm. rubific. contra dolorem syncipitis insignem, sæpius recurrentem, c. gravi oculorum dolore: occipiti s. nuchæ applicandum.

℞. *Ferment. acerrim.* ℥i. *sem. sinapi contus.* ℥ß. *ad* ℥vi.
c. s. q. ~V. *subigantur ad pultis consistentiam*
D S.
Eusserlich auffzulegen.

possunt, ubi opus est, sem. eruc. ℨii. *adhuc pro stimulo addi.*

§. 24. Pro Ventriculo, in ejusdem quibusvis symptomatis, plurimis laudatur cataplasma ex fermento c. aromatibus, ad imitationem *Mynf. Armam. s. 37. p. 520. & 524.* sed quamdiu hæc omnia probe calent, res benè habet, simul verò ac parum intepuerint, offenditur tactus & cutis, unde nil emolumenti: expertus hæc scribo, sane eædem difficultates, quas supra circa Epithematum usum insinuavi, premunt pariter sæpius & fotus humidos & Cataplasmata. Siquidem hæc tumoribus, præsertim calidis applicati, necessario ex allegata causa pororum constipationi occasionem præbent, & transpirationem, adeo in iisdem necessariam, impediunt, repellunt, & nervosiori loco gangrænam citius accersunt. &c. NB

§. 25. Communissimus usus externus, Infus. & Decoctor. est, quando aptis instrumentis certis quibusdam cavitatibus injiciuntur, unde

In-

Injectiones ſive Enemata.

it. *Lavamenta* ſ. *Clyſteres* & *Clyſmata*, ibi ſecundum Latinos, hic ſecundum Græcos dicuntur, quamcunque in partem injectio fiat. Cum v. à potiori ac uſitatiori fieri ſoleat denominatio, propter infuſionum talium in anum ac inteſtina; ceu generalem corporis cloacam, crebritatem, Clyſmatis ac Enematis vox ferè his ſaltem hodie tribuitur, cui conſuetudini & nos cedimus. In Clyſmate ergo 2. conſideranda, 1. decoctus liquor. 2. addenda, vel diſſolvenda in eodem, ex quibus emergens compoſ. ad ℔i. p. p. adſcendat in adulto, rarò ulterius ad ʒxv, infanti ℥ii. ad ℥iii. pro corporis ratione ſufficiunt. Decoctum ipſum, præ ſupra dictis, nil peculiare obtinet. Addenda ſunt: Electuar. alterativ. aut laxativ. ab ℥i. ad ʒii. mellia a ʒ vi. ad ℥i. ol. coct. vel infuſ. ab ℥ß. ad ℥iß. ol. deſtil. à ℈i. ad ʒi, ⊖ ſtimulans vel alterans à ʒß. ad ʒi. ſubinde etiam Vitell: ovor. no. i. l. ii. adjiciuntur. Quod ſi plura addenda ſimul fuerint, & horum reſpectiva proportio attendenda, ut ex omnium miſcela una doſis completa pro uſu intento exſurgat: qui in genere eſt triplex: *vel* inteſtina ſtimulare & plus minus purgare, *vel* eadem demulcere, *vel* contenta in iisdem temperare ac alterare: Quibus ceu 2darius ac accidentarius accedit, aliis partibus variis, ob conſenſum, diverſimodè prodeſſe: ſuperſtitioſus de cætero eſt delectus cephalicorum pectoralium, nephriticorum, hyſtericorum &c: qui in clyſmatum præſcriptione ſubinde inſtituitur; cum per conſenſum ſaltem aut deuteropatiam, vel per quandam conſequentiam aliis partibus auxilium ab iis afferatur. Injiciuntur tepidè, vel una, vel duplici vice pro excrementorum; flatuum, podicis plus minus dolentis &c: reſpectu, ſemper tamdiu ſi poſſibile retinendo, donec uſui ſatisfecerint. Inſtrumenta ferè ſunt triplicia: Veſica ſuilla, cum parva fiſtula, apud nos Germanos, ſipho amplus, apud Gallos, Inſtrumentum *Graffii Tr. de uſu Clyſter.* apud Belgas, magis uſitatum. Optimum videtur hoc Graffii inſtrumentum, ab eo tamen non deſcriptum: forſan imitandum, ſi inteſtinum quoddam longius & æquale avis cujusdam, debito balſamo vel therebinthinato, vel 🜄 ⊖ ✱ vinoſo &c. condiatur & aptè tractetur, hinc filo æneo & panno ſericeo obvolvatur &c. Clyſter ex fumo Tabaci Anglorum, ceu Anomalus, huc non pertinet. De fumo Tabaci dico, nam qui ex decocto Tabaci: aliis additi, parari poſſet, ſummè periculoſus eſt, cum uſum ejus ſubitò: ac modo applicatus fuerit præcordiorum anxietates, lypothymias, ſudores circa frontem frigidos, totius feralem quaſi pallorem, aliaque ſimilia ſymptomata inſecuta fuiſſe, noverim.

Cly-

Clyster Carminativus in Colicâ flatulenta.

℞. H. chamomill.
mentha. ana m. j.
bacc. laur.
juniper ana ℥ß.
sem. fœnicul.
anis.
carvi ana ℥ij.
⊖ tart. ℥iij.
incis. & contus. coq. in s. q. ▽ simpl. vel ubi ⊖ tart. non additum fuerit in s. q. ⊡ human.
Colat. ℞. ℥ ix. adde.
Elect. de bacc: laur.
ʒvj. ad. ℥j.
mell. rutac. ℥ß.
♋ destil. bacc. laur. ℈ß.
ad ℈j.
M. pro Clysmate. D.

Clyster fortiter stimulans v. g. in Apoplex passion. hyst. graviori &c.

℞. H. salv.
fl. chamomil ana. m. j.
rad. pyrethr. ℥ß. ad ʒvj.
pulp. Colocynth. in pet. lig. ʒj.
(alias subtiliss. ramenta, horrenda tormina inferunt, & aliquandiu post se relinquunt : quod non putassem, nisi experientiâ confirmatus fuissem)
Coq. in s. aq. Comm. Colat. ℞. ℥ix. adde
Elect. hier. picr. ℥j.
mell. anthos. ʒvj.
castor. ℈j.
⊖ gemm. ʒß.
M. pro Clysmate. D.

De Electuar. Purgant. Clysmatis additis dubitatur merito, an cujusdam usus sint : siquidem antequam textura crudorum purgantium resolvatur ita, ut se commodé explicare & insinuare parietibus intestinorum queant, diu erit, quod jam Clysma rejectum denuò fuerit. Ob id potius ipsa fortiora purgantia in-

fundantur, vel decoctum Croci metall. in vino, aut ∇ bened. officinal. ℥iij. syr. aut emeticus sal. ad ʒiß. decocto jam colato adduntur, præsertim ubi præsentanea magis ope opus fuerit.

Clysma anodynum, antidysenterium.

♃. fl. verbasci. m. ij.
sambuc. m. j.

Usitatior hic fuit Clysmatum præscribendorum modus: interdum verò sola fluidorum miscelâ, clyster conficitur, citra alios labores v. g.

Cap. papav. cum sem. no. iij.
concis. & contus. coquantur in s. q. lactis bubuli chalybeati:
Colat. ♃. ℔j.
adde
sevi Cervin. l. hircin.
in Vitell. ovi dissol. ℥ß. ad ʒvj.
M. f. Clysma.

Loco Capit. papaveris commodè etiam Philon. Rom. ʒj. aut theriaces non adeò vetust. ʒj. addi possunt.

Clyster temperans & anodynus polychrestus.

♃. Lactis bubul. ℥ix. ad ℔j.
therebinth. Venet. in vitell. ovi dissol. ʒiij. ad ℥ß.
mell. rosat. ℥ß. ad ʒvj.
M. pro Clysmate.

Sane therebint. additio, plus in recessu habet, ex tali enim Clysmate paulo diutius retento, ⊡m intensè violas spirasse, in puerpera olim notavi. Imò solum lac, cum pauco addito saccharo, vel cinere clavellato aut pro ratione, Elect. lenitiv. vel de bacc. lauri, jam pro Clysmate anodyno, in scorbuticis præsertim abdominis malis, inservire potest. Ut nihil dicam de Clysmate ex solis oleis, sub fecum induratione, aut pertinaciori alvi occlusione usitato.

♃. ol. rapar. lini. ana ℥iv. ad v.
diacolocynth. ℥ß. M. pro Clysmate. D.

§. 26. Juxta injectiones in Intestina, frequentiores cæteris sunt istæ in os, pro regionis hujus, & faucium, ac partium conterminarum levamine, variis sub eorum malis, & in genere

Garga-

Gargarismata.

dicunur. Fiunt frequentius ex decocto appropriato, cui pro re natâ adhuc alia adduntur, omnia in quanto mediocri, nisi crebrius eodem uti conveniat. Utendi modus, sive eluendo, sive gargarisando, sive cum siphone injiciendo fiat, notus est. Præscribendi aut miscendi modus præ aliis decoctis in genere, aut clysmatis in specie, nil singulare obtinet, nisi in quantum judicium Medici ista ad partem affectam specialem certo applicare norit.

Gargarismus resolvens & discutiens in principio inflammat: faucium, aut tonsillarum, &c.

℞. rad. levistic. ℥vj.
apii. ℥iij.
fl. sambuc. m. iß.
fol. malv. m. j.
passul. maj. incis. ℥iß.
Coq. in s. q. ▽ comm. l. ▽ hordei:
vasis opertis.
Colat. ℞ ℔ ß.
adde
⊖ ✳ depur. ℥ß. ad ℥j.
M. pro Gargarismate.
D. S.

Zertheilend Gurgel-Wasser.

Sanè loco gargarismatis domestici optimè in his casibus convenit decoct. hord. vel avenac. in quo parum ⊖ ✳ dissolutum est, imò soli ⊡ humana, calida aut calefacta loco gargarismatis adhibita, subinde artificiosissimè composita superat. Superior gargarismus magistralis mutari etiam, & loco passul. maj. Colatur. Mell. ☿ial. ℥j. ad ℥iß. spir. V. theriacal. ℥vj. ad ℥j. (aut si malignum ac contagiosum videatur malum, spir. V. camphor. ℥ß.) spir. ⊖ ✳ ℥ß. ad ℥j. addi possunt.

Gargarisma anodynum & maturans in statu istarum inflammat.

℞. H. malv.
melilot. ana. m. j.
rad. altheæ. ℥j.
ficuum pingv. no vj.
Coq. in s. q. Lactis, aut ubi ardor & inflammatio intensior, in sero lactis.

Colat. ℞. ℔ iß. ad ℔ ij.

Et vel nudè ita uſurpetur, vel addito ſyrupo violaceo, aut mell. deſpumato pauco, adhibeatur. Sin ſuſpicio ſit materiam ſuppurandam pituitoſiorem ac viſcidiorem exiſtere, ſaponis Veneti nonnihil una incoqui poteſt: quod etiam locum habet ubi citius maturare abſceſſum eſt animus.

Gargariſmus in loquela amiſſa poſt Apoplexiam.

℞. H. ſalv. roſmarin. majoran. ana. m. j.
rad. pyrethr. ʒiij. ad ʒß.
ſem. Eruc. ſinapi ana ʒ i ß.
caryophyll. ʒj Coq. in ſ. q. aq. comm. Colat. ℞. ℥x. ad ℔j.
adde
∽ Ceraſ. nigr. vel bacc. juniper ℥ i ß.
⊖ ✳ c. ♆ a. ʒiij. mell. anthoſ. ℥vj.
M. D. S.
Miſtur zum Munde.

Gargariſmata, contra ſcorbutum oris.

℞. h. ſalv.
cochl. ana. m. ij.
Coq. in ſ. q. lactis vel ejus ſeri.
Colat. ℞. ℔ij.
adde
ſucci Cochl. ℥ij.
ſyr. aquileg. ℥iv.
M. pro collutione oris.

℞. h. ſalv. m. iß.
fl. malv. hortenſ. rubr. m. j.
rad. polypod. ʒß.
Coq. in ℔j. ▽ fontan.
Colat. adde
mell. roſat. ℥iß.
⊙ uſti. ʒj.
⊕ ♀iat. l. ⊕ depur. ʒiß.
M. D. S.

Si ſerum lactis ſumtum fuerit, ſpir. ſal. ℈j. vel q. ſ. addi poterit.

Subinde

Subinde verò citra laboriosam præparationem simplex liquor, aut saltem miscibilium extemporanea unio, ▽is destillatis hic potissimum inservientibus, ad gargarismum constituendum sufficit: nam decoctum raparum siccarum in faucium inflammationibus, in incremento & statu optimum. Lac in asperitate faucium, earumque phlogosi cum pauco saccharo, vel ⊙ interdum abunde sufficit: vel

Gargarisma in nimiâ salivatione.

℞. ▽ prunell. sempervív. ana. ℔ß.
tinctura bellid. ʒj. alum. crud. ʒß. ad ℈ij.
syr. rosar. rubr. l. myrtill. ℥ß. ad. ℥j.
M. pro Gargarismate.

§. 27 Fuerunt hi modi præscribendi injectiones in Praxi frequentiores, præter quas aliis partibus, earumque cavitatibus vel naturalibus l. p. n. vulneribus, ulceribus sinuosis, fistulis: &c. injectiones variæ adhibentur: nunc in genere *siphonis*, ope, nunc in specie in uterum per *Metrenchytem*, in Vesicam per *Catheterem* &c. in quibus omnibus nulla ab antecedentibus in præscribendo differentia, nisi in quantum partis affectæ, & affectus ipsius ratio, materiæ selectum & quantum determinare plus minus solet.

Injectio in Vesicam exulceratam, it. in mictu cruento & purulento. &c.

℞. h. Agrimon. plantag. ana. m. j. liquirit. mund. ℥ß.
Coq. in ▽ ferrarior. ℥ix. ad ℔j. ad ʒiæ p. casum.
Colat. ℞. ℔ß. ad ℥viij. adde
Mell. rosat. ℥j. Ess. resin aloës cum spir. V. extr. ℥ß.
M. pro Injectione S. Heilende Einsprützung.

Imò solum lac, cui therebinthina cum Vitell. ovi soluta permistâ, cum pauco saccharo sufficit: pro leniendi scil. scopo & temperandi, dum istud magis intentioni purificandi inservit.

Injectio in Penem, in Gonorrhœâ Malignâ.

℞. ▽ ♆æ ℥iij.
aloës hepat. ʒß.
vel ejus loco

Essent. aloës ℥iii.
mell. rosat. ℥ß. ad ℥vi.
M. S.
Eusserliche Mistur zum Einsprützen.

Malum ubi pertinacius fuerit cum vel sine aloë ☿ dulc. simul. addendus, à ℈i. ad ℥ß. imminuendo mel ad ℥iii. p.p.

Injectio in Uterum: tam hæmorrhagiâ nimiâ, quam fluore albo affectum.

℞. Visci quercini. ℥ii.
cortic. granator. ℥i.
alum. thuris ana. ℥ß. mastich. ℥ii.
balaust. fl. rosʃ. rubr. ana. m. ß.
(in fluore albo ligni sancti ℥iii. illius loco capere amant.

Infund. in ▽ comm. ℔ii. macerentur per 24. horas, ebulliant lento △e ad medias, addendo sub finem Vini rubri, austeri, ℔i. Colat. D. S.
Anhaltende Einsprützung.

Pertinet huc injectio in nares, in nimia earum hæmorrhagia, vid. *Misc. Acad. Nat. Cur.* ao. 2. p. 323. In quem Narium usum de facili decoctum magistrale præscribi posset, simile decantato illi liquori Styptico de la Vigne Galli, v. g.

℞. alum. ⊖li. ana ℥i. Phlegmat. ⊖li. ℥i. ad ℥iß.
ebulliant ad dissolut. contentor. Liquor. filtratus
Spir. ⊖li aliquot gutt. adhuc aciduletur: D. S.
Blutstillendes Wasser.

Vel in mistura extemporanea.

℞. alum. crud. ℥ß. terr. ⊖li dulc. gr. xv. ad ℈i.
Phlegm. ⊖li, spir. ⊖li nonnihil acidul. ℥iß. ad ℥ii.
M. D. injiciantur naribus. &c.

Sed forsan spir. V. per se rectificatus, naribus paulo profundius injectus, omnibus his præstat: siquidem ab illo quivis sanguis fluidus, etiam calidus & adhuc recens, citissimè, mirabili c. spectaculo coagulari solet.

Pro auribus denique similes injectiones fiunt, nunc laboriose ex decoctis, nunc simpliciori modo concinnatæ: v. g. injectionem contra Vermes, ex decocto, v. *Barbette: Anat. Pract. l. 2. c. 1. p.* 110: vel sola ▣a, aut Phlegma spir. ▣æ, in ulceribus aurium crebrius injectum confert: in malo v. graviori:

℞. Aristoloch. rotund. cortic. granator. gallar. ana. ℥ß.
Coq. in ana. V. & ▽ ferratæ: ad ℔ß.
Colat. adde succi plantag. polygon. ana. ℥i.
mell. rosat. ℥ß.

M. &

M. & injiciantur pro detersione & cicatrisatione: sin potentius detersivum requiratur, Vir. Aer. parum v.g. ℥ß. ad ℥i. addi, & repetita colaturâ adhiberi poterit.

CLASS. V.

Inunctiones varias comprehendit.

§. I.

ULtima Classis generalis præscriptionum usitatarum externa saltem subministrat, illa, quæ inunguntur, & unguinosa ac glutinosa consistentia partibus externis adhærent: paucissima enim talia sunt, quorum internus etiam sit usus, ut Ungu. rubr. potabil. ballamus Fœniculi *Horstii obs. l. 2. obs. 42. p. 109. & l. XI. obs. 22. p. 558.* Sed hæc particularia & planè singularia nos non remorantur: *Basin* & *Constitutivum* omnium externarum inunctionum, ferè ♁ & Cera constituunt: illi cujus 3plex alias nota est differentia, analoga sive congenera, & plus minus miscibilia censentur butyrum, pinguedo, medulla, axungia, sevum, fella, resinæ molliores, sapones, utpote facili △e liquabilia, & ♁ instar applicabilia. Ceræ v. accensentur colophonia, resinæ spissiores, gummata, quorum plura amphibia videntur, dum & in △ & ▽ vivunt, s. ♁sis ac ▽osis menstruis solubilia existunt, quod ex mistione duplicis substantiæ gummosæ, cum incluso copioso nucleo resinoso accidit, tamen ob consistentiam, & proprietates respectu △ & nostri ad ceram referuntur, non secus ac aliæ resinæ spissæ, ut pix quævis &c. Therebinthina medio intercedit loco, & præter hoc quod ob vires suas egregias, ob quas merito balsamum Europœum s. septentrionale audit, polychresta sit, utrisque & ♁sis & cereis subjectis sociabile existit: adeò ut gummatis, & reliquis uniendis optimè inserviat: ut taceam, resinam hanc, & copiosum subministrare ♁, ceram duriusculam, & quasi piceam pariter suggerere: vinculi ergò instar, hæc interdum considerari, interdum, ubi ingredientis primarii vice defungitur, ad ♁a referri debet. Ordinaria & potiora hæc inunctionum sunt ingredientia, quibus extra ordinem, non raro penitus supervacaneè alia adduntur, ut pulveres varii, primariò metallici & minerales, hinc & vegetabilium, quin & succi vegetabilium, (quo & ✠ pertinet) tamdiu ob ▽ei cum ♁so incompatibilitatem, coquendi, donec quicquid fuerit aquei, exhalaverit. Denique & mel, concretum, ob particularem texturam, respectu hactenus recensitorum, sui generis, ♁sum in recessu, aquosum tamen & gummosum in superficie, ob id vegetabilium succis optimè sociabile. Mucilagines denique Vegetabilium quorundam, quæ & butyro animalium, adeoque ♁ vegetabilium hoc in passu analoga ferè habentur. Miscentur hæc ingredientia, vel sine vel cum igne: Sine igne simpliciter

per

per tritum, species cum ol. in mortario subigendo, sensim ol. affundendo, & ita tritum continuando, donec debitam consistentiam acquisiverint, quod nutritum alias dicitur: & in Empl. Tria Pharmaco Mesue locum invenit: cum igne, ol. & ceræ invicem liquatis alia addendo, miscendo, interdum etiam ubi opus est colando: cujus exempla passim prostant.

§. 2. Prout jam variat ingredientium horum proportio, etiam coalescens inde variat inunctio: Dum enim 🝆sa sola, aut cum illorum ℥i. ceræ ʒi. pulverum ʒß, miscentur, *Linimentum* dicitur: dum vero 2plum modo dictorum ad ℥i. 🝆sorum sumitur, *Unguentum* appellant. Ex opposito ubi Ceræ est præeminentia, ita ut Ceræ ℥i ß, 🝆 ℥i, pulveris ℥ i ß ad ℥ii coëant, *Ceratum* audit: sin v. Ceræ & 🝆 ana. ℥i. pulv. ℥ß. in genere misceantur, *Emplastrum* habebitur, cui tantum non omni therebinthina, proportione moderata solet addi: quod si emplastro liquefacto immergatur linteum, cujuscunque figuræ, ita ut utrinque eodem obducatur, *Spanadrapum* dicitur. Uno nomine, magna hic, de re exili, fabula: promte enim ex Unguento Linimentum, ex utroque additione Ceræ, Ceratum, hinc cum therebinthina emplastrum, & ex hoc per copiam olei unguentum fieri potest. Quod si pix baseos locum occupet in Emplastro, egregiè hinc penetrante & resolvente, *Picatio*, it. *Dropax* appellatur.

§. 3. Linimenta facilimæ sunt præscriptionis, quæ si ex ol. fiant destillatis, conveniente corpore exceptis, (alias acrimonia sua pruritum, pustulas, ardorem excitant) quod usitatius est oleum nucistæ expressum, balsami magistrales vocantur, ad officinalium differentiam, quæ fere olea destillata composita esse solent.

Linimentum s. Balsamum Stomachale.

℞. Ol. destill. juniper. ʒi. menth. ʒß.
macis, caryophyll. ana. ℈ß.
cinamon. gutt. v.
c. s. q. ol. nucist. express. F. Balsamus.
D. S. Magen Balsam.

Inungitur sine alio apparatu regioni ventriculi, præsertim isti, quam scorbiculum cordis vulgo appellant & latere probe calefacto desuper imposito, vis penetrativa oleorum destillatorum animatur, ut eò citius & potentius interiora versus penetrent. Non est particularum volatilium harum interior penetratio de nihilo. Memini aliquando, ex tali balsamo applicato, ob crebriorem vomitum, ægrum à me interrogatum, cujus qualitatis & saporis sint ista rejecta, respondisse, percipere se in iisdem eundem saporem, qualem odorem ex Linimento applicato, alias perciperet.

Lini-

Linimentum contra gravedinem & narium obstructionem.

℞. Ol. irini. Nicotian. ana ℥i.
nigell. per express. ʒß.
destill. majoran. anis. ana. gutt. ii.
M. F. Linimentum. D. S. Eröffnend Sälblein zur Nasen.
Quo nares crebrius internè inungantur. olea, quandocunque absolute præscribuntur, per infus. aut decoct. intelliguntur.

Linimentum contra dolorem Pleuriticum.

℞. Pingued. murment. ʒß.
liquefact. adde
oleum chamill. ℥ii.
absinth. ℥i.
destill. cumin. ʒß.
croci. ℈i. camphor. ℈ß.
M. F. Linim. D. S. Linderend Sälblein.

Litus Carminativus.

℞. Ol. chamomill. anethi. ana. ℥ii.
destill. chamomill. anis. carvi, lauri. ana. ℈i.
c. s. q. ol. nucist. express. F. *Balsamus:* vel
c. s. q. ceræ: aut Empl. de bacc. laur. F. *Unguentum.*
quibus si addatur gumm. Tacamah. c. s. q. thereb. malaxata, F. *Emplastrum.* D.
Non rarum est unguenta recipi officinalia, & additione olei appropriati, aliorumve, redigi in linimenta.

Linimentum somniferum.

℞. Ol. express. papav. alb. ℥ii.
hyoscyam: ʒß.
M. D. S. Euserlich Oel zum Schlaff.
vel c. s. q. Ungu. alabastrin. ℥iii.
F. Unguentem D. S. Schlaff Sälblein.

Linimentum in dolore Nephritico.

℞. Ungu. de althea. ℥iß.
ol. lil. albor.
amygd. dulc. ana. ʒß.
scorpion. ℥iii.
petrol. alb. ℥iß.
ol. dest. juniper. ʒß.
M. F. Linim. D. S. Stillend Sälblein.

Interdum alia, modo sub mistione debitam consistentiam acquirant, in Linimenti formâ præscribuntur.

Linimentum ad pediculos.

℞. pulv. Coccul. de Levante.
vel
rad. gentian. ʒiß.
helleb. alb. ʒß.
c. s.q. ol. nicotian. F.
Linimentum. Irrorentur sub mistione aliquot gutt. ol. destill. spicæ.
F. Linim. D. S.

Sälblein gegen das Ungezieffer.

Linimentum contra Lumbricos.

℞. Aloës hepat. ʒii.
myrrhæ. el. ʒß. ad ℈ii.
c. s. q. fell. tauri subacta D. S.

Wurm Sälblein.

Frustulæ vesicæ bubulæ l. suillæ, palmæ magnitud. superinducitur, & ita umbilico applicatur: relinquendo quandiu adhæret.

Contra Odontalgiam & junctam Hemicraniam.

℞. Theriac. Androm. Tacamah. c. 4ta sui parte balsam. peruvian. malax. ana. ℥ß. D S.

Stillendes Sälblein.

Inducitur in mediocri consist: super linteum & applicatur universæ malæ dolenti: quod si phlogosis quasi erysipelacea adsit, omissa Tacamah. ⊖ absinth. ad ℥i. c. Theriac. ℥ß. vel ʒvi. subigi & ita admoveri possunt.

§. 4. Unguenta quod attinet præscribendi modum, cum hæc majoris subinde sint apparatus, ac tardius ob id perficiantur, ordinariò ferè unguentum quoddam officinale recipitur, & aliorum additione proportionatâ, affectui conveniens redditur:

Unguent. contra scabiem expertum.

℞. Ungu. Enulat. ℥i. fl. ♀. ʒii. ⊖ tart. ʒi.
c. s. q. ol. nicotian. F. Uuguent. D. S.

Reinigend Sälblein.

Quod si loco ♀is, & sociandi ipsi semper alcalisati recipiatur ☿ dulc. ʒi. ad ʒii. iisdem & longe pluribus usibus, in affectibus cutaneis hoc ipsum inserviet. Utrinque saltem articulationi crurum, circa genua & poplitem, ac brachiorum,

circa

circa cubitum & carpum, in graviori malo, etiam circa digitorum interstitia illinitur; idque saltem vesperi sub introitu lecti, partes à frigore benè muniendo, manè v. manum ⊡â calidâ abluendo.

Unguent. in dolore capitum febrili.

℞. Unguent. alabastrin. ℥iii.
Philon. Rom. ℥ß.
ol. nucist. expreſſ: gr. IX.
M. F. Ungu. D. S.
Sälblein zum Schläffen.

Ungu. contra scorbutum oris, aut cognata symptom.

℞. Pulv. rad. bistort.
fl. balaust.
rof. arbor. ana. ℥i.
myrrhæ. el.
O ust. ana. ℈i. ad ℥ß.
mell. rosat. q. s.

Melli ad ignem liquefacto calenti inspergantur sensim pulveres, M. F. Unguent. illinuntur gingivæ hoc ipso bis l. ter de die præsertim à pastu, deinde Vino rubro, vel alio simplici abluantur. Imo mel solum depuratum aut rosat. c. ⏜ ⊖ ad sufficientem acorem tinctum, ceu optimum Linimentum laudatur. vid. Deckers. comm. in Barbette l. 3. c. 3. p. 156. ubi de scorb: elegans ibi Linimentum contra scorbutum oris: Sicut ipse Barbette. l. 3. Chir. c. 6. elegans unguentum magistrale per frixionem in butyro contra ambusta describit.

§. 5. Emplastrorum par ferè, ac Unguentorum est ratio: Ob laboriosiorem apparatum Officinalia recipiuntur, & vel sola, vel additis aliis ingredientibus, oleo ⊕ vel liquore simili, ut eò commodius alutæ vel linteo crasso (Parchend) superinducantur, malaxata, in sua *massâ*, pro repetito usu præscribuntur, vel certâ sub *figurâ*, aut *notâ*, ex partis affectæ ratione, aut *ignotâ*, cujus Archetypus in charta simul transmittitur, ad cujus imitationem alutæ inducenda. Ipsum Emplastrum vel cuti *immediatè* applicatur, pro meliori odoris medicati penetratione & operatione, vel *mediatè*, idque *nunc* in delicatioribus, quibus unguinum cuti adhæsio molesta est, *nunc* in *neutris*, & quibus pruritus, pustulæ, excoriatio, phlogosis &c. per emplastra, præsertim quæ gummata copiosius recipiunt excitatur; Sin *posterius*, syndone obducenda præcipiuntur, si v. *prius*, absque syndone; Mihi ferè media placet via, ut saltem circa margi-

nem, ad latitudinem digiti transversi syndo assuatur, uti ita intentioni Medici therapeuticæ, & Cosmetices ægri studio satisfiat: ut ut supra allegata incommoda minus hoc modo evitari queant, minus tamen defluere hoc modo molliora emplastra à partibus, & facilius separari, quæ tenacius adhærent, solent. Calidis postmodum linteis vel lateribus operatio promoveatur.

Emplastrum stomachale.

♃. Empl. stomach. Craton.
gumm. tacamah. ana. q. s.
malax: c. s. q. ol. stomachal. Crat. inducantur super alutam, fiat scutum stomachale in formâ usit: absque syndone: irroretur ol. destill. menthæ D. S.

Magen Pflaster.

Contra Cardialgiam, Emplastr. Magistr. & ob id simplicius.

♃. Gumm. Tacamahac. vel Carennæ: ℥iß. l. q. s. l. part. iii.
bals. peruvian. ℥ß. l. part. i.
malaxata probè inducantur super alutam. F.
Scutum stomachal: obduc. syndone rubr.
D. S.

Zertheilend Pflaster.

Emplastrum ad passionem hystericam.

♃. Empl. matric. de galban. usit. p. ii. s. ℥i.
gumm. galban. in ✠ solut. p. i. s. ℥ß.
malax. c. s. oleum castorei, inducantur super alutam F. Emplastr. rotund. in forma orbis medii vel paulo amplius, absque syndone; irroretur ol. destill. succini. D. S.

Mutter Pflaster.

Aliud magistrale.

♃. Gumm. galban. in V. l. ✠ ad pulr.
consist. liquef. q. s. l. ℥ iß
extract. castorei.
croci. ana. ʒii.
ol. destill. succini.
spicæ. ana. ʒi.
M. in consist. Emplastri induc. super alutam. &c.

Em-

Emplastra pro Splene, dolente, tumido. &c.

℞. Empl. splenetic. us.
de Ran. cum duplic. ☿ ana. q. s.
malax. c. s. q. ol. destil. succini aut galban Paracels. inducatur super alutam F. Empl. in forma pro splene usitata absque syndone. D. S.

Miltz-Pflaster.

℞. Empl. de Ran. cum ☿ dupl. ℥j.
gumm. ammon. cum acet. ad pult. consist. red. ʒß.
Opii in acet. sol & inspiss. ʒß.
Malax. c. s. q. ol. destil. juniperi vel Philosophor: F. Emplastrum &c.

Emplastrum ♄ninum pro usu externo vario.

℞. Minii vel ♄ni calcinati q. v. ebulliat in s. q. ✳ quod calidum ita misceatur cum ol. amygdal. d. l. rapar. l. lini recent. continuò agitando, & nutritu benè miscendo: F. Unguentum (addendo circa finem camphor. cum ol. simili subacta. q. s.) cum cerâ v. unâ liquefacta. Emplastrum.

Aliud, rudiori Minerva elaboratum, sed usu præstans.

℞. Mini, ceruss. acet. vini, ol. comm. ana q. v. mista invicem stent aliquandiu in digestione crebrius agitando, tandum calore aucto sub continuâ agitatione, in emplastr. consist. inspissando, & dum liquidum adhuc erit à crassamento superfluo in fundo removendo.

Emplastrum ex Pice seu Dropax, contra dolo- Ischiadicum.

℞. picis naval. ℥ij. therebinth. ʒij. liquefactis & ubi opus fuerit adhuc cum ol. chamomill. q. s. subactis, adde successive inspergendo & benè agitando
pulv. succini mastich. ana, ʒj. fl. 🜔. ʒii.
M. inducantur super alutam aut linteum crassum in forma quadrata oblongâ: vel, in formâ transmissâ: absque syndone. D. S.

Zertheilend Pflaster.

Egregium in Ischiade, ut & in doloribus circa os sacrum, ac Ischium, ex nimia onerum gestatione, aut simili causa externâ internum partium nexum plus minus lædente, natis, præscriptum ad Imitat: Poterii, Cent. 2. c. 13. & c. 58.

§. 6. Equidem hæc ita pauca satis esse videntur, quoniam verò vix ulla in compositione plures errores committi videntur, quam harum inunctionum, pauca quædam adjicere allubescit. Usus omnium harum inunctionum, ceu Topici saltem remedii, adeoque particulari tantum cujusdam privatæ usui destinati in genere triplex esse videtur: 1. Robur partis Vitale, in spiritu insito fundatum, vi quasi balsamica firmare & roborare. Ab illo enim efficienter, ut nutritionis medio, partis conservatio ita & restitutio, unde vulnerum ulcerum, fracturarum, plurium tumorum curationes. Nil vero magis huic inimicum est, quam transpiratio prohibita, undecunque oriunda hac enim ipsius tertiæ digestionis sordes principaliter evacuantur, quibus retentis, œconomia partis turbatur, spirituum motus sufflaminatur, tandem ipsis quasi suffocatis, gangrœna inducitur. 2. Robur partis: animale in *Eutonia* Fibrarum, mediante spiritu influo conservare, quin imò, *relaxatam* illam, roborare, & appropriatis humiditatem lymphatico-serosam discutere & absumere: nunc *contractam* blande lenire, & quasi rigidiores fibras emollire, & denique *vitiatam* in dolore, cui semper aliquid spasmodici plus minus solet esse junctum, demulcere, & spirituum sedato, undecunque nato Orgasmo, in naturalem tonum restituere: unde emollientia & anodyna, sæpius solent esse reciproca. Rarum est, quod irritetur tonus fibrarum acrioribus, unde ex illarum strictura & pororum contractura modificato contentorum motu, effectus attractionis, rubificationis, vesicationis &c. ferè insequi solent. 3. Heterogeneum illud, aut p.n. topicorum affectuum occasionalem causam, corrigere & alterare, sive temperare & coquere, hinc & plus minus removere per illa, quæ humectare, resolvere, attenuare, maturare, suppurare &c. dicuntur: in quo puncto, acidum quæ corrigunt, & hinc viscidum resolvunt ac attenuant, tantum non primatum obtinent.

§. 7. Quibus præsuppositis, 2. in legitimâ inunctionum, si non omnium, saltem usitatiorum compositione, & præscriptione, observanda moneo. 1. ut ex Volatili sive facilè resolubili constent materiæ: 2. nihil iis admisceatur, quod nequeat per totum homogenealiter resolvi, id quod *Helmont.* imprimis inculcat: *Pharmac. & dispens. modern.* §. 57. Prius quod attinet, agunt in nos inunctiones vel mediate, vel immediatè: ibi odorum instar penetrantium, hic contactu suo corporali: ibi in affectibus externis vel internis, sed profundius radicatis: hic in externis. Hinc enim passim pro ventriculi &c. malis, ol. destil. recipere consuetum est, cum externa in inflammatione, ♄num quoddam emplastrum, aut pulv. ex Creta ♄no &c. ut in Erysipelate inspersus, magis in usu sint. De prioribus E. ut imprimis intelligendum axioma, tamen & in posteriori quantum possibile observandum. Siquidem cujuscunque intentionis gratia applicantur inunctiones, semper pororum occlusio præcavenda, qua superveniente necessario Oeconomia vitalis partis privata turbatur.

Ergò

Ergò vitanda ſunt nimis, unctuoſa, viſcoſa, glutinoſa, tenacia quæ poros oblinunt & pertinaciter infarciunt, unde præter modo inſinuata incommoda, partim ipſa agere interius aut operari quicquam nequeant, partim juncta alia impediunt. E contra, quæ ſubtiliora ſunt, penetrantia magis, & ita poros potius aperientia, præter hoc, quod nullum nocumentum parti inferant, ſaltem in faciendo ſuo officio, & ſpeciatim alteranda causâ occaſionali erunt optima. *Burrho* ſane hæc debetur laus ſecundum *Borrichium ad Bartolin. Cent. 3. Epiſt. hujus epiſt. 89. pag. 387. omnia ipſius Emplaſtra ex volatili materiâ conſtare, adeò, ut unguentum pridie illitum poſtridiè vix appareat usquam: damnatque medicos, quod craſſa illa corpora in emplaſtri formas compingant, quæ pororum anguſtias in ægris nequeant ſubire.* Ac ſane notabile eſt hoc ipſum in affectibus talibus, in quibus minus locum habere hic modus externorum remediorum videri queat, nempè in Hernia inteſtinali, tamen proficuum perquam obſervatum fuiſſe: *Riverius.* obſ. commun. prope finem obſ. 14. p. 371. Modi Unguentorum ex reſolubilibus adeò, ac tantum non volatilibus componendorum forſan varii inveniri poſſint, modo conſideremus, glutinoſum, ac viſcoſum, ac quod tenax ſimul hinc exiſtere ſolet, materialiter ex acido & pingui, illo agente, hoc patiente, ſub determinata formali texturâ coaleſcere: unde modo corrigatur acidum, citra fixationem, oleoſum ſeu pingue eo ipſo ſimul reſolubilius, diffuſibilius, & cujusvis acris potentius temperativum, effective refrigerans evadet. Ob hanc cauſam, pluribus in Ungu. & Empl. butyrum recens non ſalitum, oleo expreſſo, præſertim olivarum communi longè præferendum puto, præ hoc enim illud eſt tenerius, minus acido occulto concentratum, adeoque minus viſcidum, promtius penetrat, citius diſcutitur, magis eſt temperativum, præſertim ⊖ ſi, & potentius alterativum. *Scopus* ergo iſte, Unguina talia reſolubilia præparandi, variis forſan modis obtineri poſſit: ſuggeſſit jam quendam *Deckers Comment. in Barb. tt. Prax. l. 2. c. 2. p. 59.* Alius ulteriori ſcrutinio dignus, fit cum therebinthina pura, cum ⊖ ibus vol. ⊡ oſ. in ſ. q. ▽ deſtil. ſolut. aut cum ſpir. ⊖ ✳ ci, in mortario trituræ ope benè miſcendo, coëunt mutuo in craſſamentum album, moderatè ſpiſſum, ita ut emplaſtri modo induci poſſit, quod cuti admotum, promte vim ſuam, citra inſigniorem remanentiam exercebit, & additione oleo deſtillat. non adeo acrium ulterius determinari poterit: tentaminis ergo, in pleuritide notha, cuidam graviter affecto præſcripſi, ℞. ⊖ vol. ⊡ ℥iij. ſolve in ſ. q. ▽ deſtillatæ therebinthinæ ℥j. miſceantur in mortariolo lapideo ſucceſſive, celerius tamen paulo ſolutionem affundendo, & concitatiori tritu ſubigendo; adde (pro meliori ſaltem ſub tentaminis primi auſpicii, ſucceſſu) Empl. de melilot. parum; q. ſ. pro conſiſt. emplaſtr. applicetur; idque factum ſucceſſu non contemnendo. Facere huc quoque videtur ▽ ♆æ cum ol. roſato, quæ ambo ritè miſta, coëunt in conſiſtentiam butyri. ad ambuſta præſer-

præſertim, vulnera, ulcera &c. egregii: cujus applicati veſtigia pariter nulla ſunt conſpicua: huic pro aliis uſibus etiam ſacch. ♄ni aliquantulum addi, & inſpergendo ſub tritu in mortario uniri poteſt, v. g. ▽♆æ. ℥j. oleum roſat ℥iß. ſacch. ♄ni. ʒi, M. ♄no licet obſcuris ſuis veſtigiis ſe prodente. Sed aliis alios hæc perſequendi modos relinquamus.

§. 8. Alterum quod attinet axioma, ſanè in genere, quæ *vel miſceri nequeunt*, ut ▽oſa & oleoſa, vel quæ miſta *ſe invicem obtundunt* ut pulveres varii, Cera ac ol. inviſcati, fruſtra omninò compinguntur, cum vires debitas exſerere nequeant. Officinalia E. Unguina, aut paſſim à Practicis uſitata, quanta egent correctione? Unde & non rarò ſimplicia quædam, & à Ruſticis plebeisve levi artificio conflata unguenta ſubinde artificioſiſſimè compoſitis & ſelectis officinalibus præſtant. Sanè ol. ex vegetabilium Decoctione & infuſ. parum valent, cum de gummoſa horum ſubſtantiâ nil, de aromaticâ reſinosâ in illa quaſi concentrata, parum capiant. Pulveres vegetabilium ac mineralium, oleoſis pinguibus, & glutinoſis inviſcata, parum vel nil omninò præſtant, adeo ut plures tales compoſitiones de *Nihili* dicendæ forent: cum econtra, ſub libertate ſua inſperſi, inflammat: eryſipel: cuti exulceratæ, quæ Emplaſtr. ferre nequit, ulceribus manantibus & ſimilibus affectibus externis, ſuũ quod eſt faciunt, ut v. g. de lap. calamin: lacte Lunæ, creta. C. C. uſt. nuc. moſch. aloë &c: notum eſt, quæ incarcerata ſqualent ſine uſu: ſimili ferè modo, ac farinæ Vegetabilium, fotuum aut Cataplaſmatum ſub forma ſubinde proficuæ exiſtunt, quæ ol. ceraque ſuſceptæ, inermes redduntur. Unde & omnes inunctiones, quæ adſtringendi, firmandi, exſiccandi &c. ſcopo, in herniis, imminente abortu, prolapſu uteri, ulceribus &c. applicantur, ceu contradictoria rejicienda: pulveres ſtyptici inviſcati ſunt fruſtranei, aut ſaltem ad extimam cutis ſuperficiem ſphœra activitatis eorum terminatur: pinguibus interea calore actuatis, fibrarum, etiam profundius ſitarum reſolutione ac emollitione contrarium intentioni Medici operantibus. Obſervarunt hoc jam plures, & quæ mutua ſolutionis actione in ſe agere plus minus, & ſe invicem unire, & ita citra impedimentum operari mutuò poſſunt, inunctionum in formam univerunt. Singulare quid ♄nus hic obtinet, qui 4ta Chirurgiæ hodiernæ videtur columna, quod vel in ſe ſolus, vel ✠ ſubactus promtè cum acido olei cujusvis, intercedente præſertim coctione coëat, ac ita emplaſtra polychreſta conſtituat, dum ipſum in ſe atroſum quidẽ, ſed nondum ſaturatum acido ſuo compari, acidi p. n. tumorum, vulnerum, & ulcerũ patratoris peſſimi, potentioris ſpicula recipit & ſecum retinet, dum pingues & oleoſæ particulæ, à concentrante in viſcidum acido liberatæ nonnihil, magis alcalinæ fiunt, & reſolubiles, magisq; penetrativæ & temperativæ. Ex quo fundamento, tanta ♄ninorum emplaſtrorum & compoſitio & varietas plus minus concinna enata fuit. Quæ tamen, vel obiter ſaltem, cum præparationem ferè magis officinalem, quam præſcriptionem magiſtralem ſapiant, ceu à ſcopo noſtro aliena, inſinuaſſe ſufficiat.

PARVA

PARVA MAGNORUM MORBORUM INITIA.

EXORDIUM.

§. 1.

EA est Almæ Matris, Naturæ, consuetudo atque Lex quasi connata, ut per minima initia gradu successivo magnos moliatur atque producat effectus. Luculentur hoc ipsa ostendit in seminibus, parvis sanè magnarum generationum fundamentis. Quantilla hæc, quæso, corpuscula, si cum Mole ex iisdem succrescente conferantur? Intuere, Lector Benevole, Plantarum semina, κατ᾽ ἐξοχὴν cum Accuratioribus sic dicenda, quæ sat profectò sunt exigua, etiam cum externis, quæ communiter iis accensentur, considerata involucris; cum tamen, seminis quod propriè meretur nomen & in Gemmula saltem continetur, quæ albæ instar lenticulæ in summitate ipsorum apparet, longè minimam, & computo plurium, vix 2800 capsulæ illius constituat partem, referente *Bekio in experimentis circa naturalia rerum principia pag. 264.* *Quemadmodum ex minimis initiis oriuntur 1. Plantæ*

§. 2. Hanc enim solam pro vero semine habendam, varia commonstrant. Primò namque annotante jam *Harvæo de Generat. Animal. Exerc. 51. p. 233.*, læsa eâdem vel deficiente, reliquum quod est Corpusculi illicò sterilescens, quacunque ratione tractetur, nullo modo ad germinationem deduci potest: quemadmodum hoc in Pisis experimento domestico ipsemet didici, illis, quæ gemmulâ gaudebant integrâ, vel ex sola aqua, manuductore *Helmontio*, feliciter propullulantibus, fatiscentibus contrà, quibus spem illam sobolis vel inclementia Naturæ negaverat, vel manus curiosa violaverat. Accedit hisce alterum, non exigui ponderis argumentum, quod in gemmula illa sive Medullâ sub cortice reliquo contentâ, integræ jam Plantæ Conformatio, mirando Naturæ in Minimis artificio! actu delitescat, ostendente hoc *Josepho de Aromatariis*, tùm *Epistolâ de Generat. Plantar.* tum oculato Teste, *Guilielmo Harvæo*, ceu ipse hic, *in Exerc. XI. p. 92. C. L.* de seminis Jaseoli tali configuratione ab Aromatario Venetiis sibi ostensâ, ultrò fatetur.

§. 3. Simile quid à Botanico Amstelodamensi in Tulipæ bulbo sibi ad oculum demostratum, *Excellentiss. Dn. D. Bohn, Anatom. & Chirurg. in hac Alma Professor longè Meritissimus, judiciosissimus, Præceptor atque Patronus devotiori cultu suspiciendus.* Ipsum hoc multiplicatâ & universali magis Experientiâ confirmant, oculo armato potissimum edocti, *Borellus in Obs. Microcospicis obs.* 17. ubi ἐγχείρησιν etiam subnectit; Oculatissimus etiam *Malpigius* primùm *in Epistola*, ac ipso nunc edito *Opere Anatom. Plantar.* nec subticendus tandem *D. Grevv. in the Anatomy of Vegetables.* Quorum inprimis Malpigius stupendâ industriâ ac perspicitate in omni ferè Vegetabilium genere non solum integram Plantæ in semine configurationem sive Ideam, Radicis, Trunci & Foliorum binorum delineatione utplurimum conspicuam, detegit atque delineat, sed & secundinas atque colliquamentum, sub cortice eorum contenta, deprehendit, non dispari ratione, ac in Animalium conceptibus videre licet, sicque vetus illud Empedoclis & posthac Harvæi dogma, Plantarum semina Ova esse, ab iisdem decidua, non omni probabilitate analogicâ destitui, luculenter confirmavit.

§. 4. Gemmula hæcce in istis Seminibus, quæ ratione molis sensui nudo adhuc proportionatæ sub conspectu omnium facilè cadunt, si minutæ adeò quantitatis est, quantilla erit in minutissimis illarum Plantarum Seminibus, quæ non paucis propter exilitatem sine prorsus semine oriri videntur? Quibus tamen contrarium evidenter ostendit per αὐτοψίαν in dorso Plantarum Capillarium *Borellus C.L. observ.* 8. & *Jungius in Doxoscop. Phys. P.2. S.3 Tragm.* 4. *C.*4. qui non solùm, nullam Plantam sine semine oriri, sed & semina, quod magis mirandum, quò minora, eò fertiliora esse, egregiè docet.

2. Animalia quæcunque, ac imprimis ipse Homo.

§. 5. Ad Semina Plantarum & exilitate principii fæcundi, & huic inexistente jam conformatione analogâ, proximè accedunt Ovula fæcundata Animalium, Oviparorum pariter ac Viviparorum conceptus constituentia, qui demum rectè ab *Aristot. de Gener. Animal. L.1.c.1. & Harvæo C.L. Exercitat* 63., Animalium ac futuri fœtus Semina dicuntur, ac differentiam Genituræ utriusque tàm Maris, quàm Fœminæ, separatim adhuc existentis.

§. 6. Ab Ovo, quod dicunt, principium Originis elementale, aut partem minimùm ratione ortus primariam, in conceptu Animalium perquirentes Curiosi, in ipso Ovo ac parva hujus Nebecula sive Cicatricula, Gemmulæ in semine Plantarum correspondente, Animal integrè

integrè jam conformatum ferè, secundinis atque eolliquamento nutritio de reliquo circumdatum, cum *Malpigio* (*in Epist. Form. Pulli in Ovo.*) mirari necesse habuerunt; ita ut in Ovo Gallinaceo, nondum etiam incubato, *Theodorus Aldes* (*in Obs. in Ovis factis.*) Cicatriculam Circulos suos jam ostendentem, & *Græfius* (*in Defens. Part. Gential.*) omnes Pulli partes jam conspexerit; quod idem etiam Laudatus *de Aromatariis L. C.*

§. 7. Dicta partium verò conformatio successivè intuentium oculis, etiam nudis tunc, manifestior evadit in Ovo incubato, [observante hoc jam tum *Aristotele*, *Hieron. Fabricio*, *Volchero Coiter*, & omnium diligentissimè accuratissimeque Immortali *Harvæo L. C.*] dum scilicet à calore fovente Motor in Ovo Spiritus excitatus, motu suo ac liquoris ulteriore præparatione, ad partes circulatione, appositione, assimilationeque, stamina Corporis minuta magis evolvit, explicat, adauget, perficit, conspicuasque nonnullas citius reddit, prout naturali vel conformatione aut breviori exornatione majores, vel contentis coloratis ac evidentius intra eas commotis pleniores, quemadmodum *Le Grand. in Instit. Philos. P. 6. A. 2. & Velthusius de Generat. pag.* 247. annotat.

§. 8. Nec recensitam delineationem in Ovis Majorum inter Ovipara, ut ita loquar, Gentium reperire saltem licet, quin, & quod magis miraberis, in minutissimis insectorum, Aranearum puta, Formicarum, &, quæ mutuò ex se invicem generantur, Papilionum atque Bombycum ovulis eadem observant *Borellus Obs. Microcosp.* 20. & 34. nec non *Malpigius Tr. de Bombyce p.* 65.

§. 9. A Minoribus ad Majora, vulgo Philosophorum perfectiora, progredior Animalia, Vivipara scilicet. In his simili modo, ac in recensitis, rem se habere, ex modernorum, *Harvæi*, *Hornii*, *Græfii*, *Schvvammerdammii*, *Ruyschii &c.* ac quotidianis Anatomicorum observationibus, apparet. Ex Ovulo quippe, sive mavis, vesicula minutissima, liquore seminali plena, [quales in Testibus fœmininis præexistere solent, docente hoc Fallopio,] ab evibrato eò usque, in coitu fœcundo, spiritu Maris genitali fœcundata & per Tubas Fallopianas (Observatore *Græfio* in Brutis, *Ruyschio* in Homine) ad uterum propulsa, fit conceptus, initio satis minutus & puncto saltem saliente fœtum manifestans, reliquis hujus partibus, propter fluxilitatem, exilitatem atque quietem, vix omnibus adhuc conspicuis, quæ & ipsæ tamen brevissimè arctius connexæ & in majorem molem adauctæ, totum

Embryonis corpusculum egregiè exhibent, *Confer Harvæum Exercit.* 69. p. 444. 445. & alibi passim, *Kerkringium in Anthropogeniæ Ichnographia C. 2. & seq.* nec non *Græsium de Organ. Genital. Mulier. C.* 15.

§. 10. Adducta hactenus exilitatem primordii fœtûs passivi potissimùm spectarunt; activi moventis formantisque subtilitatem si meditatus fueris, divinior admiratio mentem subibit. Necessitatem hujus ac materialitatem inferiùs paulò probatum videbis, nunc saltem considera, quantillum ejus ad conceptum excitandum concurrat.

§. 11. Requiri Germen masculinum ad verum conceptum constituendum, omnes ultrò largiuntur, eò quod sine hoc nullus unquam talis contingat, nec proles sexûs virilis generari posset, nisi accederet aliquid ideam hujus possidens, quod in Muliere frustrà quæsiveris. *Vid. Bek. C. L. p.* 191. Semen autem hoc virile nec membranaceum Mulieris ovulum, quod fœcundum reddere debet, propter viscosam sui crassitiem penetrare, imò ne quidem ad illud usque sub crassiore istâ consistentiâ, semper & in omnibus Animalibus ascendere potest, v. g. in Gallinis propter anfractuosum Oviductum, item in imperforatis; qualem tamen puellam ex solo Hastæ Virilis (ignosces autem, quòd Naturæ ductu apertiùs scribam, cum Castis mihi res est) affrictæ concepisse *apud Græsium l. c.* legimus, ubi sanè præterquam Spiritus, nihil aliud adsurgere poterit.

§. 12. Sequitur ergò ex hisce, quod ratione alius cujusdam principii subtilissimi & exilissimi, spiritûs scilicet activi, facilè penetrantis, σπέρμα Viri saltem concurrat: quantillam verò hujus esse poterit in modica adeò seminis fœcundi quantitate, unico coitu ad plures fœtus nonnunquam sufficiente, excreta? Ut taceam, per experientiam nonnullos, ac doctâ cum aliis conjecturâ *Excellentissimum Dn. D. Barnerum, Inclyti Collegii Medici Augustani Adsessorem, Præceptorem devenerandum, in Collegio Physico*, quod semestri præterito sub eo habuimus, *sect.* 1. §. 18. docere, prævias saltem seminis masculini guttulas, quas sub primo eruptionis impetu altiùs ejaculari dicunt, vim hancce plasticam continere, reliquo, quod subsequitur, magmate seminali, extremitatem urethræ vix transcendente ac sine usu iterum diffluente. Sic ut non ineptè *Marcus Marci, in Philos. Veter. restitutâ P. 3. s. 8. Subsect.* 2. §. 10. dixerit: Tàm fœminæ (utpote cujus Spiritum genitalem suo modo & genere ad fœtum formandum quoque concurrere, non negamus) quàm Maris Genituræ portionem minorem, quam ut sensu percipiatur, ad conceptum sufficere.

§. 13. Ex

§. 13. Ex quibus ipsis, plus nimis longâ forsan serie adductis, abundè patet, quàm exigua sint Magnorum in Natura Productorum atque effectuum primordia. Nascitur ex tantillo seminis apice ingens Arbor, annosa quercus, lata expandens brachia, & producta quævis ex triplici Naturæ Regno altitudine facilè transcendens. Oritur ex Cicatricula, Milii semine minori, Gallus, Animal magnanime ac superbum, & ex tantillo spiritu gentiali hujus, unâ vice omnia, vel centena si essent, Gallinæ ovula fœcundantur, teste cum Harvæo experientiâ. Ex puncto prodit Homo, Magni hujus Mundi non minoris momenti Microcosmus. Ita ut exindè *Scaligeri* illud, dari inter minima maxima, &, quod *Harvæus* habet, Creatorem Omnipotentem ex minimis initiis maximum apparere voluisse, oppidò pateat.

§. 14. Tacitus hæcce, ac parvum imprimis mirandæ Hominis Machinæ exortum, mecum agitanti, ultrò deprehendi, quemadmodum ea à parvis suscitatur primordiis, ita exigua non minus initia destructionem ejus moliri, & vel ex tantillo primùm causæ morbificæ errato maximos ei accrescere morbos. In quæ ipsa penitiùs nonnihil inquirere, cùm haud parvæ videatur utilitatis, speciminis qualiscunque gratia pro Ingenii Modulo de iis agere constitui.

Ita & à parvis Morborum primordiis destructio ejus procedit.

TRACTATIO IPSA.

§. 1.

SUb initium verò statim annoto, me per tantillum Magnorum morborum initium intelligere Causas proximas eorum, tùm ratione molis, tùm subtilitatis admodum exiles, idque imprimis respectu Producti ac Morbi exindè succrescentis sat magni; quæ Magna voco intuitu improportionatæ partim coacervationis ac extensionis per plures corporis partes, partim longæ plus justo durationis, ac partim etiam periculositatis majoris, si cum tantilla sui causâ primitivâ conferantur.

§. 2. Rem ipsam si attentiùs paulò intueor, omnium tantùm non Morborum initia hujusmodi parva deprehendo. Proxima quippe formalis cujuscunque ferè morbi Causa ac ratio in spirituum vitiato consistit motu, ita ut horum etiam intuitu sublimiora saltem ac universalia vocata medicamenta plerosque morbos compescere, omnes uno ore consentiant. Cùm enim omnes ferè Morbi cum molesta quadam censatione videantur esse conjuncti, sensatio autem à spiritibus primariò fiat, manus enim spiritu absente non sentit, spiritus certè Morborum

Morborum Magnorum Causa exigua, ac I. Proxima formalis, spiritus nostri.

plerorumque, si non omnium causa immediatè ultima erunt, quæ, ut Morbum percipiamus, efficit.

§. 3. Idem proinde nobis (ut cum *Charletone in Oecon. Animal. Exerc. l.* loquar) inest & Vitæ principium & Mortis; nec à causis occasionalibus morbificis solummodò excitati spiritus nostri motores, morbos nobis intentant, quia & naturali suâ inquietudine ac avolandi conatu perenni corpora nostra successivo ætatum decursu ita atterunt atque immutant, donec ruinosam tandem ejus Machinam penitus conficiant atque exanimient.

§. 4. Quàm verò subtilia hæc sunt tantarum in corpore turbarum initia? Adeò ut exinde multi hodieque sint, qui earum existentiam, eò quòd in oculos non incurrant, penitùs in dubium vocare, alii autem ob easdem rationes materialitatem eorum negare non dubitant. Quibus proinde contrarium persuadere, dubiumque hoc pro virili declinare, pro meliore dictorum pariter ac dicendorum robore, omninò convenit.

§. 5. Falsa sanè in Naturalibus est Conclusio, quodcunque non videmus immediatè, illud non existit, nec Corporeum est. Ne quidem ab omnium sensuum negata à priori perceptione ad negationem existentiæ alicujus rei naturalis valet Consequentia; quemadmodum Laudatus supra *Excell. Dn. D. Bohn in Epistol. de insuffic. acid. & alcal. p.* 10. *&* 11. egregiè ostendit, idque exemplo imprimis particularum Mercurii vivi omnes sensus in quodam liquore, cui Mercurius prius fuerat infusus & iterum ablatus, effugientium, effectu tamen suo, quem à Mercurio liquor ille mutuaverat, dum æquè ac hic postmodum Vermes necaret, inexistentiam suam satis comprobantium. Optima sic & subtilissima quæque, conquerente *Sanligero de subtil. Exerc. cit.* 23. eludunt aut fallunt sensum.

§. 6. Rationem hujus rei reddere conatur *Tattinghof in Clav. Philos. Nat.* Non mirum esse, innuens, quod Corpora valdè minuta sentire nequeamus, cùm ipsi Corporis nostri nervi, qui tamen ab objectis pro sensu excitando moveri debent, à talibus verò, quæ iis ipsis minora sunt, moveri non possunt, non sint minutissimi, sed objectis ejusmodi subtilibus crassiores: undè & qui subtiliore nervorum texturâ, vel naturâ, ut Gynæcea, vel ex accidenti, ut atoniâ aliquali & fibrillarum in minores partes dilaceratione propter progressam aliquando læsionem affecti, gaudent, levissimum subtilioris objecti contactum, e. g. aëris exiguam mutationem, longè faciliùs ac citiùs aliis persentiunt, qualia exempla lectu non indigna vide apud *Illustrem à Boyle Tr. de Athmosphær. & Effluv. p. m.* 128. *& seq.*

§. 7.

§. 7. Hujus verò quicquid ſit, apparet ſanè ex adductis ſolos ſenſus externos Naturalium perceptioni & judicationi non ſemper æquè ſufficere, &, vel in ipſis experimentis ſenſibilibus, dum illud, quod quæritur, non ſemper in ſenſum externum incurrit (optimè hoc annotante, quanquam minus rectè applicante *Leichnero in Exerc. Anti Harvæan. de motu ſanguinis*) libero ſanoque Rationis judicio, quod cum experimento, cui ſuperſtruitur, rectè cohæreat, inſuper opus eſſe, junctâque horum operâ multa deprehendi poſſe, quæ neutri ſeparatim paterent.

§. 8. Omnibus proindè ſenſibus quod denegatum, multò minùs ſoli viſui conceſſum erit, adeoque nec illud ſtatim in dubium vocandum veniet, quod ab hoc non percipitur. *Primò* namque multa Majores noſtri non viderunt, quæ per utiliſſimum hodiè Inventum Microſcopii ac Teleſcopii detecta ſunt, ac proindè reverâ exſtitiſſe ſe, licet ab illis viſa non fuerint, teſtantur; qualia ſunt: Nova in Cœlo Sydera, Satellites Jovis; in Terrâ Corpora, Semina Plantarum ſine ſemine veteribus oriundarum, conformata jam integra proles in Seminibus, Plantulæ ex ſitu & mucidis Librorum maculis propullulantes, Corporum inflammabilium, Silicum, Sulphuris, Carbonum &c. particulæ minutiſſimæ inflammabiles ſub forma, punctulorum & linearum argentearum egregio ſpectaculo apparentes, Vermiculi in Aceto, Inſectorum minutiſſimorum partes diſtinctæ, pili, oculi, ſquamæ, pedes Teredinis; Dentes Aranearum, Muſcam oculorum pluralitate Argum inter inſecta repræſentantem Bombycis pulmones, Tracheæ &c. Ductus adipoſi in piſcium felle, Viſcerum Corporis noſtri artificioſa & intimior ſtructura anteà incognita, unguium venulæ, & quamplurima alia, de quibus videantur paſſim Authores, *Carthеſii Dioptrica, Borellus in Hiſtoria Conſpiciliorum & obſ. Microcoſp. Hookii Micrographia, Rohaulti Phyſica Capite de Elementis, & alii.*

§. 9. Deinde, quod alterum eſt, multa adhuc in rerum naturâ ſubtilia exiſtunt, quæ ſub noſtrum conſpectum vel prorſus nunquam, vel ſaltem ſub ſtatu disgregationis non cadunt. Aerem non videmus, exiſtere tamen eum, inter alia teſtatur Flamma Ellychnii, foribus in conclavi de ſubito apertis vel clauſis, hinc inde commota. Muſculos, Nervos in Teredine de qua paulò antè memini, etiam per microſcopium viſu aſſequi aut diſtinguere haud poſſumus, ex motu tamen corporis & pedum ejusdem, ſupponere hos omninò convenit, ſiquidem non ſolùm in Conſpectoribus Animalibus, ſed & inſectis nonnullis

nullis *Bombyce* &c. observante *Malpigio in Tr. de eodem*, illos adesse & motum partium organicum mediantibus his contingere, manifestò apparet; quidnî E. etiam in Teredine Natura eâdem analogiâ uteretur?

§. 10. Corporum electricorum succini, ♀ris, effluvia oculis nostris non apparent, testari tamen de eorum satis coagmentatâ evibratione videntur Corpora levissima, paleæ, Crines, minuta papyri segmenta, quæ, si frustum v. g. succini, pro excitando copiosiore & fortiore miasmatum egressu affrictione prius nonnihil calefactum, in proportionatâ distantiâ sub iis firmâ manu detineantur aliquandiu, ex loco, cui incumbunt, ad succinum usque elevantur & huic adhærent, dum priora succini effluvia propter alia, quæ continuo ac presso tramite insequuntur & subjectum Corpusculum leve arctius circumcirca cingunt, repercussa quasi iterum ascendere & paleam v. g. in medio cingentis reliquæ athmosphæræ simul secum sustollere, coguntur, quæ deinceps tàm diu succino adhæret, quàm diu, adæquatus effluviorum hujus effluxus durat. Vi Magnetis ferri attractivæ similem subesse causam & effluvia striata, hodiè perspicaciores Naturæ Consulti, *Carthesius, Boyle*, aliique non immeritò suspicantur.

§. 11. Porrò exhalationes spiritus ⊖ ✳ci & aliorum Corporum odoratorum sub visum non cadunt, optimè tamen naribus deprehenduntur. Nec est, quod ideò ad qualitates intentionales hîc confugiamus, cùm hodiè constet, nullam etiam ex his contingere absque subjecti (à quo qualitates cunctæ non nisi sola ratione & respectivè ad quintuplicem sensuum nostrorum differentiam differunt) materialium particularum emanatione; cum vel ipsi Peripathetici concedant necesse est, accidens, adeòque & qualitatem extra subjectum non posse subsistere. Alia quæ probant, effluvia hæcce, odorata materialia esse & experimenta statica eorum effluxum propter ponderis, quod inde percipitur, decrementum confirmantia, vide juxta *Boyleum de Effluviis*, inter ea, quæ infra de Odoribus atque Contagiis adducta sunt.

§. 12. Sub disgregationis statu visum, imò & reliquos sensus effugiunt multa, e. gr. Vapores & exhalationes ex Globo Terraqueo dum elevantur, quæ tamen, ubi in Nubes collecta, oculos nostros omninò feriunt, & reverà prius elevata se fuisse ostendunt. Simili modo effluvia vaporosa, quæ halitu Oris emittuntur, dùm disgregata v. g. tempore æstivo, non videmus, unita verò postmodum ubi fuerint, vel in speculo, vel extra hoc ab ore saltem dimissa ac fri-

ac frigore hyberno constricta, nobis apparent. Sic vice versâ varia Corpora, quæ, dum unita erant, sub visum cadebant, in invisibilem partium tenuitatem redigi possunt. Si ignis flamma in minutissimis atomis per aquam & aërem dispergitur, ut videri amplius non possit, annotante *Leichnero l.c.* Ac rectè *Scaliger, Exerc. 9. de Subtilit.* dicit, Carnem in veru non assari & tangi ab illo igne, quem videmus, sed ab ejus particulis discontinuatis magis, quæ non videntur. Ex quibus omnibus longâ serie adductis uno intuitu insimul quoque patet, subtilia & sensum nostrum effugientia non statim pro immaterialibus esse habenda.

§. 13. Dilutis igitur plenius remotisvè hisce dubiis, pergo potius ad positivam Spirituum demonstrationem. Motus, & per motum formari, actuari, vivificari atque produci Corpora ac Phænomena naturalia, oppido omnibus, vel ex sensu proprio interni in Corpore nostro Motoris, apparet, rectèque hoc à modernis Philosophis Corpuscularibus multis rationibus atque experimentis adstruitur. Movens E. aliquod, motum hunc producens, necessariò supponendum erit. Primum movens DEUM, Creatorem Omnipotentem, reverenter agnoscamus necesse est; sed & secundùm s. naturale ac mediatum, à DEO Vitâ, agilitate & potentiâ, se ipsum aliaque secum, juxta normam & ideam quasi adjunctam, movendi, vivificandi & conservandi, instructum, non immeritò cum *Helmontio. Tr. Blas. Hum.* §. 2. aliisque Philosophis ferè omnibus, supponimus; siquidem necessariò in Naturalibus tandem ad causam efficientem Physicam aliquam recurrendum est, nisi hodieque omnia, etiam ordinario cursu quæ fiunt, supernaturaliter contingere, &, juxta *Rohault. in Phys. P. I. C. 10. f.* singulis momentis miracula à DEO elicere velimus.

§. 14. Movens hocce naturale respectu tùm Corporis, quod actuat, tùm sensuum nostrorum, crassum quid esse nequit, partim sc. quia ratione Celeritatis summæ in quibusdam actionibus, e. g. voluntariis, quæ à crassiore fixioreque substantiâ tàm subitò fieri non possent, requiritur admodum subtile, mobile, volatile & activum, ut docet *Excell. Dn. Præses in Colleg. Institution.* partim etiam, quia oculis non patet. Nec est, quod sanguinem (cui in vegetabilibus liquor Leffas, in Mineralibus succus Butr. *Helmontii Tr. Element.* §. 13. respondere videtur) pro hoc obtrudat *Harvæus C. L. Exerc. 71. p. 469.* Non enim hunc, sed subtilius quiddam in eo latens Machinam nostram Corpoream, ipsumque etiam sanguinem, actuare, vel exindè con-

ſtat, quod hic in corpore demortuo etiam præſens ſit, nihilominus tamen ampliùs non moveatur, neceſſariò igitur principium motûs aliundè habebit, quô abſumtô vel deficiente, quieſcere emorique ipſum cum Machinâ, quam inhabitat, neceſſe eſt.

§. 15. Sed ut in viam redeam, movens hoc ſenſibus noſtris ſubtilius quid eſſe, cùm certum ſit, erit id vel immateriale, vel materiale. Immateriale eſſe nequit variis ex rationibus, ac *primò*, quia diviſibile, uti benè adducit *Willis de Anim. Brut. P.1.C.2.* Diviſibile illud deprehenditur non ſolùm in corpore integro vivente, *quia plures ac diverſos actus animales ſilum à diverſis Corporis membris ac partibus obiri cernimus, e.g. eodem inſtanti oculus videt, auris audit, nares olfaciunt, lingua guſtat, & membra quævis exteriora Tactus ſenſum & motum, exercent, ac interea viſcera quæq; & præcordia munia ſua exequuntur.* Neceſſe igitur, ut aliquæ ejus portiones ſingulis illis membris ac partibus ſimul inſint. Quin & in diſſectis partibus Animalium, quorum ſucci viſcoſiores ac ſpiritus minus diſſipabiles, Lumbricorum ſcil. Viperarum, Anguillarum &c. horum enim partes à toto diſſectæ ac ſegregatæ à ſe invicem per aliquod tempus adhuc moventur. Ac miranda vidi præteritâ Hyeme penes nobile quoddam Par amicorum Philiatrorum, quorum in Muſéo, dum cultro anatomico ſubjiceremus Canem partui viciniſſimam, diſſectis, poſt reliquorum examen, in Fœtibus quibusdam vaſis ſanguiferis nervisque majoribus, læſis vel etiam prorſus extractis Viſceribus plerisque ac imprimis corde, Truncum nihilominus reliquum, ita eviſceratum, longè etiam poſt horæ, ex quo hæc facta, ſpatium, motu conductorio adhuc convulſum, ſimiliterque Cor, à Corpore ſejunctum, motu convulſivo, tùm ſpontaneo, tùm irritatione Cultelli excitato, pluries tentatum, vidimus. Cui ſi ſubjungerem, quod Anno 73. Menſe Decembr. in Muſéo proprio, unà cum Amicis quibusdam Conjunctiſſimis, in ſciuro deprehendi, Cor ſcil. (poſtquam ultra horas 40. Animal jam eſſet defunctum) exſectum & intra digitorum pulpam à nobis detentum, aliqualem adhuc motum pulſatorium in profundiori centro edere viſum fuiſſe, fidem forſan tranſcendere videret.

§. 16. *Altera ratio* contra immaterialitatem moventis eſt, quod alterationibus ac morbis variis hoc ſit obnoxium, imo ipſi Morti, ut ſuperius probatum, quæ tandem illud planè deſtruit & aufert. Hæc vero ſaltem Materiæ, omnium conſenſu, competunt, minimè autem immateriali cuidam ſubſtantiæ, cùm non legamus ullibi, quæ immaterialia ſunt, e. g. Angelos bonos, vel etiam malos poſt

lapſum

lapſum proprium, deſtructioni obnoxia eſſe. Et ſanè, quod *tertium* eſt, ſi illud immateriale, adeoque, ex Decreto altiſſimi jam ſancito & exemplis modò adductis confirmato, indeſtructibile ſupponeretur, ipſæ Brutorum Animæ, quæ in ſolo eodem principio movente conſiſtunt, etiam eſſent indeſtructibiles ſicque immortales, quod abſurdum & ſacro Textui contrarium.

§. 17. Firmiter proindè concludere licet, movens illud eſſe materiale. Quid verò ſit, ardua magis eſt quæſtio; quantum tamen à poſteriori per certa fundamenta hariolari licet, etiam de eo videbimus. Ex ſupra adductis conſtat, eſſe illud admodum ſubtile, mobile, volatile & activum. Hinc factum, ut analogicè à Medicis ſpiritus fuerit dictum, quo nomine & nos illud impoſterum appellabimus. Conſideremus jam, qualianam inter res naturales corpuſcula ad hanc ſubtilitatem & activitatem proximè accedant, ut per ea ad penitiorem ſpirituum horum cognitionem ac definitionem pervenire poſſimus.

§. 18. Deprehendimus verò particulas ſalinas & oleoſ. ſ. ſulphureas (non craſſas illas, ſed in his latentes inſipidas Excell. Bohnii & quaſi ſeminales) omnium eſſe ſubtiliſſimas & maximè activas, hinc & ipſæ hæ tùm in Corporibus, quibus continentur, tùm ex iis arte eductæ & cum aeris vel proprii Corporis ſimul phlegmate unitæ, vocantur Spiritus. Activitatem atque ſubtilitatem ſuam probant exinde, quod ipſarum particulæ in continuo ferè ſint motu, & vaſe aperto continuò odorem ſui, in diſtans quoque, ſpargant, citra tamen alius ſenſûs perceptionem, imò brevi maximam partem avolent. Et ſanè quicquid in quocunque genere Mixtorum reperitur ſubtile activumque aut ⊖l aut ſulphur ejusmodi inſipidum, aut utrumque utplurimùm combinatum eſt. Ut taceam ſpiritus ⊖nos & ♀eos, quæ ex ſubjectis trium Regnorum igne miniſtro evocantur, ſubtilitate & activitate maximè eſſe penetrantes: quæ naturaliter etiam & ultrò ſubjecta illa exhibeant ſpirituoſa, ſaltem adducam.

§. 19. Odores, ex Plantarum Floribus exhalantes, activas harum eſſe partes, quis negaverit? Cùm & extra ſuum Corpus, quod antè inhabitabant, tantam oſtendant ſubtilitatem, activitatemque, quanta major ullius rei vix concipi poteſt. Sunt verò iidem nihil aliud, quam particulæ ſubtiliſſimæ ⊖no volatiles oleoſæ, ex oleo plantarum ſeminali fermentatione reſoluto aſcendentes, &, certâ ratione commotæ, nares noſtros eo modo afficientes, quem nos odorem vocamus. Oleo namque iſto Flores ſi privaveris, nullam amplius ſpirant fragrantiam. Sunt autem olea nihil aliud, quàm ⊖a volatilia cum pinguedine ♀reâ

ac ſeminali in orbem concentrata, docente hoc, præter experientiam Chymicam, eruditè Excell. Barnero in Prodromo ſuo Vindic. contra Bek. p. 20.

§. 20. Fœtores ex Animalium excrementis (ſit venia verbo & ad obſcena Tranſitui) recentibus imprimis exhalantes ad moleſtiam usque activi, ſubtiles, & pariter naturæ ⊖ no-🜍eæ ſunt, quod innoteſcere poteſt, ſi Alembico ſuſcipiantur, quod experimentum à Laudato Excell. Barnero in Collegio Chymico communicatum memini; & 🜍eum principium vel exinde ſatis eluceſcit, quod ardeant flammâ admotâ.

§. 21. Mineralia quod exhalant Gaſſ. Vaporem, in Metallifodinis ſubindè conſpicuum, ſatis activum ſe eſſe oſtendit, dùm adeò facilè & momentaneè homines interficit. Sulphureo, verò ⊖ num pariter & hoc eſſe, vix eget probatione. Imò levi affrictu ex Sulphure nativo prodit ejusmodi ſpiritus acido ſulphureus, odore nares noſtros notabiliter ſatis feriens, teſte Boyleo de effluv. & propriâ experientiâ.

§. 22. Quæ cum ita ſeſe habeant, non video, quò minus liceat nobis ſuſpicari probabiliter, Spiritus, Corporum internos Motores ejusdem cum dictis eſſe naturæ, & ſaltem magis ſubtiles, ſicque tandem juxta manuductionem *Collegii Phyſici Barneriani*, mutatis & additis paucis definire, quod ſpiritus hi ſint particulæ Mixti Viventis cujuscunque ſubtiliſſimæ ſalinæ & ſulphureæ, ſub debita ac non interrupta contiguitate ac quantitate, potentiâ motivâ, & operativâ ſecundùm Corporis, quod incolunt, proprietates & organiſationem à DEO inſtructæ.

§. 23. Atque ut in ſpecie hoc jam applicem ad Animalia, ac Hominem præcipuè, utpote in cujus gratiam inveſtigatio hæc ſpirituum naturæ potiſſimùm vergere debet, quò Morbis eorum, quibus ille affligitur, eò meliùs ſuccurri queat: Notandum eſt: in ſemine primoque Animalium conceptu eodem momento cum & in ſeminali materia, tanquam paſſivâ, ex quâ Machina Fœtus conſtruitur, adeſſe ſpiritus, ceu materiam activam & formantem. Paſſivam nihil aliud eſſe conjecturare poſſumus, quam Colliquamentum illud Chyloſum, omnium partium, quas ante ſuam in locis genitalibus collectionem, lege circulationis, pertranſiit, ideâ ſ. ſignaturâ, juxta Bekium C L. aliosque notatum; eò quod ex hoc fœtum nutriri videamus, ex quo autem nutrimur, ex iis nos conſtare & ortos primum fuiſſe, vi illius Hippocratei, admodum probabile ſit.

§. 24. Spi-

§. 24. Spiritus in Colliquamento hoc præsens continuò particulas idea insignitas motu suo, juxta normam, cui in corpore Parentum adsuetus est, ordine determinato connectit, ita ut, quod superius innui, materiam primigeniam fœtus inquirere volentibus, cum hac statim ipse embryo integrè jam delineatus appareat. Dumque spiritus hâc ratione materiam seminalem oleosam (pingue enim oleum semini cuicunque, tanquam partem essentialem, inexistere experimenta varia docent) successivè magis magisque resolvit, ac ex particulis ejus ⊖ no-sulphureis magis sic volatilisatis sese multiplicat atque adauget, colliquamenti intra vasa sua inclusi, non aliter ac ex resolutis oleis per ⊖ a volatilia extra corpus contingere solet, emergit color rubicundus, ob quem adeoque illud posthac sanguis in vasis dictis appellari incipit. Novo adducto alimento particulis ⊖ no-oleosis imprægnato, etiam tunc, ubi extra uterum fœtus jam editus, & eò usque tandem adolevit, ut ex Cibis more Adultorum Chylum conficiat, continuò simili resolutione & volatilisatione ejusdem, quæ ab Aere quoque sub inspiratione non parum tunc adjuvatur, novi producuntur spiritus, & sic usque ad Vitæ terminum, eorum proventus perpetuatur.

§. 25. Principium hoc, ex quo spiritus restaurari vel augeri dixi, aliquo modo jam eorum in animalibus naturam ⊖ no volatilem oleosam probare posset; verùm alia quoque in promptu sunt argumenta hoc confirmantia. Ac primò ratione principii ⊖ ni volatilis □osi, quod notabiliorem eorum partem constituere videtur; præter ea, quæ in genere suprà ob ejus summam activitatem suspicati sumus, persuadent porrò ejus in spiritibus præsentiam fracedo □osi, spiritui ⊖ ✳ci similis, Cerebro, in quo spiritus, pro functionibus Animalibus potissimum necessarii, separantur, inhærens, quæ satis testatur, *annotante Excell. Bohnio in Disp. physiol.* 15. §. 18. de Natura eorum ⊖ na □osa volatili, cerebro ab eorum transitu, vel fermento ipsorum Naturæ correspondenti *juxta Willisium*, affrictâ. Huic succedit copiosum sal volatile, quod elici potest ex partib. Animalium, ac ipso etiam sanguine, quorum hoc procul dubio spiritibus, sub resolutione sanguinis fermentativa intra Corpus, materiam restaurationis præbet, illud verò ex ⊖ e volatili spiritum sub nutrimenti in partibus assimilatione magis fixato ortum trahit, quæ vel per blandum digestionis calorem, vel per ignem fortiorem iterum volatilisata prodire videntur.

§. 26. Nec moramur hic Miso-Chymicos, corpori hæc non inesse, sed ab arte demum produci somniantes, cùm △is nihil ex Cor-

pore aliquo elicere queat, quod huic materialiter non prius inexstiterit, atque semper una eademque principiata, debito modo adhibitus, nunquam ab his diversa, educat, imò digestionis & fermentationis qui vocatur ignis, naturali prorsus modo & excitativè saltem in Corpora agat, quorum principium internum postmodum ipsam operationem promovet atque perficit. Formaliter tamen nonnihil immutata esse, quæ per eum producuntur, non æque negaverim.

§. 27. Quod alterum principium, oleosum scil. seu 🜍eum concernit, de hoc etiam spiritus nostros participare, varia sunt, quæ probant, ac intereà non ultimum, quod sequitur. In sanguine particulas pingues sulphureas negare nō possumus, partim quia calor ex ejus motu proveniens, cum hic sine particulis calorificis, inflammabilibus, quales in sulphure intimius latere solent, fieri non possit, de harum in eo præsentia satis testatur, quod item facit color ejus rubicundus à particularum oleosarum etiam minima resolutione dependens; partim quia pinguedo, pars sulphurea ex sanguine ortum habet, partim etiam, quia ejus analysis Chymica tales exhibet, & præterea ex anhelitu qui sanguinis ex parte proles, oleum, seu sulphur flammas concipiens, non difficulter haberi potest, docente hoc ipsum *Borrichio de Ort. & Progress. Chym. pag.* 7.

§. 28. Sulphureas verò particulas ac imprimis intimius eorum principium, quod indigito, inflammabile, insipidum, admodum esse volatiles, subtiles & activas, constat; unde non immeritò inter spirituum nostrorum partes numerandæ venient: quam suspicionem non parum adauget, quod, cùm illæ in aliis corporis partibus absumantur in pinguedinem, in iis tamen locis, ubi spiritus separari imprimis solent, ut in Cerebro & Testibus, nulla unquam reperiatur pinguedo in spiritus forsan ejus principiis ibidem absumtis.

§. 29. Ultimò denique notum est, quod spiritus insigni vi polleant corpora nostra condiendi & à putredine præservandi, adeò ut, quamdiu illi in debita quantitate ac vigore corpori ac sanguini prosunt, ab omni putredine hæc immunia sint, recedentibus verò iis statim corrumpantur. Cùm verò similem prorsus corpora condiendi virtutem possideant sulphurea & oleosa, dum Gas seu Fumus sulphuris Vina & succos vegetabilium præservat à Corruptione, Terebinthina optimum pro conditura cadaverum existit balsamum, ac præterea Olea destillata aromatica mirandam & momentaneam quasi foveant vim spiritus

ſpiritus odore ſuo reſtaurandi, licitum erit ſuſpicari annon eâdem ac hæc virtute ☉ no volatili oleoſa hoc illi præſtent.

§. 30. Verùm ſuppoſitâ licet hâc ratione ſpirituum Naturâ ☉ no volatili ſulphureâ, non ideò tamen cum Williſio ſtatim aſſerendum, eos nimium commotos ac incaleſcentes in flammam quandam abripi, cùm hoc in anguſtâ Corporis noſtri Machinâ propter defectum liberioris medii, Aeris ſcil. fieri non poſſit, & cum præſentaneo vitæ interitu conjunctum eſſet.

§. 31. Prolixior fui in ſpirituum exiſtentia atq; eſſentia probanda, eò quod fundamento non ſufficienter firmato, reliqua minus tutò ſuperſtrui ſoleant. Spiritus verò fundamentum omnium facilè Morborum eſſe, ſuperius declaratum eſt. Nunc ſaltem ſpecialius de iis videbimus.

§. 32. Morbi ſpirituum propriè ſic dicti, dum peccare illi dicuntur in quantitate, qualitate vel motu, vix aut difficulter admodum diſtinguuntur ab aliis, quæ corporum contentis eſſentialiter inhærere ſcribuntur, quoniam continua quaſi pericycloſis & communicatio inter hæc obſervatur; ita ut v. g. dubitare poſſes, num in ſubtilitate ſpirituum vitiata, ſanguis potius Cacochymia; & in ſanguinis fermentatione febrili, ſpiritus rectius motu excedente, ſanguinemque in impetuoſum illum motum abripiente, peccare dicendus ſit. Sed mittamus hoc loco vulgariores illos ſpirituum morbos, cùm ex profeſſo & ſpecialius de talibus agere, noſtri non ſit inſtituti, principium eorum minimum ſpiritus ipſos, inſinuaſſe ſufficiat. Proſequamur illos potius, quantum anguſta hæc pagina permitt t, qui totius ſubſtantiæ vulgò vocati, à cauſis occultis & τὸ θεῖον *Hippocratis* foventibus oriri dicuntur. Quos inter primò ſe offerunt Ideales, ſecundum Helmontium & M. Marci nuncupandi.

§. 33. Cum viderent Naturæ Conſulti, ut, quæ ingenioſè habet *Excell. Dn. Præſes in Diſſert. de Morſu Viper C.* 1. *Punct.* 5. §. 3. ex parte mea faciam, Viventium Ortus, Progreſſus & Interitus ab interno agente, quod ſpiritum ſupra vocavimus, perfici, tàm multifarias autem adeò huic incumbere operationes, ut, niſi aliquid ſit, quod, tanquam regula, ordine certo in agendo ipſum ita dirigat, ut operetur hoc, ut operetur illud, confuſionem in operando, à qua tamen Natura abhorret, fieri neceſſe eſſet, dirigens ejusmodi ſuppoſuerunt. Idque ideam vocarunt, quam in ipſis ſpiritibus alii quæſiverunt & ſcientiam dixerunt hiſce connatam; quam tamen, cùm ſupponat in iis præviam quandam de ſubjecto cognitionem & ratiocinium, omnibus viventibus, Plantis v. g. adjudicare, durius paulò videretur, quippe quas rectius *Hippocrates facere,*

cere, inquit, quod nesciunt & scire sibi videntur, omnia autem per divinam necessitatem. Quoniam tamen instinctus ejusmodi ideal s spontaneus determinatè sese movendi & agendi spiritibus concedendus, erit certè is à posteriori saltem & ex solâ consuetudinis lege, quæ altera natura est, adeptus, ita ut hoc vel illo modo juxta ductum organisationis illius Corporis, cui primùm inditus, moveri adsuetus, alii Corpori postmodum communicatus eosdem planè in hoc motus repetere tentet. Id quod illustrat partis cujusdam voluntario motui destinatæ citra voluntatis imperium, ex sola sæpè consuetudine spiritus, certo tempore musculos illos abbreviantis, contingens motus. Sic ex assuetudine quidam sæpius cantillant citra etiam animadvertentiam propriam. Alii tempore somni manus hac ratione hinc inde jactitant, imò varia nonnunquam loquuntur citra prævium voluntatis imperium subsequam quoque facti conscientiam.

§. 34. Præter recensitos, quidam motus hujusmodi determinatum directorium in ipsa partium continentium organisatione quærunt. Quos sane per ideam hanc, quæ meritò priori jungenda, sic, ut junctim hæ ideas seminales constituant, nihil aliud intelligere ex *M. Marci Phil. Vet. restit. P. 4. S. 2. Subs 4. p. 426.* tandem apparet, quàm Typum, aut Signaturam, vel confirmationem, Machinis Corporeis eorumque partibus singulis in prima Creatione impressam, juxta cujus limites tramitesque spiritus insiti ipsis sese movere & agere tenentur. Hanc ipsam ideam seminalem particulis succi nutritii, qui omnes partes permeat & tandem in semen colligitur, impressam, cuncta generantia individua, postquam definitam figuræ Corporis sui extensionem assecuta, in Circulum quasi redeundo, posteris suis sub specie seminis communicant sicque perpetuò propagant atque conservant, docente Bekio l. c. p. 182. ita ut etiam parentes, ac imprimis Matres, nævos, excrescentias, aliosque varios Morbos ratione idearum à singulis partibus seminali materiæ præterfluenti communicatarum, in liberos propagent. Ideas hasce in semine jam elucescere, Exordio hujus dissertationis ostensum. In sanguine verò, quo in semen latet ex eoque in testiculos secernitur, casdem visas fuisse refert *Borellus C. 4. obs. 62.* quæ tamen fides sit penes Authorem.

§. 35. Naturales hæ, & Corpori nostro propriæ Ideæ, quamdiu in statu ipsis à Natura assignato imperturbatæ relinquuntur, tamdiu spiritus ordinatè omnia in Corpore exequuntur, simulac verò eædem aliqualiter transformantur, depravatè ac formosè juxta eas ut agant spiritus, necesse est. Vitiari eædem solent à variis causis, à quibus

bus conformatio partium lædi solet, quas vide in Institutionum Scriptoribus, Sennerto, Mœbio, aliis. Nobis sufficiat, hoc loco annotare illas occasiones vitiatarum in Corpore nostro Idearum naturalium, quas suppeditant Ideæ peregrinæ, vel imaginativæ saltem, vel seminales.

II. Proxima occasionales (1) Idea peregrina. (2) Imaginativa.

§. 36. Per imaginativas innuuntur istæ, quæ, sine ideæ materialis peregrinæ intra Corpus nostrum receptione, per solam imaginationem, occasione objecti externi fortius commotam & fabricante spiritu nostro formantur. Spiritus unà cum sanguine, per firmiorem & inconsuetam magis imaginationem hâc ratione fortiori & magis peregrino, determinato tamen, motu fœtui molliusculo adhuc appulsi, varias figuras eidem intra uterum adhuc hospitanti affricant. Legimus in *M. Marci*, Gravidam à pomo, quod deperibat, prohibitam, enixam esse fœtum, è cujus malà pomum, proprio petiolo adhærens, pendebat. Recenset *Bekius* exemplum cujusdam uterum gerentis, quæ, cùm Æthiopem inopinato accedentem exhorresceret insigniter, in Animi deliquium lapsa: cùm E. metueret fœtus nigredinem, adstantium unus (qui probè cognitum habebat, ideas hujusmodi, de subitò & ex terrore conceptas, superveniente aliâ ideâ contrariâ, iterum deleri) suasit, ut statim lavaretur fœmina & secura redderetur, nullum post lotionem nigrorem in fœtu amplius observatum iri. Factum hoc, & ecce! tandem peperit fœtum candidum, nigrorem tamen reverà sibi impressum fuisse ostendentem, dum in locis, ad quæ manus lavantis non pertigerat scil. in interstitiis digitorum tàm in manibus, quàm pedibus, nec non in inguine ac uno quodam dorsi loco, nigredinis vestigia adhuc retinuisset. Notum hinc similiter est, Mulieres gravidas, de fœtu continuò sollicitas, quando aliquid vident de subito, à quo abhorrent, manibus statim involare faciem, hincque omnium frequentissimè Nævos hujusmodi faciei fœtus imprimere; quod si verò statim ac hoc ipsis contigit ad se redeuntes, antequam idea talis firmiter & perfectè ibi sigiletur, manu faciem iterum abstergant, hancque alii cuidam loco, oculis, non adeò exposito, applicent, ex contraria imaginatione nævum illum huc transferri videbis. Porrò per experientiam constat, ex frequentiore & firmiore pulchrarum imaginum aut infantum aspectu, firmius in phantasia radicato, conceptam pulchritudinem Gravidas in fœtum derivare: quod idem ex adverso ex turpiter conformatis, labiis leporinis &c. subitò conspectis & firmius animo retentis, iisdem contingit.

§. 38. Nec potis solummodo imaginatio est, spiritu & sanguine

guine mediantibus partes certas p. n. in fœtu formare ; quin & naturales ipsi partes delere iterum valet , eos, in liquorem primigenium colliquamenti resolvendo , uti ingeniosè suspicatur *M. Marci l. c. P. 4. S. 2. subs. 1. pag.* 413. cujusmodi possibilitatem experimentum Everardi ulterius confirmat , quo embryonem in materiam seminalem iterum diluit. Extra uterum partes ejusmodi amandari , uti Helmontius vult , non probabile , & recte censet Laudatus *Marci* , eò quod nunquam extra uterum ejectæ conspiciantur , & hac ratione etiam fœtum imaginatione ejici posse sequeretur , ab iis imprimis , verba ejus sunt, in quibus pudor læsus & infamiæ metus phantasiam in perniciem fœtus firmavit , quod tamen minimè procedit. Ut autem exempla partium ejusmodi intra uterum deletarum afferam , adduco eadem , quæ refert Marci, scil. Mulierum duarum, quarum una manum gladio , altera brachium ictu sclopeti Militibus quibusdam auferri videns, hinc horrore perculsa, prior manu, posterior brachio destitutum infantem mox peperit. Imò aliam enixam esse Fœtum ἀκέφαλον postquam decollari quendam viderat , mirando magis exemplo recenset.

§. 39. Consideratis hactenus imaginativis, ad peregrinas seminales nunc descendo ideas, quæ materialiter ipsæmet Corpus nostrum subingrediuntur , & tùm ratione ideæ motus in pristino Corpore consuetæ , quâ spiritus pollet, tùm ratione particularum seminalium & determinatè figuratarum , juxta quarum ductum spiritus ille operatur, utpote quæ ambo ut plurimum intimè conjunguntur , vim suam corpori nostro hostilem , exerunt. Exerere autem hanc ipsam videntur dum confermentatæ cum particulis sanguineis & spirituosis subjecti recipientis & magis sic evolutæ , extensæ, ac multiplicatæ semper , sanguinem cum spiritibus transfluentem in loco , ubi istæ hærent, ideâ suâ, vel etiam juxta *Helmont.* peregrinâ vitæ mediæ indole, quæ in sapore aut odore vitioso consistit , sigillant ac motu suo ipsis proprio spiritus nostros in consortium quasi trahunt ; unde tot in Corpore Turbæ,tot gestuum & actionum transformationes & Conformationes pro Natura ideæ peregrinæ receptæ.

§. 40. Ex eadem causa factum , quod Puella Uratislaviensis, de qua *Bekerus in Microcosmo Medico* refert, ex potu sanguinis felini pro epilepsia tollenda hausto , felinos mores & naturam contraxerit , ita ut sub paroxysmo feles voce, saltu, gestu imitaretur, Mures in silentio venaretur , latibulisque horum avida adstaret. Pari ratione ac alias notum est , ex eadem causa Infantes nutricum mores imitari,

quod

quod eò magis confirmatur per exemplum Infantis à Capra nutriti & exinde Caprinos ſaltus atque mores æmulantis, cujus meminit *Excell. Dn. Præſes Diſſert. cit. de Morſ. Viper.*

§. 41. Morbos ſic pariter ac Mores ab Animalibus rabidis læſi mutuantur. A cane rabido demorſus Homo latrat, ringit, omnia liquida, quod morbo Canum rabioſo proprium, horret, imò eadem nonnunquam cum canibus ſagacitate operis dotatur, ita ut Amicos è longinquo accedentes, licet eos non videret, ſolo odore effluviorum, quæ continuò corpora emittunt, cum Aere ipſi adductorum, exactè quidam diſcerneret & Adſtantibus hunc vel illum Amicum appropinquare prænunciaret, quemadmodum obſervavit *Borell. Cent 3 obſ. 68.*

§. 42. Vidiſſe ſe quidam teſtantur in ſaliva canum rabidorum & urinâ ab his demorſorum, ſemina ſeu ideas parvos catulos, qui reverà ſe moverent, repræſentantes, quæ ſanè admodum confirmarent, per idearum hujuſcemodi communicationem tales affectus concitari in demorſis; quoniam tamen hæc nonnullis, v. g. *Aromatario Diſſert. de Rab. Contag.* dubia adhuc & imaginationis ſaltem illuſiones videntur, donec ulteriore experientiâ hæc innoteſcant, in medio ea relinquo. Id interim annoto, Veritatem hujus rei non parum confirmare illam obſervationem, quam habet *Salmuth. C. obſ.* 83. de Muliere, cujus fimbriam togæ Canis rabidus momorderat, naſcentibus deinde in loco ambeſionis vermiculis, ſimilitudine Capitis ad Canes proximè accendentibus. Horum verò quicquid ſit, id ſanè certum eſt, effectus ejusmodi, Brutis vi idioſyncraſiæ ſeminalis ac ſpecificæ, ſaltem proprios, in Homine, poſtquam à bruto tali læſus, ordinariò ſeſe exhibentes, non niſi ex ſimili cauſa ſeminali, proprietate ſpecificè juxta Naturam bruti iſtius agendi, inſtructâ & intra Corpus humanum receptâ, produci poſſe.

§ 43. Hoc tantum paucis adhuc declarandum, quomodo nonnunquam ideæ hujusmodi peregrinæ ac morboſæ, poſtquam intra Corpus receptæ fuerunt, pariter ac Venena atque Contagia nonnulla, tam diu in hoc latere queant, antequam veſtigia ſua oſtendant. Fieri hoc videtur partim, quando communicatum μιάσμα eſt minus agile vel viſcidiori nimis incluſum tegmini, ut ſucceſſivè demum hoc penetet & liberum magis evadat; partim quando ſubjectum recipiens ad ſuſcipiendum illud eſt minus diſpoſitum & viſciditatibus copioſis lentoque humorum motu præditum, ita ut ineptitudine hâc ex parte demum ablatâ, iſtud in actum & ſcenam ſaltem prodire poſſit: quod inprimis ineunte de novo vere facilè fieri poteſt, dum Aer activis tunc parti-

 culis

culis admodùm refertus contenta Corporis magis actuari & reſolvi facit, vel etiam novo quodam miaſmate hoſtili inſpirato vetus illud ſimul excitat, ita ut ſæpius anno demum exacto, imprimis poſt morſum canis rabidi, hoc in actum deducatur.

3. *Venena.* §. 44. Pergo nunc ad conſiderationem Venenorum, de quibus notandum, Veneni nomine quæ veniunt, reſpectivè ſolùm ad corpus, quod in minutiſſimâ ſui quantitate inſigniter lædunt, ita vocari; nullum verò in ſe & abſolutè tale, Venenum exiſtere. Sic namque Homini quæ ſunt venena, cicuta v. g. & Helleborus, Brutis, Cornici illa, hic Capræ, exiſtunt alimenta. Scorpii ictus, teſte *Vido Vidio in Operib. Medic. de Curat. Morb. T. 4. L. 2. C. 8.* nocent ſaltem in ſiccioribus, quos ita vocat, locis, non æquè in humidioribus, utpote quæ venenum valdè hebetant, quemadmodum Piſis ſæpius ſe obſervaſſe, idem teſtatur. Opium in nimiâ doſi ſumptum ſaltem eſt venenum, non æquè, ſi circumſpectè adhibeatur. Porrò qui frequenti uſu familiaria ſibi reddunt venena quædam, ab iis poſtmodum non alterantur, ut in circumforaneis & iis videmus, qui generoſiori cuidam & ſubjectis venenatis petito medicamento frequentius utuntur, qui tandem ab eo prorſus non afficiuntur. Tandem Animalia quoque, quæ venenata vocantur, minimè in ſtatu metus, ſed non niſi ad iram concitata ſicque affectu inimico adverſus objectum, quod mordent incenſa, lethaliter illud afficiunt, obſervante *Severino de Viperâ Pythiâ.* Hinc eſt, quod Viperæ Hominem intrepidè eas perſequentem, ex metu fugiant & minimè lædant, uti obſervat *Zvvölferus*, & annotat *in Animadverſ. ad Pharm. Ang. Appendic. de Salib. Theriac. pag. 276. (edit. in quarto)* Inde etiam Cicadæ à viperis in Arcâ, pro confectione Theriacæ, detentis, tanquam alimentum ipſarum conſuetum, demorſæ nonnihil, ſanguine per artem facilè repreſſo, ſine noxa lethali morſum hunc pertulerunt, referente hoc *Excell. Barnero,* qui huic experimento in Italia interfuit ipſe. Sic Homo denique ipſe irâ & furore actus, morſus venenatos & lethales infert, obſervante *Hildano C. I. obſ. 84.* Et quæ aliæ ſunt circumſtantiæ, abſolutam venenorum exiſtentiam infringentes.

§. 45. Proin reſpectivè ſolùm, & quidem ad Corpus humanum in ſpecie, utpote in cujus ſaltem uſum inquiſitio noſtra tendit. Venena conſideraturus, definio illa, quod ſint Corpuſcula ſubtiliſſ. ſalina plus minus volatilia, in propriâ ſpecie incontaminata, corporis tamen humani reſpectu ut plurimum acerrima, hinc ubi ab hoc ſuſcepta, in minimâ etiam quantitate tantas alterationes & turbas in hujus ſuccis ac genere nervoſo inducentia, ut graviſſima hinc ſymptomata, vel necem ipſam inferant.

§. 46. Sub-

§. 46. *Subtilissima ea esse corpuscula* oppidò patet. Non enim crassum istud, antimonii v.g. corpus, ut oculis subjicitur, veneni, quod in eo latet, formalitatem constituit, sed longè subtilius quid in eo reconditum. Testantur hoc infusa antimonialia, corpusculis nullo sensu palpabilibus impraegnata, iisque tàm paucis ac subtilibus, ut licet vel centies unum idemque frustum vitri antimonialis novo semper vino infuderis, vix tantillum ponderis, nihilque respectu molis externae, ei decessisse animadversurus sis. Particulis tamen quibusdam Vinum ab eo fuisse impraegnatum, vomitus à singulis infusionis partibus excitati docent. In tantillâ particulâ resinosâ amarâ consistit vis venenosa purgans Colocynthidis: extractâ enim hâc per lixivium Salis Tartari, pomum pristini ferè ponderis remanet, sed omni vi spoliatum, quemadmodum experimentum hocce ab *Excell. Dn. Praeside* didici. Ex ictu subtilissimi in Scorpione aculei & acutissimi in vipera dentis, vix vestigium laesionis, nedum particulas venenosas mediante ejus liquore aut salivâ communicatas videre potes: subesse tamen tales, & non solâ acutie instrumenti laedentis damna inferri subauguravit jam *Galenus* 3. *de Loc. aff. c.* 7. ubi Scorpii aculeum non agnoscit sufficientem, sed substantiam insuper quandam vel spirituosam, vel humidam subesse suspicatur, quae ut mole minima, ita facultate quàm maxima sit. Quin & persuadent hoc ponderosae rationes, quas *Excell. Dn. Praeses Dissert. cit. de Viper. C.* 1. *§.* 1. habet. Scil. (1) quòd diversae maculae varii coloris mox insequantur, non nisi à principio materiali aliquo communicato ac sanguinem dictis in locis corrumpente, oriundae: (2) quòd extrahentia, in principio statim adhibita, juvent; (3) quòd partibus carnosis ex morsu tali laesis similia nihilominus symptomata sequantur, hincque appareat, non ob laesam saltem partem nerveam gravia haec symptomata h. l. contingere. (4) quod dentes non aeque acuti, Animalium quoque aliàs non venenatorum in statu iracundiae, lethalem aequè tragoediam excitent.

§. 47. *Quoad alterum.* ⊖nae quòd sint particulae venenosae, imprimis quae ex minerali & vegetabili Regno depromtae, *acrimonia eorum* demonstrat, utpote solis ⊖bus propria. De hac autem in ipsis praesente, varia testantur, ac *primò* ipsae venenorum species, quae acredine manifestâ in sensum incurrunt, ut Mercurius sublimat. purgantia fortiora, helleborus, euphorbium &c. quorum venenositatem in ⊖e volat. acri consistere, *Pechlin. Tr. de Purgantibus* egregiè ostendit, atque insuper ex eorum sapore caustico patet. Et quamvis arsenicum, aliaque nonnulla, ob intimiorem veneni ejus inclusionem

ad gustum videatur dulce, ventriculo tamen immissum rosione acrimoniam, quæ latebat prius, satis manifestat. *Secundò* quòd cuncta vegetabilium & mineralium venena per temperantia corrigantur & mitificentur. Sic Mercur. sublimat. si, addito novo Mercurio vivo, sublimetur, evadit dulcis & innoxiè sub debita dosi & circumspectione adhibetur. Mercurium vitæ per Spiritum Vini Sylvium ita mitificasse, ut κάτω saltem operaretur, *Venerandus Præceptor, Excell. Dn. D. Bohn in Chymico suo Collegio, novissimè habito*, retulit. Et universale quasi venenorum ore haustorum temperativum atque correctivum præstat Lac, butyrum, oleum amygdal. dulc. omniaque pinguia ac diluentia quoque, ut Aqua simplex copiosè desuper hausta, dum diluendo hæc acrimoniam simul valdè infringunt. Sic exemplum hîc loci cognitum habeo cujusdam, qui ex errore Aq. Fort. bibens, haustâ mox desuper copiosâ aquâ, ab omni noxa immunis reddebatur. De muribus res nota est, si arsenicum comederint, modò aquam desuper bibant, eos evadere.

§. 48. Acrimonia autem hæc duplex est, acida aut alcalina. In vegetabilibus venenosis consistit eadem in ⊖e volat. acri alcalino, quod aliquo modo patet ex eorum per acida castratione aut correctione, quæ tamen per alcalia fixa quoque procedit, quatenus hæc volatilitatem eorum tollunt, non tamen prorsus omni vi, quemadmodum acidâ, ratione essentialis contrarietatis, utplurimùm faciunt, ea spoliant. Mineralium venena in acrimonia acido-alcalina ac volatili consistere videntur; quod vel exemplo Antimonii patet, cujus neque substantia acida sulphurea solitariè e. g. *Sulphur viridescens ex Antimonio per Aqu. Reg. soluto separatum*, ad ℈j. innoxiè juxta *Tachenium* propinatum, neque ejus pars alcalina mercurialis sola, per acida, v. g. in bezoardicis fixata, sed ambæ saltem combinatæ, catharcticæ sunt. Particulam limitativam, *utplurimùm acerrima*, addidi, eò quòd exceptio veniat facienda de Animalium Venenis, utpote quæ non tàm in acrimonia, quàm motu spirituum affectu iræ impetuosius intenso ideisque seminalibus frequenter determinato, uti per exempla superiùs allata constare poterit, consistere videtur.

§. 49. *Volatilitatem particularum venenosarum* arguit earum partim effectus utplurimùm maximè subitaneus, partim correctio earum per fixiora subjecta. *In propria specie*, cum *Aromatario de Rab. contag. P.4. particulâ X. incontaminatas easdem dixi*, h.e. respectu Corporis, cui propriè insunt, naturaliter se habentes & minimè corruptas, ad differentiam contagii, de quo paulò pòst, quod simili ferè principio

cipio

cipio quidem gaudet, sed in se præternaturaliter jam constituto & quasi putrido.

§. 50. Cætera quæ definitionem complent, per se certa & res experientiæ sunt. Species autem venenorum & varios ea suscipiendi ac nos afficiendi modos hîc tractare, non est hujus instituti, sed ex *Sennerti Institut. Cap de Morb. totius substant.* & ex *Charletone*, qui imprimis de hac materia solidè agit *in Exerc. Pathol.* 5. nec non ex *Vidi Vidii allegato superiùs loco*, videri & dictis facilè applicari possunt.

§. 51. Subnecto hîc saltem, multa Corpuscula in se innoxia & nec pro venenis ab ullo habita, nihilominus in certis subjectis facile mobilibus, subtilioribus, aut idiosyncrasiâ singulari præditis, æquè cum venenis gravia producere symptomata. Sic notum est de odoribus nonnullis, e. g. moschi in chirotheca eo infectâ, quòd vel tantilla eorum particula suscepta fœminas haud paucas, nec non viros quosdam literatos, in subitaneas conjiciat Lipothymias, suffocationes & affectus convulsivos, hystericos &c. De qua tamen odorum efficaciâ infrà pluribus.

§. 52. Progredior nunc potius ad principia morborum minuta, venenis valdè similia. *Contagia* scilicet, quæ in hoc potissimùm à venenis differre dixi, quòd in Corporis, quod naturâ inhabitant, specie à statu naturali jam degeneraverint: De cætero in plurimis, etiam quòd sub specie fermenti nonnulla venenorum agant, cum his conveniunt. Et cùm *Fermenta morbosa* intra corpus nostrum genita cum contagiis valdè concordent, ipsaque hæc nil nisi fermenta morbosa extra corpus; in quo primùm nata, deducta ac in aliud quoddam corpus analogum tacitè derivata, morbum planè consimilem in ipso paulatim & fermentando quasi progignentia, sint, ideò junctâ ambo opera optimè considerabimus. *3. Contagia & 4. Fermenta morbosa.*

§ 53. Fermentorum nomen & doctrinam ex *Helmontio* potissimùm habemus, satis tamen obscurè ab eo relictam. Illustrârunt deindè eam nonnihil *Willisius & Kergerus Tr. de Fermentatione*, sed partim crassè satis, partim insufficienter adhuc. Re tamen longius penes me revolutâ, nihil aliud tandem ea esse deprehendo, quàm particulas volatiles spirituosas, materiæ cuidam lentæ seminali, salino-oleosæ, tenui tamen, intimius immixtas, quam ipsam dum in minima resolvunt, ac in similem sibi substantiam convertunt, (quod suis finibus clientem qualitatem coaptare vocat *Helmontius Tr. sextupl Digest. &c.* §. 14.) in athmosphæram quandam odoratam cum illis diffunduntur, perque hanc in objecta vicina adæquata agentes, parvâ sui quantitate

magnam

magnam horum maſſam in eandem cum ipſis naturam transmutant. Craſſa horum exempla habemus in flore cereviſiæ vel panis fermento rebus fermentandis addito, quorum exigua partiuncula in maſſam ingentem vim dictam exercere ſolet. Nec tamen craſſum iſtud corpus, quod pro panis v.g. fermento habemus, ſed longè quid ſubtilius in eo latens fermentum propriè conſtituit.

§. 54. Corporeitatem, liceat mihi technicè loqui, Fermentis plurimi Authorum, ac ipſe imprimis *Helmontius Tr. Cauſæ & Initia Naturalium.* §. 24 *& alibi paſſim*, denegant, ac medium quid inter ſubſtantiam (per quam corpus innuere videntur) & accidens ea eſſe fingunt. Quod tamen quàm difficile & vix poſſibile conceptu in Naturalibus ſit, videant ipſi ejus Patroni ac Aſſertores. Rationes negandi eorum prægnantiſſimæ ſequentes ſunt, *Primò*, quòd Fermenta ejusmodi non poſſint converti in ſubſtantiam palpabilem; ſed quoniam cum ſpiritibus hâc in parte coincidunt eadem, facilè etiam, ſalva ipſorum corporeitate, pariter ac hi ſenſuum externorum perceptionem, ex ſuperiùs probatis, eludere poterunt.

§. 55. Altera, quam objiciunt, difficultas eſt, quòd extenſio actionis eorum in alia corpora penè multa, longè ſuperet tantilli, ſi fermentum materiale ſtatuendum ſit, corpuſculi quantitatem & potentiam expanſivam. Id quod tamen minimè concedendum iis, propter exempla, quæ miram ejusmodi minuti corporis extenſionem, anteà vix conceptibilem ſenſuum judicio ſubmittunt, qualia benè multa adducit *Illuſtriſ. à Boyle in Tr. de effluviis & Athmoſphæris Corporum &c.* ac quidem quod primum eſt, ſtupendum Auri extenſionem, utpote cujus unciam unam ad 7776000. pedes, h.e. ad 155. milliaria & plus quàm dimidium, ſub deauratione fili argentei, extendi idem Author certis experimentis deprehendit. Et qui fidem his derogat, adeat Bracteatores & Ductores Auri, ac mira captumque ſuum ſuperantia videbit percipietque.

§. 56. Altero loco pono ejusdem *Boylei* experimentum, quo accepit granum ſemis pulveris pyrii, hoc imbrici impoſuit & vaſe vitreo ſatis capaci cooperuit, quod pro tegendo ſuperiore orificio laminâ cupreâ erat inſtructum. Accenſo intra hoc pulvere illo pyrio, fumus ejus totam vitri cavitatem (quæ ultra 29. ℔. aquæ aliàs capiebat) replevit & operculo ablato poſtmodum per horæ circiter ſemiquadrantem continuò per orificium apertum erupit, ſpatio adeoque, ad quod fumus ſe porrigebat, computo exactè inſtituto quinquagies millies excedente illud, quod granum ſemis pulveris illius nondum accenſi capiebat.

§. 57. Sit

§. 57. Sit tertio nobis loco odorum miranda diffusio. Ex unico gummi cujusdam odoriferi, e. g. Styracis, grano prunis injecto totum Conclave fumo & odore adimpletur. Annus, & quod excurrit, est, ex quo *Excellent. D. Barnerus in Chymico suo Collegio* præsente inter multos alios & me ipso, sequens tentamen instituit. Accipiebat circiter 2. guttas olei destillati anisi; subactis iisdem in mortario cum pauxillo vitelli ovorum, aquæ simplici commiscuit, successivè semper plus hujus superaffundendo, sicque, quantum memini, ultra sex vel septem mensuras, quarum una 3. ℔ras circiter continet, extendit, sic ut aqua omnis odorem ac saporem anisi referret: imò asseveravit, se hoc modo unicam guttulam olei destillati aurantiorum ad 10. Cantharos ejusdem capacitatis extendisse. Biennium ferè est, ex quo asservavi in vitro quodam Aquam Cinamomi spirituosam, consumptâ hac, elui sæpiùs vitrum hocce cum aqua simplici, interjecto nonnunquam aliquot septimanarum spatio, & aqua omnis saporem odoremque cinnamomi aliqualiter adhuc exhibuit, vitro nihilominus adhuc dum odorem cinnamomi leviter spirante; ut adeò verum sit illud:

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu.

In Chirothecis odoratis quantillum, quæso, est, quod unum eorum par possidet odoriferi, dum paucis floribus Jasmini, ut ex relatione laudati sæpiùs *D.Barneri* habeo, stratificatis vel centum eorum paria Venetiis inficiunt: observavit tamen incomparabilis *Boyle cit. Tr.* in quibusdam Chirothecis ultra 30. annos odorem adhuc perdurasse & hodièque perdurare, cùm tamen impossibile sit, quin semper aliquid de iis exhalet. Imò, quod majori admiratione dignum, quò magis extenduntur & subtilisantur particulæ odoratæ, eò magis energiam suam commonstrant. Sic Ambra non, nisi resoluta saltem, v. g. cum oleo quodam destillato, odorem spargit, & ejus ℥j. fermentata cum Musto, ultra 50. hujus mensuras odore suo imbuit: quod experimentum in *Laudato Collegio Physico* Lipsiæ hîc institutum fuisse, refert *Excell.Barnerus*; simul exemplum Aquæ Rosar. destillatæ adducens, quam in Italia, ubi copiosè paratur, sub ipso destillationis, adeoque resolutionis actu majorem longè, quàm aliàs odorem, & talem quidem, qui integras plateas impleat, spargere testatur.

§. 58. Ecquid verò odores aliud, quàm corporis, ex quo prodeunt, particulæ minutissimæ, salino-sulphureæ, resolutæ & ad subjectum usque, quod afficiunt, materialiter dispersæ propagatæque. Incor-

poreæ enim si essent, sensu minimè possent percipi, siquidem proportio inter organum & objectum requiritur, & quæ immaterialia sunt, sub sensum nunquam cadunt. Ut taceam eorum Corporeitatem exindè satis constare, quòd corporibus peregrinis occursantibus haud paucis adhærescant, diutiusque in his persistant. Ex quo proindè patet, nec fermentis, utpote quæ cum odoribus hâc in parte coincidunt, & sub odorum specie agunt, similem extensionem ac corporeitatem esse denegandam.

§. 59. Dari in corpore nostro hujuscemodi Fermenta, eaque distinctæ naturæ, utplurimùm tamen acidæ vel urinosæ, aut ex utriusq; mixtæ, varia ingestorum alimentorum pro partium, ad quas deveniunt, diversitate, resolutio, immutatio ac assimilatio, nec non distincta partium nonnullarum, Ventriculi Renum &c. fracedo ostendit. In Ventriculo immutantur alimenta fermentatione in Chylum acidum pro odoris, qui in dicto loco deprehenditur, naturâ. In Intestino duodeno salsus idem fit à bilis fermento admixto, & particulas recrementosas paulatim ex se dimittere incipit. Sanguini ubi infunditur idem, sub successiva circulatione ac fermentatione tandem resolvitur plurimam partem in Nectar rubicundum à particulis spirituosis fermentativis sanguini inexistentibus. Partibus deinde singulis assimilatur & in earum substantiam convertitur, procul dubio quoque ratione cujusdam fermenti in iis localis ac seminalis, siquidem à sola appositione particularum, quod *Carthesius* vult, coagulatio, firmatio & consolidatio ejus in partis specificam substantiam, procedere non potest. Serum ab eo dum secernitur & quidem in Renibus, fracedinoso ac urinoso odore hisce connato, impraegnatur, sub eoque foràs excernitur, quod idem ferè fit sub ejus per cutis glandulas miliares, quæ utplurimùm aliquem odorem, fermenti indicem, solent spirare transcolatione; ut taceam de saliva, quam fermentum aliquod in se fovere patet, eò quòd rebus facilè fermentabilibus addita fermentescere hæc faciat, unde non sine causa Mulierculæ dum saccharatas confectiones parant, vel in aliquo loco asservant, pusillos salivantes ab his arcent.

§. 60. Fermentorum in corpore sapor aut odor si à quacunq; causa rerum non-naturalium p.n. alteretur, aut manifestus nimis fiat, evadunt ista morborum satis subindè magnorum parva initia, *Helmontio (Tr. Magnum Oportet* § 25.) Vitæ mediæ proprietates peregrinæ appellatæ. Hæq; sunt *potentiæ Hippocraticæ* salinæ, de quibus hicce *Lib. de Prisca Medicina* dicit, quamdiu temperatæ eædē sint in corpore nostro, eas hominem non lædere, mox verò ac conspicuæ s. manifestiores evadant,

dant,ita ut acidum fiat acidissimum, amarum amarissimum, dulce dulcissimum,continuò morbos nobis afferre. Ut proindè non immeritò *Celeber. Francisc.de le Boë Sylvius* Praxin suam ferè ubique fundamentis hisce morborum ⊖ nis superstruat,iisque p.n. vitiatis, contrariis saporis ⊖ ni remedia summo cum Imitantium successu opponat.

§. 61. In specie verò , si alcalinum & volatile in accessu atque acredine peccet,nascuntur exindè utplurimùm morbi breves, imprimis acuti; ardentes maligni; sin verò acidum & fixum , emergunt morbi magis Chronici. Neque enim existimandum,Chronicorum statim esse grandæ molis initium , quale in processu apparet productum , quòd sanè à causa primitiva probè distinguendum. Quinimò primum eorum initium pariter parvissimum est, & in tantilla sæpiùs causa occasionali,fermentum ventriculi fixius ac acidius nonnhil reddente, consistit,adeò ut insensibiliter proindè tales morbi , eorumque quasi Primates, Malum Hypochondriacum & scorbutus , oriantur , nec priùs ferè conspectui se sistant,nisi postquam profundius jam radicata,adeoque tàm tarde difficilesque tunc exstirpatu sunt,cùm tamen, si sub exordium sui statim innotescerent , tantillo medicamine auferri possent. Rectissimè hinc sano sensu dixit *Schönbornerus in Manual. Pract. p.* 141. quemadmodum lapis à gutta pluviæ excavatur (i.primum quasi excavationis initium accipit) ita à gutta quasi rerum non-naturalium successivè fieri impressionem , quæ cum morbus manifestus tandem fit, ultimo delicto præposterè imputatur. Illustrat hoc observatio, quam habet *Diemerbroccius in sua Anatom. p.*510. collecti successivè in Lapicidæ famulo pulveris subtilissimi lapidum in vesiculis pulmonum sicque asthma, quo ille tandem obiit, postquam coacervatus admodum esset hicce pulvis, procreantis.

§. 62. Cum *Contagiis* eodem modo se res habet; eadem eorum differentia, ut alia sint alcalina, alia acida &c. idem etiam lædendi modus ita ut producant ista morbos breves, acutos, febres scil. malignas, pestilentiales &c. hæc verò Chronicos, ut scabiem, luem veneream, aliosque de quibus videatur *Excell. D. Maur. Hofmannus Tr. de Morbis contag.*

§. 63. Quoad originem verò Contagiorum annoto cum *Charletone in Pathol. Exerc. pag.* 192. & *Boyleo l.c.* ex quibuscunque corporibus ferè effluere indesinenter corpuscula quædam sub vaporum forma , quæ in Aëre circumcirca velut nebulam ad extremum diffusionis suæ terminum constituunt , Athmosphæræ nomine venientem. Effluvia hæc naturam corporis , ex quo promanant, exactè

referunt, easdem ferè cum iis, quæ in corpore adhuc latent, habent vires, ita ut pro majore earum efficacia & hæ validiorem ostendant potentiam: quæ ratio videtur, cur effluvia, quæ ab electricis corporibus ejaculantur, paleas saltem aliaque levia versus se movent alliciantque, quæ verò à Magnete, ferrum attrahant; item, quæ à sulphureis aut volatilibus aromaticis oleosis corporibus, Succino, Camphora, Moscho &c. diffunduntur, totam viciniam odoribus repleant, quæ ab aliis verò fixioribus & agilibus minus, vel nullum vel non diffusum adeò aut penetrantem odorem spargant.

§. 64. Continuum hunc particularum ex corpore effluxum *Laudatus modo Boyleus* variis experimentis confirmavit, dum exactâ bilance eadem trutinando continuò tantillum aliquod decrementum fieri observavit. Quod idem in homine ac seipso tentavit cum eodem successo *Sanctorius* pro Transpiratione hominis insensibili investigandâ. qui sellæ, quæ stateræ erat appensa, insidens, ex corpore leviori successivè reddito deprehendit, unicâ die per insensilem transpirationem tantum evacuari, quantum per alvum 15. dierum cursu, quemadmodum de hoc videatur *ejus Medicina statica S. 1. aph. 60.* Imò Transpirationem hanc insensibilem ulterius confirmant canes venatici, qui non solùm Ferarum, sed & Heri proprii, quamvis longius, &, quod *Boyle l. c.* 132. refert, septem milliaria jam progressi, vestigia solo odoratu exactè insequuntur.

§. 65. Quod si E. contingat, ut in certo Aëris Tractu, *vel* ex Mineralibus, post diuturnâ incarcerationem, terræ motum, Solis calorem nimis exaltantem, aut novas quasdã mutationes subterraneas, (à quib. novos epidemicos morbos derivat *Boyle in Cosmicis suspicionibus p.25.*) effluvia venenata & diversimodè corrupta ac combinata exhalent, *vel* ex cadaveribus insepultis, locis squalidis, paluſtribus aut Cœno stagnante fœtidoque obsitis, miasmata, putrida quasi, exsurgant; Aëremque hôc modô inquinent, inspirata cum eo simul intra Corpus Animale p.n. hoc, e.g. Peste, afficiunt, ejusque humores corrumpunt. Cumque ab Animalibus, ac ipso homine, sic inquinatis similia semper effluvia morbosa per os etiam, exhalent, facilè postmodùm ab aliis quoque vicinis simili modo suscipiuntur aut corpori horum affricantur; quod ipsum si in Crasi seminali cum priori Animali, ex quo contagium hoc morbosum manavit, conspiret, (unde inter consanguineos & certa genera Animalium nonnunquam effectum solummodo sortitur) simili inde morbo afficitur, sicque contagia hæc sensim multiplicantur & in plura se diffundunt subjecta.

§. 66. Ac

§. 66. Ac ſanè tantillum ſæpè eſt, quod pro hujus propagatione ſufficit. Etenim quàm exiguum haud rarò, nares odore peregrino moleſtans, totum corpus illicò inquinat? Quantillum ex manu ſcabioſa ſuſceptum, ſimilem in univerſo corpore luem producit? Sic tantillum ſæpius eſt quod corporibus inanimatis, raris imprimis ac poroſis, linteis &c. adhærens & per aliquot annos quiete in iis perſiſtens, dum quacunque occaſione ea de loco in locum moventur, iterum reſuſcitatum exſpirat, & novâ peſte, vel morbo contagioſo alios homines inficit. Exempla talia perquam multa in Authoribus leguntur, *Boyleo c. l. Charletone, Diemerbrock de Peſte, aliisque.*

§. 67. Quæ hactenus adductæ morborum cauſæ occaſionales proximæ, ſpiritus ac humores immediatè ferè affecerunt. Paucis adhuc partium continentium ac nervearum imprimis, tantillæ læſiones contemplandæ, ex quibus unà cum partibus contentis totum corporis ſyſtema ſæpius in conſortium trahitur. Summus rerum Conditor ſapientiſſimo conſilio corpus noſtrum ita conſtruxit, ut ſe habeat inſtar Machinæ hydraulico-Pnevmaticæ, hujus rotulæ ſive fibrillæ cuidam nerveæ, ad motum neceſſariæ, ſi tantillum impedimentum vel læſio inferatur, plures partes, niſi & tota Machina compatitur. Patet hoc per exempla. *5. Læſionibus exiguis partium continentium, nervoſarum imprimis,*

§. 68. Ut à levioris momenti cauſis incipiam, perpendamus tantillum pulviſculum oculis illapſum, vel Cilii pilum intrò verſus oculi bulbum deflexum aut creſcentem, quantas mox creet moleſtias, lymphæ effluxum, ſanguinis ſtagnationem, hinc oculi inflammationem, non omni ſemper periculo carentem, nî cauſa comprimens maturè auferatur. Vertebrarum dorſi levis ſubluxatio aut contorſio, Germ. das Wehthun vocata, dum nervi & vaſa ſanguifera leviter ſic ſaltem comprimuntur, quanta, quæſo, interdum excitat ſymptomata per conſenſum nervorum & ſpirituum, lipothymias, ſudores ſyncopticos, difficilem reſpirationem, nauſeam, vomitus, virium proſtrationes, ita ut mors interdum inſtare videatur, meritoque proindè reſtitutio (das Einräncken) quantocyus inſtituenda ſit.

§. 69. Hæcque ſaltem ex compreſſione tantilli nervorum ſpatii oriuntur: graviora longè ſymptomata ſuperveniunt, ſi ipſe nervus vel tendo quidam, circa articulum imprimis, aut etiam membrana quædam ſenſilis pungatur, aut vulneretur, unde univerſi ſæpè corporis oriuntur convulſiones, interdum Gangræna & ipſa non-

nunquam mors, quemadmodum *Pauli in Parekbasi de Febr. Malign.* aliique observant. Similiter *Bonetus de abdit. Morb. Caus. ex cadav. dissect. revelat L. 1. P. 1. c. 12.* exemplum refert pertinacis & duodecennalis Cephalalgiæ ex parvis diploidis internæ particulis diffractis & Meninges tantillum pungentibus.

§. 70. Nec à fortuitis hujuscemodi saltem causis partes nervosæ tantoperè læduntur: idem enim & potentius longè præstant nonnunquam causæ internæ. Sic peregrina quædam aciditas intestina aut plexum mesentericum rodens in colicâ convulsivâ, partes dictas haud rarò mirum quantum contorqueri, & universum corpus ex consensu convelli facit, quod præcipuè Infantibus tenellis quotidiè ad oculum ferè patet, in quibus fons Epilepsiæ utplurimum circa intestina hæret. Et quæ similes aliæ sunt causæ tantillum systema nervosum irritantes gravesque sic morbos producentes, quas singulas ex professo hîc adducere, diffusum nimis foret. Videri prolixius tamen de talibus potest *Willisius de morbis convulsivis.*

b) Remedia parva. §. 71. Morborum magnorum quemadmodum exigua utplurimum sunt initia, ita parvæ sæpius quantitatis, magnæ tamen efficaciæ, eorum existunt medicamina. Ac parum abest, quin omnium fere morborum minima dicam esse remedia, haud dissimili ratione ac primordia in omnibus fere morbosis affectibus parva asserui. Licet enim, antequam corpori ingeratur medicamentum, non omne sit minutæ adeò doseos, ad partem tamen affectam non nisi sub forma minimi utplurimum pertingit eique medetur. Ut enim ex corde in universum corpus ejusque partes unà cum sanguine, tanquam vehiculo, distribuatur, in minima sane distrahi vel discerpi illud necesse est. Propelli verò hoc ad singulas Machinæ nostræ partes, circulatio sanguinis docet, utpote cujus lege huic vel illi saltem parti adduci nequit, siquidem cor pellens ad quascunque partes indeterminate se habet, & præterea manifeste videmus, sanguinem, qui una pulsatione ex corde evibratur, & medicamentum necessariò intime confusum sibi continet, tàm in ramos Arteriæ magnæ, qui ad superiorem, quam qui ad inferiorem corporis truncum ejusque singulas portiones tendunt, distribui ac urgeri. Si proinde medicamenta, quorum vis ac dosis non adeò concentrata, non nisi sub forma minuta parti affectæ medentur, quanta erit subtilitas particularum, in quas medicamenta, etiam extra corpus minima, diffundi similiter opus est; quemadmodum reverà fieri ipsa experientia demonstrat.

§. 72. Da-

§. 72. Dari verò medicamenta, ſub minuta mole inſignem efficaciam foventia ex ſeqq. patebit. Craſis medicamentoſa in exiguo utplurimum conſiſtit principio, quod, ſi à quisquiliis reliquis, quæ illud in operando valde impediunt ac ſtomachum ſaltem onerant, ſeparetur, ſub doſi granulari tantùm, imò plus præſtat, quam integra libra totius ſimplicis, quemadmodum *Le Febure Chym. P. 2. L. 1. Procem. in fine* docet. Apparet hoc in Reſinis purgantium extractis, Scammonii, Jalapæ &c. in quibus omnis vis cathartica concentrata eſt, ita ut ad grana pauciſſima propinata ſufficientiſſimè purgent. Spiritus vitæ aureus Rulandi, qui nil aliud, quam Extractum Colocynthidis, ad guttas 20. propinatus dat purgans æque validum ac potiones vel decocta purgantia ad integras libras propinata; quod remanet ab extractione, omni & amarore & vi ſpoliatum eſt, antiqui tamen ponderis ferè. Minimum & inſenſibile prorſus eſt, quod ex Antimonio extractum vomitus movet, hoc in ſapam vomitoriam, Sylvio adeò commendatam, ſi redigatur, ad gr. j. ij. aſſumptum ſufficientiſſimè operatur. Pro ſcopo diaphoretico oleum deſtillatum Guajaci guttis 8. 10. integris aliorum hauſtibus vix cedit efficaciâ, nec aliquot grana ⊖is volat. viperarum, C C. integris pulverum aliorum acervis. Quod idem affirmandum de Sp. ⊖is ammoniaci, qui ſimul acidum viſcidumque egregiè tollit. Contrario ſapori alcalino nidoroſo vel dulci aliquot guttæ ſpir. cujusdam aciduli, e. g. ſulphuris per camp. medentur. Porrò olea deſtillata eſſentialia, abſinthii, cochleariæ, ſub concentrata unius guttæ doſi eſſentiæ ipſorum integram unciam effectu ſuperant. Ac olei deſtillati Cinnamom. unica guttula quantum in momento reficiat, narrabunt illi, qui Lipothymia proſtrati, tantilla ejus in apicem linguæ illinitione iterum exſuſcitati & ex orco revocati ſunt. Opii granum quantillum eſt, quod tàm divinam ſæpè præſtat opem, ſi circumſpectè adhibeatur. Et hoc ipſum *ut ſpecialius hæc applicem*, meritò generale quaſi morborum remedium eſſe dixeris, dum ſpirituum exorbitantias, in omnibus ferè morbis accuſandas, tàm mirè compeſcendo, naturæ ita ſuccurrit, ut interim cauſa morboſa occaſionalis eò melius exturbari poſſit: in quo ipſo cuncta tantopere expetita, remedia generoſiora univerſalia, ſulphura metallica fixa, cum eo ferè conſpirant, niſi quod ratione cauſæ morbi ſimul vim debeant poſſidere, quodcunque acre temperandi ac corrigendi.

§. 73. Hoc

§. 73. Hoc sanè affirmare omninò licebit, Initia Magnorum Morborum dum adhuc parva, utpote cum quibus saltem negotium hîc nobis est, pharmacis etiam exiguæ molis facile exstirpari posse. Specialius ac prolixius tamen omnium, de quibus egi, parvorum Morbi initiorum curam ut annectam vix expectabis, Lector Benevole, cùm quasi generaliter de ipsis iisdem Morbis in antecedentibus saltem dixerim, prætereaque limites hujus Exercitii nimis excrescerent. At brevissimis nihilominus annoto sequentia.

§. 74. Ideæ imaginativæ, si curabiles adhuc, vix aliter, quam contrariæ imaginationis firmâ persuasione mutantur in melius; seminalium cura vix omnium promittenda est, quæ tamen morsu rabidorum communicatæ, quo & Venena ab Animalibus illata pertinent, primo sui initio tolli iterum possunt, si (1.) illæ ex loco læso mox evocentur, antequam altius in corpus progrediantur, quod fit partim ligaturis, partim scarificatione ejusdem, ac extrahentium applicatione: (2.) Per sudorifera alexipharmaca, sicubi quid massam sanguinis jam subintravit, statim eliminetur. Venena per os hausta omnium optime per vomitorium statim educuntur, ac per alexipharmaca temperantiaque, de quibus suprà, corriguntur, acidæ quæ sunt, naturæ, iis alcalia, alcalinæ indolis acida, & volatilioris consistentiæ figentia opponendo. Contagiis idem fere medendi modus competit; nisi quod in morbis epidemicis; Peste &c. accedere insuper debeat Aëris per particulas odoratas antidotales, at quantæ subtilitatis corpuscula! correctio, quo in puncto fumus sulphuris imprimis excellit. Fermentorum naturam cum contagiis coincidere fere dixi, proinde nec cura horum adeò discrepabit, imprimis attendendum erit, ut sapor odorque morbosus in his per contrariæ, ac specificæ, si fieri potest, naturæ medicamina tollatur. Quoad læsiones externas partium nervosarum, curantur hæ, si spinam, h. e. causam lædentem, genitumque inde acorem hostilem abstuleris, spirituum exorbitantias per opiata & nervina aromatica nonnihil compescueris, & læsionem factam debite iterum consolidaveris.

Usus prægressæ Disquisitionis.


§. 75. Minimum proinde cum peccet in recensitis morborum generibus initium, indicatio in tantilla saltem hujus ablatione consistit: quæ cum per remedia minimæ & minus adversæ molis obtineri possit, quid opus erit, ut tàm frequenter & citra necessitatem utplurimum, in jucunditatis, quæ in medendo semper spectari debet,



debet, legem peccemus ac bicubitalibus compositionibus, decoctis ac haustibus horrendæ quantitatis, aliisque medicamentis ad nauseam diffusis, ægros oneremus ac moremur? Ægri verò ex hisce discant maturè, quando tantillum erratum commiserunt vel persentiscunt, remedia vel Medicum in usum vocare, si sumptuum & curæ longinquitatem evitare volunt. Adeò namque vetus illud verum est:

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cum Mala per longas invaluêre moras.

§. 76. Minima, fateor, de minimis, quæ proposueram, attuli. Sufficienter siquidem ac specialius de singulis acturo, non aliter ac maximi ex iis effectus, ita & maxima Speciminis hujus, limites tantilli Exercitii longè excedens, & in integrum Tractatum diffusa, excresceret moles. Condonabis igitur, Lector Benevole, sin minus ab omni parte curiositati Tuæ, vel etiam stylo limatori, satisfeci, & Temporis angustiæ, quo hæc scribere cogor, ejusque Legi, quæ aliò me vocat, & brevius, quam proposueram, abrumpere jubet, ex parte hoc adscribes. De cætero admiraberis mecum Divinum Numen, in minimis tàm Naturæ, quam Morbi ejusdemque Medelæ, maximum ac admirandum, cui sit Soli Gloria.



DE USU ET ABUSU PRÆCIPITANTIUM.

CAPUT I.

HISTORICUM.

Præcipitantium Remediorum in Medicinam Introductionem, eorundem abundantiam, & scopum recenset.

§. I.

SI quis alius, sanè aph. 22. s.i. Hippocratis, à quibusvis Medicis, Praxin præsertim exercentibus, maximi semper habitus fuit; dum eo ipso triplicem partium corporis contentarum fluidarum, sive humo- 'Οργάσμ@ humorum quid?

humorum ſtatum, ſcilicet, ὠμότητος, πεπασμοῦ, & ὀργάσμου inſinuat, in acutarum febrium curâ, attentè obſervandum. *Oraculum*, appellavit, modò laudatum aphoriſmum *Galenus*, & *in ejusdem obſervationem, felicitatem quâ in curandis ægris per 40. ferè annos fruebatur, maximè referre ſolitus eſt Septalius*, Mediolanenſium Pohater, in animadverſ. & caut. l. 3. §. 48. pag. 70. Quod ſpeciatim Ὀργάσμον attinet, conſiſtit hic ipſe in impetuoſiori humorum & notabiliter exorbitante motu, tam inteſtino, quam progreſſivo, ita ut p. n. quaſi efferveſcentes, ſimulque tumultuosè per vaſa & conceptacula ſua delati, horrendorum ſubinde ſymptomatum occaſionales cauſæ exiſtant; Unde non ineptè, ab interpretibus Latinis, *Turgeſcentiæ* inprimis, hinc & *ebullitionis, fermentationis inſignioris*, & tantùm non *efferveſcentiæ* nomine vertitur. Alii *ferociam materiæ morbificæ* vocant; *Poterius l. 1. febr. c. 37. p. 49. turgentis i. e. furentis materiæ impetum.* appellitat.

Ὀργάσμος unde dictus, & quid propriè ſignificet.

§. 2. Equidem τὸ ὀργᾶν Græcorum, indeque deſcendens Ὀργάσμος propriè, anxiam animalium ♀is appetentiam, & furibundum in eandem impetum, quâ determinatis anni temporibus agitantur, ſummeque irrequieta redduntur, innuit: in quâ auræ genitalis acrioris & volatilioris ratione, præter genitalium pruriginoſam titillationem, & hinc libidinoſos ♀is ſtimulos, ſanguinis & aliorum fluidorum turgeſcentiam, & impetuoſiorem agitationem ac commotionem, ſpirituum concitatiorem impetum, intenſiorem corporis æſtum &c. patiuntur: Paucis negotium hoc expedit, accuratus aphor. Hippocr. interpres *Hollerius Comment. in aph. Hippocr. ſ. 1. aph. 22. p. 80. Verbum turgere, ὀργᾶν, translatum ab animalibus, libidine titillatis, quæ ob concubitus deſiderium, ſtare loco nequeunt.*

Similis obſervatur in menſtruatione muliebri.

§. 3. Analogum quid, quoad ſanguinis nimirum turgeſcentiam, experiuntur fœminæ, menſtruationis tempore, in quibus, occaſione auræ fermentativæ, à genitalibus inſpiratæ, rareſcentis & præter ordinarium modum turgentis, ac tantum non ferventis ſanguinis impetu, dolor dorſi & circa ſpinam lumbosque pulſatio, ut & diſtendens moleſtia, artuum tenſiva laſſitudo & gravitas, dolor capitis, hypochondriorum inflatio, & inprimis ejusdem per uterinarum arteriarum anaſtomoſin excretio, excitantur: quâ undecunque impeditâ, ferociens ſanguis, quâ datâ portâ, per nares, os, oculos, aures, mammarum papillas, umbilicum, pedum pollicem, veſicam, & neſcio quæ loca alia, impetuosè proruit. Ut taceam, menſtruam febrem, in quibusdam dum lunare perſolvunt tributum, obſervatam; Refert *Lindanus: in Coll. M. S. ſup. Hartman ſe noſſe matronam, jam vetulam, quæ quoties menſes accederent, febrem trium dierum pateretur.*

§. 4. Or-

Ob ſimilitudinem pariter ad p n. humorum motus applicatus.

§. 4. Orgaſmus talis metaphoricus, ſed p. n. cum non rarò morborum ſub motu, præſertim febrium, in corporis fluidis obſervari ſoleat, appellationem ſimilem & hic adhibuiſſe placuit medicis. Prodit autem ſe manifeſtiſſimè per varias tàm excretiones, quàm translationes ſymptomaticas dictas. *Humor enim æſtu orgaſmi, modò in hanc, modò in aliam partem inſiliens, nullo ſubſiſtit loco, donec tandem irruptione factâ in aliquam nobiliorem partem exitialem inferat vitæ calamitatem:* ut loquitur *Poterius* c. l. Unde & materia turgens, *quæ ſtare loco neſcit*, quibusdam definitur: *V. Caſtro. Quæ ex quibus: l. 2. c. 1. p. 67.* aliis humor *mobilis inſtabilis, ferociens &c.* appellatur.

Cauſa Orgaſmi humorum ad genera, eſt acrimonia eorum nimia.

§. 5. Turgeſcentia talis humorum, & inde ferè oriundæ translationes & excretiones ſymptomaticæ, ſequuntur in genere, nimiam materiæ occaſionalis acrimoniam, tam benignam, quam malignam; ſive enim ex auctâ efferveſcentiâ contentorum, ſive ex irritatione partium continentium, & hanc inſequente concitatiori motu locali contentorum p. n. ſive ex utroque derives turgeſcentiam & agitationem iſtam humorum, ſanè ubique principale peccans erit acrimonia nimia. Scilicet non moventur ſuopte impetu contenta fluida, ſed per meatus canaleſque conſuetos, ceu organa, fibrarum eorundem miniſterio, & ſpirituum moventium potentiâ, tam naturaliter, quàm præternaturaliter feruntur. Utrobique præſupponitur ſtimulus, qui ſub humorum Orgaſmo eſt in ipſis contentis, quæ potentiarum Hippocraticarum beneficio cum ſaltem activæ exiſtant, intemperatura eorum, cujus ratione nos lædunt, nil aliud erit, quàm acrimonia nimia.

In ſpecie, fermentum acre acidum vel.

§. 6. Preſſius ut loquar; *fermentum acidum volatile acrius*, (plus minus tale, ſub morborum inde oriundorum latitudine) tàm benignum, quàm malignum, ſive intus (aut objecti, aut efficientis vitio) ex aſſumtis genitum, ſive extrinſecus inſpiratum, vel aliunde contagii nomine ſuſceptum, origo eſt orgaſmi cujusvis humorum p. n. hoc enim aut texturam ſanguinis ſive craſin temperatam pervertendo, aut chylum & lympham exaſperando, aut bilem vitioſè acuendo, aut ſpiritus influos inquinando, primò motus horum inteſtinos, tàm abſolutè quàm reſpectivè tales, (in relatione nempe fluidi unius ad alterum, eorumq; mutuæ miſcelæ) p. n. vitiat, & in turgeſcentiam ac comotionem, efferveſcentiæ plus minus ſimilem concitat, hinc tam acrimoniæ quàm turgeſcentiæ humorum reſpectu, partes contites ſenſiliores irritat, quâ occaſione, ſpiritus impetum faciens fibrarum miniſterio, contenta diverſimodè, ac inordinatè, ſubinde tumultuoſe

tuose admodum agitat, & impellit per vasa naturalia, donec facta meatus cujusdam, vel turgescentis simpliciter & rarescentis nimis humoris, vel impeditæ ejus undecunque fiat (nunc meatus angustati, nunc ejusdem à fibrarum partis irritatæ stricturâ coarctati vitio) ordinariæ transmissionis occasione, anastomosi, symptomatica illius aut ἔκκρισις aut μετάστασις superveniat.

Motus humorum & intestinus & progressivus junctim Orgasmum humorum constituunt.

§. 7. Uterque scilicet humorum motus, tam intestinus quàm progressivus, junctim in constituendo Orgasmo concurrere solent. Equidem à posteriori hoc progressivo p. n. ceu sensibus manifestiori, communiter Orgasmi humorum ratio saltem desumi solet. Vid. *Plempius Fundam. Medic. l. 6. c. 3. p. 336.* sed malè. Cum hic ipse potius sit adjunctum, ne dicam effectus, Orgasmum humorum principaliter talem, concomitans. Non secus ac sup. §. 3. turgescenti sanguini excretionem variam supervenire sub menstruatione plus minus p. n. insinuavimus. Aut sicut mustum, vel cerevisia novella fermentationis sub impetu turgescunt, ac ita quasi intumescunt, aut vel vasis ora impetuose excedant, vel arctius inclusa illud penitus dissilire faciant. Sanè altius quid, quàm progressivum saltem humorum motum vitiatum per turgescentiam insinuare *Hippocrat.* cit. aph. vel ex hoc subsumere licet, quod coctis crudisque evacuationis respectu societ turgescentes succos, & eosdem quasi medio loco, inter hos non movendos, illos verò evacuandos collocet. Uti verò texturæ humorum respectu, & heterogenearum particularum vel arctius connexarum cæteris, vel commotionis febrilis, adeoque motus intestini p. n. beneficio separatarum ab iisdem intuitu, cruditatis & coctionis ratio habetur, non motus eorum localis, cujus modificatio artificialis evacuatoria per artem, post coctionem factam demum instituenda venit, sicut à Naturâ tunc demum institui solet. Ita turgescentiæ nomine, primariò humorum crudorum adhuc, sed impetuosius sub suo ad coctionem motu ebullientium, adeoque motu intestino p. n. agitatorum status insinuatur, cujus occasione & vitiatus progressivus motus adeoque excretiones aut translationes symptomaticæ superveniant, interdum à Medico, Naturæ ministro imitandæ, nunc easdem provocando, nunc promovendo: qui genuinus dicti *aphor. Hipp.* sensus videtur.

In quibus affectibus talis turgescentia humorum contingat.

§. 8. Utut verò *Hippocrati*, non secus ac superiorum seculorum Medicis turgescentia & orgasmus talis humorum, cum eorundem cruditate & coctione, saltem in febribus, tam intermittentibus, quàm in specie continuis acutis, benignis pariter ac malignis, asserta fuit, cum in iisdem manifestiora illius observentur Phænomena:

Ab

Ab horum tamen ſucceſſoribus, hodierni præſertim ævi Medicis, etiam aliis affectibus p.n. accommodata fuit. Sic enim ſodæ ardores, pariter ac hypochondriacorum & ſcorbuticorum Phlogoſes vagæ, ac æſtuationes, & ſingulis momentis variantia ſymptomata, fœminarum tumultus hyſterici, inflationes ſublimesque hypochondriorum dolores, borborygmi abdominis, diarrheæ graviores, choleræ acutiores, anxietates præcordiorum, cardialgiæ contumaciores aut ſæpius recidivantes, dolores partuum vagi, hæmorrhagiæ effrenes, Ictericorum pathemata, ſubinde atrocia, epileptici per conſenſum inſultus, & plures alii affectus, ex ebullientibus, turgeſcentibus, & ferocientibus contentis humoribus, ſub theoretico illorum ſcrutinio, derivati fuerunt. Hæc nihilominus obſervanda videtur differentia, quod Orgaſmus talis primariò in febribus, iisque ſpeciatim acutis, ſecundariò verò etiam in aliis affectibus locum inveniat.

§. 9. Turgeſcentiæ tali humorum præcipitationem eorundem, per auxilia, ab effectu ſuppoſito, præcipitantia dicta, opponere ſatagunt Medici, iisque minitatorum ſymptomatum ſtragem maturè avertere. Unde dum crebrius ebullitio effera & turgeſcentia humorum accuſatur in morbis, ſub eorum fiendi modo, frequentiſſima quoque præcipitantium remediorum injicitur mentio, & implorantur ſuppetiæ. Aſt quò facilior eorundem eſt uſus Practicus, eò jejunius eſt ſcrutinium theoreticum, dum vix apud quenquam diſtinctius evolutum reperias, in quo operandi eorum conſiſtat ratio, & qua methodo rationaliter adminiſtranda veniant. Equidem de poſteriori hoc nullibi aliquid invenire licuit, quoad prius verò iſtud, mirabilis confuſio, & rei aliàs minus claræ major obſcuratio ſaltem obſervatur, dum quidam præcipitationem cum ſolutione, alii cum coagulatione, alii cum unione plurium confundunt, & ita rotundis quadrata miſcent: alii effectus à ſuis cauſis, aut harum operandi modis minus diſtinguunt: alii præcipitantium nomen ac uſum adeo latè extendunt, ut tantum non alterantibus in genere æquipolleant, adeoque luſum ſaltem in vocabulo committunt. Paſſim de eorum uſu & actione quæ occurrunt, ſi in pauca contrahenda ſint, huc ferè recident, remedia præcipitantia fermenta præternaturalia deſtruere, ferocientes humores quosvis, tam in primis viis luxuriantes, quàm in vaſis & viſceribus ſanguiferis & lymphaticis ebullientes ſiſtere eorumque impetum ſedare, & Craſin vitiatam ſimul corrigere, quo alterati vel naturalem in Craſin & texturam coëant mutuo, vel ſubacti per convenientes vias debitè evacuari queant.

Turgeſcentiæ humorum, remedia præcipitantia opponuntur.

§. 10. Primarius ſcriptorum, & ferè quoque primus, qui præcipita-

A quibus autoribus primitus ac maximè introducta.

cipitationis & præcipitantium mentionem ac uſum preſſius inculcat, eſt *Sennertus l.2. de febr. c.17. p.259* ubi de ſpecificis intermittentium febrifugis differendo ità inquit: *Ut quod mihi videtur, dicam, talia medicamenta præcipitatione quadam, vim illam effervescendi, & paroxyſmum excitandi in humoribus tollere videntur. Cujus rei documenta paſſim occurrunt; Ut jam non dicam de eo, quod cerevisiæ aceſcentis vitium cretâ injectâ à vulgo emendatur, & acetum cretâ injectâ aciditatem amittit, ac ſpiritus ⊕-li cum ſale Tartari miſtus aciditatem perdit: manifeſtum hujus rei argumentum eſt in ardore ſtomachi, quem Germani* den Sood *nominant, cum à bilis in ventriculo ebullitione vapor quidam, & flatus ardens attollitur, & dolorem ac ardorem in orificio ventriculi & Oeſophago excitat. Ad quem affectum tollendum, cretam, oculos cancri, bolum armenam, & ſimilia, quæ acribus & acutis liquoribus acrimoniam præcipitatione quadam adimunt, uſurpari, vulgò etiam notum eſt.* Succenturiatur huic ſtrenuè, ſi quis alius, *Kergerus, tr. de fermentat. ſ.3. c. 3. q. 249. & ſq. Dum optimam & omnibus febribus ſalutaribus ſolam ſufficientem eſſe præcipitationem*, aſſeri *ita* ut *in inquinamenti febrilis ſive fermenti præcipitatione*, totius curationis cardo vertatur, unde & *unico ferè medicamento præcipitante, ultra mille febricitantes*, ſine aliis remediis, ſine aliarum circumſtantiarum quarumvis conſideratione, curaſſe ſe aſſerat; *p.250.* In malignis quoque *optimum eſſe, aut præcipitantia cum alexipharmacis nectere, aut iſtiusmodi alexipharmaca eligere, quæ præcipitandi virtute ſimul polleant, ut hac ratione, utriq; ſcopo, & malignæ qualitati, & fermentationi ſatisfiat. p.251.* Accedunt his alii: *Sic enim Mynſichtus, in Armament. Medic. Chym. p. 115. Species diacretæ, Tartarum in orificium ventriculi ſublimatam, efficaciter reſolvunt & præcipitant. Peculiarem præcipitandi furias æſtuantis ſanguinis vim habent oculi ♋i: utiliſſimè itaq; in pleuritide iidem à Practicis adhibentur*, notante *Sachſio Gammarol. p. 662. & 719. Oculi ſive Lapilli Cancrini etiam in aliis febribus adhibiti ſalutem ſperare jubent. Quâ ratione id præſtent, ſi quæratur, reſpondendum agere id vi præcipitatoria: id. p. 732. Rectè moderni medici, novo ſed aptiſſimo vocabulo operationem oculorum cancrorum*, in ardore ventriculi ſeu ſodâ *præcipitatione dicunt fieri: & p. 736. & 737. In dyſenteria, ubi fermentatio acrium humorum pulv. teſtarum Cacror: in ✠ coct. & præp. valet, imò oculi ♋ crudi propter bezoarticæ vi additam præcipitandi facultatem, non ſecus, ac ut ad eundem effectum cortices ovorum induratorum, oſſa hominis philoſophicè calcinata, oſſa ſepiæ calcinata, C. C. ſ. & c. ☿ præp. commẽdantur: ſicciſſima enim hæc omnia, imbibendo humores orgaſmo turgentes ſive fermentantes, acredine ſpoliant. Teſtæ itaq; ♋, eorumq; oculi in dyſenteriâ præcipitando conducunt.*

§. 11.

§. 11. Tot autem prostant præcipitantia medicamenta, ut potius de selectu laborandum, quàm de defectu & inopiâ quærendum sit. Adeò liberali manu omnibus in tribus regnis polychresta hæc medicamenta nobis Natura suggerit. Animali quidem in Regno, quævis animalium partes duræ, ut in genere cornua, dentes, ossa & ungulæ: v.g. C.C. Ebor: Dens apri, cranium humanum, ungula alcis, glossopetra. Quibus etiam associentur concreta alia lapidea, in quacunque corporis parte reperta, v.g. lapid. ex cysti bovis fellea, bezoardici orientalis, & occidentalis ex ventriculis capricervarum extracti, & qui his vix cedit vi bezoardicâ, calculus humanus; item aliis in corporis regionibus reperti lapides, sicut mihi est lapis ex teste castoris, castaneæ magnitudinis, durus, & fortiter castoreum spirans. Marina speciatim & omnia ostracoderma huc pertinent, eorumque testæ, aut coagulata lapidea, v.g. Ostrearum testæ, & gammarorum, speciatim horum chelæ, & lapilli, oculi ♋ communiter dicti. Conchæ quælibet, & harum fructus perlæ, cochlearum testæ, ossa capitis Lucii piscis, spina mustelæ piscis, Oss. sepiæ. Quibus adde & Ovorum ex Volatilibus testas, & speciatim illas Struthionis. *Præcipitantia ex regno animali.*

§. 12. Vegetabilium luxuria suggerit nobis concreta styptico-terrea, plus minus aromatica, speciatim cortices, ut fraxini, quercus, quajaci, & qui primo loco nominandus fuisset, corticem arboris peruanæ Gannanaperide, dictæ, qui communi nomine, China Chinæ aliàs audit: cortic. Cinamomi, & quasvis Canellarum species, quo & cortex Winteranus, Anglis in scorbuti cura adeò usitatus, pertinet; it. rad. tormentillæ, fl. ros. rubr. fructus istos anomalos quercinos, gallas, it. frutices ex arboribus crescentes, scilicet visca, in specie quercinum, tiliaceum, & cæteris quod præstat, corylinum. Item Nucleos osseos, mespilorum, dactylorum, aut nucleorum esculentorum involucra, quasi ossea, ut cortic. avellanarum, nucl. persicorum. &c. quibus addantur inter vegetabilia & mineralia, mediæ quasi naturæ, de utroque scilicet participantia, coralia quælibet & his cognatos poros ac madreporas, quin & alcyonia, &c. *Ex regno vegetabili.*

§. 13. Mineralia denique regnum, ditissimos suos prodendo thesauros, subministrat quasvis terras fossiles medicatas, per artem ferè sigillatas, tam Europæas quàm Asiaticas, & quæ ad has pertinent, margas, cretam, Lac Lunæ, medullam saxorum, unicornu fossile, bolos: Lap. plures minus pretiosos tyncis, osteocollam, crystallum, Lap. calcarium, speciatim ♂ialis quæ sunt prosapiæ, fossilia, ut hæmatitem, magnetem, *Ex Minerali.*

rubri-

rubricam fabrilem, quin & laterum coctorum pulverem; metalla ferè quælibet, speciatim ♂, ejusque ⊕-l, & ♄num, & hinc ☉, item ♃ & ☉, & qui integræ pharmacopœæ vices supplent ☿ & ♁.

Eadem Præparata. §. 14. Præparata horum nativorum artificialia, speciatim mineralium sunt varia ac multiplicia. Pertinent ergò huc omnia illorum *præparata*, in specie sic Pharmacopœis appellata, ut Corall. Lap. ♋ hæmatit. præp. it. omnia *calcinata*, ut C.C. ustum, specif febrile Tertianarum Strobelberg. aut Crollii, calx viva lota, ejusque ▽, it. ⊖ ia fixa per vegetabilium calcinationem producta, horumq; 🝆 per deliquium, aut ex iis concinnatus Liquor præcipitans *Clauderi, tr. de balsam. Corp.* l. 7. §. 8. p. 208. Saneut 🝆 tart. per deliquium appropriatum præcipitationis instrumentum quibusdam dicitur, ita idem liquor, inter præcipitantia, & quæ hac in classe eminent, febrifuga, pariter excellit: quin & ⊖ ia vol. quælibet, tàm vegetabili, quàm animali ex regno petita, utut aliàs præcipitantibus minus associata: ex mineralibus Terra ⊕-li dulc. ♁ialia fixata quælibet, simplicia & composita, electra minora quibusdam dicta, ut ♁ Diaph. ♂ial. Ludov. antihect. Poter. ut & ☿ialia, quæ quò magis talia, eò præstantiora: hinc quædam *sublimata*, ut fl. Lap. hæmatit. & ex his aroph *Zvvelfer. Mantiss.* p. 338. it. fl. ⊖ ✳ ♂ial. & ex his sedativum Archei ejusdem, p. 339 ut & primum ens ♀ Boylei, Usefulness of Experim. Philos. p. 2. s. 1. app. p. 330. cum quo conspirat ♀ ⊕-li Philosoph. *Cnöfelii Misc. Acad. Nat. Curios. ann.* 6. & 7. *app. p.* 36. & 70. Ut & alia *præcipitata*, ut ☉ fulminans, & plura ex ☉ parata remedia, quavis sub formâ aut consistentiâ, it. ☿ialia, in specie ☉ vitæ dicta, plus minus composita, ad quæ & Febrifug. Riverian. pertinet: It. particulares plures, mineralium præsertim præparationes, ut tot Croci ♂iales, it. Tinct. ♂tis, dictæ aperitivæ, Liquor ♂☉: ⊖ ♂ compos. seu Tinct. ⊕-li ♂ Zvvelf. in formâ siccâ, tot tart. ♂ales, & Tinct. ♂ales cum tart. præparatæ, ut Tinct. ♂ aperitiv. ⊕-lata *Ludovici*, Misc. Acad. Nat. Cur. anno. 3. p. 453. Syrupus ♂ tartarisatus *Lemery Chym. p.* 157. (à *Willisiano* artificio ♂ præparandi, haud multum abludens,) it. *Febure*. Chym. p. m. 773. uti & tot adstringentes, quos inter eminent quæ vulgò Tinct. tart. ⊕-li dicitur: hinc crystalli mineræ ♄ni, magist. ♄c. spiritu ⊡ præcipit. Saccharum Onis &c.

Et composita. §. 15. Ex quibus simplicibus plus minus talibus, ingens compositorum turba emergit, quæ tamen facilè à prudenti Medico, Naturæ simplicium gnaro, & qui eorundem ad causas morbosas applicationem artificiosam perspectam habet, ex tempore diversimodè misceri possunt.

possunt. Illa inter sunt v. g. *pulvis antifebriticus perlatus Timæi*, in Medic. descript. Cas. annex. p. 425. *Species diacretæ Mynf.* in *armament.* pag. 114. pulveres *antipleuritici*, it. *bezoardici à Sachsio Gammarol. p.* 661. & s. it. 715. descripti pulv *dysentericus Crollii: in Basilic. p.* 344. tot pulveres *Cathectici*, basi ♂ superstructi, *pulv. Comitis de Warvvick* s. *Cornachinus: Tinct. antiphthisia Lapis Chymicus*, à *Glaubero* tantopere laudatus per experientiam confirmatus, in *Misc: Acad. Nat. Curios. anno* 2. *p.* 227. hæmatites artificialis quibusdam non adeò ineptè appellatus. *Elixyr præcipitans* quorundam, ex aloë, myrrha, croco, nuce mosch. c. Tinctura tart. extractum, cui spiritus ⚹ it. c. calce vivâ & flores ♂ debitâ proportione sociantur. it. *Elix. propriet. aperitiv. Clauderii: de balsam. Corp.* c. 7. p. 204. aut *Essentia purificans* ejusdem *c. l. p.* 195.

§. 16. Veteres apud Medicos, nulla penitus horum præcipitantium, tali quidem sub consideratione, occurrunt vestigia, cum hæc ipsa ab iisdem remediorum vires saltem secundum manifestas, sic putatas, præsertim primas, & hinc secundum occultas qualitates dimetientibus, modò inter *refrigerantia* & *siccantia*, ut animalium partes duræ, tàm crudæ, quàm cum aut sine △e præparatæ ac calcinatæ, modò inter *aperientia* ut ♂ialia & ⊕-lata, modò inter adstringentia, ut cortices vegetabilium, O, Terra ⊕-li, modo inter *diuretica*, ut Lap. ♋rum, crystallus, testæ ovorum, modò inter *sudorifera* & *alexipharmaca*, ut Lap. bezoardic. ♅ fixata: Terra sigill. recensita fuerunt. *Quo respectu à Veteribus adhibita fuerunt.*

§. 17. Sed cùm hoc nostro seculo, Chymicorum furni intensius calefieri, & pyrotechnia studiosius excoli cepisset, ita quidem, ut non processuum, quos vocant, nudæ elaborationi, aut remediorum saltem præparationi, sed Phœnomenon, sub concretorum syncrisi & diacrisi artificiali, considerationi accuratiori & causarum eorundem, fiendique modi scrutinio, inserviret, sanè insigniter mutata fuit, ut totius Naturalis scientiæ, cujus Clavigera est, & thesaurorum custos Pyrotechnia, ita inprimis specialissimæ ejus partis, & quæ illius Praxis quædam existit, Medicinæ, facies, dum ex Concreti, secundum minima, texturâ horumque affectionibus Mathematico mechanicis s. quantitativis, actionum & passionum in corporibus vicissitudines variæque mutationes, *formaliter*, ex minimorum syncrisi, diacrisi & metastasi, in genere, & ex minimis ⊖ inis, ceu cæteris potioribus, in specie, *materialiter*, per motus efficientiam, clarè magis & distinctè explicatæ, & medicamentorum quoque in ægrotis operationibus applicatæ fuissent: unde fieri aliter haud potuit, quin & operationes plures arti- *Occasione Chymiæ magis exculta, à modernis in Therapeusin introducta.*

 ficiales

ficiales seu pyrotechnicæ, ut functionibus partium corporis naturalibus, ita & p. naturalibus accommodatæ, sed & pro explicando remediorum agendi modo adhibitæ fuerint, nunc quidem dextrè, nunc verò sinistrè, ut de fermentatione & effervescentia, ≏atione, circulatione, solutione, fixatione, volatilisatione, filtratione &c. manifestum est: quas inter & *præcipitatio*, operatio si quæ alia sub chymicis laboribus frequentissima, respectu alterationis determinatæ, fluidis corporis per remedia quædam inducendæ, tantum non omnium suffragio recepta fuit, & quæ præcipitationis modo, aut huic proximè simili activa existere putantur remedia, præcipitantia dicta fuerunt.

CAPUT II.

THEORETICUM.

Præcipitantium Naturam, usum & Operandi modum evolvit.

§. I.

Præcipitatio Chymica quid & quotuplex.

PRæcipitatio, (quantum quidem ad præsens negotium ejus consideratio pertinet) ceu separationis quidam modus, in *genere* accepta, opponitur propriè & *formaliter* heterogeneorum plurium arctiori unioni, & *effectivè* ut plurimum ≏ationi. Estque talis motus, quo unita antea exactius, separantur ab invicem, ita ut hæc, quæ ita separata fuerunt, proprio impetu deorsum ferantur. Arctior talis nexus & unio, cui præcipitatio opponitur, haud melius quàm solutionis nomine vocari potest, ità ut in *specie* præcipitatio talis sit motus, quo soluta, à menstrui, vel propriè talis, l. huic analogi, compedibus liberata, proprio nisu subsideant. Effectus cujus ratione, & ≏tioni rectè opponitur, ut ut non adeò universalis sit hic præcipitatorum ad imum descensus, quin & ad superiora interdum ferantur, pro respectivâ nempe gravitatis præcipitatorum ad corpus, cui unita fuerunt, proportione. In Vino fermentante, eodem præcipitationis actu & feces ad fundum descendunt, & flos spumosus, ceu cremor quidam supernatat; Si alcool. Vini vegetabile quoddam resinosum, una cum camphorâ infusum fuerit, pro illius quidem extractione, hujus verò solutione, ▽æ postmodum medio, factâ præcipitatione, camphora reviviscens summa petit,

petit, resinâ ad imum descendente. Talis tamen separatio, in quâ superiora petit præcipitatum, non nisi in latiori vocis præcipitationis acceptione locum habere videtur. Præcipitatio omnis vel perfecta est, vel imperfecta respectu separationis est pariter vel spontanea, vel quatenus ab addito perficitur violenta: fit denique vel viâ humidâ, vel viâ siccâ; illud frequentius, hoc rarius. Sub ♄ni calcinati scil. cum ∴ vel silicibus vitrificatione, ☉ & ☾ cum ♄no unita præcipitantur, & ♂ beneficio regulus ex ♁ fusione separatur, & infra scorias præcipitatur.

§. 2. Fundamentum cujusvis præcipitationis in genere (prolixa doctrina in pauca verba contrahenda venit) consistit formaliter in mutatâ texturâ mechanica vel corpusculorum continentium (unientium, solventium, voca ut lubet) respectu particularum præcipitatarum, vel contra harum respectu continentium, vel denique fluidi intermedii, respectu alterutrius, aut utrorumque. Textura consistit in particularum figurâ, magnitudine, situ, ordine, pondere, motu vel quiete, & hinc dependente respectivâ ad se invicem proportione, unione & nexu, quorum uno aut pluribus mutatis, mutatur subitò textura & cohæsio, fitque vel quarundam separatio, vel earundem in novum concretum coalitio, vel aliæ plures similes mutationes. In musto, ex mutata per attritum mutuum sub fermentationis labore minimorum texturâ, retentæ ac solutæ antea communi unionis vinculo, particulæ plures separantur & secum forma descendunt, ipsis cæteris in novum concretum se contexentibus, vini nomine notissimum, & hoc omne sub specifici acidi dominio. ☾ in 🜅 soluta, per laminas ♀is præcipitatur, hæc per bacillos ♂. hic per Cincum, hoc per alcali fixum vel volatile: quatenus in omnibus his, acidæ 🜅 particulæ, mutato situ, & ordine promtius se uniunt, cum aliis metallicis vel alcalisatis particulis, ob majorem figuræ, magnitudinis, ponderis &c. cum istis congruitatem, unde ☾res sic dimittuntur, seu potius ab aliis extruduntur, quæ derelictæ ad fundum descendunt: idem effectus, ex ▽ salsa infusa observantur, quatenus ⊖inæ hujus particulæ arctè & copiosè simul adhærescunt ☾ solutæ mechanicâ ex congruitate (formaliter) undè hujus particulæ figurâ, mole, pondere &c. auctæ, retineri ab istis 🜅is nequeunt, quin ☾æ corneæ nomine subsideant. Fluidum denique tam △eum, quàm præsertim aqueum, tam quantitate, quàm qualitate, aut consistentia, aut motu, secundum minimorum coalescentiam mutatum, pariter ex mechanicâ necessitate, præcipitationem nunc promovere, nunc impedire observatur: dum multa in frigido loco

Ejusdem fundamenta mechanica.

præcipitationem patiuntur, quæ in calido, ſub æquabili unionis texturâ ſubſiſtunt. Ac in magiſteriorum reſinoſorum ex Vegetabilibus quibusdam præparatione, menſtrui S. V. ad medietatem abſtractio prævia requiritur, ſi cum ▽ com. præcipitatio commodè ſuccedere debet.

Præcipitatio in fluidis noſtris, in ſtatu ſano.

§. 3. Præcipitatio, eaque tam ſpontanea, quàm violenta, perfecta, in viâ humidâ, quin in machina corporis noſtri, ejusque actionibus plurimis purè mechanicis, locum inveniat, haud quisquam facilè dubitabit, ſive naturalem, ſive p. n. conſideret ſtatum. Quæ in primis inteſtinorum viis, fecum, ceu excrementorum digeſtionis primæ, fit ſecretio, haud ſine præcipitationis modo, bile & lymphâ pancreaticâ mediantibus, evenire, denegatus horum ſuccorum eò confluxus, obſtructis, aut undecunque impeditis excretoriis vaſis, & inde nata cœliacæ affectionis iſta ſpecies, in quâ alvi excrementa chyloſa prodeunt, perſuadet. Sub ſanguificationis motu, præcipitantur pariter crudiores chyli partes, & □'o latice abſorptæ, ceu excrementum ſecundæ digeſtionis, foràs emiſſæ, contenta in ſanorum □is conſtituunt, ſive ſeparata, in illô fluctuent, ſive ſoluta in illo diſpareant, facilè tamen per alcaliſata præcipitabilia.

Eadem in ſtatu ægro.

§. 4. In ſtatu morboſo, totum iſtud materiæ, ut vocant, morbificæ coctionis, ſub febrium, præſertim acutarum, curſu, anceps negotium, in quo & ſalus & interitus ægri verſatur, & quod unicum Criſium, tam per eccriſin, quàm per apoſtaſin fundamentum exiſtit, non niſi præcipitationis ſpontaneæ modo, mediante commotione minimorum in ſanguine fermentativâ, hoc eſt, acidi fermentativi ſaturatione, & cum aliis heterogeneis particulis, ex cæterarum conſortio extruſione, accidit, □ Phœnomenis, ſecundum tincturæ, conſiſtentiæ, opacitatis, & ſubſidentiæ viciſſitudines ſucceſſivas, id atteſtantibus. In malignis pariter, petechialibus, purpuratis, cutaneæ excretiones & effloreſcentiæ ſeparationem heterogenei & corrupti, ab alimentitio & vitali, præcipitatoriam præſupponunt, cum ſine hâc præviâ ſecretio aut excretio laudabilis fieri ulla nequeat. Scilicet, ut paucis multa complectar, ſicut in mechanicis, ita & noſtro in corpore, nulla heterogeneæ materiæ, fluido cuidam commiſtæ, per quodvis colatorium aut filtrum ſecretio fieri poteſt, niſi eadem prius, ſolutâ unione firmiori, ſeparatum fuerit, hoc eſt, plus minus perfectè præcipitata, in illo fluctuet. Non ineptiunt illi, conſiderato ſcilicet Naturæ motu ordinario, qui ebullitionis & excretionis tempus in Variolis præſertim diſcriminant, cum ibi fermenti acidi morboſi ſpecifici, cum corruptis

ſangui-

sanguinis particulis saturatio in acido ⊖ sum, & ex aliorum nexu exclusio, h. e. præcipitatio, hîc præcipitatæ substantiæ intra pororum & meatuum cutaneorum impedimenta retentio, & sic demum ex sanguine ac lymphâ secretio obtineat: utut certis temporum ac dierum momentis, non adeò strictè alligandum sit. Chronicis in morbis, cachexiis, ejusque speciebus, chlorosi, Ictero, scorbuto, & similibus crudæ ⊟æ, h. e. tenues, plus minus, si crassescant, aut turbidæ, si copiosa sedimenta seponant, & sub horum secessu ad naturalem successivè redeant faciem, præcipitatorium heterogenearum particularum ex sanguine secessum, cum euphoriâ ægri, ostendunt.

De artificiali per medicamenta, est quæstio.

§. 5. Sed missa istâ naturali præcipitatione, de artificiali, per medicamenta in corpore nostro perficiendâ in præsentiarum speciatim disquiritur, adeoque violentâ, per medium nempè præcipitans, externum, in viâ humidiâ instituendâ, plus minus pefectâ. Qualis scil. arte in *Cerevisiæ acescentis, cretâ injectâ emendatione, aut ardoris stomachi per cretam, ocul. ♋ bolum armenam, quæ acribus & acutis liquoribus acrimoniam præcipitatione quadam* (ut vocant) *adimunt, curatione*, ut verbis & exemplis *Sennerti, de febr. lib. 2. c. 17. p. 255.* utar, contingere putatur. Aut *quando specificum antifebrile Crollii, horam unam ante paroxysmum febricitanti Tertianario propinatum, materiam febrilem in vasis ac cavitatibus quasi oberrantem, separat, figit, & ad fundum secum deducit. Sic Creta pulverisata ardorem ventriculi compescit: sic biliosos succos æstuantes acidum ⊕-li deprimit*, sunt verba *Schenckii Diss. de Ferment. Præcipit. §. 6.*

Quæ vix locum habet in cura morborum.

§. 6. Verumenimverò, uti Naturæ opera, per ista, quæ sunt artis in corpore nostro mechanico more convenientissimè explicantur, cum non solùm Deus & Natura ubique geometrizent, sed talis phœnomena Naturæ declarandi ratio, præ omnibus intellectui ceu clara & distincta magis, utpotè immediatè sensibus connexa, apprimè arrideant: tamen non absque cautelâ circumspectâ eadem, ne apparente similitudine decipiamur, applicanda veniunt. Quod si & hoc in negotio operationis remediorum per modum, præcipitationis suppositæ, rem accuratius paulo considerare velimus, revera ingens disparitas mox manifestabitur, adeò ut sæpius, si non semper, nil minus, quàm præcipitatio propriè sic dicta, locum obtineat, si genuinam ejus considerationem applicare velimus.

Triplex casuum differentia in quibus in usum vocantur.

§. 7. Scilicet triplex ferè casuum morbosorum est differentia, quibus pro medelâ præcipitantia ab autoribus opponuntur. 1. *Humorum nimia acrimonia*, iisdem compescenda. *Genuinum enim præcipi-*

cipitans, acida extemplo dulcificat; verius ſignum adduci non poteſt; adeò enim ✠ acerrimum hac ratione ad dulcedinem vel gratum ſaporem reduci poteſt, aſſerente *Langio : Diſſ. de Morbill addit.* 11. Tartarum crudum acidum ſunt qui mutato nomine hic accuſant, coraliis, perlis, & piſcium lapidibus præcipitandum & corrigendum. conf. *Glauberus. p. 2. furnor p. 55. & 56.* Hinc ſcorbuto, ejusque pathematis gravioribus, iſta & ſimilia multi uſus eſſe ſolent : non ſecus ac ♂ in hypochondriacis affectionibus præcipitando edomandis extollitur, aut in dyſenteria teſtæ cancrorum, eorumque lapilli, it. oſſa humana calcinata &c. de quibus ſupra §. 10. commendantur. 2. *Humorum nimia turgeſcentia & plus minus fermentativa ebullitio aut efferveſcentia iſtis mediantibus ſopienda , & inde nata æſtuatio intenſior temperanda.* Hinc enim præcipitantia, genuina quibusdam dicuntur refrigerantia : & furias ſanguinis æſtuantis in pleuritide præcipitandi vim habere Lapillos ♋, ſupra §. 10. inſinuatum fuit. *Febris nulla ſine fermentatione aut ebullitione exiſtit. Hinc ſi v. g. nux moſchata, alumen, tormentillæ pulvis, aut antifebrilis Crollii, margaritæ, coralia, lapis bezoar, lapides pretioſi , & his ſimilia ſimplicia febricitantibus propinentur, quandoque accidit, ut febris deſinat. Cur? quia* ζέσις *aut ebullitio illa, per ea ita ſiſtitur, æque ac ardorem ſtomachi* oder die Sood/ *uſu ſolius ſimplicis Cretæ pulveratæ ſiſti novimus* , ut diſſerit *Veteranus. Practicus Pauli, in digreſſ. de febrib. malign.* p. 92. 3. *Fermenta p. n undecunque oriunda, contenta corporis turbantia illorum ope ſubigenda , ac per præcipitationem deſtruenda. Hoffmannus in Methodo medendi* p. 258. 259. *exiſtimat, omnem ferè morborum progreſſum vitioſo cuidam deberi fermentorum ortui, &c. &c. In horum autem everſione tota curationis ratio conſiſtit &c. &c. ſic v. g. in omni febrium curatione , ante omnia fermenta febrilia ebullitionis in maſſa ſanguinea cauſa proxima , ut magis urgentia figenda aut præcipitanda per ſpecifica antipyreta diaphoretica & diuretica. Sennertus* pariter tr. *de febribus, miaſma putredinale* & πελτλώμα σηπεδονῶδες, quod inſtar *fermenti* ſe habeat, quod inquinamentum febrile ſpecifica , præcipitando deſtruant , paſſim inculcat. Quibus addatur *Kergerus de fermentat. L. 3. c. 3. p. 249. dum inquit : Si verò fermentum aliquod aliundè (ut per contagium &c.) ſanguinem intraverit , fermento per præcipitationem deſtructo , illico fermentatio ceſſat, &c.*

In prima eorum, nõ præcipita-

§. 8. Sed rebus benè penſit. t's, in neutro horum caſuum per remedia, præcipitantia dicta, hactenus quidem uſitata , & per experientiam quoq; confirmata, in eorum operandi modo, præcipitatio genuina locum

locum habet. Prima in classe, acrimonia contentorum corporis demulcenda 1.) non est salsa, quæ præcipitantibus non corrigitur, quin potius oblinentia, & inviscantia, & simpliciter temperantia requirat, ut ⚇sa, mucilaginosa, dulcia. &c. nec. 2.) Urinosa, cui, si unquam vitiosa in nobis observata fuerit, acidis obviam eundum, non præcipitantibus. Sed 3.) acida restat, plus minus corrosiva, præcipitantibus istis emendanda sicut ✠ *aciditatem creta injecta amittit, aut cerevisiæ acescentis vitium creta injecta à vulgo emendatur: Sennertus* l. supr. cit. id quod moderni per ova recentia feliciter quoque tentant, ab acescentia hoc modo cerevisiam præservando. Vid. *Transact. Philos. Anglic. p.* 400. Acidum nempe rodit ista subjecta, & arctè se sociat particulis illorum terrestribus, juxta axioma, *spiritus acidus rodens, rodendo aliud corpus coagulatur*, novæque texturæ emergit ex ambobus concretum, in quo spicula acidi ita infixa sive incuneata hærent, ut minus consuetos effectus, sive in nostris sensoriis, sive aliis objectis edere possint. C. C. ustum notabilem etiam spiritus ♀ vel ⊕ li quantitatem imbibendo, horum acrimoniam, sub nova textura penitus obliterat, qua ratione in dysenteriis & scorbuticorum vomitibus proficuum existit. ♂ cum iisdem spiritibus (non secus ac cum aliis acidis, ✠♌ato, ▽F, spiritu ⊖) in dulce concretum coit, quale & in hypochondriacis accidit, non secus ac coralia, perlæ, & Lapilli ♋ eodem modo iisdem prosunt; conf. *Glauber.* c. l. p. 54. ⊖ ia alcalisata quælibet iisdem acidis pertinaciter adeò connectuntur, mutatâ aciditate in ⊖ sedinem, nunc plus, nunc minus sensilem, ut subinde vel fortissimis △ cuneis divelli possint. In omnibus his unio potius acidi, cum objecto mechanicè proportionato, quam separatio, solutio potius, quam præcipitatio. Nulla hic diacrisis, sed simplex particularum in novum concretum syncrisis, cujus nova textura, ab ista ingredientium diversa, novas proprietates, & attributa, in specie acrimoniæ carentiam, & corrosivitatis abolitionem ipsi communicat. Perinde autem est, sive acidum corrigendum firmiori nexu secum retineat medium præcipitans, id quod locum habet si fortius, aut concentratum magis idem existat, ut in creta aut minio ✠♌ato injectis obvium, sive hoc tandem ima petat, illo debiliori aut alias minus mechanicè proportionato existente, sicuti eadem creta, in cerevisia acescente cum ebulliente tumultu descendit, aut coralia in succ. citri soluta pariter subsident. Ibi quidem, manifesta est solutio, hic vero nulla propriè dicta præcipitatio. Cum præcipitatum, corpus acido superadditum, nunquam fluido unitum fuerit, ut denuò per præcipitationem separari debeat, quin proprio sal-

tio, sed unio locum habet.

tem pondere deorsum feratur, & absque præcipitante addito, cadat, cui acidæ particulæ liquoris adhærescentes pertinacius, adeoque unitæ per accidens unà ad fundum rapiuntur, quæ fortiores alias in fluore secum retinerent. Adeoque præcipitantia remedia, acrimoniam humorum, simplici in novam texturam cum illis coalitu, absque formali præcipitatione demulcent & temperant.

Erroris hujus origo.

§. 9. Prima erroris hujus origo nata videtur ex eo, quod non probè distinxerunt in solutionibus per corrosiva acria factis, addito tertio præcipitatis 1. præcipitantis cum solvente unionem 2. soluti inde factam separationem. Illud causæ, hoc effectus rationem obtinet: ibi ex nova textura acidi alteratio, de quo §. anteced. & respectiva enervatio, hic simplex soluti antea invisibiliter separatio sensilis, & genuina præcipitatio contingit. Uti itaque in omni hujus præcipitationis specie, acidi corrosivi sub præcipitatione quidem, non autem per aut propter præcipitationem fit quasi attemperatio, ita mala conversione, in omni acrium acidorum correctione à corrigente præcipitationem unà induci concluserunt: aut saltem acidi saturationem, ab insequente præcipitatione minus aptè distinxerunt, hoc est, causam cum effectu confuderunt.

In secunda non præcipitatio, d. nuda attemperatio.

§. 10. Uti itaque priori illo in casu, malè acrimoniæ corrosivæ præcipitationem opposuerunt, cum præcipitantia dicta, etiam sine præcipitatione, simplici unione acrimoniam istam infringant: ita posteriori in casu, æque inconcinne turgescentiæ aut effervescentiæ (ζέσεως, ebullitioni, fermentationi, promiscuè his vocibus uti possumus) humorum præcipitationem eorundem opposuerunt. Tantum enim abest, ut præcipitando turgescentiæ & effervescentiæ, ac dependentis inde plus minus æstuationis impetus infringatur, ut sæpissimè hic ipse intensissimus concitetur, ut in præcipit. butyri ♁ per spiritum ⊖, ☉ fulmin. per ☍ ☿i, ☉is per ☍ ☿, ac præcipitationibus tantùm non omnibus solutionum per menstrua acida, ab alcalibus præsertim fixis peractis, ad oculum patet, & in primis manifestum est, in impetuosissima illa effervescentia & intensissima æstuatione, quam observare licet, si ♂ c. ▽F solvas & subito ☍ tart. per deliqui. affundas. Equidem cavendum monet *Kergerus de ferm. p.139.* ab illa præcipitatione, quæ non nisi fermentescendo perficiatur, quin talis instituatur saltem, quæ blande & sine insignibus turbis fermentationem considere facit. Sed rara est talis præcipitatio, si in fluido præcipitando acrimonia acida sensilis deprehendatur. Jam verò turgescentia fermentativa & ebullitio p.n. contentorum corporis, concitatur vel occasione peregrini fermenti,

aliundè

aliundè suscepti, de quo postmodum, vel occasione dyscrasiæ eorum & in texturâ materiali, indeque dependentibus modis qualitatis, læsionis, unde potentiæ eorum Hippocraticæ, quatenus debitè non fuerint contemperatæ, sed potius per se extiterint, nos lædunt. Basis potentiarum illarum Hippocr. est acidum, hujus ergò vitio læsa crasi humorum corporis nostri, p. n. orgasmi & ebullitiones, ac æstuationes superveniunt. Sed ut generalius loquar, nimia contentorum corporis nostri acrimonia, præsertim volatilis, intestini motus p.n. occasio existit, quæ quo major fuerit, eò intensior ebullitio & effervescentia, comitante æstu insigni, accidet. Confirmat hoc mechanica chymica, quæ eò majores effervescentias & ebullitiones exsurgere notat, quo acriora fuerint illa, à quorum miscela, & intestino motu illa tumultuatio concitatur. Quicquid adeoque præcipitantia auxilia opis ferre possunt, in illo orgasmo, non nisi acrius quod fuerit temperando, adeoque in specie acidum corrigendo, & ita temperatam texturam per accidens sic restituendo, præstabunt: ita, ut ea, quæ antecedente §. 8. insinuata fuerunt, contra præcipitationem, & hic commodè applicari possint. Requiritur denique pro genuinâ præcipitatione, medii præcipitantis cum liquore ebulliente miscela sub præcipitatione, sive contactus corporalis, qui quomodo locum habere queat in M. S. orgasmo ac turgescentia febrili, qualiscunque etiam fuerit, per præcipitantia scil. fixa instituenda, sanè haud percipio. Nec facile quisquam putabit, bezoardicum minerale, aut antihecticum Poterii, aut ♁ diaph. ♂ial. aut ♁ diaphor. ex ☿ vit. paratum, quorundam pro variolarum curâ decantatum experimentum, aut Strobelbergeri Crolliive febrilia specifica, pro sistendis febrilibus M. S. commotionibus & turgescentiis materialiter ipsi commisceri, vel pulverem dentis apri, vel capitis lucii ossa ad ipsam M. S. usque deferri, ad corrigendam ejusdem in anginâ aut pleuritide, in specie symptomaticâ intensam ebullitionem, aut unicornu marinum vel crudum vel s. △ præp. subire miscelam M. S:æ pro sedando ejusdem in erysipelate æstu, quin talia in primis viis saltem activa existunt, non secus ac Osteocolla fracti ossis occallescentiam, aut crystallus lactis in mammis scaturiginem, promovent, sine eo, ut materiali sui contactu ad partes affectas deferantur. Posito quoque, quod tamen haud facilè affirmaturum quenquam arbitror, penetrare eò hæc ipsa, tamen alteratio ista in primis viis, quam necesse est, subeant; à sapore fermentativo in ventriculo plus minus acido, ita alterabit eadem, saturando plus minus illa ipsa, ut vel enervata penitus, vel parum admodum activa, nihil, quod præci-

pitationi vel simile, vel analogum videatur, efficere queant. Adeoque præcipitantia, saltem acrimoniæ humorum temperatione, ex mutata illorum, cum his coalitus ratione, textura, absque præcipitatione, illorum turgescentias, & fermentationes p. n. cohibent.

Erroris hujus origo

§. 11. Erroris hujus occasio prima, coincidit ferè cum ista §. 9. insinuata. Neglecta scil. distinctio effectus, qui præcipitantis applicationem ad fluidum, plus minus fermentans & ebulliens, immediate aut mediate, ibi per se, hîc per accidens sequitur. Sistunt subinde remedia præcipitantia dicta, tam in artificialibus, quàm naturalibus nimias turgescentia fermentativas, sed non quà talia, sed quatenus acre istud dyscrasiæ & hanc excipientis p. n. effervescentiæ causam materialem corrigunt, & temperant, ejusque impetum, & inde intestinum ferociorem motum frenant coërcent, sine eo, ut istud præcipitando separent, aut præcipitatoriæ talis operationis ratione, effectum istum exerant. Quod si vel jungatur vel superveniat præcipitatio partium quarundam, antea in concreto cæteris colligatarum arctius, hæ erunt tales, quæ passivæ potius, quam activæ in ebullitionis tumultu extiterunt, & quæ saltem acris, istas rodentis, & cum iisdem aliisque in novam texturam coalescentis, infracti, & per præcipitans plus minus enervati compedibus sic dimissæ, proprio pondere feruntur: quod utut propriè dicta sit præcipitatio, tamen non hujus separationis ratione fermentativa ebullitio compescitur, utut hanc, illa immediatè sequatur. Hac ratione Calce viva, fermentationem Vini, ⊖ tart. fermentationem musti cessare faciunt, cum materiæ fecibus similis præcipitatione: unde & pulv. alabastrites, silices calcinari, punices usti, revera Vina depurant, & partes heterogeneas præcipitando deturbant, non secus ac ovorum cortice Vinum à fecibus depuratur, præcipitatione reali: de quo *vid. Bartolinus Cent.* 4. *hist.* 23. In specie ⊖ tartari consideremus, hoc aut ejus ☍ per deliquium musto additum, fermentationem omnem ut præcavet, ita & Vino intensissimè fermentanti commistum, illico hoc à fermentatione cessare facit. Jungitur simul partium quarundam utrobique præcipitatio, quæ tamen ad effervescentiæ vel præcautionem vel sedationem nihil faciunt, cum etiam iisdem retentis licet, tamen effervescentia cessaret: acidum nempè alcalisati illius tactu & unione intimiore, ex mutatâ hinc concreti texturâ, à motu impetuosiore cessat, & sic pacata quies. Ut ergò rectè *Becherus Phys. subterr. l.* 1. *s.* 5. *c.* 2. *p.* 359. §. 23. acescentiam pro principio, vehiculo, & effectu fermentationis statuit, ita eodem teste *c. l. p.* 358. §. 21. ☍ *aut* ⊖ *tartari cuivis fermentationi, etiam fortissimæ*

justa

justa quantitate impositum in momento fermentationem sistit. Sanè allegata modo, de acido fermentationis principio antiquissima *Platonis* fuit sententia, cui nec illius Anatomicus, *Billichius*, *in Anat. Ferment. Platon. c. 9. §. 106. p. 531.* nec hunc exercens *Conringius, in Exercitat. in Billich. p. 603.* revera contrariantur, *ignem fermentationis omnis proximam esse causam, omnium qui in fermentatione apparent motuum, asserentium*, considerata △is, ceu substantiæ ab acido realiter haud distinctæ, genuina natura, & fiendi modo, à modernis alias prolixe explicato.

§. 12. Fermentum denique p. n. per præcipitantia aut corrigendum aut destruendum, sui considerationem meretur, cujus notitia, ut in cholis olim nulla jejunior, ita nulla utilior. Brevitati cum studendum sit, à posteriori illud obiter dilucidandum, notitia ejus à priori, ut intricatissima, ita non, nisi plurimis, latius diducendis, neque id adeò facile explicabili. Minimum nempe mole, activitate maximum, aliorum fluidorum plus minus symbolizantium, alterativum, sicque sui simul multiplicativum, fermenti morbosi nomine ferè intelligitur. Ex similitudine effectiva, quam cum pistorum fermento specialissimè sic dicto, habet, cujus parum, totam massam fermentat, appellationis ratione desumta. Unde & odorum instar subtilissimorum, summe tamen penetrantium, ferè se habere videntur, & hoc nomine etiam ab *Helmontio* fermenta in genere definiuntur, quæ auræ nomine insigniuntur à *Tachenio Clav. c. 9.* Odor vasis scil. fermentativus, Vinum infusum citissime alterat & corrumpit, quod vitium alio odore, 🜍 nempe incensi, tam præservatur, quam curatur. Odor ☿i, oris halitu post dentium cum eodem ablutionem, lagenæ inflatus, Vinum infusum acescere facit. Mulctræ odor vitiosus, quam citò alterat & corrumpit Lac? Florescentis Vitis aut hordei latè diffusus odor, etiam in cellis recondita Vina, cerevisiamque alterat notabiliter. Parili modo odor talis est, qui in variolis, lue ♀ea, petechialibus, scabie, dysenteria maligna, ipsaque peste fermentum istud multiplicativum constituit, & in contagiorum, plurium itidem venenorum in animali regno summa potentia conspicuum se exhibet. Talis odor fermentalis est, qui in labiis vulnerum & ulcerum, alimenti in pus saniem aliasve sordes corruptivum existit, & in cujus correctione primarium chirurgorum versatur negotium. Talis odor est, qui febrium intermittentium & continuarum primariarum causa existit. Subolfecit hunc ipsum jam *Sennertus*, cujus ævo tamen nullus adhuc, aut saltem tenuis fermĕtorum odor scholas medicas infecerat, dum *l. 2. de febr. c. 6. p. 107.* inquit, *materia,*

In tertia præsupponitur quid sit fermentum.

ria, quæ febri dat originem, initio ſæpe exigua eſt, fermenti tamen inſtar in continuis, reliquosque humores corrumpendi & putrefaciendi vim habet: it. C. 17. p. 244. illud putredinale fermentum, in corpore poſt paroxyſmum relictum, initium eff rveſcentiæ & putredinis dat, facitque, ut materia, quæ antea in ſuo foco coercita quieſcebat, jam veluti turgens & exardeſcens multum de ſe & tetricum vaporem diffundat. Certè neglecta minimorum morbificorum ſive fermentorum conſideratio, horumque alterativæ & ſui multiplicativæ potentiæ, inſignem cauſæ morboſæ materialis, cum producto morboſo confuſionem & hinc inverſam penitus medendi methodum induxit. Appoſitè iterum *Sennertus c. l. l. 2. c. 2. p. 66. Habet vitioſa talis diſpoſitio, ſive miaſma tale ſe inſtar fermenti, & ſubinde plures vitioſos humores generat, bonosque corrumpit. &c.* vide plura c. l. huc facientia.

Ejusdem alteratio non præcipitatio locum habet.

§. 13. Fermentum tale morboſum, mole minimum, adeoque *ſubtile* ac penetrativum, hinc ſumme *mobile*, adeoque ſpirituoſum ac volatile, & potenter *activum* ſeu mediante determinati motus impreſſione, humorum quin & ſpirituum ad alterationem variam diſpoſitivum, ſicque ſimul ſui multiplicativum, ſaporis aut ſi mavis odoris *ſpecifici* (forſan generice acidi) præcipitatione mediante, per ſupra recenſita auxilia corrigendum, & inde concitata plus minus humorum turgeſcentia ſopienda. Aſt non video, quomodo præcipitatio in genuino ſenſu locum commode invenire queat, circa objectum adeò ſubtile, activum & penetrativum, &c. Equidem odore contrario *deſtrui* poteſt idem, qua ratione odor ♀ incenſi, odorem fracidum fermentativum cadi, item peſtis aliarumque febrium malignarum extinguere obſervatur, (quod poſterius camphora videtur in nobis præſtare) quatenus his ipſis, illi prompte aſſociabilibus, textura inverti, & ſic activitas ejus enervari videtur: ſimiliter ac ☿ii ex Cingulo ſapientiæ tenuis odor (ut in ſimili termino pergam) ſcabiei univerſam corpus inquinantis fermentum, ulcerum etiam quorumvis, delet & extinguit. *Abſorberi* etiam, ut ſic dicam, ab objectis appropriatis, hinc concentrari ac quaſi figi, & ita activitate ſua ſpoliari poteſt, qua ratione fixa iſta ex maginis calcinatis, febrilia ſpecifica, fermentum concentrando & figendo, & ita in textura quaſi invertendo, operari videntur. Non enim febrili contentorum corporis commotioni ſedandæ, ſed fermento morbifico coërcendo, quod inſerviāt talia, ex eo fit probabile, quod in paroxyſmo, in quo formaliter urget iſta commotio, ferè noceant, ut plurimum febrem multiplicent, adeoque ante paroxyſmum propinanda ſint, ut fermento ſaporis acidi, (de quo vix quisquam amplius dubitat) frenum ma-

ture

turè injiciant, & nixum ejus motivum cohibeant. Fermentum febrile præcipitare hæc, & fermento per præcipitationem deſtructo illicò fermentationem ceſſare, ſententia eſt *Kergeri: de Ferm. ſ. 3. c. 3. p. 249. quod tamen durum videtur, niſi in terminis ludat, præcipitare enim denotat unum ab altero ſeparare, quod in tali fermento febrili non contingere poteſt*: rectè reponit *Becherus Phyſ. ſubterr. l. 1. ſ. 5. c. 2. p. 389.* Bezoardicum minerale pariter, ceu exhauſtum concretum, & acidi vol. venenoſi appetens, quale in △is examine amiſerat, uti & ♁ diaphoreticum, (Conf. *Tachenius H. C. c. 22. p. 164.*) malignarum ſpeciatim, quin & continuarum acutarum febrium, fermenti volatilis (plus minus acris) promptè abſorptivum & correctivum videtur. Quo in puncto etiam terræ minerales, ſuam activitatem in malignis, ſpeciatim variolis & morbillis exſerere probabile eſt. Quin imò plura morborum ſpecifica ſive appropriata remedia, hoc inprimis modo proficua videntur, quòd determinatæ ſuæ texturæ ratione, fermentorum ſpeciali naturæ & texturæ magis accommodatæ, horum motum & impetum ad ſe convertant, & hinc in iisdem concentrata, fixata, & in novi concreti moleculam invicem juncta, fermentorum activitas enervata torpeſcat: ſic enim cruor hirci pleuritidis, priapus Ceti dyſenteriæ, myrrha morbillorum &c. appropriatum remedium exiſtit: ſem. aquilegiæ, Icteri, ſcrophularia hæmorroidalium doloroſa fermenta, viſcus corylinus & quercinus Epilepſiæ, Lapis ſpongiæ ſtrumarum coagulativum enervant. Quin in genere ⊖ia volatil. dum v. g. febrium comitatarum dictarum præſtantiſſima exiſtunt auxilia, ſaturando fermenta horum acida, & in ⊖ ſum cum iisdem ſucceſſivè coaleſcendo, per ⊡m aut ſudorem eliminandum, non præcipitando, activa exiſtunt. Denique per ſudorem quoque *diſcuti*, aut hoc mediante promptius extra corpus, tam ipſum, quam ejus producta morboſa una, excludi poteſt, ipſum cum ſit ſubtilis & volatilis, adeoque promptè mobilis texturæ. Hinc enim ſudorum, & ſudoriferorum frequens adeò in praxi uſus, ſive fixa, ſive volatila fuerint eadem. Nulla proptereà febris citra recidivæ metum tutò, abſque ſudore curari ſolet. Quo mediante, acidi iſti odores, qui tam ſenſibiliter cruciant articulos, optimè expirant. Adeoque præcipitantia dicta remedia, fermenta morboſa vel in genere abſorbendo & figendo, vel in ſpecie quoad texturam ſpecialem alterando, vel per ſudores excludendo, ſine præcipitatione reali, corrigere, & ab illis concitatas humorum turgeſcentias compeſcere, probabilius eſt.

§. 14. Prima erroris hujus origo videtur dependere ex inconſiderata

Erroris istius origo.

ſideratâ effectuum plurium ſub præcipitationibus artificialibus coincidentium confuſione, qui non diſtincti à ſe invicem, communi præcipitationis notione in genere veniunt. Res exemplis fit manifeſtior. Solutionem ☾ in ▽F præcipitat ♀, hanc præcipitat ♂. coincidunt in hac præcipitatione, & acidi & ♂ mutua abſorptio ac unio, cui jungitur ſimultanea ♀ dimiſſio: hinc confuſè ♂ is iſta actio, qua ſub acidi hypochondriaci fermenti roſione, & mutua hinc abſorptione, illius noxam delet, pariter præcipitatio quibusdam dicta fuit, ut ut nulla præcipitatio contingat. Parili modo, dum acida expugnantur ab alcalibus tam fixis quam volatilibus, & contra, cujus indicium præbent imprimis præcipitationes mutuæ ſolutionum ab alterutro factarum, deſtructio fermentorum acidorum morboſorum ab iisdem, ac alteratio eorundem, præcipitationem quoque appellarunt. Adeò confuſio uti ubique, ità ut hîc quoque fœcunda errorum genitrix extitit.

Præcipitantia operantur in genere, acidum p. n. corrigendo.

§. 15. Præcipitatio genuina ergò in operandi modo remediorum, præcipitantia dictorum, locum nullum obtinet. Quin, ſi rem exactè conſideremus, uſus eorum paſſivus potius quàm activus erit, cum non tam ipſa, agendo in corporis partes, quam aliorum impetum activum ſuſtinendo ut plurimum, proficua ſint; adeoque reſultans inde effectus immediatè, privativus potius quàm poſitivus exiſtat. Acidum nempe vitioſum eſt, in genere, quod per ſpecificas aciditatum differentias, & junctas alias proprietates varias mille modis ut variat, ita & mille malorum in corpore autor exiſtit, cujus reſpectu, auxilia iſta, præcipitantia dicta, tam inſigniter conducunt. Mechanica ſcil. conformatio acidi talis ſupponenda venit, cui aptè reſpondeat medicamentorum iſtorum textura, ſecundum poros & meatus non ſolùm, ſed etiam minutorum corpuſculorum configurationem, &c. ità ut promtè coire mutuò, & arctè plus minus uniri queant. Appropriati ergò talis objecti occurſu, acidi ſpicula mox ipſi ſe inſinuant, concretum findunt, particulis minutis ſe quaſi infigunt, & ita potenter in illas operantur, donec mutua unione factâ, in concretum novum, idque tertium, ab utroque extremorum diſtinctum, & in quo obliterata acidi nociva vis corporis partibus minus hoſtilis exiſtit, coëant. Mechanica Chymica hoc ipſum, quoad ♂, ♄ ⊖ □oſa, fixa & Volatilia, oſtracoderma, gallas, oſſa animalium &c. ad oculum ut demonſtat, ità in corpore idem evenire, vel ex effectu, eorum uſum qui inſequitur, abundè conſtat. ♂ nempè humoris melancholici correctivum ac digeſtivum ab omnibus aſſeritur, qui humor acidi nomine ab *Hippocr.* inſignitur. Sic bilis æruginoſæ, ac inde ſuſcitatæ choleræ alexipharmacum cryſtallus montana

aſſeritur

afferitur rectè à *Langio: Epiſt 3. epiſt.* 1. c. 4. in quâ acidum bili commiſtum inprimis dominari experientia anatomica hactenus comprobatum dedit: & ſic in pluribus aliis, de quibus in ſequentibus.

§. 16. Roſio hic actus aliàs dicitur, quo acida agunt in iſta præcipitantia unde & vulgo, die ſauren Spiritus freſſen ſich zu tode/ dicuntur: ſub quo actu ex ſocietate acidi cum corpore corroſo, & hinc novo emergente concreto, acidum morboſum hebes redditur, *acerrimum* quod erat, aut inſipidum, ut in animalium partibus duris, c. vel ſ. △ præparatis & calcinatis, aut dulce, ut in ♂ l. ♄. aut ⊖ ſum, ut in oſtracodermis, it. ⊖ ibus □ oſis evadit, *corroſivum* quod erat, adſtrictorium fit, ut in terris medicatis, Lap. hæmatit: *mobile* admodum & activum quod erat, torpeſcit, & quaſi incarceratum eſt: uno nomine priſtinam naturam penitus exuiſſe videtur, adeò ut iſta remedia, aptiſſimo vocabulo, à quibusdam *Invertentia* item propter retuſas, nocivas ex acrimoniâ nimia, & hoſtiles qualitates, *attemperantia* ſpecialiori licet ſub acceptione dicantur. *Vnde potiꝰ invertentia, it. attemperantia dicenda.*

§. 17. Quin imò, cum diſſolvendi potentiâ objecti appropriati omne acidum activum exiſtat & eſurinum quaſi, quicquid poteſt, mechanicis ſub legibus, devorare & abligurire avide ſoleat, donec ad ſaturationis punctum usque pervenerit, quo acquiſito, quieſcit, & quaſi feriatur: remedia verò iſta optimè huic fini ſatisfaciat, ob id commodè quoque *ſaturantia*, quibusdam audiunt: quale cognomen ſpeciatim ⊖ ibus □ oſis tàm fixis quàm volatilibus convenit, à quibus optimè ob arctiorem unionem ſaturantur, iſti acidi ſapores & cum iisdem in ⊖ ſum tertium, & ipſum medicamentoſum coëunt. *Aut ſaturantia.*

§. 18. Utut autem ſaturent aviditatem corroſivam acidi morboſi, tamen eo ipſo, quo ſub roſionis tali actu, hoc ipſum una plus minus coagulatur, (prout textura objecti mechanica magis vel minus ipſius conformationi reſponderit: ſic enim v. g. ſpiritus ♀ vel ⊕-li arctius cum ⊖ tart. quàm cum ♂ coagulatur, ſpiritus ⊖ arctius cum ⊖ e fixo quocunque, quàm volatili ſe unit) ita ut quaſi abſorberi aut avidè imbibi penitusque hinc occultari videatur, ob id appoſitè pariter auxilia iſta *abſorbentia* it *imbibentia* pluribus vocantur. Quam abſorbendi vim terræ minerales, animalium partes duræ, & ex his parata calcinata, præ aliis potenter obtinent. *Aut abſorbentia.*

§. 19. Cum denique activa ſummè exiſtant quædam morboſa acida, adeoque ſummè mobilia, idque eo magis, quo ſubtilia & ſpirituoſa ſeu volatilia magis exiſtant, qualia in febribus acutis, pluribus malignis, ſuo modo & intermittentibus (in quibus ſub paroxyſmo pro- *Aut figentia.*

greſſus

greſſus acidi fermenti à ſtatu fixiori ad volatiliorem eſſe videtur,) ſcorbuticis ut vocant bilioſis, ac hypochondriacis manifeſtum eſt, hæc ipſa verò medicamentorum iſtorum attactu & ſocietate, minus mobilia reddantur, dum mutuâ cohæſione atque ita ex texturæ mutatione emergunt corpuſcula, tàm ratione ponderis, quàm ratione magnitudinis & molis, quin & mutuæ, (ut ſic dicam) implicationis reſpectu, ad motum concitatiorem quemvis tam localem, quàm præſertim inteſtinum fermentativum & elaſticum minus apta, adeò ut quæ volatilia antea plus minus erant, jam incarcerata quaſi & fixata torpeſcant, ob id remedia eadem, quæ præcipitantia aliàs dicebantur, optimo conſilio *figentia* nominari ſolent. Qua ratione viſca fermentum Epilepticum, Cort. Chin. Chin. it. calcinata Oſtracoderma, ſaccharum ♄ni fermentum febrile intermittentium figendo, auxiliares opes præſtare videntur.

Adeoq; acidi iſtius reſpectu univerſaliora ſunt alterantia.

§. 20. Eò ipſo vero quo acidum vitioſum contentorum corporis corrigunt, primaria & magis univerſalia erunt alterantia, acido vitioſo, univerſali morborum cauſa materiali & occaſionali exiſtente. Naturaliter omnia fluida corporis ſunt temperata, & ſub ſpecifica cujusvis materiali textura, in genere ⊖ ſa ☍ſa exiſtunt, adeoque de acido & alcali, ſub pinguis temperatura, variata tamen proportione & hinc texturæ modificatione participabunt. Imò preſſius ſi loqui velimus, non niſi ex acido, ▽ & Terra conſtabunt, quod tamen ceu Paradoxon hic obiter attigiſſe ſufficiat. Infinita ergò ſeu ſexcenta Hippocr. quorum ambitu cacochymiam ſive dyſcraſiam humorum determinat, ex iſtis derivanda erunt. Acidum verò ubivis informat alcali, adeoque illud agentis, hoc verò patientis rationem obtinebit, ita ut hoc, ab illo, plus minus vitioſo, vitiari quoque ſoleat. Pingue temperans, ubivis ferè in rerum natura, atque adeò in microcoſmo pariter acido junctum deprehenditur, quod ubi defecerit p. n. majorem illorum acrimoniam, ubi abundaverit, p. n. viſciditatem inducet, viſcido ex acido & pingui oriundo. In cauſis E. morborum occaſionalibus & materialibus, internorum pariter & externorum, ad acidum plus minus peccans, ceu baſin omnis cacochymiæ, & ex cujus aberrationibus ſexcenta iſta Hippoc. fundamentaliter dependent, reſpiciendum erit. Idque eò magis, ſi cum quibusdam vim rerum ſeminalem in acido ſpecifico quoque fundatam aſſerere velimus.

Sed quid de bile?

§. 21. Si acidum ergò tantùm non omnium morborum fons & origo prima, quid de bile fiet, & morbis bilioſis, ſpeciatim febribus acutioribus, æſtuatione corporis p. n. ſiti clamoſa, anxietate præcordiorum

rum choleris, diarrhæis, colicâ acerbiori, dysenteriis & similibus malis, simpliciter à Veteribus à bile exsuperante aut vitiata,à modernis ex ⊖ e ejus vol. ꝏso, vel copiosiore, vel actiore derivatis, acido reverâ contrariis fiet? Sed ut paucis negotium hoc absolvam, ea quæ de bile à veteribus pariter ac recentioribus prolata hactenus fuerunt, arbitraria maximam partem videntur. Missis istis, horum consideremus hypotheses. ⊖ vol. □os. bili inesse dubium, quod enim arte prolicitur, hujus potius, quam Naturæ videtur opus: adeò ut probandum, formaliter in bile præextitisse, quod materialiter inde procedit. Posito hoc, quomodo caloris effectum in corpore producit? ⊖ ia vol. qua talia, omnia notabiliter existunt refrigerantia, vel spiritu ⊖ ✳ simpl. in febribus intermittentibus sensualiter hoc confirmante. Si ut ꝏsum est, quod ꝏ revera in bile luxuriat, calefacit, de ꝏ hoc inquirendum superest, an pinguedinis, an acidi occulti ratione vim caloris sensum producendi obtineat: pari modo, ac de 🜍 quæritur, utrum pinguedinis an acidi ratione, sub deflagratione ardorem inducat. Sane plura argumenta prostant, calorem naturalem pariter ac p. naturalem ab acido volatili materialiter dependere. Porrò ad duo hæc quoque attendendum sedulo: (1) *adscribi interdum bili affectus p. n. in quibus ipsa potius passivè se habet, & ejus p.n. alterationes qualescunq; producta seu effectus morbosi potius, quàm radicales causæ existunt.* Æruginosa bilis, ex qua in præcordiis,& primis viis revera interdum atrocia mala, in adultis non minus quàm infantibus, ex bile naturali, ab acido p.n. alterata, quod dependeat, mechanica anatomica docet: unde & acidum enervantia, speciatim crystallus, ejus alexipharmacum à *Langio* dicitur, de quo supra §. 15. Quæ rejiciuntur biliosa, in intermittentium, præsertim tertianarum paroxysmis, vi spasmorum intestinalium, à fermento febrili concitatorum, evomuntur, sine eo, ut causa morbi materialis existant, quin potius amara omnia bili symbolizantia, in earum cura, sunt optima, non secus ac omnia reliqua febrifuga, in hoc ferè conspirant, ut acidum fermentum febrile figendo & absorbendo seu invertendo salutaria existant. Ab ☿iali pharmaco, artificialis concitata nunc cholera, nunc Diarrhœa, in quibus pro subjecti constitutione, subinde tot biliosa ἄνω καὶ κάτω rejiciuntur, naturalium utut morbosarum fiendi rationem docent, bile scil. & cæteris excretis passive se habentibus, (si non semper saltem utplurimum) [II.] *Eidem bili subinde affectus adscribi, qui ipsi penitus non conveniunt.* v. g. Vulnera, ulcera, tumores inflammatorii, quo magis æstuant, rubent, & erysipelacei quid patiuntur, à bile taliter affici dicuntur plurimis, quos

tamen refellit Ħnus, medelam afferens, acidum absorbendo, docente mechanica chymicâ, quod quo magis volatile ac acre fuerit, eò magis ista symptomata producit; par ratio est podagræ, quæ calida, seu intensius rubens, ardens, & phlogosi erysipelaceâ juncta, biliosa dicitur, ad differentiam alterius, pituitosæ dictæ. Sed utrobique simpliciter peccat acidum, in ista specie, acrius & volatilius, nec synoviâ debitè temperatum, in hac mitius, minusque acre, & à synoviâ viscidiori melius correctum, unde & isti sperma ranarum, acidi talis optimum corrigens, ut mechanica docet, hinc camphora, Ħnaque eodem ex fundamento opem ferunt. □æ intensior Tinctura in febribus, & rutilans ac flammeus ejus color, biliâ plurimis adscribitur, quam tamen ab acido dependere, experientia mechanica docet, in naturaliter constitutis sanorum □is, per acida medicatis. Contenta in febrientium □is & copiosa sedimenta, bili à plurimis, ceu materiæ adscribuntur, cùm tamen *Galeno* teste, & experientiâ confirmante, *cit. Mœbio Instit. p. 343. qui ex otio & repletione febricitant, si sanitati restitui debent, necessario in* □ *plurimum subsidebit*, quod quomodo cum bile, aut inde productis humoribus cohæreat, ipsi viderint. Aut E. tales affectus bili falso adscribuntur ceu causæ, aut ipsa ratione acidi vol. non ratione □osi in talibus casibus peccabit.

Acidi morbosi origo.

§. 22. Scaturigo interna aberrantis acidi est ex ventriculo, sub cujus digestione acidum vol. saporem plus minus contrahunt assumpta, sive ex inspirato fermento, sive ex assumtis hunc ipsum derivare velis, quoad præsens negotium perinde est. Hic in ⊖ sum ♋sum temperatum in primis viis non ritè correctus, toti corpori, omnibusque ejus partibus, extra ventriculum penitus hostilis existit, & mille calamitatum, pro specifici acidi saporis, & partium, quas affligit proximè, differentia, artifex existit. Hinc enim in fluidis partibus earundem dyscrasiæ, turgescentiæ & effervescentiæ, indeque Phlogoses, p. n. corporis æstuationes, variæ coagulationes & concretiones &c. in solidis verò inflammationes, irritationes, rosiones, convulsiones, contracturæ dolores, alimenti proximi corruptiones &c. &c. Nec opus est, ut sensibus adeò manifestò ubique pateat, cum non torrentis modo undique diffundatur, sed odoris aut auræ instar subtilissimæ penetrando, appropriato subjecto se insinuando, in fluido quidem hujus texturam & motum intestinum pervertendo, in solido verò spiritum insitum imprimis alterando, operativum existat, id quod fermenti nomine aliàs insigniri solet, cum aptum subjectum alterando, seque in eo multiplicando, fermenti similitudinem repræsentet: qualis odor acidus fermentativus in

lue ♀ea, ab alio hauſtus, & humores & partes ſolidas inficiendo ſive alterando, ſeque in iisdem multiplicando, vel manu palpari poteſt, id quod & in ſcabie, variolis, &c. extra dubium, de quo jam ſupra § 12. ſcil. præter internam acidi peccantis originem ſupra inſinuatam, etiam ab extra, tam ab inſpiratis, quàm ſuſceptis aliunde contagiis idem contrahi facilè poteſt. Sanè quo ſubtilius idem, & quo facilius ſpiritibus ſociabile exiſtit, eò graviora & periculoſiora nocumenta, & quæ omnium difficilimè curabilia exiſtunt, infert, cum ſubtili tali acido compar objectum, non niſi difficulter obtineatur, hinc enim morborum hæreditariorum, item contagioſorum quorumvis & gravis nocendi ratio, & difficilis curatio dependet. Cum humorum quorumvis vitia & inepti acidi ſapores facilius alterabiles exiſtant, modò non ſpirituum peregrinâ tali aurâ contaminatorum vitio illi foveantur continuò.

§. 23. Conſtat ex dictis, per univerſam morborum Therapeuſin, remediorum iſtorum, aliàs præcipitantia dictorum, latiſſimè patens uſus. Acidi enim vitioſi ratione, ♂ tam potens quorumvis chronicorum morborum ſub generali cachexiæ nomine comprehenſorum, utroque in ſexu, exiſtit debellator. Lapillorum ♋ latè diffuſus uſus, à *Sachſio* tàm prolixè congeſtus, in *Gammarol.* hinc manifeſtus redditur, non ſecus ac aliorum oſtracodermorum. Cornuum Cervinorum acida abſorbentium creberrima exhibitio exinde explicanda: ♁ialia fixata, acidi vol. acerrimi appetentia, hujus ratione tam polychreſta remedia, ☿ialia pariter ritè fixata, ex hoc fundamento ad univerſalium apicem propius aſcendunt, præſertim ſi vi anodyna minerali ſimul imprægnentur, ſi ſcil. vera ſunt, quæ *Helmontius*, ad Paracelſi imitationem, de ☿io diaphoretico, it. arcano Coralino, decantat, & vel ex Cnöfelii ☿ fixo, ſive arcano corallino non nihil probabilia redduntur. Imò ex dictis patet in primis, ⊖ vol. □oſorum, ex animali & vegetabili regno parandorum, & v[illegible] ſolius ſpiritus ⊖ ✳ uſus planè polychreſtus, quæ utut minus inter præcipitantia numerata aliàs fuerint, potiora tamen fere inter illa ipſa exiſtunt, dum altius omninò penetrando, & ipſarum partium tàm fluidarum quàm ſolidarum texturam ſubintrando, multis in caſibus ſumme activa exiſtunt, ubi fixorum effectus fere hebeſcere obſervatur. Amica inprimis ſunt nobis ⊖ia illa volatilia, cum tota noſtri corporis machina, omnesque ejus partes, ſimilibus referta ſint, unde vix præ iis nobis magis convenientia obtineri poſſunt medicamina, præſertim ſi temperata nonnihil, & ☍ſa reddita fuerint, adeoque nobis promtius aſſimilabilia.

Latè diffuſus horum remediorum uſus.

Fixa inſipida ultra primas vias non pergunt.

§. 24. Nam fixa iſta, ut mineralia terra, metallica, lapidea, & vegetabilia ſtyptica, ac duræ animalium partes exque his parata calcinata uſta, ſoluta &c. C.C. uſtum: ſpecif. febril. Strob, terr. Sigill. Lap. hæmatit. ♂alia: ♁ diaph. bezoard. ☉ Unicornu animale & minerale, ultra primas vias materialiter haud penetrant, quin utcunque alterata, & in primis viis præcipitata, cum ſcoriis recrementitiis, per ordinarias portas denuò eliminentur, ut vel ♂ exemplo patet, ſcorias alvinas atramenti nigredine inficientis, id quod & in ♄ninis, & quam plurimis ☉libus remediis pariter evenire obſervatur: non ſecus ac nativa, vel artificialis ☿ii Cinnabaris, rutilante colore feces inquinare, & ita immediate per inteſtina excerni ſolet: Quæ ſolubilia facilius, ac menſtrui medio hinc inde diſtribui apta nata ſunt, & præter ⊖ia fixa etiam ♋ lapilli, oſſa lucii, & ſimiles animalium partes facilius ſolubiles, forſan altius intra corporis receſſus, extra primas vias diſtribui probabiliter videntur, hinc etiam talia ⊖ſo ſub acquiſito ſapore diuretica evadunt. Tamen conſideranti præcipitationem particularum metallicarum v.g. ♄ni in ✱ ſoluti. ☉ in ſpiritu ⊖, ⊕-li ♂, in primis viis, ſcrupulus facile ſuboriri poſſit, an non ſoluta licet iſta in ventriculo, in inteſtinis tamen, ante ſui in lactea propulſionem, pariter ſi non ex toto, ſaltem ex maximâ parte præcipitentur quocunque fiat medio, & ita foras amandentur. Similiter enim & oſſa à canibus ſoluta, aut teneriores lapilli à gallinis quaſi liquefacti, excrementa eorum copioſe impprægnant, etiamſi à ſanis, & quorum vis digeſtiva ac ſi ita loqui licet, ſolutiva, potens admodum exiſtit, devorata aut deglutita fuerint.

Duobus tamen modis etiam remotiores partes malè habentes curant.

§. 25. Quod tamen non obſtat, laudabili effectui eorum medicamentoſo, qui etiam ad longè diſſitas partes ſubinde extendere ſe obſervatur. Id quod duplici ferè modo accidere ſolet. [1.] *quatenus vitioſum acidum fermentativum in ventriculo & primis viis corrigunt, abſorbent, invertunt, & inde penetrantem undiq; odorem ſeu auram peregrinam figunt, & cohibent, ac natos inde defectus morboſos ità ſiſtunt.* Sic enim cancrorum lapis in ventriculo abſorbendo acidum ſaporem, vulneris etiam in pede ardorem, ruborem, ac inflammationem ſiſtit, quæ pathemata Vini tantillum mox ſenſibiliter exaſperat. Oſteocolla fixiſſimus Lapis, calli generationem in oſſium fracturis mirè promovet. Lac Lunæ, ut & Cryſtallus præparata, Lac nutricum uberius ſcaturire faciunt, abſorbendo acorem vitioſum primarum viarum, chylumque à p. n. craſi & texturâ liberando, ut aptior ſic fiat, qui & facilius & copioſius ad glandulas mammarias penetrare queat. Hæ-

matites

matites Lapis, hæmorrhagias narium scorbuticorum habituales, non secus ac unum idemque ♂iale, tam excessivas, quam defectivas menstruationes corrigit, neutro horum ad partem affectam proxime penetrante, quin acre istud specifici saporis acidum, cujus occasione tam immediate ex saguinis acrimonia, quam mediate, ex motus illius localis per fibrarum irritarum strictutaram modificatione varia, hæmorrhagiæ, vel intenduntur vel supprimuntur, in primo fonte alterando, & plus minus enervando. Pari modo, ac *Poterius*, ☉ suo diaphoretico fixo, ischiadem, ac contumacissimas paralyses optato eradicat. Sane si ventriculus sanitatis & morborum limes est, & ex ejus errato indeque nato peregrino sapore etiam largius dissitæ partes plectuntur, pariter ex eodem sapore fermentativo aut odore primarum viarum correcto, evulsa quasi radice fructus morbosi sponte emarcescent. conf. *Becherus Phys. subterr. l.* 1. *l.* 5. *c.* 2. §. 98. 99. ubi de modo quo ♁ diaph. coralia, testacea, C. C. ust. in febribus proficua & sudorifera existunt. Nec absorbendo saltem acida primarum solum viarum, remotas inde partes à morbosis insultibus liberant, quin si quid similis saporis vel in corpore oberrarit, vel in sanguine aut lympha fluctuarit, vel quadam in parte solida certo subjecto humoroso mediante resederit, hoc ipsum per continuum humorum circulum, ad primas vias pariter delatum, promte medicamento ibidem locorum, ceu appropriato magis subjecto se insinuabit, & ita successive concentratum ac fixatum à remedio, cæteris partibus minus hostile existet. Vigere talem mutuam conspirationem partium internarum, & externarum, contentorumque earundem, mediantibus humorum circuitibus, confirmat alvi per clysterem aut tantillum laxans in variolis vel purpura vel petechiis malignioribus proritatio, cujus occasione illius perniciosus fluxus, harum vero recessus, & cum sanguine ac lympha renovata permistio; hinc purgantia temere præscripta, criticum & salutarem sudorem sæpe inhibent, observante *Ballonio* & ex eo *Bonetto Pharos Medic. l.* 3. *num.* 21. *p.* 73. Sicut qui crebrius sudant, alvi ferè siccioris evadunt. Sudor verò ab aëre frigido cohibitus in morbis, nauseam movet: vid. *Frider. Bayle problemat. Medic. Physic.* 79. *pag.* 122. Hypochondriaci pariter, quo largiori fruuntur perspiaratione, eò cæteris paribus melius habent, quo minus, eò circa hypochondria sensiliora patiuntur pathemata. Adeo *Hippocrate* asserente, perspirabile & conspirabile totum corpus existit.

§. 26. Secundo modo quoque fixa, & his cognata medicamenta, quæ materialiter ultra primas vias non penetrant, etiam remotis in

locis effectus salubres exerunt, quatenus in structura machinæ corporeæ, ratione admirandæ nervosi systematis fabricæ, & inde dependentis multiplicis partium solidarum *consensus, ventriculi affecto sedato, etiam aliarum partium pathemata hinc sopiuntur.* Hypochondriacis jejunis, nunc caput dolet, nunc perturbatur, simplici cum Ventriculo, nervorum insignium ratione, consensu, quibus vel panis buccella citò & jucunde medetur. Parili modo senum jejunorum caput frequenter vertigine rotatur, quin & scotomiam patitur, quæ tamen Zingiberis in India conditi frustulum assumtum, vel ex ficubus c. sinapi & cardamomo parati electuarii usus brevi cohibet. Qui universum corpus in febribus intermittentibus quatiunt rigores, ex præcordiis, speciatim ventriculo excitari, litus ejus cum ☊ aromaticis penetrantibus, ceu optimum auxilium confirmant, unde & calcinata animalium eosdem internuo usu, multum imminuunt. Bezoardica mineralia, & animalium partes duræ, ex parte eatenus existunt sudorifera, quatenus in continuis, præsertim malignis, acidum istud acerrimum volatile, cujus in primis viis irritatione, ut præcordiorum anxietates, irrationes, tensiones, jectigationes, agrypniæ, ita & per consensum universæ acutis pororum strictura, absorbent & figunt, unde relaxatis hinc fibris, sub corporis quiete facilis sudoris profusio.

CAPUT III.

PRACTICUM.

Præcipitantium Legitimam administrandi methodum exponit.

§. I.

Absorbentia legitima methodo usurpanda.

OPerandi modum & usum præcipitantium dictorum prolixius, quam instituti ratio exigere videbatur, prosecuti sumus hactenus, restat, ut debitum eorum regimen, seu legitimam administrandi pro salute ægrorum methodum, etiam subjungamus. Multum sanè hic interest, cum vel ex hac ratione, diversos non rarò sortiantur effectus auxilia medica, ut quæ uni proficua, alteri nociva, tertio neutra existant, saltem ex variatâ applicandi methodo. Cujus respectu, & trivialia subinde saluberrima deprehenduntur medicamina, & sublima econtra auxilia, nil quod spei ab iis conceptæ satisfaciat, præstant. Rectè ob id olim

olim *Capivaccius*, arcana ejus practica sciscitanti respondisse fertur, *disce meam methodum & habebis mea arcana.* Sanè unum idemque remedium, quod rite administratum, manum Dei auxiliatricem repræsentat, perverse usurpatum, gladius est in manu furentis. De Præcipitantibus idem omnino asserendum. Quorum tamen administrandi methodum rationalem in genere difficile est determinate, cùm non tantummodo tam late pateat eorum usus, sed etiam in unoquoque eorum, præter generalem absorbendi & acidum corrigendi vim, vel specifica ejusdem potentia medicamentosa attendenda veniat, praetereaque pro individuorum ægrotantium diversitate, diversimode eorum applicatio determinanda sit: pro morborum quoque plus minus complicatorum ratione, distinctis subinde modis dirigenda eadem, & nunc solitaria, nunc aliis sociata, nunc primo, nunc ultimo loco administranda sint, nihilominus generalibus sub axiomatis & specialium, quantum instituti fert ratio, mentionem subinde injiciemus.

§. 2. Quod itaque attinet adhibendi modum, usurpari possunt Remedia ista absorbentia interne pariter & externe. Fundamentum scil. curæ externæ, vulnerum, ulcerum, & quamplurimum tumorum, similiumque pathematum, v. g. erysipelatum, herpetum, pustularum, scrophularum, est fermentum acidum, nutrimenti partis proximi alterativum, & plus minus in pus, saniem, ichores, similesque sordes corruptivum, in cujus correctione & extinctione, balsamique partis naturalis, hoc est spiritus insiti conservatione, totum chirurgorum versatur negotium: hinc pro priori isto scopo, ♄na, ♂ia, ♀ea, ⊕ lacea, terr. mineralia, ut bolus, creta, lap. calamin. &c. utramque faciunt paginam, absorbendo vitiosa ista acida, unà cum vulnerariis quibusdam vegetabilibus, alcali occulto, sive acidi blande saturativo impraegnatis. Adhibentur triplici fere sub forma: I.) liquida, epithematis, in Vino præsertim cocta, quale est epithema ad Erysipelata & inflammat. polychrestum *Zwölferi* in Pharm. Reg. p. 91. II.) *sicca:* sub subtiliss. pulv. forma: qualis est pulv. Erysipelat. aut ad consolidandas variolas Mynsichthi p. 136. & 134. III.) Mediâ unguentorum & emplastrorum: quale est emplastrum Miraculos. in *Miscell. Acad. Nat. Cur. anni 8. obs. 16. p. 23.* vel decantatum istud Noribergense, à *Zwölfer. Pharm. Reg.* 301. *aut Hoffmann. Thesaur. Pharmac. p. 69. descriptum,* aliaque plura, hinc inde obvia. De cætero quoad hos externe applicandi ista medicamina modos *obs.* 1. Epithemata, non æque semper convenire, cum facilè refrigerentur, unde ex humidi & frigidi contactu, ob cutis molestiam pori stringuntur & arctantur, transpiratio insensilis

Idque tam externe quam interne.

sensilis sistitur, & non rarò prava symptomata excitantur: Chirurgi vocare solent, Es wird der Schaden erstickt: obid semper & sæpius calide renovanda veniunt. *obs.* 2. Quoad Emplastra, quo minus composita, eò meliora, ne plurium farragine unctuosorum, mucilaginosorum, viscidorum, obruantur & ita incarcerentur remedia ista, quo minus odor acidus morbosus ea attingere & penetrare queat. Interim non rejicienda eorundem vel crudorum, vel ✢ prius impraegnatorum, præsertim ♄norum, cum 🝆 comm. decoctio sufficiens, quo ab acido olei arrosa, eò arctius cum 🝆 in æquabilem misturam coëant, dum sub præparatione tali, 🝆 acido suo spoliatū & magis alcalinum sic factum, sub textura hinc minus vitiosa minusq; unctuosa casibus præfatis melius inserviat, metallica vero ingredientia hoc ipso texturam & dulcedinem nonnihil Osam acquirant, facilius & ulterius ab acido istorum pathematum saturandam. Sed cum non rarum sit, in erosionibus aut ulceribus præsertim, vel doloris ratione, vel idiosyncrasiæ cutis quorundam ægrorum respectu (eorum scil. quorum corporis fluida sapore acri & ⊖ siori sunt impraegnata, ut in specie sunt scorbutici, & isti, qui teneriori simul cuti investiti sunt, quibus retentum ex admotis unctuosis aut emplasticis quibusvis transpirabile effluvium, acrius, pruritum, excoriationem, inflammationem infert) ut quædam subjecta, non æque ferre possint emplastra, optimum est, quod *obs.* 3. sicca pulverum forma, excoriationibus, ulceribus dolentibus, præsertim inveteratis manantibus, talia saltem inspergere. Eminet hæc inter terra ista ⊕-li dulcis, quæ sub præparatione ♀ ⊕-leati ad imitationem *Tachenii in Clav. c.* 6. *p.* 101. sponte cadit, & quæ internis usibus, æque ac terra ⊕-li dulcis alia, aut crocus quilibet ♂ adstrictivus inservit, quin & Tinct. ista ♂ adstringens, quæ alias falso Tinct. ♀is ⊕-titulo superbit, commode ex eadem parari potest. Hæc ipsa ritè edulcorata, & subtilissimè pulverisata, elegans est absorbens, & hinc exsiccans externum, plurimis usibus inserviens. Hinc pro re nata & alia varia addi possunt, in specie laudabilis emergit pulvis compositus, si Rec. Terræ hujus ⊕-li dulc. ℥j. Ceruss. ritè paratæ. ℥ß. C.C. ust ʒiij. myrrhæ: aloës macis an. ʒj. camphor, ℈j. ad ʒß. misceantur & debitis cautelis applicentur. His ipsis pro circumstantiarum ratione, usus tempore & alia addi possunt, nunc ⊖ ♀ q. s. aut fl. ♀, a. maligniori notæ si fuerit malum, ☿ius dulcis, aut ubi fortius agendum, nonnihil ☿ii ⊽ti communis.

Perverso enim abusu multum nocet.

§. 3. Sed misso externo usu, interna eorundem administratio eò exactius consideranda venit, quo & crebrius ac simul salubrius *legitimo usu* in praxi medica adhiberi solent, & quo gravius *perverso abusu*

abusu nocere possunt. Unde non nisi quibusvis observatis artis legibus, ac debito cum regimine in usum vocanda. Tria autem primaria sunt capita, ex quibus, quidquid nocumenti sub perversa illorum exhibitione metuendum est, ferè exsurgit. I. *Omnia gravant Ventriculum, idque plus minus, prout magis vel minus fixa, facilius vel difficilius resolubilia &c. extiterint, & laborem ferè tœdiosum eidem facessunt,* dum assumtorum instar, more naturali, conficere eadem aut alterare gestit, quæ ventriculi offensio eo sensibilior erit, quo debilior vis digestiva morborum sub conflictu existere solet. Quin & irritando subinde eundem, ex fibrarum ejus pertinaciori stricturâ, præsertim in tenerioribus ac sensibilioribus, manifestus gravativus ac compressivus sensus ab usu eorum percipitur: Imò vel crustæ mucosæ ventriculi, vel hujus plicis pertinacius inhærendo, diversimodè tam particularem ejus Oeconomiam, quam functionem publicam turbare valent. Vomitorio sanè propinato, interdum copiosa talia rejecta fuerunt, diutius in Ventriculo quæ substiterant. II. *Digestionis primæ arduum negotium, in quo vitæ sanæ & ægræ longæ & brevis cardo vertitur, subinde, præsertim sub immoderatiori usu impediunt,* suique permistione chylo consistentiam & proprietates plus minus vitiosas conciliant, unde & impedita ejusdem distributio, & p. naturalis fecum ex eodem separatio subinde contingit. Scil. ex quamplurimis (qualia sunt calcinata animalium, terrea mineralia, ♂ialia &c.) dum acido saturantur, concretum novum, quasi ○sum, adstrictivæ & incrassativæ facultatis exsurgit, quod sui cum chylo miscelâ, aut hujus aut fecum consistentiam spissiorem, simulque alvum contumaciorem reddit. Sin ex quibusdam eorum (ut □osis, it. marinis, testis &c.) cum acido concretum ⊖ sum emergat, abstersivum ac diureticum, citata nimis chyli & fecum hinc distributio, ac per alvum exclusio, vitiosa pariter harum ex illo præcipitatio supervenit. Quoties observare contigit, ex Chinæ Chinæ abusu febrifugo, vel intempestivo, vel in subjecto teneriori, pertinacissimam alvi inductam adstrictionem, cum abdominis tumore ac tensione molestissima. Repetitis quoque vicibus observasse me recordor, ex intermittente tertianâ, inordinato usu specifici Strobelberg. vel solius vel cum Lap. ♋. tandem oppressa, febrim continuam lentam, cum virium prostratione, præcordiorum gravativa anxierate, muci copiosi glutinosi in osscaturigine, & subinde crebriori excretione supervenisse, ex chyli impedita fermentatione & volatilisatione oriundam, præmisso vomitu materiæ viscidæ, per incidentia & attenuantia præsertim tartarea & ⊖ ✳cum, hinc &

aromatica curandam. Idem in continuarum cura observare licuit, quæ copiosioribus hujusmodi absorbentibus & figentibus, speciatim ex animalium partibus duris & ♃ialibus fixatis, tandem curatæ, diuturnum languorem, ex spirituum inopiâ, ob digestionis primæ impedimenta, comitem post se traxerunt. III. *Acidum morbosum concentrant, an nimis figunt*, indeque motum ejus, licet corporis partibus p. naturalem, ac dependentes ab hoc fluidarum alterationes, vel in solidas impressiones, præmature sistendo, simul Naturæ medicatricis conatum, illius occasione suscitatum, sub morboso statu (qui nihil aliud est, *quam Naturæ conamen, materiæ morbificæ exterminationem in ægri salutem, omni ope molientis*, ut rectè hoc asserere videtur *Sydenham* in *Observat. circa morb. acut. Sect.* I. *c.* I. *p.* I.) hoc ipso cessare intempestive faciunt. Concentrant & figunt plus minus acidum morbosum absorbentia & invertentia illa, vel immediate, vel mediate. Immediate coëundo materialiter cum illo, unde novum concretum, utriusque ex coalitu emergit, cui ubi subjectum humorosum accesserit, hoc una in coaguli consortium assumtum, aliquid tertium, texturæ & proprietatum peregrinarum, consistentiæ plus minus (pro elementorum sive ingredientium diversitate) viscidæ ac glutinosæ inde producitur. Simili modo, ac acidum podagricum ab alcali synoviæ articulorum saturatum, in hac ipsa in calci vel cretæ simile corpus figitur, mutuoque omnia coagulantur: vel sicut acidum in calce vivâ, cum terræ substantiâ ▽ mediante, sub illius per hanc saturationem in Lapideum ferè concretum coagulatur, quod longè firmius fuerit, albumem ovi si accesserit. Mediatè verò figitur & concentratur acidum morbosum, si hoc in parte quadam solidâ, ceu minerâ delitescens, partibus suis subtilioribus promtè remedio se insinuet, vel modo supra §. 23. insinuato, vel isto, à *Tachenio* curioso cryptographiæ exemplo in *Clav.* cap. 9. pag. 237. illustrato, & ab hoc absorbeatur, dum cæteræ in subjecto materiali (sive materia occasionalis antecedens, sive productum morbosum consequens fuerit) magis irretitæ, cum eodem firmius coagulantur, & intimius eidem uniuntur. Qua ratione ♂ialia, lienosis aut hepaticis, ad scirrhiosam constitutionem vergentibus, subtilius quod fuerit acidum absorbendo, residuum ad majorem indurationem ac coagulationem disponunt, ut rectè annotat *Tachenius.* Clav. c. 8. p. 181. 192. de quo plura infra. Est enim Volatilitas & fixitas modus quoque rerum saltem respectivus, qui uti texturam earum mechanicam insequitur, & vel △ vel Aëris vel utriusque respectu ita dicitur, ita mutatâ quoque undecunque textura,

textura, cum & ſine additis, & variata particularum vel mole vel pondere vel implicatione mutua, etiam proprietatum harum mutatio: ☿rius ita in △e eſt volatilis, tamen mutata ſimpliciter ſub hujus artificio textura, multum volatilitate perdit, & ad notabilem fixitatis gradum perducitur, ut in ☿io per ſe præcipitato patet, qua ratione & ♀cmm. in △e alias Volatile, fixum tamen reddere nititur *Poleman. de ♀e Philoſ. p. 201.*

§. 4. Ex quibus ulterius pateſcit, quare ſub illegitimo uſu, hujusmodi abſorbentia (niſi ſpecifica fuerint) ſæpius ſaltem morbum pallient, non eradicent, quin *vel* crudelior ejusdem recidiva ſuperveniat denuo, *vel* prioris in alium, ſubinde aut deteriorem, aut magis chronicum mutatio accidat. Prius illud quidem, acido utcunque oppreſſo & fixato, ſucceſſive, idque ferè rerum non naturalium occaſione, denuo reſoluto & in motum priſtinum concitato: poſterius hoc verò, eodem partis cujusdam vel per eſſentiam, (materiali ſui præſentia,) vel per conſenſum functionem impediente, aut vitiante, indeque novas p. n. læſiones inducente. Idem ferè accidere hîc mihi videtur, (ſimili quodam rem illuſtrare liceat) atque in automaton aliarumve machinarum elateribus in motu ſuo elaſtico oppreſſis aut impeditis, qui, ubi qualicunque occaſione, motionis reſtituendæ datur libertas, aut celerrima agitatione, ac geminato vel triplicato impetu priſtinos motus quaſi compenſant, aut ſaltem vitiatis motibus, machinæ ordinarios motus ac uſus turbant & lædunt. Concentratum ſanè acidum morboſum, dum motionis reiterandæ datur occaſio, multiplicata quaſi vi elaſtica, ex concentrata ſui & mole, & nixu motivo &c. ferocius reſurgit, unde & irritata Natura intenſiori conatu ipſi reluctatur, adeoque atrociores recidivæ exſurgunt. Aut ſi utcunque alteratum, priſtinos motus ac actus repetere nequeat, nunc alienis ſaltem motuum rationibus initis, nunc naturalibus partium corporis motibus & functionibus plus minus læſis & hinc vitiatis, novorum p. n. motuum morboſorum, in machina corporea, occaſionem ſubminiſtrat. Sæpiſſime ex Chin. Chin. aut ſpec. Strob. & Croll. ſimiliumve abuſu palliatæ, duplicatæ aut triplicatæ reſurgunt febres intermittentes ſimplices: aut iisdem fixioribus copioſius tractatæ, præter languorem totius, diſpoſitionem ad Icterum relinquunt; quin etiam fermento, in fomite materiali concentrato & fixato, utcunque denuò reſoluto, aut in motum aliqualem concitato colicæ convulſivæ atrociſſimæ excitantur. Qualem graviſſimam cum ordinariis ſtipatam contumacibus ſymptomatis, ex 🝆 deſtillat. juniperi, pro tertianâ chronicâ curandâ, continuato

Speciatim Recidivas prioris, aut generationem novi morbi inferunt.

aliquando usu ante paroxysmum pro hac quidem intentione felici, bis observasse me memini: idque ut suspicor, quatenus 🝆 destillat. cum acido febrili, in chronica febri quavis ex causa paulò fixiori, in concretum quasi resinosum, sed acre admodum coaluit, simili ferè modo, ac spiritus ⊕-li rectificatus cum 🝆is pluribus destillatis in resinam coire solet, quod pertinacius vel intestinis agglutinatum, vel glandulis mesenterii infixum, vel circa nervosos hujus plexus depositum, irritatione continua, occasionalis causa torminum dictorum extitit. Simile dolorosum infortunium ex sacch. ♄ni cum Lap. ♋ crebriori usu & copiosiori, ante quartanæ chronicæ accessiones usurpatæ, ægrum quendam nobilem prehendit, quo licet denuò sedato, nihilominus tamen statu sub paroxysmorum periodo, aliquandiu vestigia torminosa adhuc perseusit, quibus post aliquot peridorum intervallum, nihilominus ejusdem febris Recidiva supervenit. Rectissimè *Schenckius Diss. supr. alleg.* §. 13. *Præter materiam, termini motus hujus*, (præcipitationis, ut cum vulgo appellat) *sunt spectandi, ne plus obsimus, quam prosimus, materiam morbificam præter necessitatem figendo, veluti persæpe accidit, ut à datis hujusmodi præcipitantibus & propinatis, epileptici quidem motus sistantur, mitescantque paroxysmi febriles, verum postea quod præcipitatum fuit, circa nobiliores partes sedem figens, circulationem sanguinis sistat, & mortem inopinatam inferat:* & §. 15. *Sic vidimus à præcipitantibus uterinis ortam fuisse dyspnoeam; à tertianâ intermittente cohibita per specificum febrile cotidianam & quartanam.* Motuum Epilepticorum præcipitantibus sive figentibus talibus inhibitorum mentio à *Schenckio* facta, in memoriam revocat puerum ingenuum X. annorum, epilepsia habituali particulari, diaphragma saltem primariò, hinc & secundariò partes vicinas quatiente, correptum: qui præmissis præmittendis alterantibus & evacuantibus usu pulveris ex Visc. corylin. ℥iij. Corall. rubr. præp. ʒj. 🝆 destill. succin. gutt. XViij. M. aliquandiu omni mane continuato à malo penitus liberatus videbatur. Sed corripiebatur post aliquot septimanarum intervallum febri continua acuta gravi, cum exquisitis abdominis convulsivis circa umbilicum doloribus. Suspicabar, fermenti morbosi spiram (secundum simile supra insinuatum) concentrantibus istis & figentibus nimis quasi intortam, & in motu ordinario impeditam, data occasione eò concitatiori impetu, motus, si non eosdem, saltem novos instituisse, sicque vehementius Naturam ad extraordinarios morbosos motus stimulasse, idque partim, solidas

quibus

quibus pertinacius affixum erat partes, ſenſibilius irritando (idque pro-ut adhuc fixatum) partim M. S texturam & Craſin vitiando (prout ex parte reſolutum,) donec extraordinariis his motibus remittentibus adeoque præfatis malis curatis, ordinarios in motus rediret & priſtinum Epilepticum malum, eodem tenore denuò affligeret. Curabatur hoc ipſum inſequente demum anno perfectè, idque uſu acidularum egranarum, ♂e fermentum acidum abſorbente & enervante, ſpiritu acido minerali undique penetrante, & fomitem morboſum ſive materiam occaſionalem potenter reſolvente & abſtergente.

§. 5. Juvat hæc ipſa, ceu magni in praxi ponderis, paulò ſpecialius per 3. materiæ medicæ regna conſiderare, idque præſertim, quo ad intermittentium febrifuga, quibus præcipitationis effectus primariò ferè adſignatus fuerit, ac quorum nocumenta ex illegitimo uſu, manifeſtius patere ſolent. Superius dixi, *corticem peruvianum*, ſeu Hiſpanorum *Palo de Calenturas* h. e. lignum febrium, fugare ſuo uſu quasvis intermittentes, id quod veriſſimum arbitror: nec has ſolùm, quin à modernis is ipſe ad continuas quoque, tàm benignas quàm malignas, quin etiam plures ſymptomaticas lentas ſive accidentales, item, quæ ex decubitu materiæ peccantis in quandam partem oriuntur, ſucceſſu ab illis laudato adhiberi ſoleat. Sed hoc ſimul obſervari ſolet, quod ordinariò ferè alvi occluſio pertinax, tumor abdominis, ejusque durities ac dolores tenſivi inſequi ſoleant, quibus vel ſucceſſivè remittentibus vel per purgantia propinata, aut ſpiritum ⊖ ✱ exhibitum, nonnihil irritatis, eadem febris, ſimili, interdum intenſiori furore recurrat. Sanè aliquoties cum tædio contigiſſe memini, profligatas, ut videbantur illo remedio febres ex ſpiritus ⊖ ✱ uſu promtè recidivaſſe: adeò ut caſu hoc in conſilium mutato, quibus ex corticis illius uſu, vel proprio auſu, vel Medici præcoci conſilio, febris ità palliata eſſet, ut evaneſcentibus licet inſultibus, vel ſupra dicta abdominis pathemata, vel artium oſtocopos quaſi laſſitudo, vel virium deficientia cum nocturnis ſudoribus, pertinaciter ſupereſſent, adeòque quibus pro tuta, ſimulque cita cura, febriles Naturæ motus revocandi eſſent, iis per ſpiritus ⊖ ✱ propinationem, mox eadem febris reſuſcitata fuerit. Adeò infidum ſæpius eſt, decantatiſſimum aliàs Chinæ Chinæ contra febres auxilium, etiamſi præmiſſis ſedulò præmittendis, & accuratâ methodo eadem adhibeatur, ut frequentiſſimè recidivam comitem poſt ſe trahat, ut *Williſius: de febr. c. 4. p. 153. Chiffletius de pulv. peruvian. c. 4. Bartholinus. cent. 5. hiſt. 50. Sydenham. Meth. curand. febr. p. 82. & obſerv. circa morb. acut. p. 96.* quoque notarunt, quin interdum fruſtra, & absque paroxyſmi leva-

Confirmatur per exempla: 1. ex regno vegetabili.

levamine adhibeatur, conf. *Piens de febr. p. 2. cap. 12. p. 275.* ut taceam singulare istud, quod refert *Sydenham. Meth. cur. febr. p. 82. quosdam pulverem illum, immediatè ante paroxysmum exhibitum, è vitâ sustulisse.* Vix adeoque tutius exhibetur, nisi vel declinante jam febre, quod revera tardius fit in quartanis, vel robustioribus subjectis & laudabili Viscerum eutonia præditis, in specie mechanicis, & laboriosam vitam agentibus, & qui post ejus usum motu corporis vehementiori exercentur, propinatum fuerit, instituendo simul, aliquot abhinc diebus summè necessariam purgationem. Obtinet hoc de cortice dicto, *antè paroxysmum,* more hactenus recepto exhibito, quacunque etiam subministretur formâ vel pulveris ad ℥j, vel infusi in Vino generoso à ℥j. ad ℥ij, vel decocti cum ℔ Vini, cum & sine substantia, vel essentiæ, cujus præter *Rolfinccium de Chym. p. 207.* & *Zwölferum Pharm. Reg.* p. 76. optimam præparandi rationem docet *Blegny* in *Zodiac. Gallic. anno 1. obs. 1. p. 2.* cujus præscriptâ ratione diligenter præparatæ & ad ℥ß ante paroxysmum exhibitæ, quin & intermittentibus diebus continuatæ usu, nihilominus tertianas recidivasse haud absque tædio expertus fui. Concinnior adeòque ferè, ac tutior ista videtur exhibendi methodus, quâ *post paroxysmum,* & intermissionis tempore, idque præsertim in infuso cum Vino, repetitis tamen crebrius vicibus exhibetur. Videtur enim sic minus turbari Naturæ motus, minusque intempestivè concentrari, saltem non uno impetu quasi incarcerari & figi fermentum febrile, quin successiva hujus correctione, & blandâ sanguinis aliorumque humorum alteratione, citâ tuta & jucunda magis videatur cura. Docet hanc methodum prolixius Autor Anonymus, in *Tract. De la Guerison des fieures, par le Quinquina,* nuperrimè Parisiis edito, de qua ulterior tamen consulenda venit experientia. Saltem recordor, in quartana contumaci, Electuarium ad imitat. *Sydenham: obs. de morb. acut. c. 5. p. 99.* diebus intermittentibus propinatum, spem meam fefellisse; sicuti in alio, similiter quartanâ diuturnâ conflictato, post repetitum crebrius cum ♁ diaphor: permistæ Chinæ pulveris usum, idque diebus intermittentibus quotidie bis vel ter, ut & ante paroxysmum, profligatam apparenter febrim aliquandiu siluisse, donec datâ levi occasione post aliquot septimanas, pristinâ ferociâ resurgeret.

§. 6. Modus curandi, & supprimendi febres in hoc Cortice, est pomum Eridos. Præcipitationem fermenti febrilis, multi afferunt. Non ineptè dicitur in *cent. 2. Epist. 42. Bartholin. p. 530. Fermentum istud quartanæ hoc medicamento quasi vinctum, & in unum compactum,*

nisi

niſi apti cujuſdam & appropriati purgantis beneficio è corpore educatur, vim ſuam fermentativam tandem exſerturum, unde perpetuum quartanæ fomitem derivare poſſemus. Si liberius paulò, in re aliàs intricata, philoſophari licet, duplex ſubſtantiæ materialis differentia in cortice hoc obſervanda venit, *prima* particularum acrium inſigniter amararū, & aromaticarum: *altera* particularum ferè inſipidarum, (aut ſaltem ſubauſterarum) ſtypticarum, adſtrictivarum, quaſi magis terrearum, & ex hypotheſi *Tachenii H.C. c.17. & 19.* ad ſimilitudinem gallarum & malicorii (quorum effectus colcotharis ex ⊖-lo præcipitatorius pariter in aliis adſtringentibus radicibus & corticibus, v.g. cort. tamariſc. fraxin. quajac. rad. tormentill. fl. roſar. rubr. &c. obſervatur) alcali occulto, quod vicinius eſt fixo, imprægnatarum. De ⊖e enim eſſentiali, quaſi ⊖-lato, ut vocant, ex ſubjectis talibus eliciendo, it. de vi vegetabilium adſtrictoria, in ſapore auſteriuſculo, & textura quaſi Oſſa fundata, vitandæ prolixitatis ergò, nil attinet dicere. Uti itaque hæ *poſteriores*, fermentum febrile acidum abſorbendo, illud figunt, & concentrant, & ita quaſi in unum compactum reddunt, (unde pathemata iſta abdominis, ex fibrarum & membranarum, occultè quidem, ſed pertinaciter irritatarum ſpaſmo ſcilicet, oriri videntur) ita illæ *priores* attenuant fomitem materialem plus minus viſcidum, reſolvuntque eundem, detergunt ſimul nonnihil primas vias, & hac ratione, præter inſignem, quem provocant appetitum, Maſſ. Sangu. & ſpeciatim genitæ inde bilis acrimoniam volatilem apprimè acuunt, eorundem dyſcraſiam ſub febrilibus paroxyſmis contractam corrigunt, vique diaphoreticâ eosdem depurant. Uno nomine, *Diſpoſitionem* iſtam in ægro, cujus occaſione ſemper recurrunt paroxyſmi, conf. *Sennertus de febr. l.2. c.2. p.66.* & 69.70. & in quâ fundamentum quorumvis morborum chronicorum ponitur à Galenicis, vid. *Ballonius* in ſuis ſcriptis, *in ſpecie l.1. conſ.106. & de Virg. & mulier. morb. c.7. annot.* 13. quam per *ſpecificum fermentum* non inconcinnè explicat *Tachenius Clav. c.9 p.240.* id quod & *Sennertus* jam ſubodoratus eſt, ut loc. cit. conſtat, tollere videntur. Uti ergò proficuus pro febrium fuga cortex iſte utroque ex puncto exiſtit, ita ratione prioris illius figendo nimis, & intempeſtivè concentrando plus minus febrile fermentum, febrim ſiſtit, ſed non ſemper extinguendo penitus, nec perfectè ſaturando acidum ſpecificum febrile, recidivæ occaſionem relinquit. *Poſterioris* verò ratione evenire arbitror, quod mox melius multò, ſibi habere videantur ægri, & famem tantum non caninam ſubinde contrahere, quin & recidivæ quæ ſuperveniunt, utplurimum, (niſi aliud quid

quid obstet) facilius curatu existere soleant, quam ipsa febris primaria, antea saltem suppressa. Dubitare itaque licet, utrum præter singulorem acrimoniam amaricantem tam speciale quid in hoc cortice reconditum sit, quod per similes cortices ac radices, quin & per Visca non æque commodè suppleri queat. Si non ex toto, ob specificam cujusvis simplicis seminalem crasin, saltem maxima ex parte. Sanè uti saporis similitudine gentiana ipsi propius accedit, de quo paulò infrà, ita suspicari licet, costum Arabicum seu Syriacum, cum & ipse de corticum sit familia, prout in officinis hodiè receptus est, illius vice fungi posse. Alios quod attinet cortices, sanè ex nuperrima amici relatione habeo, se ob pretium peruviani hujus corticis carius, corticē ligni quajaci in quartana, parili utendi modo, & æque felici successu substituisse. Id quod sanè haud improbabile videtur, præsertim si cortex ligni acrioris accipiatur. Deprehenditur scilicet interdum quajacum, cujus decoctum piperis instar acerrimum est, quod etiam jam *Hoffmannus* observavit, *de Medicam. officin. l. 2. c.* 128. *p.* 380. & in hoc ferè differentia quajaci & sancti lignorum consistere videtur. Cortices tamarisci & fraxini, ac gentianæ (credo quod hujus radix intelligenda sit) cum ⊖ ibus additis fixis, illius Peruani, loco cum fructu usurparit *Piens.tr.2. de febr. c.XI. p.259. & c.12. pag.275.* Non secus ac *Deckers, comment. super Barbette Prax. l. 3. c. 3. p. 112.* illius loco pulverem compositum basi cortic. quajac. & fraxin. superstructum, substituit. De Viscis par ratio, quæ cum cortice hoc peruviano permutabilia quasi videntur: uti enim per viscum quercinum ʒj. dos. ante paroxysmum robustioribus propinatum, intermittentes aliquoties curatas novi, id quod pariter *Primirosius* seu contra quartanam proficuum observavit, *de febr. l. 3. c. X. p.* 300. quæ aliàs, in specie corylinum, de quo supra, ad Epilepsiæ medelam specificâ laude cluent, ita & hodie peruvianum illum corticem in Anglia ad Epilepsiæ curam auspicatò adhiberi pro certo relatum fuit: non secus ac ad hypochondriaca, ut hysterica pathemata, it. pallidos colores & Mensium suppressiones, à quibusdam in Gallia, per experientiam confirmatis, commendatur. Gentianæ denique radix, debito usu, ad illius corticis (qui gentianæ Indicæ fruticis, respectu nostræ herbæ, esse videtur *D. Glanz.* apud *Hoferum in Herc. Medic.* p. 291.) vires propius accedit, sine eo, ut abdominis illa, de quibus supra, pathemata ejus usum insequantur. Siquidem illa ipsa, saltem pulveretenus assumta, ad tormina abdominis, it. ad passiones hystericas, egregii usus existat. Quantum v. febrifuga vi polleat, notharum præsertim ac chronicarum tertianarum &c. speciatim

ciatim ſuccus ejus inſpiſſatus, doſ. ʒj. vid. in *Schrod. Pharmac.* ubi de gentiana: *Geſneri Epiſt. l. 2. p. 62. Augenio. l. 7. Conf. & Epiſt. 8. p. 173. Chifflitio de pulvere peruvian. c. 4. p. 35.* Certè ʒj. pulveriſatæ ejusdem, in Vino generoſo aut Vino abſinthite macerata, ſicque totum infuſum ante paroxyſmum propinatum, quin & pro neceſſitatis ratione, reiteratum, eosdem ferè, cum illis corticis Peruviani, effectus febrifugos exſerere, obſervare licuit. Unde etiam radicis hujus beneficio adulterari jam corticem peruvianum fraus inſtitorum dedicit, ſurrogando ejusdem loco corticem quercinum, decocto radic. gentianæ, pro amaritie acquirenda ebrium & imprægnatum. Præfero tamen ipſi pulveri extractum ejus cum ſpiritu V. factum, à ʒß ad ʒj, cum ⊖ is cujusdam □ oſi, vel fixi, ut abſinthii, ℈j vel volat. ut ſpiritus ⊖ ✳, ʒß ſociatum, variatâ tamen doſi ingredientium, pro ſymptomatum in ſpecie caloris ac frigoris ratione, in ▽ a appropr: ante paroxyſmum propinatum, ceu non contemnendum, etiam in quartanis remedium. Æquipollere cortici Chinæ, gentianam ejusque extractum aſſerit expertus *Ludovici in pharmac. p. 253. & 278.* præfert v. eidem ⊖ ia alcaliſata, pro febrium cura *Barbette*: multi uſus practicus, *in Prax.* c. l. p. 112. Utraque ergò hæc juncta, inprimis proficua erunt, contra violentam, ut ſic dicam, fixationem, aut intempeſtivam concentrationem, attenuando fomitem materialem, ſaturando fermentum febrile, & per ſudorem ac Urinam depurando maſſam ſanguineam, unde eo ipſo Recidivæ ſimul præcavebitur inſultus.

§. 7. Animale regnum primariò partes duras ſuggerit, eas- (2) *Ex regno animali.*
que nunc △ e calcinatas, ſeu uſtas, nunc ſine △ e præparatas. Omnia hæc acida fermenta, & inde producta morboſa ſimilis ſaporis vitioſi, promtè abſorbent, & ità concentrant ac figunt: idque omnium maximè calcinata marina, quæ inter famoſiora ſunt, ſpecifica febrilia iſta Crollii, ex teſtis longis Cochlearum, *in Baſilic. p. 297.* & *Strobelberg.* ex matre perlarum calcinatis, *Introduct. Remed. pro febr. p. 13.* Sanè hæc ipſa ad Calcis vivæ naturam propius accedunt, unde & recenter parata ▽ æ affuſione effervescunt & incaleſcunt, ac ⊖ ✳ ci commiſta, hoc ſubitò ⊖ vol. eructat, abſorpto promte acido ⊖ ✳, adeò ſitientiſſima acidorum exiſtunt, & ceu exhauſta corpora, promte cuivis acido acceſſum admittunt, illudque intimè imbibendo potenter figunt, ac ità paroxyſmos febriles inhibent; Ac ſanè legitimo uſu, ſpeciatim temporis & doſeos ratione, firmioribus ſubjectis exhibita, ut recte hoc notat *Hartmannus ſuper Croll. Baſil. p. 300.* quia

infirmi talia non ferunt, sæpissimè febrim feliciter profligant; Sed eo ipso, quò potenter adeo figendo, Naturæ motus suspendunt potius, quàm quod fermentum febrile exsaturent, crebrius non absque nocumento propinantur. Nil familiarius, quàm calcibus talibus recidivas supervenire, nunc simplices, nunc idque crebrius, multiplices, & hæ ipsæ prioribus febribus fere contumaciores, nisi bene tractentur, quarum rationes, ex supra dictis, facile erui possunt. Sin minus hoc contingat, sane abusu suo diuturnos languores, & interdum lentas febriculas, hecticis quodammodo similes post se trahunt, ut supra insinuatum. Aliquoties etiam contigisse recordor, quod languores illi, haud prius cesserint, quàm Icterus quidam supervenerit, isque cum ægrorum levamine, qui non tam ex hepatis bilisve vitio, saltem non primario, quam ex læsa digestione prima, ejusque in intestinis deficiente perfectione oriri videtur, quâ chylus sanguificationi ineptus loco rubedinis, flavedine saltem vitiosâ inquinatus, tandem spontaneâ per motum intestinum separatione & præcipitatione à reliquâ massâ secretus, Ictericam defœdationem induxit, volatilibus cum junctis amaris, v. g. spiritu ⊖ ✱ cum Essent. cent. min. ac absinth. facile curabilem. Potius ergò, saltem tutius usurpantur non calcinata sed saltem vel simplici tritura, vel prævia cum ✠ secundum *Mynsicht. armament. p. 97.* aut cum lixivio acri secundum *Rolfinccum in Chym. p. 379.* extractione præparata. Aut si ustis nihilominus, certas ob circumstantias, utendum, terrestria calcinata C. C. ust. aut Ebor. ust. præferrem, insigniter quoque absorbentia & attemperantia, ast non adeò concentrantia, nec figentia, ac illa marina, quorum calces, ad mineralem naturam ferè propius accedere videntur.

(3) Ex regno minerali. §. 8. Minerali in regno excellit, & frequentioris est usus ♂, ipsique affinia subjecta plurima, de quo cùm sæpius in his thesibus detur agendi occasio, subjectum aliud, ⊕-lo ejus cognatum, multi pariter usus, consideremus, & hoc sit Oen. Simplex, ut inter febrifuga admodum decantatum, imò magis universale, utpote quod intermittentes præter, & continuis & hecticis debitâ sub præparatione dicatum est, ita etiam quibusvis in morbis Laxis, à methodicis stricto oppositis, & huc pertinentibus inprimis fluxibus quibusvis, non contemnendi usus, qua ratione in diarrhæis, dysenteriis, uteri quoque hæmorrhagiis revera utiliter adhiberi solet. Quoad vim præcipitatoriam in febribus, equidem ad intermittentes vel crudum adhiberi potest, conf. *Exeges. Chym Tenzelii in salam.* p. 664. in specie in quartana laudare istud satis nequit *Hartmannus in Prax. Chym. c.* 238. §. 4. *p.* 324. &

novi

novi hanc ipsam contumacem, à Medico per plures Menses tractatam, tandem pulvere, ab empirico, ceu universale febrifugum decantato, ex Ois, ⊕ depurat: & nuc. mosch. ad ℥j, cum pauco sanguinis draconis, pro fuco tincto, pro tribus dosibus, mox primâ ejus dosi, ante paroxysmum propinata, profligatam: quod idem videtur esse remedium, quod alia licet sub compositione, super basi tamen Ois, ad quasvis laudat intermittentes *Rhumelius in latro Chym. C* 13. *p.* 427. conf. potio febrifug. *Piens. de febr. l.* 2. *c. XI. p.* 259 & *c. XII. p.* 276. ut ut crudo tali præferendum videatur, ob causas, quæ ex infra dicendis, sponte patebunt, magisterium illud *Schrôderi Pharmacop. p.* 479. præterea ad scorbutum, quin & Epilepsiam nonnullis laudatum. Continuas verò quod attinet tam acutas, in quibus etiam simile artificiale Osum concretum, scil. sacch. ♄ni, aut crystalli mineræ hujus cum spiritu ⊕i parati, quibusdam multum extollitur, quam lentas Hecticas, in his præparatio, & digestio sive coctio artificialis, ut dulcedo O sive ejus saccharum, ut vocant, acquiratur, necessaria videtur, de qua consulendus *Poterius, Pharm. l.* 2. *c.* 9. & speciatim *Dariotti de præpar. Medic. pag* 245. *c.* 24. ut & *Hoffmannus in Clav. Pharmaceut.* p. 349. cujus tamen processus descriptio, manca ex parte existit, ejus v. (ut obiter hoc interserere liceat) ⊖ crystallisatum abstersivum, p. antecced. 348. nil aliud est, quam coagulum liquoris, qui Oi in ▽ solut. & cum ⊖ tartari præcipit, supernatat, & ⊖ tertium, tartaro ⊕lato æmulum constituit. Ac sanè in dictis malis, & præterea aliis plurimis, in quibus præcipitatione, ut vocant, opus est, lege artis præparatum & exhibitum Oen, nobile est simplex, de quo mirari ferè liceat, quod rarius in usum hactenus vocatum sit, cum debitè, ut dixi, præparatum, sacch ♄ni præferendum ferè videatur.

§. 9. Est O decompositum naturale, ex acido universali minerali, ♀is embryonati, rodente terr. petrosam s. calciformem, & ita cum hac ipsâ, mechanicâ necessitate in crystallos octaëdricos coalescente genitum. Sicuti enim ⊕lum ex acido simili ♀ embryonati & vena metallica ♂ vel ♀, ita O eodem ex acido & petroso corpore in pellucidam ⊖inam coaluit substantiam, pari modo, ac ⊕lum, gallarum decocto præcipitabilem, adeoque spiritus sive acidum ♀, ⊕li Ois essentialiter coincidunt, qui tamen intimius longe in Oe quàm in ⊕lo concentratus, adeoque magis fixatus existit, vel △e magistro sub destillatione docente. Unde etiam multum O ubi generatur, ibidem quoque ⊕lum & ♀ plerumque reperitur: nec rarum est, ex una eademque vena ⊕lum & O excoqui, sicuti quoque Ois sub præpa-

ratione □ humana multis in locis adjicitur, pro ⊕-li ſeparatione, & O concinniori cryſtalliſatione, ex qua ſpiritus □ & ⊖ vol. quod ex Ois cum alcaliſato quodam deſtillatione prolicitur, natales ſuos derivat. Quæ omnia artificialis O productio excreta cum ſpiritu ♀ ſoluta & cryſtalliſata confirmat, qui ſpiritus cum ♂ aliàs & cum ♀e in ⊕-lum artificiale coagulatur. Uſum E. præcipitatorium & Organiſmi humorum, quibusvis ex cauſis concitati correctivum quod attinet, non præſtat hunc Oen ſapore & textura ſua adſtrictoria; Adſtringere enim partibus ſolidis ſaltem, ratione fibrarum plus minus laxarum, canalium ac pororum vitiosè hiantium, competit, non fluidis concretis, qui coagulari aut ſaltem grumeſcere ejus uſu ſolent, uti in Lacte, non ſecus ac albumine Ovorum conſpicuum eſt; & qui effectus ab acido ejus primario dependent, ſicut adſtrictoria vis, à ſpecifica ejusdem cum terreis particulis textura oritur. Interno ergò ſub uſu, utcunque præparatum, præcipitatur mox in primis viis, ab effluviis & contentis partium ⊖ ſis volatilibus, parili modo, atque extra corpus ab □ a ⊖ ſa ipſi accidere ſolet, & quale fatum ⊕-lata ♂alia aſſumta pariter experiuntur, adeoque acidum ejus volatile, ſub ⊖ ſo ſic acquiſito ſapore, vi abſterſiva, & inciſiva, ac alterativa, quod ſuum eſt agit, dum acidus morboſus odor vel ſapor, plus minus fermentativus corporis, ● præcipitatum aggreditur, à quo abſorptus & concentratus, ſive ut vocant præcipitatus, potenter adeò figitur, ut ceu incarceratus ac vinctus, inermis penitus reddatur. Uti itaque O compoſitionis & texturæ ratione, cum ⊕-lo multum conſpirat, ita etiam quoad mutationes, quas recipit in primis viis paſſivas, & inde reſultantes in corpus alterationes, cum eodem coincidit, ipſo ♂ ejusque ⊕-lo, vi adſtrictivâ it. febrifugâ, præſertim intermittentium, haud multum Oi cedente. Dum verò nimis figendo acida, intimius fermenta morboſa in ſuis mineris concentrat, quin & adſtrictoria vi, motum humorum plus minus remoratur, ſanè illegitimo uſu palliare ſaltem morbos videtur, & vel diuturnos magis eosdem, vel recidivantes, vel in alia pathemata degenerantes reddere, id quod de ſacch ♄ni, concreto artificiali Oi ſimili, ſupra §. 4. relata obſervatio illuſtrat. Adeò legitimâ adminiſtratione ſaluberrimum quod exiſtit, perverſo abuſu, & in ſufficiente præparatione, nocivum eſſe ſolet. Legitimam adminiſtrandi methodum docebunt ſequentia; quod verò præparationem attinet, hæc eò dirigenda venit, ut ſaturata nimis, adeoque fixior & auſterior terra petroſa ceu calciformis ſeparetur, à ſubtiliori vel facilius ſolubili, quæ vel proprio acido minerali, vel ejus loco ✠Ω ſuavi ſolutione, concretum

cretum

cretum magis ⊖ inum, minus ſtypticum, minusque adſtringens & auſterum, ſed acidi quaſi extra verſi & potentioris ratione, magis reſolutivum, terræ ſubtilis verò reſpectu abſorptivum blandius, & acidi morboſi exactius ſaturativum evadat.

§. 10. Quoad legitimam ergò abſorbentium horum adhibendi methodum pro uſu interno, ſequentes Cautelæ ſpecialius obſervandæ veniunt. *I. Ritè præparata, non verò ſaturata propinanda ſunt.* Præparatio variat, *partim* pro ipſorum ſimplicium præparandorum textura varia, ſic enim alio modo partes animalium duræ, ſive terreſtrium ſive marinorum, alio modo mineralia & metallica præparanda veniunt, *partim* pro ſubjectorum, quibus exhibenda ſunt, conſtitutione diverſâ; Sic enim ♂ crudus, ſimpliciter pulveriſatus, ut in pulvere ſimplici Cachectico *Harm. Prax. Chym. c.* 171. §. 5. robuſtiori qui ſunt ventriculo, aut in quibus potentius dominatur acidum, convenit, conf. *Hauptman.* Wolckenſteiniſcher warmer Bad und Waſſerſchatz. p. 221. it. *Glauber. p. 2. furnor. p.* 57. aliis delicatioribus infuſionem ejus & ſolutionem mitiorem, cum ſucco quodam vegetabili acidulo factam requirentibus. Non ſecus ac Liquor ♂☉lis, ſeu ſolutio iſta ⊖-li naturalis ritè parata, ac ſanè multi uſus, quibusdam ſenſiliori Ventriculo præditis perquam moleſta obſervatur, quibus Tinctura ⊖-li ♂ Zwölferi, minus ♂ ſaturata, ſed ⊖ e eſſentiali magis turgida, optimè contulit. Scopus ergò præparationis omnis eò collimet, ut (1.) commodè, reſpectu ipſius remedii, (2.) tutò ac jucundè, reſpectu ſubjecti ægri, (3.) efficaciter, reſpectu uſus propinari poſſint.

Cautela pro legitimo uſu: I. Ritè ſint præparata.

§. 11. Cum verò uſus eorum in enervando p. n. acido inprimis conſiſtat, manifeſtò ſequitur, acidis ſub præparatione ſui non nimis tractanda eſſe, quia exuuntur aliàs vi ſuâ abſorptiva & inverſiva, adeoque fruſtra propinantur, quantum enim extra corpus ſaturantur magis acidis, eo minus intra corpus inſerviunt, iisdem corrigendis. Quin imò, acidis extra corpus tractata diverſimode, ſubinde ex mutata textura, novas facultates, priſtinis plus minus immutatis, acquirunt, ſæpius abſterſivas aut diureticas, adeoq; alienæ indicationi inſervientes. Rem exemplis quibusdam illuſtrabimus. Priori ex fundamento meritò hodie rejiciuntur magiſteria ſic dicta, ex animalium partib⁹ duris parata, tam præcipitata, quàm abſtractitia. Præcipitata quidem, dum ſolutio per acidum facta, præcipitatur ab alcali vel fixo vel volatili, vel à ſpiritu ⊖-li. Priora n. ſunt calces terreæ, penit⁹ inſolubiles, occultè ⊖ ſæ,

Non ſaturata ab acidis.

acido solventis & alcali præcipitantis tam arcto connubio particulis terreis cohærentibus, ut nullo edulcorationis artificio penitus liberari possint, exinde enim & ponderis augmentum. Dealbatur talibus assumentium Ventriculus, citra usum alium. Coralia cum acidis, speciatim cum spiritu ⊖-li blande effervescendo, hunc absorbent, qui tali eorum magisterio affusus, sine motu, sine alteratione ulla observatur. Non secus ac perlæ cum quovis acido effervescunt, quorum magisterium sine motu illis additur. Posteriora verò styptici quid in concreto suo possident, & dum exactè ⊖ li acidum elui minimè potest, gustui licet minus pateat, utpote in subjecto præcipitato, particulis alcalinis vol. plus minus imprægnato, intimius concentratum, tamen vi absorptiva, concretis istis alias apposite convenienti, ferè privata existunt. Nec est, quod dicas, posse ex his magisteriis denuò recuperari ⊖ vol. si scil. addatur eisdem alcalisatum quoddam seu ⊖ fixum, sic enim in examine △, successive ascendet ⊖ vol. quod hac ratione acquiritur, cum maxima ejus pars, ab acidis aut solventis aut præcipitantis enervata, ac destructa sit: Requisita pariter hæc artis, alcalisatum & △ impetus, dum deficiunt in nobis, neque illorum resuscitatio in corpore nostro expectari poterit. Altera differentia comprehendit abstractitia, per spiritum φ, it, ⊖-li, a. Vir. ær. parata, quæ utut solubilia, quin & quædam eorum, usibus diaphoreticis aut diureticis convenientiora, quædam scopo adstrictorio accommodatiora, attamen, cum sub solutione ista ab acidis, crasis & textura concreti multum immutata sit, impossibile quoque, acidum solvens penitus adeò separare, quin ejus multum, insensibiliter licet concreto cohæreat, quicquid etiam de suo Vir. ær. spiritu jactitet *Zwölferus*: app. ad animadv. p.66. hocque exinde novam plus minus, interdum solventibus ⊖-laris non exacte rectificatis, ingrati, aut nauseose ⊖-lici ac ♀ei saporis texturam acquirat, adeoque crudorum suorum simplicium absorbendi & invertendi vim, nullatenus exserere valeat, ob id præparata talia, simpliciter, eorum magisteriis longè præferenda erunt. Præparanda ergò veniunt potius vel simplici pulverisatione & levigatione, qualis in Coraliis, perlis, aut Lap. ♋. obtinet, vel △ aut ▽ adjumento, ceu duorum magnorum solventium, ut apposite audiunt Willisio, quibus & tertium illud, aër scilicet, merito sociandum fuisset. △ adjumento quæ fit præparatio, suggerit calcinata seu usta, vi absorptiva & inversiva, cum effectu adstrictorio efficacissima: quibus tamen ob junctum usum potentius & positive magis diaphoreticum, præferenda philosophica magis, quibusdam in secretis habita, calcinatio, dum v. g.

ralur,

rasur. C.C, aut ebor. aut unicornu : ℥ij. vasi circulatorio, cuiquis formæ, aut cucurbitæ duplici vel simplici, sed alembico cœco munitæ, inclusæ, digestioni blandæ, ne ingratum, quod ex neglecto △ regimine facile fit, empyreuma contrahant, vel ∴ vel cinerum exponuntur : resolvitur enim sic phlegma spirituosum, particulis ⊖ inis □ osis nonnihil aculeatum ; & proprium circulationis motu recludit corpus ac penetrat, ita ut post 8 vel 10. dierum moram, hoc promte pulverisari an in alcohol redigi possit, eo quod nondum adeo resolutum est, vel solo, vel novo denuo addito, digestioni iterum exposito, donec totum ita calcinatum fuerit. Quoad præparationem horum subjectorum, quæ ▽ fit beneficio, hæc vel ▽ simplicis vapore instituitur, modò à *Rolfinccio in Chym.* 5. *f.* 2 *c.* 22. *p.* 336. descripto, vel elegantius per lixivium perficitur, modò primitus in A.M.H. Vol. 3. p. 126. & 127. insinuato. Iisdem ex causis supra allegatis, meritò etiam suspectus videtur crocus ♂ quorundam aperitivus, ope lixivii nempe ex cineribus vegetabil. crebriori irroratione paratus. Inest scil. ♂ proprium acidum, facilè vel simplici ▽ â, adjuvante tamen aëre mobile, & quod in crocum sub vulgari rubigins nomine, proprium corpus arrodit. Huic dum additur alcali fixum, acidum istud rodendo ♂ corpus simul arripit alcali, & ita coagulantur in ♂ corpore, emergitque exinde corpus occulte ⊖ sum, terreum, iners, vi absorptiva maximam partem destitutum, nisi in quantum particulæ quædam ♂ crudi, aliquantulum adhuc usibus his inserviunt. Nec immerito rejicere videtur *Glauberus furn. Philos p.* 2. *p. m.* 57. crocum ♂ per calcinationem fusoriam, mediantibus magdaleonibus 🜍, illius laminis vel bacillis scintillantibus admotis paratum : rodit enim acidum 🜍 liquefacti ♂, sed simul concentratur pingue 🜍 eum, non deflagrans, adeoque pulvis ex ♂ & 🜍 compositus hujus ob accretionem penitus insolubilis obtinetur, nulliusque adeo in corpore usus, eo, quod acidi 🜍 purioris ratione. ⊕-li modo solubile & alterabile in nobis existit, in ▽ supposita soluto & abjecto.

§. 12. Ut itaque saturantur ab acidis, absorbentia plura remedia, adeoque primario scopo inepta redduntur, ita quædam eorum ab iisdem, mutua ex connexione, novaque sub textura, novas vires medicamentosos acquirunt. ⊖ ♀i suggerit nobis exemplum, quod vel in sicca, vel per deliquium solutum, humida sub forma, nobile absorbens, & acidi vitiosi corrigens subministrat, speciatim intermittentibus in febribus, sive solitario sive per infusionem sennæ sociatum, ad imitationem *Riverii: cent.* 1. *obs.* 39 40. *cent.* 2. *obs.* 66. *cent.* 3. *obs.* 22. *cent.* 4. *obs.* 84. administretur, sane utroque modo, tum ☋i per deliquium

Quædam enim sic alienas vires acquirunt.

quium facie ad 30. vel 40. gutt. bis in die, quam cum ſenna infuſum, alternatim uſurpatum, ut in chronicis quibusvis febribus intermittentibus, ita ſpeciatim quartana proficuum admodum ejus uſum expertus ſum, triplicem quartanam aliquando hyemali tempore hoc ipſo profligando. Sed ſi ſub artificioſa præparatione, acido, vel ✠♌ati pro tartari regeneratione, ſub nomine terræ fol. tartari, vel ⊕-i, in tart. ⊕-tlato, vel ⦶i, pro ⊖ febrili quorundam, revera ⦶o regenerato, vel ⊖, in ſpiritus ⊖ ⚹ deſtillat. pro ⊖e hypochondriaco, ſaturetur, vi acidorum ſaturativa & fixativa penitus depoſita, incidens, abſtergens, diureticum evadit concretum, ſordibus primarum viarum reſolvendis, inprimis dicatum. Lapides ♋, uti abſorbentium, uſu & effectu non poſtremi exiſtunt, ita ✠♌ ſoluta, ſub abquiſita hinc textura ⊖ ſa, multum de facultate hac perdunt (utut à fortiori acido in corpore occurrente, præcipitata ex debiliori, illud imbibant plus minus, adeoque quavis ſaturativa facultate haud penitus careant, ✠♌ juncto, viſcidas ſordes incidente & reſolvente) & diuretica magis evadunt. Notabiliter quoque hoc patet, ex ovorum, inprimis ſtruthionis, teſtis, egregiè abſorbentibus, ſpiritu ⊖ in tertium ⊖ ſum ſolutis, citra inſignem vim ſaturativam, potenter incidentibus, & diureticis redditis. Terræ minerales ſigillatæ, abſorbendo & figendo excellunt, ſed ſpiritu ⊕-li vel ⦶ ſolutæ & ſaturatæ, in liquoris ſtyptici, ſeu ut *Bartoleto: de Reſpirat. diffic. pag. 586.* audit, ☉ potabilis ex terræ ſigillatæ præparatione, texturam Oſam acquirunt, & ſtypticæ ac potenter adſtrictoriæ exiſtunt.

Non tamē quævis per acida præparatio rejicienda.

§. 13. His ipſis tamen, quamvis abſorbentium pro acida præparationem haud rejectam volumus, ſed ſaltem illorum, perfectam plus minus ab his ſaturationem. Tantum enim abeſt, ut iſtam penitus excludamus, ut in quibusdam ſubjectis omninò requiri videatur, præſertim mineralium quæ ſunt ex familia, partim ut jucundius & tutius propinari, partim ut uſui deſtinato melius ſatisfacere, partim ut præter effectum abſorbendi, aliis ſimul intentionibus medicis ſatisfacere queant. Pro quibus ſcopis aſſequendis, Benigna mater Natura hic ducem ſe effert, quæ præter copioſa ſubjecta ♂ialia, ne horum crudorum uſu, teneriora quorundam lædantur Ilia, ſoluta eadem, & quaſi ⊕-liſata acidularum ſub forma nobis haurienda offert. Jucundius longe præ crudo ♂, hæ ipſæ aſſumuntur, minusque præ illo, præcordia gravant, quin & ſpiritus acidus ♀ embryonati ſociatus, incidendo attenuandoque viſcoſiores, aut hinc inde coagulatas ſordes, quasvis obſtructiones, revera tales, interiorum corporis viſcerum potenter reſerat,

& ca-

& canales meatusque quosvis eluit, & abstergit: dum præcipitatus à sale vol. ⊕so, undique in nobis præsente, ♂, per præviam istam in acidulis arrosionem, quasi prædispositus, & in minutias exiles redactus, acrius occurrens acidum morbosum quodvis p. n. nostris interaneis hostile, promtè absorbet & imbibit, illudque secum coagulatum, sordium nigricantium sub schemate eliminat. Non secus, ac ex vitriolo, per alcali quoddam præcipitatus ♂, Terræ cujusdam mineralis, aut Ochræ facie cadens, cujusvis acidi promtissimè absorptivus existit. Ad imitationem ergò Naturæ, pro scopo, ut vocant, aperitivo seu potius absorptivo, inter tot præparata ♂ialia, non ultimus est Liquor ♂ ☉is dictus, ex magnesia vitriolata, sponte suâ in aëre in vitriolum efflorescente, qui in locum acidularum naturalium surrogari commode poterit. Sicut in formâ siccâ, sit paratum exinde vitriolum ♂, ad albedinem, aut aliqualem saltem rubedinem calcinatum, ad imitationem nempe *Excell. Cnœfelii, in append. anni 6. & 7. Miscell. Acad. Natur. Cur. pag.* 105.

§. 14. Quantum ergo differant, tam acida, quam simplicia absorbentia, & imprimis qualem ad se invicem respectum mutuò foveant, probè considerandum venit. Sunt enim acida, quæ subjecta quædam intime penetrant, & arctissimâ ex minutorum corpusculorum associatione, partim novum concretum constituant, partim vim absorbendi penitus deleant. Sunt ècontra alia, quæ saltim arrodant, ut superficiali contactu passivis subjectis adhæreant, facile ob id, quocunque fiat modo, potissimum tamen per præcipitationum modos, separabilia à se invicem, ità, ut utrumque destinationi suæ debite satisfacere queat, quin & pro hac magis dispositum redditum sit. Differentiæ hujus fundamentum, in mechanicæ conformationis necessitate formaliter, & proximè consistit, cui interdum & essentialis sive radicalis seminalibus ex principiis, materialiter & remotè subest. Ut in exemplis, iis, quæ hactenus considerata fuerunt, subjectis, analogis, iisq; manifestioribus insistamus, quàm arctum connubium ineunt, spiritus vitrioli & ol. tartari per deliqui. quod vix, ac ne vix quidem, arte penitus dissolvi potest; hinc mutatur utriusque textura, & novum, novorum attibutorum emergit concretum. Quam laxè verò ♂i, idem vitrioli spiritus adhæret, ita, ut vel facili △e, vel levi præcipitatione separabiles invicem existant, ♂e separato, vi absorptiva, ob sui, particulas in minutissimas confractionem, & ex textura metallicâ, in magis apparenter terream alterationem, ut mechanica Chymica ad oculum docet, promptiori & potentiori sic instructô. Quanta differentia inter ejusdem ♂ à spiritu vitrioli & spiritu nitri factas solutiones, & hinc separati ejusdem denuò notabilis alterationis diversitas. Intimi⁹ longè penetrat & dissolvit nitri spiritus, idq; tantâ cum violentiâ & im- Sed saltem nimia saturatio.

† nn petu

petu, ut insignis æstus exinde exsurgat, & tam arctè socientur solventis & soluti particulæ, ut vix ulla vi divelli penitus queant, quin magna illius portio, huic arctissimè infixa cohæreat. Vitrioli è contra spiritus aut oleum, arrodit potius corpuscula ♂ialia, idque lento magis (respectivè scil.) motu minusque intimè invicem cohærent. Unde ibi quidem emergunt concreta texturæ perquam adstringentis, & saporis infiniter styptici, scopo positivè adstringendi convenientissima, absorbendi usu minus apta. Hic verò vitriolum dulce concrescit, scopo ut vocant aperitivo, sive acidorum vitiosorum correctivo, etiam præ crudo ♂ longè aptissimum. Imò essentiâ utut conveniant, sulph. & vitrioli acida stagmata, tamen cum sulphure, sive viâ sicca, calcinando, sive humidâ, illius spiritum recipiendo, paratum vitriolum, præferendum videtur eo, cum vitrioli spiritu facto. Accuratè enim si rem considerare velimus, purius & quasi virgineum magis existit sulphuris acidum, & quod in corpus ♂ facilius penetrat, ejusque particulas subtiliores exactius dirimit, & quod interno usu, amicum etiam magis nobis, & melius resolutivum & abstersivum existit. Vitrioli spiritu, ob liquaminis metallici, plus minus sulphurei societatem, nec rectificando quoque penitus separabilis, (nisi ante vitrioli destillationem, artificiosâ depuratione mediante, prius removeatur) minus puro, minusque subtili, nec ♂ adeò exactè penetrativo existente. Vix itaque assensum mereri videtur *Zwelferus* in *Mantissa spagyrica*: *p.* 1. *cap.* 3. *p.* 337. dum crocum ♂ Cachecticum, adeoque aperitivum, hoc est, acidi absorptivum cum nitr. detonando parare docet. Equidem labor ipse, ob alias quibus ansam præbet, speculationes, nec inutilis, nec injucundus existit, præsertim dum sulph. ♂ externum sic manifestum redditur, in deflagratione ac alcalisatione nitri, effectu planè eodem, qui aliàs ex simili nitri cum sulphure, ♉, tartari, carbonibus, sanguine animalium, ossibus aut cornibus animalium tractatione, accidit, adeò omnium trium regnorum sulphura, hoc in effectu, & operandi modo conspirant: quin & amici relationi debeo, in deflagratione ista, flores ♂ & nitri simul elevari, qui in ret. tubulata si instituatur operatio, pro eleganti colligi queant remedio, de quo experientia consulenda. De cætero, qui isto modo obtinetur crocus, non secus ac cum spiritu Vir. ær. exinde parata Tinctura, revera terreæ, stypticæ, exactè saturatæ, & minus aperitivæ, acidive correctivæ est texturæ. Affusus huic croco spiritus θ, lente, & non nisi longo intercedente tempore tantillum ejus dissolvit, unde ruberrimam quidem contrahit Tincturam sed saporem exhibet horride vitriolicum, potenter adstrictorium, & manifestæ adhuc aciditatis suæ participem. Saturatus scil. ♂ jam sufficienter, alio ab acido imprægnari recusat. Præparatio E. absorbentium plurium aut saltem commistio cum quibusdam acidis, nunc necessaria,

nunc

nunc pro certis intentionibus etiam utilis omninò existit, prout in acidulis §. 13. vitriolo ♂, c. l. Lap ♋rum: §. 12. testis struthionis. c. l. hactenus illustravimus, modo saturationem perfectam, & hujus ratione virtutis absorptivæ destructionem evitemus.

§. 15. Pergendum ulterius, in debita absorbentium usurpandi methodo, ubi *Cautel.* II. *Non nisi moderata dosi exhibenda sunt.* Peccatur hîc frequentissime in excessu, dum aut sæpius reiterantur, aut diutius continuantur, aut copiosius una vice ingeruntur. Determinat doseos rationem in genere acidi morbosi quantitas & exsuperantia major vel minor, quin & ejusdem qualitas sive acrimonia corrosiva, potentior aut debilior. Posterioribus in casibus, uti minor omninò sufficit quantitas remedii, ita in prioribus, major indicatur copia. Moderandus tamen ita eorum usus, ut partitis potius vicibus, quam semel, idque eò succincta magis dosi, quo diutius iisdem insistere cogimur, adhibeantur: intermittendo subinde eorum usum, quamdiu symptomata non nimis urgent eundem. Observanda quoque morborum vel continuorum vel intermittentium differentia, in istis, cum continuato ferè usu administrentur, minori dosi unâ vice, in his verò cum interpolatis vicibus, adhibeantur, copiosius unâ vice propinare licet. De cætero, uti semper in p. n. cujusvis remotione, festinandum lentè, cum quævis subita mutatio sit periculosa, ita in his auxiliis quæ intenditur alteratio, tutior est successiva, quàm repentina. Utut enim minus nocere videantur, cum passivè potius se habeant, & privativo modo proficua sint, quam alia alterantia, quæ positive magis, sensilius vel contenta immutando, vel solida afficiendo, operantur, immoderata tamen dosis, etiam sua infert incommoda, de quibus supra, §. 3. utut ob modo insinuatam rationem, magis lenta, quàm acuta, seu magis successiva, & diuturna, quàm subitanea, sed exinde etiam minus citò denuò corrigibilia inferant nocumenta. Nempe idem mihi videtur, sub inconsideratâ horum dosi accidere, quod picantibus usu venit, qui moderato rerum ardentius desideratarum usu, ceu alimento medicamentoso, saturando specifici saporis acidum stomachale, levantur & melius habent, ast nimio eorundem abusu, anorexias, dyspnœas, cachexias, febres lentas, & mille mala incurrunt. Stolida quarundam virginum fert opinio, cretæ, præcipitantium sive absorbentium non postremi, usu, candorem faciei se sibi conciliaturas, quæ tamen, quantum continuatâ ejusdem ingestione lædantur, quoad primæ digestionis, & dependentium inde reliquarum, negotium, quotidiana loquitur experientia. Quodsi ex picæ stimulo, vel cretam, vel cal.cem viv. vel similia devorent, modò non nimio fiat excessu, auxilium potius exinde, quàm nocumentum experiuntur, quod iisdem sanis, haud æquè impunè licitum

Caut. II. *moderata dosi exhibenda.*

licitum foret. Ast si & in pica quoque excedant in dictorum usu, supra enarrata mala pariter effugere nequeunt.

Cautel. III. debitus selectus instituendus.

§. 16. Præter dicta, in rationali absorbentium & saturantium usu, sit *Cautel. III. Curiosus selectus eorum instituendus.* Haud enim omnia æque omnibus conveniunt. Nec postrema prudentiæ medicæ pars est, acutè hariolari, quale remedium ægro, præ alio simili magis conveniens sit. Cum itaque tanta luxuria sit, absorbentium remediorum, meritò eadem curiose discernenda, & quid convenientius sit eligendum. In selectu tali instituendo, respectus habeatur tam ad ipsa remedia quàm ad ægros. Remedia quod attinet, selectus sub eorum usu instituendus triplici ex ratione: (1.) *Propter eorum insignem varietatem*; supra c. 1. §. 11. 12. 13. 14. 15. enarratam. Sunt enim vel nativa vel præparata, hæc vel simplicia vel composita: utraque à textura & propietatibus nativis plus minus abeuntia: Sunt insipida terrea, aromatica, amara, austera dulcia, urinosa, eaque tàm fixa, quàm volatilia &c. quæ universa & singula æqualiter adhiberi nequeunt, cum ubiq; certus respectus agentium & patientium omninò requiratur. Speciatim unam saltem notabilem urgebo, & quæ ad præsens negotium magis facit, differentiam. Acidi peccantis enervationi dicata sunt illa omnia, sed diversimodè hoc præstant, tàm respectu acidi in genere, quàm hujus aut illius in specie. In genere acida enervantur, sub rosioris actu, sed quædam cum insigni plus minus, quædam sine ulla effervescentia: & quando effervescentiæ contingit tumultus, acida quædam in specie insigniter, alia minus hos ipsos cient. De urinosis ceu acrioribus nihil dicam, quæ sine effervescentiæ motu cum acidis haud facile coëunt, celeriori quidem & breviori volatilia, vehementiori & longiori fixa, ut ex spiritus vitrioli cum spiritus θ✳, & cum ol. tart. miscela constat. Saltem insipida consideremus. Hæmatites cum acido nec vitrioli nec nitri commotionem ullam observabilem exerit, ast ♂, ejusdem licet radicis fructus, cum iisdem validissimo impetu congreditur, idque, longè vehementius cum spiritu nitri, quàm vitrioli, adeò ut explosivo quasi impetu intensissimè cum illo ipso exæstuet: id quod tamen multo remissius erit, si ♂ cum sulphure præparatus seu calcinatus recipiatur. Ut itaque crudus ♂ efficacior longe erit, vi absorptivâ, & acidi promtius alterativa, ita hic præparatus blandius, minoribusque cum turbis, sed simul debilius ac tardius idem præstabit. Bolus armena, terræque plures sigillatæ absorbent acida promptè, tàm vitrioli quàm nitri, & in Osa concreta, cum priori illo coalescunt, ast sine effervescentiæ conflictu: qui impetuosus admodum notatur, Cretæ si associantur, ut sub præparatione phosphori *Balduini* conspicuum est. C. C. crudum ebullit cum spiritu vitrioli, intensius cum spiritu nitri: intensior erit conflictus, si sine △ e calcinatum recipiatur,

Isque vel respectu Remedii.

cum

cum usto verò adhuc vehementior observatur. Testæ quævis cum spiritu vitrioli, intensius adhuc cum spiritu nitri effervescunt, sed utrumque diversimodè, pro illarum varietate: ♋ testæ quidem insigniter, sed sine strepitu, aut fumorum elevatione, ostrearum ècontra intensius multo, notabili cum strepitu ac fumis, unde harum pulvis quibusdam sub nomine præcipitantis magni adhibitus fuit, qui aliis pro intermittentium fuga inservit. Coralia eodem spiritu vitrioli tractata, moderato impetu, cum illo congrediuntur, citra æstuationis aut effumationis insignioris apparentiam, unde & blandius mitiusque in nobis operari probabile est. Sabulum urinarium, calculique renales, ab ol. vitrioli ne tantillum alterantur, spiritus verò nitri solvit eosdem, nunc (pro ipsius specialis texturæ ratione) cum nunc sine effervescentiæ vestigiis, nunc in loco saltem calido, nunc etiam in frigido, nunc penitus dissolvendo, nunc in substantiam molliusculam convertendo, quæ & alia frustra à spiritu sulph. aut θ expectantur: analogum quid in lapide ex cysti felleâ notatur, cum spiritu nitri successivè ebulliendo, non verò cum spiritu vitrioli. Sed quotidie cum talia occurrant, non est, ut prolixius diducam. Saltem in selectu absorbentium attendendum, facilius an difficilius effervescibilia in nobis sint contenta p.n. vitiata, illud quo acriora, hoc quo mitiora; non secus an citius aut tardius acidum peccans infringere, quo magis vel minus effervescentiam cum eodem excitare conveniat, quo talium sub respectu circumstantiarum, appropriata magis seligere queamus. Quin etiam, uti acidi sapores sub morboso statu variant, ita & absorbentia quædam iisdem corrigendis aptiora existere, evidens est, unde artificiali stochasmo ut specialem illorum differentiam subinde scrutari necesse habet Medicus, ita & horum selectum debitum instituere.

§. 17. *II. Propter speciales proprietates, quibus præter generalem corrigendi acidi morbosi usum, ulterius prædita sunt.* Salia enim volat. præterea vim diaphoreticam, fixa diureticam, terræ minerales insigniter adstrictoriam, obtinent. Viscum Corylinium vim antiepilepticam, cortex fraxini diureticam, Winteranus antiscorbuticam, cinamomi (post destillatum ol.) contra fluores alvi, cort. avellanarum, contra fluorem album, ossa sepiæ contra gonorrhœam, medulla saxorum, contra stranguriam, osteocolla ossium agglutinativam, Lap. ♋ vulnerariam, Dens apri, aut Ceti Narhual, aliàs unicornu marinum, antipleuriticam, & contra quasvis inflammationes partium internarum erysipelaceas, Cran. hum. violenter interemti, antiepilepticam, ♂ialia anticachecticam, ♃ialia ac ♄na, antihecticam &c. præterea speciatim exserunt. Talia ob id seligantur ubique, quæ præter generalem invertendi usum, specifica simul proprietate, aut affectui speciali appropriata, aut symptomati urgenti convenientia existunt. Sic enim variolis,

cum diarrhœa symptomaticâ complicatis, Terræ minerales, cum Epilepsiâ affligentibus salia vol. &c. appropriata magis existunt. *III. Propter texturas novas, quas vel sub præparatione, vel sub compositione, vel sub sui inprimis viis alteratione acquirunt, ratione quarum, qualitatibus & proprietatibus à nativis plus minus distinctis, his vel enervatis vel retentis instruuntur.* De Præparatione & alteratione peracida, jam supra §. 12. locutus sum, præter quam tamen & aliæ, modò insinuatæ circumstantiæ quoque attendendæ. Alia sanè est ratio, C. C. usti, ab eodem sine △e calcinato, illud potentius longè absorptivum, hinc etiam adstrictivum, præ hoc magis diaphoretico existit. Testæ concharum, ♋, aut ovorum calcinatæ, à se ipsis non calcinatis, quin & istis terrestrium animalium ustis, multum differunt: Calcis viv. enim texturam exhibent, unde & recenter parata effervescunt ▽æ attactu; acido θmarini, in ostracodermis, aut arenarum silicumve deglutitorum, in ovorum testis, △ope resoluto, & cum particulis terrestribus laxius nonnihil sociato, per ▽ additionem resoluto. Sanè potentius longè effervescere, & promtius absorbere acida observantur, præ illis non calcinatis, idque eò magis, quo diutius calcinationis △i expositæ fuerint. Febrifuga in specie sunt talia, quæ citra calcinat: cum spiritu θ composita, salso sub sapore, egregia sunt diuretica. Quam vim, uti sub texturæ mutatione cum spiritu θ, qua ad alcalium fixorum naturam propius accedere videntur, inprimis acquirunt, ita si eadem cruda saltem pulverisata propinentur, prout cum acido primarum viarum, magis vel minus acri &c. in saporem plus minus salsum coalescunt, etiam unâ plus minus abstersiva ac diuretica evadent. Terra sigill. & cretaceæ, quo potentius sibi occurrens invenient acidum, eo Osam magis acquirent texturam eoque potentius adstrictoriam. ♂ prout magis vel minus sub præparatione multiplici acidis saturatus fuerit, eò facilius aut difficilius hypochondriacorum & cachecticorum acida corriget; sicutis ipse pro acidi, quod sibi obviam venerit, varietate, sub hujus alteratione, vim nunc hæmorrhoidalium affectuum curativam, nunc menss. suppressorum aperitivam, nunc eorundem nimis fluentium restrictivam, acquirit, etiamsi unum idemque ex eo adhibitum fuerit remedium. Antihecticum Poterii, prout sub præparatione ejus sulph. ♃ is externum, vel certa enchirisi separatum, vel communi more relictum fuerit, unde color ejus subcœruleus, hic simul vim laxativam, interdum emeticam, ibi vero diaphoreticam saltem exhibet. Absumpto scil. sulphure ♃ is externo per deflagrationem, sub legitima præparatione, calx ☿ialis maximam partem, sive alcalinæ prosapiæ, exhausta quasi aut vacua remanet, promptè acidi vitiosi Hecticarum & continuarum acutarum absorptiva, ut peregrini hujus accessu, de-

fectus

fectus acidi sulphurei, quod sub præparatione perdiderat, utcunque restauretur. ⊙ crudum, acidi intensioris melancholico-hypochondriaci absorptivum est & correctivum, *vid. Moglini Vellus aureum p.* 8. *&* 9. quod cum salibus compositum, respectu △, vim novam fulminantem, respectu corporis, vim potenter resolutivam, abstersivam & laxativam, & in infantibus peculiariter antiepilepticam acquirit. ☾æ magisterium, artificiosè paratum, uti acidi melancholico maniaci, speciale correctivum suggerit, unde & ex effectu, quibusdam das Narren-Pulver / appellatum est, ita eadem ☾a cum acido nitr. impragnata, interne potens hydragogum, externe penetrans escharoticum exhibet. Sub selectu adeoq; absorbentium horum, præter nativas facultates & ad adscititias, sub præparatione & compositione, aut in primis viis alteratione oriundas, plus minus statui ægro accommodatas, respectus sedulò habendus est.

§. 18. Ægrum quod spectat, hujus consideratione selectus inter remedia absorbentia accuratius instituendus pariter, triplici ex fundamento: Vel respe-
I.) *Propter individuorum ægrotantium varietatem.* Dum non hominem ctu Ægri.
in genere, sed hunc vel istum in specie tractandum habeat Medicus, ad τέκμαρσιν in curationibus quibusvis descendat, vel *Hippocrate* monitore. In omni verò subjecto tali, præter generales, quoad temperamenta, ætates, sexus &c. rationes, specialis cujusvis individui *Idiosincrasia* vel maxime attendenda venit, sive eadem nativa, sive adventitia fuerit, sive in spiritu insito aut influo, sive humorum corporis speciali Crasi, sive partium solidarum differenti texturâ radicata existat. Nam hujus ratione, ut ad diversas ægritudines plus minus declinat æger, ita etiam remedia, quædam plus, quædam minus appropriata existunt. Sunt qui saccharum ♄ni admodum horrent, aliis nil inde sentientibus. Mulierem novi, quæ liquorem ♂ ⊙ non bene ferre potest, Tincturâ vitrioli ♂ Zvvölferi, aut solut. ♂ cum succ. pom. ipsiramica, idque ut suspicor, ob delicatam magis fibrarum ventriculi texturam, earundemque exquisitam sensilitatem. Sed cum frequentissima sunt similia Idiosyncrasias exempla, ob id, non nisi ista adhibeantur absorbentia, quæ individuo ægro, ut tali conveniunt, & speciatim Idiosyncrasiæ ratione, ipsi non contrarientur. II.) *Propter acidi peccantis distinctas proprietates:* quod uti in artificialibus, v. g. sub præcipitationis negotio, pro sui varietate, subindè aliis magis appropriatis alcalibus, aut his cognatis absorbentibus saturandum venit, ita etiam in therapeuticis, aliis atque aliis subindè corrigendum venit invertentibus. Quo magis enim appropriatum sapori acido saturando fuerit auxilium, eo perfectius illud extinguitur, & tutius citra vel recidivam, vel alius affectus epigenesiam curabitur morbus: uti enim mechanica ex figuratione, spiritus vitrioli à

θ. tar-

θ. tartari exactius ſaturatur, quam à ♂, & ▽. fort. à ♀ quam à ☾, ita & ſubordinatio talis ſaturantium, reſpectu acidorum diverſorum in contentorum ſtatu morboſo, omninò locum habet. Nunc enim acrius exiſtit idem, nunc mitius: illud quale in ſcorbuticis, ac quamplurimis hypochondriacis, fortioribus abſorbentibus, in ſpecie metallicis enervandum, huic quale in vulnere, vel ſtranguria, Lapillis ♋rum ſufficientibus. Moleſtiam pluribus creant ſalia urinoſa tam fixa quam volatilia, in quibus ſcilicet acrius luxuriat acidum, idque ob efferveſcentiæ motum, quibus inſipida & terrea magis appropriata exiſtunt. Fixius quorundam obſervatur acidum, in alio, quod volatilius; Tertianarum fermentum acidum, præ ardentium continuarum fixius eſt, volatilius verò præ illo quartanarum; cujus mutati ſtatus reſpectu, non rarum, permutari invicem has febres, adeò, ut quæ continua fuerit, in tertianam intermittentem mutetur & contra, prout tertianæ in quartanam, & contra, vel ſponte æquinoctiorum ſub mutationibus, & hinc contentorum fluidorum, mediante aëre inſpirato, ad majorem vel minorem reſolubilitatem & volatilitatem diſpoſitione, degenerare ſolent. Unde abſorbentia nunc fixiora, nunc volatiliora, & hæc nunc macra, nunc oleoſa conducibiliora. ♁ialia ſcil. fixa, in ardentibus potius conducunt, quam quartanis, & in his ſpiritus θ✻ci aromaticus potius, ſimplici pro tertiana ſufficiente. Ante omnia autem ſpecificus acidi peccantis ſapor, & inde determinatæ dependentes, determinatarum quoque partium læſiones, accuratè conſiderandus. Aliud enim acidum vexat hypochondriacos melancholicos, aliud Ictericos, aliud variolis vel morbillis correptos, aliud pleuriticos & hepatiticos, aliud podagricos, aliud gonorrhœa affectos, idque diſtinctum in benignâ, ab illo in malignâ, & ſic tantum non in infinitum. Hiſce ergò ſpecificis ſaporibus, appropriata, ſuperius inſinuata opponenda remedia, utut à priori, non ſecus ac ſaporum vel fermentorum morboſorum natura, imperſcrutabilia, adeoque à poſteriori, per experientiam ſaltem comprehenſibilia. III.) *Propter affectuum p. n. in ægris multiplicitatem*: quæ ſive connexi ſive ſeparati exiſtant, ſelectum abſorbentium ita determinat, ut nonniſi talia, quæ nocere non poſſunt, reſpectu juncti affectus alterius p. n. adhibeantur. Saccharum ♄ni, & ſuper ejus baſi conſtructa Tinctura antiphthiſica it. Liquor alterans ex Oe, ſudoribus nocturnis plus minus colliquativis, tam poſt febres diuturnas; quam ſcorbuticorum aut phthiſicorum optimè proſunt, ſed iis vix adhibentur tutò, qui ſiccioris ſunt alvi, ſeu hujus obſtructionibus obnoxii, hanc enim conſtipant, propterea in diarrhœis colliquativis, ut & dyſenteriis proficua exiſtunt. ♂ialia Cachecticis, Icterici, & inde Hydropicis ſunt optima, non tamen quibusvis, quin noceant ſiccioris, & (apparenter) calidioris qui ſunt conſtitutionis, vel quorum

rum hepar aut lien, aliavè abdominis viſcera infarcta, ad ſcirrhoſam conſtitutionem degenerant, ut jam ſupra ex *Tachenii Clave p.* 181. & 192. indicavimus; ſed illis ſaltem proſunt, qui magnos lienes, & ſi non ▽, ſaltem *amurcâ ſanguineâ nigricante tumidos ac turgidos habent*, ut dicit *Borrichius: Hermet. Ægypt. Sapient. p.* 303. θ volat. & ſpiritus urinoſi multi uſus ſunt ſaturativi, plurimis in affectibus, ſpeciatim hyſtericis dictis, nominetenus ſpiritus θ✻ ſimplex aut aromaticus aut Liquor C. C. ſuccin. qui tamen nimio menſium fluxui obnoxiis, non absque mali hujus irritatione, aut gravidis, vix absque abortus periculo, propinantur. Sicuti idem ſpiritus θ✻, qui debilioribus ſunt oculis, interno uſu inimicus ferè videtur, ſenſibiliter eosdem lædendo, quod plus una vice obſervaſſe me, viſus ſum, de quo tamen uberior conſulenda experientia. Eadem θia volatilia, primatum uti ducunt in febrium malignarum curâ, tamen ſub hæmorrhagiæ, facilè inde concitandæ metu, ut bene monet *Borrichius. Vol. IV. Act. Med. Hafn. p.* 166. prudenter propinanda ſunt. Recordor juvenis, generoſi ſpiritus, ſplenetici tamen, & hæmorrhagiæ habituali, ſubinde enormi, præſertim Vini ſub uſu, obnoxius, qui uti ♂ialibus ab iisdem præſervatur, in ſpecie liquore ♂ ☉ri, ita ſpiritus θ✻ uſu, eædem provocantur. Hypochondriacorum vaga, præſertim quæ abdomen affligunt pathemata, abſorbentibus pluribus, in ſpecie marinis, animalium partibus duris, it. θibus alcaliſatis ſopiuntur, cavendo ab iſtis, quæ adſtringendi vim vel habent, vel facile acquirunt, ut terris mineralibus, quo magis enim talium clauditur alv⁹, eò deterius affliguntur hypochondria, aliæque per conſenſum partes. Talia adeoque eligantur ubiq; præcipitantia, quæ ab aliis ſimul permittuntur indicantibus, ne tantum ex una parte noceamus, quantum proſumus ex alterâ.

§. 19. Pergendum ulterius, & notandum pariter IV. quod, in exhibitione eorum, *debitus Ordo non negligendus*. Sub inſigni ſcilicet remediorum talium Varietate, uti primò ſelectus debitus, ità poſtmodum eorundem Ordo probè obſervandus. Hujus ratione, triplex illorum differentia inprimis notanda, dum ſunt vel *temperata* ſive inſipida, vel *acria*, qualia ſunt urinoſa θia, & hæc vel *fixa* vel *volatilia*. Scil. non rarum eſt, adeo contenta acriora acida in quibusdam ferocire, ut cum urinoſis in efferatam effervescentiam, contentorum inſigniter alterativam, continentium ſenſibiliter irritativam, coëant. Præterea motus morbi ratio hic ante omnia habenda eſt, celer is ipſe ſit, an verò tardus, & chronicum an vero acutum ſit malum, quod affligit. In *chronicis* enim præſtat omnino, temperata iſta inſipida præmittere, quorum attactu frangantur, ut ſic dicam, dentes aculeati acidi efferati, quo minori cum tumultu ab urinoſis poſtmodum ſaturetur. Semper enim inſipida illa ſive temperata, præ acrioribus tutiora obſervantur, minori

Caut. IV. *Ordo debitus obſervandus.*

† oo ſaltem

ſaltem cum tumultu proficua. Sed abſorpto & fixato acido, ferè aut ſaltem maximam partem ulteriori uſu carent, dum acria ſive urinoſa, præter hoc quod acidum ſaturent, in θſi texturam cum eodem coëunt, & ita obſterſiva, reſolutiva, & diuretica ſimul evadunt. Cum etiam nunc primas vias magis occupet acidus ſapor, nunc altius intra corpus, hujusque partes tam continentes quam contentas, odor ejus penetrarit, utut ex iſta regione ferè primario ſpirans, ob id fixis præmiſſis, in primo ſui fonte corrigantur prius acida, quibus volatilia, id quod altius penetravit ſaturando, & diaphoreſeos beneficio eliminando, auſpicato ſubjunguntur. Sæpius hoc in ægrorum, chronicis morbis laborantium viſitatione, obſervare contigit. Haud ita pridem curæ meæ ſe obtulit mulier mediæ ætatis, hyſterico-ſcorbutica, ſimulque ſplenetica, præter ſenſibilia eaque ſpaſmodica abdominis pathemata, ad melancholiam declinans, una cum menſ. ultra 3. menſes ſuppreſſione. Hæc ab exhibito ſpiritu θ✱ p. iij. cum ſpiritus Cochlear. p. 1. mirè offendebatur, omnibus ſymptomatis notabiliter exaſperatis: ſed ſepoſito tantiſper hujus uſu, & præmiſſis abſorbentibus, ♂ialibus, Coralliatis, θibus fixis, interpoſitis paucis laxantibus, & ſic ſaturatis ac edulcoratis acrioribus primarum viarum contentis, repetito ejusdem ſpiritus uſu, mirè recreabatur, & cum ſenſili levamine per plures dies ejusdem uſum continuabat. Quartanæ, quæ omnium Practicorum conſenſu, in principio blandius tractandæ ſunt, niſi ſubjecta robuſtiora & ἐυσπλαγχνα eadem corripuerint, quam facile ac inſigniter acrioribus iſtis irritatæ, multiplicato furore reſurgunt, de quo minus metuendum, ſi ♂ialibus (aliis ſimul, præſertim attenuantibus & incidentibus non omiſſis) amaris ſociatis intermiſſionis die ſucceſſivâ alteratione temperentur contenta acriora, quo tutius ante paroxyſmum urinoſa iſta, acriora licet, ſed etiam nunc inſipidis plus minus maritata propinentur. Scilicet *Acutis* in morbis, aut ſaltem *chronicorum gravioribus paroxyſmis*, fauſto cum ſucceſſu, inſipidis acria, item fixis volatilia ſociantur, & urgente præſertim affectu, quo plurimis indicationibus ſatisfieri queat, junctim propinantur, idque ſpeciatim in caſu, quo liberior diaphoreſis una promovenda. Hyſtericis ſanè & hypochondriacis inopinatis non rarò paroxyſmis, & quæ his propius accedunt, Colicis convulſivis, epilepticis internarum ac externarum partium convulſionibus, vagis ſcorbuticorum pathematis, & pluribus ſimilibus malis, ſpiritus θ✱ci & quælibet θia volatil. cum fixioribus abſorbentibus juncto opere optimè ſuccurrere ſolent. Nec inepte plures ſpecific. febrile Strobelberg. it. Coralia præparata, cum θe abſinthii in Tertianarum cura copulant: aut huic ipſi θi fixo, ſpiritu θ✱ci potionis formâ, pro quibusvis intermittentibus pro-

profligandis, jungunt, quam methodum & obſervavit *Deckers* in *Comment. ad Barbett. Prax. l.3 cap.3. pag. 113.* Saltem quod ſpiritus ⊖✱ doſis, parcior videtur. *Continuus* in *benignis*, abſorbentia Cervina, & figentia ♁ialia, cum ⊖ volatil. aut Cervino aut Viperino, debitâ ſub proportione & forma eleganter propinantur. Id quod in pleuritide, hepatitide, &c, maturata operâ, in anginâ, & quibusvis comitatis ſic dictis febribus pariter obſervari debet. *Malignas* verò quod attinet febres, quarum fermentativus odor, mole ſubindè minimus, adeoque inſenſilis, minus fluida corporis, quàm ſpirituoſa inquinat, quo ex fundamento, contagioſæ quoque, ſi non omnes, pleræque ſanè exiſtunt, (non ſecus ac cæteri extra febres contagioſi morbi) alia ferè harum eſt ratio, in quibus, utut & ſimilis fixorum cum volatilibus copula, haud adeò inepta exiſtat, volatilium tamen imprimis, idque ſub principio, etiam ſolitariò exhibitorum, potior omninò & ratio, & operatio eſſe ſolet, id quod agendum reſtitat, pro contentorum, febrilibus ſub turbis, plus minus vitiatorum alteratione p. n. emendandâ, fixis temperatis ferè abſolventibus: de quo, ne nimis prolixus ſim, conferendus multæ experientiæ, magnique Laboris *Ludovici in Pharmac. p. 237. 261. 283. 284. & de ⊖ vol. tartari. p. 86. it. Pauli digreſſ. de febr. malignis &c.*

Cautel. V. Convenienti tempore uſurpanda.

§. 20. Præter dicta, in rationali abſorbentium & ſaturantium horum uſu, ſit *Cautel. V. Convenienti tempore adminiſtranda veniunt.* Occaſio enim, quæ aliàs præceps, ritè obſervata, medicationis cujusvis eſt anima. Adeò & hic, in tempore venire, multum eſt. Triplici circumſcribitur termino, præteriti, præſentis & futuri. Debitâ ex quorum obſervatione, legitimus agendorum ordo emanat. Quem triplicis differentiæ hujus reſpectu, Inſtitutioniſtæ communiter inſinuant, dum *quid ante quid, quid cum quo, quid poſt quid, agendum atque curandum ſit*, attendere ſedulò jubent. Omnia hæc primario ex motu Naturæ plus minus ordinato aut turbato, & acidi morboſi impetu, vel imminente, vel nimis urgente, dijudicanda veniunt.

Præmiſſis primas vias mundificantibus.

§. 21. Quodſi differentiæ hæ temporis, & hinc adminiſtrandorum remediorum occaſio debita conſideretur, ante omnia monendum videtur (1.) *ratione temporis præteriti* quòd non, *niſi præmiſſis primas vias abſtergentibus & purificantibus uſurpanda ſint.* Naturæ ex juſſu inteſtina recipiendis & excernendis ſordibus, tam naturaliter ex aſſumtis, neceſſitate materiæ natis, quam p. n. ex venoſo genere per abuſum quaſi vaſorum felleorum ac pancreaticorum, quin & glandularum inteſtinalium eò derivatis, dicata ſunt: unde hæc loca nunquam colluvie, plus minus vitioſâ carere ſolent: ut taceam, p. n. ſub digeſtionis errato, quot vitioſa relicta in

 ven-

ventriculo & intestinis, ipsisque mesenterii glandulis subinde stabulentur. Harum præsentiâ ne vel foveantur accidentaliter præsentes morbi, vel varia saltem excitentur syptomata, vel successivâ harum resolutione factâ, per vasa lactea ad interiora corporis penetrent, vel impediatur remediorum absorbentium actio, id quod relicta mucosa seu pituitosa, hoc est, crudioris chyli portiones inprimis præstant, vel illa cum istis in novum concretum dictis partibus hostile, aut functiones earum impediens, coëant, propterea consultum est, ut abstergentibus & blandè istas partes irritantibus, hoc ipsæ maturè expurgentur & mundificentur. Quin etiam, cum non rarò foveatur morbus à muco, seu pituitâ viscidiore, fermenti morbosi subinde subjecto, sive materia occasionalis antecedens sive productum morbosum consequens fuerit, hujus attenuationi, resolutioni, ac repetitæ evacuationi, sedulò opera danda, (sicut hoc quoad quartanas in specie urget *Sylvius*: *l.* 4. *prax Tract.* 10. §. 434. 875. 877.) antequam absorbentia hæc, præsertim fixiora & minus solubilia adhibeantur, quia aliàs aut morbi, v. g. febris multiplicatio, aut inevitabilis diuturnitas, aut ejusdem major pertinacia, istis scil. cum acido absorpto & subjecto fomite viscido, in concretum magis tenax coëuntibus, ut probabil. supra §. 3. declaratum fuit. Perinde autem est, sive vomitu, ut in plerisque febribus, tam benignis quam malignis obtinet, sive secessu, negotium hoc expediatur: modo eò quò maxime vergunt, per loca convenientia ducantur evacuando, *aph.* 21. *S.* 1. sane ex cautionis hujus neglectu, quoties febres intermittentes vel multiplicantur, vel typum mutant, vel in Chronicos morbos degenerant? non secus ac continuæ acutæ in lentas abeunt &c. aut dysenteriæ benignæ ac diarrheæ contumaciores redduntur, aut palliato licet effectu subinde crudelius recidivat &c.

Idq; utplurimum, sed non semper. §. 22. Utplurimum scil. hoc ipsum observandum, siquidem in pluribus simpliciter necessarium est casibus, haud tamen universaliter, aut rigorosè nimis huic insistendum axiomati. *Sæpè enim axiomatum nostrorum prætextus speciosus, ac mordicus facta observàtio in præcipitia quædam pericula ægros, magno damno conjicit*, ut notat magnæ experientiæ Practicus *Ballonius*, *lib.* 1. *observ.* 30. *Hinc & stultum esse axioma, præmittenda semper esse Universalia h. e. purgationes & V. S. nes, in morborum curationibus*, asserit *Lindanus super Hartman*: scil. leviori in malo, v. g. ardore ventriculi, ut istorum præmissio, est supervacanea, itaècontrario graviori, vel subitaneo quodam urgente paroxysmo, suffocationis videlicet hypochondriacæ, aut concitatioris cordis palpitationis, aut enormis sanguinis bullientis profusionis, eadem foret summè periculosa, in ancipiti subinde statu versante ægro. Adeoque de præservatoria potius, quam curatoria

toria indicatione, morbis habitualibus & chronicis debita methodo eradicandis, non subitaneis affectibus, aut paroxysmis compescendis, ægris saltem cacochymicis plus minus, non quibusvis intelligendum venit axioma istud. Præterea duo sunt, quæ purgationes quasvis vel impediunt, vel difficiles, interdum quoque frustraneas reddunt, materiæ evacuandæ viscIditas, & ejusdem acrimonia acida & pontica, quæ commota in scorbuticis, hystericis, colicis convulsivis, quartanis &c. quas non turbas subinde excitat, quibusvis si tantillum irritetur evacuantibus. In talibus adeoque ab his curationem auspicari, minus rationale foret, quin absorbentibus in genere saltem talibus præmissis, aut etiam ipsis purgantibus additis, de quo infra, tuta & jucunda magis reddenda evacuatio. Adeoque de absorbentibus fermenti special. alterativis, non materiæ evacuandæ digestivis seu præparativis, deque illis specificis magis & particularibus, minus de universalior. axioma istud explicandum.

§. 23. Præsens porrò quod attinet tempus, dum actu subministranda sunt absorbentia sive præcipitantia, circa hoc motus Naturæ, circa causæ occasionalis correctionem, quæ in fermenti vitiosè acidi contemperatione, & saturatione, fomitis verò plus minus viscidi resolutione & attenuatione, utriusque correcti per convenientes vias exclusione, consistit) occupatæ attend ndus: ratione cujus vel continui vel intermittentes existunt morbi, ex quo emergit ista differentia, quod in istis tempora saltem morborum universalia in his præterea uniuscujusvis insultus particularia observanda veniant. Notandum *ergò:* (1.) *In continuis minus in principio, sed incremento saltem, aut potius in statu locum inveniunt absorbentia ista medicamina.* Fluit hoc ipsum ex supra dictis; Dum enim fomes morbosus materialis, prius attenuandus, & resolvendus, primæq; viæ expurgandæ sunt, vix præterquam in incremento, ac statu locum habebunt. Nisi talis illorum vel selectus vel miscela instituatur, ratione cujus talia exhibeantur, quæ modo insinuatis scopis simul plus minus inserviant, qualia vel *bina*, vel facilius solubilia erunt. Præterea ministras operas Naturæ benè agenti ferre debet Medicus, id quod præstat attemperando successivè acre morbosum fermentum, quo eò facilius superari morboso sub conatu à Natura ac saturari queat, id quod non nisi sub incremento, & omnium maximè in statu locum habet. Alias in principio si adhiberentur ista, fermentum acre præposterè figendo & concentrando, mala, quæ supra §.3 &4 insinuata fuerunt, necessariò supervenirent. Nimius tamen Orgasmus humorum hic probè considerandus, cujus intuitu, & inde imminentium malorum, subinde etiam mox in aut post principium, morbo acuto tali celeriori motu principii & incrementi tempora absolvente, remedia talia figentia & invertentia subministranda veniunt.

In acutorum incremento & statu.

In Intermittentibus ante paroxyſmos.

§ 24. In Morbis verò intermittentibus, ſi præmiſſa fuerint præmittenda, adeoque ſtatus morbi fere appropinquat, attendendum periodici an ſint iſti, an verò vagi. In illis enim *Periodicis, not.* (2.) *ante Paroxyſmos exhibenda ſunt.* Præſtat enim occurrere advenienti hoſti, quàm admiſſum demum profligare. Saturandum nempe & figendum plus minus eſt acidum morboſum fermentativum, quo ab impreſſione motuque hoſtili deſiſtat mature. Antequam E. motus ejus & hinc Naturæ inchoaverit, adeoque ante Paroxyſmum, auxilia iſta opponenda. Fruſtra eſt, aut inſufficiens, quicquid in Paroxyſmo his ipſis tentaveris, interdum quoque nocivum. Qui ſemel concitatus eſt ſpirituum motus, humorumque orgaſmus, nullâ arte perfectè & ſubito ſopiri poteſt, non ſufficientibus tanto operi remediis, utut attemperando, & ſucceſſivè ſaturando fermentum acre, mitiores, (ſed ut plurimum ſimul diuturniores) paroxyſmi reddi queant. Sin verò vel immoderatâ ſub doſi aliorumve aſſociatione, vi quaſi orgaſmum compeſcere velis, alterutrum horum expectandum erit, quod vel ex non ſufficienti effectu, nimis jam progreſsâ humorum turgeſcentiâ, multiplicatura paroxyſmorum inſequatur, vel ex concentrato & fixato minis fermento morboſo, aut chronicum ſive lentum continuum malum, aut multiplex ſaltem recidiva hoc ipſo excitetur: quæ ex ſupra §. 4. dictis jam conſtant. Quod ſi vero paroxyſmi nullas ſtatas obſervent periodos, ſed erratico ac vago motu affligant, not. (3) ita *modificandus venit præcipitantium dictorum uſus, ut partitis ſed repetitis vicibus eadem*, ſub legitimo doſeos moderamine propinentur, jungendo ſimul, quæ blande & ſucceſſive per convenientes vias evacuent, ſic enim quicquid mali metuendum foret, præcavebitur.

Ventriculo vacuo.

§. 25. Denique ſive continuus, ſive intermittens fuerit affectus, ita dirigatur eorum uſus, ut, not. (4.) *ſaltem jejuno ventriculo ingerantur.* Adeoque nec in paſtu alimentis permiſcenda, nec immediate, ante autem poſt eundem propinanda: niſi forſan acida nimis aſſumta, aut undecunque concitata ſoda, interdum eorum uſum, in aut poſt paſtum urgeant. Ut enim hoc ipſum tantum non de omnibus medicamentis obtinet, iis ſaltem exceptis, quæ digeſtionis primæ, ejusque debitæ perfectionis turbatum ac p. n. vitiatum negotium concernunt, ita & abſorbentia hæc, eò magis proficua, eò minus nociva erunt, quò magis vacuum ſubintrabunt ventriculum. Potentius ſic attemperare & abſorbere acidum valent, minus verò turbabunt digeſtionem primam, adeòque minus metuenda erunt iſta mala, quæ circa chylificationem ſupra §. 3. eorum abuſum inſequi diximus, & ex iisdem, alimentis permiſtis multò magis pertimeſcenda forent.

§. 26.

§. 26. Futuro denique in tempore & post eorum usum, ita porrò dirigenda medendi methodus, ut *blanda purgantia & primas vias abstergentia subjungantur.* Idque speciatim si fixiora, ac minus resolubilia, adstringentia item, vel in se talia, vel quæ in corpore, ex texturæ mutatione talia evadunt, usurpata fuerint. Ea siquidem horum est conditio, ut plus minus saturata circa primas vias, nunc in peristromate ventriculi & intestinorum mucoso, nunc plicis & cellulis eorundem delitescant, idque subindè satis pertinaciter, forsan per ductus Lacteos primi generis penetrando, in glandulis mesenterii infixa hæreant. Recordor hac occasione mulieris annosæ, hystericæ &c. quæ acidularum Egranarum, ad nos advectarum potu, debito sub regimine usa fuit: quæ purgata licet sub potionis fine, nihilominus tamen, pluribus abhinc septimanis denuò evacuata, copiosas nigerrimas, adeoque ♂ intensè tinctas dejectiones exhibuit: adeò ♂ quoque tamdiu intra primarum viarum anfractus stabulari potest. Ex ista verò in primis viis subsistentia, præter mala supra § 3. recensita, & impedita, ac depravata chyli transcolatio & distributio, & fecum p. n. retentio metuenda erit. Quin & hoc modo tumorum ac abscessuum in mesenterio variæ species, ac inde oriundorum lentorum, ac symptomatum multiplici varietate intricatorum morborum, prima fundamenta subindè poni videntur. Sicuti etiam Colicæ convulsivæ pertinaces non minus quam crudeles, his ipsis ex occasionibus inducuntur, non secus ac recidivis crebrioribus occasio subministratur, ut sup. §. 4. monitum. His ipsis procellis, ceu prudens Nauclerus, in tempore occurrat Medicus, & blandis laxantibus ac mediocri stimulo primas vias expurgantibus, sociatis resolventibus ac abstergentibus ♁inis vel gummosis, quicquid mortis instar, dictis in locis relictum fuerit, removeat. Una ac alterâ vice institutum hoc negotium sufficit, post acutorum, remediorum talium ministerio curationem, nominatim febrium ardentium ac similium, ut & tertianarum intermittentium. Successivis verò & partitis vicibus, sive ut vocant per epicrasin, sub chronicorum tardiori progressu, idem tentandum, adeòque absorbentibus talibus subinde interponenda, aut interdum socianda veniunt: ut in quartanis, hypochondriacis, cachecticis &c. Tutius sanè sub declinatione morborum dictorum, enervato plus minus acri acido per ista figentia, & concentrantia, instituuntur purgationes, quàm in eorundem principio, ob rationes ex §. 22. colligendas. Præstat tamen blandioribus evacuantibus, & quæ potius stimulando primas vias, quàm colliquando contenta corporis operantur, uti quævis enim copiosior ac vehementior purgatio plus nocet, quàm prodest, & imposturæ instar, activæ quidem in Medente, passivæ verò in patiente, mihi videtur: *adeò omne solutivum* (potentius paulò, ac propriè

Subjunguntur purgantia.

propriè tale) *deprædatur de viribus & substantia corporis nostri*, ut optimè docet *Hippocrates.*

Cautel. VI. *fluidis concitatior motus conciliandus.*

§. 27. Regimen porrò tale circa ægrum, ab exhibitione eorum instituendum: quo effectus eorundem promoveatur. Adeòque sit *Cautel. VI. sub illorum Usu motus concitatior contentis corporis fluidis conciliandus.* Non solùm scilicet in fodinâ suâ primarum viarum acidi sapores & odores p. n. delitescunt, sed etiam altius penetralia corporis subeunt, ut aliquoties jam insinuatum, & morbosi effectus variis in locis palam illud profitentur: sive ut *Helmont.* loquitur, *Paradox. V.* §. 9. p. 554. *in nobis non rarò oberrat* 🜍 *quoddam resolutum, minerale, planè excrementitium, tartarus inquam resolutus &c.* Illud ipsum pariter per absorbentia ista plus minus saturandum venit, etiamsi hæc primarum viarum tramites, fixiora scil. & minus solubilia, non transcendant. Jam verò utut totum corpus secundum *Hippocratis* Oraculum, sit conspirabile & perspirabile, sive immediatè, per insensiles cœcosque meatus & poros partium, prout illustratur à *Tachenio*: *Clav. p.* 237. supra §. 3. allegato, sive mediatè, per ductus & vasa, nunc magis, nunc minus oculis patentia, mediante continuo humorum circulo, de quo supra §. 23. c. 2. adeò, ut etiam remotiori ex loco, hostilis aura acida à remedio in primis viis hærente, absorberi & corrigi queat, nihilominus, ut facilitetur hoc ipsum negotium, & acceleretur confluxus hostilis acidi ad suum compar medicamentosum in primis viis, concitatior humorum motus progressivus & celerior in circulum raptus, multum omninò contribuet. Ob id scil. tam studiosè Practici ab usu 🜍ialium motum corporis injungunt, non quidem, ut celerius sic descendant, hoc enim frustraneum foret, & absque sperato effectu, (utut congruâ sub explicatione, ceu usu accidentalis concedi queat) sed ut promoveatur acidi exorbitantis motus, ad appropriatum magis activitatis suæ objectum, adeoque ab eodem promtius & uberius ita absorbeatur. Cum verò illum progressivum rapidiorem, intensior etiam motus intestinus particularum fluidi heterogenei comitari ordinario soleat, quâ ratione agitatione vasorum, cerevisiæ & musti turgescentiam fermentativam, aut concussione vasculorum, effervescentias commistorum artificiales augeri insigniter observamus, ob id sub isto rapidiori humorum circulo, dum acido peregrino, texturam ac motum intestinum plus minus vitiante liberantur illi ipsi, simul sub ista celeriori commotione intestinâ in novam texturam eò facilius se component, & ad naturalem eucrasiam se ipsos, secundum syncriseos, & diacriseos & metastaseos minimorum leges restituent. Adeò & quidem secundariò, intestini hujus motus ratione, & ejus medio redindegrandæ texturæ ac Craseos humorum causâ, post absorbentium

usum,

usum, motus illorum concitatior progressivus, quovis modo adjuvandus veniet.

§. 28. Motum hunc humorum progressivum, circularem, duobus modis accelerari licet, primo quidem beneficio motus naturalis artuum, & hinc totius corporis localis, deinde citra hunc, beneficio artificialis sudoris, aut madoris saltem sensilioris provocationis. Utroque in casu rapidior per vasa impetus contentorum, & concitatior progressio omninò contingere solet, ex causis vel sponte patentibus. Ille quidem ægris paulò vegetioribus, adeoque chronicis ferè in malis, & quamdiu Orthostadia in iis locum habet, magis convenit. Hic vero in acutis, chronicorum item gravioribus paroxysmis, dum lecto surgere vel nequeunt ægri, vel minus consultum hoc ipsum videtur, magis obtinet. Utrumque uti in fixioribus & minus solubilibus absorbentibus utile admodum, subinde necessarium quoque existit, ita posterior modus in solubiliorum, ac inprimis volatilium, vel solitariâ vel fixis sociatâ (secundum dicta §. 19.) exhibitione, summe proficuus existit. Excernitur autem hoc ipso simul, quicquid motus intestini aucti & restauratæ plus minus texturæ naturalis humorum beneficio, ceu heterogeneum secretum fuerit, & depuratio quorumvis humorum vitiatorum, attenuatio eorum, quavis ratione condensatorum, & celerior progressio, quovis ex impedimento nonnihil stagnantium, hoc ipso obtinebitur. Patet ex his, quare ordinario post quæcunque febrifuga, fixa inprimis Terrea, sudoris excitandum esse profluvium, tam sedulò inculcent Practici, præsertim si fieri potest, eo tempore, quo aliàs recrudescere solet Paroxysmus, cum sic certiori planè juvamine propinentur eadem, ac minori cum recidivæ metu, quam si vel nullus sudor superveniat, vel hic ad paroxysmi finem saltem expectetur. Quot & quibus modis.

§. 29. Haud postremum punctum rationalis absorbentia administrandi methodi fert, concinna eorum cum aliis copulatio. Adeòque sit *Cautel. VII. ne saltem solitaria, sed etiam aliis sociata remediis propinentur.* Utrumque exhibendi modum & ratio primitus docuit, & experientia postmodum confirmavit. Indicationes prout variant, causarum p. n. & symptomatum ex varietate & complicatione, componenda etiam cum aliis, vel sola exhibenda absorbentia hæc, ostendunt. Utut autem larga seges aliorum sit auxiliorum pharmaceuticorum, quibus misceri commodè possunt, speciatim tamen ad quatuor classes commodè redigi possunt, *purgantium* scil. *diaphoreticorum, anodynorum, & appropriatorum.* Caut. ult. *Aliis remediis socianda.*

§. 30. Purgantibus commodè sociantur, ubi acriora fluida movenda veniunt, quo temperata horum & inversa corrosivitate, citra gravio- Purgantibus.

rum symptomatum syndromen, jucundius & tutius evacuatio succedat, sicuti eundem in finem & præmitti interdum iisdem, supra §. 22. insinuavimus. De sennæ θ tartari sociatæ infuso laxativo polychresto, jam supra §. 12. locuti sumus. Speciatim huc exempli loco, pertinet famosus iste *Cerberus triplex à Cornachino* adeò peculiari scripto decantatus, *alias pulvis febrifugus Comitis Dudlæi de Warvvick* Angli dict⁹: *à Spigelio de semitertiana, l. 3. c. 8.* & *Kergero, de fermentat. s. 3. cap. 3. p. 250.* laudatus. Remedium profectò polychreston, præsertim, si scammon. sulph. loco, ejusdem resinam recipias, ut rectè hoc urget *Maxvellus, in Medicin. Magnet. l. 2. c. 2. p. 68.* idque propter vim aromatico-alterativam, solutivæ sociatam, nec acido sulph. fumo castratam vel inversam. Sicuti etiam præ ♁ diaphor. simplici, ♁ diaphor. ♂iale, ceu præstantius absorptivum, isti addendum, sive ♁ istud cachecticum *Ludovici*, prout tam in *Pharmaciâ, p. 330. quàm Miscell. Acad. Nat. Curios. anno 8. p. 108* autor ipse parare illud docet. Pertinet huc pulvis iste multi usus, quibusdam in secretis habitus, qui fit ex ♁: nitr. ana. libr. ß. ♂. ℥j. invicem detonatis, & hinc cum triplo nitri calcinatis, & hinc edulcoratis. Habebitur sic pulvis flavus, qui cum ana resin scammon. mistus, vel illius p. ij. cum hujus p. j. paucis crem. tartari gran. additis, suggerit polychrestum remedium, ad quasvis febres intermittentes, continuas, pleuritidem, obstruct. Mensium, choleram &c. dos. ℈j. ad ʒß. propinandum, & cuivis ætati tutò, limitando saltem dosin, porrigendum. Placet de cœtero ista methodus, quâ in intermittentium paroxysmis solutiva blanda febrifugis connectimus, ut junctâ operâ, dum Natura movet, & Medicus moveat, idque præsertim viribus utcunque constantibus. Quibus paulò de bilioribus existentibus, præmittantur ita laxativa Paroxysmo, quo maturè ante hujus invasionem suo fungantur munere, pro specificis tempestivè propinandis. De cætero, quam fausto radio ♂ recreet hypochondriacos & scorbuticos, ac cachecticos, laxativis sociatus, tot pilulæ hypochondriacæ, aperitivæ, cachecticæ, electuaria chalybeata laxativa, Vina ♂ialia solutiva, malè à *Geigero in Microcosmo Hypochondr. cap. 23. p. 294.* rejecta, apertè loquuntur. Omnium loco sufficiat vitriolum ♂ ad albed. calcinat. gumm. ammoniaco cum debito stimulo solutivo sociatum & Pilularum in formam redactum, ad imitationem formularum à *Sylvio in lib. 1. Prax.* passim præscriptarum; vel si Mass. Pilul. de tribus Ruffi, extr. helleb. nigr. ãã. ℈ß. vitrioli ♂ ad albed. calcin. gr. V. cum essent. gumm. ammoniac. in Pilulas redigantur & ita propinentur. Pertinet huc pariter ☉ fulminans, concretum mirabile, ex ☉ per ♁ depurato, cum spiritu θ✳ præcipitato, paratum: vi incisivâ, & viscidissimorum resolutiva, ac abstersiva, simulque singulariter laxativa instructum. Hoc in infantibus Unicornu verò sociatum, in Epi-

Epilepticis eorum insultibus, convulsivis torminibus, similibusque malis laudatissimum remedium existit, accuratâ tamen dosi, pro lactationis, & hinc ætatis ratione exhibendum. In Adultis pariter Coraliis præp. copulatum, gr. VI. ad IX. pondere, in quartanis egregium est remedium, non immeritò *ab Hofero in Hercul. Medic. l. 6. p. 292.* laudatum: modò non inveteratum nimis fuerit malum, nec ipse æger robustæ adeò constitutionis fuerit. Non secus, ac in intermittentium recidivis, arcano duplicato & ebori sine △ additum, ante paroxysmum circumspectò usu, planè egregium est. Nam convenientissimè absorbentibus cum laxantibus mistis, simul quasi intertexuntur vel attenuantia, v. g. gumm. ammoniac. in pilulari inprimis formâ, vel abstergentia & resolventia θina, ut tart. vitriolat. arcanum duplic. &c. v. g. arcani dupl. Corall. rubr. præp. āā. ℈ß. ad gr. XV. scammom. more Brendelii præpar. gr. ij. ad iij. M. Sic enim absorbentis vis, interdum nonnihil adstrictoria, sive formaliter eam obtineat, sive inprimis viis demum ex alteratione passiva acquirat, vim solutivam additi minus enervabit, hoc ipsum verò sub minori dosi, illorum adjumento sufficienter, idque tutius ac jucundius quod suum est, perficiet.

§. 31. Cum sudoriferis inprimis salubrem ægris societatem ineunt, Sudoriferis. ex rationibus jam supra §. 27. & 28. insinuatis. Sunt equidem absorbentia hæc, maximam quoque partem sudorifera, tàm privativè, ut insipida ac terrea, quàm positivè, ut θina urinosa fixa; ac imprimis volatilia. Laudabilior verò effectus ferè observatur, si privativa ista, positivis, præsertim volatilibus sudoriferis copulentur, uti & supra §. 19. quatantenus indicatum. Duplex autem volatilium sudoriferorum, absorbentibus commodè admiscendorum, materialem quoad eorum texturam, observatur differentia: aut volatil. θina sive urinosa macra existunt, quæ & ipsa ad saturantium sive præcipitantium aliàs dictorum, classem pertinent, ut modò, ac supra §. 14. c. 1. dictum fuit, aut volatilia oleosa sive sulphurea, ut amara & aromatica, hisque plus minus cognata, (quorum farrago in Theriacalibus maximè conspicua est compositionibus) & pro basi virtutis sudoriferæ resinam plus minus acrem, libero in △e inflammabilem, in clauso vero in ol. destillabilem, ferè obtinent: ex quorum duorum artificiali connubio, quasi tertium compositum, spirituum aut θium volat. oleosorum nomine, ubivis jam cognitum emergit, quale v. g. exhibet spiritus theriacal. cum spiritu vel θ volat. C. C. aut viperarum debita proportione & destillatione unitus, ac camphoræ s. q. imprægnatus, potentissimum sudoriferum, malignarum febrium nobile auxilium. Quibusvis horum absorbentia & invertentia fixa commodè sociari possunt: ut quando in Tertianis graviori rigore molestis, cum successu ordinatur, Rec. Theriac, ℈ij. ad ʒj. specif.

Strobelberg. ʒß. ol. deſtill. caryophyll. gutt. ij. M. F. Bolus, fortiter ſudorem movens: aut quando pleuriticis proficua admodum exiſtit Miſtura, ex ▽ papav. rhead. ℥iij. ſpiritus theriac. camph. ʒiij. Mandibul. Luc. piſc. ʒj. θ volat. cujusvis: gr. xv. ad ℈j. Laud. tartariſ. gr. iij. ſyr. papav. rhead. ℥j. M. ſicuti etiam nobile illud balſamum Loimicum Heniſianum, unicornu vero & bezoardico minerali, aut hujus loco Cinnabari ♁, vel nativ. ſelect. feliciter jungitur, in malignarum febrium medelâ. Cum vero inſignis ſudorifera hæc inter volatilia ſit differentia, ſelectus rationem determinabit ſtatus ægri, & ſymptomatum conditio, in ſpecie major vel minor ſanguinis commotio & æſtuatio: Hæc enim aut imminuenda, & plus minus temperanda, aut excitanda & augenda venit; illud in nimiâ ſpirituum, & particularum ſanguinis oleoſarum (in receſſu, ut probabiliter ſtatuitur, acidarum) volatilium turgeſcentia, & fermentativâ quaſi ebullitione, hoc verò in deficiente tali ſpirituum impetu, & fermentativâ commotione. Utroque ergo in ſtatu, cum nulla heterogenei aut vitioſi fermenti, ab homogenea humorum texturâ ſecretio, nec prævia ejus correctio aut ſaturatio fieri queat, ob id arte ſubinde eadem moderanda venit. Infringunt autem æſtuationem ſanguinis nimiam, ſudorifera inter volatilia, omnium optime urinoſa macra, quæ ſane ſenſibiliter febrientium æſtum compeſcunt, adeo, ut experientiâ teſte, pro tertianarum v. g. nimio ardore compeſcendo, ſpiritus θ✳ ſimplex in ipſo paroxyſmo ſubinde uſurpatus, ſit perquam proficuus. Intendunt ècontra ardores, volat. oleoſa, quovis tempore uſurpata, ſicuti eadem ex abſinthio, cent. min. gentianâ, piperibus, ante intermittentium paroxyſmos, debito cum regimine adhibita, horroris & frigoris mitigationem, ardoris intenſionem ordinario efficiunt. Cum itaque intendendus ſubinde veniat ſanguinis æſtus, ut in Cachecticis pituitoſis, hisque cognatis, pro crudioris chyli correctione, bilis verò inertioris acuatione, item in petechialibus, præ aliis malignis, utplurimum minori æſtu comitatis, adeoque reſpective quaſi lentis, pro fermenti maligni, hujusque corruptivâ operatione geniti producti morboſi evacuatione, hic quidem alexipharmacis fixis, it. θibus volatilibus, diaphoretica oleoſa optime permiſcentur, ibi verò præmiſſis utplurimum abſorbentibus ♂ialibus, illa optimo cum conſilio ſubjunguntur, interdum etiam permiſcentur; quâ ratione aliquando in quartana Tincturæ vitrioli ♂ Zvvelf. ʒj. cum Elix. febril. D. Mich. ʒß. permiſtionem ante paroxyſmum proficuam obſervavi: uti eadem cum eſſentiis aromaticis amaris, quibus vel defectuosè vel laborioſe fluunt menſes, ſociata, optime propinantur.

Anodynis. §. 32. Anodynis denique jungenda veniunt hæc noſtra abſorbentia, ſive ex minerali, quæ rariora, ſive ex vegetabili, quæ frequentiora, d ſumantur

mantur regno. Urgent ſcil. interdum adeò ſymptomata quædam, ut aut vitæ, nunc immediate, ut hæmorrhagia aut cholera effrenis, nunc mediate, ut dolores atrociores, periculum intendant, aut ſaltem morbum primarium inſigniter exaſperent, ut dolor in pleuritide ophthalmia, quibusvis inflammationibus, aut ejus curam periculoſe impediant, ut in ardentibus acutis, it. variolis &c. coctionis ſcil. negotium, cui unicè incumbit Natura perturbando. Cunctatio omnis in his funeſta. Abſorbentia itaque & figentia quælibet, cum nonniſi debita interjecta temporis mora, effectus intentus inſequi ſoleat, anodynis ſocianda, quo ab his ſpirituum perverſo refrænato impetu, à quo omnia ſymptomata urgentiora dependent, & ſuſpenſo hoc ipſo aliquandiu nato inde paroxyſmo, illorum ope, occaſionalis tantarum procellarum materialis cauſa inverti & alterari queat. Modificando nempe ſpirituum impetum, & diaphoreſin liberiorem, etiam ſæpius ſenſiliorem reddendo, in quo omnia anodyna, tam vegetabilia quàm mineralia conſpirant, quorumvis ſymptomatum urgentium (ſoporoſis forſan, idque ſaltem in tantum, non in totum exceptis) panaceæ exiſtunt, & ita propriè ſic dictæ, ſobrieque explicatæ Panaceæ & univerſalis remedii ideam quaſi repræſentant, & poſſibilitatem ſuo modo confirmant. In cholerâ, dyſenteriâ, ſcorbuticorum vomitibus enormibus, hypochondriacis ſuffocationibus, catharralibus repentinis faucium ac aſperæ arteriæ affectibus, catarrhis ſuffocativis vulgo dictis, convulſivis quibusvis paroxyſmis, pleuritide atrociori & pluribus aliis vel gravioribus vel ſubitaneis pathematis, tantum non ſemper iſtorum, Opiatorum quidem uſitatiſſimè, ſociatam invertentibus & figentibus opem imploramus. Sicuti verò, quo generoſius ſeu efficacius eſt remedium, legitimo uſu, eò periculoſius & gravius quoque nocere ſolet perverſo abuſu, cum vel *Galeno* aſſertore, nil magnificè proſit, quod non multum nocere etiam queat, ob id & anodynorum, ſpeciatim opiatorum, de quibus ceu uſitatioribus inprimis loquuntur, cautus ſit & circumſpectus cum iſtis congreſſus. Siſtendo enim hæc ipſa ſpirituum impetum, contentorum quorumvis motum ſimul plus minus imminuunt, adeoque materiæ peccantis, ſive occaſionalis antecedens, ſive productum morboſum conſequens fuerit, alterationem & remotionem hoc ipſo ſufflaminant, eamque immobiliorem reddendo, ſimul quaſi figunt. Propterea ſub mutuâ ſocietate, volatilibus tutius quàm fixis, & hæc inter potius ⊖inis quàm terreis copulantur. Illorum enim ſub conſortio diaphoreſin ferè copioſiorem reddunt, & fluidorum motus minus refrenant. Hinc enim Eſſent. Opii tartariſata, Liquori C. C. ſuccinato aut ſpiritui ⊖✻ aniſato maritata, multum in effectuum catharralium cura præſtant, non ſecus ac Colicis in convulſivis, & huic

huic cognatis hypochondriacis suffocationibus, eadem mistura, aut huic analoga ex spiritu θ✳ci, essentia castorei & opii, debito in vehiculo dilutis, potiuncula, utramque absolvit paginam. Sicuti & spiritus iste θnio-volat. oleosus, supra §. 31. ad febres malignas laudatus, eidem Essentiæ auspicatò jungi potest. θinis fixis commodè etiam jungi potest laudatum Opium, cum vim horum abstersivam ac diureticam, saturativæ junctam, minus inhibeat. Fixis denique insipidis aut terreis pariter subinde jungitur, tamen ob nimiam hinc metuendam fixationem & concentrationem acidi morbosi, ac materiæ peccantis pertinaciorem immobilitatem, paulò circumspectius idem faciendum. Hinc patet ulterius, non nisi urgente malo gravius, aut graviori adhuc imminente, ibi curationis, hic præservationis gratia commercium tale instituendum, quo prima in herbâ suffocentur, ut sic dicam, tribuli ac spinæ morbosæ. Speciatim in Acutis, atrocioribus symptomatis comitatis, sed saltem sub incremento morbi, dum turbantur subinde præposterè ordinarii naturæ motus, ob materiæ orgasmum, conveniunt, quâ ratione bezoardico minerali, Unicornu fossili & similibus pulveribus bezoardicis compositis, cum vel sine Cinnabari, extractum theriacale, aut theriaca cœlestis Greiffii, aut Laudan. Opiat. commodissimè, e. g. in variolis malignis, aut purpuratis &c. sociantur. In Chronicis verò affectibus, saltem in gravioribus eorum paroxysmis, tanquam tot parvis morbis acutis, sub lento illorum motu intercurrentibus, locum inveniunt, idq; imminente potius paroxysmo, adeoque præservationis gratia: similibus ferè ex rationibus, quæ supra §. 24. allegatæ fuerunt.

Sed ritè correctis.

§. 33. Observatis hisce, jucundissimus anodynorum quorumvis, speciatim Opiatorum, cum absorbentibus, & saporum ac odorum acidorum alterativis est concursus, modo hæc debitâ correctione, vi narcoticâ plus minus exuta, nobisque sic amica magis reddita fuerint. In quem finem pro acutis quidem, cum † ♌, extrahendo, in chronicis ac aliis quibusvis, cum alcalisato tartari digerendo, commodissimè præparantur. Cum verò præstet, catholicum magis ex Opio semper in promtu habere præparatum, quo tanquam unicâ fideliâ, omnes dealbari queant parietes, hoc ipsum optimè obtinebitur, si Opii & θ tartariana, cum s. q. ▽ comm. irroratis, ad pultis liquidioris consistentiam, blandoque digestionis calori aliquandiu expositis, pro concreti, gummeo resinosi meliori penetratione, & dissolutione, affundatur successive & suspensa manu † ♌, fiet sic ebullitio cum formali quasi fermentatione, continuetur hæc affusio, ad punctum saturationis usque, denuoq; aliquandiu digestioni leni exposita, filtrentur, & phlegmatis exhalatione inspissentur, cum spiritu Vini per se rectificato extrahenda, & ad debitam vel fluidæ essentiæ, vel spissioris extracti consistentiam

redi-

redigenda. Habebitur hoc modo anodynum vegetabile, ut mihi quidem, ob rationes hic ſpeciatim haud recenſendas, videtur, correctiſſimum, adeoque tutiſſimum, quibusvis in caſibus adhibendum. Simplici labore, magnoque temporis compendio obtinetur hoc modo, quod per tœdioſam cum ſuccis vegetabilium, & quidem horum potius, quàm additi, ſed non ſoluti Opii, fermentationem vix acquiritur. Remedium eſt, promte in quovis corporis noſtri fluido ſolubile, adeoque ipſi facillime commiſcibile, & hinc latiſſime diffuſibile, citra diuturnam inprimis viis moram, aut ullum ventriculi tœdium. In quo haud poſtremum, legitimæ vegetabilium, præſertim reſinoſorum præparationis momentum conſiſtere arbitror, ut reddantur contentis corporis noſtri promte commiſcibilia, & longe lateque in parva licet mole diffuſibilia, *citius* ſic, & ob minorem circa primas vias moleſtiam, quam aliàs ibidem præcipitata, ſub reſinoſa ſua & viſcida textura, inferunt, *jucundius*, quin & ob parvam vel nullam, quam dictis in locis aliàs ſuſtinent alterationem, *potentius*, & minus ſenſili in partes ſolidas impreſſione vel immediatâ vel mediatâ (intercedente alteratione fluidis inductâ) *tutius* operativa exiſtunt. Quo in negotio, alcaliſata præſertim illud 🜿 tartarati principalium inſtrumentorum loco inſerviunt.

§. 34. Ultimum locum eorum, cum quibus ſocietatem pro feliciori praxi amicam ineunt Invertentia noſtra, obtinent *Appropriata*, in genere ita dicta. Sunt enim abſorbentia hæc, maximam partem, prout ſupra c. 2. §. 20. & 23. dictum, generalia, & magis univerſalia alterantia, adeoque ſpecialibus p. n. affectibus, haud adeò directè oppoſita. Utut verò partim per debitum eorum ſelectum, ſecundum §. 16. & ſeq. partim per ſudoriferorum & anodynorum concinnam aſſociationem, ſecundum §. 31. & 32. ſpecialius determinari queant, haud adeò tamen ſufficere hæc videntur, quin pro acidi ſpecifici varietate, ejusque fomitis materialis plus minus glutinoſi, diſtinctâ conditione, partium item vel primariò vel ſecundariò, unius vel plurium, ſolidarum vel fluidarum affectarum diversâ habitudine, & in ſpecie humorum, unâ plus minus alteratorum, contrariâ ſubinde diſpoſitione, morborum item diverſorum complicatione, & ſymptomatum plus minus moleſtorum aut periculoſorum ſyndrome, his ipſis frequentiſſime, ceu coindicantibus, per appropriata & quaſi particularia auxilia occurrendum veniat, & hæc ipſa illis abſorbentibus dextrè adjungenda ſint. Sed tanta cum hîc occurrat varietas, ſiquidem negotio huic, tota ſpecialis Praxis innitatur, adeò ut certis regulis, ceu tot limitibus circumſcribi commodè nequeat, exemplis ſaltem quibusdam illuſtrare illud, ſufficiat. Dum Hypochondriaci vagâ phlogoſi toties æſtuant, Ebori ſive △, & Coraliis,

Deniq; Appropriatis,

nitr.

nitr. vitriolatum, aut nitr. ♁iatum addendum : ſicut in ſuffocatoriis eorundem Paroxyſmis, abſorbentibus tam fixis quàm volatilibus aut potius utrisque, ſecundum §. 19 commiſtis, caſtoreata ſpeciatim addenda. Bezoardicis dictis pulveribus, diverſarum licet compoſitionum, in variolis & purpuratis myrrha, in malignioribus camphora, auxiliatrices jungit copias: quibus præterea, nervoſo genere gravius patiente, adeoque in convulſionibus imminentibus, Cinnabarina adjungenda, non omiſſis θibus volatilibus. Aperitivis, ut vocant, & anti cachecticis Virginum non menſtruatarum ♂ialibus remediis, vix absque croco & Cinamomo utimur. Quæ ſodæ ebullitionem figit Creta, aut C. C. uſt. ſocietate nucis moſchatæ, hoc in affectu inprimis gaudet, idque præſentaneo magis ſucceſſu, ſi conſervæ aut ſyrupo ſummitatum ſive gemmarum quercinarum in foliola ſe explicantium, Electuar. ſub formâ permiſceantur : quæ modò ex quercuum foliolis parata euporiſta, & dyſentericorum remediis temperantibus & abſorbentibus eodem modo recipiendis inſerviunt. Gonorrheæ dum ſuccurrit Os ſepiæ, ol. deſtill. ſuccini, vel balſ. copayvæ ſocietatem ambit: ſimili modo, ac idem balſamus aut ejus loco ol. deſtill. cortic. aurant. Lapid. percarum & cancris calcinatis invicem miſtis, pro ſtranguriæ curâ additur. Febrifugis fixis quibusvis, rigore graviore ſub paroxyſmi initiis urgente, aromata acriora, in ſpecie plebis iſtud contra intermittentes euporiſton, debito uſu, non rejiciendum, piper album, aut potius longum, ad plura grana, aut ejusdem vel caryophyllorum ol. deſtill. ad aliquot guttas, commiſcetur. Lentis in febribus, præſertim aliis non benè curatis ſupervenientibus, Poterii antihectico, θ✳um conſultò jungitur. Vix quoque apud nos debellare licet ſcorbutum melancholicum (ut cum Williſio loquar) niſi abſorbentibus quibusvis, inprimis ♂ialibus, appropriata iſta, θe volat. acriori & penetrante imprægnata, vel adjungas, vel præmiſſis ſubjungas, quæ tamen in eodem bilioſo minus tutò, & propterea majori longe cum circumſpectione adminiſtrantur, niſi cephalalgias, aut inſigniores ſanguinis Orgaſmos, eo ipſo concitare velis. Sed ubi finis foret, ulterius ſi pergere vellem? Hîc ergo pedem figimus tribuendo.

CAP.

CAPUT I. THEORETICUM.

PUNCTUM I.

Morſum viperæ eſſe venenoſum aſſerit.

§. 1.

PAradoxa admodum prima fronte videtur Cornelii Celſi ſententia, dum *libro V. Medicinæ cap.* 27. expreſsè aſſerit, ***omnem feræ morſum habere quoddam virus:*** quod effatũ, licet de propriè dictis feris indomitis, iisq; homini ſingulariter infeſtis intelligi poſſit, ſicut hoc ſenſu illud interpretatur *Sennertus lib. V. Prax. Paſt. IV. c.* 19. Antecedentes tamen lineæ & ſubſequens generalis medendi methodus, ad omnia animalia, hoc aſſertum accommodandum ſuadent: Cum inprimis in aliorum Autorum lectione occurrens experientia, idem ſatis confirmet. Notanter interim, ***quoddam virus habere*** ait, innuens hoc ipſo varietatem graduum, dum intenſius modò ſit idem modò remiſſius, modò inſignioribus comitatum ſit ſymptomatibus modò levioribus, ita ut in genere quilibet morſus cujuscunque animalis furore tamen vel irâ concitati præter læſionem externam, veneni unà inducat metum.

§. 2. Aſt inter feras morſu venenato inquinantes, præ aliis ſerpentum & reptilium eminet genus, inter quæ verè primum meretur locum vipera, ***animal in totum pernitioſiſſimum & venenoſum***, ut loquitur ***Amatus Luſitanus Cent. 1. Cura 1. Scholio. 10.*** Quod quò notius eſt omnibus ferè Europæis, eò vehementius lædit mordendo teſtantibus hoc Symptomatis, quibus catervatim ſtipatur hic morſus. Sed in quo venenoſitas hujus conſiſtat, omninò controverſum eſt; neceſſe ergò, ut de natura veneni morſusque venenati prius conſtet, quò eò certius de veneno viperino poſſit ferri judicium.

§. 3. Venenorum eſſentia, ſi quæ alia, in toto Naturæ theatro ut maximè eſt obſcura, ita ob id perdifficilis in Medicina eorum curatio eſt. ***Vide elegantiſſimum diſcurſ. Joh. Fabri Lyncei Expoſition. in nomina, & imagines animalium novæ Hiſpaniæ pag. 783.*** In primis monendum inſignem vulgò hic animadverti abuſum, dum quodlibet corpus naturale ejusve quædam pars, lædens quocunque modo corpus humanum, cujus læſionis ratio adeò manifeſta dari non poſſit, aut licet reddatur, ab altero ob præconceptarum

opinionum vim,non accipiatur, mox venenoſum,læſioque à veneno oriunda dicitur. Sic Opium ſæpius vocatur venenoſum ob vim ſuam Narcoticam, cum tamen magni ipſius Theriaces Antidoti conſtituat baſin, unde & Hyoſciamus,Solanum,Mandragora, ipſumque ſalutiferum Papaver, ſub venenorum vulgò rediguntur claſſem, cum tamen horum legitima præparatio & uſus, divinas medentibus porrigat manus, & nunquam ſatis deprædicandam ægris ferat opem. Sic ſimilem ſortem ſubit ob ſimilem vim *Datura* dicta planta, ex cujus tamen ſemine, quam elegantiſſimum Pharmacum phantaſticum doctiſſimus elaboret *Fabritius Bartholetus*, ad quæcunque deliriorum melancholicorum inprimis genera efficaciſſimum, videri poteſt *in lib. V. Method. in dyſpnœam Part* 1.*cap*. 1. *pag*. 392. Quod ipſum medicamentum manu ferè nos ducit ad penetrandam intimius medicamentorum vim, eorundemque ſpiritus & archeum corporis noſtri, afficiendi modum. Miror intereà cur non & pares ob cauſas vinum inter venena relatum fuerit,poſtulante hoc delirio ebrioſo, poſt nimium ejus uſum, nunc melancholico, nunc Maniaco &c. pro varietate individuorum inducto: Sicut ob vires hujusmodi ſtupefactivas, vapor ex muſto ferveſcente exhalans venenatus dicitur,cum tamen muſtum, in larga quoque copia hauſtum, nullas veneni inprimat notas. Solent ſimiliter ſanguis menſtruus,lac in ventriculo coagulatum ob quædam ſymptomata, ex ſtomachi gravedine oriunda, Unguium ſegmenta, ob vim emeticam vel purgantem excedentem, cantharides ob vim ſuam inprimis veſicam exulcerantem &c. venenorum appellari nomine. Ut & Calx viva, item Gypſum, vitriolum aſſumtum, Aqua fortis, venenata dicuntur, ob repentinam ſuam læſionem &c. Ceterum ſi ſimili modo pergere debeam, vereor ſane,ne omnia medicamenta, & alimenta ex perverſo uſu fiant venena, & horum uſus legitimus easdem in medicamenta permutaret. Aliud namque eſt noxium,aliud verò venenatum.

§. 4. Venenorum interim propriè ſic dictorum quod attinet naturam,ante omnia præſcindendus eſt conceptus uſurpationis, & præparationis,ab eorum interna eſſentia, quia ſub illo reſpectu venena ſunt non venena,hoc eſt legitimo uſu, & commoda præparatione, abeunt in ſaluberrimas medicinas; propriam verò conſideratam eſſentiam, conceptu quodam generali omnibus univocè competente exprimere, res videtur ferè impoſſibilis,tum ob inſignem eorum varietatem, tum etiam ob unius, ejusdemque veneni variam operandi rationem. In genere tamen in hoc omnia convenire videntur,quod agant, vel ratione fermenti cujusdam peregrini. Maſſæ ſanguineæ,tanquam Nectari vitali, omninò exotici, vel ratione ſpeciei, ſeu

Ideæ

Ideæ cujusdam Archæo hostilis, eum in varias agitantis perturbationum procellas, unde enormis actionum læsio, & perversio contingit: Ita ut *læsio* à veneno partim ad corpus, partim ad actiones ejusdem pertineat. Quas læsiones communiter, à qualitate quadam maligna & toto genere deleteria oriri ajunt, contra quos tamen disputat *Johannes Marcus Marci à Kronland. in Philosoph. vet. restit. Part. IV. Sect.* 3. *pag.* 431.

§. 5. Hujusmodi veneni operationes & operandi modos, deprehendimus inprimis in morsibus venenatorum animalium, quando præter rationem partis affectæ, & læsionis continui modum, supervenit Symptomatum miserandorum, & horrendorum cohors, hinc certum imminens vitæ periculum, cum morbi acumine seu brevitate, ut sunt, totius corporis tremor, item exhorrescentiæ syncope lævissimo vulneri remota licet in parte superveniens: Sudor frigidus syncopticus, corporis intumescentia, maculæ & livores hinc inde erumpentes, quæ pro varietate mordentis etiam variant: in genere tamen vulneri tali ut tali nullo modo per se cohærere possunt, sed omnino τὸ θεῖον Hippocratis hujusmodi læsionibus inesse videtur. Non sufficit autem, ut à venenato habito vulgò animali contingat læsio; nam & venenatum citra veneni sui vim lædere, & contra non venenatum plagam venenosam infligere potest, pro alio atque alio, in quo consistunt, statu. Hujusmodi porrò crudelia symptomata (de quibus postea, ubi de signis) cum præsentaneo vitæ periculo, cujus linea ultima imminet, nisi celeri manu feratur auxilium, conjuncta, quæ morsum viperæ insequuntur, apertè ostendunt à posteriori licet, venenum & hujus lethiferam vim conjunctam esse cum isto morsu. Unde tutissima quoque curatio per Alexipharmaca, seu communia, seu appropriata, experientiâ duce inventa instituitur, seu intus assumta, sudoris beneficio, naturæ conatum juvent, expellendo, seu foris admota eandem levent attrahendo.

§. 6. Sunt equidem nonnulli, qui morsum viperæ licet vel atrocissimum venenatum negant, sed omnem supervenientem symptomatum syndromen, tùm ex acutie, & summô dentis lædentis acumine, ejusque relictis spiculis, & tenuis biliosi liquoris sociatione, tùm ex partis læsæ nervosâ compositione oriri volunt. Non secus ac ex aciculæ punctura in partibus nervosis nonnunquam superveniat mors. vid. *Barthol. de angina Puerorum p.* 111. 112. & *D. Pauli digressio de febril. malignis p.* 45. *Hildanus Cent. V. obs.* 11 Sed utut hæc sese rectè habeant, non tamen omnem absolvunt paginam: multũ facit acumen dentis, unde sine eo invalidæ sunt viperæ demonstrante hoc *Zvvölfero*, & *Severino*: multum quoque pars læsa, ut majora sequantur sympto-

 mata,

mata, liquor etiam effusus maximè est ponderandus, & in hoc ipso id, quod venenatum reddit vulnus cæteris paribus residere existimo, cum in minima quantitate maxima ejus sit vis. Cur enim hujusmodi morsus maculæ & livores, & intumescentia corporis, cur horrendæ lipothymiæ, & cordis anxietates sequerentur? aliàs in similibus non obviæ læsionibus: cur in partibus carnosis eadem adessent Symptomata? Cur applicata externè alexipharmaca & proprio ex subjecto, & etiam ex alieno, item volucres viventes, attrahendo relevarent ægrum? Cur interna alexipharmaca curarent maximè, si ab omni venenatæ læsionis suspicione, esset liber viperæ morsus? cur denique tam brevis relicta sit vitæ usura de morsis? taceo hic Suctionem partis læsæ cum ore, accelerare mortem promovendo venenum ad interiora ex *Amato*, licet rejiciatur hæc hypotesis *à M. Sever. de Vipera Pythia. part. II. cap. 8. p. 36.* Cujus exsuctionis veritatem vide apud *Lynceum loco sup. citat. p. 778.* Cur denique aliorum animalium vulnera levia ob veneni tamen quandam labem sunt lethalia? ut infrà patebit. Perplacent ergo mihi *Senerti* verba *lib. V. Prax. Part. II. cap. 21. Vulnera à venenatorum morsibus vel ictibus illata plus nocent vi venenata quam vulnere, quæ per se plerumque non sunt magni momenti;* Concluserunt ergò veteres viperam esse venenatam, sed quæsiti ulterius, *cur sint venenatæ*, dixére, quia earum licet exiguus morsus sit lethalis, idque propter venenositatem animalis, & ita vitiosum commiserunt circulum; quem ut effugerent tandem respondére, vim inesse ipsis peculiarem, toto genere præter naturam, & uno verbo occultam. Sed hoc ipso dixére, se ignorare istam vim venenosam, quia ipsis sit occulta, quod namque, occultum est, hoc ignoro. Pergendum ergò jam ulterius & ad naturam veneni viperini ejusque per morsum communicationem est progrediendum.

PUNCTUM II.

Autorum de veneni viperini natura sententiam perpendit.

§. 1.

VIperam ejusque inprimis morsum, maximè esse formidandum, ob veneni noxam, experientia edocti, statuére veteres; Cæterum & eandem viperam insigniter prodesse ad profligendas multorum morborum phalanges, eadem ipsos informavit experientia. Sic vinum, in quo suffocatæ vipe-

ræ,

cæ, præsentissimum ad horeneam Elephantiasin Græcorum, seu lepram Arabum esse Alexipharmacum demonstrat *Galenus lib. VI. Comment. Aphorism.* 47. Quas tamen historias in dubium vocari videtur *Poterius*, contraria experientiâ fretus *Cent. 3. obs.* 81. Et musto, in quo similiter extincta vipera, spontaneo nisu, talis æger non tantum perfectè curatus, sed præterea quoque omninò in Juventutem quasi restitutus fuit; exutis crinibus, unguibus & pelle hisque omninò renovatis: referente *Aretæo lib. II. de Sign. & Caus. diuturn. morb. cap. ult.* quarum historiarum explicationem vide in *Zacuto Lusitan. lib. VI. Medic. Princ. Histor. II.* Unde etiam à *Galeni* antecessore *Andromacho* theriacæ tanquam basis fuêre immisti ex viperis parati trochisci. Cæterum cum deficeret ratio, propter quam tam pernitiosum venenum & rursus adeo salutare pharmacum consisterent in eodem subjecto, res tandem eò pervenit, ut dixerint, non totam viperam esse venenatam, sed tantum quasdam ejusdem partes: has recenset *Bald. Angl. Abbatius de Vipera. Cap. IV. V. & VI.* & ait *esse dentes, Gingivas & vesicam felleam: in dentibus quidem venenum esse à natura inde manifestum ait, quoniam ab iisdem dentibus viperæ jam dudum mortuæ, si quis tangatur, lethale est. Quare hac in parte, & mortua & viva, semper apta nata est ad lædendum; in Gingivis porrò, & vesiculis earum, esse collectam venenum ex usu & cibo venenatorum animalium, attractum à vesica fellea, vagum & spirituosum, translatum ad Gutturis partes, tanquam in sentinam deponi à natura, & facultate viperea perfici. Hanc autem fellis virulentiam toto Capite V. probat ex eo, quod impositum felictui viperino, venenum à viperæ ictu projectum, similitudinis ratio attrahat.*

§. 2. Hæc veterum fuére asserta, ab *Abbatio* explicata, quæ ex parte vera esse certâ ratione, dummodo legitimè explicentur, inferius patebit: Merentur interim examen. Videntur enim omninò ex nuda, eaque falsa hypothesi oriri: observarunt scil. veteres, morsu tantum lædere viperas venenosè, hinc dentes esse venenatos conclusére, cumque præterea vesiculas observarint in gingivis, easque liquore quodam plenas, confirmati ulterius in sua opinione, & hunc venenatum statuerunt, cum ex fellis derivetur vesicâ, affirmantes, felleum liquorem, pessimum corporis in quocunque animali virus. Sed superiores restant difficultates; si tam pretiosus pro vita humana & conservanda & prolonganda est reconditus balsamus in viperis, unde hæc eorum venenositas in dentibus? in liquore felleo? & in vesiculis gingivarum? In quo consistit hoc ipsum venenum? Hinc qua ratione dentes sint venenati, omninò probandum, & explicandum fuisset, non ex nudo effectu, morsu venenato, de dentium malignitate judicandum: ad hæc etiam

poſt mortem lædere poſſe ex ſe & venenoſa ſuâ vi, quam dicti modò Autores illis attribuunt, vana eſt mentis perſuaſio, cum nulla vera hujus rei unquam obſervata ſit experientia, & licet exemplum, quod mortuæ viperæ dentis tactus ſit lethalis, habeat *J. C. Claudinus de ingreſſu ad infirmos*, huic tamen & etiam *Abbatio* abundè ſatisfacit *doctiſſimus Severinus*, & ratione & experimento confirmatus, *de vipera Pythia cap. 8. Part. II. p. 359. & 360.* inter alia inquiens: *Viperæ aut dens integer, aut comminutus & uti libuerit voratus, ne dum non lethiferus, ſed neque detrimentoſus experimento comprobabitur tibi, ſeu nuper mortuæ denticulus, ſeu viventis, ſeu dum digitis tribus contineatur coërcitus anguis capite, in animantis cujuspiam carnem, tum ipſius operam per vim adactus, ſeu per arbitrium viperæ fuerit defixus, quod duplex nos experimentum in pullo Gallinaceo fecimus.* Quod veſiculas attinet ſub dentibus, ex *Ambroſini* Anatomica obſervatione conſtat, quod viperæ præter 34. dentes maxillarum (48. numerant *Hodiernus & Spontonus*) habeant quatuor caninos, inprimis fœmellæ, ſemper tamen duos tantùm, ſe obſervaſſe *ait Locatelli theatr. arcanor. p. 263.* Qui conſpiciuntur perforati & veſicula liquore plena muniti, quod tamen de duobus tantum aſſeritur à quibusdam (& in ſpecie inter hos quodam medio.) quæ novo quotidie repletur humore, dum primus in ictu, conſumtus fuerit: Ad has dentium veſiculas ex corde & hepate venæ ſeu arteriæ aſcendentes deferunt hunc liquorem. Videatur *Jonſtonus lib. 1. hiſtor. Nat. de Serpentibus Tit. II. cap. I.* Sed hanc ipſam *Ambroſini* & antecedentem *Abbatis* ſententiam, licet nec autopſiam confirmare, neque rationem ullam comprobare oſtendat *Veslingius*, deſcribens Anatomen viperæ *Marco A. Severino Part. I. Cap. 12. p. 234.* Horum tamen effatum ſub *Plinii* defenſione confirmatur à *J. B. Hodierno in deſcriptione dentis viperini ad Severinum miſſo pag. hujus 258.* Qui obſervavit veſicam felleam hepati colligatam in mediam propè caudam propagari atque iſtius filamenta quædam mira ſubtilitate per ſpinam ad os perduci, & virus per ejusmodi filamenta quaſi per venulas ad dentis cavitatem perduci: ubi dentium harum accurata ſtructura eleganter deſcribitur, cujus brevem quaſi ſummam dat *Veslingius in ſua Anatome Viperæ*, dicens, *quod recondantur intra laxas veluti vaginas, liquore felleo plenas, ex quibus ad libitum ferè celerrimè efferuntur. Hos lethale diſcrimen & pernitiem afferre de morſis, tenuique fiſtula, veluti Scorpionum aculei, perforatos infundere venenum tàm experientiæ cenſura, quàm Autorum ſcriptis feriò confirmatum eſt.* Sed Salivalem hunc, in & propè dentes humorem per ſe conſideratum,

expe-

experientiâ edoctus ſimiliter ab omni veneni ſuſpicione liberat *Severinus pag.* 360. vidit nempe *Johannem Branchinum Theriacopæum Senenſem* viroſum hunc liquorem de viperæ viventis dente collectum, nihil exinde noxæ perpeſſum, qui retulit, & de Gingiva viperæ mortuæ viventis ore ventriculo captatum, alii præter ſe nulli ex aqua vel vino potatum nocuiſſe: nec ſuccum hunc gallo gallinaceo immiſſum in os quicquam nocuiſſe: nec famulo ſuper manu perpuncta virus hoc infricatum aliquid noxarum intuliſſe: & licet ex fellis veſicula oriatur, cum veſicæ felleæ non ſit venenatus liquor, nec hic exinde ortus erit malignus, probat hoc meum aſſertum *Zvvölferus animadverſ. in Pharmacop. Auguſt. Claſſ. XII. pag.* 211. Qui in his partibus nullam unquam deprehendit malignitatem, & abſciſſa capita, veſiculas felleas, & caudas, earundem alia carne obvolutas felibus & canibus devoranda objecerit, qui hæc ipſa ſine nullo vitæ diſcrimine conſumsére, videatur *Boyle experiment. Philoſoph. experiment. II. pag.* 58. item *Bartholinus* de angina puerorum *pag.* 111. refert: capita refecta canes devorant nulla mortis mulcta, & ſi humorem ſuſpectum ex capite de mortuo promas, innoxium ſenties, & *pag.* 113. aliis veſicula fellea eſt ſuſpecta, quæ tamen canibus in alimentum cedit; quam ipſam potiùs ceu ad quælibet venena antidotum deprædicat *Borell. Cent. IV. Obſerv.* 19. & certa obſervationis fide comperit *Severinus parte II. cap. I. pag.* 288. quod pulli gallinacei ſtomacho immiſſum fel nil offecerit: præterea ſi vipera integra in vino extincta leproſos reſtituit, & fœminæ Anglicæ tali vino pro coſmetico utantur, teſte *Zvvölfero* eodem loco; ſi totæ viperæ in retortam immiſſæ, cum capite & cauda, dent ſaluberrimum θ. volatile, ubi eorum erit fellea malignitas? objiciunt quidem venenatis veſci alimentis viperas, hinc venena hæc ſecerni in fellis veſicam, ſalutares v. partes in ſuccum & ſanguinem converti. Sed ut taceam merum eſſe effugium, nulla ratione ſtipatum, hujusmodi animalia venenoſa cur non eodem veneno in digeſtionum officinis afficiunt partes? cur non inquinant ſanguinis vim alexipharmacam, antequam in veſicam colligantur biliariam? item unde petenda origo virtutum alexipharmacarum, ſi venenatis veſcuntur beſtiis? præterea & anates bufonibus & ranis delectantur venenatis, ſicut ciconiæ, ſimilibus ranis, ſerpentibus, bufonibus aliisque toxicatis animalculis (unde hæ aves per putrefactionem in ſimilia denuò reviviſcunt animalia, non ſecus atque ex indufiis humanis fiunt pediculi, ex ſpermate & ſanguine humano fiunt muſcæ & pediculi, ex pane & melle

fiunt

fiunt formicæ, ex Basilicone & fracedine lapidis scorpiones &c. videatur *Helmontius de Potestate medicaminum* §. 37. quale Scorpiones ex ocymo exemplum observavit *Magnificus D. D. Michael.*) tantum tamen abest, ut venena colligant, ut potiùs efficacissima exhibeant alexipharmaca: hinc *Theophrasti Paracelsi* arcanum ad quævis veneni genera ex sanguine Ciconiæ notissimum est, videatur de hoc *Crollius in sua Basilica Chimica p.* 450. cujus felicissimum effectum in principe refert *Hartmannus comment. in citat. loc. p.* 252.

§. 3. Nec quicquam obtinet *Abbatius* ex eo, quod venenum attrahat denuò fel impositum; nam aliæ viperarum partes similiter impositæ idem præstant: ad hæc columbæ vel gallinæ vivæ dissectæ, calentes adhuc morsui impositæ, virus extrahunt, quæ tamen ab omni veneni exemptæ sunt suspicione: non secus ac pulli gallinacei vel columbini, circa anum deplumati, buboni pestilenti applicantur, extrahunt namque tàm fortiter venenum, ut ipsi etiam cum salute ægri moriantur: Quod ipsum quoque præstat stercus humannm bufonibus pestilentialibus applicatum, sicut *Saaer* in seinen Ostindianischen Kriegesdiensten *refert*, esse in Indiæ Orientalis Insula quadam, ex Insulis Celebes, arborem quendam vel levissima læsione summè venenatum, cujus venenata plaga alio non possit curari modô, nisi proprio subitò excreto stercore, eoque calido affecto loco applicato: qualem vim alexipharmacem assumtum idem stercus habet, contra animal lacertiforme, Guarid dictum in India Occidentali, teste *Zacuto Lusitano lib. 3. Prax. admirand. observ. 93. p.* 117. tandem & passeres vivi circa ventrem deplumati & parotidibus malignis impositi, attrahendo venenum, moriuntur. Sed hæc omnia licet venenum attrahant, non tamen sunt venenata. Quod ergò humorem in vesiculis dentium contentum attinet, æstimo eundem per se minimè esse venenatum, ut suprà ostendi, non magis quam aliæ viperarum partes, sed arbitror potius eundem respondere salivæ in faucibus aliorum animalium obviæ; de cujus usu non est, ut sim solicitus, primariò inservit præparationi ciborum in ore ut subacti meliùs, & volatili hoc liquore imprægnati, feliciùs in stomacho deponant suum succum nutritium, & si quid insit iisdem venenati, à Sale Volatili alexipharmaco subjugetur & corrigatur; quod a. copioso constet sale insigniter volatilisato, tùm aliis quoque partibus spirituosis aquæ copiosæ nexu copulatis, sicque in consistentiam quandam redactis, nemo dubitet, qui ingentem harum partium copiam, in destillatione viperarum prodeuntem perpendit, simulque analogiam, cum saliva propriè sic dicta, & usum in alimentis præparandis, ut taceam facilem hujus liquoris in iracundis viperis effervescentiam, de qua inferius erit di-

cendi

cendi locus. Aſt licet vipera nihil mandat, ſed omnia transvoret integra, nudas nidorum præpetes, aves plumoſas, lacertas, mures, ranas, bufones quæ exſiccata diu, nil comminuta reddidit, per membrum ſui ſeceſſus, ut autor eſt *Severinus part.1 cap.7.§.5. p.104.* Attamen cum dentium copioſum habeat numerum, osque ſaliva madens, cum eodem *Severino* dico, dentes minutulos, & ſub maxilla latentes ei uſui deſtinatos, ut perpungant tantummodò ſolidiores eſcas, atque has fermento ſuo peracri tabefaciant propè, præſertim quod exſerti quidem Natura, verum gingivis obducti dentes, cum alimenta conterunt, ſic virus è veſiculis exprimunt. Abutitur tamen hoc liquore vipera, dum per fiſtuloſum dentem, ſimul ejiciendo, maximum toxici ſit ſubjectum.

§. 4. Pervenio nunc ad doctiſſimum *Marcum Aurelium Severinum*, qui tantâ viperam Pythiam pertractavit ſedulitate, ut nil deeſſe videatur, unde etiam ſententiam ejus intimè fovet *Kircherus in Mundo Subterraneo*, ubi quaſi compendium continetur eorum, quæ fuſiùs ſuo tractatu toto pertractat *Severinus*: Hic ergò in eo eſt totus, ut viperæ naturam totam eſſe alexiteriam defendat, venenum verò quod attinet ejus, hoc non agnoſci proprium aut intrinſecus concretum, verùm adſcititium, & aliundè irrepere conſuetum, quod pluribus in locis viperæ veneno, & venenandi vi careant, ſed immutentur tantùm occaſionibus locorum, cœli, victuum &c. ut etiamſi viperæ ſit plurimum veneni, tamen adſcititia ſit affectio, & materiam quidem veneni eſſe per acrem & bilioſum ſanguinem, qui à virulentis eſcis proficiſcatur, beſtiolis nempè ſulphureis, quæ ſunt ſcorpiones, bubreſtes, aranei, bufones &c. ex quibus paratum Chylum læva cordis fornax miris modis reddat retorridum & fumidum. Ex quo loco ſurſum arteriæ ſanguinem ſpiritualem devehant, ad retiformem plexum in ventriculis cerebri, à quo pleniùs hic ſpiritus vitalis elaboratus reddatur animalis, & ad cerebri fumoſi arteriis extenuatus adducatur ad ſummam Pyroſin, qui ſuccus ſpirituoſus, quem ore ac dentibus recipiat vipera, venenum à vulgò æſtimatum, venenum reverà non ſit; ſed tributum ob id viperis, ut tot ſenſuum viriumque bonis gauderet agreſtis fera hunc porrò ſuccum cum morſu dentis conjunctum reddere vulnus malignum & inficere hominem, ita ut definiat infecturam, actum feræ, de figentis in aliud animal dentem, & indè virus emittentis, pro ſui ipſius tuitione: ut nec dens per ſe, nec liquor hic plagam inferat venenatam, ſed utrumque ſimul. Non adeò abſona eſt hæc *Severini* ſententia, quam ob id quoque amplexus eſt *Kircherus*: & modò attendatur fermentationis, vel effervescentiæ ratio in viperâ laceſſitâ, quam inculcat *Kircherus*, *Severinus* verò hinc inde parvam facit mentionem, nil culpabile videtur in hoc ejus

dogmate; hoc ſaltem videtur incongruum, quod veneni materiam, liquoremque viroſum ſtatuerit talem, qui ad vigorem, & alacritatem viperæ, adeoque ad ejus actiones & uſus, vel maximè ſit neceſſarius: cum probabilius videatur, eſſe ſaltem ſalivam in particulares collectam aſſervatamque uſus: quâ abutatur poſteà vipera irata in perniciem humanam; & cum ob iſtum nobilem uſum communis ſit omnibus viperis, cur non omnes viperæ ubique erunt venenatæ? quæ Severini eſt aſſertio; nam victus ratio, locique mutatio non omne abſolvit punctum, cum Ciconiæ nullo modo ſint venenatæ, ſed potiùs alexiteriæ; cùm denique originem hujus liquoris derivet ex cerebro in cujus elaboretur plexu, adductus eò per aſſertum *Johannis Trollii pag.* 289. Non video quid reſpondere poſſit *Hodierno*, quia αὐτοψία ſimiliter fultus, ex fellis veſica derivat ductus veneniferos. Tandem & cauda quibusdam eſt ſuſpecta, unde in medicamentis ex viperis parandis abjicitur. Sed nulla ſimiliter ratione *Marco Aurelio Severino* innocentiam caudæ ſatis demonſtrante *Part. II. cap. 1. p.* 284. Sed his relictis ad alia pergo.

PUNCTUM III.

Viperam mortuam nullo modo eſſe venenatam affirmat.

§. 1.

ALiorum perluſtratis opinionibus propiùs ad ſcopum accedam neceſſe eſt: conſiderandæ autem ſunt viperæ ſicut & reliqua omnia animalia dicta venenata, in duplici ſtatu & quando vivunt, & quando ſunt mortuæ. Mortuas viperas ab omni veneni labe abſolvo, & potiùs eſſe divinas in iisdem medicas opes, quas vix in alia reperias creatura, ſtatuo; docet hoc ipſum experientia, veritatis magiſtra, quæ nullum ſuggerit fide dignum exemplum, ex vipera reverà mortua quocunque modò uſurpata, veneni noxam cuidam eſſe inflictam, notandum hinc venit *Helmontii* Adagium, *Tractat. d. Ideis morb.* §. 34 *Morta la beſtia, morto il veneno*; cui fortaſſe germanicum illud reſpondet, ein todter Hund beiſt nicht / unde nec pulli gallinacei à vipera commorſi mactati, & eſitati poſtea lethales ſunt, ſed quartanam potiùs, Medicorum alterum ſcandalum, feliciter profligant, teſte *Severino pag.* 366. & *Bartholino* 110. mitto jam ſuperius enar-

rata

rata exempla, aliquot ſaltem adhuc adnotaſſe ſufficiat: quas vires habeat per retortam artificiosè propulſus ſpiritus, cum θ volatili, ad febres malignas & peſtilentes, inſultus epilepticos, ſcabies leproſas, alioſque malignos affectus, quotidiana loquitur experientia, & quia ſpiritus ferè omne quod agit, agit ratione θis volatilis, de hoc ſciendum, quod omnia encomia, ſtupendæque dotes, quas veteres adſcripſerunt ſuo θi theriacali, noſtro omninò conveniant Sali volatili, non verò eorum fixo, per tam fortem calcinationem parato, cujus aut nullam, aut minimam in ſe continent quantitatem viperæ, non ſecus ac alia animalia. Fixari equidem etiam ſolent per artem, ſed ſi hoc contingat per acida, eſt potius enecatio θlium volatilium, quàm vera eorum correctio: Acida namque omnia, efferveſcendo & præcipitando immutant θia volatilia, unde non poſſunt non diverſas poſtmodum edere operationes, manent enim invicem adeò poſtmodum juncta, ut vix niſi beneficio cujuſdam θis Alcali fix., cum quo libentiùs inire ſoles conjugium acidum, quàm cum volatili, denuò ſeparari queant; noviter inventus eſt modus in Italia, ſine hujuſmodi per acida deſtructione figendâ θia volatilia viperina, modumque callent, non tantum *D. D. Tackenius*, cujus recentiſſimè editus vid. *Hippocrates, Chymicus, qui noviſſimi viperini θis, antiqua fundamenta oſtendit*, ſed præterea quoque *Antonius de Sgobbis Pharmacopæus Venetus ſub ſigno Struthii*, cujus hæc ſunt verba: *Di poi per mezo del loro proprio menſtruo, cordiale & aleſſifarmaco acqueo (acciò vedano, che non ſia queſto menſtruo imbevuto, d' altra facultà θina,) hò cavato il vero θe ſiſſo viperino, ch' è una gioia pretioſa, per ſalute humana:* & noviſſimè alius nomine *Harras* Venetiis, ita fixare novit hæc Salia volatilia viperina, idque ſine acido, ut etiam per chartam tuto hinc inde transportari poſſint. Eſt ergò verus reconditus balſamus in viperis, eorumque θe volatili, qui totius corporis renovat œconomiam, fermenta viſcerum effœta jam renovat, & ſanguinis vitalem fermentationem fortiter conſervat, & maſculè reſtaurat: hinc eſt, quod ex viperino vino ſequuntur ferè ſit elegans rejuveneſcentia, quod ex Brodio decoctionis viperarum mulier leproſa quadragenaria, ſterilis antea, poſt curatam lepram facta fuerit fœcunda, teſte *Helideo Padoano in Curationibus pag.* 294. *à Magiſtro Joh. Wittich. edit.* non ſecus ac Galli gallinæque viperis nutriti, docente *Zvvôlfero, animad. Claſſ.* 12. admodum fiant fœcundi, quæ animalcula poſtmodum viperinas vires poſſidentia, eſu, ad eadem conferunt mala, at quæ ipſæ viperæ, in ſpecie ad Elephantiaſin, & ipſi cognata mala, Scabiem fœdam, luem veneream &c. tùm ad fœcunditatem, vitæ

prolongationem, corporis nitorem, & oculorum claritatem conciliandam: de quibus videatur *Joh. Fab. Lynceus expositionem in Rechum. pag.* 780. Ad hæc itidem valent partes atque essentiæ viperinæ, secundum artem paratæ, siquidem *Magnif. D. D. Michaelis*, Essentia sua viperina Luem Gallicam aliquando curavit tam prospero effectu, ut ægro hinc sanato, cuticula ex universa decideret cute, Strigmentorum facile, instar serpentum, exuvias suas exuentium. Sed pagina deficeret si omnia proponere vellem.

§. 2. Quod partes in specie viperarum attinet, eas in mortuis omni veneni carere suspicione, multa illustria ostendunt exempla. De Regio cordis viscere ut incipiam, quinque corda exsiccata una vice assumta, tantum valuere in Juvene quodam, ut nullum amplius ipsi nocere potuerit venenum Serpentes nullos timuerit, quin potiùs eos amaverit, & semper tractare voluerit. Hos verò eum admodum timuisse Autor est *Joh. Fabr. Lynceo loc. citat. pag.* 786. Ex corde & hepate viperino egregium & pulverem & aquam Bezoardicam animalem parare vocet *Zwölferus pag.* 213. Intestina exsiccata, & in pulverem trita admodum commendat *Hartmannus Comment. in Crollium pag.* 456. ad omnis generis affectus epidemicos, magorum & minorum animalium, inprimis ovium & equorum: Sed cur non & hominibus inprimis in intestinorum affectibus prosint? cum Hepata viperina pulverisata sint sanè præsentissimum remedium in Dysenteriis, præprimis Epidemicè grassantibus; Fellis viperini exsiccati gr. j. ab omnibus venenis liberare ait *Borellus Cent. IV. observ.* 19. Spinæ, exindeque paratus pulvis aut secundum quosdam magisterium, ad eosdem prosunt usus Medicos, ad quos caro; non est ergò, ut caudam ob constitutionem osseam, sicut facit *Abbatius*, formidemus, cùm præterea eadem cauda vel nudo contactu tollere Odontalgiam dicatur: Caput verò appensum, ad febrium arcendos paroxysmos laudatur; quale ergò in his reconditum erit venenum? firma potiùs manet mea assertio, post mortem viperas non esse venenosas: ex quo notanter elicio, venenum viperarum, si quod habent, non consistere in quodam principio materiali, post mortem residuo, sed in quodam intentionali, vel certè tali, quod pereunte vita, & ipsum esse desinat.

§. 3. Confirmat me in hoc ulteriùs consideratio reliquorum animalium venenatorum, quæ cum in vivis esse desinunt, & innoxiè tractantur & intra corpus assumuntur. Apparet hoc vel maximè in bufone, animali pleno veneno, ut non immeritò terrestris toxici, & contagiosæ virulentiæ bursa magnetica dici possit, loquente sic eleganter *Kirchero in Scrutinio*

tinio Pestis pag. 341. tanto in hominem odio est, ut suspensus & verberatus
ab eo præ nimia in illum rabie moriatur: unde ipsi, inprimis in terrorem
actum, quacunque potest ratione insidiatur: nunc labiis scabris eundem
fortiter mordendo, nunc habitu virulento, saliva venenata, lotiove toxi-
cato indissitum à se hominem evibrando, vel herbas saltim inquinando,
aliave corpora inficiendo, quibus mediantibus noceat homini, vid. atur
Kircherus citat. loc. pag. 342. & 207. *Sennertus lib. VI. Prax. Part. VIII.*
c. 22. p. 345. 346. Jonstonus historia de quadrupedibus lib. IV. tom. I. cap. 1.
pag. 188. Sed eneca bestiam & liber eris ab ejus veneno. Non usum ex-
ternum ad anginam, pestiferamque luem commendo, sive sub propria
forma, cum vel sine aceto applicentur bubonibus, & tumoribus pestilen-
tialibus, sive sub trochiscorum facie, ex vermiculis vomitu ejectis & ipsa
substantia bufonum tragacanthi beneficio paratis, de quibus *Helmontius*
in tumulo pestis, aliique passim Autores inprimis *Crollius in sua Basilica,*
& Hildanus in suis Centuriis: sed quoad usum internum, sal ex eorum
cineribus calcinatis extractum, internè ℥ß ad ℥j. pondere in ▽ Carduibe-
nedicti usurpatum, ad omnem pestem è massa sanguinea eliminan-
dam, eamque ab omnibus venenis vindicandam, mirificè commendat
P. J. Faber Panchym. lib. V. cap. 8. *p.* 631. *& libro primo Myothec. cap.* 24.
& tanquam egregia sudorifera animalia extollit θ fixum bufonum & ara-
nearum: *Glauberus Furnor. Philosoph. p. 3. c. 22. pag.* 177. vel usurpetur sal-
tim bufonis exsiccati pulvis ad ℥ß. & habebis experimentum ad Hydro-
piseos aquas educendas certissimum, teste *Wiero in observat. Petræus No-*
sol. Part. I. dissertat. d. hydrope. Hartm. in Croll. p. 420. quem usum simili-
ter vel externa solùm ad renes applicatione præstat. *Borellus* quoque bu-
fones innoxiè voratos refert *Cent. IV. observ.* 56. *& Cent.* II. *observ.* 37.
Pergo ad scorpium, cujus aculeum in caudæ extremitate eminentem le-
thale vulnus ob veneni pernitiosam vim, inferre constat: sed mortuus
Scorpio, magnus licet non tantum cum haustu gelidæ in os citra noxam
illapsus fuit, *J. F. Lynceo. pag.* 781. sed præterea hic ipse cauda ex scor-
pione viva abscissa, spontè se vulneravit, sine ulla noxa: sic devoratam
scorpionum offam à circulatoribus, plus semel vidit *Baccius* sine vi-
tæ detrimento; & *Branchinus* referente *Severino pag.* 366. Nec igno-
tum est, quod egregiè valeat ad ciendam urinam, & provocandum lo-
tium suppressum non externa solum sub olei specie applicatio, sed interna
quoque pulveris vel calcinati vel solum exsiccati, assumtio. Araneas esse
venenatas, sed non omnes communiter asserunt, ego interim telarias

venenatas esse arbitror, tùm quia eorum oleum venenis resistit externo illitu ad modum aliorum venenatorum animalium, tùm etiam quod morsu vel potiùs ictu lædat, non contemnendis insequentibus symptomatis, sicut ex araneæ morsu epilepsiam suscitatam refert *Salmuth. Cent. III. Obs.* 35. Et ex aranearum morsu duos mortuos *Panarollus Pent.* 1. *Obs.* 45. *p.* 27. Nec minùs calidos liquores in quos incidunt venenoso contagio inquinent, teste eodem *Salmuth. Cent. II. Obs.* 22. *Sennerto lib.* 6. *Prax. p.* 348. & prava ex deglutita aranea Symptomata, vide *Salmuth. Cent. II. Obs.* 48. *Borellus Cent. III Obs.* 19. sed telæ non solum internè ad sedandos intermittentium febrium æstus usurpantur, sed ipsæ quoque araneæ mortuæ exsiccatæ, & pulverisatæ, ad similem usum non sine successu propinasse rusticum quendam certò constat. Multos præterea esse serpentes venenatos, qui mortui pretiosissima dant Pharmaca, cum vita exuta omni veneni labe, notissimum est & serpentes innoxiè vorari, & in cibis usurpari cum sanitatis commodo, videatur *Borellus Cent. IV. Observ.* 65. *& Secunda. Obs.* 37. Quidam quoque serpentem pro anguilla comedit nil mali inde perpessus, sed cum cognovisset postmodum fuisse viperam, ex phantasia in morbum illapsus, obiit, *Libavius Alchimia Pharm.* 12. *Zvvölferus p.* 273. Similem imaginationis vim, vide apud *Salmuth. Cent. II. obs.* 93. Ex quibus simile etiam de viperis esse ferendum Judicium omninò existimo.

§. 4. Exclusa tamen hic volo animalia ea, quæ peculiaris rabies sub venenatorum redigit classem, cujusmodi sunt canes, feles, lupi, aliaque animalia interdum rabie, quæ corripiuntur, hæc enim in Statu præternaturali sunt, adeoque venenatis reliquis in statu naturali constitutis nil derogant, nam rabiosa ut in vivis dum sunt, & morsu & saliva etiam nuda inficiunt, ita mortua & esitata similem rabiem inducunt, exempla vide apud *Bauhinum tractatu de rabie. Kircher. de Peste, de fele rabiosa commesta pag.* 206. De sue rabie tacta, esitata *Borellus Cent. I. Obs.* 75. Videntur enim mihi hujusmodi animalia laborare quasi febre quadam maligna, cum insania maniaca conjuncta, ex effervescentia massæ sanguineæ à fermento peregrino peculiaribus idæis insignito oborta. Quod verò hydrophobiam attinet, hæc quidem tanquam inseparabile ferè adesse solet symptoma, rabiei, utut contarium referat *Salmuth. Cent. III. Obs.* 90. Non tamen proprium est rabiosis, cum etiam sine rabie, & in specie in febribus malignis, citra ullam contagii rabiosis suspicionem observata sit, testibus *Schenckio lib. VII. Obs. de venenis anim. Sanchetz in Obs. p.* 378. Ubi tantus citra ullam animalis rabidi morsum adfuit aquæ timor, ut ne ferre quidem præsentiam ejus, aut manus abluere potuerit æger, simile exemplum habetur, *p.* 379. *Salmuth.*

Cent.

Cent. II. Obs. 52. Animalia ergò rabiosa per Morsum, vel etiam per salivam, communicant furibunda quasi fermentum suum febrile. Ideis morbificis Archeum corporis læsi, seu spiritum ejus insitum admodum perturbantibus, insignitum, quod totum corpus, in mores quasi brutales transformat: Suntque hujusmodi ideæ in fermento quidem radicaliter, in homine verò affecto non nisi radiativè, de quibus vide elegantem *Marc. Marc. Phil. Vet. restit. Part. IV. Sect. III. sub Sectio. I. p. 435.* Cum ergò hujusmodi affectus sit peregrinus ipsis brutis rabiosis, sitque præternaturalis, & à peculiari dependeat fermento, in quod Archeus Ideas suas seminales imprimat, etiam post mortem superstes manere potest, licet sopitum ferè, donec in alio corpore vivente exsuscitatum denuò, similes concitet tragœdias. Sed cum venena aliorum sanorum animalium sint eis naturales quasi dotes, non tamen nisi imaginationes vi traducantur in actum, ut posteà demonstrabo, canis rabidi exemplum, hujus puncti veritati, nil detrahere valebit.

PUNCTUM IV.

Viperam totam esse Alexiteriam, nec nisi lacessitam esse venenatam aut venenosè quenquam lædere, ostendit.

§. I.

Viperam mortuam insontem pronunciavi, ex cujus egregiis medendi viribus totam eam alexipharmacam & Bezoarticam concludo: nec venenum ejus, quod in morsu percipitur in quodam materiali consistere assero, quoniam alias, & hoc post mortem semper esset superstes: Sed potius in quodam intentionali vel spiritali, à furore concitato: nec tamen vivens, per se est venenata nullibique teste *Severino*, duce experientia, obvia ejus est malignitas, quam non nisi lacessita, vel provocata morsu exerit. Unde duplex viperæ perpendendus venit status, unus quo nullis gravioribus acta affectibus, tractabilem se offert, vel saltim nullo lædendi conatu se armat, aut metu, terrorevè acta, fugam quærit, alter quando iræ concitata furore ab externo provocata læsione vindictæ inhiat, & spicula dentata exerit. Priori in statu est innocens, & nulla culpabilis malignitate, nec lædit. Posteriori verò, truculenta est fera, feros infert morsus; Vino quo maximè

ximè delectatur, suffocata licet, loco veneni salutiferas infundit dotes, ut supra dictum: Nec vivens Vipera, stomacho recepta detrimenti quicquam attulit, sed sine noxa vivens per alvum fuit expulsa, teste *Gattnaria de suffocatione matricis*: hinc nudos & dormientes non lacessit sponte, quod sibi etiamnum puero sæpissimè contigisse perhibet *Olaus Magnus*: Ad hæc mulieres non paucas viperis insidiis struentes, videre contigit, quæ serpentem hunc manibus liberè contrectarent & amicè, dicit *Bartholinus de Anginâ puerorum pag.* 111. In metu posita omnis quoque malignitatis deprehenditur expers, hinc eos, qui eo audaciæ processerint, ut eas alacriter adeant non lædunt, sed terrore perculsæ fugiunt: indidit namque provida Natura serpentibus metum quendam & timorem, ut homines, qui eos intrepidè persequuntur, fugiant, teste experientia *Zvvölferi pag.* 273. Unde eodem Autore qui serpentes in capite & collo prius arripere ausit, itaque tractare novit, ut in prima invasione mordere non audeant, is sanè postea, ad lubitum cum ipsis ludere potest, modo caveat, ne eos ad iram provocet. Sed objicere possis Lector sub illo statu esse venenatas viperas, ac serpentes; licet non lædant suo veneno, aliud nempè esse actum primum, aliud esse actum secundum. Benè: Sed unde quæso probabis hoc tuum assertum? ex absentia enim effectus, quo modò demonstrabis præsentiam causæ, hoc est, ex defectu læsionis venenatæ, unde ostendes venenum, nisi ex præconcepta opinione de Veneno ejusque principio materiali, dicere velis habere in se quoddam venenum, quia sint animalia venenata, hoc est, nisi petere velis principium, & probationis loco substituere id, quod est in quæstione: supra enim probavi, venenum hoc non consistere in quodam materiali, quia non sit superstes in mortuis, aut si fortè velis comparare cum veneno animalium rabiosorum, quæro cur post mortem per carnium esum, non similiter fiat activum, potiùs cum *Bartholino* dicam: *Ingenue fatebor minus in vipera recondi veneni quam vulgo persuasum; de Angina puerор. p.* 110.

§. 2. Idem observare licet in aliis bestiis, venenatis vulgò licet habitis, quæ non lacessitæ, aut ubi metu fuerint perculsæ, non lædunt, seu ictu, seu morsu: èconträ non venenata animalia ubi irrita, ex irâ vehementer efferbuerint, ut feles, equi, homines, &c. venenatis non absimiles inferunt plagas: Romæ Scorpiones quidam sine damno deglutivit, priùs commode complicatis chelis, caudæque spiculo; in Italia sæpè iidem dormienti accubuere, sed non læsi innoxii fuere *Bartholino Cent. IV. Obs.* 95. *p.* 418. Rusticus aliquot centena Scorpionum vivorum manibus apprehendendo, digitisque revolvendo, non aliter quam nummos aureos numerare, vidit *Lyn-*

Lynceus l. supr. citat. pag. 781. Fatuus quidam, Batavii araneas omnes obvias devorabat, citrà noxam: *Barthol. citato loco.* Quod itidem mulieres quasdam fecisse refert *Borellus*, ubi insimul observandum, quod aranea à viro deglutita, sine noxa per duos menses retenta, & mirum in modum aucta fuerit, tandem malignitatis suæ irritata forsan, prodidit vim, *Cent. III. Obs.* 19. & *IV. Obs.* 56. Taceo hic puellam Coloniensem vulgò notam, summo cum appetitu araneas capientem, & devorantem: & quanquam hic facilè aranearum diversitatem quis protendere possit, quia etiam lethales hujusmodi aranearum observatæ sint deglutitiones, tamen Communis aranea, quæ parietes telis investit, non sine malignitate esse, saltem irritetur decebit *D. Pauli Parechasi de febribus.* Vulgaris porrò notitiæ est Historia Mulieris, quæ serpentem vivum, mamillas sugentem, per decem menses innoxiè gestavit: Quæ tamen vocatur in dubium, *à D. Horstio Epist. med. Sect. IV.* & *Sebizio Jun. respons. in dictum locum*, notandum tamen, quod loco citato refert *Horstius* de Serpente mulieri dormienti per os in ventriculum descendente, ibidemque per aliquot menses morante, & per vomitum tandem expulso, nulla graviora inferendo symptomata, quam alias sordes ventriculo adhærescentes inferre solent. Similes prostant Historiæ de bufonibus, quorum semina quacunque ratione assumta, vivificata sunt in ventriculo, ibique in bufones perfectos adolevere, sine noxa insigni per vomitum rejectis, historias insigniores vide apud *Grüling. Cent. II. Cur.* 9. p. 9. *Bartholinus Cent. IV. histor.* 19. *M. A. Severinus d. vipera part. I. cap.* 11. *pag.* 29. & similem rationem de omnibus venenatis animantibus valere æstimo: ut placido in statu nulla vi venenata sint formidabilia, ast si iræ percita fuerint œstro, vel quovis toxico sint pernitiosiora. Irritationis tamen habenda diversitas, dum nunc ab externa tantum læsione & molestia concitantur, nunc interno agitantur stimulo, Iis nempè in brutis quæ naturalem quandam cum homine gerunt inimicitiam, ut bufones, serpentes quidam, &, si quis est, basiliscus, &c. quæ ex nudo aspectu inflata odio iræ effervescentia intumescunt, & venenato fermento furoris specie insignito inficiunt, quod nunc per contractum saltem fit corporalem, nunc vero indistans. Illud morsu, ictuve, hoc per salivam, vel urinam, vel halitum.

PUNCTUM V.

Viperam irritatam & ad iram provocatam concepto furore morsum inferre venenatum declarat.

§. 1.

SIt vipera animal summe bezoarticum, sit thesaurus alexipharmacus, sit libera ab omni veneno mortua, sit insons non irritata, lacessita tamen insigniter, morsus infert venenatos, brevi lethales. Histor. vide quamplurimas in *Schenckio lib. VII. Obs. de Ven. animal.* Vipera iracundiæ æstro percita, canem ubi morsu sauciaverit, intra decursum aliquot horarum, vel citiùs, mortem inducet *Zvvölferus p.* 212. & *Severinus p.* 365. inquit, *qui remor debitur canis aut felis, vix hora, pullus vero demorsus, vix tamdiu tum recitabitur angelica salutatio, detinebitur in vita:* hinc *Aldrovandus*, viperæ collo tenus jam pridem ex sectæ caput, quod integrum sic, posse demorsum à se animal perdere veneno: cujus rei capto experimento vidit horæ semisse mortuum gallum gallinaceum *Severinus citat. loc.* Simile refert *Lynceus p.* 782. de famulo Pharmacopæi à capite viperæ, jam post tertium diem abscisso, cum manibus apprehendisset, lethaliter morso, ut vix vel efficacissimis theriacalibus curatus fuerit. Nec ignota est *Matthioli* historia, referentis de Rustico à vipera fortè secundùm caput discessa, pro mortua habita, apprehensa, lethaliter morso &c. Symptomata denique de morsis ab iracundis viperis supervenientia eandem venenositatem palàm testantur de quibus infra. Mordet ergò per dentes acutissimos, fistulosos, ex quibus ejicitur liquor salivalis; venenat, verò per summam, qua tunc ardet, iracundiam. Dentes isti sunt acutissimi, Authoribus quibusdam quatuor, quibusdam duo, quibusdam medius quidam inter hos insignior, aduncus & acutus, omnibus tamen sunt fistulosi, ut per eorum canales, derivatus liquor salivalis, cum impetu dentium in animali irato inferat lethalem veneni vim. Liquorem hunc simul ejectum vocat virus *D. Severinus*, innuens eo ipso, ab hoc inprimis dependere virulentiam vulneris, sed in quo virulentia hæc consistat quæritur? dicit in vi liquoris pyrotica, sulphurea & arsenicali quæ vincatur tanquam valentiore, calor noster vitalis. Rectè: Sed cur in speci, adjumentum dentis requiritur? cur non in vipera mortua est talis? cur etiam ex vivæ ore extractus est insons? hujus ratio, ex iracundia

dia animalis petenda, quâ furens Archeus & efferveſcens ſaliva, ſimiles motus, ſimilesque Ideas per morſum inferunt morſo. Ut ita formaliter vipera ſit venenata, quatenus eſt irata: & infert morſus venenatos, quatenus ab irato infliguntur animali.

§. 2. Iræ ergo quam maxima hic penſitanda natura, qua vix validior, niſi amoris excipere velis vim, reperitur affectus. Conſiderandus hic & impetus animi, & ſanguinis reliquorumque humorum motus. Impetus animi vehementiſſimus furibundusque ex præſentia mali maximè infeſti concitatur; Ad quod amovendum tota inſurgit natura, eademque omni conatu amovere à ſe tentat, objectum enim odioſum per ſuam ſpeciem movet animæ vim cognoſcentem, per ſenſuum organa operantem, quæ ex ejus inconvenientia, & odioſa præſentia permota abhorret eandem, & amoliri à ſe conatur, urgente hoc, ſe conſervendi, omnibus innata concupiſcentia, & hic actus iræ nomine vocari ſolet: Ex hoc ipſo horroris actu, naſcitur ſpecies, ut ſic dicam, iraſcibilis, & Idea amovendi, & propulſandi moleſtum, quæ non tantùm recipitur in memoria & aſſervatur, ſed etiam totius corporis partibus fluidis, inprimis ſanguini, ſpiritibus mediantibus confusè, in ſpecie verò membro cuidam, cui modeſtiam propulſandi munus committitur, diſtinctè imprimitur, & inſculpitur: adeoque in viperis hoc animi impetu permotis, ſpecies hæc idealis, ut totius corporis ergaſtulo, ita in ſpecie ori ejusque partibus, & maximè dentibus imprimitur percuſſoribus, ſimulque liquor ſalivalis in eorum confiniis aſſervatus, pingitur hâc ipsâ furoris impreſſa idea. Rem ita circa affectus ſe habere, præter autoritatem *Helmontii*, *Marci Marci*, *Zvvölferi & aliorum modernorum*, teſtantur permulta quotidiè in medico foro obvia: Cruor Tauri potantem ſtrangulat, non cruor bovis aut vaccæ, idque propter tauri furorem, cum cupidine vindictæ morientis: Canis rabidus vel vivens, per ſalivam & morſum, vel mortuus per eſum, læſos transformat in mores caninos. Felis rabida, in mores felinos, non ſecus ac nuperrimè in oppido vicino Torgavia, mulier maniaca, & quidem ut putabatur ex Philtro, lictorem in cuſtodiam ſe abducentem, mordendo propè axillas, in ſimilem conjecit calamitatem, ut poſtero die ſimiliter ac ipſa fureret, muliere meliuſculè ſeſe habente: Sic felis ſanguis hauſtus à puella, eam in mores felinis ſimiles transformavit: Officulum certum bufonis cum tremore ſcilicet & terrore utut conjuncto aliquantiſper furore, morientis, mederi vel nudo contactu odontalgiæ, certo experimento novi: (hinc catholicum anodynum ex bufonibus parari poſſe, experientiâ quorundam celebriorum conſtat Medicorum) prodeſt idem ad epilepſiam infantum, ex nutricum inprimis immode-

moderatis affectibus oriundam, ut ad paroxysmos febriles: bufo exsiccatus & applicatus quamcunque hæmorragiam ex interna sanguinis ebullitione & effervescentia ortam, certissimè sistit. Sanguis leporis, pavidissimi animalis, curat Erysipelas Dysenteriam: Pellis caudæ, lepori vivo detracta, ceu amuletum, idem curat Erysipelas, admota verò, omnes sanat ambustiones: Sanguis asini, torpidi illius bruti, post aures collectus maniacos coërcere & placare meo dubitet; rasura cornu tauri, in coitus ardore abrasa, mire armat in venerem; quod alias non facit. Cerebrum passeris in veneris actu transfossi, potentiùs longè stimulat eandem, quam si nudè interficiatur alio tempore: filum quo strangulata vipera, medetur anginæ: mores nutricum bibuntur cum lacte earum à tenellis infantibus, sicut infans à caprâ nutritus, caprinos miris saltibus, & variis petulantiis, imitatus est gestus: terror, anxietas, & tremor, paventibus Podagricis suam curant podagram; terror, tremor, ira lapsus cerasi in Corpus, visio capitis à lanio per medium fissi &c. simili modo signant fœtum: & alia hujus farinæ exempla plurima vagantur obvia: hinc optimè acutissimus *Marcus Marci*, *non parum referre, in quâ dispositione animalia moriantur, quorum partes ad usum medicum quæruntur.*

§. 3. Sed has & similes operationes, per species quasdam intentionales, recentioribus Ideæ dictas, ex quarum directione tanquam in speculo quid agendum cognoscat natura, peragi, paucis ostendam, dum harum in omnibus viventibus præsentia & directrix vis, ex veterum inprimis Philosophia, observare datur; Agentia sunt diversorum generum in rerum natura, præ cæteris observanda viventia, quæ varias edunt operationes, tàm vegetabilia, quam bruta & homines: Horum omnium ortus processus & interitus variis mutationibus, iisque naturalibus, ut est subjectus, ita ab interno agente perfici assolet: Sed cum huic variæ incumbant operationes, necesse est, ut certô modô determinetur, ut operetur hoc, ut operetur istud, ne fiat confusio, quam abhorret natura. Hoc verò quod determinat in agendo, sunt species Intentionales dictæ veteribus, recentioribus Ideæ: Hæ dum determinant hominem in ratiocinando, dicuntur intelligibiles, dum bruta in sentiendo, Sensuales in actionibus per appetitum mortis, appetibiles, dum omnia viventia in actionibus vitalibus, naturales. Sic cicuta per Ideas proprias crescit, adolescit, & assumta nos in anseres, anates, & merges quasi transmutat: Canis operatur in actionibus propriis, per proprias Ideas, quæ à rabioso nobis communicatæ, nos ferè in canes transformant, aut certè ad caninas actiones, moresvè determinant: Homo intelligit per Ideas intellectuales, quæ quod probè notan-

tandum dominantur sensualibus, & hæ imperant, aut certè sæpè perturbant naturales. Natura ergò per Spiritum seu Archeum corporis nostri extructrix & conservatrix, cujus diligens minister est Medicus, agit, & quidem ordinatè, semperque, quæ sua est prudentia, eodem modo, id quod eò magis est mirabile, quo stupenda magis totius microcosmi est conformatio, & actionum tot, tamque mirandorum varietas ordinata, minimeque confusa, nisi à quodam superveniente perturbentur; quæ omnia directa sunt in conservationem totius in genere, & uniuscujusque partis in specie: necesse est ergò sciat quid agat, & cur agat, sed quo mediante determinatur, & specificatur? hoc fit per species naturales, seu Ideas: Hæ in genere dirigunt ejus agendi vim, ut hominem homini formet similem & etiam in specie filius Patri, filia matri &c. respondeat in lineamentis, ut valgus valgum, blæsus blæsum generet, & quæ hujusmodi alia à conformationis vitio oriunda, errata: Harum namque rationem impossibile sanè est reddas, nisi directrices Ideas seu species afferas; dumque præterea extructum domicilium & omnium partium actiones, sartas tectasque conservat, & perturbatas restituit, ex eodem hoc promanat fonte. Verum impedita in suâ ordinariâ agendi vi, per sex res non naturales dictas, imprimis per affectus animi, mirè transformantur, vel obfuscantur naturales species, unde ataxiæ, & variæ Archei perturbationes, variæque actionum læsiones: depravatè ergò dum agit natura, non cœco fertur impetu, sed ex speciebus pravis oriundæ, corriguntur, aut removendo occasiones, Ideas & actiones perturbationes aut contrarias ipsi subministrando species, quæ vel deleant priores corruptas, vel easdem corrigant, &c. ut natura ita restituta suæ integritati per naturales suas ideas denuò agat. Hic est modus agendi superiorum medicamentorum, alius ne mente quidem conceptibilis est. Sed longiùs deducere hæc prohibeor.

§. 4. Considerato sic animi impetu in vipera irritata, & mordicante, pergendum nunc ad motum humorum in tam furibunda perturbatione. Hic autem consistit, in impetuosa sanguinis ebullitione, & effervescentia, in Iracundis omnibus obvia, veteribus exinde iram fervorem circa cor definientibus, indeque iratus fervere & totus in fermento esse communiter quidem sed appositè dicitur, unde & iram fortitudinis cotem dixére Medici, si non ut duce, sed ut milite ea quispiam utatur: Ira hæc similiter acuit viperam, fugientem alias hominem & pertimescentem, ut supra dictum, eundem ut forti aggrediatur conatu; Fermentatio hæc san-

ſanguinis nimia, ex ſpirituum impetu, variis motibus cordis pulſatile corpus moventibus & commoventibus oritur, indeque nimia ſanguinis rarefactio, incenſio, efferveſcentia & ebullitio, ex rareſcente imprimis bilis pingui acoleoſa parte, & ſalina volatili ejus ſubſtantia in motum & volatilem impetum concitata, proficiſcitur. Agitatum ſic ſanguinem ſimilis ſalivalis ſequitur agitatio liquoris, ſive enim ex felle *cum Hodierno* ſive ex ſanguine & cerebro cum *Severino* derives, perinde eſt, dum partes ejus ſpirituoſæ & ſalinæ volatiles, in motum efferveſcentiæ ſimiliter rapiuntur: non ſecus ac homines irati ſpumare ſæpius ore aſſolent, ex ſimili ſalivæ motu; Et quidem eo magis hoc locum habet in vipera, quo volatilioribus & facile fermentes cibilibus eadem ditata eſt partibus, videatur *Severinus, qui parte 1.cap. VII.* in eo eſt totus, ut calidam viperæ defendat temperaturam, eamque ſulphureis calidis & ſpirituoſis & veſci alimentis & conſtare partibus: Unde & rectè ex ſulphureis ſpirituoſis, & volatilibus hujusmodi partibus virulentiam ejus oriri defendit: *parte tota ſecunda.*

§. 5. Hiſce conſideratis, patet, quid de venenoſitate morſus viperini habendum, conſiſtit ea partim in Idea furoris Archei impreſſa dentibus & ſalivæ, ſicque per morſum una parti læſæ & conſequenter reliquis partibus communicata, ſpiritum ſeu Archeum corporis ſimiliter perturbante, & in furorem concitante: partim verò in parte ſalivæ fermenteſcente, per fiſtulam dentis in vulnus evibrata, & beneficio circulationis ſanguinis toti maſſæ communicata, in ſimilem fervorem & impetuoſum motum, eandem concitante; in hiſce conſiſtit venenum morſus viperini. Confirmant hoc multa tùm in viperis obvia, tùm in aliis animalibus obſervanda: ratione Ideæ dens humanus aliàs innoxius, venenatum infligit vulnus, nam redditus talis per imaginationem, & inde concitatam vehementem iræ paſſionem, teſte *Marco Marci Phil. Reſt. p.* 430. Meticuloſos & expaveſcentes fortius lædit, & periculoſius vipera, ob Ideam furoris Archeo trementi contrariam altius impreſſam. Quo calidiores terræ regiones incolunt viperæ, eo venenoſiores, fortiùs ſcil vel levi ex ira efferveſcentes: Quò item magis inhiat Veneri, eo virulentior ejus eſt morſus, agitata jam ſponte ſanguinea maſſa per ſpiritum genitalem, hincque fortiùs eadem efferveſcente; Aſt quo fortior efferveſcentia, eo altiùs furoris inprimitur Idea, nam & efferveſcentiæ vim furoris intendit imperis & Ideam contra major efferveſcentia fortificat, commota tota ſanguinis maſſa, unde & ſalivæ altiùs furoris imprimitur ſpecies: quò acutiores ſunt dentes, eò malignior eſt morſus, ob faciliorem ſalivæ penetrationem, & altiorem ejaculationem, quæ ſolo contactu externo nil nocet; hinc circulatores diffra-

diffractis jam dentibus viperinis & mutilatis, ut mordeant eædem, patienter ferunt, quia fine noxa, minus penetrante, hebete earum acumine, minusque sic noxii infundente. Extra hanc effervescentiam innoxius est salivalis liquor, referente namque *Bartholino de angina pag.* 110. *ipse Neapoli virus, quod in chartam irritatæ viperæ bilioso colori simile ejaculaverant, innoxiè manibus trivi & ab aliis devorari Florentinus ibidem Pharmacopola retulit.* Nam evanescentibus partibus spirituosis & volatilibus, sicque sedata effervescentiâ innoxium est virus. Idea furoris Archei partis læsæ impressa, similiter eum perturbat, hinc intolerabilis verè dolor: ast affluente sanguine inopinatus tumor, salivæ fermentescibilibus particulis eandem in æqualem effervescentiam cogentibus; Circulationis beneficio, brevi tota ejus afficitur massa, quæ eodem ebulliens modo ad modum tumefacit corpus, febremque accendit acutam: humores circa præcordia inprimis bilis volatilis, & fixus pancreatis succus una quoque commoti effervescendo, qua data porta ruunt, & regurgitando sursum atroces dant vomitus: Speciebus furoris interea in cerebrum allatis, vertigines primò experturbato spirituum motu, hinc deliria ex speciei impressione infestant ægrum.

§. 6. Quod in vipera contingit iræ percita œstro, idem & in aliis observamus animalibus; Ab homine omnium principe duco exordium: Qui ut alteri solet esse lupus, imo diabolus, ita etiam vipera; idque per morsum; dentes equidem ex se innoxii, ut & saliva, his tamen sæpè immedicabile, aut certè periculosum infligi vulnus constat, ubi ira vehemens eosdem armavit in perniciem: Exempla vide apud *Hildanum Cent. I. Observ.* 84. 85. *item Cent. IV. Observ.* 87. ex morsu levi hominis in digito gangræna brachii ad cubitum usque idem *Cent. Epist.* 73. *Glandorp. Specul. Chir. Observ.* 49. *pag.* 239. *Panarolus Pentecost. II. Observ.* 42. *Zacutus Lusitan. lib.* 3. *Prax. Admirandæ. Observ.* 88. Imò sanguinem hominis ruffi venenatum perhibent, si ira exacerbato detractus fuerit Autore *Marco Marci pag.* 433. Sicut *Zacutus Lusitan. lib. III. Prax. adm. Observ.* 82. refert, ex potu sanguinis hominis ruffi, per venæsectionem sine affectibus gravioribus emissi, perpetuam secutam fatuitatem. Si ira fuisset percitus, vel alia vehementiori passione, alia certè secuta fuissent symptomata. Cauda Scorpioni viventi ex improviso amputata, innoxium facit vulnus, teste *Marco Marci pag.* 430. *& Lynceo pag.* 782. Ast irritata pessimum ejaculat virus, cujus vim in effervescentia à Sale volatili oriunda consistere, demonstrat *Pauli digress. de febr. malign. pag.* 50. 51. 52. Similiter cornua tauri, ac dentes apri, quando irritantur & efferantur plagam inferunt

magis

magis venenatam quam si casu eadem fiat, inquit *Marcus Marci pag.* 430. cujus ratio in sola iracundiæ consistit Idea. Sic mentionem facit vulneris virulenti ab apro in suram inflicti *Salmuth. Cent. III. Obs. IV.* ut & trium vulnusculorum à cercopitheco inflictorum, per biennium durantium, ut & vulneris difficulter curabilis à mure minore inflicti: hinc rectè concludit, *non dubito, quin ejusmodi animalium, irritatorum inprimis morsus, malignitatis quiddam obtineat:* cujus sententiæ est quoque *Lynceus p.* 782. dum inquit: *cum sciam venenosa animalia, quæ pungendo aut mordendo vulnerant, vix nobis virus suum inferre, nisi irritata, adeoque vel à nobis, vel aliis, vel à se ipsis ad iram eadem provocata fuerint: id sæpè in felibus, canibus, & gallis gallinaceis, iracundia flagrantibus animadverti, ut vulnera tunc infligerent cacoetica prorsùs & ægrè sanabilia, cum tamen quando placidè nobiscum agunt, & fortè nos sauciant, vix quicquam detrimenti inde percipiamus &c.* Qui ipse discursus perplacet quoque *D. D. Pauli in Digress. propè finem:* similiter discurrit *Febure traict. de la Chimie tom.* 1 *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 8 *pag.* 421. item *Boyle of experimentall Philosophie Part.* 2. *experiment.* 2. *pag.* 52. Porrò ex Equi morsu in tibia epilepsiam observavit *Salmuth. Cent. III. Observ.* 35. & Gangrænam ex equi morsu *Hildanus Cent. II. Observ.* 86. Qui licet venenata simpliciter non habeat hæc vulnera, malignitatis tamen expertia non æstimat. Morsum lupi non rabidi, sed saltim irati malignitatem habere conjunctam, in eodem vide *Hildano Cent. IV. Observ.* 90. Confirmatur à *Schenckio in Observ. lib. VII. de Venen. animal.* qui similiter luporum licet non rabientium morsum venenatum probat: Sed non satisfacit ratio, quam affert, quia scilicet in renibus eorum plerumque nascantur serpentes, Millifluі apes tantùm abest, ut scateant ubique melle, ut iracundiæ quoque prodeant fel; Hinc ab apum ictu ortam gangrænam observavit *Zacutus lib. III. Prax. adm. Obs.* 83. ex punctura vespæ circa carpum dolorem ingentem totius & lipothymiam *Hildanus Cent. IV. Obs.* 77. Sicut ex simili punctura circa juncturam mandibulæ, ulcus insanabile secutum, idem *Observ.* 78. & dolorem horrendum aliaque symptomata ex ictu vespæ secuta, theriacalibus internis & externis curata, *Riverius Cent. III. Obs.* 88. *& Obs.* 6. *Commun. à Pachequo:* Sicut aliàs eadem læsio curari solet per vespam super impositam, & per oleum ex vespis per infusionem applicatum, sicut, Scorpius ejusque oleum proprio medentur ictui. Nec alteri solum speciei infligunt labem, & noxam venenatam hæc animalia, sed se mutuis quoque interimunt ictibus: vipera namque à vipera atrociter demorsa vitam cum morte commutavit, *Autore Zvvölfero:* Scorpiones irritatos permistos invicem, se mutuis transfigere ictibus, testatur *Lynceus:* Araneas insignio-

signiores in vitro conjunctas se mutuis petere aculeis, & enecare, oculatus sum testis, alia ut taceam: Persuadent hæc ipsa, & multa alia apud Autores passim obvia, venenatos esse hujusmodi animalium iratorum morsus, unus tamen plus alter minus; differentiæ ratio & in agente, & in patiente quærenda: agens nunc magis est irritabile, & irritati instrumenta nunc minùs, nunc magis sunt acuta, & majori in patiens flagrat odio, vel minori. Patiens si est meticulosum & pavidum, venenum morsu receptum multum exaggerare, & diffusioni in totum corpus portas patentes aperire potest, contrarium fit si animosum & intrepidum; nunc dispositum est magis ratione massæ sanguineæ, ad recipiendum venenosum fermentum, nunc minùs, unde etiam nunc atrociora sequuntur symptomata, nunc leviora. Pars læsa nunc est nervosa, nunc est carnosa, nunc nobilior aut ignobilior, nunc nobili parti propior aut remotior &c. Variant hæc omnia magis & minùs venenatorum morsuum & ictuum vim & energiam.

§. 7. Ex modò allatis confirmata videtur sufficienter primitùs allata *Celsi* sententia, omnem animalis morsum quoddam habere virus, ex quibus conclusionis loco elicio, si ob id animal dicendum est venenatum, quia ictus infert venenosos, vel morsus, sequitur omne animal, etiam hominem esse venenatum, quia fervente iræ stimulis animali inflictum tunc est venenatum vulnus, ut demonstratum, idque eo magis, quo magis vehementia affectuum rapitur brutum, quod rationis regimine eosdem refrænare nescit: Sed vix sine absurditate hoc dogma concedi potest, inprimis cum incongruum sit, id vocare venenatum, quod non semper habet venenum, nec quod aut vivum aut mortuum est tale, nisi in certo casu; Potiùs ergò arbitror, statuendum nullum animal revera & per se esse venenatum, fieri autem tale per accidens, dum abreptum impetuosis animæ passionibus, frendens ira & ferociens, vindictæque anhelans, per effervescentem salivam, vel simile quid, Ideam iræ conceptam, per morsum communicat, & ita venenat, id quod innuit *Lynceus* p. 782. dicens: *In hanc devenerim sententiam, venenum absolutum nullum dari, sed relatione solummodo habita ad objectum, & ejus quidem naturam, modumque inficiendi, imperscrutabilem verè nobis esse.*

CAPUT II. PRACTICUM.

PUNCTUM I.

Signa Morsus viperini & Diagnostica & Prognostica pertractat.

§. 1.

VIperam per dentes duos caninos læsisse, ex ægri relatione peroptimè addiscitur. Notanda interim sunt & adjuncta ipsius morsus & supervenientia symptomata, ut & de qualitate ejus & instituenda cura certior reddatur Medicus. Morsum ergò ipsum quod attinet apparent in loco demorso duo foramina parva, invicem spatio discreta, vel etiam plura pro quantitate dentium, fluitque ex his sanguis primò purus, hinc humor saniosus deinde oleosus spumosus, hinc æruginosus: prout magis magisque sanguis partis læsæ à fermento venenoso immutatur; Symptomata, quæ superveniunt, sunt vel ex genere actionum læsarum, vel qualitatum corporis mutatarum, vel excretorum depravatorum; omniaque habent originem vel ex furibunda Idea, vel per morsum impressâ, vel ex præternaturali effervescentia, per fermentum venenosum inducta. Quæ sicut se invicem sequi solent, enarrare placet; Pars demorsa miserandum dolet, adjuvantibus hic non parum spiculis acutissimis, ex dentibus viperinis in parte relictis, non secus ac spinulæ ex urtica planta, vel opuntia seu ficu Indica, præprimis majore, relictæ, dolorem ad modum acerbant. Dolor hic adeò sensim accrescit ut totum quoque corpus dolore tandem dicatur, unde subitaneo tumore, pars insurgit horrendam in magnitudinem, & sensim sensimque totum similiter corpus inflatur; quod si ore admoto haurire patiens conetur & exugere venenum, mox labra linguamque mirum in modum intumescere videas, ut os ipsam vix amplius capere queat, hinc putrilagine correpta, brevi ulceribus scatet, teste oculato *Lynceo pag.* 177. Color partis læsæ primò quidem rubicundus, sensim alterato per fermentum veneni sanguine, subruber, donec livescat, & obrepente gangræna, Sphaceloque nigrescat, corporis similiter nativus nitor perit, & pro fermenti efficacia, & sanguinis certa mistione, ac inde orta alteratione, nunc rubescit, nunc viridescit nunc purpurascit, nunc nigrescit, sanguineæ massa tinctura rubinaceo sic corrupta: quales alterationes observare est in sanguine eorum, qui post iræ nimiam incandescentiam eundem arte evacuant, quibusdam mire flavescit, aliis viridescit vel etiam omninò livescit; Confusa

ex

ex inordinata effervescentia debita sanguinis mistione, indeque obfuscata & obtenebrato splendido ejus rubore. Calor præterea totum exurit corpus intensus, incensa febre periculosa à peregrino & hostili fermento: Unde arescunt fauces, arderque larynx, accedunt vomitus biliosi admodum molesti, anxietates cordis, lipothymiæ & syncopes terribiles invadunt ægrum: hinc & Palladis arcis fit afflictio supervenientibus scotomiis, deliriis, tandemque amentiis: labescente jam spirituum regimine, tremores agitant artus, & diffluente ac quasi omninò liquescente sanguinea massa, ex sufflata propemodum flammula vitali, cum horroribus quibusdam ultimi Naturæ afflictæ sed relictæ conatus indicibus, per poros penetrat frigidus, pessimi ominis sudor, ac stagnante tandem, & subsistente sanguine in partibus vitali aulæ vicinis, & impedita sic ejus circulatione, adsunt refrigerationis extrema, respirationis difficultates, tandemque totius animæ expiratio supervenit.

§. 2. Ex quibus vel sponte patet, qualis eventus tandem expectandus veniat, quo modò enim tanto symptomatum insultui par esse perterritus æger queat? non tamen præcipitet se Medicus in prognosi, quia ut variant viperæ, pro varietate locorum, victuum, irritationis, &c. ita etiam variat eorum venenosa vis, quod ipsum parili ratione de parte læsa tenendum; quibusdam in regnis aliquot horarum spatio, in quibusdam tribus diebus, in aliis longiori tempore conficiuntur ægri; hoc generaliter interim notandum morsum hunc tanquam ut plurimum lethalem, subitaneam medicaminis postulare opem. *Aëtius* hoc proponit τεκμήριον, Centaurium cum vino tritum bibendum præbeto; Siquidem enim Pharmacum evomet homo morietur, si non, vivet. Quod sexuum diversitatem attinet, litigant adhuc dum inter se autores, Maris an Fœminæ periculosior sit morsus: Sententias & autoritates vide apud *Severinum pag.* 414. Et sanè ab utraque parte stat ratio, maribus major effervescentia competere videtur, fœmellis efficacior Ideæ vis, ob iracundiam, ad quam in omni fermè animalium genere fœminæ sunt promptiores, utut vana non rarò sit sine viribus Ira. Sed quicquid sit hujus controversiæ, parum aut nihil interest Medico, ut scias animalis lædentis sexum. Hæc tandem ultima prognoseos signa *Eustachius Rudius libro tertio de morb. acut, cap XVIII.* collegit, & sunt: Si Vipera percussus in syncope incidit, si illi sanguis è naribus profluit, si labia virore adsciverε, si digiti extremi gelidi redditi fuere, si corpus omne concussum est tremore, & ut Nicander ait, veluti grandine percussum sibi videtur, certum est mortem esse propinquam.

PUNCTUM II.

Methodum medendi morsui viperæ præscribit.

§. 1.

DIspiciendum tandem quid valeat ars operosa medendi, quid ferre recuset; Maturam ferat opem Medicus, ne elapsa occasione, quæ secundum Dictatorem nostrum Summum, solet esse præceps, simul sperata ægri convalescentia evanescat. Indicatio quam præfixam habet Medicus, est, removere venenum, quod præstat vel ex vulnere extrahendo, vel ex corpore expellendo. Consistit namque istud in parte salivæ effervescente, Idea furoris insignita, sublata ergò miasmate hoc, & inquinamento, securitatis spes affulget. Quæ extrahunt venenum ex parte læsa, sunt Topica & exterius admoventur, idque mox agendum in *primò* principio, antequam perniciosa veneni celeritas, beneficio suæ volatilitatis, inprimis cum sanguinis circulari motu, ad intimiora penetret, totamque sanguinis massam conspurcet, ejusque Idea ubique spiritus sigillet. Abscisso hinc continuo membro læso, abest noxa, teste experientia *Galeni* in rustico, qui remorsus à vipera secundum digitum, hunc sibi per falcem fructuosè & salutariter amputavit, videatur *Zacutus Lusitanus lib. V. Med. Prin. histor. 1.* Sed truculentum nimis est hoc remedii genus, ad mitiora ergò accedamus. Hoc interim semper observandum ut injiciantur vincula, & ligaturæ, partibus superioribus, firmæ & valentes ne vi doloris concitatus sanguis, nimio impetu per arterias affluat, nec citò nimis unâ cum veneni inquinamento per venas refluat. Testificati sunt Psylli Marsique nostri inquit *Severinus p. 249.* vid. *Panciroll. p. 178.* Cum fortè per viperas incautè mordentur, si continuò morsam particulam exasperent scalpris, adeò ut tingatur caro, multo cruore, quem diligenter expresserint, fieri sic, ut nulla sequatur noxa. Bona equidem hæc est medendi methodus. Sed dum consideramus vulnusculi angustias, & spontaneam partis extumescentiam, vereor ne plus attrahatur sanguinis, sine eo, ut convenienter evacuari possit, ita ut præter veneni celeriorem propagationem, ex sanguinis in tumore extravasatione, coagulatione, & à fermento maligno mortificatione, subitaneus gangrænæ ingruat metus; meliùs ergò faciunt illi, qui partem commorsam scarificant, idque pro circumstantiarum varietate nunc levioribus nunc profundioribus incisuris applicando posteà tàm sanguisugas naturales, hirudines dictas, quam artificiales, seu cucurbitulas, quæ saniosum illum & tabe manantem ibique conculcatum

san-

ſanguinem exhauriant. Commendat hic *Severinus pag.* 451. Exſuctorem, quicunquè ſit & quacunquè ratione fiat, eumque ab omni labe ſecurum promittit: Cujus tamen non fuero imitator, deterrente me obſervatione *Lyncæi pag.* 778. Sed duo omnium efficaciſſima, & abſolutiſſima commendat *Severinus* media, Ignem nempè & Sulphur. Ignem quidem expeditiſſimum eſſe auxilium, cum cæterorum præſtet viribus, ſicuti etiam *Hildanus in Obſervationibus* ſuis ignem ad canis rabidi morſum vel maximè commendare ſolet. Adhibendum autem pro Uſtione ſuadet, rombum unum alterumvè fimi caprilli incenſi, quos imponendos ſuadet, donec cineréſcant, fimum namquè hunc in ſe & ignem ſervare & flammam reddere, idquè ratione copioſi, quo impragnatus ſit, ſulphuris. Ceterum quis non formidet hinc dolorem intenſum, qui per moram longè fieret crudelior, vereor ut patiens tunc tantam exhibiturus ſit patientiam, quantam dolorificum hoc requirit remedium: Et hoc ipſum ſimiliter obtinet de ferro ignito, loco affecto impreſſo: Horrent ægri mentionem ferri, nedum ignis, quid facient in hujus applicatione? commendo potiùs hic per elegantem modum *Domini Boyle in exper. Philoſ. idiom. anglico conſcript. pag.* 59. Qui etiam fit per ignem, ſed ſine uſtione, per quem extrahitur venenum, ſed ſine corporali ad partem læſam applicatione. Modus eſt hic: Ferrum ignitum admovetur parti affectæ eo uſque, quo ferre poteſt æger ſine dolorifica læſione, idquè tam diu, donec per hunc ignis contactum virtualem, extrahatur quicquid eſt in parte veneni, ſic namq; interdum in marte obſervari maculam quandam flavam. Experimentum factum in homine quodam vulgari, qui ſtatuto pretio, ab irritata inſigniter vipera ſuſtinuit morſum in manu, undè in continenti mirum in modum eadem tota intumuit, ita ut vix ob temporis anguſtiam ſufficienter incaleſcere potuerit ferrum, ſed hoc per 10 vel 12. minuta admoto, incrementum tumoris omninò remiſit, & licet adhuc aliquandiu continuaſſet, ſpontè tamen poſteà evanuit, qui poſteà ſæpius hoc medio pecunias lucratus fuit. Quoad efficaciam hujus medii, non dubito, de quadam veneni extractione, qua ignis ſulphureas volatiles & auctuoſas ejus partes alliceat: Sed forſan adhuc aliud quid in receſſu habet; dictum enim eſt ſupra fermentum venenoſum inſignitum præterea quoq; eſſe Idea furoris, quæ ipſa perturbando Archeum admodum exaſperet malum. Sed huic nil magis contrariatur quàm terror, quo per ferri igniti præſentiam incuſſo, extincta priori Idea Archeus contrarium fabricet, ſicquè veneni vim non parum enervet. Obſervare datur ſimile quid in procidentia uteri, quæ utut per ſolam ligamentorum aut laxationem contingat, aut ruptionem, optimè tamen incuſſo certo modò terrore, idem reſtituitur in ſuum locum:

teste enim *Roderico à Castro lib. II. de morb. mul. cap.* 16. cauterium actuale igni tum si teneat medicus manu, simuletque ac si vellet uterum tangere eundem subitò retrahi: quod ipsum in intestinis pro lapsis obtinere quoque affirmabat. Simile stratagema expertus est quoque feliciter *Zacutus Lusitanus lib II Prax. adm. obs.* 95. Idque ex manuductione *Avenzoaris*, per mures cruribus alligatos, quorum transcursu perterrita fœmina, uterus in propriam reductus fuit sedem. Alterum generosum quod commendat *Severinus* remedium est Sulphur, cujus varia est applicandi ratio, vel enim guttulas accensi sulphuris instillare, vel olei sulphuris per campanam complures guttulas in plagam demittere, eamque specillo tenuissimo refricare protinus, vel ol. vitrioli similiter immittere, vel acetum adhibere jubet. Præter autoritates, quas apud eum vide, experimentum reddit hoc: Quod ol. sulphuris effusam in abaco viperæ infecturam, confestim coagulet, & fixet. Perplacent hæc, cum amice hic conspiret theoria & Praxis, illa effervescendo agere dicit venenum viperæ. Hæc ergò medicamentum postulat, quod præcipitando coërcere queat istam immorigeram vim. Cum itaque venenum viperæ consistat in sale volatili, Spiritibus sulphureis juncto, hoc est, ut loquitur *Severinus*, sanies viperæ sit pyrotica spirituosa sulphurea & arsenicalis, optimè conveniet acidum, vel sulphuris vel vitrioli vel aceti, quod præcipitat omnem salem volatilem & figit, & coagulando blandè sulphur, fermentum venenosum omninò mortificabit. Hinc internè spiritus hujusmodi acidus vel etiam acetum Bezoarticа, juncti Theriacalibus medicamentis tam laudabilem præstant opem, dum illa præcipitando vim veneni fermentativam hebetant, hæc verò si quid inest Heterogeni in massa sanguinea, per cribrum cutis porosum excludant: de quibus postea. Sed cum acidum hoc in oleum concentratum, vulneratæ applicatum parti corrodendo atroces excitare valeat dolores, forsan per manuductionem *D. Boyle* fumus ex incensis tædis sulphureis propè applicatis erit utilis; ut tùm ratione admoti ignis tum ratione vaporum acidorum sulphuris, junctis quasi viribus subjugetur venenum. Usitata sunt & alia extrinsecus applicanda pro veneni extractione, ut Aves, inprimis Gallus & Palumbus deplumati circa podicem, & admoti, vel dissecti per medium, & calentes adhuc applicati: Alii theriacam vel solam, vel aceto subactam commendant, vel ex theriaca cum cepis aliis & caricibus paratum cataplasma admovent, *Lynceus* unguentum ex majore parte olei Scorpionum mediocri theriacæ & minore aceti compositum cum fructu adhibuit. Tormentilla exterius applicata, salutem de mortis attulit teste *Fracastorio lib. III de morb. contag. cap.* 2. *Aëtius* admodum commendat stercus caprinum, cum aceto applicatum, vide *Zacuthm. lib. V. med. Princ. historia* 2. Hinc alii ex stercore capræ cum aceto, pice, cera & sul-

sulphure, utuntur mistura: nec inutile erit emplastrum magneticum *Salæ*, ratione magnetis ex sulphure Arsenico & Antimonio conflati, cui si addas vel pulverem viperinum vel earum bilem aut subigas cum earum pinguedine eo efficacius reddes. Viperarum namque partes externè applicatæ quæcunque, exoptatissimam ferunt opem, inprimis fel illitum, & caput mortuæ impositum, quod utut furore prius ardeat, imminente tamen morte in terrorem & tremorem sensim facessente furore, obit. Extracto sic veneno, danda opera, ut si quid inest sanguinis adhuc corrupti & congrumati, per debitam suppurationem evacuetur, postmodumque consolidetur.

§. 2. Quod interna attinet remedia, ea sint talia, quæ conceptum jam fermentum venenosum foras excludant, intestinas sanguinis commotiones sistant, & discussis fuliginum per poros cutis nebulis, serenitatem pristinam microcosmo inducant. Specialius Antidotorum vim determinat *Marcus Marci* p. 434. inquiens *Antidota & in principio & in progressu morbi medelam præstant, quia nimirum vel à veneno Ideas noxias exigunt, vel penitiùs mistum istud destruunt, vel demùm Archeum vulneris per amicabiles Ideas alloquuntur, & solando furorem sensim exuere procurant.* Sint ergò alexipharmaca vel præcipitantia, hæc tam positiva quam privativa, illa tam communia quàm contra viperas appropriata, communia alexipharmaca ubivis nota, tàm simplicia quàm composita, inter simplicia Scordium, Scorzonera, Ruta, centaurium minus &c. ex mineralibus antimonialia prosunt fixata, ut diaphoreticam acquirant vim, imprimis sulphur ejus aureum, seu quod Mercurii sublimati beneficio ex antimonio eruitur, seu quod per sal ammoniacum sublimatur & figitur, ut sine vomitu secessuque per nudam agat blandissimam diaphoresin; Ex animalibus omnia prosunt ex cervo parata. Theriaces quoque insignis vis apud omnes commendatur autores, indeque Essentiæ theriacales, Spir. Theriacal. Camphorat. ex quo cum spir. vitrioli & Tartari (his inprimis volatilibus) parata mixtura simplex, de cujus usu jam præcedenti paragrapho, atque etiam celebris Tinctura Bezoardica *Magnif. Dn. D. Michaelis*, admodum erunt proficuæ. Opiata quoque cum theriacalibus maritata, admodum commendo, cum theriaca communis maximam verè vim sortiatur ex opio, eo tamen minùs correcto, quod si correctum legitimè cum Bezoardicis misceatur, sedando sanguinis impetuosum motum, & delendo furoris in Archeo Ideam, maximè foret proficuum. Appropriata ad morsum viperæ medicamenta ex ipsis copiosè hauriuntur viperis. Pertinent huc pulveres viperini, de quibus videatur *Spontonus tractatu de pulvere viperino.* Item essentiæ earum & Tincturæ, quarum quamplurimas & in *Zvvölfero* & *Severino* invenies; & quod instar omnium est, sal

ejus

ejus volatile, quod si ritè absq; acido figere nescias, in id saltem incumbas, ut legitimâ edulcoratione urinosum & nauseabundum tollas saporem, è contrà verò suavem ipsi, dulcem & aromaticam omninò concilies & fragrantiam & dulcedinem, quod facilè secundum ductum *D. Boyle tract. supr. citat.* fieri potest. Ratio operationis horum medicamentorum, consistit in similitudine, quæ simile attrahit suum simile, assumta ergò vel admota viperina, fermentum venenosum & salinum suæ naturæ omninò simile, attrahunt, illud alterant, vim fermentativam sopiunt & placant. Pari ratione atquè pili canis rabidi impositi, ejusdem morsui, relevant ægrum: & jecur ejusdem commestum eundem curant. Aut sicut Scorpius vel apes impositi, suis ictibus iisdem medentur, eliciendo id, quo nocent. Inter appropriata commendari vulgò solet fraxinus, utpotè cujus vel nudam umbram viperas & serpentes fugere autumant, hinc succum foliorum admodum commendat *Zacutus Lusitanus libr. III. Prax. adm. Observ.* sed rejicit hoc ex *Plinio* haustum dogma *Severinus pag.* 264. Et licet *Amatus Lusitan. Cent. I, Cur. I.* Puellæ à vipera demorsæ propinaverit succi fraxini ℥jv, cum juvamine, hoc factum est ratione tremoris adjuncti, cujus specificum est in fraxino, & aqua ejus destillata egregia hic est medicina. An ex corylo parata medicamenta assumta aliquid afferant commodi, nondum certò expertum: attactu quidem virgæ colurnæ torpescere & stupefieri serpentem & viperas fama est, & circulum virgâ colurnâ circa viperam factum hanc non transgredi, quidam, qui se hoc experimentum vidisse dicebat, retulit. Non E. ejus internus usus omninò videtur improbabilis: cum præterea in corylo quamplurima abstrusissima lateant arcana, & ol. heraclinum ex eo paratum stupendas possideat vires: ut taceam corylinum viscum ad morbos ab incantatione & veneficiis oriundos potestates obtinere omninò singulares: *Renealmus Observ. CLV. CLVII.* Morsam à vipera jam fermè conclamatam, restituit per decoctam ex Verbasco & cortice Sambuci interno, cum parte sexta baccarum acathalidis assumtum & partibus læsis scarificatis extra applicatum. Galegæ seu rutæ caprariæ vis, & hic specifica est egregia, ▽m ejus destillatam non inferiorem æstimat ▽ Scorzoneræ *Lynceus pag.* 786. & cum hoc Galegæ succo curatum juvenem ex viperæ veneno infectum, *vide in Schenck. lib. VI. de ven. anim.* Et Historiam Lacertæ cum vipera pugnantis, & cum galega contrà vim veneni viperini se munientis, vide in *Forestcho. II. de incert. urin. jud. pag.* 209. *v.* 156. Inprimis felicissimum expertus est usum urinæ humanæ ejusq; potus, in morsu viperæ, *Zacutus Lusitan. lib. VII Prax. eos adm. Observ.* 94. Sicut eadem prodest ad præservationem ipsius quoquè pestiferæ luis, jejuno si hauriatur ventriculo, spir. ergo

urinæ volatilis, cum Essentiis theriacalibus vel potius viperinis mixtus, foret hic saluberrimus. Saliva hominis jejuni serpentes & viperas enecare, communiter asserunt; sicut etiam sanatores dicti per sputum suum aquis injectum & ebibitum, quamplurimas ægritudines, etiam à viperis inductas noxas sanare solent, cujus exemplum vide *J. M. Marci pag.* 554. §. 16. qui licet hanc vim Naturalem esse, & ex sola imaginatione sputum certô modô sigillante in quibusdam subjectis provenire asserat: tamen amicus quidam fide dignus retulit, esse donum quoddam divinitus concessum & proprium esse quibusdam in Italia, qui festo Divi Pauli nati, signum serpentis vel viperæ sub lingua aliovè in loco gerant, cujus se oculatum testem, sanctè affirmavit. De Diæta non est ut multa moneam, cum eam præsens medicus dirigere facilè sciat, temperantiæ medium ubiq; est optimum, quare ne & ego mediocritatis nimia prolixitate excedam limites, facio finem.

Medicina Hippocratis Chymica.

Q. D. B. V.

HErmeticorum Chorus pleno gutture decantat suam *Tabulam Smaragdinam*, in qua omnis sapientia veraque Philosophia mirâ brevitate deprehendatur, ita ut instar Lydii lapidis omnium Philosophantium & sit & esse debeat. Idque eò magis, quod totum Mysterium Sophorum, & gloriosissimum Lapidis Benedicti artificium in eadem depictum pariter ac descriptum reperiatur. Linquamus iisdem hac vice Smaragdinam Tabulam, suspendendo hujus loco Cedrinam, in quâ *Divina* HIPPOCRATIS *Oracula*, cedro sane immortali quæ inscribantur dignissima, exarata conspiciantur: qualia sunt, quæ *lib. de priscâ seu veteri medicinâ* nobis reliquit, dicendo: *Nihil igitur utilius, neque magis necessarium, quam hæc cognovisse: quod & probè & convenienti ratiocinatione investigantes, juxta hominis Naturam hæc primi inventores invenerunt. Judicaveruntque artem dignam, quæ DEO adscriberetur, quemadmodum etiam est receptum. Non enim siccum neque humidum, neque calidum neque frigidum, neque aliud quicquam ex his putaverunt hominem lædere, neque aliquo horum homini opus esse opinati sunt, sed quod in unoquoque forte & humanâ Naturâ potentius est, quodque non possit superari, hoc ipsum lædere duxerunt, & hoc auferre quæsiverunt. Fortissimum autem est inter dulcia dulcissimum, inter amara amarissimum, inter acida acidissimum, & in omnibus adeò rebus vigor ipse ac summum. Hæc enim & in homine esse viderunt, & hominem lædere. Inest enim in homine & amarum, & salsum, & dulce, & aci-*

Secundum Editionem Op. Hipp. Ioh. Ant. v. d. Linden: quam etiam in sequentibus allegat, retinebimus.

c. 24. t. 1. p. 27.

dum, & acerbum & fluidum & alia infinita, omnigenas facultates habentia copiamque & robur. Atque hæc quidem mixta ac inter se temperata, neque conspicua sunt, neq; hominem lædunt. Ubi vero quid horum secretum fuerit, atque ipsum in se ipso fuerit, tunc & conspicuum est & hominem lædit. De hac Hippocratica sententia, cum exercitii gratia quædam exarare sit animus, faxit summus Archiater, ut fiat Feliciter.

CAPUT I.

QUALITATUM ELEMENTALIUM HIPPOCRATICA CORRECTIO.

§. 1.

UT cautos reddat suos filios *Hippocrates* in prudenti instituendâ prognosi, *si quid in morbis divini insit*, acutè perpendendum, accurateque pernoscendum hortatur. Quod divinum quid sit, ut intelligatur, Divino opus habet Oraculo, cum tot de eo sint sententiæ, quod interpretes id explicare aggressi sunt, & ipse *Hippocr.* vix alio in loco apertam præterea mentionem ejus faciat. Sunt qui occultarum qualitatum seu totius substantiæ, ut vocant, morbos hic intelligunt: *alii* omne virus abditum & insolens occultumque in morbis huc vocant: *alii* Ideam morbificam & ab eadem productos morbos ideales seu archeales substituunt. In genere Divini nomenclatura ab *Hippocrate* quibusdam indita videtur morbis, vel quod singulari Superum potentia inducti videantur, vel quod eorum Natura obscura non nisi à Superis sit dignoscenda & curanda. Ob id ergò quod sint divini & obscuri, adeoque sublimioris conditionis, & non superficiariam requirant considerationem, raram eorum facit mentionem, quin potius reliquos ex manifestioribus deducendos rationibus hinc inde, præprimis in aureo de *Veteri Medicinâ* libello, accuratè & perspicuè pertractat.

§. 2. De his nota sunt dogmata, longâ annorum serie in scholâ Galenicâ mutuâ interpretum subscriptione confirmata, quod nempè corpus humanum ex quatuor Elementorum mistione compositum, ex primis horum qualitatibus certam obtineat temperiem quatuor humoribus nutritiis Elementis analogis sustentatam: quibus vitiatis, non tantum varii excrementitii oriantur humores, non nisi elementaribus qualitatibus definiendi, sed præterea læsâ istâ naturali temperaturâ diversi intemperiei resultent morbi, quaternioni Elementorum similiter superstructi: unde & remediorum vires non nisi per qualitatum elementarium varias graduationes determinantur, universaque ferè medendi methodus his circumscribitur limiti-

limitibus: si quid superest, his primis qualitatibus non declarabile, qualitatum occultarum vasto inscribitur catalogo.

§. 3. De his quid judicandum, ingenuè nos informat *Hippocrates*, non tantum in proœmii loco suspensâ *Tabula*, sed præterea dum *libr. de Veteri Medicinâ* ita inchoat: *Quicunque de Medicinâ dicere aut scribere aggressi, dicendi scopum ac fundamentum sibi ipsis supposuerunt, calidum aut frigidum, aut humidum aut siccum, aut aliud quodcunque voluerint, rem in compendium contrahentes, principium causæ tum morborum, tum mortis hominibus idem, unum aut duo proponentes: hi in multis quidem quæ dicunt, manifestè errasse deprehenduntur:* & *f. 27. no. 30. ejusdem libri*, pergit dicere, *frigiditatem* & *caliditatem ego omnium facultatum minimè potentes esse in corpore existimo.* Adjungo his accuratissimum scientiarum restauratorem & augmentatorem *Franciscum Baconem, Baronem de Verulamio*, (cujus vestigiis tam feliciter sui conterranei Angli insistunt, per accurata minimeque fallacia experimenta Naturam ad promovendam Medicinam artesque mechanicas, scrutantes) qui quodam in loco apertè asserit: *Elementorum commentum, quod avidè a Medicis acceptum, quatuor humorum, quatuor primarum qualitatum conjugationes post se traxit, tanquam malignum aliquod* & *infaustum sidus infinitam* & *Medicinæ, nec non compluribus mechanicis rebus sterilitatem attulisse.*

§. 4. Pervetustum sanè esse hoc dogma, quod augustum Naturæ palatium quatuor qualitatibus primis, ceu angularibus lapidibus superstruit, minimæque gentium à Peripateticâ tantummodò schola primò fundatum, quin potius Hippocratis tempore magno applausu receptum fuisse, totus citatus tractatus de *Vet. Med.* unicè contra hoc dogma conscriptus, testatur. Nam *Hippocrat.* tempore *Artaxerxis Longimani* centum & aliquot annos ante *Alexandrum Magnum*, & ita etiam ante *Aristotelem* vivens, *Democrito* familiaris & amicus, sine dubio hujus accuratam Naturam interpretandi crebris firmisque experimentis, in quibus totus fuit Abderita, confirmata dogmata hausit, iisque innixus, vulgatam tunc temporis elementarium qualitatum doctrinam ceu Medicinæ aut non sufficientem, aut inutilem rejecit, & atomorum variè conformatorum corpora componentium, indeque ortarum sensualium qualitatum & aliarum proprietatum, beneficio, tam macro quam in specie microcosmi mirabilia exposuit, cum ex hoc Abderitæ volumine præter scholam *Epicuream* tam *Cartesii materialis*, quam modernorum quorundam *Corpuscularis* Philosophia primos suos radios hausisse quodammodo videantur. *Aristoteles* vero Elementorum istam & qualitativam hypothesin, à majoribus traditam, in specie ex *Ocello Lucano* excerptam posteris ceu suam propo-

fuit, & quantum possibile antiquos Philosophos oppressit, utpote qui secundum *Illustr. Verulamium d. augment. scient. l. 3. p. 228. more Ottomanorum regnare se tutò haud posse putaret, nisi fratres suos contrucidasset.* Hujus postmodum tam à *Galeno*, quam hunc insequentibus *Arabibus* arrepta Philosophia, in Medicorum scholas, neglectis limpidis Hippocraticis fontibus derivata & copiosâ Commentariorum fœturâ multiplicata fuit.

§. 5. Cæterum tota Physica Peripatetica specialis, & huic à Galeno superstructa Medicina ex eo nutare videtur, quod quaternio iste Elementorum nunquam & à nemine adhuc vel ullâ apertâ ratione demonstratus vel certâ quâdam experientiâ confirmatus fuerit: quin potius Natura rerum ubique ipsi repugnare videatur, ut hoc sufficienter declarant *Dominus Boyle in Chymista Sceptico*, & *Helmontius* hinc inde in suis scriptis: in specie *Tr. Mist. Compl. Elem. Figm.* Et hoc ipsum curiosioribus ingeniis primùm subministravit calcar, reformandi vulgatam de Natura rerum doctrinam, & vel antiquam *Democriteam* & *Epicuream*, vel *Hermeticam* dictam resuscitare Philosophiam, vel novam quandam per experimenta ab ipsa Natura ejusque æmula Arte subministrata, illam interpretandi investigare rationem. Nam quatuor istas primas quod attinet qualitates, hæ ipsæ non secus ac cæteræ, secundæ aut tertiæ appellatæ, modi saltem sunt materiæ, ex ejus particulis corpora componentibus variè conformatis & contextis & diversimodè motis resultantes. De quo vid. *Boylei lib. de Origine formar. & qualit.* Anglicè conscriptus.

§. 6. Non rejicit verò ex toto *Hippocr.* has ipsas qualitates, aut tanquam inermes contemnit, utpote cum ubique in suis scriptis eosdem adducat, sed tantum ceu minus efficaces eas considerat, & non sufficientes, ut ab iisdem insigniter corporis machina alteretur, adeoque Medico convenientem medendi rationem subministrent: quin potius iisdem semper potentiorem facultatem annexam asserit, à qua inprimis activitas & energia promanet, cui alia ex primis instar pedissequæ adhæreat: *Non enim propter calidum simpliciter homines febricitant, sed est amarum & calidum idem, & calidum, ac acidum & salsum ac calidum, & alia infinita, & rursus frigidum cum aliis facultatibus conjunctum. Hæc itaque sunt quæ lædunt: si simul adest autem calidum robore participans, nimirum ducens, & exacerbans, & augens simul cum illis, verum nullam potentiam majorem quam convenit videlicet habens cit. loc. p. 30.* Terunt presso pede hac in parte Divini Senis vestigia *Paracelsistæ & Helmontistæ* qualitates istas primas relollæas vocantes, i. e. non procedentes immediatè ex fermentis & seminibus rerum. Unde etiam fermentis & fermentationibus transmutationum autoribus tribuuntur ea munia, quæ calori alias fuere adscripta, cum hic non effectivè sed tantum dispositivè operetur.

§. 7.

§. 7. Rationes autem quas profert *Hippocr.* ut insufficientiæ arguat istam qualitatum Elementalium hypothesin, *cit. libr.* conscriptæ, & ex observationibus quotidiano usu obviis haustæ, (paucis ut repetam eas) sunt ferè sequentes: 1. *à Diæta f.* 22. *f.* 23. quod alimenta, v. g. triticum caro, aqua, vel inordinatè ingesta, vel non ritè præparata, nos lædant, & contra hæc præparata aut aliàs mutata nos denuò sanent, sine ullâ per qualitates elementares inductâ aut sublatâ alteratione. De quo plura infra. 2. *ab autoritate majorum. f.* 24 *&* 22 novum modum artem medicam quærendi esse, ex elementaribus qualitatibus: primos enim artis inventores has ipsas rejecisse vires, & potius sapores, tanquam morborum autores observasse. 3 *ab alimentis medicamentosis. f.* 25. 26. Nam alimenta temperata esse, quæ nos nutriant, & corpus sanum conservent: sin vero nos alterent alimenta nonnulla, hoc ab ipsis fieri, non quatenus calida aut humida &c. licet tales proprietates attribuantur iisdem à quibusdam, sed quatenus sint amara, salsa, acida &c. 4. *à methodo medendi. f.* 27. Curam nullam fieri per calidum aut frigidum simpliciter, cum multa sint calida licet diversissimarum virtutum: quædam scil. calida acerba, calida tenuia, aliasque subcontrarias vires sibi ipsis habentia: cum autem his indiscriminatim adhibitis, contrarii sequantur effectus, necesse esse, ut potius ad vires adjunctas calido, quam ad ipsum calidum respiciatur. 5. *à subitâ permutatione unius extremi in alterum, istarum qualitatum. f.* 28. *&* 29. sive à frigore in calorem, sive à calore in frigus, tam vitâ communi, per mutationem loci & vestimentorum, quam in febribus in quibus extremis rigoribus acutissima febris subitò succedat: & post sudores adeo subitò ægrum denuò frigere, ac si nunquam febricitasset. *Cui igitur*, inquit, *brevi adeò contrarium accedit, cuique vis adimitur suâ sponte, quidnam ab hoc magnum aut grave fiat? aut quid opus est multo auxilio?* 6. *à duratione morborum. f.* 30. cum qualitates istæ sint adeò facilè mutabiles, in quibusdam verò morbis, febribus ardentibus, peripneumoniis &c. calor sæpè sit diurnus, eo ipso non solum esse calidum, sed amarum & calidum idem, & calidum & acidum, & salsum & calidum, & alia infinita. 7. *à defluxionibus. f.* 31. 32 33. in quibus æger malè se habeat, quamdiu materia sit acris, quam calores & ardores, febrisque insequantur, temperatâ verò materiâ acri, & inspissata nimis tenui, idque ex sola permistione, & ægrum sanari, & calorem spontè cessare. 8. *à nocentibus. f.* 34. humores peccantes esse tales, ratione saporum, qualis v. g. bilis flava sit ratione amaritudinis: bilis verò æruginosa sit adeo anxiosa ratione acrimoniæ. 9. *à coctione & cruditate. f.* 35. humores scil. concoqui & alterari per omnigenas species, à quo ratio crisium depen-

deat: hoc aut calidum aut frigidum perpeti i. e. coqui nunquam contingere.

§. 8. Sed ut pergamus in examine dogmatis vulgati; viscerum quod spectat temperiem vitalem, hæc tota dependet à sanguine, spirituque vitali, qui æqualiter per sua vasa justitia distributiva in partes effusus & circulatus, ipsis debitam largitur temperiem: unde eodem æstuante in causo, & totum corpus ardet, eodem vero in senibus defervescente, totum corpus similiter tepet: unde & viperarum corpus ad tactum friget, cum sanguis eorum & cor actu in iis vigentibus frigeant, non minus quam in ranis aut piscibus. Quid verò per temperamentum revera intelligendum veniat, malo verbis *J. M. Marci* declarare, qui in *Philos. vet. restituta p. 1. s. 4. p.* 133. ita inquit: *per temperamentum intellige non qualitates primas, aut harum symmetriam, verum constitutionem cujusque radicalem, ex qua veluti effectus procedunt dictæ qualitates: cujus potissima vix in sanguine: qui est proximum subjectum animæ & primum vivens, cujus gratia corpus universum videtur factum, vitamque ex eo participare, humidum vero radicale, aut sanguis est, ut vult Havvegus, aut certè in eo radicatur: & corpus sanguine destitutum confestim friget, nihilque manet in eo de temperamento &c.* Inest scil. omnibus mistis sua determinata crasis, in semine radicata & in corpus inde genitum necessitate seminali, qua semina omnes suas energias in productis explicant, & hæ rursus ea in nova semina concentrant, propagata: hujus enim medio corporum tam in specie, quam in individuo mirandæ *idiosyncrasiæ* per generationem multiplicantur, ex Elementis earumque qualitatibus nullatenus explicandæ, utut primariam craseos seu temperamenti partem constituant. Prout E. radicalis ista sanguinis & spiritus variat crasis, (cujus ratio ex certa particularum materialium inprimis salinarum, corpora ex seminum directione componentium habitudine, & textura, indeque mutua activitate dependet,) etiam variat animalium Natura, ipsaque temperies.

§. 9. Sanguis E. proportionaliter distributus in partes, proportionatum quoque calorem aliasque nobis apparentes qualitates iis impertit: unde facilè patet, quid habendum de decantata ista intemperie viscerum inæquali, nempè ventriculi frigida, & hepatis calida, ex qua tanquam *Pandoræ* infausta pyxide tot contumaces affectus v. g. cruditates, ructus acidi, flatus & tormina, cachexiæ, catarrhi, & tantum non omnes morbi chronici surgere dicuntur. De hac apertè pronunciat *Joh. Ant. v. d. Linden, in Colleg. M. Sto. in Hartmanni Prax. Chymiat. c.* 124. *Hoc mera est fabula; partes non habent calorem ex se, sed ex sanguine hunc accipiunt, qualis enim sanguis est, talis quoque est calor in parte: quomodo E. idem*

idem calor, qui hepar calefacit, potest ventriculum frigefacere? dein si hepar sit calidum, quomodo ventriculo incumbens, non calefacit eum, sed refrigerat?

§. 10. Ut quod probabilius videtur, proponamus, revera in tali casu intemperiei putatæ inæqualis, tota mali radix plantata est in stomachi cavo, cujus succus fermentativus nimis acidus & fixus, minúsque volatilis, cum copioso muco viscido ex βραδυπεψία coacervato junctus, & stomachi inflationem, & ructus acidos, & vomitus similes, & tormina intestinorum, & phlogoses aliasque symptomatum myriades producit, quatenus primam alimentorum digestionem perniciose depravat, eaque in liquamen acidum & viscidum corrumpit loco ejus, quod in subdulcem seu salsum volatilem, aut saltem moderatè acido volatilem transmutare debeat cremorem. Unde & in tali casu, indeque consecutivè ortis affectibus, præter vomitoria prosunt ea, quæ *vel acidum absorbent*, ut Saturnina & Martialia, it. fixa Antimonialia, ut ex animalibus cornua & ossa, eorumque coagulata lapidea: *vel quæ idem temperant*, & sensim denuo volatilisant, qualia sunt vegetabilia gustu acria, ut allia & porrum, ab *Hippocr.* acida eructantibus commendata; & antiscorbutica, quæ sale volat. acri turgida æstimantur, item aromatica, aut revera talia aut his affinia v. g. mentha, acorus, absinthium sale volat. oleoso temperato dotata. *Hippocr.* quod attinet, nullibi talis inæqualis intemperiei meminit, sed ista symptomata ceu ex cruditate stomachi oriunda exponit *l. de affection. s.* 44. *n.* 14. *&* 15. & specialiter *l.* 3. *de diætâ s.* 20. 21. *&* 22 apertè deducit, quomodo à cruditate hac stomachi acida quamplurimi affectus in specie cachexiæ & anasarcæ dependeant.

CAPUT II.

FACULTATUM SALINARUM HIPPOCRATICA ASSERTIO.

§. 1.

N*On siccum, neque humidum, neque calidum, neque frigidum, neque aliud quid ex his, hominem magnoperè lædere.* hactenus nos docuit *Divinus* noster *Cous s.* 24. *sedècontra inest in homine & lædit, & amarum & salsum, & dulce, & acidum & acerbum,* & *fluidum & alia infinita, omnigenas facultates habentia copiamque & robur.* Mirum sanè quam apertè hic loquatur *Hippocrates*, & quam formidulosum exercitum in campum educat, ita,

ita, ut μυρία (quod vulgò infinita vertunt, Foësius verò numerum determinatum pro indeterminato sumens, sexcenta, Junius decem millia interpretatur) talia contra nos armet, & hæc ipsa *ſ. 27. c. l. tum in homine, tum extra hominem, sive edantur sive bibantur, sive forinsecus illinantur, & quomodocunque formata adhibeantur.* En totam *Hippocratis* Pathologiam Medicam, quam non recentem aut novam, indeque quibusdam futuram nauseosam, sed ut ipse *cit. loc.* fatetur, *à primis artis inventoribus acceptam*, graphicè tanquam in synopsi nobis delineat.

§. 2. Inesse verò in nobis tales sapores & facultates, experientia tam quoad *assumta*, quam quoad *retenta & excreta* ubertim confirmat. Panis secalinus, quo nullum frequentius est alimentum, his facultatibus Hippocratis turget: moderato igne enim fundit spiritum acidum volatilem (cum quo etiam aliquantulum salis volatilis in rectificatione unà ascendisse, apud amicum me vidisse memini) brevi temporis spatio, absque Vulcani adjumento, aut Veneris aut Martis tincturas, aut corallorum aut hæmatitis solvens & extrahens, & in nonnulla corpora mineralia potentius ferè agens, ipsa aq. forti. Præter panem assumimus acida, amara, acria, aromatica, dulcia, insipida, acerba, salsa &c. eaque variis salibus imprægnata, quæ utut sub stomachi digestione, in homogeneam quoad sensum salsam aut acidulam abeant massam, retinent tamen adhuc nonnulla suæ craseos vestigia, quod effectus medicamentosi talium alimentorum non rarò confirmant. Dissolvuntur hæc assumta in stomacho à succo salino sæpius acido, teste namque experientia, omnia assumta etiam saccharum & mel, primum in stomacho acescunt, quod tam ructus, quam legitimo tempore provocatus vomitus, antequam scilicet alimenta per fermentationem in chylum transmutata fuerint, manifestant. Quam fermentationem non modernorum saltim inventum, sed jam *Hippocrati* cognitam fuisse, palam est *ex ſ. 20. libr. de Vet. Med.* ubi ita differit; *Et sanè puto his, qui cibum sumere consueverunt, quod non expectaverunt tempus justum, donec ipsorum venter pridie ingestos cibos perfectè consumsisset, & exsuperasset, evacuatusque esset, & quievisset, sed in ferventem adhuc & fermentatum novos ingesserunt &c.* Hinc simili menstruo acido volatili chylum artificialem ex alimentis in vitro producere novit *Tachenius* in suo *Hippocr. Chym. cap. 13. pag. 78.* & *Boyle* menstruo ex vitriolo artificiosè parato, idem perficit, *Usefulnesse of. experim. Philos. P. 2. p. 20.* Acri vero nimis reddito hoc succo, appetentia canina exsurgit, in qua copiosa acida vomitu rejecta, affectum aut leniunt, aut tollunt, sicut pinguia in tali casu, acorem vitiosum obtundunt, aut fixa terrea eundem absorbent. Balsamicus bilis sapor amarus

rus insigniter omnibus notus. Pancreatica lympha, nunc subacida, nunc salsa deprehenditur, ita tamen acris, ut anno & quod excurrit elapso in Anatome publicâ mulieris decollatæ sanæ, intrusus stylus argenteus in ejus canalem, & ibidem aliam ob causam ad aliquot horas relictus, colore intensè cœruleo ex corrosione inchoatâ, tinctus extractus fuerit, tincturâ ipsi pertinaciter adhærente. Reliqua lympha, lymphaticis comphrehensa vasis, utplurimum subacida, instar diluti citri succi gestatur. Chylus ejusque frater germanus lac dulcescunt, sicut & ipse sanguis, qui tamen Sale volatili copiosissimè turget. Urina salsa est, i.e. acido & alcali volatilibus in salsum volatile junctis, fœta: cujus spiritus non adeò violento paratus igne, crudum cupri corpus in tincturam intensè cœruleam solvere valet. Insensilis transspiratio, & sensilis pedum sudatio salsa est adeò, ut orichalci limaturam calceis impositam, in viridem crocum dissolvere valeat.

§. 3. Ast quam excessivos sapores morboso in statu non rarò contrahunt hi succi? Vomitus sæpè insigniter amaricantes, non rarò austeri, dentibus stuporem inferentes, molestant ægros. Scorbuti & hypochondriaci, tam corrosivos rejiciunt per gulam liquores, ut præter hujus & faucium dolorosam excoriationem pelvim æneam item argenteam ærugine obducant: ipsum horum sanguinem hæmorrhagiâ narium rejectum, adeo acrem, ut lintea quibus exceptus fuerit eroserit, observavit *Döringius de Med. & Med. p. 109.* (similem vim corrosivam linteorum Lunari mulierum tributo etiam assignat *Helmont. cit. tract.*) unde & horum urina observata fuit interdum adeo acris, ut paulò diutius in matula vitrea detenta, eam corroserit, & nonnihil absumserit, utut fortissimis menstruis, vitri compages resistat. Quam facultatem dissolvendi non obtinet interdum stomachi menstruum, dum præter gallinas *Helmontii*, in quibusdam gulonibus & vitra obterat, & consumat, item coria, testas, ligna, carbones &c. exempla vid. in *Amato Lusitano cent. 2. cur. 69. Schol. it. in Sennerti Paralipom.* Non minus rarum est quod refert *Boyle supra cit. tract. p. 68.* de milite lapides & frustula horum devorante & ita consumente, ut alvi excreta arenosa exinde fuerint rejecta, lapidibus in stomacho in arenulas resolutis. Notum alias est omnibus, duram ferri limati compagem in hypochondriacis aut etiam virginibus cachecticis non sine sanitatis optatæ emolumento dissolvi: quin & numismata ænea deglutita, attrita prius & nonnihil consumta per inferius guttur reddita tandem fuerunt, teste *Amato Lusit. c. l. & Kerckringio in specileg. observat. Anatom. obs. I.* Urinæ salsedo in acidum p. n. mutata in stranguriis & dysuriis sufficienter se monstrat. Sudores sæpissimè (quod

in declinatione Tertianæ cum arthritide vago conjunctæ aliquando observavi) insigni acore sunt tincti, unde præter molestum & manifestum acidum odorem, & cutis intensum pruritum, & cuticulæ erosionem inferunt. Ulcerum corrosiva & acida sanies, quas non torturas ægris multiplicat? quæ ossium robur in cariem eadem erodendo, infirmat: imò argentea etiam & ferrea Chirurgorum instrumenta levi contactu non rarò dissolvere inchoat, hincque indelebili macula eadem inquinat. Quid cancrum memorem, teneram mamillarum corrosivo suo Sale, arsenico autem quibusdam comparato, exedentem substantiam? pustulæ cutaneæ & ipsæ non carent vitioso tali sapore: Patavii familiarissimus mihi erat juvenis, & ipse Germanus, scabie inferiorum inprimis partium circa genua vehementer afflictus, cujus pruriginosa ulcuscula scalpendo aperta, liquorem serosum odoris apertissimè acidi instar subtilis cujusdam & penetrantis aceti fundebant. Saliva naturaliter ferè est insipida, quæ tamen in scorbuticis corrosivo acuta sale gingivas manifestò depopulatur, & dentium ossa erodit: vidi adolescentem scorbuticum, qui matutinis horis jejunus adhuc adeò acrem sanguinolentam in chartam duplicem firmam exspuebat salivam, ut hæc exinde brevi eroderetur. Hanc ipsam icterici, & multi febricitantes amarore molesto inquinatam percipiunt, quæ in hydropicis nimis salsa gustatur. Catarrhales denique affectus, ex lympha nimis acri, sive per nares sive per oculos moveatur, oriri, unde interdum istarum partium ulcerationes sequantur, fatetur *Hippocrates* noster *c. l. s.* 31. & 32.

§. 4. Meritò ergò *Hippocrates*, manifestaturus & status pacati & turbati Reipublicæ Microcosmicæ autores, (in tali casu, ubi nihil *divini* immiscet.) sub saporum notionibus eos nobis declarat, idque propterea, ut (cum in præfatis qualitatibus gustabilibus profundior & potentior plerumque lateat dynamis) iis quasi manu nos ducat, ad investigandas occultas salium proprietates & energias, cum salia sub saporum formâ præprimis se nobis manifestent. Licet enim affirmare nequeam, ex solis salinis particulis sapores dependere, hoc tamen certum est, vix corpus esse magis sapidum, quàm salinæ quod est prosapiæ, ipsaque salia nullum organum sensitivum potentius afficere, quam gustui quod inservit, & pro salinarum inprimis particularum mutatione, & diversâ cum aliis texturâ, sapores specialius variare. Ignis ergò Spagyricus est consulendus, qui in manu artificis & alterat variè & etiam resolvit concreta naturalia. Sed cauto hic opus est, nè Chymicorum ingredientes laboratoria, ab inconditâ Salium, Sulphurum & Mercuriorum turbâ, instar vespertilionum in tenebris,

bris, circumvolitante obruamur, utpote ex confuso Paracelsi chao mentali exclusâ. In genere duo se offerunt salia quasi fundamentalia (quæ ab uno summo sale primitus oriri, sunt qui existimant) acidi & alcali seu urinosi quæ veniunt nominibus, ex quorum mutuâ conjunctione tertium salsum emergit, neutrum ex istis, de utroque tamen participans. Sub hoc genere infinita specialium Salium se offert varietas: nam *acidum* aliud est ferri, aliud auri, aliud vitrioli, aliud nitri, aliud aceti, aliud ligni quercini &c. *alcali* contra, aliud *fixum*, aliud *volatile*, aliud *animalium*, v.g. lumbricorum, cancrorum, cervi, hirci, urinæ, ossium, fellis, aliud *vegetabilium*, saporis *aromatici*, ut fœniculi, menthæ, *acris*, cochleariæ, sinapi, *amari* absinthii, gentianæ, chelidonii, *adstringentis*, gallæ, malicorii, *insipidi*, sempervivi, solani &c. sed quis finem inveniret, qui omnia hæc distinctè enarrare vellet? nam & *Hippocr.* sexcenta nimis angusta videntur. Plura qui vult, adeat *Tachenium in Hipp. Chym.* & ejus *Clave*, *Zvvölferum*, in append. ad animadv. p.71. & seq. & videat ea, quæ *Svvalbe* de acido & alcali conscripsit.

§. 5. Considerandum modò ulterius venit, quod omnis Salium potentia ex eo radicaliter dependeat, quod alcalida & acida ubicunque sibi (medio inprimis aqueo vel fluido) occurrerint, tanquam contraria in se invicem agere, sese contemperare, destruere & tandem arctâ concordiæ unione sese in Sal tertium conjungere satagant. Prout verò diversus est Salium status, dum ea rarò pura aut solitaria, quin potius semper aliis concretorum particulis intermista existunt, etiam effectus reciprocæ istius actionis & mutui concursus est varius: Nunc enim *effervescentiam* impetuosam cum bullis & strepitu, & insigni non rarò incalescentia, ubi eadem sunt acriora, nunc verò *fermentationem*, ubi eadem adhæsione aliarum particularum materialium sunt temperata, nunc *coagulationem* & novorum concretorum productionem, ubi mutuò amplexu alia simul adhærentia sibi uniunt, nunc *separationem* seu præcipitationem rerum non benè cum iis unibilium producunt. In genere ex salibus istis cum aliis particulis materialibus diversimodè concurrentibus, junctis, separatis, variè situatis & contextis &c. non tantum ipsa eorum varietas, & Protei instar mutabilis facies, sed omnes ferè insigniores in natura alterationes, forsan etiam generationes & corruptiones proficiscuntur, quas specialiter excutere, non est hujus loci.

§. 6. Quod si ulterius rationem istius mutuæ salium in se actionis, indeque adeò diversorum Naturæ inde surgentium phænomenon investigare velis, in promtu erunt conditiones minutorum corpusculorum seu particularium salinarum mechanicæ, in specie determinatæ eorum

figuræ, & texturæ, magnitudines & inde exsurgentes diversæ motiones: istæ enim sunt tales, ut acidum & alcali ex figuræ & texturæ proportione certo modo sibi adhærere & mutuo amplexu se continere queant: antequam verò ad debitum unionis situm perveniunt, medio fluido, cujus particulæ sunt in continuo motu, permista, unum impingit in alterum, hoc trudit, istud repellit, acidum rodit alcali, hoc absorbet acidum, idque tamdiu, donec diuturnâ affrictione & hinc inde contorsione in legitimo situ unita firmiter sibi adhæreant, & ita figuræ & texturæ mutatione in salsum abeant, aliasque concretorum alterationes (ratione aliarum particularum unà concurrentium, & vel simul connexarum, vel separatarum vel translocatarum) inferant: Qua texturæ ipsorum salium mutatione, & ipsa variè exasperantur, mitigantur, alterantur, & ita infinita ista *Hippocr.* constituunt. Sic enim oleum acidum vitrioli, cum oleo tartari urinoso mutua texturæ mutatione vel salsum leviter vel insipidum tertium producunt. Sic ex alcali fixo cum silicibus calcinatis in ignis vehementi tortura per violentum & continuum particularum motum, ob mutatam earum texturam, novum & plane mirabile ens nempè vitrum producitur, cui simile Natura nullibi, nisi in lapidibus pretiosis constituit. Sic mutatione figuræ & texturæ particularum materialium Sal commune nudis in igne fusionibus, in aqua solutionibus & coagulationibus repetitis, in terram insipidam abit, teste *Borrichio, d' ortu & progress. Chem. p.* 82. Sic Oleum Sulphuris vel Spir. Vitrioli, sali communi vel nitro affusus, mutatione certâ utriusque texturæ dat Sal istud mirabile seu enixum *Glauberi*, quod figit & solvit, & ex Sale communi paratum reserabit claustra auri, aliorumque subjectorum sulphureorum, ex nitro verò Lunæ. Sic alcalia vegetabilium volatilia sub ignis torturâ concurrendo cum Sulphure concreto, in quo latet acidum, & mutando texturam, abeunt in Sal fixum salsum, quod fortiori concrematione & in igne fusione abit tandem in perfectum alcali. Sic aqua fortis nuda texturæ ejus per Sal communem vel Sal armoniacum additum mutatione, aurum solvit, & Lunam antea amicam spernit. Nam in hoc menstruorum consistit diversitas & simul etiam potestas, ut correspondeant particularum suarum figuris, poris & meatibus corporis solvendi, & particulis solutis. Unde Alcahesticum menstruum ob summam penetrantiam & subtilitatem quaquaversus penetrat, & omnia dissolvit, teste præter *Helmontium* experto *Starckey Pyrotechn. c.* 9. 10. & 11. & *seq.* it. *Bechero in Phys. subterran. l.* 1. *s.* 3 *c.* 4. Hinc nihil repugnat dari etiam menstrua insipida, modo ita sint constituta, ut v. g. auri poris exactè respondeant iisque se subtiliter & promptè insi-

insinuent. Nam nihil impedit, corrosivissima mutata textura insipida fieri, sicutècontra teste *Bechero Phys. subterran. l. 1. s. 5. c. 2. §. 23.* ipsa communis aqua multoties destillata & rarefacta, ita corrosiva redditur, ut metalla solvat: quæ aqua alia sub præparatione in acetum transit, teste *Helmontio tr. opl. digm. alim.* §. 59. *Laurenbergius* sanè asserit, se talem vidisse aquam seu liquorem, in quâ aurum sine ulla corrosivitate liquescat, instar glaciei in aqua calida: *aph. 5. contra Salam.*

§. 7. Per tales salinas facultates adeò potentes in administrandis Naturæ negotiis, definiendas esse causarum morbificarum energias, sub saporum ceu per se notissimorum formâ, inculcat *Hippocrates.* Ob id & bilem flavam nomine amari designat, acutam verò & acrem bilem æruginosam definit, *lib. cit. s. 34.* generationem verò illius descripturus *l. 4. de morb. s. 8. num. 3.* ita disserit: *postquam comedit & bibit homo aliquid amari, quodque alias biliosum & leve est, copiosior bilis fit in hepate*: & ita *per amarum & leve* seu volatile, ut hodierna loquendi fert consuetudo, bilis naturam determinat. Non enim calidum aut siccum est, quod præpollet in bile, ignea ob id vulgò appellata, sed acre & amarum i. e. alcali insigniter volatile, temperatum tamen sulphure seu oleo, in seipso, rubro: ut prioris beneficio chylum balsamico imbuat vigore, simulque acorem ejus volatilem à stomachi digestione nonnunquam superstitem, in perfectum salsum volatile transmutet, posterioris vero ratione tincturâ sulphuris invisibili eum tingat, pro futura sanguificatione. Flava bilis sic dicta, excrementitiâ, cruditatem stomachi nidorosam, & ita neque calorem, neque frigus, sed alimentorum corruptionem ex nimio pinguium & similium succum stomachi hebetantium & depravantium, ejusque salinam vim enervantium usu nascentem. Æruginosa bilis acris & acuta, aut ex alimentis in stomacho vitioso acore depravatis, aut ex vitiosè acido pancreatis succo, perversam effervescentiam cum bilis sale volatili oleoso in intestinis excitantibus, originem ducit, nam & spiritus vitrioli, bili ex vesicula eductæ admistus, colorem ex atro virescentem producit, teste *Graffio diss. de succo pancreat.* §. 147. unde & talia æruginosa infantibus sunt familiaria, ex lacte corrupto & acescente enata, quæ post molesta ab acido nimio tormina rejecta, & acidum manifesto spirant, & acidum absorbentibus v. g. ocul. cancror. ebor. a. C. C. usto it. creta, sem. anisi & similibus curantur. Talia æruginosa ab hypochondriacis superius rejecta, & manifesto linguæ acore dentes stupefaciunt, & adjunctâ austeritate, fauces & gulam fortiter adstringunt. His adjunctæ ventris murmurationes, flatulenti borborygmi, & intestinorum convulsivi dolores, effervescentiæ illius p. n. in intestinis inseparabiles sunt comites.

§. 8 A bile ad ſuccum melancholicum deflecto, qui vulgò frigidus, ſiccus, & ob id terreſtris ſtatuitur. Sed ut taceam, nullitatem talis ſucci (prout vulgò quidem explicari ſolet) ſufficienter eſſe demonſtratam à *Conringio tr. de ſanguin. generat. & mot. cap.* 12. 13. 14. certè ea, quæ de hoc humore obſcurè dicuntur, perſpicuè per acidum, item acerbum in corpore noſtro ſecundum *Hippocr.* reperibile, explicantur: ſive ſit ſuccus fermentativus ſtomachi nimis acidus, ſive ſuccus pancreaticus nimis auſterus, ſive lympha nimis acida, ſive in particularibus membris, ex corruptione alimenti proximi talis acor peregrinus v. g. in ulceribus & abſceſſibus generetur. Ob id convenienter admodum, aceto comparat melancholiam *Sennertus l.* 2. *de febr. cap.* 20. manuductore tamen noſtro *Hippocrate*, qui verè chymicè *lib. de vict. acutor. ſ.* 28. differit: *aciditates ex aceto, amarâ bile abundantibus magis conferunt, quam atrabilariis: amara enim diſſolvuntur, & in pituitam tranſeunt, dum ab ipſo attolluntur*, (i. e ut terminis uſitatis explicetur, acida præcipitant alcali volatile in bile, & ſimul transmutantur effervescendo, quod forſan attolli vocat *Hippocr.* in tertium ſalſum vel omnino inſipidum, inſtar pituitæ aquoſæ ſeu inſipidæ) *Nigra verò fermentantur & attolluntur, ac multiplicantur: acetum enim nigra ſurſum ducit, vel interprete Sennerto l.* 2. *de febr. c.* 20. *p.* 296. *nigra exaltat.* (i. e. nigra ſeu melancholica aut atrabilaria, quæ bili amaræ opponit *Hippocr.* ab aceto augmentantur, & in ſua qualitate nociva per fermentationem, acriora & volatiliora facta, exaltantur. Exaltatione iſta acidi generatur bilis, quam vulgo vocant atram, acris admodum & corroſiva ex acidi in gradu & volatilitate augmento nata, furia corporis peſſima, nam & lenia ſpernit remedia, & validioribus in deterius ruit. Conſideremus pro exemplo cancrum exulceratum, ab omnibus ab atra bile derivatum, hujus acidum & volatile fermentum inſtar aquæ chryſulcæ corroſivum ſe monſtrat, corrodendo & depaſcendo vicinas partes: hic acor uti medicamentis Saturninis, quæ acidum abſorbent & dulceſcere faciunt, aliquantiſper miteſcit, ita contraria mitiora alcalia ſpernit, à validioribus vero & acrioribus propter ſubitam efferveſcentiam & hinc vicinæ partis colliquationem plurimum exacerbatur, ſupervenientibus febre & totius ardore, partis ulceratæ horrendo dolore, ſimilibusque ægrorum tormentis. Imò verò vulgaria ulcera, acrioribus paulò tractata in cancroſas malignitates ſimiliter degenerant exaſperato & volatiliſato eorum fermento.

§. 9. Paracelſiſtarum idolum Tartarus microcoſmicus, propter aliqualem ſimilitudinem cum propriè ſic dicto Tartaro Bacchi filio, ab acore vini propria fece ſaturato & cum eadem in Sal compoſitum, ipſo patre

patre Vino nobilius, coagulato, ita dictus, non nisi ex Hippocraticis potentiis suam obtinet autoritatem: sive enim resolutus in forma liquida fluctuet, huic inde dolores, lancinationes & torsiones inducens, sive jam sub coagulo peregrino seipsum coerceat, ubique principium omnis ejus operationis est acor, partibus hostilis. Est scilicet Tartarus propriè loquendo, nil aliud, quam succus acidus, facilè in subjecto idoneo coagulabilis, aut jam in eodem coagulatus, vitio primæ digestionis, ob hujus cruditatem acidam, & secum vitiosæ segregationis genitus. Acor ergò talis vitiosus in stomacho hospitans & graviorum ejus symptomatum & successivè mali hypochondriaci est autor: in intestinis torminum colicorum fœcunda est genetrix, inprimis si subjectetur, in copioso intestinorum muco, pituita acida tunc appellato: lotium imprægnans, stranguriam infert, sicut in articulis arthriticas torturas: massæ sanguineæ inquinans dulcedinem, & cordis palpitationes & scorbuticos infert affectus. Sin aptum inveniat subjectum, inprimis de alcali participans, cum eo coagulatur, in Gorgonium monstrum, quale est omne duelech, seu calculus, tam in renibus quam fellis folliculo, ex ejus coalitu ibi quidem cum urinæ volatili sale per fermentum putredinis resoluto, hic verò cum alcali volatili bilis genitum, sub qua concretione quicquid coagulabile simul deprehenderint in novi concreti consortium trahitur. Sic synoviam articulationes ossium instar cujusdam axungiæ oblinentem coagulat in tophos, arthriticis cognitos, & ossium corrumpens alimentum, cum eodem in gummata Gallica, ossa cum intolerabili nocturno tormento perforantia, concrescit. Sin viscidæ conjunctus mucilagini angustias vasorum permeare nequeat, sed circa easdem coagulatus subsistat, oppilationum & obstructionum, omniumque scirrhorum & scrophularum est artifex. Contra hunc acidum p. n. Tartarum usurpantur medicamenta & ipsa tartarea, seu sit spiritus tartari perfectè volatilis seu urinosus, sive sit Sal ejus volatilisatum; hæc enim & acorem ejus destruunt, & producta jam coagula dissolvunt & reserant.

§. 10. Præter enarratos hactenus sapores, dulce denique & insipidum non rarò memoratur *Hippocrates*, innuens hoc ipso statum temperatum & blandam dulcedinem nutritii corporis nostri succi, chylosi quidem pro partibus spermaticis, seu nervinis, sanguinei verò pro parenchymatibus sanguineis. *Dulcia enim & pinguia ac oleosa replent, quia ex modicâ mole multum diffunduntur: at vero acida & acria & austera & acerba, & ex toto collata & sicca non replent: seu nutriunt*, docet *Hippocrates l. 2. de diæta. s. 33. num* 19. 23 *&c.* Hinc si blanda & temperata dulcedo nutritii succi pervertatur, ut acrimoniam vitiosam, in specie salsam acquirat,

rat, unde asper minusque mitis reddatur, & exinde nutritioni ineptus fiat, subinde tabe & atrophiâ emaciatum corpus, vivum sceleton repræsentat. Succus talis nutritius minus in stomacho ex alimentis resolutus, & volatilisatus, sed viscriditate p. n. tenax & glutinosus, pituitæ p. n. nomine vulgò venire solet, sive ullo excessivo sapore careat, sive acrimonia salsa sive etiam aciditate peregrinâ deprehendatur inquinatus.

CAPUT III.

FACULTATUM HIPPOCRATICARUM AD HYGIENAM ET THERAPEUSIAM APPLICATIO.

§. 1.

Quæcunque mala homo patitur, omnia à facultatum potentiis proficiscuntur, inquit *Hippocr. cit. lib. s.* 34. quæ facultates, ipso interprete *s.* 39. *humorum nostri corporis summas vires & robur* designant, istis saporibus ab eo definitas. Sed cum eædem & naturalem nostram administrent œconomiam, & tanquam negligentes aut inobedientes ministri simul eandem non raro pessundent, propterea distinctum earum & statum & effectum declarat *Divinus* noster *Senex s.* 24. & 25 & *lib. de natur. hum. s* 6. *Hæc quidem mixta inter se & temperata, neque conspicua sunt, neque hominem lædunt: ubi vero quid horum secretum fuerit, atque ipsum in seipso fuerit, tunc & conspicua sunt & hominem lædunt.* Superius scilicet monitum fuit, salinas potentias continuo reciprocæ actionis motu seipsas fatigare, & in æquilibrio positas, aliis permistas blandâ & æquabili fermentatione agitari, sub qua seipsum tanquam mutuò activa & passiva ita temperent, quo minus aliquod nocumentum in corpus redundare possit. Ipsum hoc est, quod corporis machinam sartam tectamque conservat, si scil. sanguineum vitale nectar debitâ fermentatione circulatur, quâ & chylus ipsi assimilatur & spiritus volatilis volatilisatur, simulque reliqui succi debitam crasin & proportionem tam ad se invicem v. g. bilis ad succum pancreaticum, quam ad subjecta externa, v. g. succus stomachi fermentativus ad alimenta obtineant. At vitiatâ hac facultatum proportione, & læsâ earum temperaturâ, sin vel in gradu una excedat alteram, vel à naturali crasi degenerent, cujus infiniti sunt modi secundum *Hippocratem*, non potest non rebellio atrox turbare microcosmum.

§. 2. Origo læsæ temperaturæ, indeque ortorum morborum, *partim ex diætis, partim ex spiritu quem attrahentes vivimus*, est, autore *Hippocr.*

Hippocr. de nat. human. ſ. 18. *n.* 11. Diætæ partem primam conſtituunt aſſumta, de quibus nos ita informat *Oraculum Coum, lib. cit. ſect.* 25. *Quin & ex cibis, quicunque nobis incommodi ſunt, & ingeſti hominem lædunt, horum unusquisq; aut amarus eſt meracus ac intemperatus aut ſalſus, aut acidus, aut alius quis intemperatus & fortis: & propterea turbamur ab ipſis, quemadmodum etiam ab his, quæ ex corpore excernuntur. Omnia autem quæ edit aut bibit homo talia edulia palam eſt, minimè hoc intemperato & diſſidente ac excedente ſucco participare, velut ſunt panis & maza, & his ſimilia, quibus adſuetus eſt homo plurimis & ſemper uti.* Jam verò edulia iſta hominis ſunt vegetabilia, aut animalia illis ipſis antea ſaturata: in quibus terrâ naſcentibus ſuas facultates maturè conſiderat *Cous* noſter, dum *lib. de natur. human. ſ.* 11. ita ſcribit: *quemadmodum ex terra naſcentia, & in ipſam plantata ac ſeminata, ubi in terram pervenerint, unumquodque trahit id, quod naturæ ſuæ familiare in terrâ exiſtit: ineſt autem in terrâ & acidum & amarum & dulce & ſalſum & omnigenum &c.*

§. 3. Scilicet ut idem nos informat *Hippocr. ſ.* 26. *Robur & augmentum ac alimentum præſertim per nihil aliud contingit, quam quod probè temperatum eſt, & nihil habet intemperatum, neque forte, ſed totum unum factum eſt, & ſimplex & non forte:* hæc enim in naturali ſtatu, absq; ulla alteratione corpus conſervant, ob quam temperaturam & lac & carnes, & oryza ſimiliaque Cerealia tam commodum ſuggerunt alimentum. Aſt ubi exceſſivus ſapor imprægnat edulium, ſalinam potentiam excedentem manifeſtans, non poteſt non iisdem corporis noſtri potentiis occurrendo, easdem alterare aut augmentando, aut imminuendo aut diverſimodè alterando; plus minus tamen, prout *aut* major vel minor fermenti ſtomachici in illo alterando & transmutando fuerit poteſtas, *aut* prout conſuetudine ejus corporis noſtri potentiæ ſalinæ magis vel minus jam antea ab eo immutatæ fuerint. Sic enim & venenorum conſuetudine alteratis jam corporis noſtri potentiis eorum robur imbelle factum fuit, & continuata diutius eadem medicamenta, tandem in caſſum adhibentur: unde non tantùm loco modo citato §. 2. conſuetudinis rationem habet, *divinus Senex*, ſed ejus obſervantiam quoque diligenter inculcat *ſ.* 2. *aph.* 20. dum *conſueta longo tempore, etiamſi deteriora ſint, inſuetis minus moleſta eſſe,* pronunciat.

§. 4. His ſuis potentiis determinandas eſſe alimentorum facultates, non calore & frigore, ſufficienter docet *Hippocr. in libris de diæta, it. lib. de affection. ſ.* 49. ubi acrium, ſalſorum & acidorum, dulcium alimentorum frequentiſſimam mentionem injicit; & hoc illuſtrat pariter *lib. de priſc. med.* §. 22. & 23. exemplo cujusdam, crudo tritico & carne læſi, pane

verò propinato curandi, quem præfert tritico crudo, non ob qualitates elementares, sed ob id quia sit præparatus, sub qua præparatione diversas subeat alterationes. Præparationis cardo in legitima consistit fermentatione, quâ adjectione fermenti acidi volatilis farinæ aufertur viscidítas, quæ multum stomacho alias facessit negotii, & resolutæ partes salinæ & quædam sulphureæ aliarum particularum implexu aliquantisper se extricant, fermentando volatilisantur, & in spiritum volatilem ardentem transmutantur: antequam vero totæ hoc modo fuerint volatilisatæ clibano imposita massa torretur, unde pars volatilisatorum salium in spiritum avolat, suavi odore omnia replens, quibusvis perlarum aquis virtute confortativa *à Bechero l. 1. phys. subterran. s. 5. c. 2. §. 144.* præposita, cujus colligendi modum docet *Kergerus de fermentat. s. 3. cap. 1. pag.* 181. pars verò salium altera, nondum perfectè volatilisata impedito fermentationis per exsiccationem motu à reliquis particulis implicata detinetur, facili tamen Vulcano in spiritum subacidum volatilem per retortam separanda, à quo subtilis panis aciditas etiam dependet. Panis ergò stomacho ingestus propter hunc spiritum acidum volatilem, de quo supra *cap.* 2. §. 2. ex suscepto fermento productum, liquescens in stomacho in cremorem, herbas & cibos quibus cum est masticatus, unà colliquescere cogit, ut rectè loquitur *Helmont. tr. tract victus* §. 15. adeoque fermento stomachi potentes fert suppetias, & locum cujusdam fermenti aliis cibis additi, quodammodo supplet, & propter ejus convenientiam cum stomachi succo fermentativo, nunquam nos panis continuò licet comesti capit fastidium, quin potius naribus admotus nauseam & vomitum ab assumtorum horrore imminentem compescit, & sicut ægrotantes ultimo ejus appetitum amittunt, ita convalescentes eandem primariò denuò recuperant: ut rarissimum sit, quosdam à pane omninò abhorrere, qualis fuit puer iste apud *Schottum Phys. curios. l. 3. cap. 27. p. 530. & seqq.* ab imaginatione materna gravidatis tempore ita dispositus.

§. 5. Loco aquæ vinum supra dicto ægro propinat *Hippocr.* stomacho similiter blando acore acceptatissimum, de cujus uvarum benedicti nectaris naturâ & statu, cum ab aliis, in specie à *Celeb. Dn. Sachsio in Ampelogr.* qui instar omnium est, sufficienter actum sit, cui jungatur *Becherus Phys. subterran. l. 1. s. 5. cap. 2.* non est, quod actum agam. Hoc saltim quoad *Hippocraticas facultates* noto, observandos in eo esse *& spiritus salinos volatiles sulphureos, sulphur* Bezoardicum vegetabile item aurum potabile vegetabile quibusdam dictos, *& etiam acidum*, primo justu plus minus sensile: ratione cujus & vinum cum unicornu fossili notho effer-

veſcit, & ab oleö ſilicum in inſtanti coagulatur. Spiritus vini volatilis tanquam ſymbolizans quodammodò ſpiritui vitali, brevi morâ ex ſtomacho in vaſa raptus, advocatur in hujus ſupplementum, levi contactu fermenti in corde perficiendus: Sin vero plus juſto hic inſit ſtomacho, ebrietas ſequitur, quatenus celeri diſtributione totus in ſpiritum vitalem commutari nequit, quin ſpiritus animales prius in motus confuſos & inordinatos actos, quodammodo ſulphure ſuo figat, inſtar opii & aliorum narcoticorum indeque eos torpidos & ad debitas motiones & expanſiones ineptos reddat. Quoad acidum vini benignum, hoc partim in ſtomacho partim in inteſtinis concurrente fermento felleo in ſalſum volatile abit: Sin verò inordinato, & in ſpecie vini nimio abuſu crudus & acidulus liquor ex ſtomacho elapſus fuerit, hoſtili ſua toti corpori aciditate, cum ſibi adjunctâ aquâ vitæ in inteſtinis tormina colica, & exinde in artibus pareſes, aut contracturas, præter mala arthritica & nephritica progenerat, Tartaro tam reſoluto quam coagulato ſuperius adſcripta; adeò ut ſæpiſſimè vinum prohibendum ſit ægris, non ratione ſpiritus ſui ardentis, ſeu ut vulgò dicunt, ob nimium ejus calorem, quam ratione acidi ſui, partibus inſenſiſſimi v.g. in vulneribus, articulorum affectibus &c. Sic memini mulieris, dyſuriæ ſubinde obnoxiæ, cujus paroxyſmus tam ab aceti, quam vini uſu ſubitò recrudeſcit, oleo amygdal. dulc. c. lapid. cancrorum & percarum denuò ſopi ndus.

§. 6. Vini vicarius eſt cereviſia in locis Septentrionalibus, decoctum ſcil. hordei vel tritici cum lupulo utplurimum, fermentatione exaltatum, quæ temperatior quidem eſt vino, indeque minus alterativa ſed plus nutritiva, iisdem tamen potentiis Hippocraticis ſimiliter instructa, utut ejus acor, non adeo purus, quin potius lupuli ſale amaricante de alcalium natura, nonnihil modificatus. In præparatione obſervanda venit hordei germinatio, cum in finem inſtituta, ut viſciditas ejus mucilaginoſa corrigatur, quæ & fermentationem decocti impediret, & digeſtionem ſtomachi turbaret: hordeum enim parum coctum ventoſitates efficit, oppilationes verò ſi meliuſculè bullierit. Aſt ſub iſta germinatione irrorata granaa, quarum inbibitione turgeſcunt, unde reſoluta ſalia in iis aliarum particularum complexu aliàs irretita mutuò agere & reagere, & anguſtiâ loci concluſa, quâ datâ portâ prorumpere, & ita per gemmam ſecum adhærentes particulas ſimul protrudere incipiunt. Verum ne in liberiore aura continuatâ iſta actione fermentativa omninò avolent; ſemenque ita emoriatur, & particulis activis ſalinis ſpoliatum pro fermentatione cereviſiæ fiat ineptum, toſtione ulterior ſalium in germinatione

prohibetur progressus; & postquam contritum fuerit & cum lupulo conditum per cocturam, in cerevisiam per restauratam fermentationem abit. Inest enim omnibus vegetabilibus, inprimis seminibus, & ex his præ cæteris Cerealibus, substantia quædam viscida & mucilaginosa, quam ceu primarium actvitatis suæ objectum digestio stomachi resolvit in cremorem nutritium. Hæc substantia dum per fermentationem recluditur, & volatilisatur, transmutatur in spiritum volatilem ardentem, novum ens, formaliter ab eo quod erat antea distinctum: adeò ut non amplius subjaceat fermenti stomachalis imperio, nec amplius sit ita nutritiva ut antea, quin potius subitò transeat, ut supra dictum de spiritu vini, ad augmentandos spiritus corporis, & ita facta est primariò egregiè confortativa; ob id namque liquidus potus longè facilius & felicius nos recreat, quam solidus cibus. Natura equidem neque cerevisiam neque vinum ut talia postulat, sed tantùm simpliciter ut humida, quibus latex corporis absumtus restauretur, pro subministrando alimenti vehiculo, id quod bruta simplici aquæ haustu contenta sufficienter demonstrant. Verum curiositas humana, per artem subinde præsumens corrigere naturam, conjungit aquam spiritui per fermentationem, quo una vice & latex subministretur, & alimentum suppeditetur, & spiritus reficiatur.

§. 7. Tartarorum potus, ut notum, est lac equinum, idque tantummodò in solennioribus vestivitatibus, quod tamen ita præparare norunt, ut ebrietatem conciliet, non secus ac vinum. Modus præparandi cum sit curiosus, ex eundem Lingua Gallicâ in Latinam translatum, ex *Relation de Tartarie, par Jean Luca, Religieux Dominique, de Tartares Precopites p.* 15. *& p.* 19. hunc annotare libuit. Eorum potus, quem nominat Chimus & Boza, cum farina milii (forsan interdum loco hordei) inebriat instar vini nostratis, præparatur sequenti modo: Postquam equa peperit, permittunt pullum lactere per mensem, postmodum applicant naso pulli frustula ligni acuminata, eum in finem, ut quando pullus velit sugere, equa iisdem puncta, eum admittere nequeat. Interea ipsi colligunt lac, eoque vas replent, in quo vinum alias fuerit (si tale habere possunt) quod dum in vas reconditur per linteum trajicitur, & vas postmodum exactissimè obturatur. Huic injiciuntur 20. vel 30. gr. hordei, cum cochleari oxygalæ vaccinæ seu lactis acidi vel ebutyrati, aut saltem parum fermenti. Interea necesse est, collocare vas istud vel prope ignem, vel exponere idem radiis solaribus, ut lac bulliat & benè clarescat, id quod spatio 2. vel 3. septimanarum evenit: quod si addatur tantillum vini, potio erit eò gratior. Lac ita benè depuratum, trajicitur per linteum purum

ante-

antequam hauriatur pro potu, qui præparatus tempore vernali, melior est omni eo, qui reliquis anni temporibus conficitur. Hæc potio longè durabit, tantum enim lactis novi semper denuò infundi potest, quantum exhauritur. Observandum & hoc, quod si lac per seipsum satis acidum fuerit, non opus erit oxygalam vel fermentum addere, sed sufficiunt hodei: utque magis tutò procedatur, in distinctis vasculis instituenda est præparatio. Potest etiam quibusdam infundi nodulus ex radicibus violarum aut foliorum coriandri. Decies quotidiè equæ lac emulgetur, dùm ea interea optimis herbis nutrienda est. Potio hæc est admodum salubris, & magno emolumento iis, qui sunt impotentes. Semina coriandri meliorem habent saporem ipsis foliis. Hactenus Autor Gallus, in quibusdam nonnihil obscurus.

§. 8. Post assumta esse inspirata, quæ potentiarum Hippocraticarum proportionem & temperaturam in succis machinæ nostri corporis hydraulicæ turbent, supra §. 2. dictum fuit. Tota namque athmosphæra quam nos reciproca respiratione attrahimus, copiosissimis particulis, insignibus facultatibus Hippocraticis salinis pollentibus, & quasi tot diversis fermentis imprægnata est. Notum est, non vitrioli tantum caput mortuum aëri expositum de novo singulari spiritu acido imprægnari, sed etiam terram tam nitri, quam aluminis exhaustas semel aëri expositas post aliquot annos novum nitrum vel alumen suppeditare. Hinc aërem non sine ratione, oculari eoque firmo experimento confirmatus, plenum sale Hermetico universali, in distinctis matricibus determinationes varias suscipiente, statuit *Rochas tr. observat. nouvell. des caux. mineral. c.* 1. Nam & duris metallis in aëre quis statuerit incunabula & tamen minera plumbi Anglica ante multos annos exhausta, ab aëre novo plumbo imprægnatur: teste *Borrichio ad Bartolinum in hujus Epist.* 92 *cent.* 4. idem fit cum scoriis stanni ab igne depauperatis per aërem denuo fœcundatis, vid. *Histoir. de Singularit. Natur. d. Anglet. p.* 16. uti etiam bismuthi vena Misnensis inanita aëri exposita argento denuò nonnihil locupletatur: antimonium fixatum ad volatilem tamen revertitur naturam, aëri ubi fuerit expositum. Vegetabilia similiter nonnulla, quæ inter principaliora sunt bulbus scyllæ marinæ, uti & aloë Hispanica in conclavi suspensa, ex aëre solo vegetantur, crescunt & ad tempus adolescunt: non minus quam viperillæ, araneæ & scorpiones ex aëris suctu, vitris arctè inclusæ vitam trahunt. Quæ non fermenta imprægnant aërem, tempore veris, dum putris gleba resoluta exhalat copiosissima salina miasmata, admodum fermentativa, quæ massam nostram sanguineam de novo quasi inspirato fermento animant,

ut hac occasione annosi & clandestini morborum fomites potenter subinde exardescant. Hyberno tempore sale subtili acido, de armoniacali forsan natura aërem plenum esse persuadent faciei, labiorum & manuum contractæ asperitates & superficiales fissuræ, lotione urinæ aut saponis acris, tanquam contrario alcali curandæ. Fermenta locorum endemica aut interdum epidemica salinæ omnia nunc acidæ nunc urinosæ naturæ, quo & omnia pertinent contagia in distans operantia, aeris amplo sinu foventur. Hic ergò inspiratus, quas non ataxias & dyscrasias in massa sanguinea, ejusque potentiis Hippocraticis, it. in aliis humoribus particulis suis salinis fermentativis inducet?

§. 9. Intemperatas ergò, & ita altero extremo excedentes istas potentias nos lædere asserit *Hippocrates*. Hinc enim tot frequentes febrium effervescentiæ, tot tormenta ab acido vitioso inducta, tam variformia affectus hypochondriaci & Protei scorbutici symptomata, nunc caloribus nunc horroribus comitata. Curam ob id talibus, quæ intemperatas & à legitima crasi degenerantes potentias in justam temperaturam restituere valent, instituendam monet, *tunc enim humores acres crudos dictos, ex permixtione & temperatura mutua, non calidi aut frigidi simpliciter additione & subtractione, blandiores redditos, coctos & denuò naturales fieri.* Idque monstrante viam naturâ, in defluxionibus, tam ad nares, quam ad oculos, aut ad fauces, unde anginæ, erysipelata, peripnevmoniæ &c. oriantur, apertum demonstrat, *cit.lib.f.*31. 32. & 33. quæ quatenus tenues & acres nos lædunt, & hujus acrimoniæ sensu ardorem & interdum inflammationem inducunt, *restituuntur autem & curantur, ubi temperatæ fuerint & concoctæ, & ab omni acrimonia liberatæ, tunc jam & febres, & alia hominem lædentia solvuntur.* Temperaturam hanc ex permistione fieri asserit *Hippocrates c.l.f.*31.*n.*25.*f.* 32.*n.*13. & *f.*35.*n.*16. dum scilicet particulæ salinæ intemperatæ & conspicuæ factæ, atque exinde acriores redditæ, additione & interpositione aliarum particularum materialium in specie contrariarum salinarum, mutatâ figurâ & textura acrimoniam & corrosivitatem amittunt: qua ratione acidum acetum solutione lapid. cancrorum mitescit, corrosione Saturni dulcescit, impraegnatione salis Tartari salsescit.

§. 10. Rem ita se habere, constat ex eo, quod Mercurius sublim. sapore suo excessivo seu acore corrosivo, non minus quam arsenicum sint lethalia venena, quæ tamen coercet aut copiosum lac epotum aut butyrum largius assumtum, aut oleum amygdal. dulc. deglutitum, quatenus talia pinguia acoris corrosivi obtundunt & quasi inviscant, aculeos: convenit etiam oleum Tartari per deliquium haustum, quatenus hoc

hoc alcali fixum excedens iſtorum acidum deſtruit, & ſui complexu & permixtione in ſalſum temperatum transmutat, Mercurio depoſitâ cryſtallina larva, aut pulveris terrei facie ſeſe veſtiente, aut vivâ forma proſiliente: non minus utilis eſt cryſtallus montana præparata, aut calcinata, quia hæc acidum abſorbet, iſtudque dum in ſe ruit pro corroſione concentrat, quo minus corpori nocere queat: qua ratione ſimiliter æruginoſæ bilis, quam acidam valdè ſupra diximus, eadem cryſtallus eſt alexipharmacum & choleram aut dyſenteriam exinde ortas pernitioſas curat. Eadem ratione creta, lac Lunæ, imò laterum coctilium pulvis it. ebur uſtum, corallia & ſimilia ardorem ſtomachi ex efferveſcentia acidi vitioſi cum regurgitante bile aliove alcali ortum extinguunt, non frigore, ſed vi abſorbendi acidum, ſeu ut vocant, præcipitandi: qua ratione eadem & caninæ appetentiæ ſunt remedia, quatenus acidum corroſivum temperant: acida ècontra ut ſpiritus nitri, vitrioli, ſalis, ſucci berberum, ribium, limonum, febrium ardentium, & diarrhæarum, quas vocant, bilioſarum. Item ægrorum nimiis ardoribus debilitatorum ſunt ſolamina: quatenus ſalis volatilis bilioſi in ſanguine compeſcunt vim, quod ceu contraria temperant in ſalſum, & ita ab eodem inductam aut p. n. ſanguinis efferveſcentiam, aut nimiam ejus diſſolutionem refrænant, & blando coagulo compeſcunt. Et ſanè alterantium (nam de evacuantibus non eſt dicendi occaſio) omnium vis & efficacia in virtute temperandi aut exaltandi acidum aut alcali in genere, aut corrigendi ſpecificos alios ex iſtis vitiatis ſapores obortos primariò conſiſtere videtur, non verò in calore aut frigore, niſi conſequenter, in iis ſcilicet morbis ubi nihil *divini* ſubeſt. Quæ tamen non ita intellecta volo, quaſi omnem ſimplicium operandi modum comprehendant, in multis enim multa non parum differunt: cum v. g. opiatorum aliorumque narcoticorum longè diſpar ab his ſit ratio, ſed quantum ad effectus ab Hippocraticis potentiis excitatos tantum pertinent.

§. 11. Hæc ut pateant ulterius, conſideremus à medicatrice Naturâ ipſa propinatos julebos acidos, ex terra acidularum nomine ſcaturientes, quas non calore aut frigore aut humiditate proficuas eſſe, ad averruncandos chronicos affectus, ex hoſte Tartaro præter naturam intus recepto & coagulato pronatos, in propatulo eſt conſideranti, ſpiritum acidum eſurinum iſtas aquas imprægnantem diſſolvere & abſtergere mucilaginoſas ſordes, in primis viis, iiſque annexis viſceribus ſtabulantes, dum interea ſoluta in mineris ab hoc acido Martis vena abſorbet in ſe ſapores vitioſos acidos, acerbos aliosque, ſalia ſilveſtria, aut excre-

menti-

mentitia, it. Tartarus resolutus ab *Helmontio* appellatos, eosque secum fecum nigrarum forma evacuat. Nam & simili ratione aut cruda ferri limatura, per se semper adstrictiva, sicut omnia martialia, aut quicunque ex eo sine acido tamen excessivo parati croci aut tincturæ prosunt, quatenus excrementa & peregrina salia, ad ferrum ceu adæquatum suæ activitatis objectum accurrentia absorbet, & ita ab iis illatas noxas, in chronicis affectibus, obstructionibus communiter attributis, emendat. Eadem vi saccharum Saturni, aceti acido non omninò saturatum, spleneticorum & hypochondriacorum & scorbuticorum acria salia aceto sæpè potentiora, dulcificando, non refrigerando, innocua reddit. Id quod longè clarius, dum chirurgum agit Saturnus, cujus artis quartum præbet fulcrum, dum non tantùm cum Marte sociatus in tincturam rubicundam internis ulceribus quarumcunque partium potenter medetur, sed etiam solus externè variis cerussæ, minii, lythargiorum, &c. lavatus formis, omnia ulcerum etiam chronicorum & cacoëthicorum fermenta acida, alimenti partis in saniem corruptiva, ratione sui Mercurii copiosi paucissimo sale associati promptè absorbet & dulcificat, & ita non refrigerando nec abstergendo aut exsiccando eadem consolidat. Id quod similiter de Veneris cadmia factitia, & tutia asserendum venit, non minus quam de terra vitrioli dulci ob egregium tam in vulneribus quam ulceribus usum balsamica quibusdam dicta. Sed charta nimis citò deficeret, si de salibus *vel volatilibus* viperarum, cervi, hominis, cochleariæ, persicariæ, vel fixis vegetabilium, vel spiritibus acidis mineralium, vel salibus ex duobus posterioribus compositis, tartaro vitriolato, nitro tartarisato, arcano duplicato, it. sale ammoniaco in specie sulphure metallico per sublimationem, inprimis à colcothare impraegnato, dicere velim, quæ omnia non qualitatum primarum virtute, sed ratione potentiarum Hippocraticarum & agere, & easdem corruptas in corpore corrigere, ferè per se patet. Modò observetur, quod tam stagmata mineralium acida, quam alcalia vegetabilium fixa, sint quidem abstersiva sordium, & correctiva suorum contrariorum, sed simul stomacho insigniter nociva, dum alcalia lixiviali sapore fermento stomachi contrarientur, acidi verò spiritus corrosivitate sua ipsi insigniter adversentur: ob id rarius sola, potius vel mutua conjunctione in tertium salsum abstersivum & diureticum alterata sunt usurpanda, vel additione alterius dulcificata (v.g. alcalia per sulphur vel minerale vel vegetabile, quo elixiris parva it. balsamus Samech pertinent, acidi verò spiritus per spiritus volatiles ardentes) in usum vocanda: ut talibus temperatis & temperentur excessivi nostri sapores, & si qui horum sunt fomites sine læsione removeantur.

§. 12. Sed cum omnes concretorum in specie vegetabilium sapores, singulares obtineant varietates, iisdem nobis insinuant, non ad solum acidum aut urinosum aut salsum semper & simpliciter respiciendum esse: sed præter communes acris, amari, aut acidi rationes uniuscujusque specificum saporem semini appropriatum, & ex seminali concreti crasi, eo quo supra *c.* 1. §. 7. dictum, modo, oriundum, maturè considerandum esse, ceu appropriatum specificis morbosis corporis nostri saporibus, ex *Hippocrate* infinitis, remedium. Non latuit hoc nostrum *Hippocratem*, qui occasione alimentorum medicamentosorum hoc inculcat, *l.* 2. *de diæta s.* 7. ita differendo: *At verò ciborum ac potuum singulorum vim, tum eam quæ secundum naturam est, tum eam quæ per artem accessit, hoc modo cognoscere oportet; Quicunque igitur in summa dicere aggressi sunt, aut de dulcium aut pinguium, aut salsorum, aut alterius cujusdam consimilis facultate, non recte judicant. Non enim eandem vim habet, neque dulcia inter se, neque amara, neque ulla aliqua ejusmodi; Multa enim ex talibus, quæ & alvum emolliunt & sistunt, siccantque & humectant. Similiter autem in reliquis omnibus. Sunt & quæ adstringunt, itemque alvum movent, & urinam cient. Sunt qui neutrum horum faciunt. Similiter & ex calefacientibus ac reliquis omnibus, alia aliam facultatem habent.* Ex hoc enim fonte, specifico nempe sapore, omnis ferè specificorum remediorum in morbis promanat efficacia: quod nempe chelidonium majus, ceu expertum, curat icterum flavum, cochlearia scorbutum, quod myrrha aut sabina Lunare mulierum tributum exigat, quod priapus cervi & ceti dysenteriam, papav. rheas pleuritidem, succus stercoris equini colicam tam virorum, quàm mulierum, alias passionem hystericam, spiritus sanguinis humani epilepsiam, castoreum, variolas. lumbrici arthritidem vagam sanent. Hinc namque cum *Helmontio* omninò asserendum videtur, *in simplicibus perfectam esse curam & sanationem omnium morborum*: ut non opus sit, semper ad sublimiora provocare arcana.

§. 13. Communis equidem scholarum mos est, per sapores expiscari vegetabilium virtutes, sed duplex in eo deprehenditur error. 1. quod relictis Hippocraticis potentiis, per sapores calores & frigora dimetiri in iisdem aggressi fuerint, tanquam proprietatum cunctarum opifices: cum tamen qualitatum elementalium cum saporibus nulla sit cognatio: 2. Quod specificos singulorum sapores neglexerint, & ita gustato communis saporis cortice, nucleum appropriati, & singularem in eo latentem energiam rejecerint: cum tamen hic ex propria eorum crasi oriundus, singulari ob eodem latentis facultatis sit index. Ex specifica enim concretionis crasi à semine oriunda specificæ simplicium dotes, eorumque indices specifici sapores prodeunt. Unde & hanc crasin ceu optimam rei partem simpliciumque nucleum in eorundem præparatione tam studiosè conservandum monet *Helmont.* & ablatis aut transmutatis eum tegentibus nunc ma-

lignis nunc inutilibus scoriis tanquam corticibus in apertum protrahendum, ut *sexcentis* istis saporibus corpus nostrum infestantibus, ex dyscrasia potentiarum Hippocraticarum, & varia depravatione obortis, citò tutò & jucundè mederi queamus: in quo excellentia liquoris *Alkahest* miræ est commendationis, non tantum ab *Helmont. tr. dispens. modern.* §. 22. primitus prædicata, sed præterea quoque à *Starkey Tr. Pirotechnie asserted. c. XII. p. 28.* propria experientia confirmat; qui scil. resolvit vegetabilia in primam eorum materiam liquidam, discriminans in iis omnes heterogenitates, donec parvus liquor crasin totius herbæ vel seminis integram in se continens ab aliis separatus, sese seorsim conspiciendum præbeat. Nam in quamplurimis aliis præparationibus sive per ignem fiant, sive sine eo mediantibus solutionibus, aliisve operandi modis, in specie fermentationibus, simplicium crasis & hinc operandi ratio pro diversitate laborum, additorum aut separatorum non parum immutatur, & alia quasi nova per artem ipsis imprimitur, ita ut talia chymica sæpissimè potius artis acquisita, quam naturæ finitiva agant, idque inprimis minerali regno. Sic enim rhabarbarum cum sale Tartari digestum, omnem purgandi virtutem amittit; asarum in aqua bullitum, diureticum evadit egregium tardarum febrium remedium, opium per acida virtute narcotica & anodyna omnino spoliatur: Sal Tartari volatile vegetabilium venena, in specie napellum, levi digestione omnino corrigit, teste *Boyle experim. Philos. p.* 136. Mercurius vitæ vomituriens per sal Tartari fit catharticum per inferiora, per nitrum verò evadit bezoardicum, Luna per nitrum dat pulv. amarissimum, parvâ 2. vel 4. gr. dosi copiosè absque ullo tamen nocumento hydropicorum aquas educentem, facilè denuò in antiquum iners Lunæ corpus reducendum: Auri dura compages præcipitatur in pulverem tonitrualem, qui tamen per sulphuris acidum omninò obmutescit, pro basi auri diaphoretici Poteriani singularum virtutum remedii: Et quanta hic non possint adduci, nisi respiciendus esset finis.

✠ (o) ✠


Biblioteka Jagiellońska
stdr0029916

CHmüllerg

Ettmullerius Michael philos et med. dr.

Opera omnia theoretica et practica, in quibus universa praxis medica sive omnium totius humani corporis morborum dilucida descriptio eorumque causarum accurata explicatio et curatio per selectissima et optima medicamenta. Quatuor partes.

Lugduni

1685

8° – p. I^a – 5 k.n + str. 428 – A – A_3 – Ggg_3 – Hhh.
" II^a – str 436 – a – a_3 – iii – iii_2
" III – str. 212 – A – A_3 – Cc_3 – Dd.
" IV – str 362 – a – a_3 – yy_3 – zz.

Opr. prg. wp. całe 4-ch egz.

Ettmullerus Michael phil. et med. dr.

Opera omnia theoretica et practica in quibus universa praxis medica sive omnium totius humani corporis morborum dilucida descriptio eorumque causarum accurata explicatio et curatio per selectissima et optima medicamenta

Lugduni

1685

8°
p. I — 5 k. n + str. 428 — A–A_3 — G_2g_5 — Hh.
p. II — str. 436 — a – a_3 — 3i — $3i_2$
" III " 212 — A–A_3 — Cc_3 — Dd.
" IV " 362 — a – a_3 — yy_3 — zz.
opr. perg. wypalona dla 4-ch części